00051065

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 January, 2016

ATHANASII KIRCHERI

SOC. IESV

OEDIPI AEGYPTIACI

Tomi Secundi

PARS ALTERA

Complectens Sex posteriores Classes.

Felicibus Auspicijs

FERDINANDI III. CAESARIS.



ROMÆ,

Ex Typographia Vitalis Mascardi, Anno M D[illegible]

SVPERIORVM PERMISSV.

ORI Lat 493.111 Ki6 SOC 51065 vol 2
Res 491.111
B.3011
51065 ac
00051065
IX-a-9

SYNOPSIS PARTIS II.
TOMI SECVNDI.

CLASSIS VII. *Mathematica hieroglyphica.* Complectitur quadriuium Mathematicum, hoc est, Arithmeticam, Geometriam, Musicam, & Astrologiam.

CLASSIS VIII. *Mechanica siue Architectonica.* Inuestigat prodigiosarum Ægyptijs vsitatarum machinarum constructionem.

CLASSIS IX. *Iathrica, siue Medicina hieroglyphica.* Ægyptiorum in medendo rationem & methodum declarat; item de naturali & præternaturali singulorum membrorum cura; vbi & de herbis, lapidibus, animalibus, amuletis medicatiuis, ensalmorumque exorcismis multa curiosa ex hieroglyphica doctrina eruuntur.

CLASSIS X. *Chimica.* Alchimiam hieroglyphicam, eiusque mysteria hieroglyphicè exhibita pertractat.

CLASSIS XI. *Magica, siue Magia hieroglyphica.* Originem oraculorum, diuinationum Ægyptijs vsitatarum species, sculpturas magicas, amuleta, phylacteria & periapta; Gnosticorum præterea Telesmata, & Camæa fusè vnà cum superstitionum occurrentium confutatione, in ordine ad hieroglyphicorum intelligentiam exponit.

CLASSIS XII. *Theosophia Metaphysica, siue Theologia hieroglyphica*; In qua Veterum Zoroastris, Hermetis, Orphei, Pythagoræ, Platonis Theologia cum Ægyptiaca comparata fontes hieroglyphicæ doctrinæ aperit; vbi SS. Triadis mysterium iam tum ab Ægyptijs, à primis Mundi Patriarchis successiuâ traditione acceptum vario hieroglyphicorum ornatu exponitur; Angelorum & Dæmonum natura, atque in singulas mundanarum rerum Classes præsidium, eorundemque descensus attractusque cum varijs cœrimonijs, ritibusque in sacrificijs per suffumigia, odoramenta, herbas, lapides peragi solitis describitur, atque adeo clarè Obeliscos, cœterasque hieroglyphicas inscriptiones nihil aliud, quàm dictarum rerum exhibitionem continere, variè demonstratur.

OEDIPI AEGYPTIACI

Tomi Secundi

PARS ALTERA.

CLASSIS VII. MATHEMATICA HIEROGLYPHICA.

PROOEMIVM

AD GLORIOSISSIMVM

FERDINANDVM III.

IMPERATOREM ROMANORVM SEMPER AVGVSTVM.

Ægyptij & Chaldæi post diluuium Matheseos inuentores.

TAMETSI *Mathematicæ disciplinæ statim ab ipsis nascentis Mundi incunabulis, vti ex 4. cap. Geneseos ostenditur, in vsu fuerint,* Maxime Cæsar; *cultum tamen earum post diluuium sibi primò Chaldæa, deinde Ægyptus ambiuit, vti ex turris omnibus seculis celeberrima extructione à Nembrod peracta, reliquorumq; ædificiorum à Semiramide, & ex pyramidum ab Ægypti Regibus extructarum historia constat; quæ quidem admiranda opera sine mathematum peritia minimè fieri potuisse ij soli nôrunt, qui in Architectonica facultate, Geometriæ & Arithmeticæ necessarium vsum experiuntur. Fuit autem in huiusmodi disciplinis addiscendis tantus Ægyptiorum ardor, tanta harum æstimatio & reuerentia, vt nemini Prophetæ, Sacerdotis, aut sapientis titulus concederetur, qui non priùs hisce eximiè fuisset imbutus. Et vt interim omittam vtilitatem maximam, atque ingentia quæ ex hisce in Rempublicam, tùm politicam, tùm Oeconomicam redundabant emolumenta; certè Sacerdotes tanto eas studio præ reliquis sectabantur, tam altè susci-*

Ægyptij Sapientes perfectissimi Mathematici.

piebant, vt nullum eſſet adeo in ſacra Theoſophia reconditum myſterium, quod non ſymbolicis Arithmeticæ & Geometriæ ratiocinijs ſe recludere poſſe ſperarent. Cùm enim ſenſibilia, eorum quæ inuiſibilia ſunt, quædam veluti ſimulachra exiſtant, atque adeo omnia quandam ad ſe inuicem, tametſi occultam nobis atque incomprehenſam, proportionem habeant, hæc autem ſine ſimilitudine concipi non poſſint; hinc Veteribus eas maximè imagines & ſimilitudines in ſupernorum continua contemplatione adhibere viſum fuit, quæ vti ſimpliciores abſtractioreſq́ue, ita ſublimium quoque rerum rationes aptiùs exprimerent; cuiuſmodi ſunt rerum mathematicarum contemplationes, quæ cùm circa numeros, & figuras Geometricas vt plurimùm occupentur, eam ſpeculationum pepererunt abundantiam, vt nemo è Veterum magnis viris aliâ, præterquam dictâ viâ, ardua diuinarum rerum myſteria aggreſſus ſit. Hinc appoſitè Boëtius, nullum diuinorum ſcientiam ἀγεωμέτρητον attingere poſſe aſſerit. Pythagoras verò, Platoq́ue, eorumq́ue ſectatores omnem veritatis inquiſitionem in numeris & geometricis figuris poſuerunt; imò D. Auguſtinus numerum rerum creandarum in animo Conditoris principale exemplar fuiſſe ex Platone probat; Ariſtoteles aliter ſanè nobis Mathematicarum ſpecierum differentiam, quàm per numerorum cooperationem tradere non potuit; cùm enim de formis naturalibus, quomodo vna in alia ſcientiam tradere vellet, ad Mathematicas ſibi formas neceſſariò confugiendum cenſuit, dum dixit, Καθάπερ τρίγωνον ἐν τῷ τετραγώνῳ, οὕτω ὕπατον ἐν τῷ ὑπερτάτῳ, Sicut trigonum; *inquit*, eſt in tetragono, ita & inferius ineſt in ſuo ſuperiori; *quæ poſtea fuſiùs explicabuntur. Et vt multa paucis complectar, tota veritatis doctrina, Boëtio teſte, tùm multitudine, tùm magnitudine comprehenditur. Quæ omnia ab Ægyptijs Veteres hauſiſſe Græcos, nulli dubium eſſe debet; illi enim vti primi literarum, Mathematumque inuentores, ita & earum freti notitia ijs maxima quæuis ſuperiorum Entium myſteria exprimebant, vt paulò poſt apparebit. Diuiſerunt autem totum Mathematicum obiectum in quadruplices facultates, vnde & nomen eis in hunc vſque diem manſit quadriuij Mathematici, ſuntq́ue Arithmetica, Geometria, Muſica, Aſtrologia. Ex quibus deinde, veluti ex prædiuiti fonte quatuor riuis inſigni, alij & alij riuuli emanantes Ægyptiorum palæſtram mirum in modum auxerunt. Quas inter celeberrimæ fuerunt, Mechanica, Architectonica, & reconditior illa Magiæ naturalis pars, quæ in machinarum omnis generis impenetrabili quadam ingenij dexteritate conſtruendarum notitia conſiſtit; quam & ideo Thaumaturgicam recentiores appellandam duxerunt. De quibus ſingulis in hac & ſequenti Claſſe, quantum ingenij vires permittent, amplè tractabitur. Ad opus igitur.*

Veritatis inquiſitio tota eſt in Mathematicis diſciplinis.

Quadriuium Mathematicum.

SECTIO I.

De Arithmetica Hieroglyphica.

CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

FERDINANDO IOANNI

Principi à Lichtenstein & Nicolspurg, Duci Teschinij,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

TRIA ferè lustra aguntur, Celsissime Princeps, *cùm nescio quâ meâ sorte, aut cuiusnam boni sideris afflatu, vnà mecum Romæ commoratus, tùm cæterarum Artium ac Scientiarum, tùm diuinæ potissimùm Matheseos studium, tanto ardore animi aggressus es, tanta cum perfectione, raro exemplo, consumasti, vt quantò inter viburna Cypressus, tantò* Tu *inter cæteros, quæ est ingenij* Tui *sublimitas, excelleres, omnium quæ apud me continebantur arcanorum particeps. Cùm itaq;* Celsitudinem Tuam *præ cæteris, quæ reconditiorem Arithmeticam implicitam habent, argumentis semper oppidò delectatam compererim; certè cui meliori iure hoc præsens, quod de Veterum Arithmetica hieroglyphica inscribitur, Syntagma, quàm nominis* Tui *honori consecrandum ducerem, reperi neminem. Suscipe igitur hoc perpetuum mei in* Te *affectus & obseruantiæ τεκμήριον. Inuenies hic dignissima capacissimæ mentis* Tuæ *pascua; amplissimos ingredieris nouarum demonstrationum campos, quò summi ingenij* Tui *vires experiaris. Vale omni virtutum genere excultissime* Princeps, *& vti semper solitus es,* Tuum *quem amasti, amare ne desistas.*

SECTIO I.

Arithmetica hieroglyphica in quo consistat.

NEMO, dum nos de Arithmetica tractaturos percipit, vulgarem illum mercatorum calculum tradituros existimet, sed reconditiorem illam numerorum scientiam, quâ per occultam quandam analogiam arcanior Theologiæ pars concluditur; quæ vti ex mente diuina & suprema monade perenni emanatione scaturit, ita omnia quoque quatuor Mundorum suprà explicatorum, omniumq; in ijs contentorum mysteria inuoluit. Quod vt ἀμεθόδως præstemus, ab vnitate nostræ sumamus disceptationis exordia.

CAPVT I.

De Vnitate, eiusque multiplici fœtu.

RATIONALIS fabricæ naturale quoddam pullulans principium numerus est; mentis enim expertia, vti bruta, non numerant. Sed & hic ipse nihil aliud est, quàm ratio explicata; ideo enim numerus principium eorum, quæ ratione attinguntur, esse probatur, vt eo sublato nihil omnium remanere ratione conuincatur. Est autem principium omnium numerorum Vnitas, vtpote à quo omnis numerus profluit; ipsaque omnium finis, in hanc enim omnis numerus resoluitur; neque tamen Vnitas ab vllo alio suam nanciscitur originem, aut in aliquem diuiditur numerum, sed omnis numerus ita essentialiter ab vnitate dependet, vt sine illa tantum abest vt existat, vt potiùs omnia sine eo in nihilum abire certum sit.

Vnitas principium omnium numerorum.

Est autem hæc Vnitas sempiterna Dei essentia, omnium principium & finis, Alpha & Omega, omnia aperiens, omnia claudens, adeoque omnia creatarum rerum entia nihil aliud sunt, quàm illius supremæ Vnitatis signacula. ita Mercurius Trismegistus in Pimandro: *Monas*, inquit, id est Vnitas *omnium principium, radix, & origo; absque principio verò nihil; initium autem est non principij, sed alterius; Monas ergo principium omnium numerorum continet à nullo contenta, omnemq; gignit numerum, nullo numero genita; id sane quod augescit, virtute Monadis augetur, euanescit autem imbecillitate propriâ, cùm vlteriùs Monadem capere nequeat.* Nec caret diuinæ lucis adumbratione, quòd Vnitas omnium numerornm terminus est & mensura, omnia mensurans, omnibus suum nomen communicans numeris.

Vnitas est Essentia Dei.

Trismegistus.

Verùm quia hæc amplissimè in Obelisco Pamphilio folio 178 pertractauimus, ijs relictis calamum ad arcana Monadis explicanda conuertamus.

§ I.

§ I.

Quomodo maximum absolutum cum minimo absoluto coincidat.

BOetius, huius epiphonematis Author, apertè dicit lib. 1. suæ Arithmeticæ, & Cusanus Card. in lib. de docta ignor. maximum absolutum cum minimo absoluto coincidere, imò idem esse; quod quomodo intelligendum, videamus. Maximum absolutè hoc loco nihil aliud notat, quàm maximum, quo maius dari non potest, estque veritas infinita; nullo humano, nec Angelico intellectu comprehensibilis. Nam cùm hoc maximum de eorum natura, quæ excedens & excessum admittunt, minimè sit, erit id necessariò super omne id, quod conceptu mentis nostræ exprimi potest; omnia enim, quæcunque ratione aut intellectu apprehenduntur à nobis, ita inter se & ad se inuicem differunt, vt nulla prorsùs præcisa æqualitas inter illa assignari possit. Maxima autem æqualitas illa est, quæ vti à nullo est alia aut diuersa, neque vllum quoque vel excessum vel defectum importat, ita super omnem quoque intellectum collocata, omnem meritò mentis conceptum excedit, atque adeo cum maximo absolutè idem est. Porrò cùm hoc maximum absolutè omne id, quod esse potest, sit; minimum autem absolutè id sit, quo minus concipi non possit; perspicuum est, maximum absolutè minimo absolutè coincidere. Oppositiones igitur, quas in rebus imbecillis mentis nostræ fundat apprehensio, locum tantùm habent in ijs, quæ excedens & excessum admittunt; maximum verò & minimum vti supra omnem oppositionem est, ita nullum quoque excessum vel defectum, vti dictum est, suo in conceptu concludere potest, vt doctè probat Cusanus.

Quid sit Maximum absolutum.

Quid sit Minimum absolutè.

Maximum & Minimum absolutè coincidunt absque vlla contradictione.

Cùm itaque maximum absolutè omnia sit absolutè actu, quæ esse possunt, illud absque vlla oppositione vt cum minimo coincidat, necesse est, atque adeo quod super omnem affirmationem & negationem, & super omne id, quod concipi potest, existit, id non magis esse quàm non esse concipitur; & omne id, quod concipitur non esse, non magis non est, quàm est; verùm ita est hoc, vt sit omnia; & ita omnia, vt nullum; & ita maximum, vt sit minimum; ita lux, vt tenebræ; *vti enim tenebræ eius, ita & lux eius*; cùm aliàs Deus omnia possibilia actu esse non posset, si non esset infinitus, & terminus omnium. Hoc autem omnem intellectum transcendit, qui nequit contradictoria in suo principio combinare via rationis, quoniam per ea, quæ nobis ab ipsa natura nota sunt, ambulamus, quæ longè ab hac infinita virtute cadens ipsa contradictoria per infinitú distantia connectere simul nequit. Supra omnem itaq; viam rationis incomprehensibiliter maximum illud absolutum seu infinitum, cui nihil opponatur, videmus cum minimo coincidere. Sunt itaque Maximum & Minimum hoc loco transcendentes absolutæ significationis termini, quæ in sua simplicitate absoluta supra omnem contractionem ad quantitatem molis aut virtutis, omnia complectuntur. Atque hoc maximum

Boetij Epiphonema probatur.

& mi-

& minimum nihil aliud esse, quàm vnum, iam nobis incumbit demonstrandum.

§ II.

Quomodo Maximum & Minimum Vnitas absoluta sint.

CVm excedens & excessum propriè numericæ sit considerationis, atque adeo anima numeris assueta, sine ijs quicquam finitum & terminatum concipere non possit; sublato numero, ipsa quoque rerum discretio, ordo, proportio, harmonia, atque ipsa entium multitudo, quæ sine numeris concipi non potest, vt cesset necesse est. At si numerus iste esset infinitus, quoniam tunc iuxta dicta maximum actu cum minimo incideret, omnia pariter prædicta cessarent, cùm idem sit numerum infinitum esse, & minimè esse. In finito igitur numero adeo magnus quidem assignari non potest, vt eo maior esse non possit in potentia; maximum tamen actu numerum, quo maior dari non possit, assignari, est assignari eum, qui nec principium, nec finem suæ multitudinis habet, numerus siquidem infinitus esset, & consequenter talis numerus, neq; discretionem rerum, neque ordinem, neque pluralitatem, neque excedens, neque excessum admitteret, imò numerus non esset. Quapropter necessariũ est in numero ad minimum pertingere, quo minus esse nequit; atque hæc est vnitas: & quoniam vnitate minus esse nequit, erit hæc vnitas minimum simpliciter, atque adeo cum maximo simpliciter coincidet. Non potest autem hæc vnitas numerus esse, vtpote omni excessu carens, sed est principium numeri; quin minimum quod hæc vnitas refert, finis est omnis numeri, quia maximũ est, cum quo minimum coincidit. Est igitur vnitas absoluta, cui nihil opponitur, ipsum Maximum simpliciter, qui est Deus benedictus, quæ Vnitas vti maxima est, ita multiplicabilis, & participabilis, quoniam omne id est, quod esse potest. Non potest igitur ipsa Vnitas numerus fieri. Atque hanc Hebræi, vt in Cabala exposuimus אין סוף *Ensuph* vocant, diuinæ essentiæ infinitum, mare illud magnum & interminum, hanc vnitatem Zohar vocat

Vnitas Maximi æquiparata Vnitati Minimi.

אחדות פשוט בתכלית אחדות הפשיטות ובכל פינת ובכל צד ובכל בחינה ובחינה שאתה בוחן בו אין אתה בוחן רק אחדות פשוט:

Vnitas simplex, & absoluta vnitate simplici, & absolutissima omnibus modis & rationibus, & ex omnibus examinibus, quibus examinaueris hoc, nihil percipies nisi vnitatem simplicem & summè absolutam. Atque hanc vnitatem ita necessariam esse, vt illa non existente, nihil conditarum rerum existere possit, iam probemus.

§ III.

§ III.

Vnitas absoluta actu existit, & pernecessaria est.

MAximo itaque simpliciter non existente, nihil existere posse, ita ostendo. Cùm omne non Maximum sit finitum & principiatum, necessariò id erit ab aliquo; si enim à seipso esset, fuisset quando non fuisset; nè igitur processus concedatur in infinitum, maximum simpliciter necessarium, sine quo nihil esse potest, concedendum est. Cùm præterea nullum esse intelligi posit sine esse, Maximum autem esse oppositionem non admittat; necesse est, minimum esse, cum maximo esse coincidere, eritque absolutum esse nihil aliud, quàm Maximum esse; quemadmodum Veritas maxima, est Maximum absolutè; maximè itaque verum est, ipsum Maximum simpliciter esse, vel non esse; vel esse & non esse; vel nec esse, nec non esse; in infinito enim diuinæ essentiæ hæc omnia sine vlla oppositione considerari possunt. Patet hinc, quare S. Dionysius Deum subinde Ens & non Ens dixerit; & Zohar subtilissimis verbis sequentibus explicat. Deus cur dictus Ens & non Ens à S. Dionysio.

ככר אמרתי לך כי המוציא יש מאין אינו חסר וכי היש הוא באין בענין אין והאין הוא ביש בענין יש ללמוד שהאין הוא היש והיש הוא האין:

Iam dixi tibi, quòd producenti Ens de non ente nihil decedit, & quòd Ens est in non ente quoad rem non entis, & non ens est in Ente quoad rem entis, vt discas, quòd non ens sit Ens, & Ens sit non ens. Patet igitur ex dictis, Maximum simpliciter necessariò esse, imò esse ipsam absolutam necessitatem, & hanc vnitatem esse absolutam. Vnitas ergo hæc erit maximum simpliciter, quod suprà innuimus, & S. Dionysius doctè demonstrat lib. de diu. nomin.

§ IV.

Quomodo Pythagoras vnitatem hanc trinam dixerit.

NVlla vnquam natio fuit, quæ Deum non coleret, & eum Maximum simpliciter non crederet. Sisenij vnitatem maximè adorabant; Pythagoras trinitatem vnam astruebat. quod vt intelligatur, Sciendum est, id quod omnem alteritatem præcedit, æternum esse: alteritas enim idem est, quod mutabilitas; sed omne quod mutabilitatem naturaliter præcedit, immutabile est, & consequenter æternum. Vnitas ergo natura prior est alteritate, & quoniam eam naturaliter præcedit, est æterna. Vnitas natura prior est alteritate. Porrò omnis inæqualitas est ex æquali & excedente, vnde inæqualitas emergit, æqualitate naturâ posterior; quod ita ostendo. Omnis inæqualitas in æqualitatem resoluitur, nam æquale inter maius & minus est; si itaque dempseris quod maius est, habebis æquale; sic si minus dempse-

ris à maiori, iterum habebis æquale. Inæqualitas itaque per subtractionem ad æqualitatem reducitur; ergo æqualitas naturaliter præcedit inæquale; alteritas ergo & inæqualitas natura simul sunt: vbi enim alteritas, ibi & inæqualitas, & è conuerso; inter duo namque ad minus erit alteritas, illa verò ad vnum illorum duplicitatem facient, quare erit inæqualitas per excessum vnius. Alteritas ergo & inæqualitas simul erunt natura, sed ex præmissis æqualitas naturâ præcedit inæqualitatem, quare & alteritatem; æqualitas ergo erit æterna. Iterum si duæ fuerint causæ, quarum vna prior sit altera, erit effectus prioris prior natura effectu posterioris; sed vnitas vel est connexio, vel est causa connexionis, est enim vnitiua omnium; binarius verò, vel diuisio est, vel causa diuisionis; si ergo vnitas causa connexionis est, & binarius causa diuisionis, ergo sicuti vnitas natura prior est binario, ita & connexio natura prior est diuisione; sed sicuti alteritas & diuisio natura simul sunt, ita vnitas & connexio: cùm itaque probatum sit, id quod alteritatem, diuisionem, seu mutabilitatem præcedit, esse æternum, est enim id simpliciter maximum; nihil verò præcedens alteritatem aliud sit quàm vnitas, vnitas autem idem sit, quod æqualitas, & connexio; erit necessariò, vnitas, æqualitas, & connexio æterna; non tria æterna, sed vnum æternum, si enim plura essent æterna, alteritas siue multitudo prius esset vnitate, iterum alterum alteri deesset, atque adeo nullum illorum esset æternum; æternum itaque essent, & non æternum, quæ omnia absurda sunt & impossibilia. Manet ergo vnitatem, æqualitatem, & connexionem vti vnum sunt, ita & æternum esse.

Alteritas & inæqualitas simul sunt natura.

Vnitas, æqualitas, & connexio sicuti habent vnum esse, ita habet æternum esse.

Atque hæc est illa trina vnitas, quam Pythagoras adorandam statuit; quamque Ægyptij *Hemphta* dicebant, & sub figura ὀφι-κυκλο-πτερόμορφῳ, id est, per globum, serpentem, alam in vnum hierogramma congesta, occultè exprimebant; de quo vide Obeliscum Pamphilium.

Ab vnitate itaque gignitur vnitatis æqualitas, atque ab his procedit connexio; Deus enim vnicus vti ipsa rerum entitas est, seu forma essendi, æqualitas verò entium æquitas, in qua neque plùs, neque minùs sit, nihil suprà, neque infrà; ita generatio vnitatis nihil aliud est, quàm vnitatis repetitio; si enim bis, vel ter, aut deinceps vnitatem multiplicaueris, iam vnitas ex se aliud procreabit, vt binarium, ternarium, vel alium quemuis numerum qui creatis conuenit. Vnitas ergo in diuinis semel tantùm repetita gignit vnitatis æqualitatem, siue quod idem est, Vnitas gignit Vnitatem, quæ est generatio æterna Patris & Filij. Hinc patet, quomodo illud Trismegisti intelligendum sit, *Monas genuit Monadem, & in seipsam suum reflexerit ardorem.* Sicuti igitur generatio vnitatis ab vnitate, est vna vnitatis repetitio, ita processio ab vtroque est repetitio vnitatis entitatiuæ & æquatiuæ; siue quod idem est, vnitatis & æqualitatis connexio & vnitio. Rectè itaque ab vnitate, & æqualitate vnitatis, id est, ab vtroque connexio procedit; neque enim connexio vnius tantùm est, sed ab vnitate in æqualitatem vnitas procedit, & ab vnitatis æqualitate in vnitionem. Neque dicitur, connexionem ab vnitate, vel ab vni-

Trismegisti effatum explicatur.

tatis

tatis æqualitate gigni, quoniam neque ab vnitate per repetitionem fit, neque per multiplicationem; & quamuis ab vnitate gignatur vnitatis æqualitas, & connexio procedens ab vtroque, veluti si de eodem dicatur, hoc, id, idem; hoc ipsum quidem quod dicitur id, ad primum refertur; quod verò dicitur idem, relatum connectit & coniungit ad primum. Atque ex tali quantumuis disita similitudine Pater dictus est Vnitas, Filius Æqualitas, Connexio verò Amor, seu Spiritus sanctus. Atque hæc sunt, quæ de Trismegisti & Pythagoræ trinitatis in vnitate, & vnitatis in trinitate scrutinio Lectori curioso exhibere volui.

CAPVT II.

De Monadis in quatuor Mundos, siue ab extra effusione.

QVadruplicem vnitatem hoc loco exponendam duximus; prima est simplicissima siue μοναδική, Monadica; altera δεκαδική, decadica seu denaria; tertia ἑκατοντα δική, hecatontadica seu centenaria; quarta χιλιαδική, chiliatica seu millenaria. Prima intuetur simplicissimam & indiuisam vnitatem, scilicet 1; secunda denariam vnitatem, quæ & sequentium radix dicitur, & 10 sunt; tertia centenariam vnitatem contemplatur, & est præcedentis vnitatis denariæ quadratura, videlicet 100; quarta 1000, id est, millenariam respicit vnitatem, & est præcedentis denariæ vnitatis cubus. Quæ quatuor Monades vti fluxum puncti in lineam, lineæ in superficiem, superficiei in corpus pulchrè explicant; sic prima centralis monas, secunda superficialis, tertia quadrata, quarta solida rectè quoque denominari potest. Atque hâc ratione statutis duobus extremis, vnitate, & millenario, cæteros omnes numeros per accessum & recessum ab illis definiebant Pythagoræi, estque varia illa & mysteriosa τετρακτὺς Pythagoræ. Verùm inter duo hæc, duo statuebant media, nempe 10 & 100; & denarium quidem radicem, centenarium quadratum, millenarium verò cubum appellabant. Vnitas sine diuisione est, & vt punctum; denarius millenarij radix cum simplici diuisione, est enim pariter impar, & vt linea: centenarius cum duplici diuisione, & vt superficies; diuiditur enim in 50 & 50, deinde 50 in 25 & 25: millenarius verò cum trina diuisione, & vt corpus; diuiditur enim 1000 primò in 500 & 500; deinde 500 in 250 & 250; rursus 250 in 125 & 125, ibique cessat diuisio. Sicuti igitur monas omnis diuisionis expers, sic 10 vnam diuisionem tantùm admittens aptè Intelligentijs applicatur, 100 binâ diuisione animam, 1000 verò trinâ diuisione aptè corporeum Mundum ostendit. Sed explicemus singula.

Quadruplex Vnitas explicatur.

Declaratur natura singularum Vnitatum.

In monadica vnitate contemplamur simplicissimam Mentem, omnium productricem, diuinam essentiam; in secunda radicali vnitate Angelicam intelligentiam; in quadrata animam; in cubica denique corpus intuemur; ita vt in hisce quaternis vnitatibus distinctis, distinctas in singulis proprietatum rationes comperiamus. Nam in Deo omnia Deus,

Vnitates quatuor explicantur.

in intelligentia omnia intellectus, in anima omnia anima, in corpore omnia corpus est; quod aliud non est, quàm Mentem omnia complecti vel diuinè, vel intellectualiter, vel animaliter, vel corporaliter; diuinè quidem, prout res est veritas; intellectualiter, hoc est, vt res non est veritas, sed verè; animaliter, hoc est, vt res est verisimiliter; corporaliter denique, hoc est, vt verisimilitudinem exit, & confusionem subintrat.

Primæ Vnitatis prærogatiua.

Prima vnitas veluti exemplar omnium, omnem præcedens multitudinem, & consequenter omnem alteritatem, oppositionem, inæqualitatem, diuisionem; & tametsi huiusmodi vnitas nec binarius, nec ternarius, nec quaternarius sit, omnia tamen ea est, quæ sunt binarius, ternarius, quaternarius &c. Si species rerum vt numeri distinguantur, ipsa absoluta vnitas nullius quidem speciei est, nullius nominis, nullius figuræ est, sed omnia in omnibus est; est enim hæc vnitas omnis multitudinis generum, specierum, substantiarum, accidentium, vniuersarumque creaturarum, mensura vna omnium mensurarum, æqualitas vna omnium æqualium & inæqualium, connexio omnium vnitorum & segregatorum, quemadmodum vnitas omnem tàm parem quàm imparem numerum simplicitate suâ complicat, explicat, atque connectit, vnitas infinita potentia, vnitas ineffabilis, à qua si cuncta separaueris, si aliud nunquam aut fuisse, aut esse, aut fieri posse intelligas, si multitudinem omnem abijcias, & ipsam simplicissimam vnitatem tantùm subintraueris, ita vt eam non potiùs simplicem quàm non simplicem, non potiùs vnam quàm non vnam comprobaueris, arcana omnia te penetrasse nôris. Videbis enim vitam eius minimè corruptibilem in sua vnitate absoluta, in qua est omnia, huius autem absolutæ vnitatis præcisissima est certitudo, ita vt mens omnia in ipsa, & per ipsam agat, neque quæstio esse potest, quæ eam non præsupponat, est enim entitas omnium entium, quidditas omnium quidditatum, causarum omnium causa, finis omnium. Vidimus Omnipotentis Vnitatis miracula, iam ad cœteras vnitates progrediamur.

Secundæ Vnitatis denariæ vis & natura.

Secunda vnitas decadica respicit intelligentiam Angelicam, quæ cùm ab infinita illa vnitate primò recedat, necessariò intellectualis compositionis miscellam intrare cogitur. Est autem compositio ab vno & altero, id est, ex oppositis, quæ non præueniunt eam, sed simul cum ipsa oriuntur, copulanturque in eius simplicitate radicali opposita ipsa indiuisè & irresolubiliter; denaria enim vnitas sine radice est, nam eam præter primam nulla præcedit vnitas, cuius multiplicatione exurgat, cùm ea sola primò ortum capiat. Et tametsi à prima vnitate quoad essentiam infinitis distet interuallis, simplicissima tamen diuini operis ratio est, exemplarium diuinorum promus condus. Creatrix enim vnitas in actum se exerens primò produxit dyadem, quæ est monas decadica siue Mundus intellectualis, absoluta Dei imago, & immediatum exemplar; denarij numeri, quem refert, vltimum complementum.

Tertiæ Vnitatis centenariæ vis & natura.

Tertia vnitas centenaria animastica numerus intelligentiæ est, quam quadratè explicat; intelligentia numerus est vnitatis absolutæ siue primæ monadis, vnitas enim intelligentiæ numeratur in anima, dum multi-

pli-

pliciter contrahitur. Deus lumen est intelligentiæ, quia eius vnitas; intelligentia verò animæ lumen, quia eius vnitas, & corporalis forma vnitatis animæ numerus existit. Animæ vnitatem seu vnitatem non in se, sed eius corporeâ inuestigatione sensibiliter intuemur; pari pacto intelligentiam non in se, sed in anima, nec primam simplicissimam absolutissimamque vnitatem vti in se est, sed in ipsa intuemur intelligentiam vt in numero & signaculo. Deus igitur forma intelligentiæ est, intelligentia animæ, anima corporis. Ratio itaque non vt cubici corporis radix, sed vt medium per quod intellectualis radix in corpus descendit, consideranda est; est enim instrumentum intellectus, atque ita principium seu radix instrumentalis rerum corporearum. Centenaria monas animam figurat, milllenaria corpus; exurgit autem mille ex ductu denarij in centenarium, hoc est, ex multiplicatione intelligentiæ per animam. Omnis enim numerus denario perficitur, simplicissimæ vnitatis numerus simplicissimo numero in denarium pergit. Quæ igitur in prima vnitate sunt ipsa vnitas simplicissima, in eius explicatione numerali reperiuntur diuisa, atque differenter alia. Ita quidem intelligentiæ, quæ sunt numerus simplicissimæ & absolutæ vnionis, intellectualiter quidem numeri naturam in ordine ad primum participant, intellectualis differentia, oppositio, & alteritas, similiaque, quæ numero conueniunt, sunt ipsa vnitas absoluta. Quadrata verò alteritas & oppositio sunt in ratione ipsa vnitas intellectualis. Cubicæ demum oppositiones & alteritates sensibiles & corporeæ vnitas sunt in ratione.

Quarta denique vnitas millenaria vltima & sensibilis vnionum est explicatio. Sicuti autem millenarius ex multis compositus, ita & hæc vnitas. Prima vnitas itaque se habet per modum puncti; secunda per modum lineæ; tertia per modum superficiei, quarta per modum corporis, seu cubi. Vnitas puncti simplicissimi, est omne id, quod in lineari, superficiali, & corporea vnitate; & superficialis vnitas omne id, quod est in corporea vnitate, explicat. Et tres quidem priores vnitates, non sensiles & discretiuæ nisi per mentem ipsam, quæ sola punctum, lineam, & superficiem seorsim considerat; sensus verò corporeum tantùm attingit. Si quis igitur per sensibilia, mentalia niteretur mensurare, idem faceret quod is, qui solido corpore aut punctum, aut lineam, aut superficiem mensurare attentaret, atq; imprudenter, nè dicam stolidè ageret. Omne igitur sensibile ad rationem eleuandum est, aut ad intelligentiam, siue ad absolutam vnitatem. quod si hoc pacto ab omni sensibili, rationali, aut intellectuali multitudine absolutam ad simplicitatem infinitam redegerimus, non est ampliùs quicquam de eo affirmabile; neque enim tunc potiùs est lapis quàm non lapis, sed est omnia, vnitas videlicet simplicissima, Deus benedictus in secula. Vnde sicuti absoluta vnitas lapidis illius sensibilis & rationalis est Deus, sic eius intellectualis vnitas est intelligentia. Vides etiam ex his vnitatibus, quomodo sensus redit in rationem, ratio in intelligentiam, intelligentia in Deum, vbi est initium & consummatio in perfecta circulatione, vti ex Hermeticis pulchrè probat Cusanus, & Franciscus Patricius.

Quartæ Vnitatis millenariæ vis & natura.

Qua-

Quatuor dictarum Monadum Schematica explicatio.

EX prædictis perſpicuum eſt, Mundum quendam ſupremum ex Theophanico primæ monadis in denarium deſcenſu conſtitui; ſecundum ex ſecundæ monadis in tertiam; tertium verò Mundum per deſcenſum tertiæ monadis in quartam, per quam reditus fit in vnitatem. Centrum primi Deus, ſecundi intelligentia, tertij ratio, quarti ſenſus. primum centrum entitatem habet indiuiſibilem, omnia in omnibus, vbique centralem. Omnia ſunt in primo Mundo per vnitatem abſolutam; omnia in ſecundo per intellectualem; omnia in tertio per rationalem; omnia in quarto per ſenſum. Sed quomodo hęc Pythagorica tetractys ſiue quaternarius in Deo, Angelo, Anima, & Corpore ſit, videamus, nonnulla ex Muſurgia noſtra tomo 2. fol. 448. & fol. 451. repetentes.

Arithmeticæ myſticæ ſpecimen in numeris 1.2.3.4 * Conſtat, vnum, duo, tria, quatuor vnita ſimul efficere denarium, totius Vniuerſi Symbolum, rerum omnium metam & terminum, & vnitatis ſimplicis naturalem explicare virtutem; ex ipſo verò denario, qui altera quædam vnitas eſt, pari quaternarij progreſſu, radicis quadratæ attingitur explicatio; 10 enim, 20, 30, 40, ſimul iuncta 100 conſtituunt, denariæ radicis quadratum. Centenaria item vnitas pari motu millenarium exerit; 100 ſiquidem, 200, 300, 400 ſimul iuncta millenarium conſtituunt, ſecundæ vnitatis, radicis ſcilicet denariæ, cubum. Non ſunt igitur naturali influxu plures quàm 10 numeri, qui quaternâ progreſſione arceantur; neque vltra radicis denariæ millenarium, videlicet cubum, alia fit repetitionis variatio, cùm tunc quaternarius progreſſione ter repetitâ denario exurgat ordine. Habes igitur quaternarium vnitatis, explicationem vniuerſi numeri continere potentia. Vnitas enim generalis quatuor vnitatibus diſtinguitur, quæ congruo hìc ordine diſponuntur; prima ſimpliciſſima; ſecunda à prima diſtat Zyphræ adiunctione, & radicem conſtituit denariam; tertia centenarium denotans quadratum; quarta millenarium denotans, cubum conſtituit. Contemplatur itaque mens ipſam vniuerſam ſuam entitatem in his quaternè diſtinctam vnitatibus, in ſimpliciſſima quidem vnitate Deum vt Creatorem omnium, in radice ſiue vnitate denarij, intelligentiam; in quadrato intelligentiæ contractionem ſiue animam; in cubico numero denique nihil complicante corpus conſiderat. Omnia autem in Deo Deus, in intelligentia intellectus, in Anima anima, in corpore corpus. Et in vnitate quidem prima omnes reliquas vnitates, etſi indiuiſim, indifferenter, indiſtinctè complicatas intueberis. Certè ſi quis hanc ſimpliciſſimam tantùm vnitatem omni multitudine reiecta penetrauerit, ita vt eam non potiùs ſimplicē quàm non ſimplicem, non potiùs vnam, quàm non vnam comprobauerit; is arcana oīa ſe penetraſſe ſciat: per hanc enim vnitatem, mentis vnitatem videbit nudam omni multitudine, inuenietque non eſſe eius vitam corruptibilem in ſua vnitate abſoluta, in qua eſt omnia; huius autem abſolutæ vnitatis perfectiſſima eſt certitudo, ita vt Mens omnia in ipſa, & per ipſam agat, eſt enim entitas omnium entitatum, omnium quidditatum quidditas, cauſarum omnium cauſa, finis omnium finium.

Arithmeticæ myſticæ peritus omnia arcana penetrare poteſt.

Dena-


CIRCVLVS VNIVERSORVM
ENNEAS I SIVE ANGELICI MVNDI
SERIES NVMERIS EXPLICATA.
TRIAS CHORO-RVM I. ORDINIS.
TRIAS CHORORVM II. ORDINIS.
TRIAS CHORORVM III. ORDINIS.
2
3
4
10
20
30
40
100
200
300
400
1000
SIDEREI MVNDI
SERIES NVME-
I. ORDINIS.
II. ORDINIS.
III. ORDINIS.
ENNEAS II SIVE
RIS EXPRESSA.
ENNEAS III SIVE ELEMENTARIS MVNDI
SERIES NVMERIS EXPRESSA.
I. ORDINIS.
II. ORDINIS.
III. ORDINIS.
PYRAMIS TENEBRARVM
TERRA.
AQVA.
AER.
IGNIS.
HOMO.
SENSI-TIVA.
VEGETA-BILIA.
LVNA
SERAPH.
CHERVBIN.
THRONI
DOMIN.
VIRTVT.
POTEST.
PRINCIP.
ARCHAN.
ANGELI.
IMO-BILA.
FIRMA-MENTVM
CHORVS
2 CHORI
3 CHORI
4 CHORI
5 CHORI
6 CHORI
7 CHORI
8 CHORI
9 CHORI

Denario omnis numerus comprehenditur.

Denario itaque, vti suprà fusè, & etiam in nostra Musurgia to: 2. fol 451. ostendimus, omnis comprehenditur numerus; quaternario verò omnis numerorum progressio perficitur, quater enim decem faciunt 40. Hinc in 40 circulos totum Schema harmonicum in citato Musurgiæ loco distribuimus, in ea distributione vsi numeris 1, 3, 9, 27. qui numerus maximè mysticus est, & animæ symbolum à Platone in Timæo constituitur, vt paulò post dicetur. Hi enim numeri simul collecti 40 constituunt, numerum proposito nostro maximè conuenientem. Nam vt 1, 2, 3, 4 vniuersi numeri est ordinatissima progressio (si enim binarium in se duces, 4 produces; & si 1 ad 3 addideris, idem quaternarius prodibit) ita ad quaternarij denarium, scilicet 40 progressio nulla ordinatior est, quàm 1, 3, 9, 27. Nam sicut priores simplices 1, 2, 3, 4, simul sumptæ 10, & hæc per 4 multiplicata 40 constituunt; ita 1, 3, 9, 27 simul iuncta 40 constituunt; iuxta hos enim præcedens Schema figuramus, in quo vnitas simplex, quâ Deum notamus, quatuor circulos contingit, maximum scilicet vniuersæ naturæ, supremum Mundi, supremum Ordinis, supremum denique Chori circulum; à quo gradatim lumen atque entitatem participant; primò Vniuersum, post hoc supremus Ordo, quarto & vltimo loco supremus Chorus. Vides consequenter Chorum Choro lumen vsque ad vltimum communicare. Intueris quoque, quomodo id, quod in Vniuerso, & in quolibet Mundo reperitur, in Ordine reperiatur. Nam denaria vnitas intelligentiā, centenaria animam, millenaria, vti dictum est, corpus signans, alio modo est in supremo Mundo, secundùm illius videlicet Mundi naturam sublimem, simplicem, & nobilem, alio modo in medio, alio modo in infimo vmbroso Mundo. Nam infimum superioris cum supremo inferioris in omnibus coincidere conspicies; simplicior enim est sensus superioris Mundi, quàm intelligentia Medij, perfectiorque est sensus superioris Ordinis, quàm intellectus subsequentis. Vides igitur, quàm aptè totum Vniuersum cum triplici Mundorum serie, nouem denarijs, nouem centenarijs, totidemque millenarijs, omnes minimis circellis comprehensis distribuatur; quibus triadibus nouenarijs, si totidem vnitates per maiores tres circulos indigitatas adieceris, tandem millenarium in vnitate simplici per maximum omnia ambientem complicantemque circulum signata deprehendes; videbisque quomòdo in quolibet Mundo quidlibet, quomodo eadem progressionum in singulis Mundorum seriebus, lex & constitutio. Nam si primus denarius superioris Mundi fuerit vt duo, secundus vt tria, tertius vt quatuor; perfectam habebis progressionem. Eandem progressionis legem seruabit secundus Mundus denario signatus, vti sequitur 200, 300, 400; hos enim si ritè coniunxeris, in singulis emergit denarij miscella.

Explicatio numerorum mysticorum.

Explicatio figuræ.

Omnia in omnibus.

Ex quibus luculenter patet, quomodo vnitas intelligentiæ inferioris Mundi, etsi de natura superioris, aut medij non sit, vtpote ab eorum simplicitate remotior, eorum tamen naturam secundùm quandam analogiam mirum in modum attingat, vt in gradibus entium trium Mundorum apparet. Vide Schema præcedens archetypum, in quo infimus Orbis

Explicatio figuræ vlterior.

bis

bis per 1000, siue cubum signatus corpoream naturam comprehendit, ex quatuor elementorum temperamento constitutam, & proinde tenebris tantò plùs immergitur, quantò ab apice lucidæ fuerit remotior; secundus verò cœlestem Mundum, lucem inter & tenebras sedem mediam continentem; Intelligentijs Orbes mouentibus plenum, qui Mundum inferiorem tenebris inuolutum perpetuâ lucis deriuatione, tùm illuminant, tùm fœcundant; tertius Orbis Angelicum continet Mundum, lucis habitaculum, in quo cœlestes illi beatarum mentium exercitus harmonico ordine distributi, varia inferiorum Mundorum dispensant distribuuntque ministeria. *Seraphin* diuino amore æstuantes, omnia inferiora ad diuinum amorem per operum consonantiam incitantes attrahentesque, perenni ac diuinâ quâdam commotione inflammant. *Cherubin* in immenso diuinæ scientiæ Oceano absorpti, mentes hominum, inferioresque Ordines ad veram scientiam cognitionemque illuminant. *Throni* Mundi, rerumque in ea existentium dispositores, omnia in perfectam harmoniam ordinant. Suntque ideo huius Ordinis tria præcipua munia, vt calore quodam diuino entia inferiora purgent à sordibus, deinde cognitione cuique propriâ illuminent, denique quoad vtrumque illa perficiant; omnia namque entia summum bonum, à quo profluxerunt, suâ naturâ appetunt, & pro viribus in id ipsum conuersa connituntur, vt quàm maximè possunt, ipsi & iungantur, & eo fruantur, & alios ad id consequendum inflamment. Cùm enim summo bono & essentiâ, & potentiâ, & actione proximi, eiusque proximè participes, boni & ipsi necessariò effecti; nulli entium sunt inuidi, & omnibus in bono bonitate suâ cooperari est necesse; idque triplici, vt diximus, actione, illuminando, purgando, attrahendo: per has enim easdem actiones ipsæ quoque primæ triadis mentes proximè & iugiter à Deo illustratæ, diuinoque igne inflammatæ, ad ea opera & iuuantur, & suaui quâdam vi impelluntur, fiuntque primariæ diuinæ prouidentiæ ministræ. Quod ipsum munus & secundus Ordo, sed pro natura sua, vt ab Opifice est remotior, remissiùs quàm primus obit, à Deo & ipse per superiorem Ordinem ad perfectionem propriam redactus; quæ quidem perfectio in eo consistit, vt *Dominationes* dominatum quendam in inferiora liberum exerceant, & nullâ vi coactæ, ea gratijs suis donent, & illuminent, & purgent, & perficiant, atq; ad summum bonum perducant; idemque faciant stabilitate quâdam sibi propriâ & fortitudine *Virtutes*; *Potestates* autem ordinem in his agendis ab omni procul confusione conseruent. Tertius autem Ordo proximè hominum generi prouidet; & *Principatus* quidem Principum curam gerere videntur; *Archangeli* verò populorum Principibus subditorum; *Angeli* denique hominum singulorum, per quos humanum genus totum, & quoad intellectionem illuminatur, & quoad voluntatem purgatur, & quoad vtraque perficitur: neque enim decuit supereminentem omnibus bonitatem entia omnia procreare, & ea deinde calui relinquere, aut vt à seipsis aliena discrepantiaque remanerent, permittere; sed si integra, vt ipsa bonitas, permanere debebant, necesse fuit, vt vniuersa simul coniungeret, & à se iugiter pen-

Ordines Angelorum. Seraphin. Cherubin. Throni. Dominationes. Virtutes & Potestates. Principatus. Archangeli. Angeli.

dere, ad ſeque connecti, & ad primum fontem regredi, apta vt eſſent, efficeret: ſed id fieri nequaquam potuit, niſi ſuprema, mediaque, & infima entia vinculis quibuſdam colligarentur; quod harum Mentium amore & miniſterio quàm aptiſſimè fieri potuit. Atque hæc eſt catena illa Heracleotica omnia connectens; hoc decachordon illud naturæ Vniuerſi, omnia in vnam eandemque pulcherrimam harmoniam adaptans, dum Deus, vti in omnes, ita maximè in Mundum Angelicum, hic in cœleſtem, & cœleſtis in Mundum Elementarem admirandâ quâdam ratione influit; iterumque Angelici Mundi triplici Choro, & cœleſtis Mundi triplici Choro, & hic inferioris Mundi Chori ſinguli, ſingulis reſpondent; adeo vt nulla ſit inferioris Mundi chorda, quæ non correſpondentes habeat cùm in cœleſti, tùm Angelico Mundo chordas, iuxta celebre illud ſecretiorum Cabaliſtarum pronunciatum: *Nulla herba eſt inferiùs, quæ non habeat planetam ſuperiùs dicentem ſibi, creſce*. Chordâ igitur in quacunque Mundi ſerie incitatâ, continuò reliquæ correſpondentes abditâ quâdam vi conſenſuque in harmoniam animabuntur, latetque ſub harum rerum perfecta notitia totius arcani naturæ maximum ſacramentum, quòd quicunque ſciuerit, aptando conſona conſonis, mirandos in natura rerum effectus ſe nouerit præſtiturum. Sed hæc meliùs ex ſuprà poſito Schemate intelliges, in quo vides, circulum omnia ambientem ſignificare vnitatem æternam, immutabilem, immobilemque. Tres circuli tres Mundos, Elementarem, Cœleſtem, & Angelicum, quorum vnuſquiſque iterum in tres alios circulos, veluti in tres Choros; Chori autem ſinguli ſingulorum Mundorum in tres circellos, gradus entium rerumque Vniuerſi, deſinentes diuiſi conſpiciuntur. Primus circulus Mundialis per 9 circellos, 9 Choros Angelorum; ſecundus nouem cœlorum Orbitas, quæ ſunt, Primum mobile, Firmamentum, ſphœra Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, Lunæ; tertius circulus nouem Elementaris Mundi entia, quæ ſunt homo, brutum, zoophytum, arbor, frutex, herba, mineralia, mixta, elementa, ſignificat. Et hi ſunt 27 gradus entium trium Mundorũ; quibus ſi reliquos circulos maiores iunxeris, emergent 40 circuli, totidem videlicet, quot numeri ſupradicti 1, 3, 9, 27 ſimul ſumpti conſtituunt, quorum primus terminus, 1, vnitatem abſolutam; ſecundus, 3, ſuperficialem ſeu radicalem; tertius, 9, videlicet quadratum ternarij; quartus denique, 27, cubum ternarij conſtituit; qui, vt dixi, ſimul iuncti dant 40, quibus Pythagoræi numeros indicabant abſolutos ſeu radicales, planos, ſolidos; Hebræi verò, vt in Cabala diximus, miro artificio de triplici Mundo differentes, ſuas faciunt numeris reſpondere literas. Vides quoque quàm hæc aptè ijs, quæ in præcedentibus de 9 quatuor Mundorum decadibus diximus, conſentiant. Hi omnes circuli duplici pyramide, quarum prior lucida baſin in vertice cœli Angelici, ſiue lucidi, apicem in inferioris Mundi gradu conſtituit; altera pyramis tenebroſa baſin ſuam in inferioris Mundi gradu, materia ſcilicet primâ, omni luce actuque priuata, conſtituit, apice in cœli Angelici ſummitate terminante; vnde ſupremus Mundus vti lucis, ita tenebrarum copiâ abundat

Catena Heracleotica.

Harmonia Chororum Angelicorum cum Mundo.

Explicatio figuræ.

Demonſtratio per duplicem pyramidem, lucidam & tenebroſam.

dat Mundus inferior, medius ex vtroque æquam lucis & tenebrarum portionem participat, quamuis nec superior tenebrarum, nec inferior lucis prorsus sit expers, etiamsi lux in inferiori Mundo, vti & tenebræ in superiori quodammodo videantur absorptæ. Si igitur Schema penitiùs introspexeris, experieris per descensum vnitatis in multitudinem, regressumque multitudinis in vnitatem, quomodo in supremo cœlo omnia, quæ multitudinis sunt, in ipsam vnitatem pergant; diuiduum videlicet in indiuiduum, in lucem tenebræ, compositum in simplex, mortale in immortale, mutabile in immutabile, potentia in actum, pars in totum, & sic de cœteris. Contrarium in Mundo inferiori processum reperies. Quæ si sagaci disquisieris ingenio, maxima, & obscurissima luce clarissima intueberis, vsque ad ipsa naturæ abditissima. Oportet autem, vt cuiuslibet particularis vnitatem in sua perfectione concipias, & secundùm eam lucis intensionem, tenebrarum qualitatem imagineris; ex vnitatum autem graduationibus illam minorem reputes, quæ plùs tenebrarum, plùs multitudinis, plùs potentiæ, plùs diuisibilitatis obtinet; maiorem verò illam, quæ plùs lucis, plùs vnitatis, plùs actus indiuisibilitatisque habet: quantò enim vnitas minùs in actu, & plùs in potentia est, tantò est alterabilior; Vnitas enim vniens vnitate vnibili perfectior est, vt vnitas Animæ, corporis vnitate perfectior est, quia vnitatis corporis finis est animæ vnitas, à qua corporalis, vt à quodam suo principio, dependet. *Mirus fœtus Vnitatis.*

Mira hoc loco proprietas Monadis & fœturæ eius nobis occurrit, quæ & medietatem in tribus dictis Mundis à Deo productis demonstrat, aliaque insignia, vt dicetur, mysteria pandit omnipotentis illius vnionis, estque vt sequitur: *Si numeri quotlibet impares naturali ordine ab Vnitate incipiendo disponantur, omnium quorumlibet duorum numerorum, à medio progressionis æquè distantium, summa medietas, medium progressionis terminum adæquabit.* Sit data numerali serie sequens numerorum dispositio. *Mira proprietas progressioni Arithmeticæ.*

1 2 3 4 5 6 7 8 9

In hac medius terminus, 5, est; si itaque quoslibet à quinario æquè distantes in vnum iunxeris, prodibunt 10, cuius dimidium 5. ita 3 & 7: 2 & 8: 1 & 9 iuncti, 10 constituent, quorum medietas pariter 5 est. Ex hac itaque proprietate quomodo vnitas numerorum principium sit, apertè deprehenditur. quod sic demonstro. Si vnitas aliquid se priùs haberet, vtpote alium quempiam numerum, aut aliud quidpiam discretiuum, id cum 2 vnitati circumponeretur; quare iuxta datam propositionem vnitas foret huiusce aggregati medietas; sed ipsa vnitas est dimidium 2; per communem itaque animi notionem, tale aggregatum, & 2, essent æqualia, quandoquidem quæ vni & eidem æquè sunt multiplicia, æqualia vt sint necesse est; tale autem aggregatum, & binarius, vnitati essent æquè multiplicia, nempe dupla, præsertim cùm vnitas sit eorun- *Demonstratio propositæ quæstionis.*

dem medietas; quare & æqualia, atque adeo totum parti adæquabitur; quod cùm absurdum sit, & impossibile, necessariò sequitur, vnitatem omnium numerorum esse principium, neque vllum ante se numerum admittere. Atque vt ex hac propositione intentam sacramentorum fœturam altiùs exprimerent, duas pyramides sibi oppositas finxerunt Veteres, de quibus paulò antè quoque dictum fuit, quarum vna pyramis lucis, altera nigra tenebrarum est, quas in nouem spacia per parallelas diuidebant. vides itaque pyramidem lucis, quantò plùs materiali pyramidi immergitur, tantò eam plùs lucis perdere, & materiæ acquirere; contra materialem pyramidem quantò plùs lucis immergitur pyramidi, tantò plùs lucis acquirere, & materiæ deperdere, ita vt quinarius medio loco positus, semper æqualitatem lucis & tenebrarum possideat. Cùm verò triplex Mundus sit, supercœlestis, cœlestis, & sublunaris, extremi vtriusque mediam quandam cœlestis sortitur naturam: supercœlestis enim Mundus lucis est, sublunaris tenebrarum, & cœlestis luce & tenebris temperatur. Cuius virtus cùm Mundum attingat sublunarem, meritò à supercœlesti gubernari ponitur; virtute siquidem & resistentiâ, actione & passione medius est. In sublunari vitæ & mortis vicissitudo; in supercœlesti vita perfecta, functionumque perpetuum stabilimentum; at in cœlesti, media quædam natura, ex stabilitate & vicissitudine composita. Si itaque pyramides dictas exactiùs ad se inuicem conferas, inuenies in superiori Mundo perfectionis abundantiam, in sublunari eiusdem defectum, in medio vtriusque perfectæ æqualitatis miscellam. Quæ non tantùm in memoratis Mundis vera sunt, sed in quibuslibet dictorum Mundorum particularibus gradibus. Elementum enim, quod inter duo proxima, eaque interposita mediat, mediam sortitur habitudinem à circumstantibus ex æquo participantem; atque adeo aggregati quædam in habitudine medietas est. Hoc pacto inter aquam & ignem aër intermedians ab igne calorem, ab aqua humiditatem participat; ideòque est calido-humidi aëris ab vtroque stipante elemento participantis natura & proprietas. Pari pacto aqua inter aërem & terram intermedia ab illo humidum, ab hac frigidum participans, naturam obtinet humido-frigidam. Quod & in mixtis luculenter apparet; frutices enim inter herbas & arbores mediant; inter liquores minerales, & terrestres substantias, metalla; inter homines & zoophyta, bruta; inter humanam, & diuinam naturam, medius Christus Seruator noster. In cœlesti Mundo Mercurius intermedius à Venere & Luna, haud secùs ac acqua quædam cœlestis humidum à Venere, à Luna frigidum ex æquo participat. Inter tres superiores ♄, ♃, ♂, & inferiores ♀, ☿, ☽ Sol intermedius, singulis dat & recipit; inter ♄ & ♂, Iuppiter medius vtrinque se stipantium malignitatem, virtute suâ temperat. Porrò in supercœlesti Mundo, primæ hierarchiæ conuenit perficere, illuminare, & purgare; infimæ contra perfici, illuminari, & purgari; mediæ verò hierarchiæ dictæ operationes actiuè & passiuè cum reciprocatione quadam conueniunt. Patet ergo ex dictis memoratæ propositionis mysterium.

Osten sio propositionis in lucis & tenebrarum pyramide.

In Elementorum combinatione dicta eluceut.

In mixtis.

In Cœlis.

CA-

CAPVT III.

De hieroglyphica expressione numerorum Aegyptijs potissimum vsitata.

DVplici ratione Ægyptios, numeros suos hieroglyphicis expressisse reperio, vel hierogrammatica, vel kyriologica: Priori modo per recondita altissimarum rerum symbola, sacramenta sua numeris exprimebant; posteriori modo rem illam, quam per numerum exprimere volebant, toties repetebant, quot numerus iste haberet vnitates. De postrema ratione primò, deinde de priori agendum.

§ I.

De Kyriologica ratione repræsentandi numeros, Aegyptijs vsitata.



DIcimus itaque primò, κυριολογίαν hieroglyphicam nihil aliud fuisse, quàm significatum, quod numero exprimere volebant, toties ponere, quoties numerus contineret vnitates. Sic, verbi gratia, globus, seu circulus seorsim positus Mundum superiorem æternumque significabat; duo globi seu circuli duos Mundos superiores, tres globi tres Mundos superiores, quatuor globi seu circuli quatuor Mundos superiores. Circulos ponebant pro Mundis, ad Geniorum ijs præsidentium æternitatem indicandam, est enim figura principij & finis expers. Mundos verò hylæos siue elementares nunc per quadrata & quadrangula, nunc per triangulos rectangulos exhibebant; & tunc quidem quadratis vtebantur, quando in mixtorum Mundis successiuam generationis propagationem insinuabant; vnde & triangulos geneticos appellabant; de quibus omnibus & singulis fusiùs in Geometria nostra hieroglyphica. Pari pacto vnum sceptrum ponentes, vnum aliquod dominium exprimebant; duobus duplex dominium; tribus triplex; quatuor quadruplex; vel etiam pro nodorum sceptris impressorum numero, imperia & dominia alicuius Genij exprimebant; verbo, omne hieroglyphicum semel, bis, ter, quater, & sic de cœteris, positum significati multiplicationem denotabat. Quæ consuetudo in hunc vsq; diem à posteris recepta fuit. Veteres enim cùm necdum figuras numerorum certas inuenissent, eos totidem lineolis, quot numerus significabat, expressisse compertum est; hinc vnum, duo, tria, quatuor &c. innuentes, vnam, duas, tres, quatuor vsque ad decem, ponebant lineas, hoc pacto, I. II. III. IIII. Videntur huius etiamnum adhuc vestigia quædam apud Veteres Romanos, dum Duumuiros, Triumuiros, Septemuiros sic exprimebant IIvir. IIIvir. IIIIIIIvir; quinque verò expressisse videntur per inclinationem vnius lineæ ad alteram, vti hîc patet, V; & decem per decussim, quæ constare videtur ex binis hisce figuris

Quomodo multitudinē rerum numeris exprimant Ægyptij.

Veteres lineolis vtebantur pro numeris.

Quomodo quinarium & denarium exprimerent Ægyptij.

va, quarum vna ſurſum, altera deorſum vergit, in vnum co pulatis, vti hìc apparet X. De qua Horus l. 2. c. 28. Γραμμῇ ὀρθῇ μιᾷ, ἅμα γραμμῇ ἐπικεκαμμένῃ (δέκα, ἢ χίασμα, ἢ) δέκα γραμμὰς ἐπιπέδους σημαίνουσι. Hoc eſt, *Lineâ rectâ, quâ pariter alia linea secta eſt 10, hoc pacto, X, (vel decuſſim, vel) 10 lineas planas ſignificant*. Vt proinde hæc decuſſis Denarij ſiue perfectionis Symbolum paſſim inter hieroglyphicas inſcriptiones locum inuenerit; de quo fuſiùs in Obeliſco Pamphilio fol. 386. & in ſequentibus ſuo loco.

§ II.

De hierogrammatica numerandi ratione, ac primò de Vnitate, Dyade, ac Triade.

Phœnix per Vnitatem repræſentata.

Binarium quomodo expreſſerunt Ægyptij. Λ

HIerogrammatica numerandi ratio in hoc conſiſtebat, quòd numeros per occultas metaphoras, animaliumque virtutes ſignabant. Hoc pacto, 1, ſignificaturi, phœnicem ponebant, eò quòd hæc auis nullum habere ſuæ ſpeciei ſocium perhibeatur; de quo vide Horum l. 2. Vnitatem quoque abſolutam per centrum ſignificaturi, circulum pingebant, eò quòd ſicut centrum eſt principium omnium linearum, figurarumque ex lineis conſtitutarum, ſic Vnitas ſuprema cauſa eſt omnium in Mundo exiſtentium; de quo ampliùs in Geometrica hieroglyphica. Binarios numeros primò per quemuis binarij angulum indicabant, eò quòd vnitas ſuprema ex centro ſuo diffuſa primò Dyadem conficiat, id eſt, Mundum intellectualem; fluxus enim monadis in alteritatem, angulum per binarum ambientium linearum extenſionem, cuius vertex punctum eſt, neceſſariò efficit, vt poſtea declarabitur copioſiùs. Prætereà Dyadem ſiue principium generationis ſignificaturi, duos pingunt cornices; ſolent enim, Horo teſte, huiuſmodi animalia bina ſemper oua parere, ex quibus mas & fœmina, hoc eſt, principium actiuum & paſſiuum, à quibus omnia ſuæ generationis exordium habent. Eſt itaque in pyramide Dyas per duarum quarumuis latentium linearum fluxum indicata, quæ cùm diuerſitatis, inæqualitatis, diſſimilitudinis ſit principium, & vnitatis diſtinctio, caſuſque ſit primus ab vno; non immeritò diſſectionis in omni diſciplina cenſetur numerus, quo ab Ægyptijs oppoſitarum inter ſe diſtributio, & pugnantium in natura qualitatum viciſſitudines non incongruè à Perſarum Magis, ſub Arimanij & Orimazis allegoria; ſeu ab Ægyptijs ſub Oſiridis & Typhonis hiſtoria repræſentata indicantur. Hinc Pythagorici, teſte Plutarcho, vtrumque principium diuerſis afficiunt nominibus, vt bonum vnitatis, finiti, quieſcentis, recti, imparis, quadrati, æqualis, dextri, ſplendidi; malum verò binarij, infiniti, in motu verſantis, curui, paris, alterâ dimenſione longioris, inæqualis, ſiniſtri, tenebricoſi nomine indigitant; atque hæc eſſe principia ortus rerum ſtatuunt. Hinc Oſiris dicitur omne id, quod, vt ſuprà dictum eſt, beneficum eſt, teſte Syneſio lib. 1. de prouident. Typhon autem omnium, vt cum Syne-

Duo Cornices ſignificant Dyadem

Boni & Mali diuerſa nomina.

Syneſius.

nesio loquar, malorum officina, quem & Seth, Bebon, & Smy appellant Ægyptij; quibus verbis violentam quandam inhibitionem, contrarietatem, & euersionem indicant, sine quibus Horus, siue Mundus ille sensibilis conseruari nequaquam potest; ac proinde rectè Ægyptij, vt apud Manethonem in Plutarcho legitur, ossa Hori Magnetem dicebant, Typhonis ferrum; sicut enim ferrum in Magnete diuersos tractionis & repulsionis motus experitur, ita Mundi motus salubris, bonus, & ratione constans aliquomodo versat, ad se ducit, atque molliorem reddit, obsequentem sibi duram illam & Typhoniam vim. Hinc Mercurium fabubulantur, teste Plutarcho, Typhonis neruos excidisse, ijsque pro fidibus vsum, concinnando vniuersum, id de dissonante consonum reddidisse, & vim interea Mundi non aboleuisse, sed impleuisse; vnde fit, vt ea imbecillis atque languida, in hoc Mundo mutationum affectionumque variarum corporibus adhærescat, & in terra quidem concussiones, tremoresque, in aëre æstus, ventosque intempestiuos, tum turbines igneos, atque fulmina moliatur; aquas etiam & spiritus pestilentiæ lue inficiat, & vsq; ad Lunam excurrat, seseque efferat splendidum obfuscans aërem. Atque hæc duo rerum principia bene in pyramide per duarum linearum ex vno puncto fluxum denotant; quamuis alij hunc binarium ad formarum productionem torqueant: quemadmodum enim ab vno binarius oritur, ita seruatâ ratione similitudinis è potentia materiæ primò educitur forma, atque idcirco ab Homero non ἄδῳ, sed ἀδοθία, id est, *formarum Dea* nominata. Hæc ergo fuit antiquorum consideratio, qui omnia ab vno, perpetuâ quâdam & continenti per omnes rerum gradus catenâ deducebant, & ijsdem passibus ad vnum referebant. Quia igitur in resolutione vltima est materia, necessariò erit prima in corporum compositione; quod bene per apicem pyramidis patet, qui dum in lineas, superficies, corpus, & ex his in seipsum redit, pulchrè hunc processum docet, atque ea de causa meritò materia Proteus erit in physicis, quemadmodum vnum, Proteus in prima Sapientia dicebatur; & quia forma penultima est in resolutione, vt secunda sit in compositione, atque ita rationem subeat binarij, cuius natura Pythagoricis fœminea est; idcirco optimè illi prisci siue Sophi, siue Magi, aut etiam Sacerdotes, naturæ ordinem in rebus componendis & resoluendis secuti, materiam Proteam nominabant, & Deum, formam secundam statuebant, illius proinde filiam, sicuti dualitas est vnius; quam & Ægyptij per Oceanum Patrem, & Thethyn Matrem innuebant. Sed de huiusmodi hîc satis.

Nomina Typhonis.

Ossa Hori Magnes, Typhonis ferrum.

Antiquitus ab vno ad vnum omnia referebant.

Materia dicta Prothea.

Trias triniter prima, teste Boëtio, Dux est & Princeps imparium, perfectus, primus, integer, consumatus, vniuersus, totus: nam sicuti Monas est simplex sine extremitate, & Dyas extremitas diuidua & patula est sine medij vnitate; sic trias miro complexu vtramque se priorem apprehendit; inuestit enim circumuallatque Monadem Dyadis subsidio, & Dyadis extrema vnitate iungit nectitque; & sicuti diuiduæ potentiæ inditus actus suapte natura impers, totius conflat impletque substantiam; ita & in Dyadem progressa Monas, illiusque excepta finibus,

Triadis excellentia.

triadis complet, perficitque numerum; vnde non immeritò numerus dicitur Princeps, diuinæ emanationis ſimulachrum, totius contemplationis & ſapientiæ fundus: & ſi primaria rerum ſubſiſtentia contingit in Monade ſeu puncto, ſubſiſtentium verò cognitio & apparitio in Dyade ſeu linea; erit ſupremus cognitarum & ſupremarum ſubſtantiarum amor & feſtiua proſecutio triadis. mirum igitur non eſt, veteres Philoſophos tanto ſtudio triadis incubuiſſe myſterijs. Sed ad noſtrum inſtitutum.

Triangulum æquilaterum eſt hieroglyphica Imago Triadis.

Trias hieroglyphica triangulum æquilaterum eſt; & denotat Ægyptijs Dei τριμόρφου in Mundum diffuſionem, vt in Obeliſco Pamphilio explicatum eſt. Nam Horum ex Archetypo trigono profluxiſſe Plato tradit. Per Horum, hunc ſenſibilem Mundum indicat, per Trigonum, Numen τρίμορφον, quod ex Monade in Dyadem, & hinc in Triadem agitatum, Mundum condidit. Hinc pulchrè ſanè huiusrei ſpeculatio concipitur hieroglyphico illo Schemate, quod in Bembina Tabula bis reperitur;

Schema hieroglyphicum Bembinæ tabulæ quid denotet.

Puer vittatus, reticulatâ veſte inuolutus, à cuius tergo trigonum, cui globus annexus eſt, præterea baculo cucuphomorpho, vnà cum lituo & gnomone copulato inſtructus. Puer vittatus nihil aliud ſignificat, niſi Horum, id eſt, Mundum innumerabili rerum varietate inſtructum, & archetypo trigono prodeuntem, quod & trigonum cum globo collo Hori annexum pulchrè indicant; reticulata veſtis, Mundi incognitas & inuolutas operationes & effectus; ſceptrum cucuphomorphum, varietatem rerum, ordinem, ſeriem; lituus harmoniam; gnomon exactum ſingulorum in ſingulis diſtributionis & menſurationis ordinem; trigonum verò Numen trimorphon, qui eſt Hemphta, ſeu Oſiris ſupramundanus, Iſis eius Sapientia, & Amun Spiritus παντόμορφος omnia virtute ſuâ animans; quæ tametſi tribus diuinis nominibus diſtinguantur, vnum tamen reuera ſunt; hiſce enim tribus, vti Ægyptij loquuntur, potentijs, Mundus conditur, animatur, ſuſtentatur; non igitur incongruè ex trigono archetypo profluxiſſe dicitur. Vide de hiſce plura in Obeliſco Pamphilio ſol. 212.

Ternarij numeri Geneſis.

Sicuti igitur ex Monade naſcitur Dyas additione vnitatis, ſic additione Monadis ad Dyadem naſcitur Trias, numerus triunus ex vno in vnum reductus: quia ſicuti vnitas principium numerorum, ſic trigonus prima omnium figurarum rectilinearum, naſciturque ex binario & vnitate, & in hieroglyphicis pyramidibus per △ ſignatur; quod initium ducit à puncto ſeu Monade pyramidis, & per duo quælibet latera in baſim extenditur, qua △ conſtituitur, ſacra illa & tot antiquorum ſcriptis celebrata

brata trias, illud Hori Archetypon, verum Platonicum triplicis Mundi exemplar, & idea, vera illa trutina iustitiæ Pythagoricæ ad medium duorum vitiorum vtrinque reducta, numerorum omnium principium, diuinæ trigonum naturæ, totius imperfectionis Magistra, ac naturæ mancæ complementum, formarum appetitus in Protheo vigentis vnicum centrum, pyramidis mysticæ fundamentum, fons & origo corporum, quâ ad mysticas significationes, & reconditas rerum explicationes nihil vberiùs. Sicut enim par primus, nempe dualitas, est diuisio, primaque diuersitas, ac casus, vt diximus, primus ab vno; sic ternarius primus numerus impar est, quasi reditus ad vnum, atque principium; & perfectior est pari, cùm illum comprehendat, non ab eo comprehendatur: vnde aptissimus numerus est iustitiæ, siquidem in paribus iustitia quasi dissoluta est sine medio, vt rectè admonet Plato lib. 1. de legibus, nec vllum, quo innitatur, cardinem habet; sed in ipso impari, super ipsum vnum, est medium quasi centrum, atque Numen, quo æqua distributio, & ad quod quasi finem regitur. Impar etiam propter medium suiipsius vinculum, vt rectè Plotinus dicit, suiipsius vinculum intra se possidet, & propter centrum circulare existit, & propter comparationem extremorum ad medium, vniuersi ordinis principium est: in ternario enim principium, medium, finis est; vnde & τὰ τρία πάντα, & prisci quoque Theologi, vt principium, medium, & finem in Deum referenda designarent, tria in sacrificijs offerebant.

Ternarij numeri laus.

Plato.

Plotinus.

Ternarius numerus perfectissimus quod continet principiũ, medium, & finem.

Terna quidem Diuis cœlestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est, terna & terrestribus atra.

Apoll. Oracul.

Item Statius.

Forma sacrificij perfecti prisca
Tres panes offerre iubet.

Et apud Theocrit. Idi. 2.

Ἐτρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.
Ter libo, ter & hæc pronuncio mystica verba.

Hinc Ægyptij ter quoque, teste Plutarcho, suas suffumigationes, manè, meridiè, & vespere instituebant. Et certè hunc numerum plenum mysterijs in summa semper veneratione fuisse, testantur tot trigonæ rerum species & formæ, tot nimirum pyramides, tripodes, triangula; item varia, quæ passim tùm in Obeliscis, tùm potissimùm in Bembinæ tabulæ Schematismis occurrunt, quæ suo loco fusè interpretabimur. Potissimùm tamen per triangula in pyramide repræsentata, nihil aliud insinuare voluerunt, teste Plutarcho, nisi Vniuersi naturam, & ideam quandam Osiridis, Isidis, & Hori, per tres operationes & effectus repræsentatam: nam Typhon ille crudelis, quem per binarium antè repræsentauimus, diuellendo corpus Osiridis, & in multas partes dissipando, ab vno ad multa, à perfecto in imperfectum, à toto ad partes, à bono, quod ex integra causa, ad malum, quod è quouis defectu constat, procedendo, multas in natu-

Ritus ternario numero peracti.

Plutarchus.

D ra-

ra rerum dissensiones,& inimicitias periculosas disseminauit per binarium significatas, quas impedire cupiens prouida naturæ parens Isis, Osiridis dissipatas partes sedulò inuestigans, inuentas partes partibus, membra membris adaptando, in integrum restituit Osiridem,ex quorum deinde congressu natus sensibilis illa pars Mundi Horus; quæ per trigonum hoc nostrum apprimè exprimuntur. Sed audiamus Plutarchum de hisce veluti ex tripode loquentem: *Iam, inquit, præstantior & diuinior natura ex tribus constat, eo quod mente cernitur, & materia, & quod ex his compositum est, & Græcis κόσμος, id est, Mundus dicitur. At Plato quidem primum illud ideam, exemplar, Patremq; nominat; materiam Matris, nutricis, sedis, & regionis ortuum capacis vocabulo notat; quod ex vtroque constat, prolem ortumque nominare solet. Ægyptios autem probabile est triangulorum pulcherrimo imprimis comparasse Vniuersi naturam, qua comparatione etiam Plato in Repub. videtur vsus, vbi figuram nuptialem σχῆμα γαμικὸν componit. Constat id triangulum tribus lateribus, quorum basis est 4, rectum angulum ad eam conficiens 3, & huic subductum angulo latus 5 scrupulorum est, & tantum potest, quantum latera eum conficientia. Intelligendum autem est, linea ad rectum angulum alteri insistente marem; basi fœminam, subtendente prolem vtriusque repræsentari; & Osirin esse principium, Isidem receptaculum, Horum effectum: ternarius quippe primus est impar ac perfectus numerus.* Hæc Plutarchus.

Trigonum geneticum eiusque descriptio.

Ex quibus sanè patet, nihil hoc loco aliud nobis describi, quàm celeberrimam illam Hecatomben Pythagoricam, tot mysterijs celebrem, tam infiniti in Mathematico negotio vsus; vt proinde vehementer dubitem, nè fortè Pythagoras tantum arcanum geometricum ab Ægyptijs primò acceptum, deinde sui iuris inuentionisque fecerit. Si enim quinque scrupulorum subtendentem trianguli lineam in se duxeris, prodibunt 25 quadratum; & totidem ambientium laterum lineæ 4 & 3 scrupulorum quadrata 16 & 9 conficiunt. Quibus sanè maxima in natura mysteria innuebant. Sed de his alibi. Ex his itaque patet, quanto ingenio per trigonum huiusmodi, & quanta mysteria exhibuerint.

Pythagoricũ problema ab Ægyptijs videtur sumptum.

§. III.

De quaternario hieroglyphico.

SIcuti in præcedentibus punctum Monade descripsimus, lineæ verò interuallum diuidua Dyade distendimus, superficiei autem latitudini Triadem indidimus; ita nunc superest, vt in corporea plenitudine, & in solidi profunditate quaternarius requiescat, distentatque, & emetiatur potissimum corporis interuallum. Nam, vt suprà dictum est, quaternarius primus est corporeus solidusque numerus, producitque vel pyramidem trilateram, vel cubum. vtraque figura diuersis modis producitur. Prior sic: Puncta quatuor, siue quatuor vnitates in præcedentibus indicatæ, angulorum ipsius capita finiunt; lineæ 6 dirimunt ac dispertiuntur;

Numerus quaternarius vel conficit pyramidem trilateram, vel cubum.

tur; 4 superficies eandem operiunt & contegunt; denique sub ipsis terminis abditum oculisque imperuium corpus existit ex quaternario. Quòd si quaternarium sub hisce terminis 1, 2, 3, 4, expansum collegeris, habebis 10, secundam Monadem, & Angelici Mundi radium; denarium si quadres, mox occurret 100, tertia Monas, animastici Chori exordium; si denique secundam Monadem in tertiam, id est, 10 in 100 duxeris, exurget cubus siue solidum corpus, omnium quæ visui patent, sensibilium rerum reconditorium. Hinc quatuor elementorum simplicia corpora, quæ quadruplex generum ordo, substantia, quantitas, qualitas, locus comitantur: substantiæ competit generatio & corruptio; quantitati augmentatio & diminutio; qualitati motus alterationum contrarijs insistentium; loco denique latio congruit. Quibus quadruplex rerum ordo, subsistentium inanimatorum, viuentium, sensibilium, & rationalium fulcitur & conseruatur. Atque hæc est Pythagorica illa tetractys conuersos rerum ordines continens, de qua cùm fusè in Musurgia nostra vniuersali egerimus, illuc Lectorem remittimus

Quaternarij Coordinatio.

Elementa	Terra	Aqua	Aër	Ignis
Prima entia	Animal	Homo	Angelus	Deus
Cognitiones	Sensus	Ratio	Intellectus	Mens
Instrumenta	Scriptura	Vox	Conceptus	Mens
Genera	Substantia	Quantitas	Qualitas	Locus
Mutationes	Generatio	Augmentatio	Alteratio	Latio
Gradus entium	Subsistentia	Viuentia	Sensibilia	Rationalia
Quatuor cœli plagæ	Oriens	Occidens	Meridies	Septentrio
Quatuor venti	Zephyrus	Eurus	Notus	Aparctias
Quatuor anni tempora	Ver	Æstas	Autumnus	Hyems
Quatuor qualitates	Calidum	Siccum	Humidum	Frigidum
Quatuor quantitatis species	Punctum	Linea	Superficies	Corpus

Præterea vel quaternarium Ægyptij considerabant vt cœlestibus, vel vt sublunaribus congruum. Priori modo, Circulo in quatuor partes diuiso exprimebant sic ⊕: posteriori modo per Crucem ansatam ♀, qua nihil in Obeliscis frequentiùs; quo quaternarius omnium præcedentium ordinum, quos spiritus Mundi peruadit, animat, conseruat, indica-

 tur.

tur. Quomodo itaque vtramque, tàm cœlestem, quàm sublunarem tetradem in vnum coniunxerint, restat ostendendum. Cùm spiritus ille Mundi, Mercurius cœlestis, omnia numeris, proportionibus, & harmoniâ complêrit, certè ea sine numeris deprehendi non possunt. Pythagora enim teste, natura numerorum transiuit per omnes res, & cognitio illius est illa vera Sapientia diuina & incorrupta, de quâ antiquissimus Artephio in libro secretorum: *Cognito numero, cognosces qualiter notitia rerum omnium habeatur per illum.* & alibi: *A calculis primi hominis omnium artium scientiam, omnemq; cognitionem inueniri*; Numeris enim omnia, quæ in Mundo sunt, teste Boëtio, constant. Quæ cùm ita sint, non sine ratione omnia numerorum mysteria sub caduceo illo, siue charactere Mercuriali Veteres repræsentasse videntur. Si enim eum in partes suas explicaueris, vti dictum est, hoc est, in ○, ☽, +, ♈; habebis mox mirabilem illam τετρακτὺν Pythagoricam, quam ille vocabat fontem perpetuæ naturæ, omnium rerum creatarum, & cognitionis rerum in diuina mente rationabiliter operantium ideam; hinc tetras quoque, iuxta Iamblichum, mystica fuit appellata, quâ per Ægyptios quatuor Mundi partes repræsentabantur, vti in processu Operis dicemus. Item manifestè apparet, quâ ratione tetractyde ista omnes res gubernentur & comprehendantur; quod & Hebræos non latuit, cùm sub nomine Dei tetragrammato totius Vniuersi res comprehendant, vti alibi diximus. Sed explicationem Mercurialis sacramenti apponamus.

Numeris Veteres omnia explicabant.

Artephio.

Iamblichus.

Figura exprimens totius speculationis Ideam in Tautico charactere repræsentatam.

Ex

Explicatio Figuræ.

1. Tota Crux notat diffusionis mentis diuinæ.
2. Circuli octo notant 7 Planetarũ Orbes cum firmamento.
3. Figura circularis Solem, Luna sextilis Lunam.
4. Crux notat Mundum Elementarem.
5. Quatuor Genij, prȩsides notãt quatuor Elementorum.
6. Cruces ansatæ ideas in mente diuina existentes.



7. Cornu Arietis notat calorem in Mundo.
8. Luna humorem, quæ duo sunt generationis principia.
9. Caput Tauri ♉ notat characterem ex capite Taurino inuentum.
10. Scarabæi figura idem notat.
11. Serpens denique ex inferiori globo emergens notat vim diuinam omnia permeantem.

* * *

Tetractys igitur reperitur in omnibus rebus. Chaos est diuisum in quatuor Elementa; Cœlum in quatuor partes seu angulos; Aër in quatuor ventos; Zodiacus in quatuor triplicitates; sub Cœlo quatuor temporum qualitates; sub qualitatibus quatuor Elementa; sub Elementis substantia, quantitas, qualitas, motus; sub substantia corporea, entitatiuum, vegetabile, sensitiuum,& intellectiuum; quantitas in punctum, longitudinem, latitudinem, & profunditatem; qualitas in quatuor, siccum, frigidum, humidum, calidum; motus in ascendentem,descendentem, rectum, circularem; terra in quatuor spacia diuiditur. Tetractys reperitur in omnibus rebus.

Præ-

Et continet res omnes.

Præterea non malè Tetractys dicitur continere res omnes, cùm quaternarius, vti alibi ostendimus, vtpote in potentia denarius, numerorum omnium perfectissimus & absolutissimus, sit rerum omnium idea, vltra quem nullus alius numerus reperitur, vt in Obelisco Pamphilio ostensum lib. 2. cap. 10. Hunc quoque Cabalici Hebræorum reducebant ad decem Sephiroth, quæ sunt diuina attributa, & mensuræ, queîs Deum, diuinam prouidentiam, & immensitatem rerum describere solebant. Verùm, vt quæ hucusque dicta sunt, in compendium contrahantur; præcedentem fig. vlteriùs explicandā duxi, in qua totius speculationis ideam in charactere Tautico consideratam ob oculos ponimus curiosi Lectoris. Constat figura circulo, Lunæ segmento, Cruce. Circulus notat Mundum Sidereum in suas orbitas planetarum diuisum; quem Luna intersecans, characterem Mercurij, ex Sole & Luna compositum efformat; Crux verò Mundum notat Elementarem, in quem vim suam exerit Mundus Sidereus per animam Mundi omnia peruadentem. Extremitates Crucis quatuor, continent statuas præsides quatuor Elementorum per quatuor Mundi plagas indicatorum; suprema statua accipitriformis est, & ignem denotat, situ ypsilomorpho, cuius mysterium in sequentibus aperiemus. Altera statua caniformis, aëris; tertia Ibiformis, aquæ; quarta denique αἰθερομόρφος, terræ notat præsidium; ex qua erumpit serpens fœcunditatis nota, quâ terra Mundani spiritus diffusione impraegnatur; omnes sunt positæ in formam ypsilon, cuius mysterium alibi aperietur; omnes instructæ crucibus ansatis, ad indicandam vim, quam à spiritu Mundi hauriunt; tota Crux crucibus ansatis referta est, ad indicandas diuinæ mentis ideas, cuius totus ille character symbolum est; apposita sunt, cornu Arietis cum Lunula, capita Bouis & Scarabæi, è quibus veluti Elementis character Tauticus constituitur, adeoque tota figura characterem ☿ Mercurij exprimit, vtpote ab ipso inuentum. Qui plura desiderat, adeat Obeliscum Pamphilium fol. 375. & seqq. vbi ex professo huius characteris arcana exposuimus; hîc autem sufficiat expansa totius characteris sanè mysteriosissimi, veluti in epitomen quandam comprehensa exhibitio.

Cabalistæ ad 10 omnia reuocant.

Tautici characteris expositio.

§ IV.

De Pentade hieroglyphica.

Quinarij numeri mysteria.

Plutarchus.

Plato.

AEgyptios primò per quinarium numerum, quinque viuentium genera indigitasse, Author est Plutarchus, qui triformi Numini primum locum concedit, secundum Genijs, tertium Heroibus, quartum hominibus, quintum brutis. Plato in Epinomide ait, quinarium proprium esse Symbolum quinque locorum animalium capacium; summus est empyreus, secundus æthereus, tertius aëreus, quartus aqueus, quintus terreus. In primò dicit contineri ignea animalia, in secundo ætherea, in tertio aërea, in quarto aquea, in quinto terrestria; quibus totidem habita-



bitatores Mundi respondent, homines, quadrupedia, reptilia, natantia, & volatilia. quæ omnia hieroglyphicè exhibebant per Polymorphum Numen sedi quadratæ insidens, cui in limbo quinque ansatæ cruces insertæ spectabantur. Vide Obeliscum Pamphilium lib. 5. f. 409. Præterea per quinarium quinq; tùm animæ cognitiones, tùm eiusdem obiecta exprimebant: quibus totidem exteriores sensus annectuntur, visus, auditus, gustus, olfactus, tactus; hisque totidem corporis membra seu organa respondent. Quæ omnia in sequenti tabula exhibere visum est.

Polymorphi Numinis hieroglyphicum.

Quinarij Coordinatio.

Quinque suprema entia	Deus	Angelus	Anima	Corpus	Mundus
Animæ cognitiones ijs respondentes	Mens	Intellectus	Ratio	Imaginatio	Sensus
Sensus hisce connexi	Auditus	Visus	Olfactus	Gustus	Tactus
Organa sensuum	Aures	Oculi	Nares	Lingua	Manus
Ordines quinque Vniuersi	Deus	Genij	Heroes	Homines	Bruta
Loca quinque animalium capacia	Ignis	Æther	Aër	Aqua	Terra
Animalia immortalia 5.	Ignea	Ætherea	Aërea	Aquea	Terrestria
Habitatores Mundi 5.	Homines	Quadrupedia	Volatilia	Natatilia	Reptilia

Mirum igitur non est, Pythagoræos tantum virtutis tribuisse quinario, vt eius ope compositionem animæ deprehenderint: sicuti enim quinarius est dimidium denarij, ita anima omnium recensitarum Classium medium est; quæ cùm in præcedenti paragrapho exposuerimus, eum Lector adire poterit.

Arcanum quid in quinario numero.

Ex

Quinarius est numerus circularis.

Ex quibus apertè patet, quomodo anima partim ex natura indiuidua & immutabili, partim ex diuidua & mutabili corporea participans, medium quadantenus locum teneat. Præterea quinarius, ex obseruatione Pythagoræorum, circularis, seu sphœricus numerus dicitur, naturamque designat, quæ sicuti sui multiplicatione semper in se redit, ita & quinarius; siquidem cœteri numeri in sese multiplicati incremento facto in alios & alios desinunt, soli quinarius & senarius in se ducti, vti in prima Parte Tomi secundi in Cabala Hebræorum ostensum fuit, seipsos semper ostendunt, respiciunt, obseruant. Auge enim quinarium seipso, siue duc in seipsum, & habebis 25, quadratum, cuius latus 5. Ducatur rursus 5 in suum quadratum 25, & conficies cubum 125, cuius latus pariter 5. Porrò ducatur denuo 5 in cubum 125, & prodibit 625; & sic de cœteris; quod & de senario intelligendum est, vt patet.

Quinarius & senarius numerus semper seipsos respiciunt.

Circulatio Quinarij	Circulatio Senarij
5	6
25	36
125	216
625	1296
3125	7776
15625	46656
78125	279936

Quinarij prærogatiuæ.

Vides igitur multiplicationem quinarij, & senarij, etiam in infinitum peractam, semper radices, à quibus producti sunt, reddituram; vnde meritò in tota numerorum œconomia principatum tenent; reuolutionis proinde animæ absolutum symbolum, quò illa per vniuersos entium ordines agitata, tandem singulis expensis per actum reflexum sibi restituitur; in hoc prorsus circulo æqualis, cuius omnis finis est principium, & omne vltimum est primum, hoc est, semper idem. Est & hoc ab Antiquis non sine subtilitatis commendatione obseruatum, sphœram intra parallelogrammum rectà prouolutam per quinq; spacia, ad locum vnde abijt, sibi restitui, & quinque parallelogramma sibi æqualia vnà dimetiri; quod vt videas, rem demonstrandam duxi. Sit sphœra *a b c d*, cuius centrum *e*; sit quoque linea *a f g h i* indeterminatæ longitudinis: constituatur sphœra *a b c d* in puncto *a*, promoueaturque rectâ volutione hoc pacto, vt arcus *a d* sphœræ adaptetur lineæ rectæ *a f*, id est, punctum *d* sphœræ rectà congruat puncto *f* lineæ *a f*; & arcus *d c* adaptetur lineæ *f g*, id est, punctus *c* sphœræ congruat puncto *g* lineæ *f g*; arcus verò *c b* adaptetur lineæ *g h*, id est, punctum *b* sphœræ congruat puncto *h* lineæ *g h*; arcus denique *b a* adaptetur lineæ *h i*, id est, *a* punctum arcus congruat *i* puncto lineæ *h i*. perspicuum est, hanc sphœram inter æquidistantes lineas *a i*, & *c n*, deuolui, ita vt *a f* linea æqualis sit arcui *a d*; linea *f g*, arcui *c d*; linea *g h*, arcui *c b*; & denique linea *h i* arcui *b a*; tota verò linea *a i* toti cir-

Sphœra repræsentans animam mundi quintuplici circumuolutione peracta in seipsam reuertentem.

circumferentiæ *a d c b a* congruat, totum quoque parallelogrammum *a c n i* omnibus parallelogrammis *a k*, *f l*, *g m*, *h n*, quorum singula circulo æquentur, congruat; quibus quatuor parallelogrammis, si duos semicirculos extremos *a b c*, & *i o n* adiunxeris, habebis spacium sibi quinquies æquum, quod à puncto *a*, sphœra ad idem punctum reuoluta efficit; vt vel hinc mechanicam aliquam tetragonismi rationem videas.



Atque hisce quidem aptè motus animæ Mundi per Mundorum series agitata tandem quintuplici circumuolutione peractâ in seipsam reuertitur; quod & stella quinque radijs illustri, vt suo loco videbitur, pulchrè indicarunt, dum sensibilium vniuersitatem pentade signant, ita vt prima sensibilium consistentia ipsa materies sit; materiæ vicinum, actus essendi; & huic vicinum tertio loco vitalis actus; quod verò à materia quarto loco numeretur, sensitiuus actus; quintum denique locum sensibilium vltimum, rationalis actus sibi vendicet, sensibilis Mundi capax: sicuti enim circularis motus quinto puncto absoluitur, & Sol ab Oriente digressus quinto loco in Orientis locum reuertitur; ita & sensibilium vniuersitas quarto quidem actu, sed quinto à materia loco, hoc est, ratione consumantur.

Sensibilium vniuersitas pentade significatur.

§ V.

Senarius hieroglyphicus.

SIcuti quinarius extimam sensuum cognitionem discernit atque numerat, ita & senarius omnem materialem cognitionem dispertiendam numerandamque assumit, perfectorum numerorum coryphæus, ex dyade in triadem ducta, constitutus. Et quemadmodum quinarius designat reuolutionem animæ Mundi per quinque sensibilium rerum ordines sibi tandem in puncto, à quo profluxit, restitutæ; sic senarius notat reuolutionem quatuor vnitatum in vnitatem absolutam; progressio enim in seipsam circulariter rediens, senario numeratur. Vnitas igitur absoluta cum absoluta coincidit infinitate, intellectualis cum intellectuali, rationalis cum rationali, & vnitas sensibilis cum sensibili infinitate. Omnis vnitas imparticipabilis, indiuisibilis, atque incorruptibilis est, vnde consequenter vnitas non est absoluta, nisi in intellectuali alteritate participabilis; nec intellectualis, nisi in rationali alteritate; neque rationalis, nisi cum ipsa sensibili. Non attingitur igitur Deus, qui est absoluta vnitas, nisi

Senarius perfectorum numerorum coryphæus.

Numerus senarius repræsentat reuolutionem quatuor vnitatum in Vnitatem absolutam.

intellectualiter; neque intelligentia attingitur, nisi rationaliter; nec ratio, nisi sensibiliter. Descendit itaque vnitas absoluta in intellectualem infinitatem, intellectualis in rationalem, ac rationalis in sensibilem; vnitas verò sensibilis retrofluxa ascendit in rationalem, rationalis in intellectualem, intellectualis denique in supramundanam, infinitamque vnitatem: quæ per senarium aptè indicantur; principium enim fluentis vnitatis, & finis refluentis, coincidunt in absoluta vnitate; coincidunt quoque finis fluentis, & principium refluentis vnitatis in sensibili, duplicanturque media, ita vt quatuor termini fluxus & refluxus cum binis medijs exactè senarium constituant. Sed rem in figura demonstremus.

Figura indicans quomodo mensura perpetuitatis senario adscripta existat; & quomodo specialissimum in vniuersalissimum, & è contra, redire possit.

Initium fluxus



Punctum refluxus

Sit *a*, vnitas absoluta, intellectualis *b*, rationalis *c*, sensibilis *d*, in qua desinit fluxus vnitatis, & incipit refluxus vnitatis sensibilis, ascendendo ex *d* sensibili in *e* rationalem, & ex *e* in *f* intellectualem, & tandem in vnitatem absolutam, fitque vt sicuti sex diametrales chordæ circumferentiæ subtensæ circuli ambitum perfectè mensurant & complent, haud secùs senario ascensus descensusque vnitati circumuolutæ principiũ nectat finis. Ex quo patet, non esse aliud lucem descendere, quàm tenebras ascendere; neque enim aliud est, Deum in Mundo esse, quàm Mundum in Deo; nec aliud, actum in potentiam progredi, quàm potentiam ad actum; neque aliud est tenebras in lucem se erigere, quàm lucem in tenebras descendere; neque denique aliud est, potentiam materiæ ad actum formæ progredi, quàm formam actualem in potentialem descendere materiam.

Vides igitur, quomodo mensura perpetuitatis senario adscripta existat, & quomodo vniuersalissimum in specialissimum, & specialissimum in vniuersalissimum redeat. Vnde mirum non est, Ægyptios hunc numerum tantâ veneratione habuisse, vt eo solium supremi Numinis Polymorphi, quemadmodum in tabulæ Bembinæ explicatione patebit, insignierint: quæ omnia ad dictatum rerum theorias respiciunt.

Aegyptij senario numero solium Dei decorabant.

§ VI.

§ VI.

Septenarius hieroglyphicus.

SEptenarius sacratissimus in Oraculis numerus, & mysteriorum plenissimus, tam sacrum augustumque decus obtinet, vt inter eos numeros, qui in denario includuntur, singularem eximiamque præ cœteris rationem habeat. Nam eorum alij procreant, non procreantur, alij procreantur, non procreant; alij vtrumque faciunt; solus septenarius nec procreat vllum eorum, nec à quoquam procreatur. Vnitas enim vti principium omnis numeri, ita gignit omnes sequentes, ipsa à nullo genita. Sic 2, 3, 5 gignunt 4, 6, 9, 10, non tamen gignuntur; 4 verò, 6, 8, 9, 10 non gignunt, sed gignuntur; septenarius verò non gignit, nec gignitur, cùm non habeat infra se numerum, à quo gignatur, neque intra denarium vllus sit, quem gignat. Hinc apposite à veteribus Pythagoræis Symbolum fuit Ducis & Rectoris omnium, vt qui, cùm immobilis sit, nec gigni, nec gignere perhibeatur; quæ Plutarchus his verbis describit; *Est Dux & Princeps rerum omnium, Deus semper vnus, stabilis, motu carens, motu vacans, ipse sui similis, aliorum dissimilis, septuplo entium Choro stipatus.* Eam ob causam Pythagorici hunc numerum Mineruæ ex Iouis capite genitæ, semper Virgini, sine matre natæ, symbolum posuerunt. Hunc Ægyptij præ cœteris in summa semper veneratione habuerunt, rerum omnium sigillum statuentes: hic enim in Vniuerso septem entium genera denotat, in superiori Mundo septenos Principes Spiritus, in Zodiaco firmamenti septem configurationes seu aspectus signorum ad inuicem, in planetario cœlo septem errones, in elementari totidem metallorum genera, in Microcosmo totidem principalia membra, in Luna septenas phases, & quatuor septenorum, id est, 28 dierum periodum; in incremento hominis septem ætates, in fœtus perfectione septem tempora; atque innumera alia quæ mensuræ septenariæ substant, quæ breuitatis causa sequenti tabula comprehendo.

Septenarius numerus arcana continet mysteria.

Septenarius numerus intra denarium neque gignit, neque gignitur.

Septenarius in honore apud Ægyptios.

Vniuersum Septenario numero signatum est.

Septenarij numeri Analogismus.

	1	2	3	4	5	6	7
Prima rerum entia	Deus	Angelus	Homo	Sensitiua	Vegetatiua	Inanimata	Materies
In Mundo Angelico 7 Principes	Honphiel	Zadkiel	Samaël	Schemfiel	Anaël	Cocabiel	Leuaniel

 In

In Mundo cœlesti 7 Planetæ	Saturnus	Iuppiter	Mars	Sol	Venus	Mercurius	Luna
In Mundo Elementari 7 metalla	Plumbum	Stannum	Ferrum	Aurum	Cuprum	Argentum viuum	Argentum
In Microcosmo	Splen	Hepar	Sanguis	Cerebrum	Renes & genit.	Lingua	Stomachus
Septem ætates	Infantia	Pueritia	Adolescentia	Iuuentus	Virilitas	Æui maturitas	Senectus
7 Phases Lunæ	Nouilunium	Sextilis	Dichotomus	Amphicertus	Panselina	Amphicertus	Dichotomus

Quot modis Ægyptij expresserint septenarium Vniuersi.

Cùm itaque Ægyptij totum rerum vniuersum hoc septenario numero signatum viderent, fieri non posse existimarunt, quin aliquod insigne & reconditum sub eo mysterium latitaret. Hinc varijs modis eum hieroglyphicè exhibebant; septenarium cœlestem sic, III ⊕ ; & septenarium sublunarem sic, III✛. Cœlestem per tres lineas & circulum quadripartitum; sublunarem per tres lineas & ✛ crucem; quâ occultè denotabant septenariam seu vniuersalem supremi Numinis virtutem tùm exeri, cùm ex triade in tetradem, & primò in cœlestem, deinde in sublunarem mouetur, & reuolutione factâ sibi restituitur. Quod mysterium pulchrè nobis per hieroglyphicos characteres in limbo folij Osiridis supramundani incisos exhibetur, vbi septem circuli quadripartiti, & totidem cruces ordine ponuntur, quos circulos, & cruces singulas præcedunt tres lineolæ, septem Mundorum septemplici Classium ordine distinctorum symbolum;

Hieroglyphici Characteres in limbo folij Osiridis incisi.



ita vt primus Mundus exhibitus sit per III & ⊕ circulum quadrifidum, quæ quatuor partes Mundi adiunctis tribus lineis præfixis faciunt septem hebdades rerum istius Mundi; & sic ordine sequenti singulis Mundis quadrifidis tres lineas addidere, vt, quemadmodum dixi, septem rerum Classes, quibus dicti Mundi constabant, arcanè indicarentur. Idem expresserunt per crucem ✛, cum adiuncto ternario linearum, videlicet dif-

fusio-

fusionem spiritus per Mundum Elementarem, vt suo loco videbitur. Sed mysterium aperiamus. Mundum primum Archetypum vocabant; Hemphta siue Osirin supramundanum, primam rerum vnitatem triformem. Secundus Mundus est Angelicus, septem Classibus iuxta Ægyptiorum dogma distinctus, in quem sese supramundani Osiridis vis exerit. Tertius Mundus est materialis, ex septem Orbitis planetarijs constitutus. Quartus Mundus est inanimatorum corporum, septem metallorum speciebus distinctus. Quintus Mundus vegetalis naturæ, in septem pariter Classes viuentium distributus. Sextus Mundus est sensitiuæ naturæ, in septem similiter Classes dispositus. Septimus Mundus est microcosmus homo, in septem status diuisus; post quem ipsum restituit supremum Numen. Atque hi sunt septem Mundi septemplici graduum seu Classium genere distributi, quos hieroglyphicum Schema indicat; quorum dispositio ea est quæ sequitur. *Septem Mundi septemplici Classe distincti explicantur.*



Vides igitur quomodo ex Monade illa suprema & archetypa, veluti ex centro euoluta, primò intellectualis Mundus septem principalium Geniorum regimine munitus prodierit; quomodo illa deinde euoluta, & in circulum acta, materialem Mundum cœlestem, septem Planetarum Choro decoratum produxerit; postea Mundum inanimatorum, terram inquam septemplici metallorum genere fœtam produxerit; & in eo deinde vegetabilis naturæ Mundum septem plantarum Classibus distinctum fundauerit; postea ad sensitiuæ naturæ septem animalium ordinibus distributum processerit; tandem hominem microcosmum omnium complementum condiderit, & sic in Monadis & infiniti centri abyssum se recipiens ab vniuerso opere quod patrârat, quieuerit. Vides Ægyptios tam aptè hos septem Mundos expressisse, vt ad hexameron opus à Mose descriptum respexisse videantur. Verùm cùm hæc omnia fusius in tabulæ Bembinæ expositione tradituri simus, hîc ea tantùm indicasse sufficiat. *Processus Monadis supremæ.*

§ VII.

De Octonario, Nouenario, & Denario hieroglyphico.

Qvemadmodum septenarius septem Vniuersi entium symbolum est, ita octonarius Ægyptijs octo Geniorum siue Numinum principalium, quibus septemplex Mundus gubernatur, symbolum erat, atque haud sine ratione, Martiano teste, ex Pallade & Amore, id est, ex *Octonario numero octo Numina designabant Aegyptij.*

Iuramentum per octonariũ numerum præstitum.

nocte, & ſpiritu diuinâ quâdam ratione conſurgit. Hinc Orpheus quotieſcunque diuinam volebat monſtrare iuſtitiam, per octonarium iurare conſueuerat, per quem & rerum ſummæ imperare dicebat Euander, ſcilicet ignem, aquam, terram, cœlum, Solem, Lunam, Mythram, & noctem indigitando. Hinc Ægyptij eum exprimebant vel per ſtellam, vel per circulum octo radijs inſignem. In columna quoque hieroglyphica, teſte Diodoro, octo Numina ponebantur, Saturnus, Rhea, Oſiris, Spiritus, Cœlum, Luna, Nox, Dies. Videntur hæc octo Numina pulchrè exhibita in quodam idolo Ægyptio, cuius olim Ludouicus Brouget Mercator Maſſilienſis ex Ægypto tranſlati delineationẽ ad me trãſmiſit, vti hîc apparet;

Idoli figura exhibens octo Numina.

ϧⲉⲙⲫϯ — Triſorme Numen

Nomina Ægyptiaca.	*Nomina Latina.*
	Octo Claſſes Mundi.
1 ⲛⲓⲃⲉⲛ	1 Genius Polymorphus.
2 ⲃⲁⲏⲑ	2 Oſiris.
3 ⲓⲥⲓⲥ	3 Iſis.
4 ⲁⲙⲟⲩⲛ	4 Amun.
5 ⲉⲣⲙⲁⲛⲓⲫϯ	5 Mercurius.
6 ⲙⲱⲛⲫϯ	6 Monphta.
7 ⲛⲉⲫϯ	7 Nephta.
8 ⲡⲓⲟⲫⲓⲟⲛ	8 Agathodęmon.

in quo Stella radiorum octo, octo Geniorum Claſſes deſignat. Primum eſt Numen Polymorphum, de quo vide fusè tractatum lib. 3. Obeliſci Pamphilij, & in Obeliſci Flaminei expoſitione c. 3. diat. 3. Secundum eſt Oſiris ſub forma Accipitris; tertium Iſis ſub forma Ibidis; quartum ſub forma Arietis, & eſt Amun; quintum ſub forma Canis, eſtque Mercurius; ſextum ſub forma Leonis, & eſt Mophta; ſeptimum ſub forma Statuæ ſedentis, eſtque Nephta; octauum ſub forma Serpentis, eſtque Agathodæmon. Hinc mirum non eſt, Ægyptios, magnam Deorum Matrem naturam deſignaturos, aut Mundum ſenſibilem Horum, aut Mophta, portas domuum ſingulis attributarum figuris partim circularibus, partim ſtellis octupartitis veluti ſigillis quibuſdam notaſſe, vt in tabula Bembina videre eſt, & ſuo loco fusè explicabitur.

Sed

Sed procedamus ad nouenarium hieroglyphicum, quem tametsi in præcedentibus copiosè profecuti sumus, hoc tamen loco obiter eius mysteria repetere visum est. Nouenarius Ægyptijs erat symbolum naturæ Genialis à supremo Numine, id est, decade deficientis, vti Pherecides scriptum reliquit, dictusque fuit antesignanus agminis à Deo deficientis, & teste Eusebio, Ophoneus, id est, Dæmon serpentinus. Forsan alludebant ad lapsum Luciferi. Hunc varijs modis, vnà cum assectarum cateruis, qui sunt Pseudothei, spiritus mendacij, vasa iniquitatis, vltores scelerum, præstigiatores, aëreæ potestates, furiæ, criminatores, tentatores, placare contenderunt, vt suo loco dicetur; tametsi posteriores nouenarium numerum non Dæmonibus tantùm, sed & Musis, quæ sunt, vt Platonici opinantur, stellarum animæ, atque enneadi intellectualis Mundi consecrarunt. Verùm cùm de huiusmodi Enneadibus abundè in præcedentibus actum sit, eò Lectorem remittimus.

Mysteria nouenarij hieroglyphici.

Restat denarius numerus, quem nullo non tempore veteres Pythagoræi summis laudibus extulerunt, quòd ex tetracty originem suam nanciscatur; quatuor enim hi numeri 1, 2, 3, 4 simul iuncti 10 constituunt, omnium numerorum finem & complementum, vltra quem nullus numerus fit, sed numerorum tantùm repetitio; mysteriumque continet quatuor vnitatum, de quibus in præcedentibus actum est, videlicet 1, 10, 100, 1000. in quibus prima Monas respondet Monadi absolutæ; secunda 10 Dyadi; tertia 100. Triadi; quarta 1000 Tetradi: adeo quidem, vt Monas puncto, decas lineæ, hecatondas superficiei, chilias corpori exactè congruat. Monas est radix, quadratus, & cubus suiipsius; hecatondas quadratus denarij; chilias verò decadis cubicam implet naturam. Monas simplex & impers vnicâ lineolâ, decas binis figuris exaratur, perinde ac dyas binis vnitatibus aggregata; hecatondas tot figuris scribitur, quot vnitatibus trias; & chilias tot figuris, quot vnitatibus constat quaternarius. Si quis igitur has numerorum sedes iunxerit, numerum ex ijs eliciet millesimum centesimum vndecimum sic, 1111, omnium numerorum suprëmum & vltimum, omni ratione finitum, expansum quatuor monadum mysterium; erit enim hic numerus simul & punctum, & linea, & superficies, & corpus, omnium quæ sunt, quæque sub visum cadunt, rationem explicans, epitome & anacephalæosis Vniuersi. Verùm vide quæ suprà de quatuor Monadibus consideratione dignissimâ protulimus. Atque hunc denarium Ægyptij, vti dictum est, per decussim vel crucem exhibebant sic X, vel sic ✠, quam ex duobus quinarijs componebant; nam lineâ in alteram inclinatâ, non tamen secante, vt hîc patet, V, vel sic Λ, quinarium notabant; hunc Λ, quinarij superioris in inferiorem influxus, illum verò V, quinarij inferioris prout superno influxui substabat, symbolum ponebant; vtrumque ex pedibus Ibidis diuaricatis inuentum signum, quæ in vnum iuncta constituunt denarij symbolum, vti in fabrica Alphabeti hieroglyphici in Obelisco Pamphilio, & in III. Tomo amplè deduximus.

Denarius hieroglyphicus.

Denarius numerus complementum omnium numerorum.

1
10
100
1000
1111

Aegyptij Denarium per crucem decussim repræsentant.

§ VIII.

§ VIII.

Anacephalæosis dictorum in Obelisci figura exhibitorum.

Numeri quomodo in Obeliscorum figuris repræsententur.

TEtradem siue quaternarium numerum in Obeliscis exhibebant per quatuor latera, sed diuerso modo: Primò in pyramidio quaternarium triangularem; deinde in reliquo trunco Obelisci quaternarium quadrilaterum: per illum occultè innuebant Mundum Angelicum, in quantum ex centro diuinitatis, quod per apicem Obelisci appositè indicatur, in naturam genialem, diuinæ naturæ immediatum signaculum, trigono diuinitatis charactere insignitæ diffunditur: per quatuor latera Mundi quadripartiti præsidium in 12 Mundi arces distributum, quod aptè singuli tres numeri quatuor triangularium superficierum denotant; 3 enim in 4 ducta, conficiunt 12. Iterum 3 ad 4 iuncta, vti septem constituunt, ita totius naturalis perfectionis Genialis Mundi sacramentum indicant; quatuor verò latera triangularia ad 4 latera quadrangula iuncta, 8 constituunt, influxus Angelicæ naturæ, in Mundum corporeum aptissimum symbolum; quibus si basis accedat pyramidis, iam enneadem mysticam Angelici & corporei Mundi symbolum, pulchrè indicabant: quem & 9 anguli solidi, qui in Obelisco quolibet considerantur, notabant. His denique si accederet apex pyramidis, iam 10 constituebantur, ac totius naturæ, & trium Mundorum, Archetypi, Angelici, ac corporei Mundi complementum innuebant; quem numerum tetras illa siue quaternarius numerus implicitè continebat. Si enim 1, 2, 3, 4 ordine posita sibi inuicem iunxeris, prodibit decas illa mystica, siue tetractys, tanto à Pythagoricis silentio celebrata, tantis mysterijs inuoluta. Quæ per duos quinarios pulchrè indicabant, quorum prior influxum diuinæ naturæ in Mundum Angelicum, ex apice in quadripartitum Mundum Angelicum; alter verò creaturarum siue corporei Mundi sinum, ex quadrangula basi sursum, versus centrum continuâ diminutione laterum facta, aptè insinuabat. Præterea vnitatem formalem in sinu diuinitatis latentem per apicem indicatam, cuicunque rerum ordini adiunxeris, semper decem constitues, rerum omnium complementum, diuinæ perfectionis typum &



exemplar. Si enim 1 ad 9 tripartitam Angelici Mundi triadem adiunxeris, 10 constitues, numerum omnia exhaurientem, typum diuinitatis omnia complectentem. Si ad 2, in quibus Vnitas duplicata residet, 8 iunxeris, habebis Angelicæ, per vnitatem formalem in Mundum inferiorem influxum, videlicet in Mundum sensibilem, per 8 cubicum nume-

rum

rum aptè inſinuatum. Si iterum 3, id eſt, Triadem illam totius perfectionis exemplar, 7 perfectionis Mundanæ ſymbolo adieceris, habebis iterum 10. Si denique quaternarium ſiue tetractyn illam tantopere à Pythagora celebratam 6 ſiue ſenario numero, operationum mundanarum ſymbolo adieceris, denuò reſultabunt 10. Si denique 5 duplaueris, id eſt, duos quinarios ſimul iunxeris, idem denarius numerus emanabit. Vides igitur quomodo ordines Mundanarum conſtitutionum ſibi inuicem adiuncti, ſemper producant 10, id eſt, vnitas formalis in ſingulis Claſſibus implicata, reliquis numeris creatarum rerum ſymbolis adiuncta, ſemper 10 conſtituat, totius Vniuerſitatis cum Authore ſuo aptum hieroglyphicum. Præterea 1 ad 2 iuncta dant iterum triadem, hæc ad triadem iuncta generat tetradem, & hæc rurſus tetradi iuncta pentadem; & ſic ſingulis numeris ordine naturali continuatis illa adiuncta, generat hexadem, heptadem, octadem, enneadem, decadem omnium complementum, vltra quam nullus alius, niſi replicatus numerus datur. Hanc itaque philoſophiam myſticam ſub numeris opportunè in Obeliſcorum figura exhibuerunt Veteres.

Sed iam tempus eſt, vt quæ hucuſque fusè de numeris hieroglyphicis produximus, hìc ſeorſim ob oculos ponamus curioſi Lectoris, & primò quidem Kyriologicè exhibitos, deinde hierogrammatικῶς quoque apponamus.

§ IX.

Numeri hieroglyphici Kyriologici, partim ex Tabula Bembina, partim ex Obeliſcis extracti.

I, vel □, vel O Vnum ſignificat: prius vnitatem ſimplicem; □ vnitatem Mundi elementaris; O Mundi cœleſtis vnitatem.

II, vel □ □, vel OO Dyadis ſymbolum eſt, vel in binario ſimplici, vel duorum Mundorum elementarium, aut cœleſtium.

III, vel □ □ □, vel OOO Triadem dictorum Mundorum notat.

IIII, vel □ □ □ □, vel OOOO, vel ſic quoque ⊕, Tetradis dictorum Mundorum nota eſt, quæ tamen non ſemper lineâ rectâ, ſed ſubinde perpendiculari ponuntur, ſic □□□□ OOOO (perpendiculariter), prout occaſio & ſitus Obeliſci ferebat.

V, vel Λ pentadis nota eſt, ſiue quinarium numerum explicat; & prior quidem motus ſupremi Numinis ſurſum, poſterior eiuſdem deorſum. notatur etiam ſic, I over ⊕.

I over V, vel Λ over I ſenarij nota eſt; & notatur etiam ſic, II over ⊕, vel etiam ſic ⊗

I over V, vel Λ over II ſeptenarij nota; & ſic quoque exprimitur, III over ⊕, vel ſic, III ⊕.

III Λ
V, vel III octonarij nota, & sic quoq; notatur, II ⊕ II, vel sic, II ⊕ II, vel etiam sic ⊛.

IIII Λ
V, vel IIII nouenarij nota; & sic aliâ ratione signatur IIII ⊕.

X, vel ⁜ denarium exprimit, constituiturque ex duobus V & Λ quinarijs.

I X
X, vel I vndenarij signum est; & sic semper vsque ad 15 per vnitates lineares, pro numeri vltra denarium incremento, sequentes ordine numeri continuantur.

Numerum quindenarium significat, ex cruce ⁜ & Λ; cui signo, si lineolam iunxeris infra, vel supra, efficies 16; si duas, septendecim; si 3, octodecim; si quatuor, nouendecim.

Vigenarij symbolum ex decussi & circulo constitutum est.

Centenarij nota est.

Ducenta.

Trecenta significat.

Quadringenta.

Quingenta.

Mille.

Omnes hosce numeros alijs quoque modis exprimebant, de quibus in ipsa explicatione Obeliscorum copiosior dabitur disserendi occasio.

Atque hi sunt numeri κυριολογικοὶ Ægyptijs vsitati; quæ omnia partim ex Obeliscis, partim ex Tabula Bembina, vbi frequentissimè hinc inde occurrunt, partim denique ex Scala magna Ægyptiaca, extracta hoc loco exponere visum est.

Numeri hierogrammatici.

⊙ Vnitatem centralem denotat, id est, centrum ponebant pro vno; & quia centrum solâ positione puncti insensibile est, id non meliori ratione signandum duxerunt, quàm circulo; vbi enim circulus, ibidem necessariò centrum vt sit, necesse est. Notabant autem per circulum, centri, siue Monadis diuinæ in rerum naturam euolutionem, de quo suprà amplè disseruimus. hanc per Phœnicem quoque innuerunt.

Per

Per duas Cornices, teste Horo, Dyadem principiorum naturæ, siue quod idem est, principium actiuum & passiuum notabant, de quibus vide in Dyadis expositione.

∆ Per triangulum æquilaterum, Numen triforme notabant, vt suprà patuit, siue Mundum idealem.

□ Per quadratum quatuor anni stationes notabant; de quo pluribus in sequentibus.

Per Columbam quinarium notabant, quia semper quinque tantùm oua parere solet.



Per Gallum septenarium notabant, eò quòd singulis septem interuallis diei Solem salutat cantando.

Per Cynocephalum 12 signabant, quia duodecim vicibus in die æquinoctij mingendo, æquinoctialem duodecim horarum diem notat.

Atquæ hæc sunt, quæ de hierogrammaticis numeris ad notitiam meam peruenerunt; reliquorum numerorum species passim per Kyriologicos numeros paulò antè positos, & Obeliscis, fragmentisque Ægyptiacis vtplurimùm insertos exprimebant.

CAPVT IV.

De miris numerorum effectibus.

AEgyptios certos quosdam, eosque arcanissimos numeros habuisse, septem principalibus Dijs dedicatos, ex præcedentibus patuit; quales autem hi numeri fuerint, quibusue Dijs dedicati, aut quos vsus habuerint, restat explicandum, ne quicquam Oedipum subterfugisse rerum reconditarum dici possit. De his sic Abenuaschia de cultu Ægyptiorum.

ذكروا اهل الفلسفة مصر ان عندهم سبع انوع العداد بكرامة كبيرة
ووقفوهم للالاهم الذين هم سبع زحل مشتري رفان شمس زهري عدران وقمر
65. 25. 5. لرفان 136. 34. 16. 4. لمشتري 45. 15. 9. 3 العدد وطفوا لزحل
64. 8. لعدران 1225. 175. 49. 7. لزهري 666. 111. 36. 6. لشمس 325.
3321. 369. 81. 9. لقمر 2080. 260.

Id est, *Meminerunt Philosophi Ægyptij, quòd erant ipsis septem numeri in magna veneratione, quos & septem Dijs eorum consecrabant; videlicet Saturno, Ioui, Rephan siue Marti, Soli, Veneri, Mercurio, & Lunæ. Saturno dedicabant hosce numeros,* 3. 9. 15. & 45. *Ioui hos,* 4. 16. 34. & 136. *Marti hos,* 5. 25. 65. & 325. *Soli hos,* 6. 36. 111. 666. *Veneri hos,* 7. 49. 175. & 1225. *Mercurio hosce,* 8. 64. 260. 2080. *Lunæ denique* 9. 81. 369. & 3321. Habemus numeros; iam quod mysterium sub ipsis lateat, & vnde originem suam nanciscantur, videamus.

Qui fuerint septem numeri, quos venerabantur, & quibus dijs eos cõsecrauerint Ægyptij.

Pythagoræi omnia quæ in rerum natura ſunt, demõſtrabant per quaſdam numerorũ diſpoſitiones.

Notandum itaque, genuinos Ægyptiorum diſcipulos Pythagoræos, arcanas quaſdam numerorum diſpoſitiones didiciſſe, quibus tantum tribuebant, vt nihil non in rerum natura ijs ſe demonſtrare poſſe putarent. Atque vnitatem quidem ipſam, omnium numerorum parentem, ſibi tantummodò, non alteri præterea ſimilem, quæ in ſe ducta (id quod nulli numero contingit) ſemper eadem eſt, animum ſui ſimillimum, totius corporis Regem, Dominumque actionum vniuerſarum, & οὐσίαν ipſam rerum omnium non temerè dixerunt. Primùm verò numerum ex geminata vnitate prognatum, id eſt, 2, & opinionem mutationi obnoxiam, & motum nunquam conſiſtentem vocarunt. alia item omnia aliorum numerorum nominibus appellantes. Quadratos autem cumprimis obſeruarunt, tanquam rerum omnium in ſeptemplici Mundo geneſis rationem explicantes. Eſt autem quadratus numerus, qui ex radice in ſe ducta producitur. Et vt ab vnitate incipiamus, eſt illa vti indiuiſibilis, ita immultiplicabilis, non tamen adeo infœcunda, vt quod reliqui numeri præſtant, id non præſtet ipſa, cùm ſit mater & principium omnium numerorum; alij in ſe ducti ſemper diuiſum quid efficiunt, ſola vnitas in ſe ducta ſemper ſeipſam in vnitatem reſtituit, ſemper eadem, nulli obnoxia varietati, ſuiipſius & radix, & quadratus, & cubus eſt; id quod vnam Dei O. M. eſſentiam & naturam immortalem, omnis diuerſitatis & alterationis expertem, ſat ſuperque comprobat, ſolâ diuerſitate in conſequentibus vnitatem numeris exiſtente. Quemadmodum igitur ab vna ſuprema Mundi architectonica Monade omnia emanarunt, ſic numerorum ordo ab illa vnitate proficiſcentium, non huc, ſed illuc vbi is eſt, quem illa refert, aptè erat inſtituendus. Sed vt ad quadratorum numerorum myſteria propiùs accedamus,

Vnitas eſt inuariabilis.

Diuinam indicat naturã.

Quadratorũ numerorum myſteria.

Sciendum eſt, quòd ſicuti duo ſemper quadrati, vnum intermedium habent proportionalem, ita bini cubi duos proportionales numeros habent intermedios; v. g. ſi 2 in ſe ducantur, quadratus efficitur 4; ſi 2 in quatuor, cubus efficietur 8; item ſi 3 in ſe ducantur, naſcentur 9; & iterum ſi 3 in 9, naſcentur 27 cubus; ſi deinde duo in 3 ducantur, 6, medius quadratorum 4 & 9 proportionalis, creatur, hoc pacto: 4. 6. 9. qui ſunt in ſeſquialtera proportione; ſicuti enim ſe habet 4 ad 6, ita 6 ad 9. Si porrò 2 radicem iterum in 6 medium proportionalem, & in hunc eundem 3 radicem duxeris, naſcentur 12 & 18, duo medij proportionales inter duos cubos 8, & 27; nam 8, 12, 18, 27 in eadem ſunt proportione continua ſeſquialtera. Hoc idem prorſus reperies in vnitate eandem vim cum numeris communicatam habente; hæc enim in ſe ducta quamuis ſemper ſit omninò eadem, attamen cum numeris comparata, quos genuit, & ipſa eâdem ratione conſideratur. Si itaque 1 lateris vim habens in ſe ducatur, vnum quid quadrati vim habens producetur; ſi denuo 1 vim lateris habens in 1 vim quadrati habens ducatur, 1 cubi poteſtatem obtinebit. Si poſtea 1 vim habens lateris in 2 latus ducatur, 2 medius proportionalis 1 vim quadrati habentis, & 4 vim habentis quadrati producitur, nam 1, 2, 4 in dupla ſunt proportione. Si iterum primò vim la-

teris habens 1, deinde latus 2, in 2 medium quadratorum proportionalem ducatur, 2 & 4 medij vnitatis cubi poteſtatem obtinentis, & 8 cubi ipſius proportionales generantur; ſunt enim 1, 2, 4, 8 in continua dupla proportione. Si iterum 2 ſe habeat vt latus ſeu radix, deinde hæc in 2 medium proportionalem ducatur, prodibunt 4: erunt igitur 2 & 4 inter 1, qui ſe habet vt cubus, & inter 8 alterum cubum medij proportionales, vt ſequitur 1. 2. 4. 8.

Hanc itaque vnitatem omnes vnitates, radices, quadratos, cuboſque complicantem Deo æterno & immenſo applicabant Pythagoræi, eratque quaſi primus quadratus, & cubus diuinæ naturæ, in quo omnia vnum ſunt. Secundus quadratus erat quaternarius ex dyade in ſe ducta productus, quem aſſimilabant materiæ imperfectæ, & in potentialis habitudinis abyſſo ſubmerſæ. Tertium quadratum 9 ex ternario in ſe ducto productum dedicabant Saturno. Quartum quadratum 16 ex quaternario in ſe multiplicato productum dicabant Ioui. Quintum quadratum 25, ex pentade in ſe multiplicata productum Marti. Sextum quadratum 36 ex ſenario in ſe multiplicato proditum, Soli. Septimum quadratum 49, ex ſeptenario in ſe ducto emanantem, Veneri. Octauum quadratum 64 ex octonario in ſe ducto procedentem, Mercurio. Nonum denique quadratum 81 ex nouenario in ſe ducto prodeuntem, Lunæ dedicabant. Cubos verò eodem ordine, quo quadratos cœleſtibus Dijs, Elementaribus Genijs dicabant, vt poſtea dicetur. Atque ab hiſce nouem quadratis recenſitis, duos primos quadratos ex Monade & Dyade emanantes, eximebant; Monadis quidem quadratum, vtpote ſupra omnes humanæ ſublimitatis intellectus metas longè ſemotiſſimum; Dyadis verò quadratum 4, ob imperfectionem materiæ, quam inuoluebat; reliquos verò ſeptem quadratos ſingulos ſingulis, vt diximus, dedicabant Planetis. Primum quadratum poſt binarium, id eſt, 9, ex tribus in ſe ductis emanantem, Saturno dicabant, hâc ducti ratione, quòd quantò Dij ſupremo Deorum omnium Anteſignano & Monadi ſummæ, ſiue ſupramundanæ, viciniores eſſent, tantò forent ſimpliciores, minùſque in multitudinem rerum materialium mergerentur; quantò verò à Monade remotiores, tantò plùs materialis miſcellæ participarent; vt proinde Lunæ non ſine ratione 81 inter eos quadratos, qui radicibus intra denarium conſtitutis emergunt, maximum, dedicandum putârint.

Vnitas omnia complicat.

Quadrati qui quibus Dijs dedicati fuerint.

Quadratorū productio.

Aſſignatis itaque dictis quadratis ſeptem, cùm admirandam quandam proprietatem in alia & alia diſpoſitione ſingulorum notarent; fieri non potuiſſe opinati ſunt, quin Deus ſumma & incomprehenſa ſub ijs myſteria humano intellectui exhibere, atque adeo ſingulorum ſeptem Mundorum ordinem, adminiſtrationem, œconomiam ſub ijs indigitare voluerit. Rem exemplo declaro. Si quis confuſas typographicas literarum formas conſiderauerit, tametſi illæ omnem ſcientiam imaginabilem intra ſe contineant, neſcit tamen, quæ ſit illa, quam deſiderat, & ſub qua combinatione lateat; peritus tamen mox formas ita aptè combinare nouit, vt tandem quicquid voluerit, imò omnia ſcientiarum myſteria ex

ijſ-

ijſdem per ſenſus appropriatos eliciat. Haud abſimili ratione quadrati quidam myſterioſiſſimi dantur, ſed cùm ſub certis numerorum formis lateant, confuſa myſteria vt lateant, neceſſe eſt; patebunt autem mox, vbi in totidem areolis, quot quadratus eiuſdem monades continet, ſingulos ordine numeros aptè & artificiosè peritus Arithmantes quiſpiam diggeſſerit. Sed primò quidem ſingulorum quadratorum myſteria, deinde modum etiam, eorundemque intra areolas quadrati diſponendorum rationem aperiamus.

Quadratos diſponendi ratio.

Sapientes itaque Veteres, dictos quadratos eo ordine diggeſtos diſponebant, vt quomodocunque numeri intra areas diſpoſiti aggregarentur, ſemper vnus & idem numerus emergeret, quorum omnium deinde ſumma ſuum quoque myſterium haberet. Vocabantur ea ſigilla Deorum immortalium, eò quòd ſub ijs mirâ quâdam ratione dominium eorum exprimeretur.

Sigillum Saturni.

Diſpoſitio Quadrati Saturni.

Cùm itaque 9, quadratum primum Saturni, quem totius Vniuerſi mentem, vt in Sphynge myſtagoga expoſuimus, appellabant, pingere volebant; huius numeros intra nouem quadratula eo artificio diſponebant, vt ſinguli ordines numerorum; normales, tranſuerſi, diagonales, ſimul iuncti, vnum & eundem numerum reſtituerent, vt ſequitur:

Sigillum Saturni.

4	9	2
3	5	7
8	1	6

Normalis additio

4	9	2
3	5	7
8	1	6
15	15	15

Tranſuerſalis additio.

4	3	8
9	5	1
2	7	6
15	15	15

Diagonalis additio.

4	2
5	5
6	8
15	15

Vides igitur, vt quomodocumque ſumpti numeri ſemper 15. reſtituant. Omnes autem numeri ſimul ſumpti continent 45. Atque hoc eſt, quod paulò antè Abenuaſchia innuebat, cùm diceret, Saturno dedicatum fuiſſe 3. 9. 15. 45: 3 enim conſtituunt quadrati radicem ſeu latus, 9 ipſum quadratum, 15 numeros ſingulorum ordinum additos, vti & ſumma omnium 45 conſtituunt. Atq; hinc patet, cur Abuhali Arabs in ſua Aſtronomia dixerit, Saturnum tribus potentijs regijs maximis circumdatum, vnumquemque verò horum 9 alijs principalibus, & his 15 alijs, ſummam omnium verò conſtituere Saturninum Geniorum principalium toti Vniuerſo præſidentium Chorum. Verba eius cito:

Abenuaſchia. Numeri 3. 9. 15. 45. Saturno dedicati. Abuhali.

كان لزحل ثلثة ملوك وكل وحد منهم تحتة تسع ملوك وكل وحد منهم
خمسة عشر جنون وكلهم خمسة واربعين وكلما يعنين الاسم زحل الذي هو
يحتمل بنفسة خمسة واربعين ———————————— ☼

زحل Zahel, Saturnus.

Sunt Saturno tres Reges, & vnuſquiſq; horum noue n alios Reges habet, & vnuſquiſque horum alios 15, ſumma omnium ſunt 45, vti nomen زحل *Zahel,* id eſt, *Saturni demonſtrat, quod in numeros reſolutum eundem numerum exhibet;* Monarchiæ videlicet Saturninæ in 3. 9. 15 Claſſes diſtributæ ſummam 45.

7 ز
8 ح
30 ل
45

Sigil-

Sigillum Iouis.

Sed procedamus ad ſecundi quadrati Schematiſmum, ſiue Sigillum Iouis, quod ex quaternario in ſe ducto emergit, eſtque 16: cuius diſpoſitio talis eſt, vt ſinguli numerorum ordines, normales ſiue perpendiculares, tranſuerſi, diagonales ſiue diametrales, vti & quadratulorum medium circumſiſtentium numeri ſimul iuncti, ſemper eundem numerum reſtituant, videlicet 34, ſumma verò omnium ſit 136. Sigillum ſequitur vnà cum additione numerorum.

Sigillum Iouis.

4	14	15	1
9	7	6	12
5	11	10	8
16	2	3	13

Additio perpendicularis.

4	14	15	1
9	7	6	12
5	11	10	8
16	2	3	13
34	34	34	34

Transuerſalis.

4	9	5	16
14	7	11	2
15	6	10	3
1	12	8	13
34	34	34	34

Diagonalis.

1	4
6	7
11	10
16	13
34	34

Idem emergit, ſi numeros quadratorum, quæ medium circumſiſtunt, addas.

a	*b*	*c*	*d*	*e*	*f*	*g*	*h*	*i*	*k*	*l*	*m*	*n*
4	15	5	10	7	5	14	9	14	12	15	1	4
14	1	11	8	6	2	9	11	6	10	7	16	13
9	6	16	3	11	15	8	11	6	10	7	7	6
7	12	2	13	10	12	3	3	8	2	5	10	11
34	34	34	34	34	34	34	34	34	34	34	34	34

Porrò numeri intra duas areolas oppoſitas diagonaliter ſitas additi, eundem ſemper numerum 34 exhibent, vt in *f*, 5. 2. & 15. 12. & in *g* 14. 9. & 8. 3. Diagonales verò qui tres areas poſſident, numeri, ſi medium duples, ſemper eundem dabunt numerum 34, vti in *h* 9. 11. 3. & in *i* 14. 6. 8. inq; *k* 12 10 2. & in *l* 15. 7. 5, medij duplati ſemper eundem numerum dabunt, videlicet 34. Extremi quoq; quadratuli numeri iuncti numeris in binis quadratulis medijs ἐγγύτατα ſumptis, vt in *m* 1. 16. 7. 10. & in *n* 4. 13. 6. 11. ſemper eundem numerum 34 conſtituunt, vt vides; quod ſanè meritò παράδοξον & ſummâ admiratione dignum videri poteſt. Diſpoſitio quadratuli Iouis.

Sigillum Martis.

Venio ad quadratum Martis 25. qui numerus in viginti quinque areolas digeſtas modo paulò poſt dicendo, eandem quam priores obtinet proprietatem. Figura ſequitur; in qua ſinguli ordines quouis modo ſumpti ſemper ſimul iuncti dant 65, & ſumma omnium eſt 325. Diſpoſitio quadrati Martis.

Sigillum Martis.

11	24	7	20	3
4	12	25	8	16
17	5	13	21	9
10	18	1	14	22
23	6	19	2	15

Recta additio.

11	24	7	20	3
4	12	25	8	16
17	5	13	21	9
10	18	1	14	22
23	6	19	2	15
65	65	65	65	65

Transuersa additio.

11	4	17	10	23
24	12	5	18	6
7	25	13	1	19
20	8	21	14	2
3	16	9	22	15
65	65	65	65	65

Diagonalis & quadrata additio.

3	11	25	11	12	4
8	12	5	3	8	16
13	13	1	15	14	10
18	14	21	23	18	22
23	15	13	13	13	13
65	65	65	65	65	65

Sigillum Solis.

Dispositio quadrati Solis

Sigillum quadrati Solis ex senario in se ducto producitur, & præ cœteris numeros oppidò mysteriosos sortitum est: Nam singulæ numerorum series in quadrato ritè dispositæ simul iunctæ, semper, quomodocunque sumptæ, conficiunt numerum 111. trium Monadum paulò antè recensitarum, archetypæ, genialis, & sidereæ summam; summa verò omnium, conficit 656, quæ sunt trium mundanarum compositionum vltimum complementum, Monarchiæ Solaris typus, & exemplar vnicum, vt sequitur.

Sigillum Solis.

6	32	3	34	35	1
7	11	27	28	8	30
19	14	16	15	23	24
18	20	22	21	17	13
25	29	10	9	26	12
36	5	33	4	2	31

Recta.

6	32	3	34	35	1
7	11	27	28	8	30
19	14	16	15	23	24
18	20	22	21	17	13
25	29	10	9	26	12
36	5	33	4	2	31
111	111	111	111	111	111

Transuersa.

6	7	19	18	25	36
32	11	14	20	29	5
3	27	16	22	10	33
34	28	15	21	9	4
35	8	23	17	26	2
1	30	24	13	12	31
111	111	111	111	111	111

Diagonalis & quadrata,

1	6
8	11
15	16
22	21
29	26
36	31
111	111

& innumeris alijs modis.

Sigil-

Sigillum Veneris.

Sigillum quadrati Veneris ex septenario in se ducto prodit, cuius numeri intra qadratum ritè dispositi quomodocunque iungantur, semper eundem numerum, vt priora, conficiunt, videlicet 175. summa verò omnium 1225 efficit, Venereæ Monarchiæ symbolum, cuius typus is est, qui sequitur. Dispositio quadrati Veneris.

Sigillum Veneris.

22	47	16	41	10	35	4
5	23	48	17	42	11	29
30	6	24	49	18	36	12
13	31	7	25	43	19	37
38	14	32	1	26	44	20
21	39	8	33	2	27	45
46	15	40	9	34	3	28

Recta.

22	47	16	41	10	35	4
5	23	48	17	42	11	29
30	6	24	49	18	36	12
13	31	7	25	43	19	37
38	14	32	1	26	44	20
21	39	8	33	2	27	45
46	15	40	9	34	3	28
175	175	175	175	175	175	175

Transuersa.

22	5	30	13	38	21	46
47	23	6	31	14	39	15
16	48	24	7	32	8	40
41	17	49	25	1	33	9
10	52	18	43	26	2	34
35	11	36	19	44	27	3
4	29	12	37	20	45	28
175	175	175	175	175	175	175

Diagonalis, & innumeris alijs modis.

22	4
23	11
24	18
25	25
26	32
27	39
28	46
175	175

Sigillum Mercurij.

Sigillum quadrati Mercurij ex octonario in se ducto emergit, cuius numeri solito ordine inter quadratum coacti digestique, quomodolibet rectà, transuersè, obliquè siue διαγώνως iuncti, semper eundem numerum constituunt, videlicet 260; summa verò omnium 2080 exprimit, Mercurialis Monarchiæ typum. Figura sequitur. Dispositio quadrati Mercurij.

Sigillum Mercurij.

Summa transuersarum

								260
8	58	59	5	4	62	63	1	260
49	15	14	52	53	11	10	56	260
41	23	22	44	45	19	18	48	260
32	34	35	29	28	38	39	25	260
40	26	27	37	36	30	31	33	260
17	47	46	20	21	43	42	24	260
9	55	54	12	13	51	50	16	260
64	2	3	61	60	6	7	57	260
260.	260.	260.	260.	260.	260.	260.	260.	260

Summa rectarum serierum 260. 260. 260. 260. 260. 260. 260. 260. 260

Sigillum Lunæ.

Sigillum quadrati Lunaris ex 9 in se ducto producitur, videlicet 81, cuius numeri intra quadratum suum coarctati, riteque dispositi, iuxta series numerorum transuersas, rectas obliquas quomodocunque additi, semper producunt 369; summa verò omnium tibi exhibet 3321., Lunaris Monarchiæ typum vt sequitur.

Sigillum Lunæ.

Dispositio Quadrati Lunæ.

										369	*Diagonalis.*
Summa transuersarum	37	78	29	70	21	62	13	54	5	369	*serierum*
	6	38	79	30	71	22	63	14	46	369	
	47	7	39	80	31	72	23	55	15	369	
	16	48	8	40	81	32	64	24	56	369	
	57	17	49	9	41	73	33	65	25	369	
	26	58	18	50	1	42	74	34	66	369	
	67	27	59	10	51	2	43	75	35	369	
	36	68	19	60	11	52	3	44	76	369	
Summa rectarum	77	28	69	20	61	12	53	4	45	369	*serierum*
	369.	369.	369.	369.	369.	369.	369.	369.	369.	369	*Diagonalis.*

CAPVT V.

De Mathematico fabricæ & constructionis dictorum sigillorum ratiocinio.

QVantò negotium hoc occultius, & admiratione dignius existit, tantò dilucidatio eius difficilior, perplexior, intricatiorque meritò censeri debet. Est enim adeo ardua & recondita numerorum natura, vt omnium penè humani ingenij aciem fugere videatur. Sed enim cùm mihi à natura ita comparatum sit, vt nihil homine digniùs existimem, quàm in huiusmodi tortuosis rerum absconditarum labyrinthis industriam ponere; dicta verò numerorum arcana dispositio non minimum inte res hucusque inaccessas & incognitas locum obtineat; summâ diligentiâ incubui, vt arcanam huiusmodi dispositionem, rationemque, quantum ingenij vires permitterent, penetrarem, penetratam eruerem, erutam Lectori rerum curiosarum auido, hoc loco communicarem. Sunt autem in hoc negotio duo consideranda, primò quidem imparium quadratorum dispositio, deinde parium; illa quantò est facilior, tantò hæc maiores & quasi inexhaustas difficultates patitur. De quadratis primò, deinde de cubicis pari passu ratiocinabimur.

§ I.

§ I.

Quadrati constructio, quod ex ternario in seipsum ducto constituitur, estque Sigillum Saturni.

OMittimus hîc primum quadratum, ex binario in se ducto emergens, videlicet quaternarium, vtpote quod cùm à reliquorum quadratorũ naturâ & proprietate longè recedat, numerus veluti imperfectus, propriè absolutèque quadratus dici minimè potest; ideoque cùm non tantùm ex multiplicatione binarij in binarium, sed ex additione binarij ad binarium (quod nulli alteri quadratorum euenit) emergat, atq; adeo potentialem materiæ miscellam obeat, meritò à Philosophis priscis, qui Dijs non nisi perfecta dedicabant, reiectus fuit, eliminatusque.

Quadratum ex binario emergens est imperfectum.



Nota Lector, quadrangulũ b c g e, debere esse dispositum ad modũ quadrati eodem modo & cætera.

Ad quadratum itaque ternarij 9 ita disponendum, vt series numerorum quomodolibet iunctę dent 15, sic procedes. Fiat primò quadratum *b c g e*, in quo quatuor media alia quadratula *a b d f*, foris ponantur in formam Rhombi: deinde inter cellulas seu quadratula singula ordine naturali numeros ab vnitate vsque ad 9 ita dispones, vt pro radicis ternarij ratione in singulis tribus cellulis obliquè seu diagonaliter descendentibus tres numeri ordine naturali ab vnitate incipiendo, ponantur, vt vides; reperienturque quatuor numeri 1, 3, 9, 7, extra quadratum *b c g e*; quadratum verò in quatuor cellulis carebit numeris, vtpote numeris extra quadratum in eas transferendis; quod ita præstabis. Primò, duo numeri, 1, & 9, columnæ *a f*, in eiusdem columnæ oppositum vacuum locum transferantur; deinde 3 & 7 extra quadratum constituti numeri vti priùs in opposita transuersæ columnæ *b d* vacua loca reciprocà collocatione constituantur, vti ex sequenti figura apparet. Dico hoc

Quomodo disponatur Quadratum Ternarij.



 ordi-

ordine numeros intra nouem cellulas nouenarij quadrati R S T V dispositos hanc vim obtinere, vt quacunque serie sibi inuicem terni & terni addantur, semper 15 resultent. Cuius rei demonstrationem vt altiùs animo imbibas,

Notandum primò, in singulis quadratorum imparium numeris, vti & in hoc ternarij quadrato videre est, triplices dari terminos, maiores, minimos, medium. Maiores termini sunt, qui post medium terminum vsque ad finem numerorum quadrati nouenarij numerantur: Minores termini sunt, qui ab vnitate ad medium vsque terminum computantur: Medius verò terminus dicitur, qui inter quatuor minores & quatuor maiores intermediat, & prouenit ex dimidio aggregati ex additione minimi & maximi termini emergentis; vt 1 minimus terminus iunctus maximo termino 9 dat 10, cuius dimidium est 5, terminus in progressione medius, & medium inter quadrati cellulas semper locum occupans, vt ex figura patet; & in hac sequenti progressione,

1 2 3 4 5 6 7 8 9
Minores Medius Maiores

Atque huius progressionis numeri minores ad maiores se habent, vt excessum ad excedens; quantò enim maiores à medio crescunt, tantò decrescunt ab eodem minores. Vnde primum fundamentum æquationis emergit.

Notandum secundò minorum terminorum singulos vnum aliquem è maioribus terminis respicere, siue quod idem est, omnes numeri qui æquo à medio termino interuallo vtrinque dispositi se respiciunt, additi inter se, 10 conficiunt, vt in hac progressione videtur;

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

vbi 1. respicit 9; 2 respiciunt 8; & 3, 7; & 4 denique 6; singuli autem bini termini oppositi se respicientes simul iuncti 10, vt diximus, constituunt, cuius dimidium 5, medius terminus est. Medius autem terminus per numerum cellularum vnius lateris dicti quadrati, videlicet ternarium multiplicatus, producit 15 summam numerorum existentium in vnoquoque latere. Hinc facilè patet, quomodo paulatim Veteres ex hac speculatione in notitiam deuenerint huius tam mirabilis proprietatis. Si enim ordine paulò antè dicto trinos ordines numerorum huius quadrati nouenarij diagonos, & ordine naturali descripseris; necessariò eueniet, vt in quadrato sequenti *a b c d* quatuor spacia vacua relinquantur: cùm itaque numeri in cellis extra dictum quadratum sint totidem, ijsque termini oppositi sint (1. siquidem minimus terminus respicit 9 maximum

ter-

terminum) 3 quoque ex minoribus terminus tertius, ex maioribus terminis pariter respiciant tertium; consequens est, vt si 1 in oppositam supra 9 vacuam cellulam, & 9 in alteram sibi oppositam infra 1: 3 verò in oppositam cellam vacuam post 7, 7 verò contrà in oppositam cellam ante 3 transtuleris; negotium confectum habeas: hâc enim ratione 9 v. g. maior terminus, inter 4 & 2 minores terminos insertus, ijsque additus, æquabit numerum 15, ex 3 latere quadrati in medium terminum, videlicet 5 ducto emergentem; 1 verò minimus terminus inter 8 & 6 maiores terminos insertus, pariter æquabit numerum 15 ex radice in medium numerum ducta prouenientem. Pari ratione 3 inter numeros 4 & 8, & 7 inter 2 & 6 inserti, ipsisque additi, eundem 15 numerum conficiunt. Denique 5 inter 2 & 8; & iterum inter 4 & 6 (quorum illi 10, hi pariter 10 additi conficiunt) pari ratione ipsis additus 15 constituit. Vides igitur, quomodo semper inter duos pares numeros mediet impar, quibuscum additus conficiat 15; patet etiam cuilibet, excepto medio, impari numero vacuam cellam opponi; intra quam positus, additusque tandem cum lateralibus 15 constituat; sic inter 4 & 2 intermedius 9 ijs additus 15; 1 verò inter 8 & 6 positus, ijsque additus, pariter 15; iterum 3 intra vacuam cellulam oppositam inter 4 & 8 positus, ijsque additus pariter 15; 7 verò in opposito sibi loco inter 2 & 6 positus, ijsque additus similiter 15 constituit; 5 verò medius cùm diametraliter positis numeris eundem numerum conficit. Patet itaque propositæ constructionis ratio. Sed vt hæc luculentiùs demonstrentur, ponantur numeri quadrati nouenarij vti priùs secundùm progressionem naturalem ab vnitate vsque ad 9, vt sequitur. *Combinationes regulariũ terminorum.*

	a	*c*	*e*	
l	4	9	2	*g*
m	3	5	7	*h*
n	8	1	6	*i*
	b	*d*	*f*	

Hoc peracto, si 9 ad 1 iunxeris, habebis 10, quibus medius terminus 5 additus conficiunt 15, cùm itaque hi ijdem numeri in columna *c d* quadrati *a e b f* contineantur, illi collecti in vnum, eundem numerum vt conficiant, necesse est. Iterum iunge 2 ad 8, secundum minorem terminum ad maio-

maiorem, produces 10, quibus medius 5 additus eandem summam, 15 videlicet conficiet; qui numeri in quadrato tertiæ cellulæ diagonaliter dispositæ, videlicet *e b*, pariter continentur. Rursus iunge 3 ad 7, tertium minorem ad maiorem tertium à 9, & produces iterum 10, quibus 5 medius terminus additus exhibet 15 vt prius; atque hanc dispositionem numerorum inuenies in *m b* transuerso quadrati medio ordine digestam. iterum iunge 4 ad 6, produces denuò 10, quibus quinarius medius terminus additus, exhibent vt antè, 15; atque hanc dispositionem continet in quadrato diagonalis trium numerorum 4. 5. 6 dispositio. Atque hi sunt quatuor terminorum regularium cum medio 15. conflantium combinationes; iam videamus irregularium quoque combinationem.

Combinationes irregularium.

Irregularem combinationem dicimus, quòd non sumantur termini in hac secundùm terminorum præcisum respectum, neque cum medio termino, sed vel ex minoribus terminis, maioribus quomodocunque additis, numerus 15 resultet; quem si per ternariũ lateris quadrati multiplicaueris, habebis summam omnium numerorum 45. Iunge itaque in serie numerorum naturali 4 cum 8, conficies 12; quibus si 3, qui 4 præcedit, iunxeris, habebis pariter 15; quem numerum conficiunt tres numeri intra columnam *a b* contenti; cùm enim 3 & 4 æquentur 7, vnitas verò ab 8 deficiat, illa adiuncta 7, dabit 8; qui vnà cum 3 & 4 iunctus, vt dixi, 15 constituunt. iterum 2 ad 6 additi dant 8, quibus si 7 coniunxeris, habebis iterum 15, quem numerum pariter exhibent tres numeri in columna *e f* dispositi. Rursus iunge 2 ad 4, & habebis 6, quibus si 9 accedant, habebis 15, quem eundem numerum intra transuersam columnam *l g* additi in vnum numeri exhibent. Denique iunge 6 ad 8, & habebis 14, quibus vnitas accedat, prodibunt 15, quem tibi quoque tres numeri in transuersa serie in *i* præcisè exhibent. Verùm omnium combinationes hîc appositas contemplare.

Combinatio regularis, in qua termini quatuor minores maioribus 4 oppositi cum medio iuncti	1	5	9	media columna recta	faciunt 15.
	2	5	8	Diagonalis	
	3	5	7	media transuersa	
	4	5	6	Diagonalis transuersa	

Combinatio irregularis, in qua numeri promiscuè se respiciunt, & cum medio additi pariter	4	3	8	prima columna recta	faciunt 15
	2	7	6	tertia columna recta.	
	4	9	2	prima transuersa	
	8	1	6	vltima transuersa	

Octies itaque reddit eundem numerum 15.

Atque ex his patet octo tantum combinationes fieri posse in hoc nouenario dispositionis trium numerorum, qui additi 15 constituant; videlicet trium serierum perpendicularium, & totidem transuersarum, &

dua-

duarum diagonalium. Et tametsi plures in dicta progressione numeri sint, qui numerum 15 iuncti simul constituant, vti 1, 2, 3, 9; 2, 3, 9, 1; 9 & 6; 8 & 7; quia tamen hoc loco tres tantùm numeri iuxta 1 lateris quadrati triadem, considerantur; cœterorum omnium nulla prorsus ratio habetur.

Vides quoque quomodo in omni combinatione trium numerorum, semper medij numeri sint impares, extremi partim pares, partim impares. Præterea cùm 15 resultent ex ductu ternarij, id est, ex latere in medium terminum totius progressionis, quæ est 5; consequens est omnes & singulas trium numerorum series quinarium ter continere; quod inde pátet: si enim in hisce numeris 1, 5, 9; 1 ad 9 adieceris, habebis 10 duplicatum quinarium; & si medius quinarius accedat, habebis tres quinarios; qui additi faciunt 15. Sic in his numeris 2, 5, 8; 3, 5, 7; 4, 5, 6; extremi additi semper duplicatum quinarium dant, videlicet 10. quibus quinarius medius additus, dant tres dictos quinarios; in reliquis quoque numeris 4, 3, 8, si medius terminus 3 ab extremis 4 & 8 vnitatem mutuet, euadet is in quinarium, extremi verò manebunt 3 & 7; qui coniuncti dabunt 10 alios duos quinarios. Sic in numeris 2, 7, 6. Si medius terminus vnitatem vtrique extremo 2 & 6 communicauerit, manebit is 5; 2 verò & 6 aucti vnitate, fient 3 & 7, qui iuncti 10 constituunt alios duos quinarios. In his verò numeris 4, 9, 2, si à 9 abstrahas 4, remanebunt 5. 4 verò addita 2, dant 6, quæ vnita 4 dant 10, duos alios quinarios. Denique in his numeris 8, 1, 6, si 2 ab 8, & totidem à 6 abstracta addideris 1, fiunt 5. duo verò termini binario mutilati 6 & 4, additi 10, constituunt alios duos euinarios. Vides igitur quàm mirâ ratione per excedens & excessum numeri pulchrè æquari in vnam summam aspirent. Atque ex his, ni fallor, luce clariùs patet ratio, cur videlicet nouenarius secundùm lateris sui numerum intra quadrati trinas cellulas aptè digestas in omnibus, semper infallibiliter eundem numerum producat; quod non tantùm de hoc impari quadrato, sed & de omnibus alijs quadratis imparibus in infinitum productis, vt in sequentibus dicemus, intelligendum est.

§ II.

Secundi quadrati, quod ex 4 in se ductis emergit, constructio Mathematica, atque Sigillum Iouis nuncupatur.

HOrum cumerorum dispositio multò difficilior est præcedenti: vti enim ob paritatem quadrati medium terminum non habet, ita aliam quoque dispositionem requirit. Nos, quantum ingenio licuerit, & hanc facillimam reddere conabimur. Cùm itaque quadratus Iouis ex 16 numeris componatur, vel quod idem est, ex quaternario in seipso ducto emergat, sic procedes. Describatur progressio naturalis 16 numerorum, ab 1 vsque ad 16 progrediendo, vt sequitur.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16
quorum singulorum quatuor numerorum tetrades pro quatuor laterum quadrati exigentia discrimines; habebisque quatuor ordines 1, 2, 3, 4. 5, 6, 7, 8. 9, 10, 11, 12. 13, 14, 15, 16. quos diligenter serua. Hoc peracto fiat quadratum in formam Rhombi truncati, vti in præcedente factum est, ita vt singulæ obliquæ & diagonales series quatuor cellulas seu quadratula contineant, vt sequitur.

Ratio dispositionis secundi quadrati.



In hoc eo ordine, qui sequitur, numeros tuos dispone secundum quatuor Classes, quas paulò antè obseruari monuimus. Prima Classis numerorum 1, 2, 3, 4, ordine naturali in superioribus quadratulis *b e d a* extremis ponantur, vt vides. Secunda Classis numerorum 5, 6, 7, 8, ordine ponantur in transuersali quadratorum serie, quæ continentur intra spacium *f, l*, eo tamen pacto, vt 6 & 7 duo media quadratula, 8 & 5 verò duo extrema occupent, duobus in *o* & *p* vacuis. Tertia Classis numerorum 9, 10, 11, 12, in altero transuersali spacio *g k* disponantur, eo prorsùs modo, quo in spacio *f l* numeri secundæ Classis. Quarta denique Classis numerorum 13, 14, 15, 16, in reliquis inferioribus extremis quadratulis *d h i c* ordine disponantur vt vides.

Habes itaque rationem dispositionis; nihil porrò restat, nisi vt quomodo numeri extra quadratum *a b c d*, intra idem, in cellas totidem vacuas & correspondentes opportunè transferri possint, dicamus; quod dispari ratione à præcedenti fit: in præcedenti enim terminos numerorum oppositos in opposita vacua loca transtulimus; quod hìc non fit, sed termini in alternè opposita loca transferendi sunt, vt intentum habeas; hoc pacto 3 v. g. non in vacuum quadratulum *v* rectà oppositum, sed in alternè oppositum, quod litera *r* signauimus, poni debent; ita 2 non in *r*, sed in *v* decussatim poni debent; & contrà 15 & 14, hoc in *m*, illud in *n*, alternè opposita spacia pariter transferenda sunt. Haud absimili ratione 5 & 9, 5 quidem in *t*, & 9 in *o* similiter alternè opposita vacua spacia; contra 8 & 12, hoc in *p*, illud in *q* alternè opposita vacua spacia transferenda sunt. Quibus quidem ita peractis, habebis quadratum Iouis eâ numerorum dispositione digestum, vt singuli quatuor ordines quomodocunque sumpti semper 34 conficiant, quæ ducta in latus quadrati 4 summam omnium numerorum dant 134. Figuræ dispositio sequitur.

Cu-

a b

4	14	15	1
9	7	6	12
5	11	10	8
16	2	3	13

c d

Cuius quadratum *abcd* numeros eo ordine dispositos habet, vt singuli quatuor numerorum series additæ semper eundem numerum, vti dictum est, conficiant; quod non tantùm de ordinibus rectis, transuersis, diagonalibus intelligendum est, sed & singulorum quadratulorum numeri quatuor simul iuncti eundem numerum restituunt; cuius rationem vt videamus, paulò altiùs ordiendum est.

Lemma.

SI duo cuiuscunque progressionis naturalis numeri, qui æqualibus interuallis ab extremis vtrimque distant, simul addantur, erit aggregatum singulorum additorum aggregato, quod ex duobus terminis extremis, minimo & maximo conficitur, æquale. Disponantur numeri sedecim eo ordine & progressione naturali, quo suprà fecimus.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

Ex quibus si duos quoslibet ab extremis terminis æquedistantes in vnum iunxeris, habebis ex singulorum aggregatis 17 aggregato duorum extremorum 1 & 16, id est, 17 æquale; quod medijs terminis 8 & 9 additum, summam conficit numerorum in singulis ordinibus quadrati rectis, transuersis, & diagonalibus contentorum. Cùm enim maiores termini à 16 versus medios terminos 8 & 9 continuè vnâ vnitate decrescant, minores verò termini, qui maiores ex opposito respiciunt, vnâ vnitate continuè vsque ad medios terminos 8 & 9 crescant; necessariò fit, vt hi numeri iuxta proportionale incrementum decrementumque perpetuam æqualitatem custodiant. v. g. 1 & 16, extremi progressionis termini additi conficiunt 17: sed & hunc eundem numerum & 2 iuncta 15, & 3 iuncta 14, & 4 iuncta 13, & 5 iuncta 12, & 6 iuncta 11, & 7 iuncta 10, & 8 denique iuncta 9, conficiunt; cùm quantùm minores termini ab vnitate crescunt, tantùm minores oppositi numeri à 16 decrescant; 2 enim auctâ vnitate cum 15 numero vnitate minori quàm 16, eundem numerum conficiunt,

ficiunt, quem 1 ad 16, iunctum, scilicet 17. idem de omnibus alijs intelligendum est.

Mirabilis proprietas numerorum in hoc quadrato. In quo numeri quomodolibet sumpti eundem semper numerum conficiunt.

Atque hinc nascitur admiranda illa proprietas, quâ numeri in singulis ordinibus tetradicis dicti quadrati, contenti, additique, quomodolibet sumpti, semper eundem numerum, videlicet 34 conficiunt. Quoniam enim omnes numeri in progressione naturali 16 terminorum ab extremis æquidistantes 17, vti probatum est, conficiunt; cùmque 8 & 9, medij totius progressionis termini, pariter 17 additi conficiant; 17 ad 17 iuncti constituunt necessariò 34. Hinc si 1, 8, 9, 16, quatuor terminos in vnum iunxeris, extremos videlicet cum medijs 8 & 9, habebis iterum 34. Si verò 2, 8, 9, 15, duos videlicet ab extremis cum duobus medijs iunxeris, iterum habebis 34. Si verò 3, 8, 9, 14, tertios ab extremis cum duobus medijs iunxeris, habebis denuò 34. & sic de cœteris; semper enim ex duorum numerorum ab extremis æquè distantium ad duos medios additione idem numerus 34 resultabit. Mirum itaque non est, si dicti numeri intra quadratum artificiosè, eâ videlicet industriâ, quâ dictum est, disponantur, in singulis ordinibus tetradicis rectis, transuersis, diagonalibus, & in singulis quadratis quatuor vnà iunctis quomodocunque sumptis, semper eundem numerum emergere, cùm totum fundamentum huius dispositionis lateat sub progressione naturali numerorum 16; in qua tot combinationes institui poterunt quatuor numerorum eundem 34 conficientium, quot combinationes reperiuntur in quadrato, eundem numerum conficientes.

§ III.

Quadrati tertij constructio Mathematica, quod & Sigillum Martis dicitur.

TErtium quadratum imparium numerorum ex quinario in se ducto consurgit; cuius constructio non differt à primi quadrati constructione. Verùm rem paucis explicemus.

Fiat quadrangulum Rhomboide, in cuius quinque quadratulorum diagonaliter dispositorum ordinibus naturali ordine describantur 25 numeri, eo pacto, quo in sequenti figurâ factum esse vides, manebuntque intra quadratum *a b c d* tot areolæ vacuæ, quot numeros extra quadratum separatos vides; quos hâc industriâ intra vacuas areolas singulis correspondentes transferes. Cùm in imparibus quadratis singulos numerorum terminos oppositè se respicientes intra opposita in eadem columna loca vacua transferre suprà præceperimus, iuxta præcepti huius tenorem negotium summâ facilitate conficies. Sic itaque procede; in columna *g h*, 1 in oppositum vacuum intra eandem columnam locum, videlicet in areolam supra 19 transferenda est: 25 verò in eadem columna *g h* infimus numerus, in oppositum intra eandem columnam locum infra 7 collocabitur.



11	24	7	20	3
4	12	25	8	16
17	5	13	21	9
10	18	1	14	22
23	6	19	2	15

bitur. In columna *r n*, 6 in areolam vacuam ſupra 24 immediatè; 24 verò in oppoſitum in eadem columna locum infra 6 locabitur. In columna *k i*, 2 in locum vacuum ſupra 20, & 20 in locum vacuum infra 2 transferetur. In columna tranſuerſa *t q*, 4 in locum vacuum oppoſitum poſt 16, & 16 in locum vacuum ante 4 collocetur. In columna tranſuerſa *v p*, 5 in locum vacuum poſt 17, & 21 in locum vacuum ante 9 deponatur. In columna denique tranſuerſa *x o*, 10 in locum vacuum poſt 22, & 22 in locum vacuum ante 10 locetur. Habebiſque totum negotium peractum; cuius demonſtratio eadem eſt, quam in primi quadrati deſcriptione dedimus. Si enim ordine naturali progreſſio ab 1 ad 25 continuetur, vt ſequitur:

a (1) … *e* (13) … *b* (25)

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25

In hac progreſſione imparium numerorum medius terminus eſt 13; qui per latus quadrati, id eſt, per 5 multiplicatus dat 65, numerorum in ſingulis columnis in quadrato exiſtentibus, ſiue rectis, ſiue tranſuerſis, ſimul additorum ſummam, ita vt ex medij termini cum latere quadrati multiplicatione ſtatim, quantam ſingularum columnarum numeri additi ſummam conficiant, oſtendatur, ac proinde ſicuti in progreſsione medium ſemper locum, ita & in quadrati media cellula eundem occupet. Si iam in progreſsione dicta quinque numeros, qui dictum numerum ſimul additi faciant, inquiſiueris, idque toties, quoties poteris, & combinatio permit-

mittit, intentum ſine dubio habebis; cùm, quoties numerus iſte 65 intra quadrati columnas reperitur, toties & idem in dicta progreſsione, ex qua eductus fuit, reperiatur. Sic ſi 7, 25, 13, 1, 19 ſimul iunxeris, habebis 65. Si 24, 12, 5, 18, 6, in vnam ſummam collegeris, idem qui priùs numerus 65 emerget; & ſic de cœteris omnibus; quæ in 5 latus quadrati ducta, dabunt omnium ſummam 325; nihil igitur eſt in quadrato, quod non in dicta progreſsione contineatur. In ſola itaque artificioſa illa numerorum digeſtione ſecretum latet; quod quomodo pateat, iam dictum eſt.

§ IV

De conſtructione Mathematica quadrati quarti Sigilli Solis.

Diſpoſitio numerorum in hoc quadrato difficillima.

SIcuti numerus in hoc quadrato ex ſingulis ſex ordinibus quaquauerſus collectus, oppidò myſterioſus eſt; ita numerorum diſpoſitio in hoc quadrato, vt dictus numerus reſultet, ſummum cum difficultate laborem adiunctum habet; quem tamen, quantum ingenij imbecillitas permittet, nos mitigaturos confidimus.

Cùm itaque quadratus Solis 36 conſtituatur ex 6 in ſeipſum ductis; pro diſpoſitione numerorum in quadrato ſic operare. Scribantur 36 numeri ordine naturali ab 1 incipiendo, quos in ſex ordines diuides, vt hîc vides.

A *B* *C* *D*
1. 2. 3. 4. 5. 6. | 7. 8. 9. 10. 11. 12. | 13. 14. 15. 16. 17. 18. | 19. 20. 21. 22. 23. 24. |
g h i k l m n o p q r ſ t u x y z a

E *F*
25. 26. 27. 28. 29. 30. | 31. 32. 33. 34. 35. 36.
b c d e ff tt ſſ

Hoc peracto deſcribas diagramma in formam Rhomboidis, vt in præcedentibus factum eſt, & hìc apparet; in cuius cellulis numeros dictæ progreſſionis hâc induſtriâ collocabis. Accipe primam progreſſionis ſex numerorum partem *A* ſignatam, eamque iuxta numeros ab 1 vſq; ad 6 pone in ſuperiori parte Rhomboidis intra cellulas extremas, vt hìc vides. Accipe deinde ſextam partem progreſſionis ſignatam litera *F*, qui ſunt numeri 31, 32, 33, 34, 35, 36, quos in oppoſitis Rhomboidis locis, hoc eſt, in inferiori parte diagrammatis in vltimis ſex cellulis inſeres, vt paulò poſt videbis. Deinde in loculamentis dextris *p h i q*, hoſce quatuor numeros pones, 7, 13, 19, 25, qui ſunt ordinum in progreſsione *B C D E* primi, vt progreſsio docet ſignata literis *g n t b*: ex oppoſitis verò loculis ✠ *m n r* hoſce numeros pones, 12, 18, 24, 30, qui ſunt 6 ordinum *B C D E* vltimi, ſignati literis *m ſ a tt*; habebiſque totum ambitum ſuis ſignatum numeris, poſtea in quadratum *a b c d* transferendis. Reliquos numeros progreſsionis hâc induſtriâ medijs quadrati cellulis inſcribes. Intra columnam



Diagramma in formam Rhomboidis.

lumnam tranſuerſam ✠ α, à 7 incipiendo, & omiſſâ vnâ areolâ, deinceps ex progreſsione ponantur ordine quatuor numeri ſignati literis *l d e h*, qui ſunt 11, 27, 28, 8. In columna tranſuerſa *h m*, à 13 incipiendo, omiſsiſque duabus areolis, deinceps ordine ponantur numeri progreſsionis ſignati literis *o p q z*, qui ſunt 14, 16, 15, 23. In tranſuerſa columna *i n*, à 19 incipiendo, omiſsiſque duabus areolis ponantur ordine numeri progreſsionis ſignati *v y x r*, id eſt, ordine retrogrado numeri 20, 22, 21, 17, vt vides. Denique in columna tranſuerſa *q r*, à 25 incipiendo, omiſſa vna areola, ſcribantur deinceps numeri ſignati literis *ff k i c*, qui ſunt numeri 29, 10, 9, 26. Hiſce peractis, manebunt intra quadratum *a b c d* ſexdecim ſpacia vacua, quæ totidem numeris in ambitu Rhomboidis circumſcriptis replebis hoc artificio. In ſuperiori Rhomboidis parte 5 & 2 intra columnas ſuas oppoſita vacuarum cellularum loca occupabunt, vt vides: 4 verò vacuum locum habebit oppoſitum alternè, id eſt, in columna *g x* vltimum intra quadratum: 3 verò in columna *f v* tertium vacuum ſpacium occupabit. In latere ſiniſtro Rhomboidis, 7 oppoſitum in tranſuerſa columna ✠ α vacuum poſsidebit: 13 in columna tranſuerſa *i n* tertium à 19: 19 contrà in columna *h m* tertium ab 18 locum habebit: 25 verò iterum in tranſuerſa columna *q r* oppoſitum tenebit locum. In infima parte Rhomboidis 32 ponetur in columnæ δ β ſecundo à 5 ſpacio: 33 in tertio columnæ *v f* à 34 ſpacio: 34 in vltimo intra quadratum columnæ *x g* vacuo ſpacio; 35 demùm in vltimo columnæ *ſ γ* à 2 ſpacio. In dextro latere Rhomboidis quatuor numeri hoc pacto transferentur: 30 transfertur in ſecundũ à 7 colum. tranſuerſæ ✠ α ſpacium: 24 in tertiũ à 13 columnæ tranſuerſæ *m h* ſpacium: 18 in tertium columnæ tranſuerſæ *n i* à 24 locum: 12 verò in ſecundũ à 25 columnæ tranſuerſæ *r q* vacuum locum transferantur. Et ſic numerorum omnium in quadrato digeſtionem habebis, in qua numeri ſingulorum ordinum additi conficiunt 111, myſterioſiſsimum numerum, & trium Monadum, ſiue ſolij archetypi, genialis, & ſiderei indicem. Summa verò omnium erit 666, alterum myſticum nume-

Ratio diſpoſitionis numerorum.

numerum idearum in tribus dictis Mundis dispositionis rationem exhibens. Figura quadrati siue Sigilli Solis sequitur.

Sigillum siue quadratum Solis.

Summa singulorum sex numerorum seriatim quomodolibet sumptorum est 111.

6	32	3	34	35	1
7	11	27	28	8	30
19	14	16	15	23	24
18	20	22	21	17	13
25	29	10	9	26	12
36	5	33	4	2	31

Summam verò omnium 666 habebis, si 111 *per* 6 *latus quadrati multiplicaueris.*

Atque hanc mirificam dispositionem ex sola progressione numerorum ab 1 vsque ad 36 continuata extraximus; quâ verò methodo combinatiua opus sit ad tantæ harmoniæ inuentionem, cùm huius loci non sit, in combinatoria arte, si Deus voluerit, suo tempore ostendetur.

§ V.

Constructio quadrati seu Sigilli Veneris Mathematica.

QVadratus qui ex 7 in se ductis emergit, videlicet 49, Veneri dicatus est, cuius dispositionem in nullo à primi & tertij quadrati dispositione diuerso modo expedies. Fiat primò, vt in præcedentibus, diagramma Rhomboide, in quo 49 numeros in septem Classes digestos eo ordine, vt in sequenti figura patet, ordinabis.

Figura prima.



Si-

Sigillum Veneris, siue quadratum 49.

Figura secunda.

Omnes series numerorum simul iunctorum dant 175.

22	47	16	41	10	35	4
5	23	48	17	42	11	29
30	6	24	49	18	36	12
13	31	7	25	43	19	37
38	14	32	1	26	44	20
21	39	8	33	2	27	45
46	15	40	9	34	3	28

Numerus 175 per latus quadrati, scil. 7 multiplicatus, dat 1225, summam omnium numerorum.

In hac prima figura quadratum est, intra quod omnes numeri in quatuor cornibus Rhomboidis extra quadratum collocati, transferri debent, vt vacua loca, quæ numeris extra quadratum in cornibus constitutis æquantur, repleas; quod quidem minimè, vt in cœteris imparium quadratorum dispositionibus, difficile est. Sic ergo procede. In singulis cornibus sex numeri spectantur: in superiori cornu extra quadratum constituuntur hi numeri 1, 2, 3, 8, 9, 15; quos intra vacuas quadrati areolas ita transferes. ab vnitate intra columnam *e f*, numera deorsum octo cellulas, & intra eam pone vnitatem; in columna *g h*, deorsum à 2 numera alias octo cellulas, & intra eam pones 2; in columna *i k* deorsum alias octo areolas numera, & intra eam pone 3; iterum in columna *l m*, octo areolas numera deorsum, & intra octauam pone 8; sic in columna *n o* numera pariter octo areolas deorsum, & ibi repone 15. Numeros in dextro cornu *b d t*, eâdem prorsùs ratione, quâ in præcedenti, transferes intra vacuas cellulas intra quadratum constitutas, sed secundùm transuersum & sinistrum areolarum situm. Itaq; à 5 in columna transuersa *p q* numera octo, & intra octauam pone numerum 5; in columna *r s* à 6 numera octo areolas, & ibi depone 6. In columna *t v* octo iterum à 7 transuersim numera, & ibi pone 7; in columna *x y* à 14, octo numera areolas, & intra octauam pone 14; in columna *z tt* similiter à 21 computa octo areolas, & ibi repone 21; & à 13 transuersim octo numera, & ibidem repone 13. Deinde procede in infimum cornu Rhomboidis, & à numeris singulis octo numerando in proprijs columnis sursum procede, & ibidem numeros, à quibus numerare cœpisti, colloces; sic 35 in octaua ab hoc numero cellula in columna *k i* ponetur; item 41, & 47 in octauis cellulis, vt vides, locentur; item 42, & 48 in columnis *h g*, & *l m*; vt & 49 in columna *f e*. In cornu vero sinistro Rhomboidis numeri 29. 37. 36. 44. 43. singuli ordine in transuersarum columnarum octauas areolas transferantur, vt in præcedentibus factum fuit, & habebis dispositionem peractam, vt vides in figura secunda, quorum omnium demonstratio patet ex ijs, quæ in prima & secunda quadrati constructione adduximus.

§ VI.

Conſtructio Sigilli Mercurij, ex quadrato 64.

OCto in ſe ducta conſtituunt 64 hoc præſens quadratum, cuius ſigillum ſequenti induſtriâ conficies. Et quamuis præ omnibus reliquis huius conſtructio intricata, difficilis, & laborioſa ſit, facilè tamen laborem mitigatum iri confido, ſi iuxta præceptorum noſtrorum amuſſim curioſus artifex proceſſerit. Sic igitur operare. Deſcribatur primò figura Rhomboidis, vt ſuprà, intra quam numeròs hoc pacto inſcribes.

Sigillum Mercurij ex quadrato 64.



Progreſſionem numeri quadratici ab 1 vſque ad 64 continuatam in octo Claſſes ſeu ordines, vt vides, diſtribues.

I Ordo.	II Ordo.	III Ordo.	IV Ordo.	V Ordo.	VI Ordo.	VII Ordo.	VIII Ordo.
1	9	17	25	33	41	49	57
2	10	18	26	34	42	50	58
3	11	19	27	35	43	51	59
4	12	20	28	36	44	52	60
5	13	21	29	37	45	53	61
6	14	22	30	38	46	54	62
7	15	23	31	39	47	55	63
8	16	24	32	40	48	56	64
A	*B*	*C*	*D*	*E*	*F*	*G*	*H*

Or-

Ordines I & VIII, siue *A* & *H* primò inscribes Rhomboidi hâc industriâ. Ponantur in ambitu superiori Rhomboidis, in cellulis *b i g f e h k a* numeri primi ordinis vt vides; & in correspondente inferiori Rhomboidis ambitu in cellulis *d γ δ ξ λ θ β c* ordine retrogrado scribantur octaui ordinis numeri, vt vides. Secundi ordinis numeros sic locis quosque suis adaptabis. in cellula *m* primò ponatur 9; deinde vna cellula omissa, in tertia 10, in quarta 11; postea in columna transuersa *x y*, in quinta & sexta ab *x* cellula ponantur 12, 13; postea regressus ad columnam transuersam *l m*, in cellulis ab *m* septima, octaua, & decima repone reliquos secundi ordinis numeros 14, 15, 16. Tertij ordinis numeros ita pones in columna transuersa *o n*. In prima cellula ponantur 17; deinde omissis duabus cellulis, in quarta 18, & in quinta 19; postea in columna transuersa *t v*, in sexta & septima à *t* cellula repones 20 & 21 deinceps; deinde regressus ad derelictam columnam *o n*, in octaua, nona, & duodecima cellula repone reliquos tertij ordinis numeros 22. 23. 24. Quarti ordinis numeros sic dispones. in prima areola *q* ponantur 25; deinde in columna transuersa *r s*, in cellulis ab *r* quinta & sexta depone 26, 27; & in columna *p q* in septima & octaua à *q* areola collocentur 28, 29; & in columna *r s* in areola ab *r* nona & decima 30, 31; postea in prima columnæ *p q* areola ponantur 32. Quinti ordinis numeros hoc pacto distribues. in columna *r s* in vltima areola ab *r* incipiendo, ponito 33; postea in columna *p q*, in quinta & sexta à *p* cellula, 34, 35; & in columnæ *r s* cellula ab *s* septima & octaua ponantur 36, 37; & in columnæ *p q* nona & decima à *p* cellulis 38, 39; & in prima cellula columnæ *r s* ab *r* incipiendo, reponantur 40. Sexti ordinis numeros ita coordinabis. In columnæ transuersæ *t v* prima cellula ab *v* pone 41; & in quarta ab *v* 42, in quinta 43; postea in columnæ *n o* cellula ab *n* sexta & septima 44 & 45; & in columnæ *t v* octaua & nona ab *v* pone 46, 47; & in duodecima columnæ eiusdem 48. Septimi ordinis numeros ita distribues. ponantur in columnæ *x y* prope *y* 49; & ab hac in transuersa serie in cellula tertia & quarta pone 50, 51; in columnæ verò *l m* cellula ab *l* quinta & sexta pone 52 & 53; & in columnæ *x y* ab *y* septima & octaua pone 54, 55; & in decima eiusdem seriei 56; & habebis omnium numerorum dispositionem ritè peractam. Quoniam verò extra quadratum *a b c d* constituti viginti quatuor numeri in viginti quatuor vacua spacia distribuenda sunt; quomodo id fieri debeat, videamus.

In superiori itaque Rhomboidis cornu sex numeri sunt, 2. 3. 4. 5. 6. 7, quos ita distribues. 2 ponantur in columnæ transuersæ *c d* secunda à *c* areola; 7 pariter in secunda à *d* areola; 3 ponatur in tertia à *c* areola, & 6 in tertia à *d* areola; 4 ponatur in columnæ rectæ *f ξ* areola ab *f* quarta, vt & 5 in quarta ab *e* columnæ rectæ *e λ*.

Cornu lateris dexteri sex numeros 9. 17. 25. 33. 41. 49. ita distribues. 9 ponantur in prima cellula transuersæ columnæ *x y*; & 49 in secunda columnæ transuersæ *l m* areola; 17 ponatur in transuersæ columnæ *t v* areola tertia; 41 pariter in tertia columnæ transuersæ *n o*, areola; 25 po-

natur in quarta areola columnæ transuersæ *p q*, vt & 33 in columnæ *r s*, vt vides.

Porrò numeros in cornu inferiori Rhomboidis sic dispone. 58 & 59 in secundo & tertio transuersæ columnæ *a b* spacio ponantur; 62 & 63 in eiusdem columnæ sexto & septimo; 60 & 61 in oppositæ transuersæ columnæ *c d* areolis quarta & quinta locabis.

Cum numeris in sinistro cornu constitutis sic procede. 24 ponantur in area tertia columnæ *t v* ab *v* incipiendo; 32 in quarto spacio columnæ *p q*; 40 pariter in quarto columnæ *r s*; 48 in decima columnæ *n o*; 56 in nono columnæ *l m*. atque hoc pacto habebis dispositum quadratum Sigilli Mercurij, quorum singulæ series quomodocunque sumptæ, semper dabunt 260, quæ si per 8, latus quadrati, multiplices, prodibit summa omnium numerorum 2080. Qui hanc dispositionem rectè considerauerit, inueniet in omnibus mirabilem quandam, non confusam & casualem, sed summâ proportione procedentem rationem, quam libenter hoc loco declaram, nisi arti combinatoriæ singula reseruassem, vbi mira hæc dispositionis vis ex imis Arithmeticæ & Geometriæ penetralibus ex professo demonstrabuntur.

§ VII.

Constructio Sigilli Lunæ, Mathematica, siue quadrati 81.



Con-

Constructio Sigilli Lunæ fit ex 9 in 9 ductis, cuius summa 81, quadratum suppetit, cuius pro Sigillo Lunæ fabricam quærimus. Sic itaque operare. Fiat diagramma Rhomboidis figura, in quo 9 enneadicos ordines disponas per areolas διαγώνως dispositas, vti ex antedictis apparet. Quo peracto nihil faciliùs erit, quàm singulos in quatuor cornibus descriptos numeros singulis suis correspondentibus vacuis spacijs interserere. Modum vti nullam prorsus difficultatem habet, ita paucis tantùm indicabo. Cùm singula cornua septem numeros habeant, quæ sunt capita columnarum partim rectarum, partim transuersarum; supremi & infimi cornu numeri easdem columnas obtinent, quorum superiores caput columnarum, inferiores basin earundem obtinent; ita columna *D H* in capite 1 in basi 81, præfert; Numeri verò in cornu dextero & sinistro easdem columnas transuersales obtinent: Vnde transuersim instituenda est numerorum in quadratum *a b c d* translatio. Quibus declaratis, numeros supremi cornu *a D b* nullo negotio quadrato inserueris; si à prima vniuscuiusque columnæ deorsum decem areolas numeraueris; decima enim areola necessariò vacua illa erit, in quam numerus, quem frons columnæ præfert, translocandus est; v. g. si ab 1 intra columnam *D H* deorsum decem areolas numeraueris, decimá erit illa areola, intra quam 1 ponendum erit; pari pacto cum cœteris numeris procedes. Numeri verò inferioris cornu pariter sursum computando decimam quamque intra appropriatas columnas areolam habebunt, numero, quem basis columnæ appropriatæ præfert, paratam. Pari pacto numeri in cornu sinistro *a G c* in appropriatis columnis transuersis, decimam semper areolam inuenient, translocando numero, quem quælibet columnæ sinistræ pars præfert, capacem. Numeri quoque in dextro cornu *b E d* singuli intra suas columnas transuersas decimam cellulam præparatam inuenient, numero, quem dextra columnæ pars præfert, recipiendo. v. g. 73 locabitur in decima areola transuersæ columnæ *G E*, & 9 intra eandem columnam sinistrorsum, in qua ponatur, inuenient. Atque hoc pacto totum quadratum nullo prorsùs negotio suis numeris repletum habebis, in quo numeri singularum columnarum, siue rectarum, siue transuersarum, siue diagonalium, additi semper 369 producent, quæ per 9 latus quadrati multiplicata, dant summam omnium numerorum 3321.

§ VIII.

De quadratis cubicis.

Qvàm admiranda vis sub numeris lateat, id solùm peritiæ Arithmeticæ expertem latere posse existimo. Diximus in præcedentibus de Sigillis septem planetarum, quæ ex septem quadratis 9, 16, 25, 36, 49, 64, 81, quorum radices sequuntur. Vis latitans in numeris.

1 2 5

□	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
□	9	16	25	36	49	64	81
℞	3	4	5	6	7	8	9

Modò dicendum superest de cubicis quadratis, præsertim cùm nec Veteres, nec Moderni, arcanam huius, (quod sciam,) progressionis rationem subolfecerint; quod si scissent, haud dubiè sicuti septem quadratos, septem siderei Mundi corporibus, eorumque Genijs, ita hosce cubicos quadratos septem elementaris Mundi Classibus Genijsque præsidentibus dedicassent; sed Oedipi officium & in hoc hucusque fortassis incognito artificio eruendo exequamur.

Quid sit cubicum quadratum. Cubicum quadratum nihil aliud est, quàm progressionis Geometricæ ab vnitate sub dupla proportione continuatæ numerorum series tot terminorum, quot quadratus quispiam numerus vnitates habet. v. g. si quispiam desideret constituere quadratum cubicum, quod quadrato 9 ex 3 in se ductis producto correspondeat, sic operetur. Ponantur sub Geometrica progressione ab vnitate 9 termini, vt sequitur.

Dispositio numerorum.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9
T	1	2	4	8	16	32	64	128	256 V

Exemplum in numero impari. Hos terminos eâdem prorsus ratione quadrato *a b c d* inseres, quam supra paragrapho primo in quadrato nouenarij Saturni docuimus. Sed exemplum demus. Describatur diagramma Rhomboidis, vt vides.



In qua datam Geometricam progressionem *T V* ordine collocabis, vt fig. signat. Deinde hosce numeros eâdem lege intra vacuas quadrati *a b c d* cellulas transpones, quâ in quadrato 9 factum est: videlicet 1 intra oppositam cellulam quartam à prima 256 sursum versus in oppositam quartam cellulam, 4 verò in quartam sinistrorsum, & 64 in quartam cellulam dextrorsum progrediendo transpones, vt vides, habebisque quadratum cubicum, in quo singuli ordines transuersi, recti, diagonales, eundem numerum dabunt; hâc tamen differentiâ, quod vti numeri in quadratis præcedentibus additi eundem numerum efficiunt; ita ij hîc non addendi, sed in se inuicem multiplicandi sunt, vt eundem numerum habeas; hoc enim pacto singulorum ordinum numeri in se multiplicati, dabunt 4096, vt sequitur,

8	256	2	8	4	128	2	8
4	16	64	256	16	1	16	16
128	1	32	2	64	32	156	32
4096	4096	4096	4096	4096	4096	4096	4096

Multiplicationis methodum ostendamus in primo ordine: 8 multiplicabis per 4; & productum 32 multiplicabis per 128, & habebis 4096. haud secùs in alijs procedendum esse putes.

Quadratum cubicum.

8	256	2
4	16	64
128	1	32

Dedimus exemplum in numero impari, iam in pari quoque subiungemus exemplum. Si itaque quispiam in quadrato ex 4 in se ducto, hoc est sexdecim cellularum, negotium attentare voluerit, is hoc pacto procedet: Numeri 16 sub continuatæ Geometricæ progressionis duplæ proportionis ordine ponantur, vt vides. Exemplum in numero pari.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
1	2	4	8	16	32	64	128	256	512	1024	2048

13	14	15	16
4096	8192	16384	32768

Hosce numeros eodem pacto inscribes, quo suprà in secundo paragrapho factum est in confectione quadrati Iouis 16; hâc tamen differentiâ, quòd sicuti ibi per sexdecim numeros progressione naturali dispositos progressus es, ita hoc loco numeros sexdecim disponas eo ordine, quem præcedens Geometrica progressio seruat.

a		4	2		*b*
	8	8192	16384	1	
128	256	64	32	2048	16
2048	16	1024	512	128	256
	32768	2	4	4096	
c		16384	8192		*d*

Numerorum extra quadratum existentium in quadratum *a b c d* translationem, eo prorsùs modo, quo in quadrati confectione fecimus, perages, & inuenies quòd singuli numerorum laterales ordines non additi, sed vt in præcedente factum est, multiplicati in se inuicem, præstent eundem prorsùs numerum.

Cœtera quadrata cubica, ob ingentem numerorum molem, alijs maiori otio præditis nonnullam quoque inuentionis materiam relicturi ex progressionibus emergentem consultò omisimus, nobis interim abstrusi nego- Meus Authoris indicare viam magnis Ingenijs in hac materia.

nego-

negotij portas aperuisse, alijsque viam monstrasse ad reliqua & innumera alia similia pari ausu & dexteritate reperienda sufficiat.

Atque hæc sunt, quæ de septem planetariorum Sigillorum constructione dicenda putauimus; plura sanè & innumera alia de arcana numerorum dispositione producere poteramus, verùm nè præfixum nobis scopùm transilire videremur; ea omnia cum fusissimis demonstrationibus alijs Operibus oportuniùs reseruare voluimus. Porrò restat, vt iam, quænam Veteres sub huiusmodi numerorum abdita digestione mysteria innuerint, videamus.

CAPVT VI.

De vsu, effectibus, mysterijsque, seu potiùs superstitionibus, quæ sub dictis Sigillis latere Veteres opinabantur, vnà cum eorum confutatione.

Sententia Antiquorum putantium omnia, quæ in Mundo sunt, esse producta iuxta numeros in mente Dei latentes.

COmmunis Veterum Philosophorum sensus fuit, species rerum se habere vt numeros, & iuxta numeros in mente Opificis latentes, Mundum, & omnia quæ in Mundo sunt, producta fuisse. Quemadmodum enim sub certis numerorum terminis miræ quædam proprietates potestatesque latent, quamuis confusæ & indefinitæ; ita mirabilem eos incredibilemque connexionem ad inuicem habere certum est, quas solus ille nouit, qui numerorum naturam probè nouit, quique per artificiosam dispositionem, translocationem, digestionem, atque combinationem eorum connectendorum singularem peritiam nactus fuerit. Pari pacto in rerũ natura innumeræ rerum species occurrunt, quæ tametsi confusæ & indefinitæ videantur, omnes tamen mirâ quâdam concatenatione in vnam conspirant harmoniam, vt is solus reperiet, qui iuxta dictorũ numerorũ idealem dispositionem, rerum species aptè & peritè concinnare, & per combinationes analogas, has ad illas aliasq; adaptare nouerit. In hisce rebus mundialibus ritè concinnandis præ cœteris mirâ quâdam industriâ Ægyptios præditos fuisse, totum hoc opus passim ostendit, cùm singulos rerum naturalium gradus tùm ad Cœlestis, tùm ad Genialis Mundi gradus tam aptè associare nouerint, vt datâ quâlibet sublunaris Mundi specie, statim & astrum, & Intelligentiam correspondentem assignârint; quibus inuestigatis fieri non posse sibi persuadebant, quin admirandos & prodigiosos in rerum congrua applicatione effectus producerent. Putabant enim singulos numeros sibi correspondentes habere Genios in mundana œconomia; quos cùm in phalanges ineffabili quodam artificio coordinatos intuerentur, eos numeros ipsis naturaliter insitos, & in quos mirâ quâdam vehementiâ propenderent, simili artificio disponere studebant; quibus quidem nihil ad eos, veluti genuinis, eorumque custodiæ commissis rebus, attrahendos efficaciùs, nihil potentiùs esse sibi persuadebant. Verùm cùm nulla reconditorum naturæ mysteriorum tractatio, si veræ fidei lumen desit, sine næuo & dæmoniaci commercij commistione, rectè transigi pos-

Vis numerorum sibi correspondentium iuxta Ægyptios.

Inuestigatio mysteriorum naturæ sine fidei lumine est mera superstitio.

possit; hinc factum est, vt ij in enormium quoque superstitionum præcipitia deducti, animæ corporisque felicitatem, quam tam sollicitè quærebant, tam studiosè ambibant, ab humani generis hoste miserandum in modum illusi deiectique, perdiderint; atque in eandem abyssum omnes posteri, qui eorum vestigia sectantes, talibus illicitè vsi sunt, lapsi sunt, potissimùm Arabes, qui præ omnibus hanc artem ab Ægyptijs hæreditatam, inter maxima mysteria collocatam ad cœteras Mundi nationes propagare contenderunt. Sed quid sibi per huiusmodi superstitiosas machinationes polliceantur, videamus. Et quamuis hæc omnia in Cabala Saracenica iam fusè descripserimus; quia tamen multa ibi omisimus, hìc ea denuò exponere visum fuit.

Arabes Ægyptiorum superstitiones ad posteros transmiserunt

Dictis itaque septem planetarum arithmagicis Sigillis, septem præparant metallorum laminas dictis planetis appropriatas, in quibus congruo tempore & hora vbi dictas figuras inciderint, omnia se facere posse eorum ope stolidè sibi persuadent. Sed videamus phanatica deliramenta.

Sigillum Saturni.

Dicunt Arabes in Cabala Saracenica allegati, Sigillum hoc Saturni, si quis dominante Saturno in plumbea lamina inciderit, opem ferre parturientibus, potentem hominem ac tutum ab hostibus reddere, atque ita gratiosum præstare, vt à Principibus aliquid postulans nunquam repulsam sit passurus; si verò incisio facta fuerit Saturno impotente, mortalium, ædificijs, arborum plantationibus, omnibusque machinis impedimentum esse, de altissimo dignitatis gradu ad fortunam abiectam detrahere, rixasque & turbas, cùm libitum fuerit, ita parare & nutrire, vt vel inuictos exercitus scindere & fugare posit. Hæc Abenpharagi. Ecce quomodo nihil sine Astrologica vanitate & insania in hisce nugamentis conficiatur. Abenmorgun Arabs alijs verbis vsum eius describit in tract. de Sigillis septem planetarum, vbi hæc habet in Arabico idiomate in Latinum translata: *Hæc figura si die & hora Saturni, Saturno in domibus Libra vel Aquario constituto, scribatur in pergameno Virgineo, & fumetur cum alumine & assa fœtida, & parturienti ad collum ligetur, tunc parturiet felicissimè. Si verò incidatur in plumbi lamina Saturno retrogrado, & Luna decrescente, & posuerit illam figuram in ædificio nouiter cepto; tunc illud ædificium nunquam perficietur; & vbicunque hæc figura ponitur in die & hora Saturni, ibi infelicissimi spiritus Saturni omnes rixas & perturbationes mouebunt. Saturnus habet 45 in numeris, & ponuntur tria per tria, tùm in omnibus locis prouenient 15., oportet tamen omnia ad manum dextram effici, & oportet adscribere diei & horæ nomen, & veri Angeli, planetæq. characterem.* Sed quid tot obseruantiæ, tot stolidæ machinationes ad rem faciant, dispicere non possum. Manifestum igitur hìc pactum latet cum eo, qui cùm totius nequitiæ Author sit, facile ad suæ voluntatis faciendos illusos huiusmodi machinatores, rebus petitis annuere solet. Figura sequitur.

Deliramenta Arabum de Sigillo Saturni.

Abenpharagi.

Abenmorgun.

Sed



Sed explicemus figuram. Ad Sigillum maioribus mysterijs insigniendum, intra circulum trigonum depingunt æquilaterum, ad radicem quadrati ternariam indicandam. In segmentis, figuræ spectantur exoticæ. Characteres in primo segmento A B significant signum ♎, quæ est domus Saturni, suntque characteres ex magica Gymnosophistarum schola profecti, vt suo loco docebitur. In secundo segmento EDC collocati characteres significant ♑ Capricorni signum. In tertio segmento F G H positi characteres indicant ♒ Aquarij signum. Intra trigonum ponuntur quatuor principalia spirituum Saturninorum nomina, *Beel*, *Casziel*, *Michathen*, *Datquiel*; quorum naturam dicunt esse maleuolam & odiosam; reliqua nomina *Pechnochan* indicant diem Sabbati, *Ieboin* horam 1. Saturni. Vides mysteria stolida, quibus naturalia numerorum mysteria obuelare conantur Magi, vt & nugamenta maiorem venerationem apud rerum imperitos nanciscantur. Si quis itaque huius farinæ Sigillum à quopiam portari viderit, is charitate Christianâ monere eum tenebitur, de latente sub eo Satanicæ machinationis fraude ad animæ perniciem institutæ; quare velis remisque fugiendum, imò mox igni tradendum: quod & de secuturis Sigillis sentire debent omnes timoratæ conscientiæ homines. Sed procedamus ad secundi Sigilli vsum.

Sigillum Iouis.

Sigillum secundum Iouis est, in quo quot puncta, tot superstitiones sunt; de quo sic loquuntur suprà citati Authores Arabes. *Iuppiter est fortuna, & Dominus sexti Cœli; vtimur illo ad bonum. Vide ergo quando est in aliqua domuum suarum, aut in exaltatione sua, aut trinus, aut facie directus, & in ascendendo crescens lumine Luna crescente; tunc scribe tabellam eius, quam scriptam suffumigabis cum ligno aloës & mastyche, & porta; lamina verò sit argentea, & suffumigetur cum aloë & ambra; & dum fit suffumigatio, dic adiurationem sequentem, & fiat die & hora Iouis.* Adiurationem, vtpote indignis rebus refertam, nè teneris mentibus scandalo simus, libens omitto. Putant

Superstitio Sigilli Iouis.

autem

autem hoc amuletum portatum lucris & mercibus optatum exitum adferre, diuitias amplificare, hominum gratiam & amorem, præsertim mulierum hominibus conciliare, pacem ereptam ex sententia restituere, concordiam augere, placabiles inimicos efficere, honores, dignitates, & consilia confirmare. Hisce nugis se recreant illusa mortalium pectora.



Sed explicemus figuram, cui præsens Sigillum inclusum cernitur, quadrato circulo inscripto; in cuius segmentis characteres gymnosophistici indicant signa Zodiaci siue domus Iouis: in primo segmento positi characteres indicant signum ♋; in secundo ♐ Sagittarij; in tertio ♓ Piscium; in quarto habentur illa duo nomina, quæ indicant diem & horam Iouis, in qua amuletum conficiendum est: intra quadrati Sigillum ambientis segmenta ponuntur quatuor Angelorum Iouiorum nomina, quæ sunt *Satquiel, Raphiel, Pahamtotihel, Assasyhel*, quos dicunt ad gaudium, hilaritatem, familiaritatem, & omnem beneuolentiam propendere; quæ omnia nomina corruptissima sunt, & partim ex Hebræo, partim ex Arabico à maleferiatis hominibus, nec non supina ignorantia fœdatis extracta sunt. Et vt maiorem hoc Sigillum vim obtineat, in tergo amuleti apponunt aliud characteristicum, vt in figura apparet; de quo sic Abenmorgum; *Atque hæc figura magnum secretum innuit, & interpretantur eam his verbis; Portator felix, benignus, honorandus, iustus, clemens, castus, pius, pax.* Sed relictis alijs innumeris vanitatibus, ad tertium Sigillum properemus.

Sigillum Martis.

Sigillum tertium Martis, eiusque vsum fabulosum ac superstitiosissimum sic describunt Arabes. Si quis figuram Marte ascendente in ferrea lamina, vel in ense ipso inciderit, aiunt, quemlibet in pugna robustum, fortemque, & terribilem Aduersarijs, ac victorem in prælio; in iudicijs præterea & petitionibus voti compotem reddi. Si verò descen- Vsus fabulosus Sigilli Martis.

dente Marte in æris rubri lamina incidatur, referunt, hanc noua ædificia remorari, & quos libuerit ex summo honorum, diuitiarum, ac dignitatum gradu præcipitare, discordias, seditiones, & odia insatiabiliter, & hominibus & belluis creare, apes, columbasque; & pisces fugare, venantium, belligerantiumque spem frustrare, tàm bruta, quàm vtriusque sexus homines infœcundos & steriles reddere, hostes obuios & terrore afficere, & ad honorem sibi deferendum compellere, & sexcenta alia effectuum monstra prodere. O hominum tot ac tantis insanijs se intricantium cœcitatem! si enim hasce vires obtineret Martis lamina, væ Monarchis, væ inimicitijs dissidentibus, væ inuidiam sustinentibus, væ iustitiam rigorosam exercentibus. Certè contra hosce machinatores, nec Reges, nec Principes, nec Respublicas, aut vllum humani generis statum amplius securum fore, atque adeo Mundum iam dudum defecisse, certum foret.



Figuram Sigilli Martis sic adornant: In circulo describunt pentagonum, ad latus quadrati Martis, quod 5 est, indicandum; & intra pentagonum, quadratum Martis 25, numeris suis digestum. In segmentis characteres signorum continentur, sub quibus lamina incidenda. Primi segmenti characteres indicant ♑ Capricornum; secundi ♏ Scorpionem; tertij iterum ♏ Scorpionem; quarti & quinti ♈ Arietis signum notant: in angulis verò pentagoni nomina Angelorum Martialium, quæ sunt *Panaflor*, *Ytnarchiel*, *Samphel*, *Annabil*; nomina ex pacto conflata. Character in medio *Panaflor* & *Iebion* Martis est; *Iebion* primam diem & horam Martis indicat.

Sigillum Solis.

Sigilli Solis apparandi modus & vanissimi effectus. Abenpharagi.

Solis Sigillum hoc apparabatur artificio ab Arabibus; (verba cito Abenpharagi:) *Accipe sex drachmas auri puri, & fac ex eo laminam rotundam, in qua insculpes tabulam Sigilli die & hora Solis existentis in sua exaltatione, vel in proprio gradu Arietis, vel decimo nono gradu Arietis, scilicet ad finem mensis*

Nisan.

Nisan. quo facto, suffumigabis eam cum croco, & lauabis ipsam cum aqua rosacea, in qua sint dissoluta muscus & camphora; deinde inuolues eam in panno serico croceo, & portes tecum. Reddet te benè fortunatum in omnibus rebus, & timebunt te omnes homines, & impetrabis à Regibus & Principibus quicquid volueris pro te, vel per nuncium aliquem ad illos missum, & recuperabis amissa, & Deus ponet benedictionem in te, & in omnibus rebus tuis. Et in figura Solis, & in Sigillo eius quod à tergo scribi debet, est magnum secretum, & vocatur creator, lux, perfectus, potens, gloriosus, vita, virtus, refulgens, magnus, & virtute lucens. Angeli autem Solis sunt, Anaël & Raphaël. Figura sequitur.



1	32	34	3	35	6
30	8	27	28	11	7
20	24	15	16	13	23
19	17	21	22	18	14
10	26	12	9	29	25
31	4	2	33	5	36

Hoc Sigillum Solis ita conficiunt. In circulo describunt primò hexagonum, & intra hexagonum (quod lateris seu radicis quadrati Solis index est) quadratum numericum; in segmentis verò circuli ponunt characteres signorum sub quibus operatio instituenda est; in primo, secundo, & tertio segmento characteres indicant ♈; in quarto, quinto & sexto segmento characteres ♌ Leonis ponuntur: intra verò angulos ponuntur nomina Angelorum Solarium *Eaphahel, Thardihel, Hegeagstgete, Raphaël*; quos putant ad omnem humanitatem, mutuumque amorem esse propensissimos: nomina Iebion indicant diem & horam Solis, quâ conficienda est lamina. Atque hæ sunt vanitates in hoc Sigillo obseruandæ, igni quàm luci Solari aptiores.

Sigillum Veneris.

Veneris Sigillum ita conficiunt, teste citato Authore Arabe; (verba eius cito:) *Die & horâ Veneris accipe tres drachmas optimi argenti, vel æris albi, Venere existente in ♓, vel ♉, vel ♎ Libra domibus proprijs, & sit sine aliquo malo aspectu, vel incursu, directa & augmentata in lumine; & fac laminam, in qua insculpes figuram Veneris. quo facto, suffumigabis eam cum ligno aloës, & ambra, & mastyche; & inuolue eam in panno serico albo, & porta tecum.* Ratio conficiendi Sigillum Veneris.

cum. Et præmissa adiuratione (sine qua nihil efficias) omnium amicitiam sibi se conciliare posse, discordias tollere, seditiones dirimere, sterilitatem auferre, maleficia soluere, greges & armenta fœcunda reddere, a bili atra homines ad vitæ hilaritatem reuocare, stolidè se posse existimant. Descendente verò Venere contrarios aiunt hanc effectus præstare. Vidimus nugas, iam Sigilli rationem consideremus.



Intra circulum primò heptagonum describunt, & intra heptagonum figuram quadrati Veneris; intra segmenta circuli characteres gymnosophisticos describunt, signi Zodiaci indices, quibus operatio oportunè instituenda; in primo, secundo, tertio, & quarto segmento ponuntur characteres Magici, signi ♎ Libræ indices; character in quinto ♓ Pisces indicat; in sexto, & septimo ponunt ♉ Taurum, signum exaltationis Veneris. intra heptagonum verò nomina Angelorum Venereorum collocant, qui sunt *Requiel, Saquiel, Anahel, Hamahel, Kalactin*; quos stolidè asserunt, ad gratas coniunctiones, voluptates, & amores propensissimos. Nomen *Iebion* indicat primum diem & horam primam Veneris, sub qua fanatica praxis auspicanda. A tergo verò Sigillum ponunt, quod suprà citatus Authoꝛ dicit magnum arcanum, non nisi phantasticis Philosophis notum: eius significationem ait esse idem, ac *Sator* dulcis, prouocator coiunctionis, lætitiæ, amoris, & veræ dilectionis; si Dis placet credere.

Sigillum Mercurij.

Modus fabulosus consecrandi Sigillū Mercurij.

Sigillum Mercurij ita consecrant. Accipiunt quinque drachmas optimi & purissimi argenti siue electri, die & hora Mercurij, ipso existente forti fortunato, & conficiunt laminam, fumigantque ipsam cum ligno aloës, charyophyllis, & mastyche; deinde insculpunt quadratum numericum Mercurij, & portant secum; aiuntque per eam quæcunque petierint, se obtenturos. Hanc ponunt in loco alicuius prædij, & putant om-

omnia illa bona multiplicatum iri. Et si eam figurent in annulo, vel vitrea ampulla, die & hora Mercurij, primis septem lunationibus, & in quadrato Lunæ, & conseruent figuras postea lotas aquâ mundâ, & portatâ per triduum, quo non comedant nisi panem, cum melle, & vuis passis; & denuo dictam figuram insculpant in Agate griseo, & cum ligno aloës suffumigent; aiunt portantem ipsam omnibus gratiosum fieri, diuitias augere, memoriæ perditæ vim recuperare, mentis aciem illustrare, plenam diuinandi scientiam acquirere; verbo, innumera alia deliramenta circa vires huius amuleti proferunt, quæ æternis tenebris supprimere, quàm eam luci dare præstaret. Sed explicemus figuram eius.



Primò inscribunt in circulo octogonum lateris, seu radicis quadrati Mercurij numerici, quod intra octogonum describunt. deinde octogono circumponunt characteres magicos, qui significant operationem in ♊ Geminis & ♍ Virgine, quæ sunt domus Mercurij, instituendam; postea intra octogonum quatuor Angelorum Mercurialium nomina, quorum naturam benignam, ingeniosam, libenter alijs condescendentem putant, vt vides, ponunt. *Iebion* primum diem & horam operis faciendi indicat; huic à tergo aliud adiungunt magnatum, vt ipsi sibi imaginantur, virtutum, quorum characterum sensus hic est: Euocator, vox rationalis & sapientis, acutus, & cuncta prophetizans.

Sigillum Lunæ.

Sigillum Lunæ sic conficiunt. (verba Arabum sunt.) *Accipe pergamenum virgineum die & hora Lunæ in augmento excellentis fortunæ, liberæ ab infortunijs; scribe hanc tabellam cum musco & croco dissolutis cum aquâ rosacea, & suffumiga cum semine cucumeris vel cucurbitæ, & camphora; & adiuratione peractâ plicatum pergamenum pone intra tubum argenteum, & porta tecum: valet ad impetrandas res nobiles & pretiosas; in itineribus quoque nullum maligno-*

Ratio conficiendi Sigillum Lunæ, & consequentia deliramenta.

gnorum occurſum curabis. Verùm vide quæ de hiſce plura dedimus in Cabala Saracenica, vbi & Arabica verba citauimus. Figuram hoc pacto deſcribunt.



In circulo ponunt enneagonum, indicem lateris quadrati Lunæ; quod & intra enneagonum ponitur; in ambitu enneagoni magicos ponunt characteres, qui indicant ſigna Zodiaci, vel domus Lunæ, in qua, vt valorem ſuum fanaticum machinamentum obtineat, exiſtat, neceſſe eſt. Intra enneagoni latera ponunt Angelorum Lunarium nomina, vt vides; & *Iebion*, quæ vox ſemper indicat diem & horam Lunæ, quâ operatio perficienda. A tergo ponunt aliud Sigillum magnæ, vt arbitrantur, virtutis, cuius characteres hæc verba referunt: *Dominatorem, benignum, defenſorem, & cuſtodem.*

Verùm vt Lector curioſus, quid exotici huiuſmodi characteres velint, quid ſignificent, ſtatim cognoſcere poſsit, hic integram eorum nomenclaturam & interpretationem, nè anxius Lector in ſequentibus (occurrent enim ij ſæpeſæpiùs) hæſitet, apponere viſum eſt. Hi characteres & Orientalibus & Occidentalibus communes ſunt, ex ſegmentis circuli, linearumque ductibus arcanè formati, partimq; ex hieroglyphica Ægyptiorum, partim ex gymnoſophiſtarum Schola prodierunt, vt ſuo tempore & loco ſuſiùs oſtendemus; quibus naturam & proprietatem Planetarum, & duodecim ſignorum Zodiaci exprimebant, ac formale cum dæmone pactum, quod à primi eorundem inuentoris intentione dependet, includunt, ſuntque ſequentes.

Cha-

Characteres duodecim Signorum.

Aries
Taurus
Gemini
Cancer
Leo
Virgo

Libra
Scorpio
Sagittarius
Capricornus
Aquarius
Pisces



Sequitur nomen cuiuslibet Signi.

Aries	*Sataaran*	Libra	*Grasgarben*
Taurus	*Bacdal*	Scorpio	*Richol*
Gemini	*Sagras*	Sagittarius	*Vhnori*
Cancer	*Rahdar*	Capricornus	*Sagdalon*
Leo	*Sagham*	Aquarius	*Aecher*
Virgo	*Iabadara*	Pisces	*Rasamara*

Nomina septem dierum.

Sathi	*Pegnochan*
Solis	*Hegeagsigete*
Lunæ	*Seboldrachon*
Martis	*Panaslaor*
Mercurij	*Bermatac*
Iouis	*Bietenn*
Veneris	*Kalcutin*

Sequuntur nomina horarum diei, & prima incipit cum Ortu Solis.

Prima	*Iebron*	Septima	*Iocolos*
Secunda	*Generum*	Octaua	*Iasoin*
Tertia	*Rampur*	Nona	*Baronn*
Quarta	*Oelghin*	Decima	*Rabon*
Quinta	*Ecabet*	Vndecima	*Iebrin*
Sexta	*Corabor*	Duodecima	*Rachalon.*

Hæc sunt nomina horarum noctis, quarum prima incipit cum Occasu Solis.

Prima	*Hanen*	Quarta	*Allahayr*
Secunda	*Labczerin*	Quinta	*Camaysar*
Tertia	*Cabor*	Sexta	*Zaren*

Se-

Septima	*Iafor*	Decima	*Maſtho*
Octaua	*Cuniali*	Vndecima	*Halacho*
Nona	*Zeffar*	Duodecima	*Sellen*

Sequuntur ſeptem Planetarum characteres.

Saturnus	♄ Κρόνος
Iuppiter	♃ Ζεύς
Mars	♂ Ἄρης
Sol	☼ Ἥλιος
Venus	♀ Ἀφροδίτη
Mercurius	☿ Ἑρμῆς
Luna	☾ Σελήνη

Atque hæc ſunt quæ de ſeptem Planetarum Sigillis, occaſione ſeptem quadratorum numericorum, dicenda putaui; quæ haud dubiè Ægyptiorum dogmata olent, quæque Arabes Ægypto vicini tanquam ſacroſancta, ſua in phrontiſteria receperunt, ab his Europæi, ita vt vix ex ijs, qui Aſtrologiam characteriſticam profitentur, ſint qui ea non ſectentur. Inter cœteros verò ea ab inferis reſuſcitata, ſummo ſtudio coluit Paracelſus impoſtor, qui fuſè ea in ſuis archidoxis deſcribit, vt proinde attonitus hæream, quâ ratione tandem fieri potuerit, vt homo philoſophus animum ſuum tam inſanis, indignis, ſtolidis, & nullam in natura fundamentum habentibus commentis addicere potuerit, & voluerit. Verùm ſic fit, dum rectæ fidei tramite relicto, peregrina & perniciosa dogmata ſectantur; quibus imbibitis, nihil faciliùs eſt quàm in aperto Diaboli laqueos cum animæ iactura incidere. Hinc omnes curioſioris doctrinæ cupidos in huiuſmodi vſurpandis cautos eſſe velim. Cùm enim pactum apertum, quemadmodum dixi, cum dæmone inuoluant, minimè ea licita eſſe ſibi perſuadeant; verùm à ſancta Matre Eccleſia, tanquam ex Dæmonum officina profecta, iam dudum proſcripta & eliminata fuiſſe ſciant; cùm tantarum virium, quas dicta amuleta obtinere retulimus, nulla cauſa naturalis, aut efficientia phyſica aſſignari poſſit: ac proinde effectus, ſi quidem nonnulli ex eorum applicatione conſequuntur, aliunde non prouenire, niſi ex attractu, per pactum initum cum Dæmone, indubitanter credant. Neque cauſam horum effectuum ſupernaturalem eſſe putes, cùm Deus Opt. Max. vti & Angeli ad ea, quæ malum præciſè inuoluunt, cuiuſmodi ſunt paſſiones peruerſæ, in honoribus & diuitijs comparandis ambitioſum ſtudium, in amore mulierum conciliando væ-

Aſtrologi quanti faciāt cum Paracelſo ſeptem Sigilla.

In quibus ſemper intercedit pactum cum Dæmone.

Nam Deus non concurrit ad ea quæ malum præciſè inuoluūt.

cors

cors pruritus, similibusque luxuriæ & libidinis irritamentis procurandis anxia cura, omnia denique, quæ ad tranquillitatem, pacemque publicam perturbandam, & ad innumera proximo mala inferenda assumuntur, concurrere nullâ ratione possint. Vnde satis mirari non possum, aliquos qui Christiani & nomine & religione haberi volunt, stolidissimam hanc Mahumedanorum characterolatriam, vti Diabolicis fundamentis nixam, ita innumeris superstitionibus expositam, tam anxiè sectari, tam studiosè inquirere, tanti denique facere, vt eam sacris Christianorum amuletis multis parasangis anteponere non erubescant. Ex quo capite meritò in huiusmodi vsurpantes, tanquam in Idololatras, Magos, impios, indignos qui communi aura fruantur, igne animaduertere solet sancta Mater Ecclesia. Nec sufficit occultam hîc naturæ vim nescio quo prætextu obtrudere, cùm nulla Magica operatio, quantumuis horrenda & impia, assignari possit, quæ non virus suum sacro occultioris naturæ velamine amiciat, tantò vtique periculosiori, quantò maiorem crucium, sacrorumque nominum suppellectilem exhibet. Cùm itaque complura huius farinæ Sigilla vndique ad me tanquam ad interpretem nullo non tempore transmittantur, visum fuit, ea hoc loco peculiari indagine examinata, luci publicæ exponere, vt qui inciderint in huiusmodi impia machinamenta, ex cuius officina prodierint, cognoscerent, atque remis velisque tanquam apertam animæ corporisque imminentis naufragij scyllam & charybdin fugerent. Non diffiteor quidem, sub recensitis numerorum dispositionibus admirandas proprietates latere, quæ tamen non tam ad quidpiam efficiendum, quàm ad mirabilem illum rerum naturalium ordinem, progressum, dispositionemque veluti occultâ quâdam analogiâ & similitudine, quam dicti numeri exhibent, ostendendum, à priscis assumptæ fuerunt. Est ars combinatiua rerum magnum in Vniuersi natura arcanum, ad quod quicunque pertigerit, is verè Angelicæ mentis particeps, meritò beatus censeri debet. Angelicæ siquidem substantiæ, vti perfectissimam huius artis combinatiuæ notitiam habent; ita mirandos quoque effectus eius ope illas præstare, notius est, quàm dici debeat: dum enim actiua passiuis per rerum qualitatumque huiusmodi in diuersis entibus dispersarum continuam combinationem, applicant; quid aliud faciunt, nisi quòd numeros confusos in mirũ quendam atq; harmoniosum ordinem distribuant, ex quorum compositionibus, admirabiles deinde effectus producantur? Ad quam quidem perfectionem humani caducitas intellectus pertingere nequit, nisi per occultas quasdam similitudinum vmbras longâ rerum experientiâ notas; & vt meliùs dicam, singulari diuini influxus munere. Consistit autem hæc scientia in perfecta rerum omnium naturalium cognitione, qualitatum, proprietatumq; singularum notitia, in quantum Angeli intrinsecè, certò, & infallibiliter, cognoscunt, quæ sit singulorum ad inuicem proportio, connexio, & sympathia, quæ nam eorundem ad alia & alia dissensus, inimicitia, fuga, & ἀντιπάθεια; quibus iuxta numerorum formalium leges, aptè in vnum consociatis, miros effectus, imò prodigia nasci quis non videt? Non excepi-

cipimus ab hac ſcientia Dæmones, cùm ij, quæ ad naturalem intellectus operationē pertinent, integrè omnia & perfectiſſimè poſſideant. Hinc Intelligentiæ huius ſcientię ope fretę, multa operantur; quę intellectui noſtro merè ἀδύνατα videntur, tametſi ea extra naturæ limites minimè ſint conſtituta. Sicuti arcanioris Arithmeticæ imperitus, dum miras hoc loco numerorum propoſitas proprietates videt, tam inſolentes effectus nullâ ratione peruadere poteſt. Solus ille, quem Deus hoc dono beatum eſſe voluit, clarè omnia proſpicit, demonſtrat, diſperſos numeros in vnum mirâ dexteritate iungit; & ad horum exemplar, veluti ad quoddam Ariadnæ filum, in abdita arcanorum naturæ penetralia per latentium ſimilitudinum vmbras introducitur. Verùm cùm de hoc miro arcano ex profeſſo in Arte noſtra combinatoria, ſi Deus vitam dederit, agere conſtituerimus, ſuperuacaneum eſſe ratus ſum ijs hoc loco diutiùs inhærere.

SECTIO II.

De Geometria Hieroglyphica.

ADMODVM REVERENDO PATRI IN CHRISTO,

PATRI

IOANNI GANS SOC. IESV

Sacræ Theologiæ Doctori, Ecclesiastæ celeberrimo, & Sac: Cæs. Maiestatis à Confessionibus.

ΘEON ἀεὶ γεωμετροῦντα *Plato asserit. Est Geometria diuinæ mentis opus, quo omnia quæ Vniuersi ambitu continentur, numero exposuit, mensurâ definiuit, pondere librauit.* DEI *æmulus Diuini Verbi Præco, numero exponit omnia, dum vitæ eloquio ad diuinæ mentis similitudinem efformat homines; dum iisdem benè sanctéq; viuendi documenta præscribit, mensurâ definit; pondere denique librat, dum eos ad temperantiæ & iustitiæ semitas traducit. Cùm itaque non sacrorum duntaxat eloquiorum, sed & totius Mathæseos, Geometriæ potissimùm arcanorum consultus sis; meritò hoc* Tibi *de Geometria hieroglyphica argumentum dicandum statui. Quod si* Tuum *dixerim, rectè dixerim:* Tu *enim, vt possem, succurristi; ne languerem, corroborasti; & vt id tandem prodiret, eâ quâ apud Magnum Cæsarem polles authoritate, ardenter sollicitasti. Sit itaque hoc meæ in* Te *voluntatis, gratiq; animi, veluti Cedro perennius monumentum. Vale.*

SECTIO II.

PRAEFATIO.

Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *Nemo Geometriæ ignarus ingrediatur*, Portis Gymnasij Platonici inscribebatur; quâ Epigraphe quid sibi voluerit Plato, explicemus.

Scientia Geometrica ad cognitionem rerum inuisibilium ducit.

PRISCORVM seculorum Philosophi, lumine naturæ ducti, dum miras quasdam sub Geometrica quantitate proprietates annotantes, nescio quem naturæ in rerum productione ordinem intuerentur, hoc vnicum sategisse videntur, vt earum notitia freti, in sublimium rerum cognitionem deuenirent. Et cùm omnia sensibus exposita, suis punctis, lineis, superficiebus, corporibus constare viderent, fieri non posse sibi persuadebant, quin Opifex omnium hisce pro idea & exemplari quodam in primo Mundi conditu vsus fuisset. Fit ex motu puncti linea, ex linea in latum mota superficies, ex superficie in altum mota corpus. Quid hæc aliud denotant, nisi primæ & supramundanæ monadis in Mundum hunc sensibilem euolutionem? Aspexit hoc summus ille Plato, quando clamauit, Ὁ Θεὸς ἀεὶ γεωμετρεῖ; miratus est Trismegistus, dum Deum Circulum, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam pronunciauit; suspexit Pythagoras, dum Deum nunc Arithmeticum, nunc Musicum, nunc Geometram asseruit. Secuti sunt hosce omnes posteri Philosophi doctrinæ eorum sectatores, qui totam veritatis doctrinam non in alia, quàm in magnitudine, & multitudine comprehendi constanter asseruerunt. Hinc summus illé dictorum Philosophorum in Mathematicis amplexandis ardor & intensum studium, vt neminem magnum quandoque in Philosophia futurum putarent, qui rerum difficilium inquisitionem aliâ, præterquam Mathematicâ viâ aggressus fuisset. Et sanè ita est: cùm enim omnia, teste Paulo Apostolo, inuisibilia per ea quæ facta sunt, conspiciantur; necessariò fatendum est, omnia illa quæ sensui obijciuntur, inuisibilium rerum veluti quasdam imagines, adumbrationes, & catoptricas quasdam reflexiones esse, quæ lucis primogeniæ, ex qua omnia, simulacrum nobis ob oculos ponant, & explicent. Cùm verò ex sensibilium sectorum phantasmatis prima sumamus inquisitionis nostræ fundamenta; via quoque ad incerta, non nisi per præsupposita & certa esse possit; imagines, ex quarum transumptiua proportione incognita nobis & abstracta inuestigamus, dubiæ nemini esse debent, vti sunt pleraque sensibilia, quæ in continua quadam inconstantia & mutabilitate, propter potentialem materiæ miscellam in ipsis abundantem, agitantur. Hinc ijs potissimùm sensibilibus, quæ & abstrahunt à materia, & natura sua firma sunt, & certitudinem habent euidentissimam, cuiusmodi Geometrica, singulari studio adhæserunt, & ad hæc veluti ad Lydium quendam lapidem, contemplationum suarum energiam explorare conati sunt. Et tales fuisse Ægyptios, sat superque ex Geometricis figuris compacti, quos passim adducemus, hierogrammatismi demonstrabunt; hi enim vti primi literarum, Mathematumque inuentores, ita & eorum freti notitiâ, maxima quæuis superiorum entium mysteria & sacramenta, vt paulò post videbitur, indicabant.

Trina dimensio significat supremæ Monadis in Mundum hunc euolutionem.

Philosophorũ veterum in Mathematicis addiscendis ardor.

CA-

CAPVT I.

De Circulo, seu Sphœra hieroglyphica, vt est Imago Dei ex Monade in rerum omnium ambitus se euoluentis.

ARISTOTELES, cùm mirabilium & prodigiosorum effectuum causam, quæ circa vectem & libram cum magna omnium admiratione in mechanicis passim occurrunt, profundiùs scrutaretur, nullam aliam tandem inuenit, nisi stupendarum rerum maximè obstupescendum circulum. Nec immeritò: ex admiranda enim causa admirandos effectus procedere, rationi quàm maximè consentaneum est. Est autem circulus figura plana, vnâ tantùm lineâ contenta, quæ circumferentia nuncupatur, ad quam ab vno puncto, quod centrum vocant, omnes rectæ lineæ prodeuntes sunt æquales. In hac itaque figura maximè contrariorum existentia occurrit admiranda. Fit enim omnis circulus ex commoto & manente, vno quidem circini pede fixo stante, altero in peripheriam circumacto. Præterea maximè mirum est, lineam illam, quæ circuli orbem complectitur, Græcis ἀδίμιζον dictam, cùm omnis expers latitudinis sit, contrariorum quoque veluti admittere quandam conuenientiam, concauum scilicet, & curuum; quæ quidem eo modo sunt contraria, quo etiam magnum & paruum; horum enim medium est æquale, illorum verò rectum; omne quippe quod magnum est, vt fiat paruum, vel quod paruum, vt fiat magnum, necesse est, vt perueniat ad æquale, priusquàm ad extremum alterutrum peruenerit: ita linea curua, antequam fiat concaua, debet fieri quasi recta; & concaua, vt transeat ad conuexam & circularem, debet similiter priùs esse quodammodo recta.

Miranda Circuli ex Aristotele in mechanicis quæst.

Circuli definitio.

Circuli proprietas mirabilis.

§ I.

Circulus apud Aegyptios in magna fuit admiratione, & honore.

HAs mirabiles circuli qualitates ac virtutes Ægyptij minimè ignorasse videntur. Nam cùm rerum omnium in Mundi huius ambitu contentarum cyclicas quasdam veluti elucescentes συστάσεις intuerentur; supremi quoque illius Architecti, nescio quid sphœricum, tùm in seipso, tùm in operibus suis, quæ non nisi ad circuli exemplar facta, teste Plutarcho, sunt, affectantis spirales ideas cum summa admiratione contemplarentur; circulo diuinum quippiam inesse arbitrati sunt: adeo quidem, vt quandocunq; magnum quidpiam, mirabile, excellens, in quo nonnulla diuinitatis vestigia apparerent, indicare vellent, id apposito circulo seu sphœra demonstrarent. Inde Hermes ille verè Trismegistus diuinam naturam definiens, tanquam medium assumpsit circulum. Interrogatus enim, quid esset DEVS? Respondit, *Deus circulus est, seu sphœra intelligibilis; cuius centrum est vbiquè, circumferentia nusquam.* Cùm enim Deus

Veteres Circulo quiddam diuinum inesse putabant.

Trismegistus.

Deus non sit corpus, nec etiam esse possit, eò quòd summè simplex sit, quia omne perfectissimum oportet esse simplicissimum; omnis compositionis expers, eò quòd posterius componentibus sit omne compositum; ideo ad differentiam sphœræ corporalis, dicit esse sphœram intelligibilem. Vnde per centrum, quod est quid minimum, & simplicissimum, circumferentiæ comparatum, diuinam simplicitatem intellige; sed per circumferentiam, quæ est maxima, immensitatem diuinam accipe. Est ergo prædictæ descriptionis sensus: Deus est circulus, seu sphœra, id est, principio carens & fine, multò magis quàm circulus siue sphœra materialis; vt sic notetur eius æternitas; intelligibilis, vt notetur eius immaterialitas; cuius centrum, id est, indiuisibilis essentia vbique tota est; sed circumferentia eius, id est, immensitas nusquam est, quia à loco comprehendi non potest. Deum quoque centro circuli comparamus, circa quod omnia sunt, & à quo vniuersa ordine certo in Orbem procedunt, donec integra rerum vniuersitas absoluatur. Vt enim centrum nec magnitudo est, nec circulus, nec orbis, sed omnium & circulorum, & orbium principium; pari mensura & Deus nihil eorum est, quæ sunt in Mundo, nec Mundus totus, sed totius tamen Mundi principium. Ad hoc ergo centrum omnis creaturarum summitas terminatur, perinde atque in circulo omnes portiones per formam pyramidis à circumferentia in centrum finiuntur. Atque ex hac Trismegisti doctrina accepit Pythagoras noster cœremoniam illam, quam postea tradidit, nempe esse Deum circumactu corporis colendum θεοσκυνεῖν περιφερόμενον. Quod etiam Numæ Pompilij institutum fuisse, Author est Pierius Val. lib. 39. præcipiebat enim, vt priusquàm aliquis Deum coleret, verteret se in Orbem, factoque circulo cultum Deo exhiberet, quia illum venerabantur, qui per circulum, figuram perfectam, erat significandus. Plinius apud Pierium, *In adorando*, inquit, *dextram ad ortum referimus, totumque corpus circumagimus*:

Deus circulus est, & quomodo hoc intelligendum.

Deus centro circuli comparatur.

Pythagoræ dictum, Deũ circumactu corporis colendum, qui intelligendũ.

Pierius Val.

Plinius.

Sed eò, vnde digressi sumus, redeamus. Circulum itaque Ægyptij inter cœteras Geometricas figuras in maxima semper veneratione habebant, tùm ob dictas causas, tùm quia hanc Vniuersi molem circulari figurâ insignitam videbant. Hanc enim ex omnibus cœlo maximè competere, neminem latet; quod quemadmodum capacissimum, simplicissimum, & perfectissimum esse oportebat; sic in eius conditu capacissimam, simplicissimam, & perfectissimam figuram sapientissimus Architectus elegit. Perfectissimum enim est, cùm sua omnia possideat, nec fieri possit, vt iacturam vel minimam patiatur. Simplicissimum, quoniam, vt sentiunt Platonici, non est, ex quo fiat, aut in quod resoluatur, alioquin generationem & corruptionem incurreret. Capacissimum, quoniam nihil extra seipsum relinquit, sed vniuersa intus complectitur. At huiusmodi sphœram esse, inditio est, quòd eandem ad cœtera solida, quam ad sua plana circulus, habet comparationem. Primò quidem circuli figura est omnium Isoperimetrarum capacissima, adhæc perfectissima, quòd nullum incrementum decrementumque suscipiat; quin & simplicissima, quòd vnâ duntaxat lineâ contineatur. Sic & sphœra figura est solida, vnâ

Circulus in honore apud Ægyptios.

Cælo figura sphærica competit.

Platonici.

Proprietas Circuli & Sphæræ.

super-

superficie contenta, ad quam ab vno puncto centrali omnes rectæ lineæ ductæ sunt æquales. Ergo & sphœra capacissima est, quia pro termino circulum habet; est perfectissima, cùm non, sicut corpus angulosum, crescat vspiam, nec decrescat; quin & simplicissima, nam vnicâ superficie concluditur. Accedit ad hanc causam alia tantæ venerationis ratio, quòd per lineam rectam, circulumque prima, simplicissimaque fuit rerum tùm non existentium, tùm in naturæ latentium inuolucris, in lucem productio, repræsentatioque: sed circulus neque rectè, neque artificiosè sine puncto fieri potest; puncti itaque, monadisque ratione res & esse cœperunt primò, & quæ peripheria affectæ, quantæcunque fuerint, centralis puncti nullo modo carere possunt ministerio. His itaque demonstratis, restat, vt cur Ægyptij circulum & sphœram capitibus statuarum, vt ex plerisque Obeliscorum simulachris videre est, imposuerint, dicamus. Vix enim occurrit hieroglyphicum simulachrum, vbi non occurrat sphœricum aut circulare quidpiam; quæ tamen pro conditione adiectorum diuersas significationes habent. Globus, seu circulus capitibus simulachrorum impositus, semper aliquid diuinum, æternum, infinitum, figurat; seorsim verò positus vel Deum, vel Mundum, vel Cœlum indicat, vt in Obelisco Pamphilio fusè ostensum est, in Hierogrammatismo sphœræ seu circuli, & in III. Tomo copiosè ostendetur. Verùm vt hæc omnia luculentiùs patefiant, paulò altiùs ordiri visum est, repetendo nonnulla ex Obelisco Pamphilio.

Alia ratio cur Circulus in honore apud Ægyptios.

Consueuit antiquitas res hominum opinione religiosas & augustas studiosè venerari. Inter has maximè nobilis est circulus seu orbis quidam capiti aliquando circumscriptus, venerationis index, & Maiestatis quæ humanam excederet. Hic passim Imperatoribus, quos Veteres supra fastigium mortalitatis elatos suspiciebant, Prouincijs Orbis Romani, Vrbibus primarijs, animalibus etiam Deorum, circumpositus notatur. Et quod ad Augustos pertinet, extant numismata ænea Antonini Pij & Constantij, quorum meminit Laurentius Pignorius vir antiquitatis peritissimus in mensæ Isiacæ expositione. *Hunc orbem, ait, Ægyptij in summo capite simulachrorum suorum locabant; quod & hic, & alibi licet notare: ab illis Romanos sumpsisse licet suspicari, & variasse habitum decoris ratione, quòd capiti, cui diuinum aliquid inesse putabant, eo situ corona aptaretur; qui tamen ornatus in sequentium Principum moderatione, & tacito omnium consensu, Deo, & Sanctis eius, vt pleraque, in totum cessit, & antiquum diadematis nomen in hodiernum diem retinuit.* Hactenus Pignorius, cui fauent ea, quæ Pierius fol. 4. lib. 29. dicit. *Vnus circulus descriptus aut simpliciter, aut alteri cuipiam picturæ signoq; circumductus, nunc semper, nunc perpetuum & æternum, nunc omnia, quippe τὸ πᾶν, significabat Ægyptijs, nempe quòd in ea figura neque principium, neque finem inuenire sit; quod æternitatis est proprium.* Et paulò post: *Cuius etiam principij finisq; nusquam comparentis ratione habitâ, Ægyptij Deum ex hieroglyphico circuli intelligebant.* Porphyrius apud Eusebium c. 3. de præp. Pilam ab Ægyptijs, Dijs attributam testatur, hisce verbis: *Pila, & rotunda omnia Mundo, præcipuè Soli & Lunæ attribuuntur; in circuli figuram aras, templaq;*

Cur Ægyptij capitibus Deorum circulares coronas seu orbes imposuerint.

Laurentius Pignorius.

Pierius.

Circulus quid notet apud varias nationes.

Porphyrius.

Brissonius. *Iuppiter Cæli Circulus.*

plaq; figurabant. Persæ quoque, Brissonio teste, *Cùm Iouem Cœli Dominum dicerent, sacrificia illi facere putabant, vbi celsissimam speculam conscendissent, Iouemq; Cœli circulum nuncupassent.* Transijt idem mos ad Turcas: hinc ab alta quadam turri matutinales illæ conclamationes; *La Alla elle Alla &c.* quorum sensus est, Deum esse semper, futurumque semper: nec quicquam addunt aliud, nisi quòd suum etiam salutent Machometem. *Deus Circulus.* Saraceni quoque, & pleræque aliæ nationes, Deum circulum appellabant, atq; hinc sempiternum exprimi concludebant. Mogores quoq; Regem suum, quem veluti diuinis honoribus venerantur, depingunt radioso capite fulgentem.

Quid radiosus Circulus circa capita Sanctorum. Fuluius Vrsinus. Paruta.

Ex hac Ægyptiorum consuetudine, Græcorum, & Romanorum consuetudo profluxisse videtur, Deos suos radioso circulo ornandi. Quæ omnia, infinita medalia & numi, quos apud Fuluium Vrsinum, Parutam, aliosque Antiquarios vide, monstrant. Nam Dijs omnibus radiorum coronam, seu fulgens quoddam lumen appingi quandoque solitum, fusè à me in Apparatu Hieroglyphico dictum est; idque propriâ quâdam appellatione Nimbum vocabant, vt pluribus locis testatur Seruius. *Nimbus quid. Seruius.* Neque verò quis putet, cœteris quidem Numinibus solidum tantummodò lumen & quasi continuum affingi consueuisse, Soli verò in radios dispertitum: nam & ijs hominibus, quibus diuinitas tribuebatur, dabantur radij in modum circuli. *Lucianus.* Lucianus de Dea Syria, Ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνας φορέει. Et in Mysanthropo Iouem describit: Κεραυνὸν ἐν τῇ δεξιᾷ ἔχοντα, καὶ ἀκτῖνας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ. Æthiopes quoque hanc consuetudinem habuisse testatur Heliodorus, qui *Heliodorus.* lib. 9. Æthiop. hist. eleganter has radiorum circumpositiones describit: Πλέγμα, inquit, γάρ τι κυκλοτερὲς τῇ κεφαλῇ περιθέντες, καὶ τοῦτο βέλεσι κατὰ τὸν κύκλον περιπείραντες τὸ μὲν ἐπτερωμένον τοῦ βέλους πρὸς τῇ κεφαλῇ περιτιθένται, τὰς δὲ ἀκίδας οἷον ἀκτῖνας, εἰς τὸ ἐκτὸς προβέβληνται. *Circulari inuolucro quodam caput ambientes, illudq; sagittis in orbem configentes, alatas quidē partes ad caput conuertunt, cuspides verò ad instar radiorum extrorsum protendunt.* *Diadema ex sagittis compactum.* Quibus quidem nihil aliud indicare voluerunt, nisi ad Ægyptiorum mentem, diuinitatis latentis indicia. Hinc vix vllum simulachrum hominis, volucris, quadrupedis, & insecti, aut ex his compositum inter hieroglyphicas inscriptiones reperias, cui non hic circulus apponatur; latentis diuinitatis manifestum indicium: est proinde proprium Ægyptiorum inuentum, vt in decursu Operis dicetur. His itaque iam propositis, circuli hieroglyphici arcana propiùs intueamur.

§ II.

Quomodo Aegyptij per Circuli considerationem in diuinitatis maxima arcana deuenerint.

AEgyptij, curiosi quà diuinarum, quà naturalium rerum exploratores, ad circuli ideam omnia in Mundo condita primi acutè admodum & ingeniosè notarunt. Siue enim annuum tempus, siue elementarium

rium motionum circuitus, siue Cœli, stellarumque orbitas, siue denique animam Mundi, ac supremum Numen considerabant, semper circularibus motionibus eorundem operationes mensurari comperiebant. Quia tamen supremum Numen omnia mouens necessariò immobile, infinitum, æternum esse, necesse est; quomodo paulatim omnia in Deo, & Deum in omnibus vnum esse, per Circuli proprietates innuerint, indicemus: innuit enim hoc Pherecides Ægyptiorum discipulus, qui in hymno Iouis sic de Deo canit:

Ægyptij notarunt omnia circulos affectare.

Ὁ Θεὸς ἐστὶ κύκλος, τετράγωνος, καὶ δὲ τρίγωνος,
Κάνων δ' ἡ γραμμὴ, κέντρον, καὶ πάντα πρὸ πάντων.

Deus enim & circulus est, & quadratum, & triangulum,
Et linea, & centrum, & omnia omnium.

Pherecides vocat Deum Circulum, lineam, triangulum, quadratum, centrum, & omnia.

Quæritur igitur, quomodo Deus & circulus, quomodo & quadratum, & triangulum, quomodo linea, & punctum sit; & quomodo res adeo disparatæ & contrariæ, in Deo vnum esse, aut in diuinæ naturæ simplicitatem vlla humani intellectus comprehensione cadere possint? Respondeo, Veteres omnia illa ex circuli abstractiuè considerati natura didicisse: non enim putandum est, eos circulum sub physicis proprietatibus, sed secundùm analogiam quandam circuli Mathematici ad circulum illum, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam, considerasse. Nam cùm omnia quantitate quouis modo affecta, constent terminis; ea finita vt concipiamus, necesse est. Quòd si ea ad infinitæ essentiæ rationes sustollere voluerimus, fieri non poterit vt ea imaginemur, nisi in quantum infinitis rationibus, potestatibusque affecta sunt, vt rectè Cusanus docet. Hoc autem vt perspicuum fiat, sequentes tres propositiones explicandas duxi.

Quo sensu veterum fit, Deum esse & Circulum, quadratum, triangulum, punctum & lineam.

Circulus abstractè consideratus, & ad rationem infiniti eleuatus, est & linea, & triangulum, & quadratum, & punctum.

PROPOSITIO I.

Si Circuli semper maiores & maiores, quorum singuli lineam rectam in eodem puncto tangant, ducantur in infinitum; erit maximus & vltimus circulorum, quo maior esse non potest, necessariò infinitus, & idem linea recta infinita.

M Du-

DVcta linea recta *ST*, ad eius medium punctum *V* ducantur ex diuersis centris circuli *avo, bun, cum, dul, euk, fut, gu,* & *hu*. Certum est, quantò circuli minorem angulum cum *S T* linea ad *V* constituerint, tantò futuros maiores; quantò maiorem, tantò minores, vt colligitur ex demonstratis à Clau. in elementis Euclidis lib. 3. propor. 16. quòd si iam circulus describeretur tam magnus, vt non ampliùs angulum contactus constitueret, sed cum ipsa linea recta *S T* coincideret; dico hunc circulum necessariò futurum infinitum, & quo maior dari non possit. Quoniam enim centra dictorum circulorum à puncto *V* tantò remotiora sunt, quantò circuli obtusiores, & lineæ rectæ *S T* proximiores; erit necessariò centrum, mox vbi circulus cum recta linea inciderit, ab *V* puncto infinitè remotum: cùm verò semidiameter infinita necessariò supponat circumferentiam infinitam; sequitur circulum cum linea *S T* coincidentem, necessariò infinitum fore; quod erat probandum; tametsi nullâ temporis quantitate operando ad hoc negotium pertingere humana industria queat.

Corollarium.

Deus modo explicato admittit contradictoria.

HInc patet, quomodo non solùm Veteres, verùm & moderni Theologi in Deo contradictoria, dum eum subinde ens & non ens, lumen & tenebras, intellectum & non intellectum, &c. S. Dionysium secuti, dixerunt, posuisse visi sunt: siquidem circulus maximus, quo maior dari non potest, hoc modo consideratus, circulus & non circulus est, curuus æquè & rectus est, circumferentia infinita simul, & linea infinita est; necessariò itaque, quæ videntur, contradictoria inuoluit; quæ omnia Deo soli congruunt. Quæ quidem omnia fusiùs declarabuntur, vbi priùs alia huc respicientia exposuerimus.

PROPOSITIO II.

SI in circulo finito linea centro affixa à quopiam puncto circumferentiæ ad oppositum percurrat, augebitur continuò in infinitum angulus, quem dicta linea cum diametro ad centrum describit; ita vt diametri, cum qua linea currens incidit, angulus prorsùs infinitus sit; in circulo verò infinito non quanto, & circumferentiam, & semidiametrum, & angulum prorsùs idem esse, necessarium est.



Describatur circulus *dgce*, cuius diameter sit *ac*; ducatur ex centro *b* linea, quæ circumferentiam percurrat, & in punctis *defg*, angulos *abd, abe, abf, abg*, faciat. Dico tantò angulos futuros obtusiores & maiores, quantò à puncto *a* decursus lineæ *bd* fuerit remotior; ac proinde vbi cum diametro *ac* coinciderit, ibi angulum infi-

infinitum fieri. Quoniam enim angulus infinitus eſt, quo maior dari non poteſt, & antequam linea gyrans incidit in diametrum, ſemper maiores & maiores anguli in infinitum per continuam ſectionem dari poſſunt; conſequens eſt, diametrum *a c* rectè infiniti anguli vim obtinere, cùm omnes poſſibiles & intra ſemicirculum imaginabiles angulos implicet; quod erat primum. Sit iam *a g c b* circulus infinitus; quo maior dari non poſſit; Dico diametrum, & circumferentiam & angulum in vnum coincidere, atque adeo omnia infinita eſſe: tametſi enim diameter ſit noſtro concipiendi modo (quo finitis & terminatis rebus tantùm concipiendis aſſueti ſumus) linea recta, & circumferentia ſit linea curua, & angulus ſit duarum linearum ad ſe inuicem inclinantium quantitas; nihilominùs hæc in non quantis & infinitis omninò ceſſare neceſſe eſt: nam cùm circumferentia in infinitis ſumma rectitudo ſit; neceſſariò ſequitur, & circumferentiam, & diametrum eſſe prorſus idem. Iterum ſi *b* remanente immobili, *a* circumducatur, quouſque pertingat ad locum oppoſitum *c*; ſemicirculus neceſſariò emerget; & ſi remanente *a c* diametro immobili, circa ipſam circumducatur ſemicirculus; naſcetur ſphœra; & ipſa eſt vltimum de potentia lineæ, totaliter exiſtens in actu, quoniam ſphœra non eſt in potentia ad aliquam figuram vlteriorem. Si itaque in potentia lineæ finitæ ſunt iſtæ figuræ, & linea infinita eſt omnia actu, ad quæ finita eſt in potentia; ſequitur, circulum infinitum eſſe triangulum, & ſphœram, & diametrum, & angulum, & omnia pariter vnum; quod erat ſecundum. Et vti hæc omnia in quantis differunt, vtpote quæ ad ſe inuicem nullam habeant proportionem; ita imaginatiua, quæ genus ſenſibilium non tranſcendit, minimè quoque iſta concipere poteſt, ſed hoc ſolius intellectus abſtrahentis opus eſt, vt ex ſequentibus patebit.

PROPOSITIO III.

In infinitis linea recta triangulus, & triangulus circulus eſt.

NOtum eſt ex Geometricis, omne triangulum quantum habere tres angulos æquales duobus rectis; & ideo quantò vnus angulus fuerit maior, tantò duo reliqui erunt minores. Et tametſi angulus vnuſquiſque poſſit augeri vſque ad duos rectos excluſiuè; ponamus tamen angulum obtuſum in tantum augeri, vt duos rectos comprehendat triangulo permanente; conſequens tunc eſt, vnum angulum ſimplicem tres angulos complicare, & tres vnum. Patet quoque, hoc pactò conſideratum triangulum, meram lineam eſſe. Quoniam enim ſingula duo latera trianguli quanti ſimul iuncta, tantò tertio ſunt longiora, quantò angulus, quem efficiunt, eſt duobus rectis minor, vt angulus *b a c*, quia duobus rectis multò eſt minor, hinc lineæ *b a* & *a c* ſimul iunctæ multò longiores ſunt *b c*; ergo quantò angulus ille maior

 fue-

fuerit. vt *b d c*, tantò superficies minor erit. Quare si per positionem angulus valeret duos rectos, totus triangulus necessariò in lineam resolueretur simplicem. Vnde hanc positionem, quæ in quantis impossibilis est, patet in non quantis locum solummodò habere, adeoque lineam infinitam necessariò triangulum esse.



Quòd autem hæc linea & triangulus, & vnà circulus sit, ostendamus. Sit itaque triangulus ex suppositione *a b c*, infinitus; percurratque *b a* linea à puncto *b* versus *c* ad punctum *b*; necessariò inde producetur circulus maximus infinitus; cuius portio est *bc*; & quoniam illa portio est arcus infiniti, illa ex prædemonstratis necessariò erit linea recta, vt est *b c*: & quoniam omnis pars circumferentiæ infinitæ, est infinita; erit ergo portio illa *bc* non minor tota circumferentia infinita, atque adeo portio illa cum infinito circumferentiæ illius ambitu æquabitur. Necessariò quoque consequetur, triangulum *a b c* circulum esse maximum seu infinitum; & quia eius circumferentia, vti in præcedentibus expositum fuit, est linea recta; linea quoque recta erit *b c* arcus seu portio circuli infiniti, & circumferentia non erit maior *b c* lineâ infinitâ, cùm infinitum infinito maius esse non possit: nec sunt duæ lineæ, quia vt duo infinita sint, fieri non potest. quare linea infinita, quæ est triangulus, ea simul & circulus est. Atque hoc est, quod suprà Pherecides dicebat, Deum esse circulum, & lineam, & triangulum, & omnia omnium; quod quomodo Deo applicandum, iam videamus.

§ III.

Quomodo Deum omnia in omnibus, & omnia in ipso esse ex dictis colligi possit.

EX hoc itaque, quòd infinita linea omnia actu, quæ finita linea in potentia, complicat, colligimus, quomodo maximum simpliciter sit actu omnia illa, quæ in potentia sunt simplicitatis absolutæ. Quicquid enim possibile est, hoc ipsum est maximum absolutè & simpliciter, non vt ex possibili est, sed vt maximè est; sicuti ex linea infinita triangulus educitur, & tamen infinita linea non est triangulus, in quantum ex finita linea constituitur, sed actu est triangulus infinitus, quia idem est cum linea, cùm ipsa possibilitas absoluta aliud in maximo non sit, quàm ipsum maximum actu, sicuti linea infinita est actu circulus. Sed aliter se res habet in non maximo; nam ibi potentia non est actus, sicuti finita linea non est triangulus. Cùm itaque in maximo illo omnia complicentur actu, necessariò inde resultant contradictoria & oppositiones, vt quòd in

Maximum simpliciter est actu omnia quæ in potentia sunt.

In maximo simpliciter resultant contradictoria.

Deo maximum & minimum coincidant. Nam vt rectè magnus ille Dionysius in mystica sua theologia asserit, *Deus* (qui est hoc ipsum maximum) *non aliud quidem est, & aliud non est; neque alicubi est, & alicubi non: nam sicuti is omnia est, ita nihil omnium; est enim super omnem positionem perfecta, & singularis causa omnium, & supra ablationem omnium est excellentia illius, quâ simpliciter absolutus est ab omnibus; & vltra omnia est.* Hinc Hebræorum Theologi, vt in Cabala expositum fuit, Deum Ens & non Ens dicunt, Dionysio consentientes. Hinc Ægyptij per lucem & tenebras seu caliginem Deum æquè definiebant. Dionys. Areop.

Quemadmodum igitur infinita curuitas, infinita rectitudo est; sic Dei essentia, peripheria simul & rectitudo est, nullis terminis conclusa; omnium quippe essentiarum essentia est simplicissima. Et sicuti omnes rerum essentiæ, quæ vnquam fuerunt, erunt, aut sunt, actu semper & ab æterno sunt in ipsa essentia; ita omnes essentiæ sunt ipsa essentia: & sicut omnium essentia, ita tam quælibet, quàm omnes. Ad quod Parmenides haud dubiè allusit, dum dixit, *quodlibet in quolibet*; tametsi lumine fidei destitutus, ex tam alto mysterio sese extricare non potuerit. Sicuti denique linea infinita omnium adæquatissima mensura est; ita omnium essentiarum essentia maxima, in qua maximum & minimum adæquatè coincidunt, ita vt illa non sit maior minimo, nec minor maximo. Cùm enim vnus pes in linea infinita non sit maior duobus, imò quælibet infiniti pars sit infinita; necessarium est, vnum pedem cum pluribus coincidere. Sicuti præterea linea finita est diuisibilis, ita infinita linea indiuisibilis est, cùm infinitum nullas partes admittat, in quas secari possit, neque in ea maximum cum minimo incidit. Sed cùm linea finita in infinitum diuisibilis sit, nec assignari possit pars adeo minima, quâ minor dari non possit; impossibile est, eam in non lineam diuidi; hæc enim proprietas tantùm cadit in lineam infinitam, vnde & hæc est ratio lineæ finitæ. Pari pacto maximum omnium, omnium est ratio; ratio autem, teste Aristotele, est mensura. Sicuti igitur linea infinita ratio est lineæ finitæ perpetua & immutabilis; ita & ratio omnium rerum, qui est Deus benedictus, sempiterna est, & nulli mutationi instabilitatique obnoxia. Deus est omnia in omnibus. Linea infinita est omnium adæquatissima figura. Aristoteles.

Atque hinc patet, cur Veteres rationem rerum æternam senserint; est enim, teste Platone apud Chalcidium in Phedone, vnum rerum exemplar & idea absoluta, quæ in multitudinem diffusa plura pariat exemplaria. Cùm itaque infinita linea ratio sit omnium linearum finitarum; consequens est, illam ita esse in qualibet, vt in nulla, & quamlibet finitam in illa; haud secus, vt Deus in omnibus, & in nullo, omnia tamen in ipso. Deus in omnibus & omnia in ipso.

Hoc pacto progredieris ad reliquas infinitæ lineæ proprietates, quam non ita vnam esse dicimus, vt non sit trina pariter. Diximus enim suprà, maximam lineam esse triangulum; & quia linea est simplicissima, erit & trinum, quod in eo consideratur, simplicissimum: & cùm totus triangulus sit linea, erit & omnis angulus in eo linea. Est ergo linea infinita trina. Cùm autem impossibile sit, vt plura sint infinita; trinitatem hanc, vni-

vnitatem esse necesse est. Neque in hoc triangulo, quemadmodum in quantitate finita, angulus vnus maior reliquis, nec duo maiores tertio; sed erunt maximi, & infiniti, & vnus in alio, & omnes tres vnum maximum. Sicuti igitur linea maxima non magis est linea quàm triangulus, circulus, aut sphœra, sed reuera illa omnia est absque compositione; ita pariter maximum simpliciter si consideretur vt linea, per eam aptè intelligi potest essentia; si vt triangulus, ipsa trinitas est; si verò vt circulus, vnitas dici potest; vt denique sphœra rectè actualis dici potest existentia. Est ergo maximum essentia, trinitas, vnitas actu existens; nec aliud est essentia, quàm trinitas; nec aliud trinitas, quàm vnitas; nec aliud actualitas, quàm vnitas, trinitas, & essentia. Atque ex hoc paradoxo facilè liquet, quomodo Sacrosancta Trias in diuinis concipienda sit. Nam vt rectè D. Augustinus ait: *Dùm incipis numerare in diuinis trinitatem, iam exis veritatem*; qui autem trinitatem distinguit ab essentia seu vnitate, is errorem incurrit manifestum. Sicuti enim simplicissima linea est triangulus, ita triangulus est vnitas linearis; neque anguli per vnum, duo, tria, vbi quidlibet in quolibet est, numerari conuenit, cùm distinctio & indistinctio antecedenter in principio suo simplicissimo vnum sint; sed vnitrinum, seu triunum dicenda est, siue vnitas, siue trinitas; & hæc est veritas. Neque hîc quaternarius, quinarius &c. locum habent; repugnaret enim hoc simplicitati & perfectioni omnium maximi. Cùm enim omnis figura polygona pro simplicissimo elemento habeat triangulum; sitque adeo hæc omnium polygonarum minima, quâ minor dari non possit; minimumque cum maximo coincidat; adeoque illa eo modo se habeat ad reliquas figuras, sicuti vnitas ad numeros; fit, vt sicuti omnis numerus resoluitur in vnitatem, ita polygonæ in triangulum. maximus igitur triangulus, cum quo minimus coincidit, omnes figuras polygonas complectitur. Quadrangula verò figura non est minima, vt patet, sed vnâ lineâ superat triangularem: hinc implicat contradictionem, quadrangulum maximum esse: cùm enim triangulares figuras semper excedat, earum adæquatissima figura concipi nullâ ratione potest. Cùm itaque suprà ostenderimus, lineam infinitam & triangulum, & circulum, & sphœram vnà complicare, non quadratum, non polygonum, aliamue ex similibus hisce figuram; consequens est, vt hasce solas elementares figuras ad inuicè infinitas & improportionabiles, omnes cœteras, quæ animo concipi possunt, figuras complicare dicamus; vt si quis concipere velit, omnium quantitatum mensurabilium mensuras, is primò pro longitudine necesse est vt habeat lineam infinitam, pro latitudine seu superficie, triangulum maximum simplicicer, & pro profunditate siue corporum soliditate sphœram; atque præter has quatuor, nullis alijs ad omnium mensurabilium multitudinem quispiam pertingere potest. Cùm verò plura maxima seu infinita esse non possint, hinc ipsum vnicum maximum, omnium quantorum simplicissima & absolutissima mensura est. Atque hoc est triangulum illud summum, æternum, & incommutabile, omnium triniter subsistentium metrum adæquatissimum, cuiusmodi sunt operationes, actiones in potentia,

Quomodo Trinitas sit concipienda.

Maximus triangulus, & quo maior dari non potest, omnes figuras polygonas implicat.

tia,

tia, obiecto, actu triniter subsistentes; similiter visiones, intellectiones, volitiones, similitudines, dissimilitudines, pulchritudines, proportiones, correlationes, appetitus naturales, & cætera omnia, quorum essendi vnitas consistit in pluralitate, cuiusmodi sunt esse, & operatio naturæ consistens in correlatione agentis & patientis.

§ IV.

Circulus demonstrat, quomodo in Deo omnia identificentur; & sphœra actualem eius existentiam in omnibus.

CVm ex dictis constet, triangulum esse circulum, & trinitatem esse vnitatem; erit hæc vnitas haud dubiè infinita, quemadmodum circulus infinitus est; cùm verò plura infinita esse non possint, erit vnitas in qua triangulum & circulus identificatur, omni vnitate omni intellectu in infinitum comprehensibili, vnior; eritque tanta eius identitas, vt omnes etiam relatiuas oppositiones antecedat; ibi enim aliud & diuersum identitati non opponuntur: quare cùm sit infinita vnitas, consequenter omnia quæ ei quouis modo conuenire possunt, sunt ipsum absque diuersitate & alteritate; ita vt non aliud sit bonitas eius, & aliud sapientia eius, non aliud misericordia, aliud iustitia, sed in vnitate hac infinita vnum prorsùs & idem sunt; cùm omnis à nobis apprehensa diuersitas in ipso sit identitas. ita in durationis diuinæ vnitate præteritum & futurum non differt, & futurum non est aliud à præsenti, sed vna sunt duratio & æternitas, in qua principium est finis, & finis principium. Quæ omnia in circulo illo infinito pulchrè elucescunt; quoniam enim huiusmodi circulus est maximus, erit & diameter eius maxima; & quoniam plura maxima esse non possunt, erit in tantum circulus ille vnus, in quantum diameter eius ipsa est circumferentia; cùm verò diameter infinita infinitum habeat medium, medium verò centrum sit, necessariò sequitur diametrum, circumferentiam, & centrum idem esse. Atque hic est circulus ille Hermeticus, de quo sæpiùs in toto Opere disseruimus, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam. Maximum itaque perfectissimè est intra omne simplex & indiuisibile, quia centrum est infinitum & vbique; item extra omnia, omnia ambit, quia circumferentia est infinita; pariter omnia penetrat, quia diameter est infinita; est & principium omnium, quia centrum; finis omnium, quia circumferentia; medium omnium, quia diameter. Est præterea causa efficiens, quia centrum; formalis, quia diameter; finalis, quia circumferentia. Dat iterum esse omnibus, quia centrum; gubernat omnia, quia diameter; conseruat omnia, quia circumferentia. Vides igitur quomodo maximum cum nullo sit idem, neque diuersum; & quomodo omnia in ipso, ex ipso, & per ipsum; quia centrum, diameter & circumferentia. Patet quoque, quomodo omnia Dei attributa in Deo in perfecta vnitate identificentur: item quomodo Deus omnium etiam

In vnitate infinita omnia attributa Dei non sunt diuersa.

Qualis sit Circulus Hermeticus.

Maximum est omnia.

con-

contradictionum sit complicatio. Colligitur denique quomodo omnia, siue futura, siue non futura, siue possibilia, siue impossibilia, in diuinæ prouidentiæ abysso lateant; quæ enim scit, non ea scit cum temporum differentia, quia non cognoscit futura vt futura, nec præterita vt præterita, sed vt æterna; & mutabilia immutabiliter. Atq; hoc est fatum illud, quod tantopere nullos non Philosophorum torsit; omnia siquidem ad ipsam prouidentiam relata, necessitatem habere dicuntur; & meritò, quia omnia in Deo sunt Deus, quæ est necessitas absoluta: v. g. cras itinerari possum, vel non itinerari; quodcunque fecero, prouidentiam non euadam, cùm illa contraria complicet; vnde quicquid fecero, secundùm Dei prouidentiam fecero. Porrò sicuti in sphœra infinita, ex præcedentibus, centrum, circumferentia, & soliditas vnum sunt; ita in maximo simpliciter omnia vnum sunt; est enim centrum seu principium, medium, & finis omnium: & sicuti sphœra est actus trianguli, & circuli; ita maximum omnium actus est; quare omnis actualis existentia ab ipso habet quicquid actualitatis existit; & omnis existentia pro tanto existit actu, in quantum ex ipso infinito actu est. & hinc Maximum est forma formarum, & forma essendi, siue maxima actualis entitas; quod nec latuit Parmenidem, qui Deum definiens ait *Deum esse, cui esse quodlibet, quod est, & esse omne id quod est.* Sicuti deinde sphœra maxima est omnium figurarum perfectio, ita maximum est omnium perfectissimorum perfectissimum, in quo curuitas est rectitudo, compositio simplicitas, & diuersitas identitas, & alteritas vnitas; in quo imperfectio est infinita perfectio, & possibilitas infinitus actus, omnium in Vniuerso existentium vnica & simplicissima mensura (neque enim in eo totum maius parte est, sicuti sphœra infinita, linea infinita maior non est) omnium circulationum, motuum, totius Vniuersi absolutissima ratio, mensura & metrum; vnde non immeritò à Trismegisto Deus vniuersitas rerum definitur: & cùm sit entitas omnium esse, & omnis motus ad esse; ergo quies motus est ipse qui est finis motus; omnia igitur ab ipso & ad ipsum tendunt. Quæ quidem omnia diuinæ essentiæ arcana Ægyptij apposité exhibuerunt per globum alatum serpente fœtum, sceptrumque rectilineum tribus nodis insigne, vti in tabula Bembina videre est, & hìc patet.

Per globum, infinitum, æternum, immensum; per alas, motum quo omnia penetrat; per serpentem, vitam omnium; per sceptrum rectilineum, omnia in illo, curuum, rectum, magnum, paruum &c. vnum esse; per tres nodos, vnitatem, æqualitatem, & connexionem; item principium, medium, & finem omnium innuebant.

Fatum quid sit, & quodnam sit.

In maximo simpliciter omnia sunt vnum.

Trismegistus.

Hieroglyphica figura exhibens diuinæ essentiæ arcana.

CA-

CAPVT II.

De Circulo, decussi, cæterisque angularibus figuris, & quomodo ea ad sensibilis Mundi arcana indicanda adhibuerint Ægyptij.

IN præcedentibus circulum & triangulum vt infinita, & vt diuinitatis immensæ symbola considerauimus; modò eadem vt finita contemplemur, & quomodo ijs sensibilis Mundi arcana expresserint, indicemus.

Circuli idealis infiniti cũ circulo Mathematico analogia.

Si quispiam circulum depingere voluerit, is primò centrum designat, deinde circini apertura lineam seu semidiametrum constituit, denique ex recta curuam describit lineam, qui circulus est. In ideali circulo idem contingere inuenies. Nam ineffabilis ille circulus, & omnium nominibus nominabilis, ita se habet, vt centrum contineat, ex quo linea, ex vtroque autem circumferentia existit. Sed quoniam circulus huiusmodi infinitus est, centrum, linea, & circumferentia ipsa vt sint æqualia, vti supra diximus, necesse est. Vnde cùm infinitas illa nihil aliud sit, quàm æternitas, & summa æqualitas, certum est, punctum non prius esse posse, quàm lineam, & lineam prius quàm circumferentiam, sed ab æterno simul & centrum, & linea, & circumferentia fuerunt; ita vt linea, punctum, & circumferentia, puncti & lineæ sit explicatio; atque adeo punctum hoc in æternitate se habeat per modum generantis, seu explicantis de virtute sua complicante genitam consubstantialem lineam; & centrum cum linea se habeat per modum ab æterno explicantis nexum seu circumferentiam; ita vt paternum principium in diuinis se habeat per modum centri, linea per modum principij à principio, & dicitur æqualitas, & circumferentia per modum vnionis seu nexus. Quòd si verò noueris quomodo circulus supra lineam rectam infinitam, quæ æternitas est, reuolutus eam non tangat in puncto, apprehendes quomodo in vno *Nunc* seu instanti æternitatis omnes temporum reuolutiones, siue magnæ, siue paruæ sint, subsistant, & quomodo æternitas est ipsa subsistentia temporis, metrum quoque & mensura omnis durationis. Videbis quoque falsum esse, reuolutiones sphœrarum fuisse ab æterno, cùm infinitas periodicarum reuolutionum numero minimè competere possit: si enim numerare possemus decem reuolutiones præteritas, centum, & mille, imò omnes; si quis dixerit, non omnes numerabiles esse, sed præcessisse infinitas, dixeritque vnam futuram reuolutionem sequenti anno, necessariò sequitur eas esse infinitas vt vnum; quod quàm absurdum sit, quis non videt? Præterea Creator duo fecisse videtur, scilicet propè nihil, & punctum; inter enim punctum & nihil, non est medium; adeò enim propè nihil est punctum, vt si punctum puncto addideris, non plùs resultet, quàm si nihil nihilo iunxeris. Deinde fecit vnum, & punctum cum vno coniunxit, vt sit vnum punctum; atque in hoc vno puncto totius Vniuersi latet complicatio. Vniuersum igitur sic eductum concipitur de illo vno puncto, sicuti de vno puncto educeretur vna linea, vt de illa conficiatur trigonus, aut tetrago-

nus. Vltimum autem, idque perfectissimum, simplicissimum, atque Creatori simillimum, circulus est. Atque in triangulo quidem, qui fit ex tribus angulis, coincidit in forma trigoni vnitas & trinitas; vnitas scilicet essentiæ, & trinitas angulorum: in circulo verò vnitas & infinitas coincidunt; vnitas videlicet essentiæ, & infinitas angulorum: est enim circulus nihil aliud, nisi polygonum ex infinitis lateribus constans, omnium formabilium ex linea angulorum actus. Patet igitur, quomodo Creator rerum omnium Deus, ex vno puncto quod creauit, totum Vniuersum produxerit, per euolutionem puncti videlicet in angulos, & denique in circumferentiam.

Hinc cùm Ægyptij in Deo tanquam in Archetypo rerum omnium circularem proprietatem notassent, eundem circulum meritò in sensibilis Mundi symbolum selegerunt; vt sic ideatum ideæ suæ vndiquaque perfectè responderet. Etenim intuentes rerum omnium vestigia, actionesque circulares; Mundum, & quæ in Mundo sunt, circulos dixerunt sensibiles; Intelligentias verò incorporeas, circulos inuisibiles; quæ lib. 5. Eucl. argutè more solito explicat Proclus. *Cunctæ res Mathematicæ*, inquit, *primùm in ipsa anima sunt, & ante numeros, numeri qui per se mouentur, & ante apparentes figuras, figuræ vitales, & ante ea quæ concinnata sunt, harmonicæ rationes, & ante corpora quæ circulando mouentur, inuisibiles circuli producti sunt.* Cùm enim stellarum radios, terræ veluti centro innixos, vertigine circulos describere cognoscerent; proprium id diuinæ facultatis opus existimantes, cùm symbolis suis aut diuinitatem, aut Mundum, aut Cœlos indigitare volebant, circulo id, vel sphœrâ, vel ijs symbolo quopiam ex rebus inferioribus assumpto haud absimili exprimebant. Vnde & natum puto, quòd delubra, aræ, & instrumenta, quibus sacra administrabant, omnia circulari apparatu efformarentur; cœrimoniæ quoque, gestus, motusque in circulum fierent; de quibus cùm sparsim toto hoc Opere, & in Obelisco Pamphilio disseramus, breuiter tantùm hic ea indicare voluimus.

Proclus in 5. l. Eucl.

De circulo itaque ad reliquas figuras angulares progrediamur. Cùm Veteres notarent, vt in Obelisco Pamphilio etiam diximus, ex centri seu puncti fluxu imaginario nasci lineam, cuius vnus terminus immotus, alter circumductus curuam describeret lineam, quem circulum dicebant; ex hac contemplatione paulò altiùs progressi, nescio quid angulare quoque in ipso circulo imaginati sunt: nam angulus in eo constituitur, influxus pyramidalis symbolum: deinde alia quæuis linea diametrum in centro secans, constituit decussim ⊕; quæ si ad angulos rectos fieret, crucem perfectam constituebat, symbolum influxus in quatuor Mundi plagas; si ad acutos, propriè χίασμα efficiebat, siue decussim, pyramidalis Numinum influxus symbolum. Prius probat Iustinus Martyr, qui Mundum à Deo conditum, Ἐχίαζεν αὐτὸν, inquit, ἐν τῷ παντί. *Decussauit in toto*; alludens ad crucis mysterium, quemadmodum in Apologia II. tribus circiter ante finem folijs ostendit, Οὕτως ἐδῶκεν ἀναγνοὺς Πλάτων, καὶ μὴ ἀκριβῶς ἐπιστάμενος, μηδὲ νοήσας τύπον εἶναι σταυροῦ ἀλλὰ χίασμα νοήσας, τὴν μετὰ τὸν πρῶτον Θεὸν δύναμιν κεχιάσθαι ἐν τῷ παντί.

Χίασμα quid, & significatio eius.

παντὶ. *Sic dedit & agnouit Plato, non certò sciens, illud typum esse crucis, sed decussis rationem solùm cognoscens, videlicet illam à primo Deo virtutem, decussatim factam esse in Vniuerso.* Mysterium ænei serpentis, de Christo explicauerat, quò Platonicum hoc trahit. Addit in Notis ad Iustinum ipsa Sylburgius Platonis verba: ταύτην τὴν οὖν σύστασιν πᾶσαν διπλῆν, κατὰ μῆκος σχίσας μέσην πρὸς μέσην, ἑκατέραν ἀλλήλαις, οἷον X προσβαλὼν κατέκαμψεν εἰς κύκλον. *Hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffindens, mediæque accommodans, mediam quasi decussauit.* Quod χίασματος siue decusis mysterium haud dubiè ab Ægyptijs hauserat, qui decusim quoque in numerum literarum, ob eximia mysteria sub ea latentia, haud illibenter assumpserunt, vt diximus in Obelisco Pamphilio. Ex quo quidem deinde charactere innumeri alij originem inuenerunt, & inter cœtera crux ansata (cuius mysteria in eodem Obelisco declarauimus) & aliæ, eæque variæ decusis species, quæ in Obeliscis pasim occurrunt, quasque suo loco exposituri sumus, emerserunt. Nam primò per Λ ex Ibidis incessu inuenta, influxum Numinis in inferiores hylæos Mundos; per V verò rostrum Ibidis apertum, reditum Numinis ex inferioribus ad superiora denotabant; quibus quidem in vnum coniunctis verticibus, X emergebat, decusis illa celebris & mysteriosa, quâ processum Spiritus Mundi ἄνω καὶ κάτω aptè innuebant; quo & denarium numerum, symbolum vniuersitatis rerum, clarisimè Horus docet his verbis: Γραμμὴ ὀρθὴ μιᾷ ἅμα γραμμῇ ἐπικεκαμμένῃ, δέκα γραμμὰς ἐπιπέδας σημαίνουσι. *Rectâ lineâ simul cum altera supernè inflexâ, decem lineas planas significant.* Vide Obeliscum Pamphilium pagina 386. vbi hunc Hori locum etiam adduximus.

Plato. | Horus l. 2. c. 30.

Porrò hanc decusim, siue angularem figuram, sub duplicis quoque pyramidis expressæ figura exprimebant Ægyptij hoc pacto N. quo signo pariter processum illum Numinis ἄνω καὶ κάτω signabant; quam & in numerum literarum referebant, vti fol. 126. Obel. Pamphil. ostensum fuit. Prior pyramis A B C denotat illapsum supremæ Monadis in multitudinem; B C D verò pyramis altera, eiusdem Monadis ex inferiori, seu materiali Mundo in lucis Mundum reditum: vel quod idem est, influxum Numinis actiuum per pyramidem A B C, quæ fit ex puncto B, in multitudinem, seu latitudinem A & C propagatum; influxum verò pasiuum, seu actiui influxus receptionem in inferiori, per pyramidem inuersam B C D indicabant. Vide quæ fol. 175 Obelisci Pamphilij fusiùs de hisce egimus. Cùm verò Ægyptiorum genius eò ferretur, vt iuxta analogiam quandam archetypo congruam, reliquarum sensibilium rerum in generatione corruptioneque elucescentium processum referrent; per hanc figuram aptè sanè spermaticæ virtutis progresionem, quâ omnia, quæ in hylæis Mundis continentur, & quæ per quaternarium, septenarium, & denarij decusim indicantur, exhibuerunt. Sed mysterium paucis explico, idque vegetabilium exemplo. Arbor cùm ex semine progrediatur, atque ex arbore iterum semen fit, hoc quidem posteriùs, alterum priùs; finis quoque in numero cum principio non coincidat, coincidat autem finis effluxus cum principio refluxus; rectè septenarius exoritur, atque exin-

Mysteria sub litera N.

b d
N
a c



Hieroglyphicum generationis & corruptionis rerum.

de denarius. Nam si A est vt semen, D vt arbor, G vt aliud semen, K verò vt alia arbor; tunc A per B C in D progreditur, D verò in G per E F progreditur, & clauditur septenarius; G verò in K per H I ascendit, & sic denarius complebitur. Indiuidualis itaque, vt Scholæ loquuntur, contractio speciei in A semine in seipsa corruptibilis, in specie verò incorruptibilis, in virtute speciei contractæ in ipsa existente se conseruare studens, in speciem se resoluens, indiuiduationem seminis exuit, vt per speciei medium ex se simile elicere queat; quaternariâ igitur progressione in arborem ascendit; quoniam sine eius medio se in specifica similitudine multiplicare non potest. Intendit itaque A producere G; & quoniam id sine ascensu in D perficere nequit, ascendit in D, vt sic ad intentum pertingat; D verò arbor existens, non nisi in simili arbore se conseruare posse conspiciens, K intendit; K autem sine G attingere nequit; quare in G descendit, vt eius medio, K attingere possit. Copulatur itaque in A duplex appetitus, naturalis, qui in G, & accidentalis, qui in K terminatur; in D verò pariter duplex copulatur appetitus, naturalis, qui in K finem capit, accidentalis, qui in G terminatur; ideo quaternarius appetitum mouet, vno appetitu stimulante alterum, vt sit continuò quædam generationis & corruptionis successio. Verùm hunc quem nos Scholastico more proposuimus discursum, Ægyptij allegorico sic explicant; Osiris humidum, Isis terra est, cui miscetur Osiris, ex quibus Horus spiritus omnia alens & fœcundans, ex semine nascitur; Isis ab inferis Horum resuscitat, dum semen terræ commissum in plantam, arborem, folia, flores, fructus protuberat: adustiuâ verò Typhonis vi & siccitate Horo insidiante, quod Autumnali tempore fit, Horus interimitur à Typhone, id est, fructus decidens nouam sementem præstat, quæ condita terræ, denuò ab Iside Anubidis, id est, Mercuriali Agricultoris industriâ instauratur. Hâc similitudine non tantùm de generationis ac corruptionis rerum vicissitudine in semine vegetabili se exerente, sed & de sensibili, imò & de rationali, atque intellectuali symbolicè ratiocinabantur. Nam de semine admirationis, arbor exoritur rationalis, quæ fructus parit admirationi similes; per elicitam siquidem admirationem, similem erigit rationis arborem. Ita ex seminali demonstrationis principio, intellectualis procedit arbor, ex se principia seminalia exerens, per quæ intellectualis iterum arbor exurgit. Ex quibus omnibus, fusiùs forsan, quàm par erat, enarratis patet, quàm subtili ratiocinio rerum generabilium vicissitudinem sub vilissima etiam hac trigramma litera indigitauerint; & quomodo spiritus ille mundanus in seminibus rerum Vniuersi latens paulatim ascendat descendatque, vt iterum ascendat, omnibus & singulis genitabilia principia instillando, vt sic Mundus in esse suo conseruetur; quod sine hac vicissitudine minimè contingeret.

Arbor rationalis quæ?

§ I.

§ I.

Quomodo Mundus ex trigono archetypo profluxiſſe intelligatur ab Aegyptiis.

HOc vt intelligatur, ſciendum, per triangulum hoc archetypum nihil aliud intelligi, quàm triforme Numen triunum, quod Ægyptij per tria nomina, *Hemphta*, ſiue Oſiris, Iſis, ſiue *Phta*, & *Amun* exprimunt; quibus tres Hebræorum Middoth in arbore Sephiroth perfectè reſpondent. Quod igitur Hebræi Coronam ſeu אין סוף infinitum dicunt, Ægyptij dicunt *Hemphta* ſeu *Emepht*, primum intellectum opificem, quem & in ſecunda cauſarum ſenſilium ſerie per Oſirim ſeu Solem præfigurant. Iterum ſicuti Hebræi חכמה Sapientiam dicunt Mundi creatricem, ita Ægyptij Sapientiam intellectus primi vocant *Phta*, quo nomine Iſidis Conſiliarium Mercurium, quin & ipſam Iſidem vocant; quæ eſt plena Oſiridis primi intellectus imago & exemplar; quam ideo Orpheus non inconuenienter Palladem dixit, & ob dictam cauſam ex cerebro Iouis natam finxerunt Antiqui. *Amun* verò reſpondens Hebræorum בינה ſeu Intelligentiæ, eſt vtriuſque vis actiua ab extra, qua producitur Mundus Horus. Vnde varia iſta rerum hieroglyphicarum, quibus Horum Hieromantæ paſſim exprimebant, ſupellex; Baculus ſcilicet κυκυκόμορφος, id eſt, Vpupæ inſignitus capite, lituus quoque, & gnomon, à tergore verò triangulum, cui circulus annexus eſt; quæ nihil aliud indicant, quàm Mundum à Deo per Sapientiam ſuam productum, admirabili rerum varietate, per Vpupæ caput ſignificata, ſumma harmonia per lituum, concinno denique ordine per gnomonem indicato, eluceſcere. Horum itaque ab *Hempht* per *Phta* & *Amun* productum, Plato ſtudioſus Ægyptiorum diſcipulus ſat, dum Mundum hunc ſenſibilem ex archetypo illo trigono profluxiſſe aſſerit, demonſtrat; quod & triangulus ille cum globo affixo inter cœtera Hori ſymbola luculenter indicant, & admodum pulchrè eleganterque ſequenti ſchemate exprimitur.

Pallas è Iouis cerebro nata.

Nota, triangulo in hac figura annectendum eſſe globum.



Atque ex his apparet, & omnibus manifeſtum fit, Sacroſanctam & ter benedictam Triadem, fidei Chriſtianæ myſterium vti maximum, ſic ſublimiſſimum, nullo non tempore etiam ſub obſcuris fabularum figmentis adumbratum eſſe.

Quòd porrò Oſiris nihil aliud ſit, quàm primus intellectus, Sol ille æter-

51065



æternus, ac primus rerum omnium productor, qui per Isidem coniugem Sapientiam suam Horum, Mundum videlicet, produxerit, Hieromantæ varijs hieroglyphicorum Schematis indicant; quemadmodum Columnæ multis in locis erectæ, quas tum Barachias Abenephi, tum Diodorus Siculus referunt, ostendunt. Vbi præter hieroglyphicas inscriptiones, Osiris siue Emepht, apparet, throno insidens variegato, accipitrinâ facie formidabilis, alijsque symbolis operationes eius declarantibus, quorum explicationem vide in sequentibus. Horus verò pingitur puer, vt ostenderetur, Mundum in tempore veluti infantulum à Dei Sapientia productum; cum cornu copiæ verò exprimitur, vt indicaretur varietas, abundantia, & plenitudo rerum in Mundo creatarum; in cubo stat, ad Mundi indicandam stabilitatem soliditatemque; Trigonus cum globo, cubo inscriptus, significat Horum è trigono archetypo profluxisse; baculus Vpupæ capite insignitus, indicat Mundum rerum varietate fulciri veluti, & sustentari; lituus harmoniam Vniuersi; gnomon ordinem, & admirabilem rerum dispositionem designat; Horus denique labra premens, digitoque silentia suadens, ineffabilitatem mysteriorum indicat. Figuras hîc citatas vide fol. 151, 152. I. Tomi Oedipi.

Interpretatio Symbolorum Hori.

§ II.

De Triangulo, Quadrato, cæterisque angularibus figuris hieroglyphicè exhibitis.

SCiendum, Sacerdotes Ægyptios, vt alibi quoque probatum fuit, non tantùm arcana sua mysteria sub ingeniosa sacrorum animalium architectura; sed etiam sub varijs figuris Geometricis exhibuisse. Erant enim, vti Geometriæ inuentores; ita eiusdem præ cæteris mortalibus peritissimi, & arcanorum eiusdem probè conscij, vnde & ⲛⲁⲣⲇⲉⲛⲁⲇⲁⲡⲧⲏⲥ *Ardenadiptæ* dicebantur; ita quidem, vt huiusmodi scientiæ, quæ apud reliquas nationes summo in honore & pretio haberentur, paucosque earum peritos sortirentur, eæ in Ægypto penè vulgares essent, vt innuit Clemens lib. 1. Stromat. quem citauimus in Obelisco Pamphilio pag. 422. quem locum vide. Ægyptij igitur Sacerdotes Geometricis ritè imbuti; vti animum ad altiora Philosophiæ Sacramenta parabant; ita Geometri-

Clemens

cas

cas figuras, & numeralem scientiam ad perfectè philosophandum assumere solebant, quemadmodum ingeniosè in omnibus ferè hierogrammatismis partim per numeros, partim per Geometricas figuras præstitum videmus. Rerum siquidem arcanarum rationes penitiùs trutinantes, cùm comperirent, Deum & numeros, & Geometricas figuras, vti triangulos, quadrata, circulos, harmonicasque proportiones in suis operationibus affectare; easdem sanè meliori & comprehensibiliori modo quàm per dictas formas exhibere se non posse censuerunt. Quos secuti Pythagoras & Plato, sapientum Magistrorum sapientes discipuli, maxima quæuis mysteria sub ijsdem formis expresserunt. *Pythagoras.* *Plato.*

Ægyptij itaque vti per lineas, angulos, & figuras genesin rerum argutè indigitabant, ita iuxta genesin quoque figurarum corporumque ex punctis, lineis, & superficiebus resultantium, spiritûs Mundani processum notabant; qui ex vnitatis suæ puncto seu centro in circulos euolutus, in ijs nescio quid angulare primò in Mundo efformat, inferiori; hinc verò remeans, dum omnia Mundi corpora permeat, innumeras quidem figuras rectilineas infrà, suprà verò iuxta naturarum conditionem suas decircinat pericyclases. Atque hæc ita esse pulchrè docet Plato in Alcinoo c. 11. & 12. vbi ait, Mundum corporeum ex Elementis compositum, in quo processus rerum fit per lineas rectas, per quadrangulum fuisse indigitatum à priscis; quæ Scholiastes eius ita explicat. In Elementorum motu duplex linearum situs considerandus est, iuxta situm Elementorum duplicem: Terra & Aqua opposita latera in hieroglyphico quadrangulo, basim scilicet, & oppositum ei latus obtinent; quem situm semper planum, vel vt Mathematici loquuntur, terræ, siue Horizonti parallelum, vnum supra alterum sortiuntur: aër verò & ignis, quia sursum vergunt, hinc latera in hieroglyphico quadrangulo πρὸς ὀρθὰς prioribus lineis insistentia, aëris & ignis sursum vergentis naturam apprimè declarant; atque adeo quatuor Elementorum qualitates per quatuor quadranguli latera aptè exprimuntur. Cùm verò Sol Zodiacum perambulans, maximè elementarium siue mixtorum corporum miscellam incitet, & ad generationes rerum disponat; hinc per tria quadrata haud incongruè annum indigitarunt, qui teste Diodoro Ægyptijs in tres partes, scilicet in Ver, Æstatem, & Hyemem diuidebatur; quæ partes per tria quadrangula, vti & per quatuor latera, quatuor Menses, aut quatuor signa Zodiaci, quibus singuli anni trientes constabant, denotabantur: per hæc enim dodecamoria Sol, diuinus ille Osiris, Agathodæmon Aegypti, transiens, Elementa ad rerum omnium productionem excitat. Atque huic nostræ interpretationi haud *Plato.* *Quid per quadrangulũ.*





ablu-

Quomodo annum notarint Ægyptij.

abludit Horus his verbis; ἔτος τὸ ἐνιστάμενον γράφοντες, τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν &c. *Instantem annum significantes, quartam ἀρούρας* siue *arui partem scribunt*; (est autem ἄρουρα siue aruum terræ mensura, centum complectens cubitos;) *atque hoc ideo, quòd à Sothis ortu ad alterum quarta diei pars sit interiecta*. Cùm enim Solis annus 365 diebus absoluatur; Aegyptij quartò quoque anno superuacuum diem, quem ἐπαγόμενον vocant, computantes intercalabant; quatuor siquidem diei quadrantes diem perficiunt. Vide quæ curiosissima de hoc hieroglyphico in Prodromo, & deinde in nostra Astronomia hieroglyphica fusè tradimus. Vides igitur quomodo Agathodæmon ille supramundanus triformis ex triade illa Mundorum intellectualium incorruptibili, æterna, per circulos indicata, moueatur in triadem tetradicam, siue quaternariam Mundorum trium elementarium; ex simplici videlicet & immutabili, in angulosam, corruptionibus obnoxiam, variamque hylææ mistionis faciem, quam aptè quadrangula figura refert, feratur. Quæ vt paulò altiùs dilucidentur,

Laertius. Malchus Porphyr. Trianguli significationes.

Sciendum est, Aegyptios ad Dei signandas virtutes, Geometricis vt plurimùm figuris (quod Platonem & Pythagoram eos secutos fecisse Laertius & Malchus in vitis eorum ostendunt) vsos esse. Inter cæteras autem triangulum maximè obseruârunt; & in ipso tres iterum affectiones. Vel enim triangulus constabat tribus æqualibus lateribus, & dicitur Isopleuron; vel duobus tantùm, & dicitur Isosceles; vel tribus lateribus inæqualibus, & dicitur Scalenus. Per Isopleuron diuinitatis triformis in Mundum corporeum processum; vnde, teste Platone, corporei Mundi præsidibus Dijs dicabatur; per Isoscelem, processum eiusdem in Sidereum; per Scalenum, trium angulorum inæqualium, quorum prior rectus, alter tertij duplus est, Mundum alterationis, hoc est, elementarem: per circulum verò solitariam Dei triunam naturam, vt postea dicetur, aptè denotabant. Quomodo verò hunc ordinem & seriem generationis rerum omnium ostenderent, Alcinous Platonicus fusè & pulchrè deducit his verbis: *Cùm autem duo sint, ex quibus Mundus est constitutus, corpus & animus, quorum illud quidem aspectabile & tractabile, hic neque aspectabilis est, neque tractabilis; vtriusque vis & constitutio est diuersa. Corpus enim ipsum ex igne, terra, aqua, & aëre coagmentatum est; siquidem hæc quatuor, quæ sanè nullum ordinem elementorum priùs habebant, Mundi Opifex formauit pyramide, atque cubo, Octaedro, & Icosaedro, & præter hæc omnia dodecaedro. Materia enim quatenus pyramidis figuram suscepit, ignis extitit, quòd hæc omnium maximè secando & diuidendo sit accommodata, paucioribusque triangulis constet, atque idcircò sit rarissima: quatenus autem Octaedra facta est, simul aëris qualitatem accepit: sicut & aquæ, quatenus Icosaedri formâ est ornata: cubi verò figuram terræ attribuit, vt omnium maximè solidæ atque firmæ. At dodecaedrum ad ipsum Vniuersum accomodauit. Magis autem, quàm hæc omnia, ad principia accedit natura planorum; siquidem plana solidis sunt priora. Planæ verò naturæ duo quidem progenitores trianguli pulcherrimi, vnus Scalenus, alter Isosceles. Atque Scalenus eum vnum angulum habet rectum, alterū continentem duas tertias vnius recti, reliquum verò eiusdem partem tertiam; hunc quidem priorem dico. Hic*

Isopleurus.



Isosceles.

Scalenus.

Alcinous.

autem

autem Scalenus triangulus pyramidis, & Octaedri, atque Icosaedri Elementum est; cùm pyramis ex triangulis quatuor, omnia latera æqualia habentibus constituatur, quorum quilibet in sex triangulos Scalenos, quales modò dicti sunt, distribuatur. Octaedrum verò ex octo, qui similiter singuli in sex Scalenos diuidantur; sicut & Icosaedrum ex viginti. Alter verò (dico autem Isoscelem*) aptus est ad constituendum cubum, quoniam huius speciei quatuor trianguli coniuncti, quadratum absoluunt; sicut sex quadrata cubum. Dodecaedro autem ad Vniuersum Deus vsus est; quia in cœlo signa duodecim conspiciuntur in Zodiaco, quorum vnumquodque in partes triginta secatur; quemadmodum in Dodecaedro ex duodecim pentagonis composito, horum quolibet in quinque triangulos diuiso sex trianguli insunt; sicque in toto Dodecaedro trianguli trecenti sexaginta reperiuntur, quot & ipsius Zodiaci sectiones sunt. His igitur figuris, materia à Deo expressa mouebatur: primùm quidem rudibus vestigijs sine ordine, deinde ab eodem in ordinem adducta, secundùm rationem, quam in illa coagmentatione omnia inter se obtinent. Neque tamen hæc loco discreta manent, sed in perpetua agitatione sunt, eandemque materiæ afferunt; quoniam Mundi ambitu constricta pelluntur, & alternis pulsibus ipsa feruntur; ea quidem quæ tenuiorum sunt partium, in regionem crassiorum. Quare nihil omninò inane relinquitur, & corpore vacuum: atque in illis inæqualitas permanens concussionem affert, siquidem materia ab ijs agitatur, & hæc ab illa.*

Quomodo verò Plato ex mente Aegyptiorum quatuor regulares figuras composuerit ex Scalenis, cuius vnus angulus rectus, alter duas tertias vnius recti, reliquus verò eiusdem tertiam partem habeat, id est, cuius vnus angulus 90, alter 60, tertius 30 graduum sit; cùm huc usque Commentatores eius latuerit, nostrarum partium esse rati sumus, id geometrico ratiocinio hoc loco demonstrare. Primò itaque describebant triangulum æquilaterum A B C, ex cuius angulis ABC totidem perpendiculares A D, C F, & B E ducebant, diuidebaturque triangulus æquilaterus in sex triangulos Scalenos, omnes æquales, & similes, vti numeri ostendunt, quorum singuli vnum angulum rectum, & reliquos duos, partim 60, partim 30 graduum constituunt: & ij quidem, qui puncto medio S insistunt, 60; qui terminant in punctis ABC triangulum, 30; qui denique medijs lateribus in punctis F D E consistunt, 90 graduum sunt. Lateraque sortiuntur sub ea proportione, quam numeri 3, 4, 5, habent, quorum mysterium postea explicabitur. Huiusmodi itaque triangulum dicebant nunc geneticum, nunc γαμικὸν, sive nuptialem figuram, quòd principium esset generationis rerum omnium sublunarium; hoc pacto. Per basin B A notabant principium rerum passiuum, humidum videlicet, siue Isim; per normalem C B ipsi A B insistentem innuebant principium rerum actiuum, calidum videlicet, siue Osirin, masculam vim; per A C verò hypothenusam, ex vtroque compositum, siue Horum.





Triangulum geneticum quod è

Iam videamus, quomodo huiusmodi triangulis, Isoscele scilicet &

Scaleno, tanquam primis principijs quatuor figuræ regulares, & consequenter quatuor Elementa, quorum ea symbola sunt, producantur. Terræ symbolum, cubum, ita conficiebant: Isoscelem *a b c* quadruplicabant, & proueniebat quadratum, *a b c d*; hoc ductum in 6, cubum constituebat *a b c d i f g*; ita vt Isosceles, Proclo teste, esset terræ primum principium, quadratum verò proximum. Porrò ignis symbolum, pyramidem seu Tetraedron, ita conficiebant. Cùm Tetraedron quatuor constet triangulis æquilateris, quorum vnusquisque iterum, vti paulò antè ostensum fuit, ex sex Scalenis constituitur; 4 ducta in 6 producebant 24 Scalenos geneticos; (ita enim imposterum appellabimus huiusmodi triangulum.) pyramis itaque tetrapleura hoc pacto non ignem tantùm, sed & totum Vniuersum, in quod ignea vis se occultè diffundebat, notabat; hoc autem pacto in corpus id deducebant. Triangulum Isopleurum A C D subdiuidentes bifariam, duos efficiebant Scalenos B A C, B A D; quo quidem notabant processum Numinis ex Mundo archetypo in Mundum alterationibus mutationibusque expositum: hos Scalenos bifariam iterum secantes, producebant Isoscelia B F A, B E A, processus Numinis per influxum sidereum indices: hos Isosceles iterum bifariam secabant per lineam F E, & producebant quatuor triangulos Isopleuros A F E, F E B, E B D, F C B; quibus complicatis efformabant primum omnium solidorum corporum Tetraedron, triade abeunte in tetradem, id est, trianguli oriebatur figura quatuor planorum, siue pyramis trilatera, & ex tribus angulis nascebantur anguli duodecim, adeo vt in vnica hac figura haberent omnem totius Mundi tàm siderei, quàm elementaris seriem. Trigonus enim triade suâ rerum exprimebat generationem, vt posteà ostendetur; quaternarius laterum, Elementa; tria & quatuor coniuncta dabant septenarium siderei Mundi, septem planetarum circulis conspicui; duodecim anguli, Aplanes, siue Zodiaci duodecim denotabant dimensiones; figura erat acuta & pyramidalis, quâ innuebant ignem siue calorem, generationis rerum principium actiuum, quod Elementa, planetas, Aplanem, verbo omnia permearet. Iterum cùm Octaedron ex octo Isopleuris siue æqualium laterum triangulis constitueretur, quorum vnusquisque iterum ex sex Scalenis geneticis conficeretur; 8 ducta in 6 dabant 48 Scalenos, quibus constituitur Octaedron aëris symbolum. Denique cùm Icosaedron 20 triangulis æquilateris constet, vnusquisque autem eorum sex Scalenis; hi ducti in 20, dabunt 120 Scalenos, ex quibus tanquam principijs Icosaedron constituitur, ac proinde in aquæ symbolum fuit assumptum.





Cubus, terræ symbolum, quomodo constituatur ex triangulis.

Tetraedron, ignis symbolum, quomodo constituatur ex triangulis.

Mystica philosophia in Tetraedro.

Octaedron aëris symbolum quomodo fiat.

Icosaedron aquæ symbolum quomodo fiat.

Habemus itaque in Tetraedra pyramide 24; in Octaedro 48; in Icosaedro denique 120 Scalenos geneticos; ex quorum comparatione Plato ab Ægyptijs & Pythagoræis doctus in notitiam venit proportionis Elementorum, quam vnumquodque ad alterum obtinet. Nam quia ignis, aër, & aqua pro primo principio Scalenum habent, terra verò Isosce-

Plato ex comparatione triangulorum venit in notitiam proportionis elementorum.



ſcelem; collegit, hæc omnia in ſe inuicem nequaquam diſſolui atque permutari poſſe, terram, inquam, cum reliquis tribus; tria verò aërem, aquam, & ignem, ob commune ſingulis principium geneticum, in ſe inuicem actu diſſolui & permutari. Significauit quoque, quæ in numeris triangulorum, ex quibus tanquam ex primis principijs tria elementa conſtant, proportio exiſtit inter 24, 48, & 120, eandem eſſe in denſitate & raritate ſubſtantiæ inter ignem, aërem, & aquam, proportionem; vt ſcilicet ignis aëre ſit duplo rarior, aquâ verò quatruplo; & ſe habent ſicuti Scaleni Tetraedri 24, ad Octaedri Scalenos 48, & Icoſaedri Scalenos 120. Cubus verò terræ ſymbolum, vti ex heterogeneo, videlicet Iſoſcele triangulo componitur; ita quoque cum reliquis tribus Elementis ex hoc ipſo permutari non poſſe iudicauit; ſubeſſe tamen cubo terræ ſymbolo harmoniam quandam totius harmoniæ Mundanæ moderatricem, ex partibus eius cognouit, videlicet ex ſex planis, duodecim lineis, octo angulis ſolidis, viginti quatuor planis, ex quibus cubus conſtat, id eſt, proportiones harmonicas 6 ad 12 duplam, diapaſon; 6 ad 9 ſeſquialteram, diapente; 12 ad 8 ſeſquitertiam, diateſſaron; 8 ad 24 triplam, diapaſon diapente; 6 ad 24 denique quadruplam, diſdiapaſon. Cubus totius Vniuerſi harmoniam continet.

Sed præter has quatuor ſolidas figuras regulares, quintam etiam conſtitui poſſe videbant ex pentagonis, quorum tria in vnum compacta, ſolidum angulum conficerent, atque ita figuram complerent duodecim baſium, ſiue dodecaedram, vt corpora, quæ naturâ conſtant, omninò reſponderent Mathematicis, quæ Pythagorici Ægyptios ſecuti, naturalium ideo rerum prima dicebant principia. Atque hoc dodecaedron Vniuerſo adſcribebant, non vt nonnulli putant, quintæ eſſentiæ ſuperlunari, ſed quinto magno corpori Vniuerſi, ex quatuor primis corporibus ſimplicibus compoſito. Hoc pacto igitur cùm duodecim pentagonos Iſopleuros, quorum vnuſquiſque in quinque Iſoſcelia diuidebatur, ita in vnum coaptari poſſe viderent, vt nihil vacui remaneret inter commiſſuras laterum, ac prætereà, hos in centro circuli coniunctos duodecim pyramides pentagonas conſtituere; myſterium Vniuerſi ſubolfacientes, per duodecim latera dodecaedri primò duodecim ſedes Zodiaci, quem ipſi totius Vniuerſi terminum dicebant, referebant; hæ enim ſedes quaſi ſtellarum radioſo influxu in centro terræ coniuncti, totidem pyramides conſtituebant pentaedras, duodecim penetralium, per quæ Numina in inferiorem Mundum influerent, ſymbolum, de quorum myſtica ratione cùm in Obeliſco Pamphilio iam egerimus, eum Lector conſulere poterit. Quemadmodum itaque hæ duodecim pyramides pentaedræ verticibus ſuis in centro terræ connexæ, ita aptè coniunguntur, vt nullum vacuum intermedium reliquant; ita Mundi vita per Numina, quæ dodecaedris Zodiaci præſident, ita per omnia diffunditur, vt nihil ſit, quod non eam participet. Iterum quemadmodum cubus terræ ſymbolum ex Iſoſcelibus componitur, ita & pentagoni dodecaedri; quo quidem myſterio, neſcio quem occultum conſenſum notabant, Zodiaci maſculi cum Terra fœmina, è quorum coi-

Dodecaedron quomodo fiat.

Dodecaedron Vniuerſum notat.

tū omnia naſci dicebantur. Nam ſicuti ex biſectione Iſoſcelis & pentagonorum in dodecaedro naſcuntur Scaleni, ita ex terra ceu principio paſſiuo, atque ex motu planetarum ſub 12 Firmamenti (quæ ſunt veluti principium quoddam actiuum) ſignis influxuque in terram facto, naſcuntur Scaleni genetici, hoc eſt, omnia in Mundo ſenſibilientium diuerſa genera.

Triangulum æquilaterum Deum vt creantem notat.

Vides igitur, quomodo ex primis & ſimpliciſſimis lineis & figuris ad corporum geneſin, totiuſque corporeæ naturæ arcanum procedebant. Sicuti autem per circulum centro, radio, circumferentia trinum, triunam diuinitatem, ita per triangulum æquilaterum triunam diuinitatem in operibus creationis ſeſe exhibentem, vti dictum eſt, notabant. Et circulus quidem nihil ex ſe gignit, vtpote complementum, & polygonorum omnium maximum infinitis lateribus conſtans, abditè ſolitariam vnitatem trinam ſignat; trigonus verò principium totius generationis, omnium reliquorum ſiue figurarum polygonarum, ſiue corporum, vt paulò antè oſtenſum fuit, genitor eſt. Hunc proximè ſequitur Iſoſceles, terræ & firmamenti ſymbolum; quod ſequitur, Scalenum rectangulum, ad

Triangulum Scalenum quid notet.



ſumma geneticæ naturæ myſteria indicanda. Conſtat rectangulum Scalenum, vti ſuprà dictum eſt, tribus lateribus inæqualibus, totidemque angulis, recto vno, & duobus acutis; per rectum, conſtantem & immutabilem naturæ in operando legem; per duos reliquos, vnum maiorem ſubduplum, motum augmentationis, per tertium ſubſeſquialterum diminutionis diuiſioniſque rationem indicabant. Per lineam præterea inferiorem, quæ baſin trianguli conſtituit, ſignificabant, teſte Plutarcho, principium paſſiuum rerum, maximè terram ſiue Iſidem; per normalem ei rectà inſiſtentem, principium rerum actiuum, formam Oſirim ſiue Solem; per hypotenuſam denique ſiue ſubtenſam, vtramque lineam coniungentem, compoſitum, Horum, filium ex vtroque natum acutè indicabant, vt paulò antè etiam diximus.



Sed videamus modò arcanum Totius ſub citati Scaleni figura reconditum. Latera huius ſe habent ad inuicem, ſicuti 3, 4 & 5, vt in figura patet, vbi vides ſub triangulo Iſopleuro ternarium numerum, quaternarium ſub Iſoſcele, quinarium verò ſub Scaleno contineri. Porrò 3, 4 & 5 ſimul iuncta faciunt duodecim, dodecaedron naturę. Vnde ſicuti numeri in nume-

numeris, lineæ in lineis, figuræ in figuris implicitè continentur, ita omnia in omnibus esse, occultè hisce præfigurabant. Præterea latus A B 3 in se ductum, conficit 9; latus BC 4 in se ductum constituit 16; quæ simul iuncta constituunt tantum, quantum latus A C 5 in se ductum, videlicet 25, arcanum ingens in Mathematicis, & inuentionum infinitarum ferax, ab Aegyptijs primùm inuentum, à Pythagora verò sub suo nomine propalatum; quo mundanorum corporum, adeoque totius Vniuersi genesin, per geneticos triangulos, subtili sanè ratiocinio, indicabant.

CAPVT III.

De pyramidis mysterijs hieroglyphicis.

PYramis est figura solida, cuius ab vno planorum educta latera ad vnum summitatis verticem confluunt, estque id in solidis, quod triangulum in planis; vtraque figura & planorum & solidorum prima, ita vt sicuti omnes animo conceptibiles figuræ planæ ad vnum triangulum, ita solidorum ad vnam pyramidem reuocentur, & in eam resoluantur. Et licet multæ possint esse pyramidum species, vt triangulæ, quadrangulæ, pentagonæ, &c. Aegyptij tamen potissimùm ad mysteria sua indicanda, quadrilateram pyramidem assumpsisse videntur. Quam duplicem statuunt, integram, & detruncatam; illam vti animabus corporibus alligatis, ita hanc toti Vniuerso applicabant, vocabantque Obeliscum seu digitum Solis, neque recto laterum tramite in punctum abibat, sed paulò antè apicem in pyramidem desinebat; quâ quidem mysticâ fabricâ quid voluerint, hoc loco ex professo indicare visum est; & primò quidem de pyramide propriè dicta, deinde de Obelisci mysterijs tractabimus, delibantes nonnulla ex Obelisco Pamphilio.

Cùm, teste Clemente lib. 6. Stromat. nihil apud Aegyptios actum sit mysterio non refertum, adeo quidem, vt vel ipsæ domus, templa, instrumenta, habitus, quos vel in Deorum cultu, vel in sacrificijs peragendis solenni pompâ portabant, imò ipsi, quos faciebant nutus & gestus, mysticum quoddam essent rerum altissimarum per huiusmodi significatarum ἐκτύπους; certè nequaquam temerè, aut sine ratione, aut ornatus tantùm gratia, vt multi perperam sentiunt, in hieroglyphica sua sapientia posteris repræsentanda Obeliscis vsos esse putabimus; sed summo studio, & insigni quâdam mentis inuestigatione eam sibi comparare voluisse figuram; quæ ipsamet mysterijs referta, mystico symbolorum contextui vndequaque responderet. qualem pyramidem quadrilateram esse in sequentibus copiosè monstrabitur; nam quicquid Hierophantæ particularium rerum sub symbolis expressarum descriptione connotabant, hoc totum in exteriori Obelisci, aut paramidis facie, veluti in Synopsi quadam, aut in saxeæ cuiusdam epigraphes rudimento ἀνακεφαλαιωτικῶς vniuersim repræsentabant; adeo vt in naturæ penetralibus nihil adeo absconditum sit, quod hic non præfiguratum videatur. Atque hæ sunt illæ maximæ columnæ, de

Apud Ægyptios omnia mysterijs plena.

Obelisci figura mysteriosa.

quibus Iamblichus, in quibus veluti ſub Sileno quodam Aſtrologiæ, Geometriæ, Muſicæ, Arithmeticæ, Theologiæ, ac Philoſophiæ reconditioris maxima quæuis myſteria recondita latent; & è quibus Pythagoram, Platonem, alioſque inter Græcos Philoſophos doctrinam, & veram philoſophandi rationem didiciſſe, in Obeliſco Pamphilio ex Iamblicho oſtendimus. Sed vt, quæ verbis tantopere iactamus, ea ſic ſe habere, opere ipſo monſtremus;

Materia prima per Obeliſci figuram indicata.

Dicimus primò, per pyramidem ſeu Obeliſcum Ægyptios rerum naturam, & informem illam materiam, quæ innatum quendam ad formas recipiendas appetitum habet, repræſentare voluiſſe. Sic enim Abenephius ſentit; verba eius ſunt:

Abenephius.

وصورة المثلث فرعون كانوا يعنون العنصر

Hoc eſt: *Per ipſam figuram pyramidum ſignabant materiam primordialem.*

Artephi.

Cui conſentit Artephi Arabs in capite quo probat: *Ex puncto omnia*; & poſt eum apud Pierium Anonymus quidam citatus pulchrè deducit. Sicut enim pyramis à ſummo faſtigio velut à puncto incipiens, per lineas, in ſuperficies, & corpus abiens, paulatim in omnes partes dilatatur; ſic rerum omnium natura ab vnico principio & fonte, qui diuidi nequit, nempe à Deo ſummo Opifice profecta, varias deinceps formas ſuſcipit, ac in varia genera atque ſpecies diffunditur, omniaque apici illi & puncto, à quo omnia manant & profluunt, coniungit. Quo ſanè optimè repræſentari videtur primogenia illa Mundi origo, quâ omnes Mundi partes conformatæ, illam, quam nunc videmus, ſpeciem effecerunt. Erat enim olim Mundus informis & cœnoſus, nondū diſcretis rerum notis integritatem ſuæ formæ adeptus; nam neque tellus centrum ſuum pro fundamento rerum omnium ſtabilierat, neque cœli perpetuus motus certâ ſede voluebatur, ſed omnia ſine Solis vſu immota, triſtique depreſſa ſilentio languebant; aliud extabat nihil, quàm informis diffuſæ materiæ ſegnities, antequam principium illud, à quo producta & conſtituta ſunt omnia, ſalutiferum vitæ motum depromens, Mundum Mundo redderet, cœlumque à terra, & pelagus à Continente diſtingueret. Quo tempore prima rerum Elementa quatuor, ex quibus ceu radice ac generis principio nihil non gignitur, per pyramidis quadratam baſin repræſentata ordinem ſuum ac formam propriam acceperunt. Aliam pyramidis rationem dat Agazaël Arabs lib. 1. de Aſtrologia iudiciaria, nimirum Aſtronomicam, in hunc ſenſum. Tradunt enim, inquit, in cœleſti illa machina circulum eſſe, ſub quo Sol, & reliqua errantia ſidera curſus ſuos circuituſque conficiant, & in quo omnium animantium vita, rerumque naturalium ortus atque interitus ſit poſitus; adeo vt etiam Ariſtoteles lib. de ortu & interitu dicat generationis & corruptionis, omniſque mutationis



Mundus rudis, indigeſtaque moles.

Agazaël Arabs.

4 Elementa per Obeliſci 4 latera indicata.

vel

vel incrementi causam esse accessum & recessum Solis in circulo illo obliquo; quem ideo, quòd ab eo animantium vita dependeat, Astronomi appellârunt Zodiacum. Hunc igitur circulum, cui soli inter cœlestes circulos latitudo tribuitur, in duodecim partes, seu δωδεκαμόρια, quas mansiones vocant, partiuntur Ægyptij, iisque singulis singulos Angelos seu Dæmones, quos minores Deos appellant, præficiunt, aiuntque cum illis diuidi etiam inferiora omnia, adeo vt quicquid sub vno ex illis ad centrum vsque terræ continetur, id omne ei dodecamorio, eique præsidi Angelo subiectum dicatur; & hoc signum seu dodecamorium voluit esse veluti pyramidem quandam, cuius basis in Zodiaco, apex in centro terræ, de quibus sic Iamblichus lib. de myster. Ægypt. *Diuidentes,* inquit, *cœlum in partes duas, vel quatuor, vel duodecim, vel triginta sex, vel harum duplas, vel aliter quomodocunque; principatus his quoque præficiunt aut pauciores, aut plures. Rursum Ducem vnum his anteponunt, atque ita hic Ægyptiorum tractatus de principijs est veluti per pyramidem, quæ à basi, id est, à multitudine progrediens in vnum, ab vno descendit in multitudinem, ab vno videlicet gubernatam, à Deo vndique indefinita natura, sub quodam termino definito sit imperiosè comprehensa, præcipuè verò ab excelsa omnium causa vnitate. Materiam verò produxit Deus materialitate, videlicet ab essentialitate subderiuata, quam Opifex vnitatem assumens, simplices, impatibilesque sphœras effecit, ipsam verò postremùm accepit ad generabilia & corruptibilia corpora conficienda.*

Zodiaci, Deorumque singulis eius partibus præsidentium distributio.

Iamblichus.

Cùm itaque in hisce Zodiaci pyramidibus omnia fiant, accessusque Solis ortum rerum, recessusque ab illis earundem interitum causet; certò minimè incongruè rerum omnium naturam per pyramidem repræsentarunt; imò singulis istis duodecim dodecamoriorum pyramidibus, totidem Horoscopos, Decanos Vsiarchos præfecisse, Author est Mercurius cap. 8. ad Æsculap. quod sic incipit: Καὶ γὰρ δαίμονων χορεῖ, & sic deinceps, hoc est, *Circa ipsum quamplures sunt Geniorum cœtus, varijsque copijs conferendi; ac familiares, non procul ab immortalibus existentes; hanc autem regionem sortientes humanis Ephoros agunt; quæ autem à Dijs iubentur, exequi pergunt, turbinibus, procellis presteribus, ignis mutationibus, terræ motibus, insuper furia è bellis, impietatem vlciscentes.* Et paulò post: *Sol autem est omnis generis conseruator & educator,* & cœtera quæ sequuntur. quibus verbis nihil aliud insinuat, quàm diuersitatem effectuum ex diuersarum stellarum, in diuersis dodecamorijs existentium commixtione productorum.

Trismegistus.

Atque hi sunt duodecim illi Horoscopi Dij, quibus præesse dicit Pantamorphum cum septem Vsiarchis, de quibus multa citato capite Trismegistus; qui quidem nihil aliud sunt, quàm duodecim signa Zodiaci, quos illi duodecim minores Deos; & septem planetæ, quos Vsiarchos seu maiores dicebant Deos & Dæmones. Vnde Artephi loco suprà citato ita loquitur:

Zodiaci 12 signa cum Dijs suis.

Pantamorphos quis? Vsiarchi qui?

وكان في فين شمس الهيكل الشمس وفيه ثني عشر من الاعمود مثين لين اثني عشر البروج الاسرار العناصر

Artephi.

Fuit autem Heliopoli Templum Solis, & in eo duodecim columnæ, significantes duodecim signa Zodiaci, & Elementorum arcana: id est, duodecim Horoscopos

12 Obelisci Heliopoli.

pos Dæmones, veluti duodecim Solis quosdam Consiliarios, ac rerum omnium inferiorum effectores, ac fatorum arbitros dispositoresque. Erat autem hoc vnum inter cœtera dogmata Ægyptiorum, vt crederent, omnium rerum in hoc Mundo existentium perfectiones, bonorum item ac malorum corruptiones, latentes rerum consensus & dissensus, item spiritus & materiæ in vnum compositum coeuntium mixturam, non fieri, nisi

Sphæra Amoris.





pyramidali quodam progressu. Adeo quidem, vt ea entia, quæ ab omni corruptionis consortio remotissima sunt, pyramidis suæ basin supra Solis Lunæque vias in Zodiaco supramundano fundantia, apice suo deorsum verso corporearum rerum orbitam non tangant nisi in puncto. Contrà verò illæ res, quæ terrenæ mistionis inuolucro vestitæ in Mundo elementari cernuntur, pyramidis suæ basin contrario situ in corruptionis centro fundatam habentes, apice sursum verso, immortalium rerum orbitam non nisi in puncto minimo tangant. Hinc illam A B C lucis; hanc D E F tenebrarum pyramidem appellabant, arbitrabanturque pyramidem tantò plùs terrenis rebus immixtam, & tantò maiorem de luciditate sua iacturam facere, quantò plùs inferioribus terrenisque rebus immixta, approximauerit. Alteram verò, quantò plùs à rebus corruptibilibus remota ascenderit, deque terrena & corruptiua qualitate expeditior fuerit, tantò plùs lucis & fulgoris acquirere, donec in immensitate luminis, velut in mari gutta quædam absorbeatur, vt in suprapofita figura patet. Hinc animam lucidæ comparabant pyramidi; corpus tenebrosæ. Nam animam cor-

Lucida & tenebrosa pyramis quomodo sumantur.

Rabbi Moses sol. 32.

po-

poreis voluptatibus, & cœnosis delicijs immersam, grauem, torpidam, & tenebrosam; eam verò quæ rectæ rationis ductum secuta, ad incorruptibilium & cœlestium rerum contemplationem sese eleuauerit, lucidam, cœlestem, & Angelicam appellabant; à Zoroastre, ni fallor, edocti; qui eandem Animam dicebat alatam esse; alas perdere, cùm corporeis cupiditatibus & vitijs acquieuerit; eas recuperare, cùm ijs repudiatis cœlestia petierit. Vnde Sphynges ἱερογλυφικῶς alatas efformabant. Sed & Animam hominis veluti igneæ naturę sub pyramidis forma adumbrare, vtpote quæ corpori non secus ac basi, vel ignis fometto adhæreat, voluisse videntur; dum magnifica Regum atque Heroum sepulchra sub ingentibus pyramidibus construxerunt, vt testarentur, corpore soluto & corrupto animam superesse, quæ cùm summo Opifici visum esset, hoc est, circulo illo Hermetico 36500 annorum circuitu, aliud corpus subintrans electura sibi esset; eâ ferè ratione, quâ pyramis, vt Geometris notum est, vertice immoto manente, circumductâ basi, circulum describit, & toto corpore conum; vt circulus annorum illud curriculum significet, conus verò corpus, quod curriculo illo conficitur. Nam Ægyptiorum fuit illa opinio, de rebus in eundem statum 36500 annorum spacio restituendis, & ab illis se accepisse testatur Plato; cùm in Timæo ait, sic factam fuisse à Deo animam: vnam accepisse illum ex Vniuerso portionem, quæ procul dubio Vnita puncto illi, quod in pyramidis vertice est, significatur; secundam autem primæ partis duplam; tertiam, secundæ sesquialteram & primæ triplam; quartam secundæ duplam; quintam tertiæ triplam; sextam primæ octuplam; postremò septimam, quæ partibus viginti sex primam excederet. Post hæc dupla & tripla interualla repleuisse. Quibus numeris certè nihil aliud significat, nisi expansionem illam linearum, quæ à puncto ad basin tractæ angulum efficiunt; & per interualla ipsas superficies, quæ lineis clauduntur. Ex quo apparet, illum hæc quoq; ab Ægyptijs accepisse.

Anima alata.

Quid Ægyptij per pyramides indicent.

Annus magnus Hermeticus quis?

Animæ compositio ex Platone.

Nunc porrò, quâ ratione dicta mysteria per mysticos numeros in Obeliscorum figura contentos expresserint, videamus. Et primò quidem in Obelisco considerandus est apex, deinde basis, postea latera, tandem anguli, tàm plani, quàm solidi, & superficies, quæ omnia mysterijs nequaquam carent. Apex Obelisci supremum illud rerum, à quo omnia profluunt, denotabat fastigium. quid porrò dyas, quid trias in Obelisco denotauerit, cùm de ijs omnibus tùm in præcedentibus, tùm in Obelisco Pamphilio fusè egerimus, eò Lectorem remittimus; quare breuiter tantùm hoc loco, quæ sparsim hinc inde dicta sunt, repetemus. Et quidem dyadem per duarum quorumuis laterum linearum fluxum, triadem per triangulum, tetradem siue quaternarium numerum in Obeliscis exhibebant per quatuor latera; sed diuerso modo: Primò, in pyramidio quaternarium triangularem, deinde in reliquo trunco Obelisci quaternarium quadrilaterum. Per illum occultè innuebant Mundum Angelicum, in quantum ex centro diuinitatis, quæ per apicem Obelisci appositè indicatur, in naturam genialem diuinæ naturæ immediatum signaculum trigo-

Quatuor in Obelisco triangula, & quadrilatera quid significent.

no diuinitatis charactere insignitæ diffunditur; per quatuor latera Mundi quadripartiti præsidium in duodecim Mundi arces distributum. quod aptè singuli tres numeri, 4 triangularium superficierum denotant; 3 enim in 4 ducta, conficiunt 12: iterum 3 ad 4 iuncta vti 7 constituunt, ita totius naturalis perfectionis Genialis Mundi Sacramentum indicant. Quatuor verò latera triangularia ad quatuor latera quadrangula iuncta, 8 constituunt, influxus Angelicæ naturæ in Mundum corporeum aptissimum symbolum. Quibus si basis accedat pyramidis, iam enneadem mysticam, Angelici & corporei Mundi symbolum, pulchrè indicabant; quem & 9 anguli solidi, qui in Obelisco quolibet considerantur, notabant. His denique si accederet apex pyramidis, iam 10 constituebantur, quo totius naturæ, & trium Mundorum, Archetypi, Angelici, ac corporei Mundi complementum innuebant. quem numerum tetras illa siue quaternarius numerus implicitè continebat; si enim 1, 2, 3, 4 ordine posita sibi inuicem iunxeris, prodibit decas illa mystica, siue tetractys, tanto à Pythagoricis silentio celebrata, tantis mysterijs inuoluta. Quæ per duos quinarios pulchrè indicabant, quorum priore influxum diuinæ naturæ in Mundum Angelicum, altero verò creaturarum siue corporei Mundi sinum, quadrangula basi sursum, versus centrum continuâ diminutione laterum facta, notatum, aptè insinuabant. Præterea vnitatem formalem in sinu diuinitatis latentem per apicem indicatam cuicunque rerum ordini adiunxeris, semper 10 constitues, rerum omnium complementum, diuinæ per-

Vnitas formalis Dei per apicem indicata.



fectionis typum & exemplar. Si enim 1 ad 9 tripartitam Angelici Mundi triadem adiunxeris, 10 constitues, numerum omnia exhaurientem, typum diuinitatis, omnia complectentem. Si ad 2, in quibus vnitas duplicata residet, 8 iunxeris, habebis Angelicæ, per vnitatem formalem in Mundum inferiorem influxum, videlicet in Mundum sensibilem, per 8 cubicum numerum aptè insinuatum. Si iterum 3, id est, Triadem illam totius perfectionis exemplar, 7 perfectionis mundanæ symbolo adieceris, habebis iterum 10. Si quaternarium, siue tetractyn illam tantopere à Pythagora celebratam, 6 siue senario numero operationum mundanarum symbolo adieceris, denuò resultabunt 10. Si denique 5 duplaueris, id est, duos quinarios simul iunxeris, idem denarius numerus emanabit. Vides igitur quomodo ordines mundanarum constitutionum sibi inuicem adiuncti semper producant 10, id est, vnitas formalis in singulis Classibus implicata, reliquis numeris creatarum rerum symbolis adiuncta, semper 10 constituat, totius Vniuersitatis cum Authore suo aptum hieroglyphicum. Præterea 1 ad 2 iuncta dant iterum triadem; hæc ad triadem iuncta generat tetradem; & hæc rursus tetradi iuncta, pentadem; & sic

sin-

ſingulis numeris ordine naturali continuatis illa adiuncta generat hexadem, heptadem, octadem, enneadem, decadem omnium complementum, vltra quam nullus alius, niſi replicatus numerus datur. Hanc itaque philoſophiam myſticam ſub numeris opportunè in Obeliſcorum figura exhibuerunt Veteres.

CAPVT IV.

De Sphœra hieroglyphica amoris omnia connectentis.

REperitur non rarò inter hieroglyphicas inſcriptiones character quem ΦVΛO, *Philo*, id eſt, amorem vocant Ægyptij, ſignantque eum hoc



Sphœra Amoris.

modo ⦶ I. Conſtructuſque eſt è literis nominis ΦVΛO, ſphœramque amoris exprimit; Φ enim Sphœram ABCD cum diametro CD exhibet, cui Λ anima Mundi ſiue triforme Numen incubat; V lucidam pyramidem F E D, ſiue deſcenſum animæ Mundi ex ſupernis ad inferna, notat; Λ contrà nigram pyramidem G H C, ſiue aſcenſum, ſiue ex infernis & materialium rerum miſcella motum ſignat; O denique ambitum ſphœræ ABCD, ſiue cyclicas animæ Mundi per omnia Mundi membra conuerſiones arcanè innuit. Poli huius ſphœræ ſunt A B, circa quos ſphœra amoris

vertitur; æquator φιλο κύκλω est CD; tota autem sphæra, vt dixi, ex voce ΦΥΛΟ componitur, estque μονόγραμμον Ægyptiacæ vocis ΦΥΛΟ. Atque hæc vox ponitur in Bembina tabula in inferiori Selide in tabella quadam, quam homo κωνοθηριόμορφος siue Scarabæi formam indutus, inter cheles continet, estque mundanæ constitutionis, vniuersarumque Mundi partium ordinis symbolum. Cùm itaque hæc naturæ fabrica plena mysterijs, atque adeo concinna singularum partium ex puncto in infinitam propè peripheriarum amplitudinem emanantium adaptatio sine vinculo consistere non possit, aptè sanè vocem amoris nomine insignitam reposuerunt, vt eo videlicet Mundum sine amore siue vnione partium conseruari nequaquam posse, indigitarent, iuxta illud Orphei:

Μοῦνος γὰρ τούτων πάντων οἴηκα κρατύνεις.

Hæc litera Amoris in Mundo processum denotat.

Et quoniam totam Mundanæ sphæræ fabricam hoc amore replet, aptè sanè nomen amoris in ipsa sphæra expresserunt. Amor enim non tantùm versus inferiora demittit radios, quo cuncta viuificet, verùm & virtute naturali seu magica naturarum cognatione sursum attrahit, & in amplexus mutuos plena conuersione compellit. Sic enim fit progressus vel descensus à Deo, seu vt Platonicè loquar, Animâ Mundi per Mundi res vniuersas, vsque ad materiem, quem processum descensumque aptè pyramidalis litera Λ refert; & hinc per naturam denuò reditus, ad naturæ præsidem, videlicet Monadem illam indiuiduam pyramidis mundanæ apicem. Similiter ascensus ad vastissimorum cœlorum peripherias per intermedia Mundi spacia à centro Vniuersi, non absurdè per radiosum seu inuersæ pyramidis literam V. indicatus, quid aliud significat, nisi magicam illam amoris superiora inferioribus connectentem catenam, in reciproca singularum partium conspirationem defixam? Vnde non malè amorem ita summus Philosophus Areopagita definit, vt quidam sit *Circulus à bono in bonum perpetuò reuolutus*. Nam vt à Deo incipit, & allicit, perfectæ pulchritudinis rationem præsefert; vt autem in Mundum transit, amor potissimùm dicitur; voluptas denique, prout in Authorem remeans pulchro exemplari, pulchram imaginem, pulchrâ reuolutione conuertit. In hoc circuitu per omnia penetrans, sursum eadem secum, deorsumque volui continuò facit; non secùs àc Solis simplex radius per se vniformis in cœlo lucem, splendorem in æthere, in elementis lumen, in mistis corporibus colorem lucidum creat. Patet itaque quòd amatorius ordo sit causa conuersionis in rebus omnibus ad diuinam pulchritudinem & formam principem, atque (vt verbis Procli vtar) reducat sequentia ad illam omnia, eique coniungens, & coniuncta confirmans, & mox inde sequentia replens, diuini luminis dotes inde scaturientes per vniuersa distribuat. Quod quidem Aegyptijs aliud non fuit quàm Anima Mundi, siue Triforme Numen, rerum omnium in Mundo causa & origo; quam aptissimè sanè expresserunt in hieroglyphico Schemate inferius posito alati globi serpentibus hinc inde prosilientibus circumsepti, mundano Systemati suprapositæ figura. Atque globus quidem nihil aliud, quàm Orbem primò archetypum, deinde Vniuersi designat, vt in præcedentibus probatum est.

Quid Amor propriè sit iuxta Dionysium.

Amatorius ordo causa rerum.

Alis,

Alis, teste Macrobio, Martiano, & Apuleio, vis subtilis & celer omnia penetrans in Mundo denotabatur; vt vel hinc alatam animam Aegyptios tradidisse mirum non sit, cùm plerique Platonici è Zoroastris doctrina Aegyptiorumque id passim doceant. Serpentem verò fœcundi Spiritus symbolum esse Porphyrius apud Eusebium l. 2. c. 3. Euangelicæ præpar. abundè docet, adeoque clarè à Virgilo ostenditur, vt ad hoc symbolum Animæ Mundi omnia penetrantis viuificantisque vnicè respexisse videatur, dum canit: *Macrobius. Martianus. Apuleius. Porphyrius.*

Principio Cœlum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra.
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet. *Virgil. Maro. l. 6. Aeneid.*

Meminit huius hieroglyphici Barachias Abenephi Arabs lib. de Veterum Aegyptiorum disciplinis, quem, volente Deo, breui latinitati donatum publici iuris faciemus. ita autem dicit: *Abenephi.*

والدور مجنح معلق محيت هو علامة نفس وروح العالم

Globus, inquit, *alatus, serpentibus circundatus dum pingebatur, symbolum erat animæ seu spiritus Mundi*. Et ex Tabula Bembina id clarum fit, vbi ijs hieroglyphicis Schematis, quæ magna mysteria continere censebantur, plerumque hoc symbolum ad faciliorem animæ Mundi attractum ponebatur. patet hoc ex eo, quod sub Throno pantomorphæ naturæ eiusdem Tabulæ hisce hieroglyphicis expressum ponitur; vbi super alatum globum serpente sceptrigero instructum characteres sacri currentes, circulus, hemisphœrium, atque character ἴχματος figura posita, hunc sensum faciunt. Coniungitur inferius ei, quod superius, virtute Animæ Mundi omnia viuificantis, cuius imperio omnia subsunt. Hieroglyphica vnà cum lectione eorundem sequuntur. *De Obeliscis Pharaonis.*

Porrò quomodo Amor animam Mundi moueat, ad omnibus Mundi partibus sese insinuandam, pulchrè declarat Hierotheus. Ait enim *amorem esse vim quandam Animæ Mundi propriam, rebusque insitam, quæ superiora moueat ad inferiorum prouidentiam; inferiora, vt versus sublimia conuertantur; æqualia denique ad socialem inuicem sui communionem*. Vnde meo quidem iudicio, Amorem rectissimè statuas vt desiderium quoddam boni pulchrique, vel bonitatis per pulchritudinem ipsam conferendæ vel accipiendæ, videlicet cuius potestas veluti vnius sit magnitudinis dimanatio, cuius *Amoris definitio. Hierotheus.*

pun-

punctum vel apex sit primus in Deo progressus per Mundum triplicem triplicitèr distributum, finis autem in ipsa materie, cuius denique quædam sit infinitudo circa verticem, potentiæ meræ infinitudo circa materiem, connexionis virtus infinita per omnes naturæ intermedios gradus.

Amoris vis in Vniuerso. Dionys. Areop.

Nunc ad amorem redeamus, cuius prior effectus est Vniuersum. Amor enim, teste Dionysio, non permisit Regem omnium sine germine permanere. Idem propagandi studium ab Authore primo in omnes eiusdem imagines dimanauit. Per hunc enim Intelligentiæ cœlos mouent, & sequentibus omnia sua munera largiuntur. per hunc sidera suum lumen in Elementa diffundunt, ignis aëri, aër vim suam communicat aquæ, aqua terræ, elementa simplicia mistis quibusque siue compositis rebus, plantæ & animalia speciei suæ multiplicandæ desiderio largiuntur, iuxta illud Georg. 3.

Omne adeo genus in terris, hominumq́ue, ferarumque,
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq́ue volucres
In furias ignemq́ue ruunt; amor omnibus idem.

Per eiusdem amoris impulsum obediunt vicissim inferiora supernis maximè. Sic terra tractabilis aquæ, & hæc in aërem deinde resoluitur, aër in ignem, ac dein per poros insensibiles digesta in æthera, sublunaris substantiæ portiunculæ firmioris paulatim concretionis, atque coaguli particeps, rapitur altiùs in cœli occultas fibras, vbi quemadmodum in animantibus fieri solet, elaborata magis magisq; apponitur primùm, inde agglutinata assimilatur penitùs, & in cœlestem indolem transmutatur. Quis igitur iam non videt, quàm apposite monogrammum illud vocis ΦΥΛΟ Vniuerso adaptetur; certè cùm hoc paulò profundiùs scrutarer, tunc illud Iamblichi verum esse cognoui; *Characteres Ægyptiorum haudquaquam fortuitò, aut temerè, sed magno ingenio ad naturæ exemplar fabricatos esse.* vti in hoc vel maximè elucescit; in quo sub duabus pyramidibus contrario processu implicatis in charactere sphœrico Φ, subitò coluri, meridiani, tropici, & æquator, amoris Mundi, id est, Solis semitæ (in Sole enim maximè amor viget mundanus) tota deniq; amoris sphœra elucescit; vt vel hinc intelligeretur, Amorem per Vniuersum diffusum omnibus in rebus esse. Cùm verò magna rerum in hoc Mundo sit diuersitas, necessarium est, eum ex contrarijs sæpe nasci: neq; enim vlla pars Mundi alteram odit, nisi amore sui, vt pulchrè in explicatione conuiuij Marsilius docet; & rursum eum esse contrariorum maximè effectricem causam; vnde illud Plautinum oppidò eleganter.

Iamblichus.

Marsilius.

Plautinus.

Diua Astartha hominum, Deorumq́ue vis, vita, salus, rursum eadem q́ue est
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cœlum, sidera.
Iouis quæcunq́ue templa colimus, eius ducuntur nutu, & obtemperant.

Hinc Orpheus in Argonauticis non sine causa hunc Amorem, vt Mundi genium, & magnum antiquissimumq; laudat. Cùm enim Chaos ante Mundum posuerit, ante Saturnum Iouem, & cœteros Deos; Amorem sanè in sinu ipsius Chaos constituit, eundem adeo sic definiens, vt principium, quo res informis ornamentum, seu κόσμον, perfectionemque desiderat.

Atque hæc de Geometria sufficiant.

SECTIO III.

De Musica Hieroglyphica.

SERENISSIMO S. R. IMPERII PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO

IOANNI FRIDERICO

Duci Brunsuicensi, & Lunæburgensi,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

IN partem Operis mei quod molior, Serenissime Princeps, *vt venias, magis mea interest, quàm* Tua. Tibi *enim laborandum non est, vt famam aucuperis benè merentis, quippe quam æternùm stabiliuisti. Mihi autem prouidendum imprimis, ne cuiquam ingratus esse videar. Vt igitur aliqua ex parte & beneficijs in me* Tuis, *prolixè Musæum meum, dum Romæ commorareris, augendo, collatis, & officio meo respondeam; elegantissimam Veterum Ægyptiorum Musices harmoniam opera mea tenebris erutam, in luce humanitatis* Tuæ *collocandam esse iudicaui: vt quod Operi ex ingenio meo deest, ex serenitate familiæ & vultus* Tui *mutuetur. Accipe itaque munus, quo pro magnæ mentis* Tuæ, *virtutumq́ heroicarum harmonia delectaris; vel ex hoc ipso summorum Principum non vltimus habendus, quòd illâ nimirum arte capiaris, quâ Deus, & suppares Moderatores, omnia numero, pondere, & mensura administrant. Vale Germaniæ & Imperij decus.*

CAPVT I.

De inuentione & etymologia Musicæ.

Harmonicis proportionibus Deus vsus est in creatione Mundi.

PYTHAGORÆ opinio fuit, à posteris Philosophis vnanimi conspiratione recepta, Deum Mundum conditurum, harmonicis proportionibus vsum fuisse. Sacro textu quoque attestante, Deum in numero, pondere, & mensura cuncta produxisse nouimus. Cùm itaque rerum omnium ideæ harmonicis constare numeris comprobentur, ijs supremam omnium ideam minimè carere aut posse, aut debere, necesse est. Hinc Musica humanis diuinitùs inserta pectoribus, statim à primis Mundi incunabulis suum vigorem exeruit; quod quomodo contigerit, hoc loco explicandum duxi, repetentes nonnulla ex nostra Musurgia.

Prima principia Musicæ & origo.

In hoc Mundano rerum theatro, nihil sono magis obuium. Is tamen vti adhuc nouellæ etiam primæuæ iam mortalium genti varium dedit inuentionis suæ occasionem opportunitatemque. Atque imprimis ventorum, vti & quorundam animalium sibili, quos primi illi mortalium per campos hinc inde dispersi identidem percipiebant, primam quoque occasionem dederunt fabricæ fistularum, quas ad similitudinem naturæ ex auena, arundine, tibijs gruum, alijsque cauis plantarum thyrsis efformabant. Concauorum verò corporum sonitus strepitusque, variam pulsatilium instrumentorum supellectilem peperit. Cùm enim primæui mortalium, vt plurimùm rusticæ & pastoritiæ vitæ operam darent, ibique sua figerent habitationis tentoria, vbi pinguia occurrebant pascua, & loca aquis irrigua, & consequenter iuncis, arundinibus, papyris, similibusque fistulosæ prolis germinibus abundarent; fieri non potuit, vt gens tota die plerumque otiosa, sine nonnulla mentis relaxatione consisteret. Verisimile igitur est, hos homines ex dictis fistulosis thyrsis primùm lituos sibi varios formasse, & quidem non minori, quàm hoc tempore pastores, cœterosque, qui rusticam vitam agunt, facere videmus, artificio; & forsan etiam maiori, vtpote qui tum ingenio adhuc erant vegetiori. Cùm prætereà ijdem primi mortales fabrilem artem (vtpote sine qua humani generis societas periret) vt plurimùm callerent; fieri sanè non potuit, quin ex casuali subinde diuersorum corporum collisione inter laborandum varios sonitus ac strepitus excitarent; vnde admodum probabile est, eos hâc occasione in variam pulsatilium instrumentorum notitiam peruenisse, eâ prorsùs ratione, vti nobis hodierno die subinde contingit.

Ex arundinibus prima fistularum rudimenta.

Instrumentorum Musicorum origo.

Musica igitur non à Græcis, aut Ægyptijs, aut Chaldæis, sed à primis ante diluuium hominibus primam habuit suæ inuentionis originem; imò si omnes homines è Mundo præter paucos pueros rerum ignaros, tollerentur, hosce tamen tùm necessitate cogente, tùm casu & experientiâ cum tempore in varias inuentiones humano generi necessarias incidere posse nihil dubitem; inuentiones enim rerum homini insitæ sunt, nec libris

Omnes inuentiones videntur fuisse casuales.

solùm

ſolùm diſcuntur, ſed & intellectu aliquo inſigni, neceſſitate cogente, vel caſu, aut experientia, vel genij ſuggeſtione eruuntur. Muſicam igitur iam à principio fuiſſe, præterquam quod ſacræ Litteræ id luculenter teſtentur, ipſa etiam ratio dictat, vt dixi. Certè 4 cap. num. 21. Geneſeos Muſicorum inſtrumentorũ inuentio Iubali apertè adſcribitur his verbis:

וְשֵׁם אָחִיו יוּבָל הוּא הָיָה אֲבִי כָּל תֹּפֵשׂ כִּנּוֹר וְעוּגָב׃ Iubal Author Muſicæ.

Et nomen fratris eius Iubal; ipſe fuit pater tractantium, ſiue pulſantium Cytharam & Organum. vbi 70. habent, οὗτος ὁ καταδείξας ψαλτήριον καὶ κιθάραν; *hic fuit qui monſtrauit Pſalterium & Cytharam.* Qualia verò fuerint inſtrumenta ab ipſis inuenta, habetur in Muſurgia noſtra capite de Muſica Hebræorum. At verò poſt diluuium Aegyptij primi fuerunt perditæ Muſicæ inſtauratores. Hi enim à Chamo & Meſraimo filio eius instructi Muſicam in tantum illuſtrarunt, vt vel ab Aegyptio verbo *Moys* Muſica etymon ſuum ſumpſerit, eò quòd ad ſtagnantes Nili paludes, occaſione arundineæ, papyraceæque ſobolis (ex qua lituos ſuos efformabant) ibidem copioſè repullulaſcentis, inuenta, ac inſtaurata ſit. Muſica in Ægypto inuenta.

Muſica itaque ſine dubio, vti ab Aegyptiaca voce מוס, quod aquam notat, deducta fuit, ità inuentionis Muſicæ primordia palàm indicare videtur. Quin Moſen ab aquis, vnde extractus erat, nominis ſui etymon traxiſſe, non alio teſtimonio quâm ſacri Textus indiget, verba eius ſunt: Moſis etymon.

וַיִּגְדַּל הַיֶּלֶד וַתְּבִאֵהוּ לְבַת פַּרְעֹה וַיְהִי לָהּ לְבֵן וַתִּקְרָא שְׁמוֹ מֹשֶׁה וַתֹּאמֶר כִּי מִן הַמַּיִם מְשִׁיתִהוּ׃

Adultum verò tradidit filiæ Pharaonis; quem illa adoptauit in locum filij, vocauitq́; nomen eius Moyſes, quia ex aquis extraxi eum. E quibus verbis clarè patet, hoc nomen Moyſi non à parentibus, nec ab aliquo alio ex Hebræorum Gente, ſed ab ipſa Pharaonis filia inditum eſſe; quæ cùm præter vernaculam Aegyptiam aliam familiarem con haberet, certè inuentum puerum eam, Aegyptio nomine Moyſem, quaſi diceret, ex aquis ſeruatum, appellaſſe, in confeſſo eſt. Quin & antiquiſſimi Scriptores, Philo, & Fl. Ioſephus clarè oſtendunt, quorum ille in vita Moyſis ita diſſerit: Εἶτα δίδωσιν ὄνομα, θεμένη Μωσῆν ἐτύμως, διὰ τὸ ἐκ τοῦ ὕδατος αὐτὸν ἀνελέσθαι. Τὸ γὰρ ὕδωρ Μῶς ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. *Poſt hæc nomen ei datur ſumptum ex re ipſa, quòd eſſet ex aqua ſublatus: nam Ægyptiorum lingua, Mos, aqua dicitur.* Hic verò l. 2. de antiq. Iudæorum ita dicit: Καὶ αὐτῷ τὴν ἐπίκλησιν ταύτην ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ἔθεντο εἰς τὸν ποταμὸν ἐμπεσόντι, Τὸ γὰρ ὕδωρ Μῶ οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσιν, ὕσης δὲ τοὺς ἐξ ὕδατος σωθέντας; συνθέντες οὖν ἐξ ἀμφοτέρων τὴν προσηγορίαν αὐτῷ ταύτην τίθενται. *Et quia proiectus fuerat in flumen, ab hoc caſu nomen ſortitus eſt. Aquam enim Ægyptij* Μῶ *vocant,* ὕσης *verò ſeruatum. Quare compoſitâ voce ex vtriſque nomen Moyſi fuit inditum.* Hiſce aſtipulatur R. Abenezra, etſi eum Monios (voce, vt ego reor, corrupta) Aegyptiacè dictum tradat. Verba eius ſunt:

שם משה מתורגם מלשון מצרי בלשון הקדש ושמו בלשון מצרי מוניוס וכן כתוב בספר עבודת האדמה הנעתק מלשון מצרי אל לשון קדמים גם ככה בספרי חכמי יון אולי למדה הבת פרעה לשננו׃ R. Abenezra.

Q Eſt

Est nomen, inquit, *Mosis traductum de lingua Ægyptiaca in linguam sanctam, & nomen eius in lingua Ægyptiaca fuerat Monios. Ita scriptum est in libro de cultu seu seruitute terræ, traducto de lingua Ægyptiaca in linguam Æthiopicam. Et ita quoque legitur in libris Sapientum Græciæ, forsan filia Pharaonis didicit nostram linguam.* Quicquid sit, hanc vocem, Moses, Aegyptiacam à voce Copta ⲙⲱⲟⲩ dictam, in Pentateucho Copto Vaticano clarè ostenditur; in quo vti & in Thesauro nostro Copto, *Aqua*, ⲙⲱⲟⲩ vel cum articulo præposito ⲡⲓⲙⲱⲟⲩ dicta passim reperitur: vox scilicet à ⲙⲱⲩ ⲙⲱⲥ ⲙⲱ-ⲩⲥⲏⲥ non discrepans. Textum Copto-Arabicum adiungendum hic duxi:

ⲟⲩⲟϩ ⲁϥϣⲱⲡⲓ ⲛⲁⲥ ⲉⲩϣⲏⲣⲓ ⲁⲥϯⲣⲉⲛ ⲡⲉϥⲣⲁⲛ ϫⲉ ⲙⲙⲱⲩⲥⲏⲥ ⲉⲥϫⲱ ⲙⲙⲟⲥ ϫⲉ ϯⲁⲓⲛⲉϥ ⲉⲛⲁϣⲱⲓ ⲉⲃⲟⲗ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲙⲱⲟⲩ.

فلما شب الغلام ادخلته الى ابنة فرعون وصار لها ولدا ودعت اسمه موسي
قايلة اني انتشلته من المـــا

Et cùm iam creuisset, introduxit eum ad se filia Faraum, & factus est ei in filium, & vocauit nomen eius Moses; dicens, quia de aqua tuli eum. Cui & Clemens Alex. l. 1. Stromat. subscribit hisce verbis: *Deinde nomen imponit Regina Moyses, capta etymologia eò, quòd eum ex aqua sustulisset; Aquam enim Moy vocant Ægyptij, in qua moriturus fuerat expositus: Moysen enim vocant eum, qui ex aqua emersus respirauerit.* Ad quod haud obscurè alludit Targum Vzielidis his verbis:

ורבא רביא ואיית תיה לבת פרעה ותוה לה חביב והוא כביר וקרת שמיה משה
ארום אמרת מן מוי דנהרא שחילתה :

Et adultum venire fecit ad se filia Pharaonis, & fuit ei dilectus, & cùm iam validus esset, vocauit nomen eius Moyses: quia dixit (Min Moy) hoc est, de aqua eduxi eum. ⲙⲱⲩⲥⲏⲥ igitur Aegyptiacum est, non Hebraicum à ⲙⲱⲩ & ⲩⲥⲏⲥ, quod ex aquis seruatum dicit, vt benè Iosephus notat, compositum. Atque ex his colligitur, eos qui Musicam à voce Aegyptiaca ⲙⲱⲟⲩ quod aquam significare diximus, deriuant, eò quòd Aegyptij primi eam ad aquas inuenerint, haud inconuenienter sentire. Cùm enim in Aegypto papyrus & arundo ex stagnantis Nili lacunis copiosâ propagine pullulasceret; ex arundine verò prima fistularum & monaulorum inuentio extiterit; occasione fistularum arundinearum, quæ stagnantis aquæ soboles passim habentur, Musicâ prima fundamenta sua iecisse, haud inuerisimile est. Vnde & ⲙⲉⲥⲁ quoq;, quòd artem Copticè significat, à ⲙⲱⲟⲩ, non male diduxero, cùm Ægyptios omnes artes occasione aquæ & fluminum reperisse, alibi fortassis abundè demonstraturi simus.

Musicorum instrumentorum origo.

Mercurius itaque Trismegistus, curiosissimus rerum inuestigator, vt omnibus reconditioribus artibus & scientijs, quæ bono communi emolumenti aliquid adferre poterant, singulari curâ & studio eruendis incubuit, ita quoque Musicam tanquam mortalium animis placandis, supernisque contemplationibus præ cœteris aptam, excolendam duxit. Hinc

Mercurius Trismegistus Musicæ cultor

om-

omnium ferè Mythologorum calculo eidem lyræ multiformis inuentio attribuitur. Et tametsi Musicæ artificiosæ singularis amator fuerit, illâ tamen vulgari & plebeâ relictâ, ad illam potissimùm, quæ in supremarum mentium mirâ distributione, rerumque mundanarum concentu consistit, quæque ordinem & connexionem singulorum respicit, penetrandam, omnem laborem & industriam conuertit; harmonicorumque modulorum portionibus veluti magneticâ quâdam pyxide itineris duce ad reconditiorum rerum scrutinium vsus est. de quibus iam tempus est, vt differamus. *Lyra Multiformis inuentum est Trismegisti.*

CAPVT II.

Quod Hieroglyphica Musica nihil aliud fuerit, quàm scientia ordinis rerum Vniuersi.

REctè & sapienter Psellus in sua Musica ait, Τὴν Μουσικὴν εἶπεν οἱ παλαιοὶ συνέχειν τὸ πᾶν. *Musicam Veteres dixerunt continere omne.* Cùm enim oculos in totius Vniuersi ambitum attentiùs conijcerent, omnemque rerum ordinem, connexionem, varietatem, diuersitatemque cognoscerent; ipsum Musicam dixère, in quo consonum dissono, ima summis, summa medijs, media imis summisque, mirâ quâdam proportione respondeant. Atque de hac Musica loquitur Trismegistus, cùm dicit in Asclepio: *Musicam verò nôsse nihil aliud est, quàm cunctarum rerum ordinem scire, quæque ratio diuina sortita est; Ordo enim rerum singularum in vnum omnium artifici ratione collatus, concentum quendam melodiæ diuinæ dulcissimum verissimumque conficit.* Verùm quis sit hic concentus, & in quo consistat, hoc loco discutere visum fuit. *Psellus. Ordo vniuersi musica est. Trismegist.*

Quemadmodum igitur Musica, seu harmonia vocalis, in apta interuallorum distributione, qua toni supremi infimis, medijsque exactâ proportione respondent, consistit; ita Tonorum quoque interualla eo pacto à se inuicem dependent, vt si ordinem eorum dissipes, totam meritò harmoniam confudisse atque turbasse videaris. Dissona quoque consonis adeo pulchrè applicantur, vt si ea ab inuicem separes, omnem harmonicæ symphoniæ dulcedinem destruas. Huius Musici arcani haud ignari erant Ægyptij; vnde ordinem rerum & mirum connexum paulò profundiùs trutinantes, ordinem rerum nihil aliud, nisi Musicam omnibus numeris absolutissimam dixerunt, in qua media imis summisque veluti grauibus & acutis, non sine quadam interuallorum proportione sibi consentiunt. Sunt soni neti, seu superiores in inferioribus, inferiores seu hypati in netis seu superioribus, & medij denique in extremis existunt. Qui diapason siue octauam concinit, continuò basin sibi substratam habet. Sicuti enim denarius numerus est vnitas replicata, ita & octaua basis replicatio iure est, cùm iuxta musicum epiphonema *De octauis idem sit iudicium*. Rursus qui basin personat, diapente, diatessaron, & reliqua harmonica interualla mox obtinet, & contrà, Vt proinde, ipso Aristotele teste, Musica res prorsus cœlestis & diuina sit, totiusque mundani opificij rationem *Aristoteles.*

 exhi-

exhibeat. Quam & Ægyptij hoc epiphonemate indigitarunt:

ⲡⲓⲟⲩⲣⲁⲛⲟⲥ ⲁⲛⲱ ⲡⲓⲟⲩⲣⲁⲛⲟⲥ ⲕⲁⲧⲱ ⲡⲓⲁⲥⲧⲣⲁ ⲁⲛⲱ ⲡⲓⲁⲥⲧⲣⲁ ⲕⲁⲧⲱ ⲧⲁⲩⲧⲏⲥ ⲕⲁⲧⲉⲗⲁⲃⲉ ⲛⲉⲙ ⲉⲩⲧⲩⲭⲏⲛⲉ

Cœlum supernum, cœlum infernum, astra superna, astra inferna, hæc accipe, & sis fœlix. Insinuarunt itaque prædicto philosophico dicto admirabilem illum Mundi concentum, superiorumque cum inferioribus connexum; nam supra diximus fusè Ægyptiacæ philosophiæ magnam partem in huius maioris cum minori Mundo analogiæ dependentiæque scrutinio constitisse. Cùm enim ad explorandas cœlestium corporum vires, eorumque harmoniam, initum fœdus, & sympathiam cum rebus naturæ inferioris animum sedulò conuerterent, quo modo scilicet nodoque cuncta deuincta cohærerent & consentirent; ad hæc quo pacto vis illa motrix & rerum omnium alumna è cœlo in vniuersum terrarum Orbem deriuaretur à Sole primùm, deinde à Luna, & reliquo cœlestium luminum Choro; paulò altiùs philosophantes, omnia in omnibus latêre deprehenderunt.

Omnia in omnibus sunt

Homo compendium Mundi.

Et vt ab homine incipiam, eum dicebant creaturarum omnium præstantissimam, omnes totius Mundi partes in se continere. Nil enim est in maiori Mundo, quod in homine non reperiatur; quisilius est per omnia similis parenti, miraculum naturæ maximum extractum, & Nucleus quatuor Elementorum, summum Dei τέχνασμα, & consummatissimum Mundi exemplar, verè omnis creatura, quia est omnis Mundus, solusque hoc honore gaudet, quòd cum omnibus symbolum habet, cum omnibus operationem, cum omnibus conuersationem. Tota enim Mundi machina collecta & redacta est in Microcosmum, ita vt quod suprà est, infrà in homine quoque reperiatur. Corpus physicum, elementare, visibile, & tangibile ex terra; sidereum verò & astrale ad normam archetypi constructum. testatur hoc Plotinus, cùm dicit, latere in homine rerum omnium semina. Picus quoque ei assentiens in Heptaplo suo ait, Deum in hominem velut operum suorum omnium compendium omnia congessisse. Plato non absimilia de homine in Timæo retulit: nam ratione Angelum, motus celeritate Cœlum, oculis Solem & Lunam, vegetatione plantam, sensu animal, essentia lapidem eum præfigurare notiùs est, quàm dicere libeat.

Plotinus. *Picus Mirand.* *Plato.*

In bestijs superiora insunt

Mira de Scarabæo.

Nec solùm hominem dicebant omnia in se continere, sed vlteriùs per analogiam quandam progressi, etiam ipsa animalia plantasque in se superiora continere dicebant; quod verum esse, nemo vel mediocriter in puluere philosophico versatus negare audebit. Atque, vt ordiamur à volucri bestiola, quam Claudius Athenæus scarabæum appellat, alij stercorarium, eo vt nil frequentiùs ita nil mirabiliùs in tota rerũ natura occurrit. Nam Solis & Lunæ Congressum & Nouilunium secreta naturæ perscrutantibus hoc modo facilè indicat, dum particulam quandam ex bubulo aut asinino stercore pedibus tam diu, vsque dum in sphœræ imaginem adaptârit, versat; quo in terram 28 dierum spacio defosso, mense nimirum periodico, eo tandem aperto, prolem vi siderum progenitam educit. Sed de hoc pluribus Horus in hieroglyphicis. De Ariete quoq;

ad

ad vtrumq; æquinoctium cubandi rationem mutante; de Gallo gallinaceo, eiusque mira ad Solem sympathia; de Parra aue, quæ eo ipso die, quo Sirius exoritur seu Canis maior, non apparet, donec occiderit; de Oryge quoque bestia Ægyptijs nota, Sirium, dum supra Horizontem moratur, contrà stante, fixisque oculis eum contuente atque adorante multa Plinius, Ælianus, alijque Authores. Nec mirum est, cùm etiam sideris huius exortum sentiant maria & terræ, multæ denique feræ & pisces expauescant; feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, & canes in rabiem aguntur, Auicula linaria vocem remittit; ac sensim obmutescit. Sic Arcturo Galerita, Procyone exoriente Luscinia, Coccyx, aliæque cantum intermittunt. Quæ omnia non fierent, nisi inferiora in superioribus, & contrà, per admirabilem illum rerum in vnum consensum, esse reperirentur. *Arietis natura. Gallus. Parra auis. Oryx. Plinius. Ælianus. Linariæ auiculæ ad Sirium sympathia.*

In plantis quoque, quicunque scrutandæ naturæ auidus est, ipso die Solstitij, miracula obseruet, potissimùm in folijs salicis, populi albæ, ylmi, tiliæ, & oleæ; ex eorumque intuitu non perfunctorio animaduertet tropicam harmoniam, visibilemque sympathiam, quam dictarum arborum folia eo ipso die Solstitij cum Sole palam ostendunt; supinas enim foliorum partes aliâ facie cœlum intueri obseruabit, quàm quâ spectauêre pridie. Nil dicam hîc de cicoreo, malua, calendula, pratensi loto, heliotropio, thithymallo, helioscopio, omnibus Solisequis: nil de Lunaria, motus Lunæ, mutationesque subeunte. Cœpa certè, vt est apud Plutarchum, decedente Luna reuirescit & congerminat; eâ verò adolescente & crescente marcescit. Quæ res olim effecit, vt Sacerdotes Ægyptij cepas non ederent, quòd solæ olerum omnium, contra Lunaris sideris incrementa damnaque vires minuendi augendique habeant contrarias. *Mira plantarum. Herbæ Solisequæ. Cæpas cur Ægyptij non comederent.*

Sed ne quicquam de lapidibus omisisse videamur; quid mirabiliùs ea gemma, quam Cardanus scribit, fuisse in digitis Clementis VII. Pontificis? Nam aureolam habebat maculam, quæ iuxta Solis motum singulis diebus oriens & occidens circumageretur. Consimilis virtutis lapidem, Leonem X Pontificem habuisse idem tradit Cardanus, quæ pro varietate luminis Lunæ ex cæruleo in candidum transibat. Sic Helioselenus lapis, congressum Solis & Lunæ, teste Proclo, quodammodo imitatur, & colore figurat. Magnetis quoque stupenda miracula, veram illam superioris Mundi sobolem, qui profundiùs scrutabitur, fatebitur, quicquid in cœlo motuum, in terra virtutum, naturam in hunc vnicum congessisse; vti nos exactè in nostra Magnetica arte demonstrauimus. *De gemmarũ miraculis. Cardanus. Proclus.*

Est itaque in terris Cœlum, Sol, Astra; est Saturnus, est Mercurius, Iuppiter, Mars, Venus, Luna. Licet itaque in hac inferioris Mundi natura, vel si mauis, in rebus terræ, aspicere Solem, Lunam, Astra, Planetas. Vnde Ægyptij, teste Proclo, & Iamblicho, sentiebant mira fieri posse ab homine eius consensus gnaro: teste quoque Manethone affirmabant, quaslibet Mundi res naturales, à stellarum radijs propriè illis dicatis, peculiari charactere virtutis earum participe insigniri, earumque virtutem diffundi in res, quibus applicantur. Aiebant enim, teste Iamblicho & *Quæcunque sunt supra, infra quoque sunt. Proclus. Iamblichus. Manethon.*

Pro-

Proclo, animalia, vegetabilia, & mineralia ratione specificæ, aut indiuidualis constitutionis illorum, virtute aliquâ cœlitùs imbui; quæ certis rebus adeo quandoque familiaris est & amica, vt vltrò eis societur, pariat & obsequatur; alijs verò adeo contraria est, & inimica, vt earum operationes sistat & liget. Atque hinc, vt ego arbitror, origo magiæ naturalis, quæ à Sapientibus Ægyptiorum velut maximum in naturalibus rebus arcanum hieroglyphicis literis & symbolis semper tecta fuit, ne in abusus ab imperitis traheretur, vti nos (proh dolor) nostro seculo ingemiscere cogimur, cùm sublimissimam hanc scientiam, totius Philosophicæ disciplinæ apicem, tam miserè ignarorum hominum scriptis deprauatam, anilibusque superstitionibus refertam intuemur. Verùm, vt antequam de sublimi hac Ægyptiorum Philosophia ad alia transeamus, visum fuit hic Procli verba adiungere, quibus superiùs dicta ita confirmantur, vt illa sola explicationis loco sufficere possent; sic enim ait in libro de Sacrif. & Magia: *Quemadmodum amatores ab ipsa pulchritudine, quæ circa sensum apparet, ad diuinam paulatim pulchritudinem ratione progrediuntur; sic & Sacerdotes antiqui Ægyptiorum, cùm considerarent in rebus naturalibus cognationem quandam, compassionemque aliorum ad alia, & manifestorum ad vires occultas, & omnia in omnibus inuenirent, sacram eorum scientiam condiderunt; Agnouerunt enim & in infimis suprema, & in supremis infima; in cœlo quidem terrena secundùm causam, modoque cœlesti; in terra verò cœlestia, sed modo terreno. Nam vnde putamus plantas illas, quas Heliotropias nominant, ad Solis motum, Solem versus moueri, Selinotropias verò ad Lunam? nempe cuncta precantur, hymnosque concinunt ad Ordinis sui Duces. Alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali, alia verò sensibili modo. Itaque Solisequa quomodocunque potest mouetur ad Solem; ac si quis posset audire pulsationem ab ea in aëre circuitu factam, profectò ille quendam per eiusmodi sonum erga Regem suum compositum aduerteret, qualemcumque potest planta conficere. Quamobrem in terra quidem aspicere licet Solem & Lunam, sed pro qualitate terrena; in cœlo autem plantas omnes, & lapides, & animalia, pro cœlesti natura vitam habentia intellectualem. Quæ quidem Veteres contemplati, alia cœlestium, alia terrenorum, vnde diuinas virtutes in locum inferiorem, ob quandam similitudinem, deduxerunt. Nempe similitudo ipsa sufficiens causa est, ad res singulas inuicem vinciendas. Si quis enim Cannabim siue papyrum calefaciat, deinde subigat lucernæ proximæ, etiamsi non tangat, videbit subitò accensam Cannabim, quamuis non tetigerit ignem, accensionemque desuper ad inferiora descendere. Comparemus itaque Cannabim calefactam siue papyrum cognationi cuidam inferiorum ad superiora; appropinquationem verò eius ad lucernam, opportuno vsui rerum pro tempore, loco, materia; processum ignis in Cannabim, præsentiæ diuini luminis ad id, quod potest capere; accensionem denique Cannabis, ob quandam diuini seminis participationem. Quid verò de Loto dicam? Lotus implicat quidem in se folia ante Solis exortum, oriente verò Sole explicat paulatim, & quatenus Sol ad mediam cœli ascendit plagam; eatenus pandit folia; quatenus verò à medio petit occasum, gradatim folia contrahit: videtur hæc non minùs dilatatione contractioneque foliorum honorare Solem, quàm homines corporis gestu, motuque laborum.* Et paulò post ait: *Non solùm verò*

Magiæ naturalis origo vnde.

Proclus de sacrificio & magia.

Quantum valeat similitudo.

Mira de loto Ægyptiaca.

in

in plantis, quæ vitæ vestigium habent, sed & in lapidibus aspicere licet, imitationem & participationem quandam luminum superiorum; sicuti Helites lapis radijs aureis solares radios imitatur; lapis autem qui vocatur cœli oculus, figuram habet similem pupillæ oculi, atque ex media pupilla eminet radius. Sic diuinorum omnia plena sunt, terrena quidem cœlestium, cœlestia verò supercœlestium; proceditq́; quilibet ordo rerum vsque ad vltimum, quasi vellet dicere, quæ super ordinem rerum colliguntur in vno, hæc deinceps dilatantur in descendendo, vbi aliæ animæ sub Numinibus alijs ordinantur. Deinde & animalia sunt solaria multa, veluti Leones, & Galli, Numinis cuiusdam Solaris pro sua natura participes. Leones & Galli animalia solaria. *Vnde mirum est, quantum inferiora in eodem ordine cedant superioribus; quamuis magnitudine potentiaque non cedant. Hinc ferunt Gallum timeri à Leone quàm plurimum, & quasi coli; cuius rei causam à materia sensuque assignare non possumus, sed solùm ab ordinis superni contemplatione, quoniam videlicet Solaris virtutis præsentia Gallo magis quàm Leoni conuenit.* Confirmat hoc variâ Metamorphosi, quâ ait quandoque nonnullos Solares Angelos formis eiusmodi præditos comparuisse. Angeli Solares. Dæmones quoque visos Solares, leoninâ fronte, quibus cùm Gallus obijceretur, è vestigio disparuisse. Quod quidem Proclus ait inde procedere, quòd semper, quæ in eodem ordine constituta inferiora sunt, reuerentur superiora, quemadmodum plerique intuentes virorum diuinorum imagines, hoc ipso aspectu vereri solent, turpe aliquid committere. His dictis & explicatis, concludit tamen hisce verbis; *Vt autem summatim dicam, alia ad reuolutiones Solis correuoluuntur, vti plantæ, de quibus diximus; alia figuram Solarium radiorum quodammodo imitantur, vt Palma, Dactylus; alia igneam Solis naturam, vt Laurus; alia aliud quiddam. Videre sanè licet proprietates, quæ colliguntur in Sole, passim distributas in sequentibus in Solari ordine constitutis, scilicet Angelis, Dæmonibus, animis, animalibus, plantisq́; atque lapidibus. Ideo Sacerdotij veteris Authores à rebus apparentibus superiorum virium cultum inuenerunt, dum alia miscerent, alia purificarent, &c.* quæ sequuntur.

Ecce Lector antiquorum Ægyptiorum Musicam, per superiora verba hieroglyphico velo tecta; quam tibi ideo fusiùs declarauimus, vt videres & meliùs illud, in quo ipsi maximè philosophandum existimarent, cognosceres. Cognito enim, & inuestigato superiorum cum inferioribus rebus connexu, per applicationem actiuorum cum passiuis mira arte producebant; vnde in saxis & Obeliscis, quamuis non nisi hieroglyphicis tecta, ne ab indignis in abusum traherentur, sapientibus Solis proponebantur, vt testatur Democritus Abderita Philosophus in lib. cui titulus est Democritus Abderita. Φυσικὰ καὶ Μυστικὰ; & Sinesius, qui in illum ad Dioscorum magni Serapidis Sinesius Sacerdos in templo Memphis. Alexandrinorum Dei Sacerdotem Scholia composuit. Nam in Ægyptum profectus, apud magnum Hostenem in templo Memphis, vnà cum Sacerdotis filijs ministri officio fungebatur, & dum in templo cibum sumerent, repentè sponte suâ, lapidea apparuit in cinereo puluere scissa columna, ex qua πτζώας βίβλυς extrahentes, inuenerunt in eis aliud prorsùs nihil, quàm tria hæc:

Ἡ φυ-

Ἡ φύσις τῇ φύσει τέρπεται.
Ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ.
Ἡ φύσις τὴν φύσιν κρατεῖ.

Hoc eſt;

Natura Naturâ delectatur,
Natura Naturam vincit.
Natura Naturæ dominatur,

Quibus verbis, ſuperioribus quaſi parallelis, nihil aliud indicabant, niſi ſumma naturæ myſteria, quorum ſubſidio à Sapiente horum gnaro, naturæ artiſque miracula perfici poſſunt.

CAPVT III.

Quomodo, quibuſque hieroglyphicis Muſicam mundanam expreſſerint Aegyptij.

MVſicam ſeu harmoniam mundanam expreſſuri Aegyptij Hieromantæ, puerum pingebant reticulatâ veſte inuolutum, in cuius manibus erat ſceptrum cucuphomorphon, ſiue Vpupæ capite inſignitum; lituus & gnomon; à tergo verò trigonus dependebat, qui in globum reſoluebatur, vti figura hìc appoſita ex Menſa Iſiaca, quam Tabulam Bembinam appellamus, deprompta, manifeſtum fit.

Nota, triangulo in hac figura annectendum eſſe globum.

Per puerum Mundus ſenſibilis indicabatur, perpetuâ generationis ſucceſſione quotidie veluti reflorеſcens; reticulatâ veſte inuoluitur, quia Mundus reconditis earum, quas continet, rerum ambagibus inuolutus, difficulter perceptibilis eſt; per ſceptrum cucuphomorphon magna rerum in ſenſibili hoc Mundo varietas; per gnomonem, earum apta connexio, & exacta rectitudo; per lituum denique harmonia omnibus numeris abſolutiſſima exprimitur; trigonum cum annexo circulo denotat Mundum hunc ex Mundo archetypo profluxiſſe, Patri ſuo Opificique quam maximè ſimilem. Verùm cùm hæc tùm alibi in hoc libro, tùm in Obeliſco Pamphilio fusè tractauerimus, eò Lectorem remittimus. Vtebantur præterea Aegyptij alia inſtrumenti Muſici ſpecie, quod Siſtrum vocabant, illudque varia forma apparabant. De quo inſtrumento cùm in tertio Tomo copioſior detur diſſerendi occaſio, hìc longior eſſe nolui. Erat autem myſticis rationibus

bus institutum eo fine, vt sono eius aduersæ potestates profligarentur, motumque Agathodæmonis denotabat. Sed vt dixi, de his pluribus tùm in sequentibus, tùm in Obelisco Pamphilio.

Sed vt ad institutum nostrum reuertar, misit antè complures annos ex Aegypto ad me Michaël Schatta Cophtita, meus olim in Cophticis Codicibus amanuensis, inscriptionem hieroglyphicæ columnæ incisam, non procul Memphi distantem, cuius typum hìc vnà cum interpretatione apponimus. Duo accipitres erant, vnus inferior super cubum, alter superiori pyramidi innitens; vterque binis sceptris insignitus erat; in medio organum erat, seu septichorda Lyra; quæ duabus catenis connectebatur ab infrà & suprà cum duobus accipitribus, vt in exemplo hìc apposito apparet.

Hæc symbola nihil aliud significare dicimus, quàm harmoniam Mundi, quâ inferiora superioribus veluti catenâ connectuntur. Ac primò quidem accipiter cum duplici sceptro indicat, naturam seu vim cœlestem, per duo sceptra indicatur duplex potentia in inferiora & superiora; pyramis quibus innititur significat naturam igneam & penetratiuam; hydroschema autè & columba significant duo rerum principia, aërem & aquam, ex quibus Ægyptij omnia constare putabant, quod & benè obseruat Athenæus l. 8. Aegyptiorum enim ait, sicut & Assyriorum religio fuit, vt piscibus in Rheæ seu Isidis venerationem abstinerent; putabant enim aquâ & aëre naturam rerum præcipuè constare; proque vnda pisces, pro aëre columbam venerabantur. Cubus significat terram cui accipiter insidens cum duobus sceptris monstrat virtutem cœlestem inferioribus communicatam, quâ causatur mirabilis ille Mundi concentus per heptachordam lyram indicatus, quâ superiora inferioribus coadunantur. Nos quamuis hanc explicationem quoad substantiam tanquam euidentem approbemus, ad meliorem tamen eius, quæ apud Aegyptios viguit, naturalis Philosophiæ intelligentiam, paulò vberiùs illam explicare visum fuit, vt & ea quæ ab Aegyptijs ingeniosè conficta sunt, cum ingenio quoque explicentur, explicataq; probatorum Scriptorum authoritate ita comprobentur, vt tenor & series historiæ Aegyptiacæ cum dictis faciliùs consentiens, in nullo dissona reperiatur.

Explicatio. *Quid pyramis.* *Quid piscis & columba.* *Quid cubus.* *Explicatio Authoris.*

Philosophi itaque Aegyptiorum altiùs philosophantes, cùm viderent admirabilem illum rerum omnium nexum & ordinem; vnum aliquem spiritum seu Animam Mundi, omnia hæc moderantem, statuerunt, quam accipitri compararunt, atq; per Osiridem seu Solem, & Isidem seu Lunam significarunt, vt suprà fusè explicatum est. Accipiter itaq; supremus duobus sceptris munitus, significat Osiridem seu Animam Mundi duplici potentiâ superiora & inferiora moderantem, à Poëtis non male

Spiritum infusum in mũdo accipitris figura expressere Ægyptij.

 per

per Iouem & Plutonem indigitatus, diuinitatem eius circulus capiti suo peremineus ostendit. Pyramis cui innititur, significat naturam igneam, omnia penetrantem. Inferior autem accipiter cubo innitens, duplici quoque sceptro fulgens, virtutem Animæ Mundi duplicem indicat, eam, nimirum, quæ latet in ipsis visceribus terræ, quæ nihil aliud est, quàm, Pluto, seu quidam subterraneus Sol, seu Osiris astra illuminans subterranea; eaque virtute suâ animans, vtpote metalla, septem subterraneos illos planetas, cum reliquo lapidum pretiosorum varijs virtutibus refertorum exercitu; & alteram, quæ super terram in plantarum varietate, in herbarum, arborum, virgultorum facultatibus latet, quæ nihil aliud sunt, quàm astra quædam terrestria superioribus astris substantia; (nullam enim herbam esse in terra, quæ non suum habeat astrum seu planetam in cœlo, eam animantem, mouentem, & virtute suâ fœcundantem, suprà ex antiquis Sapientibus probatum est.) Atque hoc est, quod Mercurius Trismegistus in libro, qui Minerua Mundi dicitur, asserit hisce verbis: *Mirandum sanè est, quòd omnia astra cœlestia, quæ in cœlo corporibus suis manifestè patent, creata etiam in terra spiritibus suis occultè clausa latent. Et sicut Sol cœlestis suo calore spirituali generat omnia terrestri modo; ita Sol terrestris suo calore spirituali creat & regenerat omnia spiritualiter. Per Solem cœlestem, operatur spiritus Vniuersi in natura omnia naturaliter, sed per terrestrem Solem operatur idem ille spiritus omnia, sed spiritualiter; nam spiritus per nullum aliud medium, quàm per Solem operatur, quia in Sole saltem, & non alibi vspiam sedem suæ habitationis posuit. Sic quatuor elementa vbique latent, in cælis cœlesti modo, in inferiori Mundo modo proprio, eique consentaneo, quæ omnia virtute spiritus diuini mirabiliter confœderantur.* Quæ profectò verba tam clara sunt, vt totam nostram hieroglyphicam epigraphen referre videantur. Quid enim aliud cubus, hydroschema, columba, pyramis, infrà supraque Lyram posita insinuare videntur, nisi quatuor Elementorum vim in omnibus latentem? Cubum enim symbolum terræ esse, doctè demonstrat Pierius, & Anonymus quidam in Appendice hieroglyphicorum Pierij l. 2. Pyramidem ignis hieroglyphicum esse, ibidem demonstratur; hydroschema verò aquæ symbolum iam passim docuimus. tametsi Aelianus & Athenæus per piscem & columbam uquam & aërem indigitauerint. Nam columbam & piscem ab Assyrijs & Aegyptijs in gratiam Rheæ cultum, eò quod aërem & aquam potiores esse partes, in quibus sese ostentet natura rerum, arbitrarentur, suprà dictum est. Cùm verò volatile vnumquodque animal aëris sit indicium, columbam præcipuè nuncupatione hâc, hieroglyphicoque Veteres honestarunt, quòd domesticis alitibus nulla neque longiùs domo, neque diutiùs auolet, tecti tamen lariumque memor summâ fide reuertatur, & mansuetissimâ nobiscum habitatione diuersetur. Siue ea potiùs fuerit huius honoris causa, quod illi tanta sit cum aëre familiaritas, vt ibi tutiùs quàm humi versari videatur, tantaque sit eius velocitas, ac volatus facilitas, vt Maro dicat l. 5. Aeneid.

Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas.

Me-

Omnis planeta habet planetam sibi correspondentem.

Quid Hydroschema, & Columba.

Pierius.

Aelianus.

Columbæ cum aëre affinitas.

Meritò itaque Syri, qui aërem vsque adeo colunt, tantâ religione pepercêre columbæ. quod ita tangit Tibullus;

Quid referam vt volitet crebras intacta per Vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro. Tibullus.

In medio porrò Lyra ἑπτάχορδος se offert, catenis ab infrà & suprà affixa; quibus nihil aliud indicatur, quàm admirabilis illa harmonia Mundi, in quo inferiora superioribus commixta iucundissimum quendam veluti concentum efficere solent, cùm in stellarum corporibus, orbium interuallis, conuersionum celeritatibus, apto ordine dispositis, tùm in concinna elementorum compage, ac etiam temporum vicissitudinibus æquabili dimensione sibi mutuò succedentibus; quæ omnia ab Osiride illo cœlesti & diuino, à Duce (vt cum Cicerone loquar) & Principe ac Moderatore reliquorum luminum, mente Mundi & temperatione gubernari videntur, vt benè Orpheus in hymno ad Solem obseruauit. Quid septichordium. Cicero.

Χρυσολύρην κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων.
Auream habens lyram, concinnum Mundi cursum trahens.

Cæterùm quid septem chordæ sibi velint, liquet ex Macrobio 1. Saturnal. *Lyra*, ait, *Apollinis chordarum septem, tot cœlestium sphærarum motus præstat intelligi, quibus Solem moderatorem natura constituit.* Sidonius quoque Epithal: Polemij & Araneolæ ad idem exemplar seruatum ait esse septenarium numerum in Lyra, Cythara, Fistula. Sic apud Euripidem Iphigen. Taur. Chorus de Apolline verba faciens nominat κέλαδον ἑπτατόνου λύρας. Fabulam verò sectatur Callimachus hymno in Delum, cùm ait, hunc numerum ideo ab Apolline electum, quia matre ipsum pariente modulantes olores septies Insulam volatu cinxerant. Quoniam verò ex quatuor anni partium æqualiter vibratâ vicissitudine, aut elementorum proportionata mistura, harmonia quædam promanare videtur, Vniuersi scrutatrix; concinnè in Obelisci medio eius rei indicem exsculptam videmus lyram: quemadmodum enim Musicæ vis in eo sita est, vt variæ vocum intensiones remissionesque, sonique tùm acuti, tùm grauis congruenti temporum mensura dispositi in dulcem coëant concordiam; ita Osiris seu Apollo, cœlestis ille Cytharædus, Mundi partes omnes, pulsans à nete ad hypaten, atque ab his ad mesen, reliquasque intermedias chordas progrediens, seruata veluti ad numerum temporum symmetria, calida cum frigidis, cum siccis humida consocians, pulcherrimum efficit temperamentum. Nam vt benè Plin. l. 11. c. 49. Solis natura temperandis intelligitur rebus, vt veriùs in illum quadret, quod de Orpheo apud Cassiodorum legimus Var. lect. l. 1. In vnum conuentum contraria vota collecta sunt, & fidem dicente Lyra omnia sibi aduersa crediderunt. Porrò hanc Lyram Orpheus ad tria anni tempora accommodasse videtur, cùm dicit:

Macrobius. Sidonius. Septenarius numerus. Euripides. Callimachus. Fabula. Plinius. Cassiodorus.

Εἰς ὑπάτας χειμῶνα, θέρος νεάταις διακρίνας.
Δώριον εἰς ἔαρος πολυηράτου ὥριον ἄνθος.

Anni tempora.
Ægyptij annum in tres tantùm partes diuidebant omisso Autumno.
Diodorus.
Hieron. Alex.
Minerua Τριτογένεια.

Hoc est, *In infimis seu hypate hyemem, in nete seu supremis æstatem, ver in dorio cantu dijudices*. Sed cur Autumnum prætermiserit, caussa est, quòd Antiqui Ægyptij, teste Diodoro l. 1. c. 2. triplicem tantummodò anni diuisionem statuerint; idcircò tres numero Horas finxerunt, vt benè notat Hieronymus Aleander in explicatione Tabulæ Solaris; Mineruamque, sub qua aërem significabant, Τριτογένειαν ideo dictam scribit Diodorus, quòd ter in anno naturam mutat, Vere, Aestate, Hyeme. Asserit quoque idem Author, existimatum ab Aegyptijs, Osirim & Isidem, Solem videlicet & Lunam, τὸν σύμπαντα κόσμον διοικεῖν· τρέφοντας, καὶ αὔξοντας πάντα τριμερέσιν ὥραις ἀοράτῳ κινήσει τὴν περίοδον ἀπαρτιζούσαις τῇ δὲ ἐαρινῇ, καὶ θερινῇ, καὶ χειμερινῇ. *Mundum vniuersum gubernare, nutrientes & augentes omnia, tripartitis temporum inuisibili motione circuitum perficientibus, Vere scilicet, Æstate, atque Hyeme.* Latini interpres qui hyemis loco Autumnum hìc nominauit, pro χειμερινῇ, legisse videtur ὀπωρινῇ in suo exemplari, nisi incuria fuit peccatum. Ad veterem itaque trium temporum imitationem, tribus chordis instructa fuit Lyra, ad quam si accedat tetrachordum Terpandri & Orphei, aut, vt Boëtius vult, Mercurij, ad quatuor vniuersitatis elementa concinnatum; habebimus ἑπτάχορδον in epigraphe nostra indicatum; quod typum Vniuersi suprà diximus, & ordinatissimi mundani concentus symbolum, quo cuncta Mundi membra ad inuicem ita consonant, vt Mercurius Trismegistus hanc dissonam concordiam, discordemque rerum omnium consonantiam contemplans, ausus sit dicere, totum Mundum cum omnibus suis partibus, vel in vnica Musica latere; cuius etiam dicta cum hisce duabus inscriptionibus, quas hactenus explicauimus, adeo consentiunt, vt harum vnicum Authorem ipsummet Mercurium existimem, cuius quidem suis in libris fidem locupletissimam & indubitatam facit; dum quæcunque sunt infrà, esse etiam suprà, seu quod est inferiùs, esse etiam superiùs passim asserit, & multa alia, quæ de Sole & Luna parentibus omnium rerum dicit. Alibi autem hæc ad Mundum archetypon traducit, cùm ait; *In Mundo Angelico seu intellectuali eadem sunt entia, quæ in ista visibili machina, sed spiritualiter & inuisibiliter; In supremo Mundo Deali ἀπεράντῳ, increato, infinito, incomprehensibili, Archetypo, tam Angeli, quàm Mundus, vnum sunt, & simul, modo diuino perfectissimo.*

Trismegistus.

De trium Mundorum ad se inuicem comparatione.

Atque ex hoc tam longo discursu apparet, quâ ratione per sublimem hanc Aegyptiorum sapientiam infima monstrent superna, corporalia declarent intellectualia, per inferiorum & terrestrium naturas, & proprietates, superiorum & cœlestium; siquidem hæc inferiora externa & visibilia exemplaria superiorum notæ, ac inuisibilium internorum symbola sunt, quibus nos è temporibus seductorijs manuducimur ad æuiterna & spiritualia. Tota creatura & hæc ampla Mundi machina, in qua Creator inuisibilis se nobis videndum & tangendum exhibet, nihil aliud est, quàm vmbra Dei, ac figura interni paradisi, illius videlicet intuitus, quo clarè videntur & intelliguntur creaturæ, quæ sunt Creatoris posteriora, & effe-

Mundus hic visibilis est vmbra & figura futuri Beatorum status.

& effectus, per quorum cognitionem cognoscitur Creator opifex, & prima causa agens omnia. Creatura enim omnis, vt benè D. Augustinus, à Deo creata est, vt sit in testimonium verbô Creatoris, per quod facta est. Quòd autem in Archetypis omnia continentur inuisibili modo & spirituali, quæ in hoc visibili corporaliter apparent, & quòd omnia ab intra fluant ad compositum, & nil ab extra sumatur; probat & demonstrat ipsum Naturæ lumen ascendendo & descendendo, intrando & exeundo. Tres numerantur Mundi, vti suprà probauimus, tam iuxta Hebræos, quàm Aegyptios; Mundus Archetypus per Osiridem, Angelicus per Isidem, per Horum sensibilis hæc Mundi machina repræsentatur; quæ per tres spiritus suprà indicantur, inferiorem, superiorem, & medium ex his compositum, seu harmoniam. Horum porrò Mundorum quisque à superiore regitur, & suarum virium suscipit influxum, ita vt ipse Archetypus & summus Opifex per Angelos, cœlos, stellas, elementa, animalia, plantas, metalla, lapides suæ omnipotentiæ virtutes exinde in nos transfundat, in quorum ministerium hæc omnia condidit. Introitus autem vel ascensus fit, quando per scalam Iacob ex infimo tollor ad supremum, ex sensibilibus ad intellectualia, ex creaturis ad ipsum Creatorem ascendendo. Hebræorum מפתחות vocant per 50 portas intelligentiarum; gradus sunt seu limites omnium rerum ex primò Genesis capite collecti, quibus ceu symbolis ac notis ad summam rerum omnium cognitionem deducimur. Egressus verò seu descensus fit, vbi ex Deo ad creaturas, ex intellectualibus ad externas formas, à centro ad circumferentiam deuoluimur; vt intueor oculo sensuali, exempli gratia, hunc nucleum pomi, relicta autem corporeitate, recipio me ab externa forma ad interius semen inuisibile, & oculo mentali contemplor totam arborem cum radice, trunco, ramis, surculis, folijs, floribus, fructibus suo tempore per separationem manifestandis complicari; illud semen illa corporalia non ab extra sumit aliunde, sed ex se, & ex suis penetralibus emittit singula. Cùm verò eiusmodi semen sit imago seu vmbra Angelicæ substantiæ, & totam molem corpoream arboris intra suâ penetralia complicet absque quantitate & qualitate; certè vnicus Angelus complicabit semina omnium rerum intra se multò faciliùs, vti præstantioris, superioris, & excellentioris naturæ. Nam quo quid simplicius, iuxta D. Th. p. 1. eò quoque perfectius, absolutius, & potentius; & quicquid potest potentia inferior, idem potest potentia superior multò perfectiùs & excellentiùs. Quando igitur Angelus mira producit, non extra se illa sumit aliunde, sed ab intra è suis virtutum penetralibus (quia perfecta Dei imago) producit & largitur, quando vult, & quoties vult citra sui diminutionem: Angelus enim omnia secum gerit & habet Angelico & spirituali modo, imò totam Mundi machinam in se complicat, & eum ista omnia hæc inferiora. Cùm ergo Angelus illa possit, negandum non erit, primam & supremam causam, à seipsa existentem, independentem, omnia secum inuisibiliter & spiritualiter in abysso sua complicare, imò omnia esse in fontali vnitate simplicissimè; Deus enim centrum & circulus suiipsius in seipso habitans, hoc est, in abys-

Tres Mundi per Osiridem Isidem, & Horum repræsentantur.

50 Portæ lucis.

De Angelica natura.

De Diuina natura.

abyſſo infinitudinis (Hebræi אין סוף vocant) non ex vlla egenti naturæ neceſſitate, ſed ſola voluntate ſua liberrima, & ex mera bonitate, ob infinitam gloriam ſuam, omnia ex ſuo gremio ceu diuinitatis profundiſſimo conceptu & receſſu (Hermes dicit, à viſceribus tenebrarum) emittens per Verbum ſuum primò produxit lucem, id eſt, Angelicas ſubſtantias; lucem illam Angelicam conſecuta ſunt aſtra, hæc corpora, ſeu Mundi viſibilis machina ex ſeptem ſphœris & quatuor elementis conflata, & ſic omnia ſunt in omnibus ſuo modo, & vnum manet in altero, ſicut ſemen in arbore, & arbor in ſemine. Omnia corpora ſeu elementa viſibilia ſunt in aſtris ſeu virtutibus inuiſibilibus, ſeu ſpiritualibus elementis, & aſtra ſeu virtutes ſunt in corporibus. Aſtra ſunt in Angelis, & Angeli ſunt in aſtris. Angeli ſunt in Deo, & Deus in Angelis, ita vt ſemper ſuum ſuperius poſſit eſſe abſque inferiori, non è contra. Cognito itaque Deo, cognoſcuntur Angeli; his cognitis cognoſcuntur aſtra, id eſt, inuiſibiles rerum virtutes; cognitis hiſce nota erunt omnia creata, ſeu Mundus viſibilis; cognito Mundo viſibili tandem notus erit homo μικρόκοσμος, Mundi filius; talis enim eſt filius, qualis pater per omnia. Sic ex viſibilibus deprehendimus inuiſibilia. Sicut igitur in Deo omnia ſunt diuinè, & in Angelis angelicè, ita in Mundo omnia ſunt corporaliter. Quicquid eſt in Mundo viſibili ſenſibiliter in Elementis, id in inuiſibilibus rerum virtutibus eſt ſpiritualiter, & quicquid in his ſpiritualiter, id in Angelis eſt angelicè, in Deo diuinè. Atq; hæc eſt catena illa in ſuperiori epigraphe ab Ægyptijs indicata, ſanè aurea, cœlitùs fragilitati noſtræ in terram demiſſa, cuius ope per creaturarum ordinem, ab imis ad media, & per hæc extra Mundum ad ipſum rerum Opificem aſcendimus & aſſurgimus ad vnum, primum, & ſummum, ad quod tanquam ad deſideratum terminum omnes creaturæ conatu ſuo atque gemitu voluntario tendunt impetu. Omnia igitur ſunt in omnibus; cœlum ſuprà, cœlum infrà; aſtra ſuprà, aſtra infrà; & vt benè Mercurius ſemen eſt arbor complicata, arbor eſt ſemen euolutum & explicatum; vnitas eſt numerus iuxta Platonem complicatus, numerus eſt vnitas euoluta; Angelus eſt aſtra complicata, aſtra ſunt Angelus euolutus; Deus eſt, in quo ceu Archetypo Mundus complicatus eſt diuino modo, Mundus eſt Deus (ſi ita dicere liceat) euolutus; ſic etiam in microcoſmo quinque ſenſus ſunt in imaginatione, imaginatio in ratione, ratio in mente, mens in Deo; Deus in nullo niſi in ſeipſo. Inferiora itaque videntur in ſuis ſuperioribus, vltima in penultimis, & rurſum priora his ſimiliter in prioribus, aliudque ſemper in alio, quouſque perueniatur ad ſummum. Quod non malè per Lyram ſeptichordam ab Ægyptijs inſinuatũ fuit; ab hypate enim ad Neten vſq; per intermedias chordas, & è contra procedentes, tonatim omnia in omnibus admirabili quâdã harmonia concentuque contineri videmus. Sed hæc hactenus, quæ ideo fuſiùs explicauimus, vt & ſapientia admirabilis Ægyptiorum, & eorum cum noſtra philoſophandi ratione faciliùs eluceſceret. Beatum enim dicebant illum huius Philoſophiæ gnarum; cauſam dabant, teſte Porphyrio, quia Solem cœleſtem, cœteroſque planetas in omnibus inferioribus latere ſentiebant,

Quomodo omnia in omnibus ſint.

quo-

quorum virtutibus artis subsidio per ignem seu Chimicâ arte extractis, ad immortalitatem & summam felicitatem peruenire se posse existimabant. Sed de his fortè alibi dabitur dicendi locus.

CAPVT IV.

Quòd omnes hymni Veterum ad Musicam mundanam alluserint, quam qui nosset, eum admirandos effectus eius ope perpetraturum credebant.

VEteres non tantùm Musicæ mundanæ symphoniam pro scopo contemplationis habebant, sed practicâ quoque operatione, eius ope singularum rerum ordines, classes, consensus, dissensusque summo studio inquirebant, nulloque medio faciliùs quàm huius intento se potituros credebant. Hinc in sacrificijs ad normam harmonicarum consonantiarum omnia concinnabant. Et quemadmodum chorda tacta chordam sibi similem mouet, ita actiua passiuis, secundùm harmonicam quandam analogiam adaptando, chordas harmonici & mundani instrumenti pari ratione ad effectus prodigiosos in natura rerum producendos, se moturos credebant. Quod meliori ratione fieri non posse putabant, nisi priùs supremos Mundi præsides, & polychordi mundani pulsatores analogis, ijsque cumprimis acceptis rebus, per sacrificia hymnosque sollicitassent; quibus sollicitatis, per continuam veluti quandam chordarum sollicitationem vsque ad infimos rerum ordines propagatam, & præ cœteris animæ polychordon ijs motum iri credebant, adeoque animam furore quodam extra se raptam diuinæ auræ harmonia mox inuadi, & inde abdita pandere, futura prædicere, infortunatos rerum euentus aduertere & præcauere, ac demum quæ ad publicam vel priuatam cuiuslibet prosperitatem pertinebant, infallibilis sortis necessitate obtinere. Atque tales fuerunt hymni ab Ægyptijs per hieroglyphicorum Schemata exhibiti, quibus Genium certo alicui rerum naturalium ordini præstitutum per hymnos, sacrificia, & coniurationum supplicationes alliciebant; de quibus tùm in præcedentibus varijs locis actum est, tùm in sequentibus amplè dissleretur. Tales fuerunt Hymni illi mystici Orphei, mundanarum partium præsidibus, Genijs, Pani, Plutoni, Ioui, Saturno, Apollini, Herculi, Mercurio, Rheæ, Mineruæ, Palladi, Hecatæ, Proserpinæ, similibusque Dijs Deabusque inscripti. Ad horum Cytharam, Vates Sacerdos suam summo ingenio adaptabat; & sonus quidem cœlesti harmoniæ analogus fatali quâdam necessitate cytharam promouebat cœlestem, verba verò Genios ad correspondendum sollicitabant. Hinc fieri non posse credebant, quin Genij attracti Vatum votis vndequaque satisfacerent; vt proinde non sine ratione Prisci Orpheum Musicum, Magum, animalia, syluas, atque adeo ipsa saxa Lyræ sono magico trahentem produxerint, de quo admodum eleganter Claudianus in præfatione secundi libri de raptu Proserpinæ, his verbis:

Diuinationem in hymnis statuebant Ægyptij.

Mystici Orphei hymni.

Origo fabulosi cantus Orphei.

Tum

Tum patriæ festo lætatus tempore Vates
Desuetæ repetit fila canora lyræ.
Et residens leni modulatus pectine neruos
Pollice festino nobile duxit ebur.
Vir auditus erat, venti sternuntur, & vndæ,
Pigrior astrictis torpuit Hebrus aquis.
Perrexit Rhodope, sitientes carmina montes,
Excussit gelidas pronior Ossa niues
Ardua nudato descendit populus Aemo,
Et comitem quercum Pinus amica trahit.
Pyrrhæasque Dei quamuis despexerit artes
Orphei laurus vocibus apta venit.
Securum blandi leporem videre Molossi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus;
Concordes varia ludunt cum Tygride Damæ,
Massylam Cerui non timuere iubam.

Saxorum attractio ab Orpheo facta quid notet.

Quæ quidem prodigiosa animalium, Syluarum, saxorumque attractio partim tropologicè, partim allegoricè accipienda est. Notabant enim Prisci, maximam Musicæ vim esse in animam, eamque secundùm varios eius sonos & harmonias mutari, & tanquam ceram, quocunque torqueas, sequi; ideo ipsam ἀρχὴν πάντων, siue *principium omnium*, & vt Psellus in sua Musica ait, Τὴν Μουσικὴν οἱ παλαιοὶ συνέχειν εἶπον τὸ πᾶν. Præterea videbant eandem Musicam mores posse componere & variare; nihil enim tam facilè in animos teneros ac molles influere, quàm varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quanta sit vis in vtramque partem: namque & incitant languentes, & languere faciunt excitatos, & tùm remittunt animos, tùm contrahunt, vt fusiùs paulò post dicetur. Saxa igitur, syluas, & animalia, id est, homines prorsùs insensatos, ferinos & crudelitate immanes, diuino Lyræ suæ sono attractos ad humanitatem & politicam viuendi rationem perduxit. Alij verò dictam attractionem allegoricè intelligunt. Cùm enim, aiunt, Orpheus insignis esset Astrologus, & Musicus, vtramque artem perfectissimè callens, ita opportunè temperabat & miscebat sonos, vt cœlestium syderum, quam optimè ipse intelligebat, imitaretur harmoniam, eorumq; omnem in se traheret ac deuocaret influxum, atque vim; quâ fretus, quæcunque vellet, pulsando cieret ac deliniret. Nonnulli quoque subiungunt, quòd cùm optimè nôsset, quâ proportione, & quo concentu vnumquodque esset à natura constitutum, compositumque, cuique stellæ pareret, essetque subiectum, musicales rationes eisdem accommodans, & stellis earum, ad motum alliceret inanimata per vim stellarum, quam in illis latentem externâ suâ harmoniâ quasi produceret; non secùs ac ferrum ex silice latentem ignem excutit, vel flammam flatus follis abditam prodit; sunt enim in omnibus rebus quidam veluti latentes igniculi, atque semina harmoniæ siue sensus, adeo vt vel ipsum Deum Veteres dicerent ἁρμονίαν πάντων.

Musicæ vis inanimis mortalium.

Ne-

Nescio sanè, quæ occulta, & hucusque impenetrata vis naturæ motui insit, quo id in alio posse videmus, quod ipse facit; quod non in extrinseco tantùm corporis motu contingit, sed & potissimùm eo in motu, qui linguæ officio fit in verba & cantus prorumpentis. Videmus enim vel vnum cantantem, ad idem alios faciendum occultâ quâdam vi (siue id metu, vt in panico timore perculsis, siue instinctu lætitiæ, vt in saltantibus contingit) excitare: quod cùm in alijs motibus fiat, certè maximè locum habet in vocibus humanis. Vox enim humana cùm nihil aliud sit, quàm artificiosus quidam motus linguæ iuxta intentionem hominis ad aliquid significandum formatus, prorsus id in alijs facere videmus, quod ipse præstat. Experientia enim docuit, vnum cantillantem, vel plangentem, vel sibilantem, aut etiam oscitantem, ad idem faciendum alios excitare. Quod cùm verum sit in sonis vocibusque etiam rudibus impolitisque, certè multò magis in concinno verborum vocumque contextu verificabitur. Notarunt hanc abditam naturæ vim à principio primæuæ sapientiæ Magistri; hinc laudes Deorum immortalium non quolibet fortuitoue verborum contextu concinnabant, sed vinculis etiam iniectis Orationes suas harmonicâ quâdam mensurâ ita constringebant, vt ipsa verborum mensura internis animi affectibus præcisè congrueret; vt vel hinc prima quædam sacræ Poëseos rudimenta agnoscas; quæ vti tunc, ita nullo non tempore nescio quid diuinum apud posteros obtinuit in animis hominum; nam hâc non tantùm Genios, Deosque sympathicâ quâdam alteratione sibi vicinos sistere, sed & hominum animos in quodcunque mutare se posse, credebant. Quæ omnia tam præclarè πολυίδιατος ille docet Horatius, vt ad eius verba nihil aliud adiungi posse videatur. Vox humana ad imitandũ prouocat.

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.
Siluestres homines, sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ab hoc lenire Tygres, rapidosque Leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis Quo sensu olim Poetæ feras & saxa traxerint.
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. fuit hæc sapientia quondam:
Publica priuatis secernere; sacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare iura Maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis Vatibus, atque
Carminibus venit. post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. dictæ per carmina sortes,
Et vitæ monstrata via est, & gratia Regum
Pierijs tentata modis, ludusque repertus.

Certè hanc diuinam & impenetrabilem vim, vt cum Platone loquar,

originem suam non habere, nisi à motu harmonico; alibi fusiùs declarauimus; præsertim si is internis animi affectibus commensuratur respondeat; commensuratus autem correspondebit, si per breuitatem, aut longitudinem syllabarum in aptas harmoniosasque periodos deducta stringatur Oratio, siue quod idem est, celeres animi motus, celer & velox sequatur mensura, tardos tarda. Et quamuis hæc in Metrica seu Rhytmica arte vim mirificam possidet, certè multò maiorem in Musica Poësi siue Rhytmica energiam habere, compertum est; illam enim huic coniunctam, veluti omnibus numeris completam, prodigiosos prorsùs effectus in animis hominum obtinere, infinita propè Historicorum monumenta testantur. Est enim, vt paulò antè quoque dixi, nescio quid inter animum nostrum, motusque harmonicos & Rhythmicos sympathicum, vt simul ac auribus metrica harmonia sistitur, mens varijs agitata affectibus, nunc gaudij, modò amoris, nunc mœroris, compassionis, iræ, gemitus, aliaque pathematum indicia præbeat; quæ tantum subinde incrementum habet, vt mens internis animi claustris contineri nesciа, externa quoque membra ad actus pathemati respondentes excitet. Verùm cùm hæc fusè in Arte nostra Magnetica lib. III. de Magnetismo Musicæ & Tarantismo ostenderimus, eò Lectorem remittimus.

Atque hæc sunt, quæ de Musica hieroglyphica dicenda existimauimus; qui plura huius materiæ desiderat, consulat librum decimum Musurgiæ nostræ vniuersalis, qui intitulatur Decachordon naturæ; ibi enim de multis alijs quæ circa hanc materiam desiderari possunt, ex professo tractatum reperiet.

SECTIO IV.

Astrologia Aegyptiorum & Chaldæorum hieroglyphica.

CELSISSIMO S. R. IMPERII PRINCIPI, AC DOMINO, DOMINO

VVAICARDO AB AVRSPERG,

Supremo Aulæ FERD. IV. Romanorum Regis Præfecto, nec non S. C. Mai. intimo Consiliario.

AVTHOR S. P. D.

CVM ea munera, quibus humanum genus Deus Opt. Max. liberalissimè honestatum voluit, mecum altiùs pondero, in eam ducor opinionem, vt flagranti literarum studio, & exquisitâ doctrinæ & sapientiæ culturâ nullum maius reperiri posse existimem; præstantissimum sanè siue mores erudiendos, siue Rempubl. benè beateq; administrandam spectes, præsidium. Hoc idem Romæ quandam, Celsissime Princeps, *non solùm* Te *sensisse memini, sed mox ac in Imperij bonum Patriæ* Tuæ *restitutus es, eam summo illo & innato* Tibi *consilij & prudentiæ vigore, nec non politissimarum artium institutione nominis existimationem peperisti, vt non duntaxat earum ope fretus, ingentes ad recta vitæ instituta progressus* Te *fecisse comprobaueris, sed & eos* Tibi *aditus aperueris, è quibus lætos & vberrimos fructus in Imperij emolumentum quondam redundituros omnes sperent. Quam quidem spem atque exspectationem optatus fortunæ successus (dum non ita pridem à Magno Cæsare* FERDINANDO III. *summo omnium applausu & congratulatione in S. R. Imperij Principem assumptus es) abundè confirmauit & auxit; vt proinde commoda, quæ ex tanta* Tua *fortuna & amplitudine omninò maxima sperabamus, longè maiori nos iam consecuturos fateamur. Cùm itaq; ego non solùm huius publicæ lætitiæ particeps, sed etiam priuatim humanitatis & propensi in me animi* Tui *probè mihi conscius sim; ingratus omninò videri possim, si meam erga* Te *obseruantiam non insigni aliquo testimonio comprobem. Quamobrem hoc præsens de Astrologia Ægyptiorum argumentum glorioso nominis* Tui *splendori inscribendum duxi. Quod quidem pro solita humanitate ita* Te *accepturum, vt meum, sed* Tibi *debitum; ita defensurum, vt* Tuum, *sed à me profectum, confido. Vale S. R. Imperij decus, & cui olim fauisti, eidem porrò fauere non cesses.*

SECTIO IV.

PROOEMIVM.

DVPLICEM in hac Sectione cœlestium rerum scientiam Ægyptijs vsitatam proponemus; quarum prior Astronomia erit motuum cœlestium, temporumq; exploratrix; altera Astrologia fatalium euentuum ab astris dependentium, fortunarum singulis constitutarum decreta pandens. Vtriusque differentia hæc vna est, quòd illa multum metiatur, hæc mentiatur multam. De Astrologia primùm dicetur; postea quoque de ea potissimùm Astronomiæ parte, quam Computatricem vocant, quantum ingenij vires permittent, disseremus. Quæ antequam aggrediar, protestor coram Deo, & sancta cœlorum curia, nihil me saluberrimis legibus à Sacrosancta Romana Ecclesia constitutis, contrarium assertùrum, sed nudi Oedipi seu Interpretis tantùm in reconditissimarum rerum adductione officium me facturum; neque vllam me tam ruinosæ facultati fidem habere, quisq; sibi persuadeat. Dum enim Astrologiam nomino, non eam intelligo, quæ siderum moles & motus mathematico ratiocinio metitur, artem certè nobilem, & suis meritis honestissimam, authoritateq; hominum doctissimorum nullo non tempore maximè comprobatam; sed eam quæ ex sideribus euentura pronunciat, arbitrio humano vim infert, legibus quà ciuilibus, quà pontificijs interdictam, irrisam à Philosophis, cultam à circulatoribus, optimo cuique prudentissimoq; suspectam. De qua quidem ego, tùm rationibus innixus, tùm præiudicijs hominum sapientissimorum, nihil dubitârim affirmare, non esse inter artes præstigiosas, quæ aut plùs fallat credulos imperitosque, aut quæ persuasis fallendo plùs noceat; tantò reliquis superstitionibus exitialior, quantò propiùs ad veritatem accedere visa est. Fuit hæc primùm nata in Ægypto & Chaldæa, educata in Græcia, adoleuit in Romano Imperio, vnde & radices suas in omnes Mundi partes traduxit, tantò infaustiori euentu, quantò maiora damna Regum, Cæsarumq; sceptris intulit. Et cùm ex malo coruo malum ouum natum sit, quid ex tam perniciosa tantarum superstitionum radice bonum, quid fructuosum nasci possit, non video. Præfert hæc primâ quidem fronte & eminùs, nescio quam sapientiæ speciem habitumque, & si cominùs eam consideraris, nihil nisi insaniæ aspidem in sinu fouere reperias, quam exactiùs trutinatam, veluti quandam lernam, & sub aperta luce fallaciam tenebrarum abomineris. Ostentat procul cœlum & planetas, vnde facilè credas in tam sublimi, tam lucido spectaculo nihil non posse verissimè præuideri: mox vbi attentiùs explorâris, videbis sublime adeo esse speculum, vt terrenarum rerum imagines illuc penetrare minimè possint; ita lucidum, vt ad eius fulgorem nostræ caliget caducitatis infirmitas: tum si propiùs accesseris, videbis intexta illius peplo pro cœlestibus portentosarum imaginum monstra, & mira stellarum in exotica animalia transformatarum spectacula; verbo, plenum fabulis cœlum, imò pro vero cœlo commentitium cælum non à Deo factum, sed ab Astrologis fictum cum stupore intueberis. Mirum est quàm per caligines istas & nebulas oculis imperitia offusis, & speciosam, & venerabilem, & seriæ plenam authoritatis imaginem sui repræsentet. Libros Astrologorum anilibus figmentis, væsanisque malèferiatorum hominum

Authoris protestatio in Astrologiæ Ægyptiacæ interpretationem.

Astrologia perniciosa & varia.

nam deliramentis plerumque ita confarcinatos reperias, vt maiorem ne risus, an veritatis acquirendæ occasionem inde reportes, dispici vix possit. Quas vbi tenebras & præstigia rectæ rationis radio, & diligenti tractationis amussi discusseris, videbis nihil ijs in libris libratum, in authoribus nullam authoritatem, in rationibus nihil rationale, in experimento nil consonum, nil constans, nil verum, nil credibile, nil solidum, sed pugnantia inuicem, falsa, vana, ridicula; vt vix credas, qui scripserunt, fidem adhibuisse his, quæ scribebant. Habebant Veteres Astrologiam superstitionibus innumeris mirè contaminatam, & diabolicis illusionibus maximè expositam; quam Arabes sui iuris factam summo cultu prosecuti sunt; ab his aliqui Latini tanta eam insaniâ in hunc diem prosequuntur, vt non dicam quæ naturale humani corporis temperamentum concernunt, eidem subijciant, sed detestabili quodam ausu & temeritate ea quoque, quæ ad supernaturalia spectant, eidem attribuere non verecundentur. Vix hodierno die artem damnatam, potissimùm quæ polymantiam seu diuinatoriæ facultatis arcana continent, reperias, cuius sibi partem non vendicet Astrologia iudiciaria, vti in contextu huius tractatus videbitur. Harum itaque vanitatum radices, vt luculentiùs ostendantur, ab Ægyptiorum Astrologia prima dissertationis meæ ducam exordia, vt quàm ex abominanda totius Idololatriæ officina illa prodierit, Astrologi nostri temporis videant, & meliùs sapere discant; sanctè siquidem affirmare ausim, omnem Astrologiam iudiciariam præsentem, quam apotelesmaticam & consultoriam vocant, occultum priscæ Ægyptiorum Astrologiæ implicatum iam tunc cum Dæmonibus fœdus, pactum in hunc vsq; diem retinere; quod ex sequenti discursu passim liquebit. Sed quoniam singula suis locis refutanda reseruauimus, ne tempus fusioribus ambagibus teramus, negotium tandem ordiamur.

ÆGYPTIORVM ASTROLOGIÆ

Pars Prima.

CAPVT I.

De Astrologiæ Origine, & progressu apud Aegyptios.

ACHILLES Statius in sua Isagoge, hanc Astronomiæ inuentionem Ægyptijs attribuit his verbis: Αἰγυπτίους λόγος ἔχει πρώτους τὸν οὐρανὸν ὡς καὶ τὴν γῆν καταμετρῆσαι, καὶ τὴν ἑρμηνείαν τοῖς ἑξῆς ἐν στήλαις ἀναγράψαι. *Ægyptios ferunt, primos omnium tam cœlum, quàm terram esse dimensos, eiusque rei scientiam columnis incisam ad posteros propagasse.* Verùm ante diluuium viguisse Astrologiam, Arabes vnanimi Orientalium consensu testantur. Ita Gelaldinus in principio suæ historiæ, vide Obel. Pamphil. fol. 5. lin. 29. *Adam instruxit filium suum Seth, & fuit in illo, & in filijs suis Prophetia, & deduxit Deus super ipsum viginti nouem paginas, & successit ei filius eius Kainan, & Kainan Mahaliel, & Mahaliel filius eius Iared, & accepit instructionem ab eo, & docuit eum omnes scientias & historias,* Achilles Statius. Gelaldinus M. S. in principio historiæ.

quæ

quæ erant futuræ in Mundo, & exercuit Astronomiam, quam & didicit ex libris, quos tradidit ipsi Adam pater eius; super eum pax. Quod si verum est, nemo sibi persuadeat, Adamum Astrologiam illam, quam in Præfatione descripsimus, posteris suis, artem videlicet perniciosam; sed Astronomiam, facultatem illam temporum diuisioni aptam, humano generi pernecessariam tradidisse; atque hanc ad Seth, filiosque, vsque ad Henoch, & tandem ad Noemi filios continuâ traditione propagatam incontaminatam quidem peruenisse, at à Kanaitis, & Chamo studioso eorundem dogmatum exploratore miris modis corruptam, in manifestam tandem superstitionem deuenisse. Porrò ab Adamo literarum, scriptionisque inuentum ad Sethum deuolutū est (cuius libri, etsi inter apocryphos numerentur, ingens tamen horum librorum fama per omnia Authorum monumenta volat) vnde illum aliqua iussu patris scripta re ipsa tradidisse verisimile est, vt in Obelisco quoque Pamphilio diximus, ex quo etiam alia nonnulla transcribere placuit. Scripsisse autem illum libros septem, in primo Panarij recitat Epiphanius, atque à Gnosticis Sethianis Archonticis falsò suppositos esse probat. Occasionem autem huius figmenti accepisse videntur ex eo, quòd, vt refert Iosephus lib. 1. Antiqu. filij Seth sideralem scientiam ad cœlestium rerum cognitionem excogitarunt; & cùm scirent prædixisse Adamum duos vniuersales rerum interitus, alterum incendio, alterum diluuio; veriti ne inuenta sua penitus perirent, excitatis duabus columnis, lapidea, & lateritia, vtrique sua inuenta inscripserunt; vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret; & illa, quæ ex lapide fuerat exstructa, per ignem pereunte, lateritia restaret. Has refert Iosephus, suis adhuc temporibus in Asia extitisse. Author Operis imperfecti in Matthæum exponens illud: *Vidimus stellam eius in Oriente.* meminit cuiusdam Scripturæ Seth de Stella apparitura in ortu Messiæ his verbis: *Audiui aliquos referentes de quadam Scriptura gentis cuiusdam sitæ in ipso principio Orientis iuxta Oceanum, apud quos ferebatur Scriptura quædam inscripta nomine Seth de Stella apparitura in ortu Messiæ, quæ per generationes studiosorum hominum, patribus referentibus filijs suis, habebatur deducta.* Cassianus verò collatione 8. cap. 21. introducit Serenum Abbatem dicentem: *Scientiam omnium naturarum per successiones generationum, semen Seth ex paterna vsque ab ipso Adamo traditione suscipiens, donec diuisum à sacrilega propagine Cham perdurauit, quemadmodum sanctè præceperat, ita etiam per vtilitatem vitæ communis exercuit. Cum verò fuisset impiæ generationi permistum, ad res profanas & noxias, quæ piè didicerat, instinctu quodam dæmonum deriuauit, curiosasque ex ea maleficiorum artes atque præstigia, magicasque superstitiones audacter instituit, docens posteros suos, vt sacrâ illâ culturâ diuini nominis derelictâ, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos Dæmones venerarentur, & colerent. Hæc igitur curiosarum rerum notitia quomodo diluuio non perierit, ac superuenientibus seculis innotuerit, perstringendum breuiter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt, Cham filius Noë, qui superstitionibus illis, & sacrilegis artibus infectus fuit, sciens nullum se posse super his librum in Arcam prorsus inferre, in qua erat*

Libri Seth attributi.

Ioseph. Flau.

Filij Seth columnis committunt sideralem scientiam.

Scriptura Seth de stella apparitura in ortu Messiæ.

Cassianus.

Cham impius res piè traditas ad vsum profanum conuertit.

Quomodo libri ante diluuium ad posteros post diluuium traducti sint.

erat vnà cum patre iusto ac sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes, ac profana commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum non corrumperentur iniuriâ, & durissimis lapidibus insculpsit; quæ diluuio peracto, eâdem quâ ille celauerat, curiositate perquirens, sacrilegiorum & perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Hâc itaque ratione illa opinio vulgi, quâ credunt, Angelos maleficia hominibus tradidisse, in veritate completa est. Hæc ille. Huic congruunt, quæ S. Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei; & Petrus Comestor recitat de quatuordecim columnis, septem æreis, & totidem lateritijs, artium scientiarumque Canonibus insignitis, à Chamo Noëmi filio erectis. Epiphanius in Panario suo mentionem quoque facit certi libri intitulati, *Reuelatio Adæ*; quando Deus immisit soporem in illum; & S. Augustinus contra Faustum meminit certi libri Genealogiæ filiorum Adæ, vti & pœnitentiæ Adam; qui tamen à Papa Gelasio in numerum Apocryphorum sunt relati. S. Augustin. Petrus Comestor. 14 Columnæ à Chamo erectæ, in quibus doctrinæ traditionem exhibuit. Epiphanius. Liber intitulatus, Reuelatio Adæ.

Thomas Torquemade in suo Hexamero ait S. Thomam Aquinatem libro de Ente & Essentia alterius cuiusdam Codicis meminisse ab ipso Abele compositi, scriptique in lingua Hebraica de omnibus & singulis mundanarum rerum virtutibus; siquidem Protoplastum præsagum Mundi per diluuium perituri, ne artes & scientiæ vnà cum humano genere perirent, laminis saxeis incisas cistæ lateritiæ contra aquarum vim inclusisse, vt ea inuenta apertaque filij posteri haberent, quo imbuerentur; Mercurium tandem Trismegistum illum Codicem suis temporibus inuenisse, indeque scientiam illam rerum omnium mirabilem, quam in operibus eius etiamnum veluti scintillis relucentem videmus, hausisse; imò S. Thomam hosce libros vidisse, legisse, eiusque libri vsu multa admiranda præstitisse refert. Verùm cùm hæc omnia summo studio in Bibliotheca S. Thomæ Neapoli, vbi dicebatur esse exemplar de Ente & Essentia, quòd de hisce & similibus tractaret, inquisiuerim, nec tamen quicquam inde inuenire potuerim, meritò multis rationibus conuictus, inania & vana Astrologorum superstitiosorumque hominum commenta esse iudicaui. Si enim S. Thomas illos legit, quæritur quâ linguâ? aut quo charactere genere scriptos legerit? Constat autem, dictum Sanctum præter Latinam, alterius doctrinalis linguæ vix singularem notitiam habuisse. Quicquid sit, etsi citati libri passim apocryphi habeantur; verisimile tamen est, hosce primos Patres suarum inuentionum monumenta, qualicunque in materia exarata, posteris reliquisse, quæ tamen successu temporum perdita, præter famam, traditionemque posteris nihil reliquerint; loco autem eorum postea à curiosis Scriptoribus, rebus suis ex tam vetusta scriptione authoritatem conciliare cupientibus, fictè hosce, quos citauimus, apocryphos substitutos esse. Verùm haud quamquam Lectori ingratum me facturum existimaui, si verba dicta hoc loco apponam, vt Torquemade ait, ex dicto Opusculo S. Thomæ de Ente & Essentia deprompta. Thomas Torquemade.

Sed qoniam multi Philosophorum & Astrologorum antiquorum posuerunt, supercœlestia esse animata, & hoc ideò, quòd videbant effectus suos quasi rationales S. Th. l. de ente & essentia, supposititius.

circa

circa inferiora; videbatur enim eis, quod per ipsa operabantur mala & bona fortuita in terra; sed quantumcunque habeant effectus mirabiles & stupendos, non tamen propter hoc habent animas, sed habent intelligentiam mouentem & regentem; ipsa tamen non est forma ipsorum, quia aliam formam habent, per quam cum materia habent esse, siue in materia. Sed quantumcunque per rationem & fidem hoc credam, tamen hæc operatio in me valde operata fuit, cum vidi librum quendam antiquissimum mirabilis materiæ, & mirabilis effectus, editum ab Abel filio Adæ, quem Cain interfecit, qui sciens diluuium venturum, posuit dictum librum in quodam lapide optime sigillato. Hermes verò post diluuium inuenit lapidem, ac fregit, & dictum librum, in quo imagines septem planetarum inuenit; vnde in ipso libro ponit nomina Intelligentiarum regentium ipsos planetas, & posuit septem Intelligentias, & nomen Intelligentiæ mouentis ipsum primum cœlum. Hæc igitur nomina sunt tantæ efficaciæ, vt si imaginem feceris secundum diuersitatem planetarum in signis diuersis sub diuersis faciebus existentibus, nomenque dicti Planetæ sub sua imagine, voluntatem tuam in omnibus exequeris; ibi docet facere imaginem, cum qua si tetigeris omne metallum, aurum fiet; ibi etiam docet facere imaginem, vt ille, pro quo facta fuerit, non potest esse; quin sit Rex, aut Prælatus; & quasi de omnibus fortunis, bonis & malis idem docet; non tamen probaui imagines, nisi vnam, quia cum multitudo equorum manè transiret ad aquam, non permittentes me dormire, & me infestarent, quodam die feci imaginem secundum quod ibi præcipitur, & sepeliui eam in curritorio illo, ex tunc nullus equus transire potuit, sed cum perueniebat ad illum locum, vbi erat imago, non poterat transire, quantumcunque stimulabatur; itaque habuerunt mutare vias, & propter experimentum didici esse veras alias. Narrauit mihi etiam quidam, qui fecerat imaginem de stanno secundum quod in illo libro præcipitur, Luna existente sub secunda facie Aquarij non retrogrado, scilicet tardo cursu, scripsit nomen Domini siue Intelligentiæ Lunæ, & fecit illa quæ erant necessaria sub Intelligentia Lunæ, & scribebat quæ erant necessaria ad imaginem secundum quod præcipitur, & volens deridere puellas cuiusdam Oppidi, & omnes vrcei & vasa, quæ tangebat aqua, frangebantur. Sunt etiam ibi imagines quædam, ex quibus scientia datur ex irradiatione quadam illius Intelligentiæ sub qua fit, quæ quasi subitò deputatur; itaque de ignorante fit sapiens. Ex quo quidem patet, quòd corpora supercœlestia à formis suis has stupendas & mirandas influentias non habeant, sed potius ab Intelligentijs requirentibus ipsam. Ex quo sequitur corpora supercœlestia non esse animata, quantumcunque influant corpora quasi rationalia & animata. Hæc ex mente Torquemade S. Thomas.

Abelis liber mirabilis scripturæ & materiæ. Hermes eum post diluuium inuenit.

Auri confectio phantastica.

Ridicula de potentia Sigillorum planetariorum.

Aliud superstitiosum Telesma.

Franguntur vasa vi Telesmatis.

Telesma ridiculum, quòd ex ignorante facit sapientẽ.

Estne possibile Thomam Aquinatem, Virum adeo Sanctum, perspicacem, & diuinâ quâdam vi pollentem, tam à veritate consona, tam impia asseruisse? Credat hæc qui volet; ego omnia dicta meras astrologorum fabulas, & sub Sancti viri nomine ad nonnullam illis authoritatem conciliandam conficta esse, securus assero; cum dicta in libro de Ente & Essentia, qui Neapoli dicebatur exstare, tametsi summo studio inquisita reperire tamen non licuerit, vt dixi suprà.

Astrologia à Cham propagata.

Porrò Cham siue Zoroaster Astrologiam & Magiam, quam ante diluuium à Kainitis studiosè didicerat, post diluuium non minori studio

pro-

propagauit. Nam & filios suos Chus & Mesraim, & hi filios nepotesque in eadem instituentes, paulatim totum Mundum abominabili doctrinæ genere referserunt; quæ omnia vti copiosis auctoritatibus tùm in secunda Classe superiùs, tùm in cap. 1. & 2. lib. 1. Obelisci Pamphilij comprobata sunt, ita diutiùs his immorari nolui. Durauit hæc Astrologia aliquantulum rudis adhuc quidem & in cunis vagiens, nullo ordine & methodo comprehensa, sed execrandis superstitionibus, & magicis idololatrisq; operationibus subiecta, humanum genus pedetentim inficiebat; donec Hermes, verè Trismegistus, Mundo natus, tot fucis fallacijsque & imposturis, quibus gentis suæ progeniem miserè inescatam videbat, modum statuens, falsa à veris, quantum naturæ lumen illi suggerebat, seperans, nouam Astrologiam fundaret, atque superstitiosis machinationibus temulentos mortalium animos ad sobrietatem reuocaret; hoc vnicum satagens, vt disciplinas iuxta piam prædecessorum Patrum, potissimùm Enochi primi Idris, siue Hermetis primi, cuius & nomen sibi imposuit, intentionem, quæ ad veri Dei notitiam cultumque dirigebatur, disponeret. Multa autem Mercurium Trismegistum à primo Hermete & Idris Noëmicæ propaginis traditione hausisse, omnes ferè Orientales asserunt. Primum enim literarum, & Astronomiæ inuentorem ponit Codex intitulatus, *Domus Melchisedech*, quem in Obelisco Pamphilio fol. 23. allegatum vide. Ahmed quoque Ben Ioseph Altiphasi apud Gelaldinum, Henochum primum ponit Adris siue Hermetem, tùm aliarum scientiarum, tùm Astronomiæ potissimùm cultorem, quem vide citato loco; quæ & Vaab Chronista Arabum testatur: Hermetem verò secundum siue Trismegistum eum fuisse, qui doctrinam ab Hermete primo Henocho traditam, & à Chamo mirè deprauatam suæ restituit integritati, à quo deinde tota posteritas sua desumpserit.. ita Gelaldinus Arabs de Sapientibus Ægypti; cuius verba cùm in Obelisco Pamphilio allegauerimus, hìc Latina tantùm apponere visum fuit. *Tempore Abrahæ fuit in Ægypto Hermes, ipse Idris secundus, & ipse Trismegistus, qui Propheta, Rex, & Philosophus, & is qui docuit scientiam metallorum, Alchimiam practicam, Astrologiam magicam, scientiam Spirituum, & apotelesmatum, & secreta naturæ; à quo deinde Pythagoras, Empedocles, Archilaus, Socrates, Plato, & Aristoteles sua desumpserunt.* Mercurius itaque Trismegistus primus fuit, qui Astronomiam suis legibus stabilitam, postero Mundo communicauit; hic primus annum in 365 dies diuisit, hic Zodiacum in sua distribuit duodecim dodecatemoria, hic tùm signorum, tùm planetarum characteres inuenit, cœteraque quæ cœlestis doctina circa 48 Constellationes docet, teste Platone, Iamblicho, Porphyrio ordinauit; & Manilius suo veluti calculo his verbis lib. 1. Astronomicon comprobat.

Trismegistus Astrologiam à multis illicitis expurgauit.

Trismegistus Astrologiam hausit ab Henoch siue Idris primo.

Ahmed.

Vaab Chronista.

Hermes secundus Idris.

Gelaldinus.

Hermes Astrologiam legibus astrinxit.

Tu Princeps, Authorque sacri, Cyllenie, tanti:
Per te iam cœlum in terris, iam sidera nota,
Quem primum infernis licuit cognoscere terris
Munera cœlestum; quis enim condentibus astris
Clepsisset furto Mundum. &c.

Manilius.

Ioſephus Scaliger. Quæ verba Scaliger ſic explicat: *Tu, inquit, Mercuri Author es tanti ſacri ad duo altaria obeundi, carminis ſcilicet, & rerum; vel potiùs, tu tanti arcani Auctor es. Nam ſacrum etiam ἀντὶ τοῦ μυστηρίου. Tu enim primus repertor Aſtronomiæ in terris. Neque enim homines ſoli per ſe id adepti fuiſſent, niſi ipſis Dijs monſtrantibus. Ægyptios Aſtronomiam didiciſſe docente Mercurio, omnes libri loquuntur. Cui propterea Ægyptij diuinos honores habuerunt, & primum Menſem Thoth cognominem Mercurio fecerunt; nam Thoth ſeu Tat eſt Mercurius.* Iul. Firmicus. Quæ conſentiunt opinioni Firmici, ita differentis: *Mundi itaque genituram hanc eſſe voluerunt, ſecuti Æſculapium & Anubin, quibus potentiſſimum Mercurij Numen iſtius ſcientiæ ſecreta commiſit.* Huc pertinent quoque, quæ Lactantius. Plato. de Mercurio Triſmegiſto differit l. 1. c. 6. Lactantius Firmianus; & Plato confirmat his verbis in Phœdro: *Audiui equidem, inquit, circa Naucratim Ægypti priſcorum quendam Indigetum Deorum extitiſſe, cui dicata ſit auis, quam Ibin vocant, Dæmoni autem ipſi nomen eſſe Theut; hunc primum & numerum, & numeri computationem inueniſſe, & Geometriam, & Aſtronomiam, talorum luſus, & aleæ ludos, & literas;* Ariſtoteles Aſtronomiam quoque Ariſtoteles. Ægyptijs & Babylonijs attribuit his verbis: Αἰγύπτιοι καὶ Βαβυλώνιοι παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχωμεν περὶ ἑκάστου τῶν ἀστέρων. *Ægyptij verò & Babylonij, à quibus multas notitias habemus de ſingulis aſtris.* Quare autem Ægyptij plurimùm illis Ptolomæus. diſciplinis valuerint, Ptolomæus & ipſe homo Ægyptius cauſam reddit his verbis: Ὅτι μᾶλλον συνοικειοῦνται τοῖς Διδύμοις, καὶ τῷ τοῦ Ἑρμοῦ, διόπερ διανοητικοί, καὶ συνετοί, καὶ ὅλως ἱκανοὶ περὶ τὰ μαθήματα· Βαβυλώνιοι δὲ ὅτι τῇ παρθένῳ, καὶ τῷ τοῦ Ἑρμοῦ συνοικειοῦνται, διὸ καὶ παρ' αὐτοῖς τὸ μαθηματικόν, καὶ παρατηρητικὸν τῶν ἀστέρων συνέστη. *Quod maximè cohabitant & ſubſunt ſigno Geminorum & domui Mercurij, ideo ſpeculatiui & aſſidui, prorſus ad mathemata facti; Babylonij verò cum Virgini & Mercurio ſubſint, ideo ab ipſis Mathematicum ſtudium, & obſeruatorium aſtrorum maximè colitur.* Ab illis deinde Eudoxus Aſtronomiam acceptam ad populares ſuos; ab his ſuis compopularibus Beroſus Chaldæus Genethliologiam ad Græcos, teſte Vitruuio, traduxit. Certè Compilator in vitam libroſque Porphyrij, meminit ex fragmentis quibuſdam Porphyrij, à mille nongentis annis Aſtronomicas Ægyptiorum & Babyloniorum obſeruationes in vſu fuiſſe; qui quidem anni rectè videntur congruere temporibus Abrahæ, quibus & Hermes noſter vigebat. His quidem oſtenſis, iam quomodo Mercurius, aut quiſquis alius huius diſciplinæ inuentor, in tantorum arcanorum cœleſtium notitiam peruenerit, & quænam prima fuerit cœleſtium motuum Syſtaſis, aperiamus.

Obſeruationes Aſtronomicæ Ægyptijs & Babylonijs 1900 annis in vſu.

Ægyptus Aſtronomicæ exercendæ aptiſsima. Suppono primò, terram Ægypti omnium terrarum, ob nubium, pluuiarumque perpetuam proſcriptionem, obſeruationi ſtellarum fuiſſe aptiſſimam; cui accedebat perpetua ſereni cœli facies, noctesque innoxiæ; vnde ex perpetuo ſtellarum intuitu, exercituſque cœleſtis contemplatione, paulatim in reconditam ſiderum cognitionem, potiſſimùm obſeruationum à prædeceſſoribus traditarum, quibus ſuas conferebant, adiumento peruenerunt.

Hermetis ingenium immenſum. Suppono ſecundò ex ijs, quæ in Obeliſco Pamphilio varijs in locis tradidi, Mercurium Triſmegiſtum, omnium mortalium eâ ætate, ſiue immen-

mensam ingenij capacitatem, siue omnem rerum reconditarum scientiam, siue denique suæ apud posteros propagandæ gloriæ, benèque de humano genere merendi desiderium spectes, fuisse primum. Hic enim, vt suprà docuimus, Astronomiæ leges, quas ab Enocho per Noëmicæ stirpis propagationem, traditione acceperat, ad incudem reuocans, nihil non egit, vt Veterum in Astronomicis Canonibus veritatem, propriæ obseruationis experimento exploraret, exploratam ad eam perfectionem, quam rudia illa tempora permittebant, reduceret.

His suppositis, Dico Mercurium primò cœlum in duodecim signa, particularibus in eum finem characteribus adinuentis, diuisisse; annum in 365 dies partitum esse, planetarum motus primùm detexisse, & similia, de quibus in sequentibus vberrimè differetur. Quod quâ ratione peregerit, dicendum restat. *Prima cœli diuisio in 12 partes.*

Primò enim verisimile est, eum vniuersam cœlorum machinam duobus polis circumuolutam primò obseruasse, ad cuius exemplar sphœram armillarem eum adinuenisse Aratus Author est, cursus cœlorum sphœræque repertor. Vnde hieroglyphicas eum exhibituri Ægyptij, caninâ facie hominem pingebant, in cuius vna manu caduceus, altera sphœra continebatur; quæ omnia fusè in Obelisco Pamphilio explicata fol. 294. reperies. Cùm enim in cœlesti machina diei naturalis spacio reuolutione peractâ, fixas quasdam stellas perpetuò veluti immotas, nonnullas velocissimè, reliquas medio inter velocitatem & tarditatem motu incedere comperiret; idem fieri cogitauit, quod in sphœra materiali, quâ circumductâ, eæ quæ polos circumeunt, tardæ & veluti immotæ, contrà quæ medij globi lineam possident, velocissimo motu progredi conspiciuntur. polos itaque in cœlo, & æquinoctialem dictâ obseruatione detexit. Cùm verò vnam & eandem semper omnium stellarum inter se immutabilem distantiam notaret, hinc stellarum fixarum globum facilè effinxit. Porrò cùm nonnullas stellas, neque eandem inter se distantiam, neque eandem ortus occasusque rationem, neque fixa in cœlo loca tenere notaret; sed perpetuâ quâdam varietate in æthereo expanso hinc inde vagari comperiret; eas non fixas, sed peculiaribus vnicuique attributis motibus circumduci iudicauit; quarum quidem non nisi septem huic instabilitati subiectas reperit: quas inter cùm principalem locum obtinerent, Sol, & Luna, primò ad eorum motum scrutandum, animum adiecit. Cùm igitur Solem singulis diebus vti alia & alia Horizontis puncta tangere, ita in medio cœlo alia & alia altitudinis vel depressionis puncta signare compeririret; animaduertit in Austrum & Boream certam & constantem ipsius elongationem esse; quam vbi perfecisset, mox eundem conuerso motu in oppositam partem recedere. Atque inde Tropicorum emanauit inuentio, quos extrema Deorum ascendentium, descendentiumque animorum, vt postea ex antro Musarum à Porphyrio descripto probabitur, vocabat hospitia. Iterum cùm Solem singulis mensibus per certos quosdam ordine asterismos transire notaret; inde dodecamoriorum, siue Zodiaci in duodecim signa diuisi, quas Deorum mansiones vocauit, profluxit distin- *Hermes hieroglyphicè qui exhiberetur.* *Polorum & æquinoctialis prima obseruatio.* *Fixarum obseruatio.* *Planetarum obseruatio.* *Solis & Lunæ motuum obseruatio.* *Zodiaci obseruatio.*

ctio, vt postea ostendetur. Rursus cùm experimento comperiret, Solem integro diei naturalis spacio nòn præcise punctum vnde profluxerat, attingere; atque adeo defectum hunc annuâ reuolutione peractâ quinque integros dies importare; inde celebres illæ Ægyptiorum ἐπαγομέναι, de quibus suo loco, detectæ sunt. Cùm præterea Lunam duodecies vnius anni reuolutione Soli iungi comperiret, & viginti octo dierum spacio, ad punctum, vnde profluxerat, redire obseruaret; inde duodecim Mensium, ætatum, mansionumque Lunarium distinctio originem inuenit. Haud secùs sedulò & assiduo obseruationis studio tandem in cœterorum phœnomenorum, legumq; cœlestium notitiam deuenisse censendus est; vt proinde falsissimùm dixisse existimem eos, qui Anaximandro, Thaleti, Eudoxo, primò obliquitatis Signiferi inuentionem, signorum Zodiacique diuisionem, mansionum discretione ascribere contenderunt; cùm hæc compluribus sæculis in Ægypto iam veluti triuialis Scholæ rudimenta habita sint: à quibus & dicti Græci primùm acceperunt, multis sæculis posterio riores: cùm Mensium partitio (quorum, sacra Scriptura teste, tempore diluuij iam habebatur notitia) sine Zodiaci & Solis motu per duodecim dodecamoria commodè concipi non possit, & Luna duodecies necessariò annuo spacio in obliquitate sua constituto Soli iungatur.

ἐπαγομένας qui detexerit.

12 Mensium obseruatio.

Verùm nè quis me hæc φαντασιωτέρως finxisse existimare posit, singulorum congruas adducam authoritates. Ac primò quidem sideralis scientiæ inuentum iam ante diluuium fuisse, suprà ostensum fuit. Nam Sabellius lib. 1. Ennead. ex Iosepho testatur cum alijs suprà allatis, Sethi filios Adami nepotes in duabus columnis astrorum scientiam descripsisse, quam deinde Noë, Cham, cœteraq; eius progenies hominibus posteris communicauit: Scientia autem hæc esse non poterat sine cœli diuisione, & Solis Lunæque, stellarùmque firmamenti notitia. Præterea ex Arabibus suprà probatum est, præ cœteris ante diluuium hominibus, Enochum siue Idris Astronomicâ scientiâ maximè præstitisse, à quo omnia sua secundum Idris seu Hermetem descripsisse tradunt. Certè Mercurium Diodorus expressè dicit tùm omnium Astrorum, tùm cursus Solaris Lunarisque potissimùm fuisse obseruatorem. Agathias quoque addit, eum primùm stellis nomina imposuisse, obliquum cœli circulum in duodecim signa diuisisse, motusque cœlestes primùm determinasse. Verùm qui plura huius generis desiderat, is legat, quæ de Astronomiæ inuentoribus tradidit Virgilius Polydorus de Inuentione rerum; nostrum enim non est, vulgatam doctrinam hoc loco coaceruare, sed ab alijs incognitorum Authorum testimonia adducere. Quæ igitur fuerint prima Astrologiæ seu Astronomiæ incunabula, & quomodo Iouanithum (sic enim Hermetem præter commune nomen appellant Syri) in cœlestium rerum notitiam peruenerit, Astrologiamque auxerit, scitè admodum describit Mor Isaac in sua Philosophia Syriaca his verbis: (nos Syriaco textu omisso, qui in Obel. Pamphil. videri poterit fol. 25. lin. 16. Latinam intepretationem adnectimus.)

Sabellius. Authoritates quibus dicta comprobantur.

Idris primus Astronomus.

Secundus Idris Hermes.

Agathias.

Mor Isaac in Philosophia Syriaca.

Et hoc pacto inuenerunt filij hominum, & comprehenderunt, cognoueruntque & di-

& didicerunt exactè leges stellarum, & ordinem signorum Zodiaci, & naturam vsumque, cum reliquis notitijs ipsis conuenientibus in firmamento cœlorum, & hoc experientiâ longâ, & in inferiorum rerum profunditate. Hæc enim omnia sunt pertinentia ad rationalem scientiam, suntq; cognitiones sinceræ, & certitudine laudabiles, exceptis ijs quæ ad cultum astrorum pertinent. Et paulò post originem & inuentionem Astronomiæ verbis sanè elegantissimis prosequitur. Syriacum textum vide in Obel. Pamphil. fol. 25. lin. 29. quem nos ita interpretamur: *Inuenerunt autem eam Aramæi Babylonij, vel Chaldæi, qui in Oriente versus Australem plagam habitant: cùm enim terra, & omnia loca eorum vasta essent, neque cognoscerent vias & semitas, arenis & sabulo obrutas, ex loco in locum, & ex Ciuitate in Ciuitatem, & ex regione in regionem, præsertim flante vento, & arenas in aceruos coacernante; præterea cùm locus esset calidus vehementer, propter Solis ardorem de die, & locus ille, terra confusionis esset; hinc ex loco in locum transmigrantes, cùm non essent ferendo vehementiam Solis, neque viam cognoscerent, noctu eam per stellas didicerunt, ponentes sibi signum, & secundùm illud, quò volebant, progrediebantur. ex perpetuo stellarum scrutinio tandem deuenerunt in mutationes temporum, inceperuntque cognoscere ex legibus ascensiones stellarum, motusque earum; & sic paulatim per continuam inuestigationem & studium didicerunt omnes leges stellarum, & signorum Zodiaci.* Tandem post rudem hanc astrorum notitiam ait venisse Hermetem, quem & Iouanithon dicit, qui in desertum se contulit, vt astrorum leges exactè obseruatas posteris scriptis commendaret. Syriaca verba Authoris vide in Obelisco Pamphil. fol. 26. lin. 14. quæ nos Latinè ita exponimus. *Fuit autem in regione ista Orientali homo ex filijs filiorum Noë, qui vocabatur Iouanithon siue Hermes. hic scientiâ inclytus, elegit sibi locum ab omni hominum consortio & familiaritate remotum, & abijt in desertum vastum & immane, à vocibus & oculis hominum immune, assiduòque intentus in firmamentum cœlorum, explorauit stellas, & luminaria, & vicissitudinem temporum, & maximè in luminaria maiora, laudans horum Creatorem sapientissimum, & sic per quietem, & solitudinem, & continentiam suam, à tumultibus & strepitibus hominum liber, in cordis perpetuâ contentione, stellarumque contemplatione, data est ipsi gratia cognitionis stellarum, & Zodiaci.* Quæ omnia confirmantur ab Authoribus suprà citatis, vti & in Obelisco Pamphilio.

Obseruatio stellarum primæua.

Babylonij & Chaldæi obseruatores primi.

Itinerum directio noctu per stellas.

Iouanithon primus obseruator stellarũ in deserto.

Ex dictis hoc capite concludo, ab Enocho ante diluuium omnem sapientiam Ægyptiorum principium habuisse; erat enim is, qui præ omnibus alijs ante diluuium à Protoplasto ipso instructus, veram rerum diuinarum notitiam hauserat, posterisque suis tradiderat, tantique fuit, non solùm ob admirabilem sapientiam, rerumque humano generi necessariarum inuentionem, sed etiam ob impenetrabilem ex hoc Mundo raptum, nominis, vt multi ex posteris eum tanquam Numen quoddam colendum proponerent. Vnde verisimile est, quòd Arabes tradunt, Chamum rerum exoticarum curiosissimum ante diluuium non tantùm improbas artes à Kainitis didicisse, sed & scientias de Deo, & Angelis, de arcanis denique naturæ ab ipso Mathusala filio Henoch paternarum traditionum hærede accepisse, artiumque licitarum cum illicitis commixtione à paterna

Henoch primus Ægyptiæ sapientiæ conditor.

Cham Mathusalæ filij Henoch discipulus, doctrinam sacram propagauit.

Trismegistus Hermes & Adris secundus à Chamo multa hausit.

na traditione prorsus degenerem legem condidisse; quam deinde Trismegistus quidam ex Chananæa stirpe Chami descendens, separatis ab illicitis licitis, in meliorem, & Religioni diuinæ conformiorem, quantum Ethnico Philosopho, solo naturæ lumine fulto, in tanta rerum deprauatione, licuit, redegerit; quem quidem verum illum, & tantopere ab Authoribus celebratum secundum Hermetem Trismegistum fuisse, in Obelisco Pamphilio probauimus. Præterea Henochum, siue primum illum Hermetem, primum post filios Seth Astronomiam excoluisse, temporis annorumque rationem docuisse, ex eiusque monumentis postero Mundo relictis secundum Hermetem nostrum sua de diuisione temporum principia deduxisse, atque ad posteros transtulisse, Ægyptij cum Arabibus volunt. Habent enim Ægyptiorum arcaniores Astrologi pro certo, annum ciuilem Aegyptiorum fuisse diuisum in tot dies, quot primus Adris siue Hermes inter homines vixerit. Nam sacra Scriptura eum expressè trecentos sexaginta quinque annos, quot videlicet annus ciuilis Aegyptiorum dies habet, vixisse ait: sic enim 23. versus c. 5. Gen. habet. Καὶ ἐγένοντο πᾶσαι αἱ ἡμέραι Ἐνὼχ ἔτη τριακόσια ἑξηκονταπέντε. *Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni &c.* Cùm verò Adris secundus hanc eandem partitionis anni rationem docuerit posteros Aegyptios, vt alibi ostendimus; verisimile est, eum hæc habuisse ex prioris Hermetis monumentis, per Chamum postero Mundo communicatis. Cùm itaque hosce Adris vitæ annos mysterio vacare minimè cognoscerent, hinc arcanum illud Aegyptiorum hieromanticum de Mundi reuolutione prodijsse probabile est, videlicet cœlestes Deos stationes suas in arce magna singulis centenis annis mutare, & post peractum circuitum 36500 annorum, omnia in pristinum statum restitui. Quod & Platonem subolfecisse certum est, dum circulum παλιγγενεσίας, quem & in hunc vsque diem Platonicum appellamus annum, dictorum annorum numero definit. Cùm enim firmamentum singulis ferè centenis annis vnum in circulo magno, hoc est, Zodiaco, minutum conficere obseruarent, 100 in 360 ducta, dabunt 36000, quibus si quinque dies ἐπαγομένους in 100 annos ductos adieceris, habebis 36500 annorum numerum, rerum omnium complementum, Iubilæi magni numerum, & monadis in multitudinem abeuntis, in monadem reditus, id est in pristinum rerum statum, vt Plato, ita ab Aegyptijs edoctus, opinatus est, hi verò ex mystico annorum vitæ numero Idris, speculati sunt; quem & nonnulli ex recentioribus secuti sunt in firmamenti reuolutione.

Tot annos vixit Henoch, quot dies in anno.

Cœlestes Dij stationes suas mutant in circulo magno secundùm Ægyptios.

Platonicus circulus 36500 annorum.

Quomodo Ægyptij, Chaldæi, Græci vnius & eiusdem rei inuentores esse queāt.

Sed dubium hoc loco non exiguum occurrit, quomodo diuersæ diuersorum opiniones conciliandæ sint, dum alij Authores Astronomiæ inuentores faciunt Babylonios, alij Aegyptios, Græcos alij. quam litem vt dirimam, Dico, Chamum seu Zoroastrem primum ante diluuium, siue ab Henoch Hermete primo, siue à Kainitis Astronomiam edoctum, bipertitâ traditione ad posteros post diluuium transtulisse. Ac primò quidem ea imbuit filium suum Chus siue Nembrodum, Nembrod verò Ninum; à quibus deinde Sarug, Thare, Abraham Astronomicæ peritiæ celebres

viri

viri acceptam posteris Hebræis tradiderunt: in Aegypto verò primò eâdem imbuit Misraim filium suum, aliosque, quam deinde Mercurius Trismegistus secundus Hermes summo studio cultam, ac duodecim libris, teste Clemente Alex. l. VI. Stromat. posteris tradidit Aegyptijs: Ab vtrisque, tàm Chaldæis, quàm Aegyptijs, Græci suffuratam sui iuris fecerunt; tametsi omnia ex eadem Schola profluxerint.

Clemens Alex.

Mirum itaque nemini videri debet, Aegyptios, & Chaldæos seu Babylonios, Græcosque de primatu inuentionis Astronomicæ concertasse, cùm vnaquæque harum nationum eius rei inuentæ gloriam, quam tanta in æstimatione & admiratione hominum haberi cernebant, sibi vendicarent. Hoc pacto Sulpitius Gallus cùm primus Romæ Eclipsin detexisset, eius inuentor habitus est, cùm iam multis seculis in Græcia Thaleti Milesio eius inuentio fuisset attributa, & in Aegypto multis alijs seculis antè, vt suo loco dicetur, Eclipseos notitia viguerit. Inuentiones itaque rerum tametsi in vna quapiam regione emerserint, semper tamen alijs in regionibus eædem præcesserunt; quod cùm multis alibi ostendam, eidem diutiùs immorari nolui. Sufficiat interim hoc longiori forsan quàm par est discursu, Hermetem primum fuisse Astronomiæ in Aegypto siue inuentorem, siue instauratorem, demonstrasse.

Sulpitius Gallus primus Eclipsin Romæ prædicit, in Græcia Thales.

CAPVT II.

De diuisione signorum, Characterumque cœlestium signorum inuentione.

MErcurius Trismegistus humano generi prospiciens, cùm ad exactum rerum cœlestium ordinem posteritati communicandum intentus esset, singula suis libris, teste Clemente Alex. descripsit. Et quoniam à stellifero cœlo continuo ordine influxus in inferiora propagari aduertebat, ibi initium duxit Astrologicæ suæ dispositionis. Cùm itaque primò longâ experientiâ, & frequenti Solis, Lunæ, cœterarumque stellarum obseruatione, quatuor potissimùm cardinalia omnium mutationum varietatisque effectricia puncta notasset, circulum effinxit, in quo dicta puncta per binos diametros *a d* & *c e* se normaliter intersecantes, dispsosuit, videlicet *a d c e*. Quorum illa, quæ mediam lineam *e c* à polis Mundi æquè remotam tenent, puncta æqualitatis vocari voluit, eò quòd dum ad illa Sol pertingit, æquam diei noctem conficeret; cuius & symbolum statuit Cynocephalum, cuius ea natura est, teste Horo, vt ad æquinoctio vicina puncta duodecies, abdito quodam & insito sibi instinctu, vrinam reddere soleat; de quo suo loco ampliùs. Illa verò puncta *a d*, quæ maximam Solis vltrò citròque nunc in Austrum, modò in Boream commeantis elongationem terminant, Deorum vocauit limites; eò quòd Numina Orbem circumeuntia hosce veluti sibi præfixos terminos nunquam præterirent, sed conuerso cursu nunc in Austrum, modò



Ratio obseruationis à Mercurio instituta.

Symbolum æquinoctialis Cynocephalus.

Tropici Deorum limites.

in

Symbolum tropicorum duo canes sunt.

in Boream exacta constantiæ lege tenderent. Atque hosce duos limites hieroglyphicè exhibuit per duos canes, veluti quosdam dictorum limitum custodes & conseruatores. Sub hisce igitur quatuor punctis, totius anni curriculum in quatuor partes distinguentibus, omnium rerum quà corrumpendarum, quà generandarum varietatem contingere notabat. Porrò cùm intra hunc circulum dictâ ratione diuisum singulares quosdam diuersosque effectus quot Mensibus accidere obseruasset, singulos quadrantes in tres partes, adeoque totum circulum in duodecim portiones, quas posteri Græci deinde δωδεκαμόρια, Hermes verò & Ægyptij, teste Manilio, arces seu domus, aut mansiones rectè appellarunt, (quasi diceres δωδεκάπυργον; & hieroglyphicè sic notant, vti in Obeliscorum interpretatione patebit) singulis sua animalia hieroglyphica attribuendo, cui abinde ad hæc vsque tempora Zodiaci nomen mansit, tametsi, vt paulò post videbitur, animalia aliquo modo diuersa fuerint ab ijs, quibus deinde Græci cœlestem machinam insigniêrunt; non tamen tanta ijs interuenit differentia, vt ad originem suam reduci non possint. Harum ex duodecim arcibus seu domibus sex sub semicirculo *dca* comprehensas indigitabat Deorum ascensum; sex verò reliquas altero semicirculo *a e d* contentas, Deorum descensum dicebat. Quæ omnia nè quis me propriâ aut authoritate, aut ingenio confinxisse arbitretur, singulorum, antequam vlteriùs progrediamur, authoritates assignabimus.

Zodiaci in 12 partes diuisio.

Arces Deorũ dicuntur signa.

Deorum ascensus quis.

Hermes in Pimandro.

Hermes itaque de seipso in Pimandro testatur, de quatuor limitibus paulò antè indicatis, his verbis: *Deum deníque si intueri volueris, suspice Solem, fili mi Tati, suspice Lunæ cursum, suspice siderum ordinem reliquorum. Quis age perpetuum horum ordinem seruat? ordo quidem omnis numeri locique limitibus terminatur.* Quæ in hunc locum explicat Marsilius his verbis: *Hermes Astrologiæ inuentor ante omnia in signifero cœlo puncta obseruauit, ad quæ omnem reliquorum signorum ordinem disponeret.* Cœlum verò in duodecim partes diuisisse Hermetem, Iamblichus testatur his verbis: *Diuidentes* (Hermete videlicet instructore) *cœlum in partes duas, vel quatuor, vel 12, vel 36, vel harum duplas, vel aliter quomodocunque, principatus quoque hisce præficiunt aut pauciores, aut plures; rursus Ducem vnum hisce anteponunt; atque ita Ægyptiorum tractatus de principijs desuper ad postrema progrediens ab vno descendit in multitudinem, ab vno videlicet gubernatam Deo, vtique indefinita natura sub quodam termino definito imperiosè comprehensa, præcipuè verò ab excelsa omnium causa virtute.* Quòd verò dicit primò in duas partes diuisum fuisse, insinuat duo hemisphœria, Australe, & Boreale; vel ascensus descensusque Deorum, vt postea ostendetur. Quòd in quatuor partes, ostendit quatuor anni portiones, quas quadripartita Zodiaci diuisio efficiebat. Quòd etiam in duodecim partes cœlum diuisum asserit, indicat Zodiaci diuisionem in 12 domus seu mansiones Deorum peractam. Quòd verò in 36 diuisum dicit, ostendit singulas domus seu habitationes Deorum præterea in tres alias portiones, quas, teste Iamblicho, Decanos vocat, fuisse diuisas. Quæ omnia pulchrè paulò antè adductis consonant. Quòd verò hæc omnia Mercurij machinationes sint, apertè testatur Iambli-

Marsilius Fic.

Iamblichus.

Decani signorum.

blichus his verbis: *His ita discretis, facilè soluuntur dubia, quæ in libris Ægyptiacis, quos legisti, concepisse dicis. Quæ enim sub Mercurij titulo circumferuntur, opiniones seu inuentiones Mercuriales continent; & tametsi sæpè Philosophorum Græcorum stylo loquantur, sunt tamen ex lingua Ægyptia in Græcam translati à viris Philosophiæ non imperitis.* Vide quoque Clementem Alex. lib. 1. 5. 6. Stromat. amplè de Mercurio eiusque inuentis, vti & Origenem, Tertullianum, aliosque, quos sæpè citaui Authores, differentes. Iamblichus. Clemens Alex.

Visa itaque prima Zodiaci στοιχειώσει & rudi quâdam delineatione ab Hermete peractâ, iam quibus nominibus, Numinibus, animalibus, characteribus mysticè illam adornârit, videamus.

Stellifero itaque illo circulo, quem Zodiacum dicimus, in 12 domos seu mansiones diuiso, cùm aduerteret inferna supernis substare, & omnem influxum in inferiorem Mundum à superioris potestatibus dimanare, hinc singulas domos suis instruxit Potestatibus seu Numinibus. Atq; primam quidem domum attribuit Anubi. Erat autem Anubis Numen Ægyptiorum κυνομόρφον, custos templorum, calidi & humidi conseruator; cuius symbolum hieroglyphicum erat hirco-piscis, ἰχθυόταυρος, quem Anubus loro astrictum tenebat. Hirci cornua calorem, seu igneam vim Solis telluri inclusam; piscis verò cauda humidum denotabat, ex quibus prima rerum omnium generatio procedit; cuius custodem dicebant Anubin, teste Plutarcho; quem & ideo medium inter superius & inferius hemisphærium collocasse ait, quòd Sole in Capricorno in maxima sua elongatione existente, radijsque solaribus languefactis terra clausa veluti in vtero quodam machinatur per seminalium rationum dispositionem nouæ generationis præludia, quibus Anubin præesse dicebant, & expressè his verbis refert Clemens Alex. lib. 5. Strom. *Solebant etiam Ægyptij in certis solennitatibus quatuor circumferre statuas Deorum, quos Komasias vocabant, quarum duæ Canum, tertia Accipitris, quarta Ibidis figurâ splendebant. Per duos canes duo hemisphæria intelligebant.* Et paulò post: *Alij verò per canes duos tropicos insinuare voluerunt, qui sunt canes quidam obseruantes custodientesque à natura deputati, prohibentes Solis ad Austrum Boreamq; vlteriorem elongationem.* Erat itaque hæc domus veluti porta quædam ascensus Deorum, de qua posteà fusiùs. Prima Domus seu Arx Zodiaci eiusque numeri. Anubis hieroglyphicum Capricornus. Clem. Alex.

Secunda domus curæ Canopi attribuebatur. Erat autem Canopus, seu Ægyptiacè ⲕⲁⲛⲱⲃ, Numen seu Genius aquæ subterraneæ actuator, & ad fœcunditatem exerendam excitator; de quo vide Tomo I. Capite de Canopo fusissimè tractatum. Huius loco Græci posuerunt Aquarium, in quo tamen non differunt ab Aegyptijs. Hydriam enim, quam Græci per Aquarium effundi fingebant, Aquario & Hydra in vnum simulachrum more illis solito compacto, pingebant Aegyptij. Figuram vide in Zodiaci veteris Schemate, quod paulò post sequitur. II Domus Canopus.

Tertia domus seu mansio tribuebatur Ichton Numini, quod his verbis explicat Iamblichus. *Huic vnum impartibile anteponit* Mercurius, *quod appellat primum exemplar, aut expressionem, aut effigiem, quod Ichthon appellat, in quo est primum intelligens, & intelligibile primum, quod solo silentio colitur.* III Domus Zodiaci Ichton dicebatur & quare.

Exemplar, inquam, non ſolùm in intelligibili Mundo, ſed & ſidereo, inferiorique rerum producendarum idea. Hoc enim rerum conceptarum ſemina in lucem ducuntur, hoc duce porta vitæ rebus omnibus appoſitè circa hanc ſtationem anni aperitur, ita vt aptè piſcium hieroglyphico ſymbolo id indigitârint; piſces enim hoc anni tempore maximam & copioſam fœturam producunt, ſeminibuſque turgentes omnes humentis naturæ ſemitas implent, vt proinde non incongruè nomen huius Genij à piſcium etymo in hunc vſque diem permanſerit. Figuram huius ephori vide in ſequenti paulò poſt Schemate.

IV Domus Amun.

Quarta domus ſeu manſio tribuebatur Ammun, ex duodecim Poteſtatibus magnæ authoritatis Principi; cuius figura erat ἄνθρωπος κριόμορφος, arietinis cornibus illuſtris; quo quidem hieroglyphicè nihil aliud innuebat, niſi ſtationis ſeu manſionis iſtius fœcunditatem, quâ ſemina, quæ Ichthon diſpoſuerat, ab Ammone in variam generabilium rerum ſegetem producuntur. Verùm cùm de hoc Ammone ampliſſimè tractatum ſit in primo Tomo Syntagmate 2. capite de Ammone, & lib. 3. Obeliſci Pamphilij de Arietis hieroglyphica ſignificatione, eò Lectorem remittimus, vbi omnia, quæ huc pertinent, ex innumeris Authoribus congeſta reperiet.

V Domus Apis.

Quinta domus ſeu manſio in Zodiaco deſtinabatur Apidi Boui. Erat autem Apis Numen apud Aegyptios maximum, agriculturæ præſes, cuius ope omnium rerum humanæ vitæ neceſſariarum vbertatem præſtari credebant; atque hanc ob cauſam huius eum manſionis præfectum credebant, quâ in Ægypto & meſſis colligebatur, fructuſque ad maturitatem perducebantur; qui quidem nihil aliud niſi agriculturæ, cuius Apis ſymbolum erat, effectus indicabant.

Cur Bos huic ſigno tribuebatur.

Semina enim, quæ Ichthon diſpoſuerat, atque Ammun in luxuriantem ſobolem produxerat, Apis in fructus vitæ humanæ neceſſarios concoquere credebatur. Exhibebatur autem hieroglyphicè ſub figura Bouis, quam Aſtrologi in hunc vſque diem huic manſioni conſeruarunt. Vide Lector quæ de Apide Tomo I. Syntag. 2. cap. de Apide, & lib. 4. Obeliſci Pamphilij fol. 256. de Bouis hieroglyphica ſignificatione copioſiſſimè diſſeruimus.

VI Domus Herculi & Apollini tribuitur.

Sexta domus ſeu manſio Zodiaci Herculi & Apollini, vel vt Plutarchus vult, Helitomenio & Harpocrati, vel vt Græcis placet, Caſtori & Polluci conſecrabatur; vnde Geminorum ſignum emerſit: aiunt enim Ægyptij, Iſidem ab obitu cum Oſiride concubuiſſe, ex eoque gemellos ſuſcepiſſe Helitomenon & Harpocratem, eoſq; poſtea in cœlum tranſlatos huic manſioni prælatos fuiſſe. Hinc duas ſtellas in Geminis, quas Arabes راس الجوز *Ras Elgeuze* vocant, Abenregel vocat غرقلس وافولون *Garaklas & Apullun*; quæ tametſi corruptiſſima nomina, Arabum more, ſint, nihil tamen aliud indicant, quàm Herculem & Apollinem ſiue Horum; quæ duo Helitomeno & Harpocrati æquiualent; ijſque hieroglyphicè nihil aliud indicatur, niſi duplicatio roboris caloris Solaris, qui in hac manſione ſummas vires acquirit.

Horus.

Et per Herculem quidem aptè robur, per Apollinem ſeu Horum caloris vis exprimitur, quibus nubes paulatim in

Æthio-

Æthiopiæ montibus resolutæ in desideratum Nili incrementum aptantur; cui ideo præsides censentur Hercules & Apollo. Hieroglyphicè indicantur per duas statuas, quarum vna pyramidem in manu, altera clauam tenet, reliquis duabus manibus ad concordiam denotandam mutuò insertis, vt infrà fusiùs suo loco exponetur. Hieroglyphicum huius signi Gemini.

Atque hucusque sex Deorum ascendentium domos descripsimus; nunc ab hoc puncto septimæ domus, sex Deorum descendentium; vt Ægyptij volunt, seu vt Porphyrius vult, animarum mansiones sequuntur, (vtrumque sustineri potest, cùm animæ sine ductu Deorum descendere teste Proclo, non possint;) cuius puncti symbolum, quemadmodum & oppositi signi, canis erat, custos præfixi termini; aut quia caniculã, quam Ægyptiacè Sothis dicimus, hoc tempore oriebatur, secuturæ inundationis Niloticæ veluti prodromus quidam. Canis Sothis Ægyptiacè oritur hoc tempore.

Septima domus seu mansio erat consecrata Numini Hermanubi, id est, Mercurio, quem sub Ibidis specie exhibebant; cuius officium putabant, immensas vaporum congeries coaceruare, & veluti ex vniuersis humentis naturæ penuarijs attractas suffuratasque in imbres dissoluere; vnde deinde magnum ex inundatione Nili emolumentum prouenicbat. Cur verò loco Ibidis Cancri figuram posuerint, causa fuit, quòd Cancer apud Ægyptios non fuerit alicuius Genij particularis symbolum, sed hieroglyphicum conuersionis Solis. Sicuti enim Cancro ita à natura comparatum est, vt incedendo retrogradum motum obseruet; ita Sol, postquam vltimum elongationis suæ terminum attigit; à motu vlteriori paulatim deficit, & dies diminuit, acsi à similitudine motus Cancri retrogredi videatur. Mansio verò non Cancro, sed Hermanubi, vti dictum est, Ibimorpho dicabatur. Vnde Veteres Ægyptij non Cancrum, sed Ibidem pingebant, Genij in hoc diuersorio dominantis hieroglyphicum. Vide de hoc symbolo plura infrà, & quæ huc pertinent curiosè pertractata l. 4. Obel. Pamphil. cap. de Ibi. VII Domus Hermanubis. Cur loco Ibidis Græci Cancri figuram posuerunt.

Octaua domus seu mansio Deo Momphta consecrabatur. Erat autem Momphta nihil aliud, quàm Numen quod humidæ naturæ præsidet, Genius incrementi Nili; de cuius nomine, origine, etymo, significatione hieroglyphica consule librum 4. Obelisci Pamphilij Hierogrammatismo de Leone. Pingebatur autem varijs modis, nunc sub forma hominis λεοντομόρφε, nunc sub simplici cubantis Leonis figura, vti suo tempore & loco exponetur. Erat autem Numen apud Ægyptios singulare, & summæ venerationis, de quo frequentes sermones circumferebantur; huic enim omnem in humidam naturam administrationem commissam credebant. Sed hæc, vt dixi, suis locis fusissimè prosequemur. VIII Domus Momphta. Officium Momphta.

Nona domus seu mansio Isi dabatur, cuius figura nunc in modum Virginis spicam tenentis, nunc sub forma Sphyngis incumbentis referebatur. Quo quidem nihil aliud denotabatur, quàm incrementum Nili, quòd qui in Leone Momphta suæ inundationis exordia capiebat, in Isi finiret: ac proinde Isis beneficio magna secuturæ messis copia sperabatur; Isin enim vti frumenti inuentricem, ita annonæ præsidem credebant. quæ IX Domus Isis.

omnia copiosè in primo Tomo Syntagmate secundo, capite de Iside pertractauimus.

X Domus Omphta.

Decima domus seu mansio Genio dicabatur, quem Ægyptiacè ⲟⲙⲫⲧ Omphta dicebant. Erat autem Numen beneficum, eò quòd, quæ Momphta & Isis per inundationis Niloticæ humorem mouerant, iustâ mensurâ distribueret Omphta: vnde & bilancis seu Libræ huic mansioni hieroglyphicum irrepsit; Omphta enim æquus rerum dispositarum executor & trutinator credebatur; quod hâc Zodiaci statione fieri credebant. Pingebatur autem sub forma humana, quæ in dextra radium mensorium teneret, in capite modium, vt infrà in Zodiaco apparet.

XI Domus Typhon.

Vndecima domus seu mansio Typhoni dicabatur, malignæ & tabificæ naturæ Genio, cuius adustiuâ vi humor exsiccabatur, arbores suo spoliabantur ornatu, terra arida, sicca, & squalida, humore intra viscera eius protruso, relinquebatur. Atque hinc fabulantur, Osirin hoc Mense Athyr in Arcam fuisse à Typhone conclusum; Horoque sensibilis Mundi pulchritudini insidias fuisse positas; vnde lamenta luctusque Isiaci originem inuenerunt. Aptè autem hanc pereuntis fertilitatis catastrophen exhibuêre per bouem, cuius testiculos Scorpius mordet, ad indicandum, terræ genitalem humorem tabificâ quâdam & Typhoniâ vi hac potissimùm statione deficere, quę alibi exposita sunt; vt proinde ex hoc ipso hieroglyphico posteris placuerit, hanc domum Scorpionis symbolo cohonestare.

Osiris à Typhone in Arcam concluditur.

Hieroglyphicum.

XII Domus Nephtys.

Duodecima domus seu mansio dicabatur Nephtys, Genio subterranei caloris præsidi, nè Typhoniâ vi totus destruatur; neque enim, vti Plutarchus ait, permittit terræ inferioris Domina, aduersa Typhoniæ exsiccationis vi humorem prorsus perire, temperiem volens perpetuò manere, cùm integer Mundi ornatus concentusque nullo modo esse possit igneâ vi depereunte. Hic est Genius, cuius curæ Osiridis arma, id est, Solis, quæ erant, spiculum, hasta, arcus, teste Plutarcho, commissa erant; quibus quidem nihil aliud denotabatur, quàm caloris Solaris vis temperata, quâ humorem, quem Typhonia vis adustiua destruere nititur, conseruare studet; vt vel exinde in hodiernum vsque diem huic Stationi Sagittarij signum permanserit.

12 Numina ab Ægyptijs iuxta naturæ exemplar disposita.

Atque hæc sunt duodecim dodecamoria, domus, seu mansiones duodecim Geniorum Zodiaci, quæ veteres Ægyptij Hermetis traditione, ad naturæ exemplar disponere consueuerant; quam quidem dispositionem paucis immutatam, totam sui iuris fecerunt Græci, alijs & alijs fabulis obuelatam. Porrò singulis hisce dodecamoriorum Genijs tres alij adiungebantur Genij adminiculares, quos Decanos appellabant, ita vt vniuersus Zodiacus diuidatur in 36 Genios, quorum singulis diuersa in Mundana œconomia administranda officia committebantur à supremo totius Naturæ Genio, quem ideo παντόμορφον, siue πολύμορφον nuncupabant. Vocat autem Hermes in Pimandro Zodiacum tabernaculum, circulo in duodecim domos diuiso constitutum, iuxta totius naturæ ideas. Sed audiamus verba eius: *At id præterea mihi dicas velim, quomodo vltrices tenebrarum numero duodecim à potestatibus oppositis repellantur.* TRISM. *Tabernaculum illud,*

Decani in Zodiaco qui?

Genius πολύμορφος.

Authoritates Hermes in Pimandro & Asclepio.

illud, ô fili, est Zodiaco circulo constitutum, qui ex duodenario numero constat illo, numeriq; ij sunt], vnus omniformisq; secundùm ideas naturæ ad hominis peruagationem atque circuitum. Et in Asclepio vlteriùs hisce verbis eos describit: *Deorum multa genera sunt* (in circulo dispositi) *eorumq; omnium pars vna intelligibilis dicitur, alia verò sensibilis. Intelligibilis dicitur non ideo, quòd putentur non subiacere sensibus nostris; magis enim sentimus eos, quàm quos visibiles nuncupamus. Sublimis enim ratio atque diuinior vltra hominum mentes intentionesque consistens, si non attentiore aurium obsequio verba loquentium acceperit, transuolabit, & transfluet, aut magis refluet, suisque potis liquoribus miscebit se. Sunt ergo omnium specierum Principes Dij. Hos sequuntur Dij quorum est Princeps οὐσία. His sensibiles vtriusque originis suæ consimiles, qui per sensibilem naturam conficiunt omnia, altera per alterum; vnusquisque opus suum illuminans cœli, vel quicquid est quod eo nomine comprehenditur. οὐσιάρχης est Iuppiter* (quem Ægyptij Hemphtà vocant) *per cœlum enim Hemphta, seu Iuppiter, omnibus præbet vitam. Solis οὐσία est lumen: bonum enim luminis per orbem Solis nobis infunditur; triginta sex* (qui Horoscopij vocantur) *in eodem semper loco defixorum siderum; Horum οὐσιάρχης vel Princeps est quem παντόμορφον, vel omniformem vocant, qui diuersis speciebus diuersas formas facit.* Quæ verba adeo clara sunt, vt constitutam à nobis paulò antè doctrinam Hermetis prorsus indigitasse videantur. Iamblichus verò adeo illa pulchrè describit, vt ea exposuisse videri possit. *Ego verò,* inquit, *causam in primis tibi dicam, ob quam sacri & antiqui Aegyptiorum Scriptores de his varia senserint: & insuper huius seculi Sapientes non eadem de his rati ne loquantur. Cùm enim multæ in Vniuerso sint essentiæ, ac multifariam inter se differant; meritò earum & multa tradita sunt principia, habentia ordines differentes, & ab alijs Sacerdotibus alia, principia quidem tota vniuersaliaue, vt narrat Seleucus. Mercurius ipse tradit viginti millibus voluminibus, vel sicut Manethon recenset, tradidit voluminibus triginta millibus, itemque sex millibus & quingentis atque viginti quinque, & in eis perfectè omnia demonstrauit. Propria verò particularium essentiarum principia alij antiquorum alia passim introduxerint. Oportet igitur de his omnibus veritatem breuiter declarare, atque primùm quod primum quæsisti. Primus Deus ante ens, & solus, pater est primi Dei, quem gignit manens in vnitate sua solitaria, atque id est superintelligibile, estque exemplar ipsius, quod dicitur sui pater, sui filius, vnipater, & Deus verè bonus. Ille enim maior, & primus, & fons omnium, & radix eorum quæ prima intelliguntur, & intelligunt, scilicet idearum. Ab hoc vtique vno Deus per se sufficiens seipsum explicauit. Ideoque dicitur per se sufficiens, sui pater per se princeps. Est enim hic principium, Deus Deorum, vnitas ex vno, super essentiam essentiæ principium: ab eo enim essentia, propterea pater essentiæ nominatur. Ipse enim est superenter Ens, intelligibilium principium. Hæc sunt principia omnium antiquissima, quæ Mercurius præponit Dijs æthereis, empyreis, cœlestibus: componens de empyreis libros centum, totidemque de æthereis, mille de cœlestibus. Secundùm verò alium ordinem præponit Deum Emepht Dijs cœlestibus tanquam Ducem, quem ait intellectum esse intelligentem, atque in se intelligentias conuertentem. Huic vnum impartibile anteponit, quod appellat primum*

[Margin notes: Horoscopij Dj qui? vsiarchi qui? — Iamblichus. — Principia omnium antiquissima. — Emepht.]

Ichton. *mum exemplar, aut expressionem, aut effigiem, quod Ichton appellat; in quo est primum intelligens, & intelligibile primum, quod solo silentio colitur. Præter hos autem, rerum apparentium opificio alij Duces præsunt. Nam opifex intellectus, qui & veritatis est Dominus, atque sapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, Amun Aegyptiacâ linguâ vocatur;* Amun. *quatenus autem sine mendacio peragit omnia, & artificiosè simul cum veritate, Phta nuncupatur:* Phta. *Græci verò hunc Vulcanum nominant, artificiosum duntaxat considerantes: quantum verò effector est bonorum, appellatur Osiris;* Osiris. *aliasq; denominationes habet propter potentias actionesque differentes. Est & principatus alius apud illos super Elementa tota in generatione posita, virtutesque eorum: quarum quatuor quidem masculinæ, quatuor fœmininæ, quem Principatum Soli tribuunt. Item alius Principatus super naturam omnem quæ in generatione versatur, Lunæ tributus.* Marsilius. *Potes in his ordinem consentientem Proclo ita disponere: Primum est ipsum vnum superens superintelligibile totum. Secundum vnum Ens, seu vnitas Entis, in quo vnitas sua suo enti præponitur: potest & intellectus intelligibilis appellari, & sui pater. Tertium est intellectus intelligibilis, intellectualisque simul, & vnitus intellectus, & expressio prima Ichton. Quartum intellectus intellectualis iam explicatus, cœlestium Dux Deorum Emepht. Quintum intellectus opifex, proximus Dux opificum Mundanorum, qui sunt Dij cœlestes, empyreique, & ætherei: hic forsan intellectus est Animæ Mundi, qui nominatur Amun, Phta, Vulcanus, Osiris.* Iamblichus. *Diuidentes verò cœlum in partes duas, vel quatuor, vel duodecim, vel sex atque triginta, vel harum duplas, vel aliter quomodocunque, Principatus his quoque præficiunt aut pauciores, aut plures. Rursus Ducem vnum his anteponunt, atque ita Aegyptiorum tractatus de principijs desuper ad postrema progrediens ab vno descendit in multitudinem, ab vno videlicet gubernatam Deo, vbique indefinita natura sub quodam termino definito imperiosè comprehensa, præcipuè verò ab excelsa omnium causa vnitate. Materiam verò produxit Deus materialitate, videlicet ab essentialitate subderiuata, quam opifex vitalem assumens, simplices impatibilesque sphæras effecit. Ipsius verò postremum accepit ad generabilia & corruptibilia corpora facienda. His ita discretis facilè soluuntur dubia, quæ in libris Aegyptijs, quos legisti, concepisse dicis. Qui enim sub Mercurij titulo circumferuntur, opiniones Mercuriales continent, etsi sæpe Philosophorum Græcorum stylo loquuntur; sunt enim ex lingua Aegyptiaca in Græcam translati à Viris Philosophiæ non imperitis. Optarem verò, vt quicunque mundanarum rerum causas primas attingunt, vltima quoque principia declararent. Item quicunque planetas, Zodiacum, Decanos, Horoscopos, stellas, potentes Duces tractant, vt particulares principiorum distributiones traderent. Proinde dogmata quæ in Salaminiacis sunt, breuissimam partem Mercurialium ordinationum continent. Item quæ de stellarum apparitionibus, vel latebris, aut Lunæ augmento, vel decremento tractantur, in postremis penes Aegyptios assignationem causarum habent. Profectò Aegyptij non omnia esse naturalia putant, sed vitam & intellectualem, & animalem à natura discernunt, non in Mundo solùm, sed etiam in hominibus. Atque cùm intellectum & rationem secundùm seipsos existentes præfecerint, sic quæcunque fiunt, fieri arbitrantur; atque eorum quæ in generatione versantur, præcipuumue patrem esse opificem asserunt.*

asserunt. Cognoscunt quoque vitalem potentiam, & quæ in cœlo est, & quæ super cœlum extat. Item purum intellectum collocant super Mundum, & vnum impartibilem in toto Mundo, & alterum per omnes circulos distributum. Iam verò hæc non oratione rationeq́; nudâ speculari solent, sed admonent insuper atque docent, ad excelsiora communioraq́; & superiora fato, naturam nostram progredi ad ipsum Deum Opificemq́; Mundi, quatenus neque materiam ferat secum, neque aliud quicquam præter oportuni temporis obseruantiam; idque sacrorum opera nos consequi docent, atque simul efficiunt. Tradidit hanc quoque viam nobis ipse Mercurius: sed interpretatus est eam Propheta Bitis Ammoni Regi, inuentam in adytis templi, in vrbe Saym Ægypti, literisq́; sacris insculptam. Præbuit quoque nobis Dei nomen discurrens per vniuersum. Sunt & alij multi ordines de eisdem. Quapropter non rectè mihi videris Ægyptiorum omnia ad naturales duntaxat reducere causas. Sunt etiam apud illos plura, atque essentijs pluribus: sunt & Potestates supermundanæ, quas religiosa præcipuè sanctimonia coluerunt. Verùm vt Zodiaci ab Hermete factam diuisionem exactiùs cognoscas, hîc dictorum Schematismum veluti Synopsin quandam ob oculos curiosi Lectoris proponendum duxi.

Zodiaci veteris hieroglyphica exhibitio ab Hermete peracta.

VErùm nè quis me hactenus dicta proprio ingenio confinxisse autumet, adducam hoc loco fragmentum hieroglyphicum ex Gazophylacio Francisci Cardinalis Barberini extractum, in quo quæcunque circa duodecim Genios Zodiaci dicta sunt, tanquam in speculo quodam expressa cernuntur. Et tametsi Schema hoc in Obelisco Pamphilio exposuerimus, hìc tamen veluti instituto nostro appropriatum, repetendum duximus. Quid itaque singula indicent, videamus.

Glo-

Ex Ergasterio Barberino.
Ex M. Milesii olim, modo ex Angelomi Musæo.

Explicatio Tabulæ Barberinæ.

Globus κυκλο-πτερόμορφος triformis Numinis vnitatem, & in contemplatione sui solitaria degentem ostendit. Figura verò principalis indicat eiusdem triformis Numinis pantamorphi in totius naturæ amplitudinem descensum. Capite gestat Leoninum caput sextili Lunæ insertum, quo potestas & dominium in Solem & Lunam ostenditur; quæ potestas sessione quoque declaratur. Cornu gerit arietinum, ad fœcunditatem eius demonstrandam, & Ammoniam virtutem. Sinistra manu Scorpionem tenet, & canem; quo aptè indicatur Anubis & Typhon, teste Plutarcho, & siccatiua vis Solis est, quæ maximè, Sole Scorpionem intrante, exeritur, dum folijs arbores, terra graminibus nudatur. Dextra tenet binos Serpentes, & figuram Leonis, baculo complicata; queîs in vitam & mortem, in generationem & corruptionem, in bona & mala, in Regnum Mophta vis & potestas indicatur; ita vt per Scorpionem, exitiale animal, mors & interitus rerum, siue malorum paratio, Horo teste; per binos Serpentes duplex Mundi, cœlestis & elementaris, vita; per Leonem Momphta, humidæ naturæ præses apposite indicentur. Per simulachra verò Numini polymorpho circumposita, serpentibns, alijsque, veluti baculis cucuphomorphis, scutica, ansatis crucibus instructa, sub Pueri, Leonis, Accipitris, Ibidis figura, vitalem fœcunditatem, quam ad varietatem rerum Mundo, Soli, Lunæ, Elementis influunt, ostendunt; quæ omnia suis locis fusiùs explicabuntur. Duorum Crocodilorum in diuersas partes respicientium capita conculcat, quo omnem pernitiosam Typhoniam & Aramaniam vim, quâ patet Ortus & Occasus, perfectè sibi subditam se tenere pulchrè indicatur. Sub Crocodilis superficies arcuata spectatur, plena Genijs pantamorphi Numinis Asseclis, administris rerum tutelaribus; quibus totum Regnum Momphta per aptam temporum dispositionem administratur. Horum alij stantes sunt, alij sedentes. Stantes sunt primi tres à dextra, & tres à sinistra, quinque intermedij sedentium habitu. Pjimus à dextris incipiendo, Genius est λεοντοκέφαλος, manu harpagonem tenens, sacro vestitus velamine, globum capite tenet, quo Genius vim corroboratiuam soliditatemque rebus conciliatiuam conferens, contra vim rerum dissipatiuam, notatur. Sequitur Genius ἱερακόμορφος, id est, Accipitrinâ facie, baculo cucuphomorpho insignis, quo vis Solaris in calidum & humidum, quæ varietatis rerum causa est, indicatur. Sequitur tertius Genius αἰλουρόμορφος, siue Felis specie, siue quod idem est, Cynocephalus Genius Lunaris. Quibus ex opposito tres alij Genij respondent, quorum prior Accipitrinâ facie cum penna in manu, ostendit celerem vim motus Solaris; secundus Ibidis forma, cum penna in manu, celerem motus Lunaris vim; tertius sua forma canis, Anubin indicat, Horizontis, teste Plutarcho, præsidem. In medio figura Serpentis, vndulato gyro caudam sibi mordentis, inserta est, quâ annus siue Zodiacus aptè, teste Horo, indicatur. Vndulatus est; siue in figuram aquæ fluentis dispositus, vt exprimat gyros, quos Sol veluti in cœlestis æquoris vndis per duodecim signa, & totidem Menses, dum motu suo conficit, omnium quæ in Mundo sunt, rerum productionis causa est. Duodecim

Genius λεοντόμορφος.

Genius ἱερακόμορφος.

Αἰλουρόμορφος.

Symbola Zodiaci.

enim signa siue Menses aptè per gyros indicantur. Quia verò quinque dies anno Solari ad 360 desunt, hosce significare voluerunt per quinque gyros principales, quibus totidem Genij præsunt. Mythologia ex mente Plutarchi ita sese habet: *Rheæ, aiunt, occultè cum Saturno congressæ, Solem, qui id flagitium deprehendisset, imprecatum fuisse, vt neque in Mense, neque in anno pareret; sed Mercurium amore Deæ captum cum ea coiuisse, hic deinde in ludo cum Luna victorem septuagesimam partem cuiusuis diei abstulisse, ac 360 anni diebus adiecisse, qui quinque dies nunc ab Ægyptijs Misi, à Græcis* ἐπαγόμεναι, *id est, adiectitij vocantur, & vt natales Deorum festa aguntur. Primâ autem eorum die natum Osirin rerum omnium Dominum; secundâ die Aruerin natum, quem alij Apollinem, alij Horum seniorem appellant; tertiâ Typhonem, non suo tempore & loco, sed latere ictu perrupto exsilijsse; quartâ Isidem in panygris; quintâ Nephtyn, quam & finem, & Venerem, & Victoriam nominant.* Nos verò hos quinque Deastros ex hieroglyphica doctrina ita restituimus, vt primum diem Hermanubi, secundum Anubi, tertium Isidi, quartum Horo, quintum Osiri tanquam veris Ægypti tutelaribus dicatos intelligamus, quos figura hîc expressa notat. Hermanubis enim siue Hermes Ibiacus per statuam Ibiformem; Anubis per κυνόμορφον siue caninam faciem; Isis per fœmineam cum velo suo; Horus per puerilem; Osiris denique per leoninum & iubatum vultum exprimitur. Pennas in manu habent, vt occultum agitationis motum innuerent. Circuli in capitibus primi, secundi, & quarti, indicant vim & potestatem diuinam in Orbem. Phallus oculatus Isidis mediæ capiti superpositus indicat seminalis copiæ multitudinem, cui Isis ceu passiuum rerum principium substat. Quinta denique figura Osiris globum serpentiferum capite portat; vt ostendatur, eum esse vitæ mundanæ principium actiuum.

Dies 5 intercalares. — *Plut. l. de Osir. & Isid.* — *Misi quid? Natales Deorum dies.* — *Explicatio 5 tutelarium Geniorum.* — *Quid symbola in manibus statuarum gestata indicant.*

Atque hi sunt moderatores anni, & rerum omnium totius anni decursu in inferiori Mundo nascentium tutores conseruatoresque. Quia tamen rerum inferiorum per dictos quinque tutelares Genios indicata felicitas, aduersas habet potestates, quarum liuore res naturæ variè interturbari possent; hinc aptè è latere Genios tutelares auerruncos, (vti harpagones, scuticæ, similiaque auerruncatiuæ virtutis symbola indicant, quibus & Genijs maligna vis abigatur, & intenta rerum varietas & abundantia conseruetur) apposuerunt. Infra hæc verò duo simulachra sunt, quorum prius lanceâ Hippopotamum, alterum Crocodilum transfigit, quibus indicatur Bebonia vis (ita enim vim Typhoniam nominat apud Plutarchum Manethon) quâ obstaculum, siue impedimentum notant, quo rebus rectà incedentibus, & ad suum finem tendentibus, Hippopotamus & Crocodilus Typhonicus obsistunt; quod tamen Hori & Osiridis spiritus tandem destruat & disperdat. Quæ pulchrè sanè consonant ijs, quæ Plutarchus recitat libro de Osiride & Iside, apud Hermopolim videlicet simulachrum ostendi Typhonis: Ἵππον ποτάμιον, ἐφ' οὗ βέβηκεν ἱέραξ ὄφει μαχόμενος, τῷ μὲν ἵππῳ τὸν Τυφῶνα δεικνύντες, τῷ δὲ ἱέρακι δύναμιν καὶ ἀρχὴν, ἣν βίᾳ κτώμενος ὑπὸ τῆς κακίας ταραττόμενος καὶ ταράττων. *Equum fluuiatilem, cui Accipiter insistit in Serpentem pugnans, equo Typhonem indicantes, accipitre vim & principium,*

Aduersi Genij. — *Lancea Hippopotamus & Crocodilus transfixus quid.* — *Plutarchus.*

pium, quibus vi potitus ille sæpe non defatigatur præ militia turbatus atque turbans. Vides in hac figura Numen ἱερακόμορφον serpentem manu tenens, sinistrâ, dextrâ spiculum torquens in hyppopotamum; Osiris enim vitâ rerum, radiorum suorum virtute veluti spiculis quibusdam incussis, facilè superat vim illam Beboniam, & fini rerum naturalium aduersam interficit, cui se sedulum Antagonistam exhibet Mophta, quem statua λεοντόμορφος baculo cucuphomorpho instructa eum à tergo sequens, ac vim eius infringens indicat. Hoc idem ostendit in opposito latere figura accipitris telo crocodilum configens. Vide Plutarchum citato loco. Omnia enim euenta mala & damnosa, naturæ quandam repugnantiam habentia, Typhonis effectus & opera dicebant; quæ Sol dum interimit, vnà Mundum ἄκρατον in temperiem reducit. Canibus autem ad latera vndulato serpenti accumbentibus, custodia accessus & recessus Solis indicatur; vel vt Plutarchus vult, incrementum Nili, quod canes cœlestes ortu suo mouent & promouent. Sed hæc ita esse, luculentis verbis Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. demonstrat his verbis: *Sunt autem qui volunt quidem, Tropicos significari à canibus, qui custodiunt, & instar ianitorum obseruant accessum Solis ad Austrum & Septentrionem.*

Numen ἱερακόμορφον quid. — *Mophta λεοντόμορφος quid.* — *Canum custodia quid.* — *Clem. Alex.*

His itaque expositis, iam officia singulorum Geniorum in Zodiaco descriptorum exponamus. Per Anubin itaque seu Mercurium caniformem nihil aliud intelligebant, nisi custodem caloris Mundani. Per Canopum humidæ naturæ in subterraneis vim actiuam. Per Ichton humoris ad generationem rerum perficiendam, dispositionem. Per Amun caloris vim fœcundatiuam. Per Apin fructuum messisque vim maturatiuam. Per Geminos Herculem & Apollinem vim Solis calefactiuam. Per Ibin ortum Sothis, inundationis Niloticæ prodromi. Per Momphta Nilotici incrementi vim dispositiuam. Per Isin frumenti secuturi abundantiam. Per Omphta ad sementis sparsionem æquam telluris temperiem. Per Typhonem vltimam telluris exsiccationem, humorisque benefici in subterraneos meatus inclusionem. Per Nephten denique humoris ab omni interitu vindicationem. Quibus totidem maiores gentium Dij Deæque respondent, quos in Obelisco Pamphilio fol. 251. exhibitos contemplare. Hebræi quoque & Arabes, Ægyptios imitati, suum Zodiacum in duodecim pariter Angelorum præsidia dispertiuntur, quorum Nomina cùm in Kabala Hebræorum & Saracenorum exhibuerimus, superuacaneum esse rati sumus, eadem cum Lectoris nausea hîc repetere.

Quid Numina Zodiaco deputata indicent. — *Effectus quos in Mundo præstant Dij Zodiaco adscripti.*

CAPVT III.

De Characteribus signorum, eorundemque origine.

ASTronomi omnes ferè signorum ordinem incipiunt ab Ariete; quod & Ægyptij faciunt: vnde mirari forsan quis posset, cur nos primum signum siue dodecamorium attribuerimus Capricorno seu Anubi. Respondeo, dupliciter nos signorum ordinem hoc loco considerare posse,

Cur & quomodo Ægyptij primum signum ponunt Capricornum.

se, vel Astronomicè, vel mysticè. Signa itaque Astronomicè considerantes exordium ab illo verni temporis puncto, quod dies noctibus æquat, sumebant; quod & in hunc vsque diem ab Astronomis obseruatur: mysticè verò considerantes, siue in quantum Geniorum, Deorumque in mundana œconomia administrationem concernit, à brumæ Solstitialis puncto, quod Deorum ascensum nominabant, signorum, Deorumque ordinem sumebant, nè si ab æquinoctio Verno initium sumerent dispositionis domuum Geniorum, ordo ascendentium Deorum interturbaretur. Atque hæc est causa, cur nos Mystas Ægyptiorum secuti hunc ordinem seruauerimus. Quibus quidem expositis, iam quid signorum characteres velint, vnde originem traxerint, videamus.

Mercurius itaque Trismegistus, postquam singulis Zodiaci dodecamorijs suos Genios assignasset, atque in Astronomico negotio semper hieroglyphica simulachra ponere, dum signum denotare vellet, oppidò laboriosum comperiret; abbreuiaturas quasdam ex ipsis simulachris depromptas loco simulachrorum posuit; quem morem ab illo tempore in hunc vsque diem continuâ quâdam successione & traditione conseruarunt. Sed singula explicemus, ab Ariete Astronomorum more initium facientes. Origo signorum characterumque 12 signorum Zodiaci.

Primum signum Astronomico more Aries est, Ægyptiacè dictus ⲁⲙⲟⲩⲛ, Amun; pingebaturque sub hominis cornibus arietinis conspicui figura. Verùm in compendiario Astronomico computationis negotio, nè semper integram imaginem scribere cogerentur, sola duo cornua Astronomi posuerunt Arietis hoc pacto , cui respondet posterorum Astronomorum vsque in hæc tempora continuatū symbolum, quod sequitur ♈. I Signum ♈

Secundum signum Taurus est, quem Ægyptij ⲁⲡⲓⲥ Apin vocant, maximum Numen, & sub forma Bouis, vti & hodie in vsu est, exhibebatur. nè igitur semper circa huius signi mentionem integrum bouem pingere cogerentur, caput tantùm Bouis cum cornibus posuerunt, vt sequitur II Signum ♉

cui correspondet modernus Tauri character ♉.

Tertium signum Geminos tenet, quos Ægyptij Herculem & Apollinem, siue Helitomenon & Harpocratem vocant, erantque binæ vtriusque hieroglyphicæ statuæ, manus sibi mutuò inserentes; quas nè mentione huius signi facta pingere cogerentur, loco statuarum hunc inuenerunt characterem epitomaticum III Signum ♊

, quo dicti Gemini exprimebantur, quo & in hunc vsque diem vtuntur Astronomi, vt sequitur ♊.

Quartum signum Cancro dicatum est, Ægyptijs Hermanubi Ibimorpho. quoniam verò Sol sub initium huius signi retrogradus est, & eidem signo Ibiacum Numen præest; caudam ex Cancro, & caput ex Ibi scripserunt, quorum positione emanauit character IV Signum ♋

ex

ex capite Ibis & cauda Cancri compositus; cuius rationem nescientes posteri, eum sub hac figura retulerunt, Ægyptiaco hieroglyphico haud absimili ♋.

V Signum ♌ Quintum signum Leonem continet, qui Ægyptijs Momphta dicitur. Nè itaque semper huius mentione factâ integrum Leonem pingere cogerentur, loco totius partem, id est, caudam pinxerunt, Leoninæ fortitudinis symbolum hoc pacto

. quo & in hunc diem Astronomi vti solent ♌.

VI Signum ♍ Sextum signum Virgini dicatum est, quam Isin Ægyptij nominant, frumenti inuentricem; vnde & eam sub Virginis forma triplici spicâ conspicuam hieroglyphicè depingebant. Nè itaq; eius mentione factâ, semper hanc imaginem pingere cogerentur, tres spicas formarunt ligaculo strictas, emanauitq; character Virginis vt sequitur



. cuius rationem posteri non capientes, loco trium spicarum hunc posuerunt characterem ♍. qui tamen ab antiquo charactere non multùm abludit. tres autem spicas assignarunt, quia in Ægypto subinde ter in anno messis peragebatur, ob summam telluris, quam ipsa referebat, luxuriem.

VII Signum ♎ Septimum signum Libræ, tribuitur ab Ægyptijs Numini Omphta, quo humoris ob excessiuam inundationem vis ad temperiem redigebatur; & componebatur, teste Firmico, & Scholiaste tetrabibli Ptolomæi; cuius cum libræ bilanx hieroglyphicum esset, loco imaginis Omphta, quæ hominem mensorium in manibus radium tenentem mentiebatur, eundem radium ponebant hoc pacto



; posteri verò loco huius Libram formarunt hoc pacto ♎.

VIII Signum ♏ Octauum signum Scorpionis est, quod Typhoni malignantis naturæ Genio veteres Ægyptij tribuebant; cuius symbolum cùm Scorpius esset, vtpote venenosâ quâdam & adustiuâ facultate pollens, Typhonijs operationibus haud absimili, hieroglyphicum eiusdem Scorpij characterem posuerunt, vt sequitur

. quos & imitati posteri, simili characterum genere expresserunt sic ♏.

IX Signum ♐ Nonum signum Arcitenens siue Sagittarius est, Ægyptijs verò Nephte dicitur, Typhonis, ἀντιτέχνος; cuius curæ cùm arma Osiris, hoc est radiorum Solarium effectus commissi sint, ijsque nè humoris vis Mundani adustiua vi Typhoniâ destrueretur, Typhoni se opponit; radij autem Solares per spiculum seu sagittam hieroglyphicè exprimerentur; hinc character emanauit Sagittarij Typhonem conficientis, vt sequitur

. quem Moderni sic notant ♐.

Decimum signum Capricornus est, cui Ægyptij præfece-

fecerunt Anubin caninâ facie conspicuum, & hirco-piscem loro ducentem. Nè imaginem operosam semper huius signi mentione factâ pingere cogerentur, hirco-piscem, symbolum calidi & humidi, cuius Anubis custos & conseruator erat, pinxerunt, vt sequitur quos & imitati posteri, sic eum haud abludente charactere expresserũt ♑, in quo cornuum & caudæ piscis manifesta latent indicia. X Signum ♑

Vndecimum signum Aquarius est, quem Canopum Ægyptij appellabant, humidi subterranei præsidem; figurabaturque sub forma hydriæ vasto ventre protuberantis, capite humano eidem loco operculi imposito, cuius loco figuram Kyriologicam, nullo non Obelisco obuiam, expresserunt, vt sequitur , quo charactere & in hunc vsque diem vtuntur. XI Signum ♒

Duodecimum signum pisces sunt, Ægyptijs Ichthon, Numen sub forma partim humana, partim piscina expressum. Omissa itaque figura humana, tantùm compendij causâ characterem exhibuerunt sub forma piscis vt sequitur . posteri verò duos pisces posuerunt veluti colligatos vt sequitur ♓. XII Signum ♓

Atque hi sunt duodecim characteres 12 signorum veteribus iuxta atq; recentioribus vsitati; quos quidem ijs de causis, quas diximus institutos, nemini dubium esse debet. Manilius eos his verbis exponit.

Vt sit idem Mundi primum, quod continet arcem, Manilius.
Aurato Princeps Aries *in vellere fulgens,*
Respicit admirans aduersum surgere Taurum,
Submisso vultu Geminos, *& fronte vocantem:*
Quos sequitur Cancer: *Cancrum* Leo: Virgo *Leonem:*
Æquato tum Libra *die cum tempore noctis,*
Attrahit ardenti fulgentem Scorpion *astro,*
In cuius caudam contentum dirigit arcum
Mistus equo, *volucrem missurus iamq; sagittam.*
Tum venit angusto Capricornus *sidere flexus;*
Post hunc inflexam defundit Aquarius *vrnam*
Piscibus *assuetas auidè subeuntibus vndas,*
Quos Aries tangit claudentes vltima signa.

Quæ verba Manilij Scholiastes Scaliger ex Alcabitio ita exponit: *Zodiacum arcem vocat, quòd ex eo ortus & interitus præcipuæ causæ defluunt, & vt ipse ait, quòd ex eo fatorum ducitur ordo. Ab eo igitur meritò auspicatur, vt,* inquit, *primum sit & primo loco ponatur, quod Mundi primam occupat arcem. Sic Author Alkabitij à Nitac, hoc est, à circulo Zodiaco ab eadem causa orsus est.* Et paulò post: *Duodecim signorum characteres, quibus vulgus Astronomorum vtitur, antiquissimæ originis sunt, quamquam deprauati.* ♈ *Aries, caput Arietis.* Scaliger. Significationes 12 characterum Zodiaci.

Tau-

♉ Taurus, caput Bubulum. ♊ Gemini, duo corpuscula consertis brachijs & cruribus. ♋ Cancer, deprauata Gammari figura. ♌ Leo, cauda Leonis. ♍ Virgo, ala Virginis. ♎ Libra, scapus seu bilanx cum examine, quod Veteres momentum vocabant, vnde lanx momentanea. ♏ Scorpius, non indiget inditio. ♐ Sagittarius, neque ipse indiget explicatione. ♑ Capricornus, est extrema cauda piscis conuoluta, in quam ille asterismus desinit, quem Poetæ in Tritone vocant δικέφαλον. *♒ Aquarius, aquæ fusio. ♓ Pisces, pisces duo aduersi oppositis dorsellis cum vinculo, quod Græci Magistri* λίνον *vocant.* Totam hanc characterum originem Scaliger descripsit ex Alkabitio, qui totidem penè verbis Arabicè ea describit, vti & Abenragel, vt suo loco dicetur. Sunt autem hi duodecim nihil aliud quàm characteres hieroglyphici, effectus Geniorum duodecim hisce plagis deputatorum explicantes, & passim inter hieroglyphicas Ægyptiorum descriptiones reperiuntur, vt in tertio Tomo demonstrabitur.

Λίνον in piscium charactere quid?

CAPVT IV.

De septem Planetarum origine, nominibus, officijs, characteribus.

RECtè & sapienter canit Manilius lib. 1. Astronomicôn.

Manilius.

Omnia conando docilis solertia vicit,
Nec prius imposuit rebus finemque, modumque,
Quàm cœlum ascendit ratio, cœpitque profundis
Naturam rerum causis, viditq; quod vsquam est &c.
Quæ postquam in proprias deduxit singula causas,
Vicinara ex alto Mundi cognoscere molem
Intendit, totumque animo comprendere cœlum,
Attribuitque suis formas, sua nomina signis,
Quasque vices agerent certa sub lege notauit,
Omniaque ad Numen Mundi, faciemque moueri,
Sideribus vario mutantibus ordine fata.

Hermes primus obseruator motus planetarum.

Fuit hic præ cœteris mortalibus primus Hermes noster, qui postquam Zodiaci duodenarium Systema complêsset, vidissetque nonnullas stellas non fixas, sed vago cursu per spaciosas cœlorum semitas vltrò citròque commeare; ad motus, motuumque leges explorandas, tam exoticæ rei cognoscendæ incensum intendit animum. Comperiebat autem septem potissimùm, ex vniuerso stellarum exercitu, hâc vagabundâ naturâ præditas stella; hâc tamen conditione, vt omnes obliquam Zodiaci constitutionem sectantes, tantùm sub certa & definita annorum periodo cursum suum absoluerent; nonnullas quidem celeriùs, nonnullas tardiùs: quasdam quidem viam Zodiaci rectiùs & præcisiùs, quasdam irregulariùs terentes. Et primò quidem Solem notabat, constanti & irretorto gressu me-

ſu mediam Zodiaci lineam tenere; Lunam, cœteraſque ſtellas quinque, non item, ſed iam vltrò citròque ad ſex graduum amplitudinem curſitantes ſummo ſtudio, & multorum annorum experientiâ obſeruabat. Quæ ita eſſe, expreſsè Scholiaſtes in Hyginium, quiſquis ille fuerit, teſtatur.. *Mercurius*, inquit, *primus mortalium oſtendit obliquitatem Zodiaci, & planetarum curſus ſub eodem perfici*. Quin imò ipſe Triſmegiſtus in Pimandro de ſe id teſtatur ſequentibus verbis: ÆSCVLAP. *Quonam igitur pacto, Triſmegiſte, ea quæ in Mundo ſunt, mutantur vnà cum his quæ mouentur? Nam ſphœras erraticas ab aplane ſphœra moueri dicebas*. TRISMEG. *Iſte non motus, ò Æſculapi, ſed reſiſtentia eſt: non enim eodem, ſed modo contrario gradiuntur. Oppoſitio verò reuerberationem motionis ſtabilem continet, repercuſſio enim ſtationis agitatio eſt, ideoq́; ſphœræ erraticæ è contrario ac planè ſubalternæ inuicem diſcurrendo, obuiatione contrariâ circa oppoſitionem huiuſmodi ab ea quæ perſtat, agitantur; quod quidem aliter ſe habere nequit; nam arctos ipſas, quas nôſti, nec exoriri vnquam, nec mergi, circa idem perpetuò recurrentes, num moueri cenſes, an conſiſtere potiùs?* ÆSCVL. *Moueri, ò Triſmegiſte*. TRISM. *Quonam motu, Æſculapi?* ÆSCVL. *Motione circa idem ſempiternè currente*. TRISM. *At verò circulatio illa idem motus à ſtatione contentus; ipſum namque circa idem prohibet, quod ſuper ipſum eſt; impeditum autem id quod ſuper ipſum, circa idem inſtat: atque ita contraria agitatio firma eſt ab ipſa oppoſitione perpetuò ſtabilita. Exempla tibi ante oculos ponam in terris viuentium, veluti dum homo quis natat, currente nimirum aduerſa aqua, manuum ſimul & pedum repercuſſio ſtare hominem efficit, nè cum aqua pariter labatur, aut mergatur in eam*. Quibus verbis quid aliud indicat, niſi proprium planetarum motum, quo contrario motui diurno raptu ex ortu in occaſum feruntur? quem motum & moderni per motum nauis, & hominis contrario in eadem motu incedentis demonſtrant. Sed quoniam hæc vulgò trita ſunt, ea indicaſſe ſufficiat. Quare ad nominum characterum impoſitionem procedamus.

Mercurius itaque vti ſummâ & admirandâ ingenij dexteritate pollebat, ita ſingula ſua inuenta, non minori ingenij induſtria texit. Patet hoc primò in Nominum planetariorum impoſitione. Cùm enim videret, totum naturæ ordinem ſeptem hiſce ambulatoribus inniti, eorumq; fato omnia inferiora ſubſtare: maxima & principalia Mundi ſenſibilis Numina ipſos appellandos exiſtimauit. Solem quidem, quem Deum Deorum cœleſtium præſtantiſſimum in Pimandro dicit, & cui reliqui cœlites veluti Principi Regique pareant, ideo appellauit Oſirin, quòd Ægyptiacè πολυόφθαλμον multoculum, vel etiam Dominum ſanctum ſignificat, eò quòd hic totius naturæ fons, omnibus vitam concedat, vt alibi fuſiùs expoſitum eſt. Lunam verò Iſin vxorem Oſiris dixit; ex horum enim coniunctione & copula ſpectabilem illam rerum omnium in totius naturæ maieſtate eluceſcentium varietatem enaſci credebat, vtpote Soli calidum, Lunæ ſeu Iſidi humidum attribuendo, quæ ſunt veluti prima quædam totius generationis elementa. Atque hos duos planetas inter elementa & reliquos ſuperiores planetas ponebat intermedios, veluti totius naturæ arbitros, vti ſuprà in Syſtematica Mundi conſtitutione hieroglyphicè exhibi-

Mercurius nomina planetis imponit.

Sol Princeps Numen cœli Oſiris vel Poſiris.

☽ Vxor Oſiris Regina cœli.

☉ & ☽ medij planetarum.

ta fusè ostensum fuit. Porrò cum supra Solem duos alios ambulones aduerteret, perpetuos & indiuiduos Solis comites; viciniorem Mercurij nomine insigniebat, veluti Solis internuncium & coadiutorem, vnde posteà fabula de Deorum Nuncio Mercurio emanauit; sequentem verò lucidissimam stellam Aphroditis seu Veneris nomine nuncupabat, vtpote quæ, quod Sol, Luna, Mercurius rectè in Mundi œconomia disposuerant, illa fœcunditate & gratiâ suâ compleat, & perficiat, vnde & in hunc vsque diem fœcunditatis, gratiæ, & amoris munus ipsi attribuitur. Quoniam verò Venus humido abundans subinde cum Luna quandam in sublunari Mundo intemperiem efficit, hinc Martem, quem ⲧⲁⲫⲱⲛ Typhun vocat, superposuit Veneri, cuius munus est, adustiuâ vi suâ & facultate causticâ, excessiuam humiditatis discrasian à Venere & Luna causatam, incisione suâ ad temperiem redigere. Quoniam verò Typhonem malignæ & peruersæ naturæ cognôrat, hinc supra ipsum statuit Iouem, quem & Aegyptiacè ⲡⲓⲍⲉⲩⲥ vocauit, omnibus præclaris facultatibus instructum, qui beneficâ & potenti virtute suâ malignam Typhonis naturam coërcitam in officio, nè vi suâ tabificâ susque deque verteret omnia, contineret. Tandem huic superimposuit Saturnum, quem & Rephan Ægyptiacè vocauit, cuius officium est, calorem in Mundo excessiuum à Marte & Sole causatum frigiditate suâ, non secùs ac Mars humiditatem à Luna & Venere causatam attemperare. Quorum officia ac virtutes cùm fusè tùm in præcedentibus, tùm in Obelisco Pamphilio descripserimus, eò Lectorem remittimus.

☿ & ☽ officia in œconomia Mundana.

♂ et ♃ officia.

♄ officium.

Quàm aptis autem hieroglyphicis characteribus singulorum officia & potestates exhibuerit Hermes, restat explicandum. Cùm itaque horum septem principalium Geniorum virtute totum inferiorem hylæum Mundum administrari comperiret; characteres singulorum vicibus appropriatos, quorum quinque potissimùm ex hieroglyphicis kyriologicis, videlicet ex ☉ ☽ ♈ ♐ + composita sunt, excogitauit; quorum prior character hieroglyphicus Solis; alter Lunæ; tertius, cornu scilicet Arietis, caloris & fœcunditatis, cursus planetarij principium; quartus, scilicet sagitta, caloris & siccitatis; quintus denique crux est, elementaris Mundi symbolum. Ex quibus singulorum planetarum virtutes eo ingenio expressit, vt videndo characterem cuiuspiam, statim in notitiam virtutis eius veniret. Sed fabricam ostendamus.

Characteres planetarum quid notent.

Ac primò quidem suppono ex Clemente Alexandrino & Eusebio, duplicem habuisse Ægyptios modum mysteria sua symbolica repræsentandi; vnum per virtutes animalium, herbarum, plantarum; alterum per Geometricos characteres, apposité mysteria intenta repræsentantes. Sic per Scarabæum & Ibidem primo modo Solem & Lunam, quos eosdem posteriori modo per Solis & Lunæ simplices characteres repræsentabant. Sic quatuor Elementa siue principia rerum per quatuor animalia, quæ qualitates haberent Elementis non absimiles, primo modo; posteriori verò per † repræsentabant: quod Clemens Alexandrinus hisce verbis asfir-

Ægyptij duobus modis mysteria symbolica significabant.

firmat: *Symbolicè autem vna quidem loquitur per imitationem, alia verò scribitur veluti propriè, alia verò apertè sumitur allegoricè per quædam ænigmata; vt qui Solem volunt scribere, faciunt circulum, Lunam autem figuram Lunæ cornuum formam præseferentem (hoc est semicirculum) conuenienter ei formæ, quæ propriè dicitur: ænigmaticè verò Solem Scarabæo assimilant, obliquam astrorum conuersionem spiris & voluminibus serpentum.* Porphyrius quoque apud Eusebium sic ait: *Vnde factum est, vt omnia candida cœlestibus Dijs attribuerentur; pila, & rotunda omnia Mundo, præcipuè ☉ & ☽, id est, Soli & Lunæ; circulus verò & quæ circularia sunt, seculo, & motui cœlesti, & zonis ac circulis, qui in cœlo esse intelliguntur.* Quæ nos ad mentem Veterum ita explicamus: Ægyptij pingebant circulum, quo Solem repræsentabant, stellarum omnium Principem, & cœlestium Numen, à cuius luce omnes participarent. Cùm autem omnem virtutem ipsius solùm in elementarem Mundum cognoscerent, circulo decussatum apposuère signum seu characterem sic ♀, quo notabant spiritus Mundi omnia permeantis fœcunditatem, vnde & Græci Venerem veluti generationis Deam illo exprimendam assumpsère. Cùm autem hanc virtutem Veneris sparsam & seminatam à Deo per omnes Mundi partes intuerentur, spiritum nimirum Animæ Mundi siue Solis dantis vnicuique rei formam, vitam, essentiam, & durationem; cùm, inquam, eum inueniri viderent in omnibus rebus, in homine inquam, in bestijs, in terra, aqua, aëre, igne, in fluminibus, in montibus, planis, vallibus, syluis, pratis, desertis, plantis, animalibus, in cœlis etiam & stellis; semicirculum ☽ ei apposuerunt, & ortus est character ille celeberrimus & sacer ☿ Mercurij, quem in tertio libro Obelisci Pamphilij Spiritum Mundi, seu Solem Ægyptiorum omnia ad se attrahentem, interpretati sumus. Menti nostræ mirum in modum astipulatur Deenus in sua Monade hieroglyphicâ, vnde verba eius cedro digna hîc appono: *Antiquissimi sapientes Magi, quinque planetarum nobis tradidère notas hieroglyphicas, compositas quidem omnes ex Solis & Lunæ characteribus, cum elementorum, aut Arietis hieroglyphico signo. Ac primùm quidem de ijs, qui Lunæ habent characterem, nos iam paraphrasticè agemus; de Solaribus deinde. Lunaris nostra natura, dum per Elementorum scientiam circa nostram sit semel reuoluta terram, Saturnus mysticè dicebatur. Et eadem de causa Iouis quoque habebat nomen, istamq; secretiorem tenebat figuram ♃. Et Lunam tertiâ vice elementatam obscuriùs sic notabant ☿, quam Mercurium vocare solent, qui quàm Lunaris sit, videtis? Martis verò character mysticus ♂, an non è Solis & Arietis hieroglyphicis est conflatus, ♃ elementato partim interueniente Magisterio? Et Veneris quæso, an non ex Solis & elementorum pleniore explicatione? Isti ergo planetæ Solarem recipiunt περιφορὰν, opusque αἰωνοπαντουργικῶς: in cuius progressu fit tandem conspicuus Mercurius ille alter, priori quidem vterinus frater; ex Lunari scilicet Solarique elemento completa magia.* Quæ omnia Hermes expressit his verbis:

Sicut res omnes fuerunt ab vno mediatione vnius, sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re, ada-

Saturnus conuenit frigore cum ☽ quo influit in Elementa, & componitur ex figura Lunari, & cruce elementari, † ☽.

Clem. Alex. 6. Strom.

lib. 3. cap. 3.

Characterum fabrica & significatio mystica.

Characteris ♀ origo.

Characteris ☿ origo.

Deenus.

ptatione. Vides igitur quomodo, & quàm ingeniosè mistu-ram qualitatum planetarum in appropriatis characteribus exhibuerint. Meminit horum characterum mysticorum quoque Cæsar Riuiera in suo de Mundo magico tractatu Italico idiomate conscripto, vbi inter alia hæc habet lib. 1. fol. 22. quæ etiam adduxi in Obelisco Pamphilio fol. 374. *Tutto questo comprende in se detto giroglifico* (de quo loco cit.) *essendo egli composto de caratteri delle note di ciascuna di dette cose, le quali iui apertamente si scorgono. Imperoche facendosi di quello anatomia, & diuidendosi nelle sue parti, vedrassi chiaramente, che egli costa primieramente d'vn circolo perfetto, giroglifico del Sole; appresso egli costa d'vn semicircolo, nota della Luna; d'vna croce, simbolo delli quattro Elementi; è del segno dell' Ariete; gli altri quattro giroglifici poscia, cioè quello di Saturno, di Gioue, di Marte, e di Venere, sono formati ò dal carattere del Sole, ouero della Luna, con l'annessione della Croce, ò parte di lei, ouero della nota dell' Ariete. Il giroglifico di Saturno è composto di quello della Luna, & insieme di quello de gli Elementi; quello di Gioue costa de i medesimi, & è l'istesso, eccetto che ritiene sito diuerso; il carattere di Marte è composto di quello del Sole, e di quello del Ariete congionti insieme dalla retta linea della croce; la nota di Venere è formata di quella del Sole, & de gli Elementi; e finalmente il giroglifico dell' Ariete si forma di duoi semicircoli connessi in vn commun punto.*

Iuppiter humore conuenit cum ☽ quo influit in Elementa, hinc componitur ex ☽ & †. Mars calore & siccitate conuenit cum ☼ & ♈. hinc componitur ex figura ☼ & ♈ vti vides. Venus humore & calore conuenit cum ☼, quo in Elementa influit, hinc componitur ex figura ☼ & †. Mercurius cum omnibus conuenit ☽ ☼ †, hinc ex omnibus componitur, Lunari, Solari, & Elementari.

Riuiera in Mundo magico.

Compositio characterum Astronomici.

Vides igitur quàm aptè magnus ille Trismegistus, aut Ægyptij ab illo edocti, planetarum virtutes per symbolica signa expresserint. Verùm de his copiosè tractatum vide in Obelisco Pamphilio fol. 374. & in Alchimia Ægyptiorum. Quanto autem studio Veteres Ægyptij, cultui planetarum dediti essent, & quàm omnia ipsorum influxibus adscriberent; pulchrè sanè explicat Schiagia Arabs Historicus, dum Ægyptum his verbis describit.

في دكر فراعنة مصر ☼

Schiangia Arabs.

ومصر هي اقليم العجايب ومعدن العرايب مصر بستان الله تعلى في ارضه ولايراها الناظر في هذا الوقت فيظن انها على حالها الاول كانها كانت مدن متقاربة على الشطين كانهم مدينة واحدة البساتين خلف المدن متصلة كانهم بستان واحد والمزارع من خلف البساتين. كان يصل من الاسكندرية الى اسوان في يوم واحد يناوله قيمة البساتين واجد لواحد واهل مصر كانوا اهل ملك عظيم في الدهور الخالية والازمان السالفة وكانوا خلاطا من الامم ما بين قبطي ويوناني وعمليقي كانوا يعبدوا الاصنام وصار بعد

وصار بعد الطوفان علما بمصر من العلوم خاصة تعلم الطلسمات والسحرة والكيميا
وطلسماتهم باقية الى الان وكانت مدينة منف كرسي مملكتهم وهي على اثني
عشر ميلا من الفسطاط كانت كهنة اعظم الكهان علما حكما واليونانيون يصفونهم
بذلك وكانوا ينعتون بكهانتهم بعبوا لكواكب ويزعمون انها هي التي تفيض عليهم
العلوم وتخبرهم بالغيوب وتعلمهم الطوابع وصنعة الطلاسم ودلتهم على العلوم الجليلة
المخزونة فعملوا الطلسمات المشهورة والنواميس الجليلة وولدوا الاشكال الناطقة
وصوروا الصور المتحركة وبنوا العالي من البنيان وزبروا علومهم في صلب الحجارة
وكانت مصر خمسا وثمانين كورة منها اسفل الارض خمسة واربعون كورة ومنها
بالصعيد اربعون كورة وكان في كل كورة رئيس من الكهنة وهم الحزرة ۞

Cœtera omitto, & Latina verba appono.

De excellentia Aegypti, & Astrologiæ studio.

AEgyptus rerum mirabilium clima, prodigiorum fodina, hortus Dei excelsi in terra erat, nec vllus qui eam nunc considerat, in suo statu primo existere credit; & cùm ipsa sit vna ciuitas, tanquam plures supra eorum littus sibi cohærentes esse videntur. Horti à tergo ciuitatum, tanquam vnus, sibi inuicem coalescentes; tum arua à tergo hortorum cernebantur. Porrò vna itineris dies erat ab Alexandria vsque Asouan; hortique sibi inuicem excellentiam porrigebant. Ægyptij olim maximi Regni Domini erant, nec non ex diuersis gentibus, Coftorum, Græcorum, Amalecitarumque permixti pariter idola colebant; post diluuium in varijs scientijs, præcipuè incantationum, magiæ præstigiatricis & Chimiæ edocti fuerunt: imaginesque eorum ad influxum stellarum factæ hucusq; reperiuntur. Porrò ciuitas Monf ab antiqua Phestad 2. milliarijs distans, sedes Regni erat. Sacerdotes eorum doctrinâ & sapientiâ cæteris Sacerdotibus, præstabant, quemadmodum de ipsis aiunt Græci. Cùm sua præsagiendi arte ad sydera se applicabant, ea sibi scientias infundere, euentura enunciare, eosque rerum naturalium & diuinandi artem ediscere existimabant; sicuti reuera eos scientias magis abstractas & absconditas edocuere, ipsiq; ex eis diuinandi artes celeberrimas, legesq; excellentissimas didicerunt, simulachra loquentia fecerunt, Imagines mobiles depinxerunt, ædificium cæterorum ædificiorum altissimum exstruxerunt; scientiasq; suas supra durissimos lapides inciderunt. Ægyptus 85 Prouincijs constabat, ex quibus in Saida in inferiori Ægypto erant 45, in superiori verò 40. & in vnaquaque Prouincia Sacerdotum seu Magorum dux erat. Illum autem, ex eis, qui 7 annis 7 planetas mobiles obseruabat, ignarū vocabant; qui verò 49 annis vnumquemq; planetarum 7 annis, hunc Infundentem seu Stillantem nuncupabant: ipsique honoris causa, insurgit Rex, &, nonnisi propè Regem sedet; nec aliud, nisi quæ Regis sunt, gubernat. Sacerdotes cum artificibus ingressi stant coram Stillante, & vnusquisq; Sacerdotum, per planetam cui inseruit separatus, ad æqualem sui non diuertit: seruusq; illius planetæ dicitur, videlicet Seruus Lunæ, seruus Mercurij, seruus Veneris, seruus Solis, seruus Martis, seruus Iouis, & seruus Saturni. Stillans autem interrogat vnumquemque ex ipsis, dicens: vbinam Planeta tuus reperitur? & respondet, in tali signo, in tali gradu, et in tali minuto; ita quoq; vnum aliumue interrogat, qui ipsum instruunt: cumq; mansiones septem planetarum agnouerit, dicit Regi, conuenit Re-

Monf idem quod Memphis.

Stillans seu Infundens idem quod Propheta.

gi, vt hodie sic & sic se gerat, sic comedat, congregationes in tempore sic faciat, sic equitet; tum omnia quæ ad negotiorum suorum directionem facit, ei denunciat, & coram eo Scriba cuncta à Stillante ipsi dicta, exarat. Deinde ad artifices diuertendo, in curiam Sapientiæ extrahit, ipsique ad opera tali die facienda manus adhibent; ipse verò cuncta illius diei acta in libro describit, quæ complicata in cubiculis Regijs asseruantur. Si accidat Regem de aliqua re anxium esse, eos omnes extra Memphim congregari iubet, ad quos se conferunt omnes cum Iudice ciuitatis; tum ipsi equitantes, vnus post alterum, cum pompa solemni, & miraculosa tympana congregationis præ manibus gestantes, ingrediuntur; iste faciem splendidam tanquam lumen Solis præsefert, nec vllus in eum oculorum acies dirigere potest: alterius manus lapidibus pretiosis, rubris, citrinis, cæruleis, viridibus impletæ sunt, vestemque auro textam habet: hic Leonem longissimis vnguibus præditum equitat: super istum, tentorium luminosum assurgit; tum vnusquisque id ad quod à suo planeta fuerit instructus, exequi curat, ingressisque ad Regem, ipse negotium suum explicat; illi verò quid agendum sit, proponunt.

CAPVT V.

De signorum Zodiaci Genijs, viribus, qualitatibus, & quomodo ijs omnium rerum complexum exhibuerint Aegyptij.

Pyramidalis influxus 12 signorum cœlestium qui considerandus.

AEgyptij instructore Mercurio ex duodecim dodecamorijs totidem in centrum vsque terræ lucidas inuersasq; pyramides deduci concipiebant, quorum basis ipsam dodecamoriorum longitudinem & latitudinem occupabat, vertex verò centro, vt dixi, terræ incumbebat; sub quibus vniuersum naturæ ordinem comprehendi dicebant; quas & in templo Heliopolitano in formam Zodiaci constructo duodecim Obeliscis hieroglyphicè, vt in Obelisco Pamphilio fol. 171 & 177 probatum fuit, exhibebant. Præerat autem vnicuique pyramidi influxus in inferiora symbola, Genius principalis, qui omnia influxiuæ pyramidi subiecta, singula secundùm classes rerum naturalium ipsis appropriatas, moderabatur; qui quidem effectus notabili diuersitate toties differebant, quoties septem Vsiarchos siue planetas in hasce dodecamoriorum plagas incidere contingebat. Quoniam verò non totum aliquod dodecamorium semper vnum & eundem effectum præstare videbant, sed alium in principio, in medio alium, & tandem in fine eiusdem alium; singulis dodecamorijs in tres partes diuisis tres alios Genios præfecerunt, quos nunc Decanos, modò Horoscopos, Arabes deinde Facies appellabant, adeoque 36 Horoscopi in vniuerso Zodiaci ambitu continebantur, totius inferioris naturę œconomi, dispensatores, administratoresque, quos suprà ex Hermete & Iamblicho exhibuimus. Atque hinc processerunt duodecim illæ mysticæ rerum omnium catenæ, quibus inferiora cum superioribus mirâ quâdam ratione connectebantur. Et hæ quidem catenæ inter hieroglyphicas inscriptiones frequentissimæ, duodecim naturæ veluti vincula quædam erant, quibus inferiores seu hylæos cum intermedijs cœlestis naturæ gradibus,

& hi

& hos cum supremo Deorum immortalium dodecamorio choro ita aptè colligari credebant, vt qui catenam vnam certo alicui dodecamorio correspondentem inuenisset, is omnem pariter pyramidi alicui dodecamoriæ subiectam analogarum naturæ classium œconomiam, deprehendisse censeretur. Quam quidem notitiam à supremo omnium Pantamorpho Numine, seu prouidentia omnium, per amorem copulatam animæ sapientiæ additæ inseri credebant. Est enim, vt Proclus de Anima & Dæmone, dicta prouidentia benefica pariter atque sincera, exornatiua omnium, atque ab excultis proinde expedita, per omnia currens, præsertim quia cohibita nusquam. Haud secus ipsi subiecta Numina præsentia omnibus, libera ab omnibus, implent seipsis omnia, multis alicubi permiscentur, amantque proles suas, id est, rerum subiectarum series. Cùm enim Amor prouideat, seruet, contineat res diuinitùs amatas, Dij Deos supercœlestes amant; cœlestes, cœlestes sphœras sibi commissas; sphœrarum Numina hylæorum Mundorum singulos sibi destinatos ordines. Sed audiamus verba Procli citato loco: *Sacra igitur eloquia hunc amorem Domini indicant omnia colligantem, omnibus insidentem. Hic sanè si connectit omnia, copulat & nos Dæmonum præfecturis. Hunc Diotima magnum Dæmonem appellauit, quoniam medium implet vbique inter illa, & quæ appetunt, & quæ appetuntur. Ipsum quidem quod est amandum, gradum sibi vendicat primum, amans autem gradum tertium ab amato, Amor denique vsurpat inter vtrumque medium, congregans atque colligans inuicem, appetens atque appetendum, & implens meliore deterius. Iam verò apud intelligibiles Deos atque reconditos, primæ secretæque pulchritudini intelligibilem intellectum vnit per vitam quandam intelligentia meliorem. Itaque Græcorum ipse Theologus cæcum illum appellat amorem. In illis autem quæ extra intelligibilia sunt, nondum illustrat indissolubilem cunctis ab ipso perfectis. Vinculum enim Vnio quædam est, sed vnà cum discretione permulta. Quapropter eloquia sacra huius amoris ignem appellare copulatorem solent; ab intelligibili namque intellectu procedens sequentia cuncta inuicem illique deuincit. Conciliat igitur intelligibili quidem pulchritudini Deos omnes, Dijs verò Dæmones, nos autem Dæmonibus Dijsque coniungit. In Dijs quidem subsistit primò, in Dæmonibus verò secundò, in animabus autem per processum quendam tertium à principijs existentem. In Dijs rursum super essentiam; omne namque Deorum genus est eiusmodi: in Dæmonibus autem per essentiam: in animabus denique per illustrationis effectum. Atque videtur hic trinus ordo, trinæ intellectus potentiæ similis.*

Hinc Ægyptij hoc tam admirabile inferiorum cum superioribus coniugium exactiùs trutinantes, paulatim in philtricæ siue amatoriæ artis notitiam deueneruut, quamque sub occultis hieroglyphicorum notis exactè, vti suo loco exponetur, descripserunt. Et primò quidem singula dodecamoriorum, vt & 36 Horoscoporũ plagas planetarum Numinibus, quæ fatalem huius circuli ambitum sollicito vestigio ambulant, fatorum ordinem vrgere credebant, ita aptè connexuerunt, vt ex dispositione septem stellarum ad duodecim dodecamoria comparatarum, infallibile iudicium de rerum futurarum euentibus se inferre posse crederent. Hinc Genethlia-

12 Catenæ rerum.

Proclus de Anima & Dæmone.

Amatoriæ artis principium.

thliaci eum qui sub certo pyramidis dodecamoriæ influxu, tali & tali Planetæ ei dominante natus esset, ab eius Genio vel Genijs, tanquam fidei curæque suæ commissum amari, omniaque quæ eidem dodecamorio, aut planetæ dominanti competebant, tùm naturæ, tùm gratiæ talenta concedi, superstitiosiùs credebant. Qui quidem Genij si malignantis, & à dodecamoriorum Genijs discrepantis naturæ essent, tale & natus sortiebatur ingenium; si beneficæ & sympathicæ, natum similem fore asserebant; atque adeo Ægyptij non tam stellis, quàm Genijs ijs præsidentibus euentus rerum adscribebant. Hinc tantus erat in ijs placandis ardor, tanta in ijs per sacrificia & præuias cœrimonias propitiandis cura & sollicitudo. Secùs atque Astrologi nostri temporis faciunt, qui hominum fortunam fatali cuidam siderum necessitati temerè adscribunt. Sed ad institutum reuertamur.

Astrologica vanitas.

Dodecamoria itaque tali ratione disponebantur, vt res tùm cœlestes, cum elementaribus, tùm hæ cum cœlestibus & Angelicis, ac omnia tandem cum supremo omnium moderatore exactâ quâdam analogiâ correspondent, vocabantque, teste Psello, eas Séras, id est, catenas, quibus suprema infimis, infima medijs, media supremis mirâ quâdam proportione connectebantur, iuxta duodecim entium naturæ Classes; cuiusmodi erant quatuor Elementa, ignis, aër, aqua, terra. Ignem tribuebant Arieti, Leoni, Sagittario, qui igneum in Zodiaco trigonum efficiebant; Terram Tauro, Virgini, Capricorno, qui trigonum terreum; Aërem Geminis, Libræ, Aquario, qui trigonum aëreum; Aquam Cancro, Scorpioni, Piscibus, qui aqueum trigonum efficiebant. His omnes reliquos entium ordines, qui quouis modo vni ex quatuor hisce dictis Elementis consentirent, adiungebant, v. g. omnes illæ rerum species, cuiusmodi sunt lapides, metalla, flores, plantæ, arbores, quadrupedia, volatilia, aquatica, humana complexio, quæ natura sua siccum & calidum temperamentum sortiebantur, Arieti attribuebant, signo itidem calido & sicco; ex ijsdem verò recensitis Classibus signo terreo, frigido & sicco, ea assignabant, quæ dicti signi naturam & complexionem exprimebant; & sic de cœteris signis aëreis, & aqueis. Atque hinc illa Zodiaci in trigonos seu triplicitates suas emersit partitio. Pari pacto septem Planetarum naturam & proproprietatem dictis duodecim domibus applicabant. Verùm cùm hæc & similia fusè & amplè docuerimus in Cabala Astrologica Hebræorum, eò Lectorem remittimus: solùm hoc loco, quæ ibidem iuxta mentem veterum Hebræorum dicta sunt, iuxta mentem Ægyptiorum, vt eorum sensus in omnibus luculenter patefiat, aptanda censuimus. Verùm hæc omnia in sequenti pinace contemplare.

Trigonus Igneus, Aqueus, Aereus, Terrestris.

Vnde triplicitas signorũ Zodiaci originem habuerit.

Tabula Prima.

Catenæ consensus rerum cum 12 Signis Zodiaci, iuxta mentem veterum Aegyptiorum, ex Arabum monumentis extracta.

Signa Zodiaci	*Genij*	*Qualitates elementares*	*Lapides*	*Plantæ & arbores ex Apuleio*	*Animalia*	*Hominis accidentia*	*Colores*
1 Signũ ♈ Aries, Κριός	ⲁⲙⲟⲩⲛ	Igneum calido-ſiccum	Amethiſtus	Ἐλελίσφακος	Ouium genus gregale	Audax, fortis, miles	Rubeus
2 Signũ ♉ Taurus, Ταῦρος	ⲁⲡⲓⲥ	Terreũ frigido-ſiccum	Hyacinthus	Περιστερεὼν ὀρθὸς	Armenta	Ingenioſus & Venereus	Fuſcus
3 Signũ ♊ Gemini, Δίδυμοι	Helitomenos, & Horus	Aëreum calido-humidum	Chryſopraſus	Περιστερεὼν ὕπτιος	Mediũ inter homines & beſtias Simia	Ludis & recreationibus intentus	Flauus
4 Signũ ♋ Cancer, Καρκῖνος	Hermanubis	Aqueũ frigido-humidum	Topazius	Σύμφυτον	Aquatica	Vagabundus, inſtabilis	Cyaneus
5 Signũ ♌ Leo, Λέων	ⲙⲱⲙⲫϯ	Igneum calido-ſiccum	Berillus	Πολυκέδανον	Sylueſtria, feræ	Regio animo præditus	Aureus
6 Signũ ♍ Virgo Παρθένος	ⲓⲥⲓⲥ	Terreũ frigido-ſiccum	Chryſolithus	Καλαμίνθη	Caninum genus	Sterilis & infœcundus; at pius & induſtrius	Viridis
7 Signũ ♎ Libra Λίβρα, Σταθμὸς	ⲙⲁⲫϯ	Aereum calido-humidum	Sardius	Σκορπίουρος	Volucria	Amator iuſtitiæ, cultor legum.	Purpureus

8 Signũ ♏ Scorpius, Σκορπίος	ⲧⲁⲫⲟⲩⲉⲟⲥ	Aqueũ frigido-humidum	Sardonix	Ἀρτεμίσια	Animalia rapacia	Tyrannus, crudelis, sanguineus	Ater
9 Signũ ♐ Sagittarius Τοξότης	ⲡⲉⲫⲱⲛ	Igneum calido-siccum	Smaragdus	Ἀναγάλλις	Animalia militaris indolis	Iracundus, instabilis, & multę cholerae	Flammeus
10 Signũ ♑ Capricornus, Αἰγόκερως	ⲁⲛⲟⲩⲃⲓⲥ	Terreũ frigido-siccum	Calcedonius	Λάπαθος	Ruminantia	Ad magna aspirans	Candidus
11 Signũ ♒ Aquarius, Υ'δρχόος	ⲕⲁⲛⲟⲩⲃ	Aëreum calido-humidum	Saphyrus	Δρακοντέα	Marina soboles	Mari deditus, Mercator, diuitijs inhians	Cęruleus
11 Signũ ♓ Pisces Ι'χθυες	ⲓⲭⲑⲩⲱⲛ	Aqueũ frigido-humidum	Iaspis	Ἀριστολόχια	Palustres & fluuiales	Fœcundus, libidinosus	Cineritius

Ecce hæc sunt rerum naturalium catenæ, quæ à supremis ad infimos, & hinc inter medios ad supremos entium gradus deducuntur; quarum vnam qui traxerit, omnes reliquas traxisse censeatur, quæ ex mente Ægyptiorum Abenephius his verbis describit: Abenephius.

ومصريون كان قسموا الدريه بثنه عشر بروج والحمل اول منهم امون وهو موكل
كل ما تحته من العناصر من الحجار ومن النبات ومن الحيوذات ومن خواص ومن
جميع فعال

Diuiserunt autem Ægyptij circulum in duodecim arces, quarum prima est Aries, Genius eius Amun, administrator omnium eorum, quæ ipsi subsunt, ex elementis, lapidibus, plantis, animalibus, ex proprietatibus, & omnibus operationibus. Postea eo ordine singula recenset, quo in præcedente tabula singulas Classes descripsimus; quæ cùm omnia fusâ narratione prosequatur, & in Cabala Saracenica eius verba allegauerimus, superuacaneum esse ratus sum, hîc ea repetere. Omnia hæc confirmat Anonymus quidam tractans de septem sigillis planetarum, vt posteà ostendetur. Subscribit hisce Abraham Auenaris in manuscripto Hebraico libro de Astrologia, in quo dicta his verbis prosequitur:

ועל דעת חכמת מצרים המולות י"ב והם מושלות בכל דברי תהתיים מן עשבי הארץ עד החיות ושרץ היבשת ולכל אחד ממולות מבנה מלאך המושל בכל מה תחתו:

Iuxta ſcientiam verò Ægyptiorum, ſigna ſunt duodecim, & illa dominantur omnibus rebus illis ſuppoſitis, ab herbis vſque ad animalia, & reptilia terræ; & ſingulis figuris præeſt Angelus, dominans omnibus quæ ſunt ſub illo. Poſtea ſigna longo diſcurſu deſcribit, ſingulas res quæ ad eius pertinent dominium, ſecundùm innumeras rerum Claſſes aſſignando, eo prorſus ordine, quo in præcedenti tabula deſcripſimus; quæ nè integros libros deſcribere cogerer, impoſterum in tabulas redigere conabimur, vt ſic compendio quodam molem rerum compenſaremus. Porrò haud abſimili ratione in ſeptem planetarum arcanis deſcribendis procedunt, quorum ſingulis primò ſuos aſſignant Genios, deinde ſub ſingulis catenas rerum planetis analogarum connectunt, à Sole exordium ſuæ diſceptationis ſumentes. Sed ipſum Authorem Arabem de ſeptem planetarum ſigillis diſcurrentem lege in Medicina hieroglyphica, vbi omnia fuſiùs exponuntur. Interim, nè librum allegationibus exoticis confarciamus, hîc tabulam anacephaleoticam apponere viſum eſt, in qua quicquid Author operoſo ſermone & diſcurſu ſuſiſſimo proſequitur, vnicâ Synopſi ob oculos poſitum contemplaberis.

Tabula Secunda.

Catenæ rerum naturalium, quæ ſingulis ſeptem planetis, ſub dominio totidem Geniorum ſubijciuntur, ex Aegyptiorum, Arabum, Hebræorumque monumentis deprompta.

Nomina, & Natura planetarum	*Genij*	*Lapides*	*Metalla*	*Plantæ*	*Animalia aërea, aquea, terrea*	*Aromata ex medicinalibus*	*Membra hominis, & morbi*	*Domus planetarum, exaltatio, depreſſio*
Sol calido-ſiccus maſcul. ☉ שמש Dies Dominicus	Ægyptijs Oſiris, Arabibus Scharaphiel, Hebr. Schemſiel	Pyropus, Carbúculus, Rubini, & quæ naturę igneæ ſunt	Aurū, & quæ quouis modo ad id reuocari poſſunt	Heliotropiū Corona regis, & quæ Solarē mentiuntur indolē	Ex quadrup. Leo, Ex aquatil. Delphinus ex aër. Accipiter	Charyophyllū, Cinnamomū Thymiama Crocus	Cor, lingua, aures, oculi, fel, morbus, cardiaca praſina	♌ Leo Solis domus exaltatio ☼, ♈, ♒, oppoſitus ♌ cadēs. color fulgid.

Luna, humido-frigida, fœmina ☽ Dies 2 hebdom.	Ægyptijs ιcιç, Arab. Schakaliel, Hebr. Leuaniel	Gemmę ſeu perlæ, & Veniones, Selenites	Argentum, & ex fluoribus Mercurius	Selenotropia, ſiue Lunariæ, Ranúculus, Artemiſia, Cucurbita	Ex quadr. Ælurus, ex volat. Grus, ex aquat. Oſtrea & teſtacea omnis generis	Ambra, Sandalum albũ, & fluidæ naturæ aromata	Cerebrum, & Culina microcoſmi Stomachus, Morbus Hydrops	♋ Cancer Ex coloribus candidus, argenteus
Saturnus frigido-ſiccus ♄ Dies 7 Hebdom.	Ægyptijs Rephã Arab. Zahel, زحل Hebr. Schabtael	Onix, Iaſpis, Topazius	Plumbum, ex fluoribus Cimolius, & quæ ♄ naturam redolent	Ex plãtis Hyoſciam⁹, Helleborũ, Taxus barbatus, omnia venenata. ex arb. Fraxinus, Cypariſſus	Ex quadr. Aſinus Ex volatil. Noctua, Ex aquat. Anguilla	Radix hellebori, Scammonea Diagridiũ	Splen, Hypochondria, Coxæ, Hypochondriacæ paſſiones	♑ & ♒ Ex coloribus Fuſcus, Cinereus
Iuppiter humido-calidus ♃ Dies 5 Hebdom.	Ægyptijs ζεϛɞ ⲁⲁ Arab. Meſ[illegible]riel Hebr. Zadkiel	Saphyrus, Smaragdus, Marmor	Æs, ex fluoribus Citri quinta eſſentia	Pomũ punicum, Citrũ, Ficus	Ex quadr. Equus Ex volatilib. Aquila Ex aquatil. Cephalus, Sturio	Amomum, Cardamomũ Ambra griſea Thus	Hepar. Ex morbis Morb⁹ regius, Podagra, Artritis	♓ & ♐ Ex coloribus Viridis

Mars

Mars calido-siccus ♂ Dies 3 Hebdom.	Ægyptijs Moloch Typhon, Arab. Marigiel Hebr. Adamiel.	Magnes, Hyacinthꝰ Amethistus	Ferrū, Ex liquoribus Tinctura Martis & similia	Verbena Isatis Ruta Absynthium	Ex quadr. Lupus Ex volatilib. Vultur Ex aquat. Lupus marinꝰ	Zingiber, Pyrethrum & quęcunq; acredinem igneam habēt	Brachia, Cista fellis. Ex morbis Maniasis, Phrenesis, Febris calida	♈ & ♏ Ex coloribus Flammeus
Venus calido-humida ♀ Dies 6 Hebdom.	Ægyptijs Zahara Nephta, Arab. Zahariel, Hebr. Nuhariel	Turchesiꝰ Margarita Beryllus	Stannum. Ex liquoribus Aqua rosacea, Quinta essentia ex Venereis plātis	Myrtꝰ, Olea, Vitis Satyriorū Species	Ex quadr. Ceruꝰ Ex volatilib. Cygnꝰ Columba Ex aquatil. Scarus	Muscꝰ, Zibeth, & reliqua quæ Veneris naturam redolent	Genitalia, Renes. Morbi Satyriasis, Philomania	♒ & ♉ Ex col. Cianeus Purpureus
Mercuriꝰ mixtus ☿ Dies 4 Hebdom.	Ægyptijs ερμης Arab. Adradiel Hebr. Cocabiel	Achates, Chrysolithꝰ Stellaria, Marmor variegatum	Cuprū Ex liquoribus Extractum Althęę siue Hibisci	Narcissus, Liliū, Mercurialis Persæa	Ex quadr. Canis, Simia, Ex volatilib Luscinia, Regulus, Ex aquat. Mergꝰ	Mastyx, Ben Styrax	Pulmones, Morbi Phthisis Atrophia	♍ & ♎ Color Flammeus

Porrò cùm Ægyptij sedulâ obseruatione cognoscerent, in singulis Zodiaci dodecamorijs tria potissimùm loca esse, quæ notabiles in alterationibus rerum differentias efficerent; hinc totum Zodiacum in 36 partes diuidere visum fuit, ita vt singulis signis tres domus seu facies competerent;

terent; atque hos Decanos seu Vultus vocabant: Genios verò singulis præsides, teste Trismegisto, nunc vocabant Ephoros, nunc Horoscopos Deos; quibus singulis vnum ex planetis dominari credebant; effectus verò, quos singuli Decani in conceptione vel natiuitate hominis imprimebant, varijs hieroglyphicis designabant. Verùm vt harmoniam totius propiùs intueatur Lector, pinacem hìc ordinauimus, in quo omnia, quæ Abenragel Arabs magnis discursibus prosequitur, vna Synopsi comprehenduntur.

Tabula Tertia.

Decanorum 36 vnà cum faciebus, imaginibus, significationibus, Genijsque præsidibus, iuxta mentem veterum Aegyptiorum, situs & ordo.

Characteres cum tribus Decanis	*Planetæ dominantes, & promissiones*	*Imagines hieroglyphicæ singulorum*	*Prædictiones, & euentus sub ijs natorum*	*Ephori, Horoscopi, Decani, Genij præsides*
1	♂ Facies audaciæ & fortitudinis	Vir hastâ & spiculo munitus	Natus spiritu Martio turgebit	Arueris ⲁⲣⲟⲩⲉⲣⲓⲥ
2	☼ Facies nobilitatis, altitudinis, regiminis	Vir κυνοκέφαλος throno insidens cum sceptro	Natus nobilitate, potentia, & regio animo pollebit	Anubis ⲁ̇ⲛⲟⲩⲃ
3	♀ Facies subtilitatis in opere, mansuetudinis, ludorum, gaudiorum	Figura deiecti vultus, lyram portans	Natus mitis ingenij, at subtilis erit, voluptatibus deditus	Horus ⲱⲣⲟⲥ
1	☿ Facies agriculturæ, & Mathematicarum artium	Figura Bouē stimulans, gnomonem manu gestans	Natus agricola, architectus, Mathematicus erit	Serapis ⲥⲁⲣⲁ[illegible]
2	☽ Facies victoris, strenui, nobilis, potentis	Figura equitantis, in cuius manu vexillum	Natus fortunam in bello habebit, honoribus exaltandus	Helitomenos ⲉⲗⲓⲧⲟⲙⲉⲛⲟⲥ

3	♄ Facies seruitutis & vilitatis	Figura compedibus vincta	Natus seruitutis vilitati subiacebit	Apopis ⲁⲡⲱⲡⲓⲥ
1	♃ Facies sapientiæ in responsis dandis & accipiendis	Vir throno insidens, alterâ manu librum tenens, imperantis actu alterâ	Natus Consiliarius & sapiens euadet	Iautus ⲓⲟⲩⲧⲟⲩ
2	♂ Facies pressuræ & laboris, quâ res acquiruntur	Vir onus ingens portans	Summam in acquirendis rebus difficultatem habebit	Cyclops ⲕⲩⲕⲗⲱⲯ
3	☉ Facies obliuionis omnium quæ iocos concernũt	Vir complicatis manibus terræ insidens	Omnium hilaritatum auersator	Titan ⲧⲓⲧⲁⲛ
1	♀ Facies iucunditatis, & amoris	Vir cytharam manu gestans in actu saltantis	Amoris operibus laxabitur	Apollun ⲁⲡⲟⲗⲗⲱⲛ
2	☿ Facies iucunditatis, hilaritatis, diuitiarum, voluptatum	Vir κεισμοφόρος Arietis forma spargens flores	Iucundam in voluptatibus vitam ducet	Hecate ⲉⲕⲁⲧⲏ
3	☽ Facies rixarum, & contrarietatis	Figura canem iracundum loro ducens	Rixator & refractarius euadet	Mercophta ⲙⲉⲣⲕⲟⲫⲧⲁ
1	♄ Facies crudelitatis, maleficiorum, audaciæ	Figura humana Crocodilum inequitans	Crudelem & belluinam naturam fortietur	Typhon ⲧⲩⲫⲱⲛ
 2	♃ Facies rixarum & præliorum	Figura gladio minax	Contentiosam vitam ducet	Peroes ⲡⲉⲣⲟⲉⲥ
3	♂ Facies amoris, & societatis non cedendi rixis	Figura fœminea speculo sibi complacens	Socialem vitam amabit	Nephthe ⲛⲉⲫⲑⲏ

	1	☼ Facies agriculturam respicit, congregationis diuitiarum in malum vsum	Figura manipulum spicarum manutenens, altera vitulum ducens	Agriculturæ operibus diuitias multas colliget.	Isis ICIC
	2	♀ Facies amor congregandi diuitias, ex vilibus ad alta assurgere	Vir formicæ operationes obseruans	Inclinabitur ad quæuis alta per diuitias comparanda	Piosiris ΠΙΟCΙΡΙC
	3	☿ Facies seruitutis, debilitatis, pigritiæ	Vir incuruatus, testudinē lutariam manutenens, altera baculo innixus	In debilitate senili morietur	Cronus ΚΡΟΝΟC
	1	☽ Facies iustitiæ, iuris, & veritatis	Vir libram gestans manibus, & radium mensorium	Iustitiæ, omniumque virtutum custos euadet	Zeuda ζευδὰ
	2	♄ Facies quietis, veritatis, & vitæ tranquillæ ac securæ	Vir dormiens in sinu Virginis	Tranquillam & securam vitam aget	Omphta ΟΜΦϮ
	3	♃ Facies gulæ, auersæ Veneris, malorum saporum gustus	Vir cum porco & scarabæo	Gulæ, & abominandæ libidini subiectus erit	Ophionius ΟΦΙΟΝΙΟC
	1	♂ Facies discordiæ, tristitiæ, perditi amici, insidiarum	Vir equo insidens, in cuius capite Otis seu Noctua	Melancholicā & discordijs plenam vitam aget	Arimanius ἀριμάνιος
	2	☼ Affectus ad malum in omnes tentandum	Figura fœminea manu cornicem gestans	Peruersissimus imaginator euadet	Merota ΜΕΡΩϮ
	3	♀ Bellorum, & ebrietatis, violentæ fornicationis	Figura Hippopotami	Ebrietati, luxuriæ, omnibusque vitijs scatens	Panotragus πανοτράγος

Au-

	1	☿ Audaciæ, libertatis, & militiæ	Vir scuto & gladio terribilis	Audax erit, libertati & militiæ deditus	Tolmophta ⲧⲟⲗⲙⲟⲫⲧ
	2	☽ Timoris, ploratus, & timoris de corpore	Figura sub forma hominis sedentis, manu caput fulcientis, cum lepore in sinu	Timidam & facilè perturbabilem complexionem habebit	Tomras ⲧⲟⲙⲣⲁⲥ
	3	♄ Sequelæ propriæ voluntatis, & machinationis circa horrenda	Fœmina, cuius caput serpentibus inuolutum	Libertinam vitam sectabitur, horrendorum machinator	Teraph ⲧⲉⲣⲁⲫ
	1	♃ Gaudij, recreationum, lucri vilis	Fœmina sedens, cui Pan Syringam porrigit	Recreationibus, & lucris vilissimis animũ intendet	Soda ⲥⲱⲇⲁ
	2	♂ Postulandi res, quæ fieri non possunt	Fœmina in pertusum vas aquam fundens	Res quas desiderabit, nullum exitum sortientur	Riruphta ⲣⲓⲣⲟⲩⲫⲧ
	3	☉ Cupiditatis gubernandi, & suspicionis	Vir canem, sceptrum, & coronam manibus gestans	Ambitiosi regimini substabit, cum maxima zelotypia	Monuphta ⲙⲟⲛⲟⲩⲫⲧ
	1	♀ Anxietatis, lucri, inquietudinis, paupertatis	Vir nudus sub forma currentis extensis manibus	Anxium animũ habebit, vilem, & pauperem	Brondeus ⲃⲣⲟⲛⲇⲉⲩⲥ
	2	☿ Formæ, vultus, magnitudinis, & modestiæ	Figura Apollinis sedentis formâ iuuenili, cytharam tenentis	Insigni corporis & animi forma præstabit	Vucula ⲃⲟⲩⲕⲟⲩⲗⲁ
	3	☽ Amor vindictæ, & rependendi malum.	Vir mordens digitos	Vindictas omnibus modis sectabitur	Proteus ⲡⲣⲟⲧⲉⲩⲥ

1 	♄ Incuriæ, & naturæ vagabundæ, & instabilis	Vir Simiam sinu fouens	Incurius, vagabundus, & instabilis in omnibus	Rephan ⲣⲉⲫⲁⲛ
2	♃ Æstimationis sui de rebus magnis & altis	Vir ambulans super nubes	Superbus, iactator, & gloriæ mirùm appetens	Sourut ⲥⲟⲩⲣⲟⲩⲧ
3	♂ Fornicationis & libidinis, amoris voluptatum auidus	Vir hircum ducens	Epicuream vitam ducens	Phallophorus ⲫⲁⲗⲗⲟⲫⲟⲣⲟⲥ

De duodecim Domibus.

AEgyptij necdum tam operoso Astrologicæ scientiæ apparatu contenti, miros quosdam effectus, quos Astra tam fixa, quàm erratica in certis cœli plagis efficiebant, notarunt. Alium enim pro natura stellarum sub ortum, alium sub occasum, alium in medio cœli, alium in mediæ noctis puncto, alium denique in intermedijs locis, tam supra, quàm infra Horizontem, præstabant. Hinc cœlum iuxta diuisionem iam antè in Zodiaco peractam, alia diuisione in duodecim interualla, quorum sex supra, & totidem infra Horizontem erant, quæ & ⲁⲑⲗⲁ, siue Ligaturas, domus, mansiones Deorum nominabant, dirimebant. Atque in hisce domibus diligentissimè situm tùm signorum Zodiaci, tùm planetarum, eorundemque ad inuicem configurationes, oppositiones, coniunctiones, respectusque trigonos, tetragonos, sexagonos, platicos, partiles explorabant; & sic tandem de sorte, fortuna, natura, infortunio, de totius denique humanæ vitæ statu dijudicabant; tempestates, sterilitatem, pestem, annonæ bonitatem prædicebant, & de similibus in hunc vsque diem ab Astrologis vsurpatis. Et nè solis dictis cœli plagis, stellarumque virtutibus ea attribuere viderentur, singulis domibus suos præterea Genios componentes, dominantes, ædificantes, destruentes, benignos, maleficos attribuerunt; quorum potestati, arbitrioque omnia commissa esse à supremo rerum dominatore. Hinc vti infaustos contrariorum aspectus summopere metuebant, ita beneficos sympathicorum Numinum affluxus summis votis exoptabant; vtrosque verò inspecto & examinato themate quopiam, præuijs sacrificijs & cæremonijs appropriatis, vt suo loco & tempore dicetur, maleficos quidem, nè noxam inferrent, beneficos, vt eos propitios redderent, atque in suam sortem attraherent, placare summis precibus contendebant. Sed omnia hucusque dicta verbis Sexti Empyrici ea admodum graphicè describentis comprobemus. *Imprimis er-*

Sextus Empyricus.

go

go ab eis ponitur, quò terrena consensionem, quam sympathiam vocant, habeant cum cœlestibus, & ex illorum influxibus ea semper innouentur.

Terrenorum hominum mens & sententia talis
Esse diem vult, qualem hominum Pater atque Deorum.

Qui id quod nos ambit, curiosiùs suspexerunt Chaldæi, dicunt quidem septem stellas tenere rationem causarum agentium in vnumquodque eorum, quæ in vita accidunt; adiuuare autem partes Zodiaci. Atque Zodiacum quidem circulum, vt accepimus auditione, diuidunt in duodecim animalia; vnumquodque autem animal in partes triginta (de hoc enim in præsentia cum eis conueniat); *vnamquamque autem partem in sexaginta minuta.* (ita enim vocant quæ sunt minima & indiuidua.) *Animalium, quæ vocant* ζώδια, *id est, animalcula, alia quidem appellant masculina, alia autem fœminina; & alia quidem bicorporea, alia verò non; & alia quidem solida, alia verò* τροπικὰ, *id est, mutatoria. Atque masculina quidem vocant, & fœminina, quæ adiuuantem habent naturam ad generandos masculos & fœminas; Aries enim est signum masculinum, Taurus autem fœmininum; Gemini masculinum, & vicissim reliqua ex simili analogia, alia quidem masculina, alia verò fœminina. A quibus moti, vt arbitror, Pythagorei, vnitatem quidem appellant masculum, binarium verò fœminam, ternarium autem rursus masculum, & simili prorsus proportione & analogiâ cæteros pares & impares numeros. Nonnulli autem vnumquodque etiam animal diuidentes in duodecim partes, eâdem ferè vtuntur viâ ac ratione, vt, in Ariete primam quidem duodecimam eius partem appellant & Arietem, & masculum; secundam autem Taurum, & fœminam; tertiam autem Geminos, & masculum. Bicorporea autem dicunt esse animalia, Geminos, Sagittarium, Virginem, Pisces; non bicorporea autem reliqua. Et tropica quidem, seu mutatoria, in quibus cùm Sol fuerit, transmutat & facit ambientis aëris conuersiones; huiusmodi sunt signa Aries, & ei oppositum Libra, vti & Capricornus & Cancer; nam in Ariete quidem verna fit conuersio, in Capricorno autem Hyemalis, in Cancro Æstiua, in Libra Autumnalis. Solida autem existimant Taurum, & ei oppositum Scorpium, Leonem, & Aquarium. Verumenimuerò horum quoque omnium ea quæ in vnoquoque ortu dominatum obtinent signa, ad euentum eorum, quæ perficiuntur* (quæ quidem dicunt ἀποτελέσματα, & ex quibus maximè faciunt prædictiones) *dicunt esse numero quatuor, quæ communi quidem nomine appellant centra, proprio autem aliud quidem Horoscopum, aliud autem* Μεσουράνημα, *hoc est, medium cœli, aliud autem* ~~*Occidens*~~, *aliud autem subterraneum &* ἀντιμεσουράνημα, *hoc est, situm ex aduerso medij cœli, quod ipsum quoque est cœli medium. Atque Horoscopus quidem est id quod contigit oriri eo tempore, quo perficiebatur Ortus; Medium autem cœli, quartum quod ab illo est signum; Subterraneum est situm ex aduerso medij cœli, quod medio cœli est aduersum ex diametro, vt* (exemplo enim fiet clarum) *si Cancer sit Horoscopus, in medio quidem cœlo est Aries, occidit autem Capricornus, sub terra autem est Libra. Verumenimuerò vniuscuiusque horum centrorum animal quidem seu signum præcedens vocant* ἀπόκλιμα, *hoc est, declinationem; quod autem sequitur,* ἐπαναφορὰν, *hoc est, relationem; iam verò id quidem quod sequitur animal*

De 12 domicilijs cœlorũ.

Centrum domuum.

Medium cœli

Horoscopus quis.

ἀπόκλιμα & ἐπαναφορὰ quid.

mal illud seu signum quod est in Horoscopo, si sit in aperto, appellant mali Dæmonis; quod est autem postea (sequitur autem id quod est in medio cœli) boni esse dæmonis; quod autem præcedit id, quod est in medio cœli, κατωμοιρίδα, hoc est, inferiorem portam vocant, & μονομοιρίαν, id est, vnicam sortem & Deum; quod autem venit ad Occasum, otiosum animal, seu signum & principium mortis; quod autem est post Occasum, nec est apertum, pœnam, & malam fortunam; quod quidem situm est ex diametro ex aduerso mali Dæmonis. Quod autem venit sub terram, bonam fortunam; quæ per diametrum sita est ex aduerso boni Dæmonis. Quod autem recedit ab eo, quod est ex aduerso medij cœli versus Orientem, Deam ex diametro Deo aduersum. Quod autem Horoscopum sequitur, Otiosum, quod rursus Otioso aduersatur ex diametro. Aut vt dicamus compendiosius: Signi quod est in Horoscopo, declinatio quidem vocatur malus Dæmon; Epanaphora autem, Otiosum. Eodem modo autem eius quod est in medio cœli declinatio quidem Deus; Epanaphora autem bonus Dæmon. Similiter autem eius quoque quod est situm ex aduerso medij cœli, declinatio quidem vocatur Dea; Epanaphora autem bona fortuna. Similiter Occidentis declinatio quidem mala fortuna; Epanaphora autem Otiosum. Existimant autem hæc non leuiter, & veluti aliud agendo esse examinanda: censent enim stellas non eandem vim habere ad malè vel secus faciendum, si considerentur in centris, & in anaphoris, & in declinationibus, sed alicubi quidem efficaciorem, alicubi verò minus efficacem. Fuerunt etiam quidam Chaldæi, qui vnamquamque partem humani corporis attribuerunt vnicuique signo, vt quæ cum illo haberet consensum, & cum eo afficeretur. Nam Arietem quidem caput nominant, Taurum autem collum, Geminos autem humeros, Cancrum autem pectus, Leonem verò latera, Virginem autem coxendices, Libram ilia, Scorpium pudendum & matricem, Sagittarium femora, Capricornũ genua, Aquarium autem tibias, Pisces autem pedes, vt in figura patet.



Idque rursus, non vt ipsi putant, sine ratione; sed quoniam si fuerit aliqua stella in aliquo horum signorum in ortu maleficorum, efficit mutilationem eius partis, quæ est eiusdem nominis. Atque hæc quidem summatim ostensa sint de natura eorum, quæ sunt in Zodiaco circulo. Non absurdum autem fuerit etiam deinceps de [illegible]

rum

rum diuisione nonnihil dicere. Nam cùm non esset certa animaduertendi & inspiciendi ratio, quòd non contemplarentur signa ex propria circumscriptione, sed septem dispersarum stellarum obseruatione; venit eis in mentem in duodecim partes totum diuidere circulum. Ostendentes enim viam ac rationem, dicunt quòd cùm Veteres obseruassent vnam quandam lucidam stellam ex ijs quae sunt in circulo Zodiaco, & deinde perforatam amphoram aquâ implèssent; siuerunt fluere in alterum vas subiectum, donec eadem stella oriretur, coniectantes ab eodem signo ad idem signum fuisse circuli circumuolutionem. Rursus sumpserunt duodecimam partem eius quod fluxit, & considerârunt quanto tempore hoc fluxerit: dicebant enim tanto rediisse duodecimam partem circuli, & eandem habere rationem reuersam partem ad totum circulum, quantum habet pars aquae quae fluxit ad totam aquam. Ex hac inquam relatione duodecimae partis signabant vltimum finem ab aliqua insigni stella, quae eo tempore spectabatur, aut ab aliqua ex ijs, quae simul oriebantur magis Boreales, aut magis Australes. Hoc ipsum autem faciebant etiam in alijs duodecim partibus; sed via quidem & ratio, per quam in tot partes Zodiacum diuidunt circulum, est huiusmodi. Analogiâ autem ac proportione ei videtur conuenire illa, per quam vniuscuiusque ortus Horoscopum ab initio obseruârunt Chaldaei. Noctu enim, inquit, sedebat Chaldaeus in alto aliquo promontorio stellas spectans; alius autem assidebat parturienti donec peperisset: cùm primùm autem peperisset, id significabat Magistro, qui erat in promontorio; is autem cùm audijsset, obseruabat ipse quoque signum quod oriebatur tanquam Horoscopum. Interdiu autem attendebat Horoscopos & motus Solis. Sed haec quidem ex signis. Ex stellis autem alias quidem dicunt esse beneficas, alias verò maleficas, alias autem communes: vtpote beneficas quidem stellas Iouis & Veneris, maleficas autem Martis & Saturni, communem autem Mercurij, quoniam cum beneficis quidem sit benefica, cum maleficis autem malefica. Alij autem easdem stellas, prout est alia & alia habitudo, aliquando quidem beneficas, aliquando verò maleficas esse existimant. Nam praeter signum, aut praeter aliarum stellarum ad eas aspectus ac figuras, neque malefica est omninò malefica, neque benefica omninò benefica. Caeterùm septem quidem stellis arbitrantur praeesse Solem & Lunam, minorem autem his vim habere ad eorum, quae efficiuntur euentus, quinque reliquas. Quam ob causam Ægyptij Regi quidem & dextro oculo Solem assimilant; Reginae autem & sinistro oculo Lunam: lictoribus autem ac satellitibus quinque stellas: reliquo autem populo alias inerrantes. Et ex quinque cum Sole quidem conuenire, & ei opem ferre dicunt Saturnum, & Iouem, & Mercurium: quos etiam vocant diurnos, propterea quòd Sol, cui dant auxilium, ijs dominetur quae gignuntur interdiu. Easdem autem stellas maiorem vim habere, aut quòd sint in proprijs domibus, aut in altum elationibus, aut terminis, aut quòd aliquae ab aliquibus stipentur tanquam satellitibus: aut quòd se inter se aspiciant, & inter se certas suscipiant figuras, aut quòd sint in centris. Vt ipsi autem censent, Solis quidem domus est Leo; Lunae autem Cancer; Saturni autem Capricornus, & Aquarius; Iouis Sagittarius, & Pisces; Martis Aries, & Scorpius; Veneris Taurus, & Libra; Mercurij Gemini, & Virgo. Stellarum autem vocant in altum elationes, & similiter depressiones, aut abiectiones, ea quibus delectantur, aut in quibus vim habent exiguam. Nam delectantur quidem in altum elationibus, exiguam autem vim habent in depres-

Qua ratione Antiqui dimensi fuerint Zodiaci reuolutionem.

Horoscopum quomodo Chaldaei obseruarint.

Stellae aliae beneficae, aliae maleficae, aliae communes.

Domus planetarum quae secundùm Antiquos. Planetarum exaltatio & depressio quae

depressionibus seu abiectionibus. Vt, Solis quidem in altum elatio est Aries: exactè autem est & perfectè decima nona eius pars seu gradus. Depressio autem, signũ quod ei aduersatur ex diametro. Lunæ autem rursus in altum quidem elatio est Taurus: depressio autem, quod ex aduersò eius situm est ex diametro. Saturni Libra, Iouis Cancer, Martis Capricornus, Veneris Pisces, & eorum, vt dixi, depressiones, quæ sita sunt ex aduerso per diametrum eorum in altum elationum. Stellarum autem appellant terminos in vnoquoque signo; in quibus vnaquæque stella à quota parte ad quotam vsque partem potest plurimùm. De quibus non est leuis apud eos etiam in tabulis dissensio. Dicunt autem stipari stellas tanquam à satellitibus, quando sunt in medio aliarum stellarum, in continuatione signorum: vt si eiusdem signi alia quidem stella teneat primas partes, alia autem vltimas, alia autem intermedias, tanquam à satellitibus stipari dicitur quæ est media, ab ijs quæ tenent eas partes quæ sunt in extremis. Se autem inter se dicuntur aspicere & inter se conuenire, quæ apparent in figura triangula, aut quadrata. Atque triangula quidem conformantur figura, & se eà inter se aspiciunt stellæ, quæ trium signorum spatium habent interiectum; quadrata autem, quæ duorum. Et videtur quidem in triangula, benefica malefica in figura conformata, beneficio afficere, & esse magis benefica. Beneficæ autem benefica hoc solum: & malefica maleficæ. In centris autem esse dicuntur, quæ cernuntur in aliquo ex centris, aut sub Horoscopo, aut sub medio cœli, aut sub occasu, aut eo quod situm est ex aduerso medij cœli. Sed cùm hæc sic sint à nobis simpliciter & crassè exposita, priùs sumendum est, quòd his moti Chaldæi proferunt prædictiones eorum quæ sunt euentura, quæ vocant apotelesmata. Est autem eorum differentia: nam alia quidem sunt simpliciora, alia autem accuratiora. Et simpliciora quidem, quæ fiunt ex signo, aut ex simplici ac sola vi stellæ: vt quod hæc stella, cùm fuerit in hoc signo, tales efficit. Accuratiora autem, quæ fiunt per concursum, & vt ipsi dicunt, per multorum contemperationem: vt si alia quidem sit in Horoscopo, alia autem in medio cœlo, alia autem sit in eo quod est ex aduerso medij cœli, aliæ autem sic vel sic se habeant, hæc euenient.

Planetarum termini qui.

Planetarum aspectus seu configurationes.

Atque hæc est Sexti Empyrici de duodecim cœli domicilijs sententia; à quo tamen Ægyptij plurimùm discrepant; quod vt pateat, paulò altiùs ordiri visum est.

Ægyptij cœlum diuidunt in 12 mansiones.

Cœli in duodecim mansiones diuisi inuentum est Ægyptiorum, vti suprà ex varijs Authoribus ostensum fuit; quemadmodum enim Zodiacum in duodecim domicilia quas arces vocabant, & quas Sol annuo decursu perambulabat, ita & domus cœlestes pariter dispertiebantur, hoc tamen pacto, vt vnius diei naturalis spacio vnamquamque Sol cum asseclis suis Luna, planetis, stellisque perambularet. Cùm enim quouis tempore vnus ex Zodiaci gradibus Horizonti immineret, consequens erat, vt & reliqui Zodiaci signorũ gradus etiã in aliqua ex duodecim mansionibus, quod & de planetis, & stellis dicendum, reperirentur. Cùm prætere aliæ & aliæ domus alijs & alijs luminis & caloris influxibus paterent; hinc recenter Natum quempiam varijs quoque impressionibus pro domus vniuscuiusque qualitate notari credebant; quod quidem totius Genethliacæ artis fundamentum. Et primò quidem quatuor potissimùm cardines, in

in quibus magna vis & potestas influxuum lateret, considerabant, atque hæc κέντρα centra Græci, Ægyptij ⲛⲓⲙⲟⲛⲏ praecipuas Deorum mansiones vocabant; recentiores cuspides seu angulos vocant, reliqua verò intermedia spatia topos, quorum cùm octo essent, ἐκτὸς τόπους appellabant, ex quibus quatuor ἀποκλίματα, id est, loci deiecti seu pigri, reliquæ quatuor παναφοραὶ, id est, succedentes. Κέντρα γινέσεως seu cuspides quatuor cardinum sunt in sequenti figura ὡροσκόπος seu ἀνατολή. Secundò μεσουράνημα seu medium cœli, Tertiò δύσις, Quartò ἀντιμεσουράνημα siue imum cœli. Cur autem in quadrantibus inceperint, hæc est ratio: imaginabantur Veteres circulos duos magnos transeuntes per polos Mundi, quorum vnus est meridianus, alter ducitur per punctum Eclipticæ, scilicet in contactu Horizontis ortiui, & in opposito puncto Horizontis occidui, interfecans meridianam ad polos Mundi; hisce duobus circulis Zodiacus in quatuor quadrantes diuiditur, atque adeo statim obuia fiunt centra cardinum; quorum primum ex parte Horizontis ortiui ὡροσκόπου σημεῖον, signum videlicet ascendens tempore geniture; Secundum μεσουράνημα; quartum ab eo signum; Tertium δύσις, occiduum, septimum ab Horoscopo signum; & quartum denique oppositum τῷ μεσουρανοῦντι. Exempli gratia; Ariete horoscopante, in medio cœli est Capricornus, occidit autem Libra, in imo cœli Cancer est; & sic facilè in sphœræ armillaris dispositione reperiebant gradum dicta hora Horizonti applicatum. Hos quatuor quadrantes quatuor hominum ætatibus Veteres attribuebant. ita Demophilus Græcus Author; Ο μὲν ὡροσκόπος δηλοῖ τὴν πρώτην ἡλικίαν, τὸ μεσουράνημα τὴν μέσην, ἡ τε δύσις τὴν τελευταίαν, τὸ δὲ ὑπὸ γῆν κέντρον τὸν θάνατον, καὶ τὰς μετ' αὐτὸν γινομένας δόξας, καὶ ἀδοξίας. *Horoscopus quidem manifestat primam ætatem, id est, puerilem; medium cœli mediam, id est, statam ætatem; occidens verò perfectam, id est, senilem ætatem; hypogæum verò decrepitam, qui & mortem adfert, & quæ post ipsam sunt gloriæ & infamiæ opera.* Alij tamen Authores aliter quadrantes quatuor ætatibus applicabant: nam à prima ad decimam domum quadrantem pueritiæ adscribunt, eumque vocant ἀπηλιωτικόν; Secundum verò huic oppositum à quarta ad septimam domum, ἀντἀπηλιωτικόν vocabant; senectæ congruum; Tertium ab occidente ad medium cœlum, λυβικὸν dicebant, & iuuentuti seu virilitati applicabant; Quartum deniq; ἀντιλυβικὸν dictum, ab Horoscopo ad imum cœli deductum, morti vicinæ ætati applicabant. Porrò operationes, quas duodecim domicilia significant, ἆθλα vocantur à Veteribus; ita Manilius.

> *Has autem facies rerum per signa locatas*
> *In quibus omnis erit fortunæ condita summa,*
> *Athla vocant Græci.* — *Manilius.*

Et cùm nullus Astronomorum recentiorum rectè intellexerit hanc vocem ἆθλον, nostrarum partium esse ratus sum hic genuinam eius significationem aperire. Loca fortunæ Hebræi veteres vocant, teste Auenar, חתלות *Chatboloth*, id est, *ligaturas*, à verbo חתל, quod idem est ac *ligare*, & sumuntur

tur quoque pro amuletis, collo puerorum appendi solitis. Dicuntur itaque Ligaturæ, quia nullum rectum iudicium institui potest, nisi omnia fortunæ lora aptè inter se combinentur & se veluti ligent, & inuicē complectantur; vnde Græci audientes has voces *Chatholoth*, ἆθλον ipsis suppositum retinuerunt. Sunt autem 12, iuxta dodecapartitam cœli faciem, & distinguuntur à locis genituræ: aliud enim est thema γενέσεως, aliud Athlorum thema; illud naturam, hoc actiones notat. In genitura prima domus est Horoscopi, in actionibus seu Athlis est sors fortunæ, & nouæ actiones exoriuntur & constituuntur, sortem enim fortunæ tanquam Ducem sequuntur: nam in genitura τὰ ἐντὸς intrinsecè, in Athlis τὰ ἐκτὸς, id est extrinsecè considerantur; atque horum Horoscopus dominans est, illorum sors fortunæ. ita Hermes Ἐν καρπῷ τὰ σωματικὰ τῷ ὡροσκόπῳ, τὰ ἐπίκτητα τῷ κλήρῳ τύχης, τὰ ψυχικὰ τῇ σελήνῃ, τὰς πράξεις μεσουρανήματι subijcit. *Corporea quidem Horoscopo veluti dies, & possessiua sorti fortunæ, spiritalia Lunæ, praxes verò medio cœlo.* Porrò quæ à Veteribus ἆθλα dicuntur, ea ab Arabibus dicuntur الوجي, id est, facies. Hisce iam expositis omnia hucusque dicta ad Veterum mentem in sequenti 12 cœlestium domorum figura contemplare; in qua quidem figura duodecim cœli domiciliorū, singulis domibus primò apposuimus denominationem Ægyptiacā illius domus, quas ipsi ⲡⲓⲕⲟⲗⲉⲕ id est, mansiones vocant; deinde in interioribus domibus primo semper loco Genios tutelares singularum posuimus, & primam quidem domum Hermanubis, id est, Mercurij domum iuxta veterum mentem denominauimus; Secundam Typhonis domum; & sic de cœteris, quæ sequuntur denominationes Græcanicæ; & deinde Athla, id est, significationes operationum, quæ in singulis perficiuntur; in exteriori verò limite ἀποτελέσματα & epanaphoras singularum adiecimus; in interiori verò quadrato quatuor Mundi partes cuspidibus correspondentes adiecimus; in medio denique hieroglyphicum Schema quatuor Geniorum Mundi, à quibus potissimùm sors fortunæ dependebat, exhibuimus; quos serpens ambit tùm annuæ, tùm diurnæ circumuolutionis symbolum, quibus & dicta Numina præesse credebantur; in medio verò litera ⲡ portam Mundanam signat, per quam Sol & Luna per ⊙ & ☾ signati procedentes omnia fœcundo motu suo animant. Verùm cùm hoc hieroglyphicum in sequentibus fusiùs simus expositurì, hic eius interpretationi diutiùs inhærere noluimus. Lector peritus vel ex ipso Schemate mentem meam circa duodecim mansionum cœli dispositionem meliùs assequetur, quàm ego vel longissimis discursibus præstiterim.

Hermes.

ΔΩΔΕΚΑΤΟΠΟΣ

Siue XII. Mansiones Cœli, iuxta mentem Aegyptiorum, Græcorum, & Modernorum.



Consectarium.

IN hac figura primò vides duplex hemisphœrium, superius, & inferius, in duodecim æquales partes diuisum, quas topos seu mansiones appellabant. Atque in quatuor quidem cardinibus, Orientis, Meridiei, Occidentis, & Imi cœli, quatuor ponebant veluti præsides, & totius fortunæ arbitros; in reliquis angulis, quos ab octonario numero octotopos vocabant, partim beneficos, partim maleficos principalium Geniorum tutelarium asseclas ponebant. Præterea singulis domibus certas quasdam rerum ad fortunam spectantium sortes tribuebant. Hoc pacto Mercurium primæ domui vitæ, & constitutionis corporeæ, & quæcunque ad mores formandos spectant, præesse credebant; verbo, singula quæ quouis modo in omnibus naturæ Classibus Mercurialia sunt, & per analogiam quandam ad bona fortunæ, diuitias, honores, vitæ diurnitatem, robur, & pulchritudinem corporis reuocari poterant, reducebant. Pariter IV domui noctis demersæ profundò Rephan seu Saturnum præesse volebant, omnibusque naturam Saturninam redolentibus. Decimæ domui, seu medio cœlo Aphroditen seu Nephten vnà cum Ioue præponebant; quam ideo & domum dignitatis, honoris, Regiæ fœlicitatis appellabant. Septimæ denique domui, Occidentis angulo, domui mortis Typhonem dominari credebant. Cœteris verò octotopis singulis Genios, naturasque illis conuenientes attribuebant, vt ex figura patet.

Applicatio & vsus prædictorum in Astrologico negotio, eorumque confutatio.

CVm mentis oculos continuò in cœlestium motuum ordines intentos haberent, variosque influxus à supremi cœlorum habitaculi Prælidibus per intermedios planetarum choros in vltima Elementaris Mundi seminaria deduci notarent; mutationes verò indies ex continuo cœlorum siderumue motu emanare viderent; Zodiacum planetarum expanso, hisque domos, mansionesque hoc pacto adaptarunt, vt vel ex ipso Systemate, qualitatum, influxuumque aut amicorum, aut inimicorum occursum perciperent. Si enim in domo felicis fortunæ felices & beneficos Præsides reperirent hora nati, felicem quoque eum ex tot bonis conspirantibus pronunciabant; sin beneficos cum maleficis domui alicui dominari comperirent, talem fortunæ sortem & natum assecuturum pronunciabant; sin denique maleficos cum maleficis in domo aliqua coniungi deprehenderent, natum iniquæ & infelici sorti subiectum fore opinabantur. Summo itaque studio quatuor cardines notabant, & quem ad inuicem Præsides Genij situm haberent, explorabant. Quòd si inimicum occursum comprehenderent alicubi, summis continuò precibus, sacrificijs, cœremonijsque maleuolos Genios, nè nocerent; bonos, vt in bonorum affluxu perseuerarent, placare contendebant. Atque hoc modo non tantùm circà Nati fortunam, sed in ijs, quæ sterilitatem, & fertilita-

lita-

litatem agrorum, incrementum & decrementum Nili, medicas electiones, itinerum, negotiorumque auspicia concernebant, procedebant. Totam siquidem fœlicitatem & infœlicitatem humanam, ex Geniornm arbitrio dependere apprimè se nôsse somniabant. Vide quę de huiusmodi plura adduximus in Cabala Astrologica tùm Hebræorum, tùm Saracenorum. Cur verò Ægyptij domus tali ordine, & talibus significationibus, & promissis adornauerint, explicat in Astrologia sua Hebraicè conscipta Auenar, quem vide; cùm enim omnia huiusmodi Ægyptiorum deliramenta iam dudum ab Ecclesia orthodoxa, tanquam animarum pernicies & exitium proscripta sint; minimè quoque expedire indicaui, rem fusioribus verbis apud Arabes & Hebræos Authores descriptam hoc loco adducere.

CAPVT VI.

De 48 Asterismis, siue Mansionibus Deorum ἀντιτέχνων.

ITa hominum conditioni comparatum est, vt mox ac abstrusa & exotica quædam intuentur, in admirationem rapiantur, rapti latentium causarum rationes scrutentur. Quod vel maximè Ægyptijs vsu venit. Habitantes hi sub perpetua cœlestis serenitatis facie, dum innoxijs nocturni temporis vigilijs ordinatissimos illos Astrorum exercitus, intenta mentis, oculorumque acie assiduò contemplarentur, stupore quodam impulsi, fieri non posse sibi persuasêre, aut otiosum esse illud, quod tantis nuntiaretur ostentis, aut infructuosum, quod tam mirificis effectibus in inferiori Mundo cuncta irradiatione suâ compleret. Hinc præmissis multorum annorum obseruationibus, cœlum stelliferum vniuersum in certas quasdam Classes diuiserunt, quas Deorum mansiones primò Ægyptij, deinde Græci Asterismos seu Iconismos nuncuparunt. Primò siquidem duodecim Deorum principalium choros Zodiaco inclusos, tanquam Vniuersi moderatores, vt suprà visum est, vtpote à quorum arbitrio & dispositione omnes inferioris Mundi bonæ malæuè fortunæ sortes dependerent, vnicè coluerunt. His vtrimque tam in Boreali, quàm Australi hemisphœrio, veluti subsidiarias quasdam Deorum cohortes, in varia officia distributas adiunxerunt; in Boreali quidem Typhonis regno, austeras quasdam, & vt cum Zoroastro loquar, implacabiles quasdam potentias; in Australi verò Osiridis regno, humano generi beneuolas & summè fauentes, veluti Borealium inclementiæ & austeritati oppositas collocarunt, quorum antitechniâ & perpetuâ volitatione, bonorum, malorumque commistionis exorta sunt seminaria. Hinc vti ad malorum auerruncationem, Boreales summo studio placare contendebant; ita Austrinos quà sacrificijs, quà cœremonijs singulari industriâ institutis in suam custodiam attrahere conati sunt. Quæ omnia fusè suprà in tractatu de Mundi Systemâte hieroglyphico, vti & in Obelisco Pamphilio fol. 206. explicata sunt.

Stellatum in Asterismos diuisio facta ab Antiquis.

Asterismi 48. ab Ægyptijs inuenti.

Hoc itaque posito, Dico primò, primos omnium mortalium Ægyptios, cœlum in 48 imagines diuisisse, teste Hyginio. *Chaldaica*, inquit, *sunt, atque Ægyptiaca nota & imagines, quibus astra & planetæ ab Astronomis insigniuntur*. Diuisio autem apposite facta fuit, vt 24 sub Austro, totidemque sub Arcto ponerentur imagines; quas omnes Deorum stationes seu mansiones Deorum, vt diximus, vocarunt. Nam singulis imaginibus choragum quendam præponebant, cui reliquæ stellæ vnius & eiusdem asterismi veluti asseclæ iungerentur. Singulis autem certum quoddam rerum in inferiori Mundo contentarum præsidium assignabant, beatumque prædicabant qui catenas horum asterismorum, queîs in inferiori Mundo congruæ & correspondentes Classes connecterentur, cognosceret. His enim cognitis, difficile non putabant, Genios vnicuique rei congruos, in suam rem, quà sacrificijs, quà varijs compositionibus, ex dictis rerum naturalium classibus assumptis, per consuetos ijs ritus attrahere bonos, malignos depellere. Nam vt rectè Ptolomæus; *Sunt enim vultus huius inferioris Mundi subiecti vultibus cœlestibus*. In medio autem horum Numinum, Mithram, quem & Μεσίτης, hoc est, Mediatorem ponebant, id est, Solem, qui veluti Dux & supremus cœlestis Mundi Monarcha cum reliquo planetarum comitatu nunc in Austrum, nunc in Boream remeans, subsidiarias dictorum Numinum copias quotannis interuisens, singulos confortando ad mundanæ œconomiæ conseruationem virtute suâ incitat. Quæ omnia in Obelisco Pamphilio fol. 157. cùm suis stabilita sint authoritatibus, eò Lectorem curiosum remittimus. Secuti sunt hos deinde Græci, qui imagines Ægyptiorum hieroglyphicas, quas non capiebant, in Deorum ab ipsis confictorum Iconismos conuerterunt, quibus & posteri in hunc vsque diem vsi sunt. Verùm vt primæuam cœli faciem ab Ægyptijs hieroglyphicè descriptam cum Græcorum Iconismis luculentius conferre possis, primò hoc loco vtrumque Hemisphœrium asterismis Græcorum insignitum ponemus, deinde Ægyptiorum quoque Iconismos posituri.

Deorum stationes seu mansiones quæ.

Μεσίτης.

Græci hieroglyphicas stellarum imagines conuerterunt in Deos.

Iconismi Græcorum Boreales. Signa Borealia 21.

I. Vrsa minor, Helice seu Cynosura; Arab. الركبة *Alracaba*; Græcè ἅμαξα, *Plaustrum*; Hebr. עש ובניה, *Gnasch Gallina cum filijs suis*, & continet stellas 21, occupatque ♊ ♋ ♌; naturæ Martis & Veneris.

II. Vrsa maior, Gr. ἅμαξα μεγάλη, *Currus maior*; Arab. الدب الاكبر *Dubbe ellekbar, Vrsa maior*; Hebr. הדוב גדול; Indis mare aureum. Continet stellas 57, & occupat ♋ ♌ ♍; naturæ Martiæ.

III. Draco, Gr. Δράκων, *Serpens, Python*; Arab. ثعبان *Taaban*; Hebr. תנין *Tanin, Anguis*. continet 32 stellas, & occupat ♐ ♑ ♒ ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍ ♎; naturæ Iouiæ cum Saturno.

IV. Cepheus, Græcis Κηφεύς; Arabibus قيفوس *Keiphus*; Hebræis מלהב בעלת, *Domina flammæ, Inflammatus*. continet stellas 13. & occupat ♓ ♈ ♉; naturæ Iouis & Saturni.

V. Boo-

V. Bootes, seu Arctophylax, *Plaustri custos*; Arab. الرمح *Elramech*; Hebr. כלב חנובה, *Canis latrans*. continet 29 stellas, & occupat signa ♍ ♎; naturæ Saturninæ & Mercurialis.

VI. Corona Borea, Gnosia; Arab. الكليل الشمالي *Elklail elschamali*; item الفكه *Elpheta*; Hebr. נזר שמאלי, *Corona sinistra*. continet 8 stellas, & occupat signum ♍; naturæ Venereo-Mercurialis.

VII. Engonasi seu Hercules; Græcis ὀκλάζων, *genuflexus*; Arab. الجاثي الركبة *elgeti elracba. ingeniculatum*, Hebr. נופל על ברכיו, *cadens super genua*. & 28 stellas continet, & occupat ♍ ♎ ♏ ♐; Martio-Mercurialis naturæ.

VIII. Lyra, seu Vultur cadens, Fidicula; Græcis χέλυς; Arabib. الهوره *Alahore*; Hebr. נזר חסופל, *ingeniculati psalterium*. continet stellas 11, & occupat signum ♑; naturæ Venereo-Mercurialis.

IX. Olor siue Cygnus, Gr. ὄρνις; Arab. الدجاجه *Eldegiagieh, Gallina*; Hebr. תרנגלת *Tharnigoleth, Gallina*. continet stellas 26, & occupat signa ♑ ♒ ♓ naturæ Venereo-Mercurialis.

X. Cassiopea, Gr. Θρόνος; Arab. الصدر ذات الكرسي *Sadar dat elkarsi, pectus ipsa est sedes*; Hebr. חושבה על כסא, *sedens super sedem*. continet stellas 26, & occupat signa ♈ ♉; naturæ Saturno-Venereæ.

XI. Perseus, Cyllenius; Arabibus راس الغول *Rasalgol*; Hebræis נושא את ראש השטן, *ferens caput Diaboli*. continet stellas 35, & occupat ♉ & ♊; naturæ Venereo-Saturninæ.

XII. Auriga, Heniochus seu Erichtonius; Arab. الممسك *Elsamak*. Hebr. הרועה שאוחז הרסן, *pastor tenens in manu frenum*. continet 27 stellas, & occupat signum ♊; naturæ Martio-Mercurialis.

XIII. Ophiuchus, seu serpentarius; Arab. الحاوي *Elhaui*, corruptè *elangui*; Hebr. אוחז חויה, *tenens serpentem*. continet stellas 24, & occupat signa ♏ ♐; naturæ Saturno-Venereæ.

XIV. Serpens Ophiuchi, Gr. ὄφις; Hebr. החויה *Hachaia*, *serpens*, idem Arab. الحيوان *Elhiuan*; continet stellas 13, & occupat signa ♏ ♐ ♑; naturæ Martio-Saturninæ.

XV. Sagitta, siue telum; Gr. ὀϊστός; Arab. السهم *Schaham*; Hebr. השטן, *Satan, Dæmon*. continet stellas 8, & occupat ♑ ♒; naturæ Martio-Venereæ.

XVI. Aquila seu Vultur volans, Gr. Ἀετὸς, seu Διὸς ὄρνις, *Iouis ales*; Arab. الطير *Altair*; Hebr. נשר *Nescher*. continet stellas cum Antinoo 19, & occupat signum ♑; naturæ Iouio-Martialis.

XVII. Delphinus, vector Arionis; Gr. Δελφίν; Arab. دلفين *Delphiny* Hebr. דג הים, *piscis maris*. continet stellas 10, & occupat signum ♒; naturæ Saturnino-Martialis.

XVIII. Equiculus, Gr. Τομὴ τοῦ ἵππου ἐλάσσονος, *sectio equi minoris*; Arab. الفرس الكبير *Alphares elnek*; Hebr. ראש הסוס, *caput equi*. continet stellas 4, & occupat signum ♒; naturæ Martio-Iouialis.

XIX.

XIX. Pegasus, seu equus alatus, Gr. ἵππος; Arab. الفرس *Alpharaso, equus*; Hebr. סוס בעל קרנים, *equus cornutus*. continet stellas 23; & occupat signa ♒ ♓ ♈; naturæ Martio-Mercurialis.

XX. Andromeda, Mulier catenata; Arab. امرأة المسلسلة *Emrat elmoschelseleth, vxor catenata*; Hebr. אשה שלא חיה לה בעל, *fœmina carens viro*. continet stellas 26, & occupat signa ♓ ♈ ♉; naturæ Venereæ.

XXI. Triangulus, Gr. Δέλτα, Δελτωτὸν, Τρίγωνον; Arab. مثلث *Motlatun*; Hebr. המשולש *Hammoschlusch, tripartitus*. continet 4 stellas; & occupat signum ♉; naturæ Mercurialis.

Cui additur coma Berenices, & continet stellas 14, & occupat signum ♍.

Signa Zodiaci.

XXII. 1. Aries, Gr. Κριὸς, Iuppiter, Ammon; Arab. الحمل *Elhammel*; Hebr. טלה *Teleh*. continet stellas 22, & occupat ♈ & ♉; naturæ Martio-Iouialis.

XXIII. 2. Taurus, Io, Isis, Apis; Gr. Ταῦρος; Arab. الثور *Altaur*; Hebr. השור *Heschor*. continet stellas 52; & occupat ♉ ♊; Martio-Venereæ naturæ.

XXIV. 3. Gemini, Gr. Δίδυμοι, Castor & Pollux, Apollo & Hercules; Arab. الجوزاء *Elgieuze*; Hebr. התאומים *Hatheomim*. continet 30 stellas, quæ occupant signa ♊ ♋; naturæ Martio Mercurialis.

XXV. 4. Cancer, Gr. Καρκίνος; Arab. السرطان *Elsartan*; Hebr. סרטן, *Sartan*. continet stellas 16, quæ occupant ♋ ♌; naturæ Saturno-Iouialis.

XXVI. 5. Leo, Arab. الاسد *Ellesed*; Hebr. האריה *Haarieh, Leo*. continet stellas 40, quæ occupant ♌ ♍; naturæ Saturnino-Venereæ.

XXVII. 6. Virgo, Gr. Παρθένος; Arabib. العذري *Elaadri*, vel السنبلة *Sanbalet, spica*; Hebr. הבתולה *Habetulah*, *Virgo*. continet stellas 41, quæ occupant ♍ ♎; naturæ Saturno-Martio-Mercurialis.

XXVIII. 7. Libra, Gr. Ζυγὸς; Arab. الميزان *Elmizan*; Hebr. מאזנים *Moznaim, bilanx*. continet stellas 20, quæ occupant ♏; Saturnino-Iouio-Martialis nat.

XXIX. 8 Scorpius, Gr. Σκόρπιος; Arab. العقرب *Akrab*; Heb. עקרב. continet stellas 24, & occupant ♏ ♐; naturæ partim ☿ & ♂, partim ♄ & ♃.

XXX. 9 Sagittarius, Gr. Τοξότης; Arab. القوس *Elkaus*; Hebr. קשת *Keschetb, Sagitta*. stellas habet 32, quæ occupant ♏ ♑; naturæ Iouio-Saturninæ.

XXXI. 10 Capricornus, Gr. Αἰγόκερως; Arab. الجدي *Elgiedi*; Heb. הגדי *Gedi*. continet stellas 28, occupant ♑ ♒.

XXXII.

XXXII. 11 Aquarius, Gr. Ὑδρόχοος; Arab. دلو *Dallu*; Heb. דלי *Dali, situla*. continet stellas 45, quæ occupant ♒ ♓.

XXXIII. 12 Pisces, Gr. Ἰχθύες; Arab. حوت *Haut*; Hebr. דגים *Dagim, Pisces*. continet stellas 40, & occupant signa ♓ ♈

Australia signa 15.

XXXIV. Cetus, Arab. القيط *Alkeit*; Hebr. אריה הים, *Leo marinus*; Gr. Πρίστις, ὄρφως; Lat. *Balena, pistrix*. continet stellas 25, & occupant ♓ ♈ ♉; naturæ Saturninæ & parum Venereæ.

XXXV. Orion, Ὠρίων; Arab. الجوزه والكبار *Elgieuze & Elkebar*; Hebr. הכלב הגבור, *canis fortis, bellator fortis*. continet stellas 62, quæ occupant ♊ ♋; naturæ Iouis & Saturni.

XXXVI. Fluuius, Eridanus, Nilus, Græc. Ποταμός; Arabib. نهر الاهرنار *Nahar alebarnar*; Hebr. נהר *Nahar, fluuius*. continet stellas 39, & occupat ♈ ♉ ♊; naturæ Saturni.

XXXVII. Lepus, Λαγώς; Arab. الارنب *Elarneb*; Heb. ארנבת *Arnebet*, Siculis Λέπορις. continet stellas 13.

XXXVIII. Canis maior, Syrius, Canicula; Arab. الهبر *Elhabor*; Hebr. כלב הגדול, *Canis maior*. continet stellas 29, & occupat ♊ ♋; naturæ Venereæ.

XXXIX. Canis minor; Gr. Προκύων; *Antecanis*; Arab. الجميزه *Elgiemeize*; Hebr. כלב הקטון, *Canis minor*. continet stellas 5, & occupat ♋; naturæ Martialis & Mercurialis.

XL. Nauis, Gr. Ἀργὼ ναῦς; Arab. مركب *Markeb*; Hebr. ספינה *Sephina, Nauis*. continet stellas 50, & occupat ♋ ♌ ♍; naturæ Saturninæ, & parum Iouiæ.

XLI. Hydra, Gr. Ὕδρος; Arabib. افعا *Aphaah*; Heb. חיה *Haia, serpens*. continet stellas 34, & occupat ♌ ♍; naturæ Saturninæ cum Venere.

XLII. Crater, Gr. Κρατήρ, κάλπη; Arab. الفون *Alphun*; Hebr. כוס *Kus, poculum*; continet stellas 8, & occupat ♍ ♎; naturæ Mercurialis cum Venere.

XLIII. Coruus, Gr. Κόραξ; Arab. الغرب *Elgorab*; Hebr. עורב *Corab, Coruus, Ales Phœbi*. continet stellas 7, & occupat ♎; naturæ Saturni & Veneris.

XLIV. Centaurus, Chiron, Θήρ; Arabibus البزه *Albeze*; Hebr. הנשאת האריה חצי צורת האדם וחצי צורת סוס, id est, *portans Leonem medius homo, & medius equus*. continet stellas 37, & occupat ♎ ♏; naturę Saturni.

XLV. Lupus, Gr. Θηρίον; Arab. الصدا *Esseda, leæna*; Hebr. נמר *Nemer*, id est, *Pardus*. continet stellas 19, & occupat ♏ ♐; naturę Saturninę cum Marte.

XLVI.

XLVI. Thuribulum, Θυσιαστήριον, *Altare*; Hebr. מקטרת, id est, *Thuribulum*. continet stellas 7, & occupat ♃; naturæ Veneris & Mercurij.

XLVII. Corona australis, Gr. Οὐρανίσκος, *Cœlum paruum*, *Rota Ixionis*; Hebr. חגור דרומית, *Corona australis*. continet stellas 13, & occupat ♄; naturæ Saturninæ & Martialis.

XLVIII. Piscis austrinus, seu Notius; Gr. ἰχθὺς μέγας, μονάζων, νότιος; Hebr. דג דרומי, *piscis meridionalis*. continet stellas 17, & occupat ♄ ♒.

Atque hæ sunt 48 Imagines, quibus Græci vniuersum cœlum, mysticis rationibus inducti, insignierunt; quas quidem, vt postea videbitur, ab Ægyptijs mutuatas, varijsque fabulis adornatas sui iuris fecerunt. Quæ porrò primæuæ illæ imagines, quibus Ægyptij cœlum cohonestarunt, fuerint, iam aperiamus.

CAPVT VII.

Quomodo, & cur Aegyptij Cœlum in 48 Asterismos diuiserint.

Ægyptij putabant Deos siue Genios inhabitare astra.

COelestes Deos seu Genios astra incolere, Ægyptiorum dogma est; horum enim virtute & efficacia inferiorem Mundum consistere putabant, non vi quadam propria influxiua astrorum, sed dispositiua Numinum, qui in astris ceu solio quodam regali considentes, virtute astrorum naturali veluti instrumento quodam vterentur ad inferiorum dispositionem. In singulis verò asterismis primarium quoddam Numen residere docebant, in reliquis verò stellis ad eundem asterismum pertinentibus, Genios residere principalis Numinis veluti asseclas & ministros, quorum virtus pyramidali quodam influxu, cuius basis in ipsius asterismi magnitudine, vertex in terræ centro desineret, credebant; hasque πύργους seu arces Deorum nominabant: totum enim quod intra huiusmodi pyramides continebatur, id eorundem potestati & dispositioni subiectum esse arbitrabantur. Et de duodecim Zodiaci Numinibus iam suprà Capite quinto fusè disseruimus; restat vt & de reliquis asterismis, quà boreis, quà austrinis, pari passu disseramus; quod vt maiori cum methodo fiat, primo loco dispositionem Iconismorum, secundùm ternas singulorum signorum facies, ex mente Auenaris Hebræi Astrologi, atque Indorum exhibere visum fuit.

Dispositio Iconismorum, qua Aegyptij ex mente Auenaris, singulorum signorum dodecamoria in tres facies subdiuiserunt, singulisque faciebus appropriatas Imagines attribuerunt.

VEteres Astrologi, vti in præcedentibus dictum fuit, Zodiacum in 12 signa, quas arces Deorum appellabant, partiti, vnumquodque

ex 12 signis in tres iterum partes distribuerunt, quas facies seu vultus, Moderni Decanos nuncuparunt; ita quidem, vt singulis faciebus denos gradus attribuerint. Hisce verò faciebus seu vultibus certos quosdam Iconismos seu imagines affinxerunt, quibus ratio influxus in tali & tali facie vigentis symbolicâ quâdam adumbratione exprimeretur: ex tali enim & tali facie ascendente, talem Nati conditionem futuram prædicebant, qualem symbolica imaginis constitutio expressisset. Quæ quidem imagines non tantùm in Zodiaco secundùm longitudinem concipiendæ sunt, sed & secundùm latitudinem eiusdem, ita vt Ex. gr. omnes illæ imagines, quæ intra eiusmodi Rhombum reperiuntur, quem binæ lineæ faciem quampiam terminantes, & in vtroque polo coëuntes, constituunt, ad illam, quam dictæ binæ lineæ terminant, faciem pertinere censeantur. Notandum quoque non exiguam inter hos iconismos, & asterismos, quorum 48 in cœlo Veteres constituebant, differentiam esse: Iconismi enim facierum iuxta Zodiaci latitudinem; asterismi verò iuxta æquinoctialis latitudinem considerabantur. Vnde dum hos cum illis Authores passim confundunt, maximæ inde perplexitatis occasionem dederunt. Quam quidem confusionem inde natam putem, quòd posteriores Ægyptij, alia & alia Schemata cœlo ingerentes, pristinisque iconismis nouos identidem superaddentes, vti totum cœlum paulatim innumeris monstrorum characterismis, ita posterorum Astrologorum animos summâ confusione repleruntt. Vt itaque huiusmodi syrtes vitaremus, primo loco & seorsim imagines facierum, prout eas R. Auenar, Beneka Indus, & Abenragel Arabs Ægyptiorum traditionem secuti, descripserunt, exhibebimus; deinde quoque 48 iconismos astriferos, quos vetusta Sapientum authoritas, veluti primordialis sapientiæ specimina, posteris consecrauit, pari passu exhibituri. Sic itaque dicit Auenar: R. Auenar; Beneka Indus. Abenragel.

ובטלה יעלה בפנים הראשונים ממנו צורת אשה היא
במאירה והדג מהים ברמות צפעה וראש משלוש:

1 *Et in Arietis prima facie oritur mulieris figura quasi igne corusca, & piscis ex mari in similitudinem serpentis, & caput trianguli seu* Δέλτα *in secunda facie Ammonis ponuntur.* Quæ consentiunt verbis Benekæ Indi Gymnosophistæ, cuius verba recitat citatus Auenar Hebræus Astrologus. Secundam verò faciem sic describit: Decani signorum prima facies.

ויעלה בפנים השניים אשה יש מסרק בראשה ושרביץ
נחושת וראש השטן ויאמרו אנשי הודו כי יעלה שם צורת
אשה מתעפפת בבגדים ויש לה רגל אחת וצורתה צורת
הנשר:

Et ascendit in secunda facie mulieris figura, in cuius capite pecten, & virga ærea in manu, & caput Diaboli; & putant Indi quòd ibi ascendat mulier inuoluta vestibus, cuius pes figuræ Aquilinæ est. Atque hoc pacto Numen illud Nephten asseclam, vti ex Tabula Bembina patebit suo loco, exhibebant. Sequitur nunc alia imago, quam Auenar his verbis describit: Secunda facies.

ויעלה בפנים השלישים בחור יושב על הכסא עליו מכסה ובידו תרפים:

Tertia facies.

Et in tertia facie exſurgit iuuenis ſedens ſupra ſedem ſtratam, & in manu eius Theraphim. Quid per Theraphim intelligatur, fuſè declaratum fuit in primo Tomo Syntag. 3. Cap. Baalim; erat enim idolum auerruncum, quod ſecum portabant Ægyptij. Sed vide de his citatum locum. Hanc ſequitur alia imago genuflexa, quam his verbis ex Aſtrologia Ægyptiorum deſcribit Auenar:

ואדם השפיל ראשו למטה והוא צועק אל השם:

Exurgit quoque homo, caput ſuum verſus inferiora declinans, & Deum ſuppliciter inuocans. Quæ quidem imago nihil aliud eſt, quàm imago Genij tutelaris, ſuperiori ſupplicantis, & paſſim inter hieroglyphica reperitur, & confunditur cum Engonaſi Græcorum aſteriſmo.

Apidis, ſiue Tauri Aſſeclæ.

2 Intra Apidis regnum aſcendunt primò, iuxta Ægyptiorum Aſtrologiam, imago viri gladium in manu ſiniſtra, in dextra baculum tenentis; deinde verò Nauis magna, ſupra quam Leo eſt. Sed audiamus verba Auenaris;

ויעלה בפני שור הראשונים הגבור שיש לו חרב בידו השמאלית ועוד יעלה ספינה גדולה בה אריה:

Confundit hoc loco Auenar figuras facierum cum ipſis aſteriſmis. Quid per Gygantem, niſi Orion indicatur? Quid per Nauim, niſi Barys illa celeberrima, leoninâ figurâ inſignis, quem Mophta dicimus, & cum Naui Argonautarum hoc loco perperam confunditur? Indi loco Leonis in Naui poſiti, ponunt Arietem; quod pulchrè quadrat figuræ Arietinæ in Naui Tabulæ Bembinæ poſitæ. Dicunt præterea Indorum Aſtrologi, ſub Naui dimidium eſſe mulieris mortuæ. perperam; Ægyptij enim hoc loco Horum ponebant à Typhone in Nilo ſubmerſum, in cuius locum Græci Icarum in Eridano ſubmerſum ſubſtituerunt. Iterum, in facie Borea dicunt aſcendere virum Caprino habitu; quo quidem nihil aliud indigitatur niſi Erichtonius hœdino pondere prægrauatus. In tertia Apidis facie aſcendit primò Anubis caninâ facie inſignis, teſte Auenar, in cuius manu eſt ſerpens.

Geminorum Aſſeclæ.

3 In Geminorum facie prima aſcendit pariter figura canino capite transformata, & correſpondet Caniculæ ſeu Syrio Græcorum, quem Ægyptij nunc ἀστροκύονα, nunc κύνα dicunt. Iterum intra hoc ſpacium aſcendit quoque ſerpens erectus, lupuſque habens in manu ſua notam.

ויעלה שם חיה עומדת על אילן וזאב שיש בידו סימן ואדם יש לו כלי נגון מזהב והוא מזמר בו:

Aſcendit ibi Serpens habitans in arbore, & Lupus in cuius manu ſignum, & homo in cuius manu inſtrumentum Muſicum quo pſallit. Pro Lupo hoc loco Græci feram Centauri, pro Muſico Lyram ponunt.

Cancri & Leonis Aſſeclæ.

4 In domo Cancri & Leonis aſcendunt Vrſæ maior & minor, vera Typhonij Regni inſignia, quarum ipſe Hermes in Pymandro mentionem

facit

facit his verbis: *Nam arctos, id est, Vrsas ipsas, quas nôsti, exoriri nunquam, nec mergi, circa idem perpetuò recurrentes.* quamuis alij loco Vrsæ maioris ponant porcum ferreum, habentem caput cupreum; meliùs Ægyptij currum maiorem & minorem, vti suprà dictum est; alij ponunt virum serpentipedem anguibus inuolutum, cuiusmodi Typhonem in Tomo primo, Syntag. 3. Cap. de Typhone exhibuimus. quicquid sit, symbola omnia Typhonium quid indicant. Virginis & Libræ Affeclæ.

5 Intra Virginis & Libræ mansiones ascendunt Aspis magna, quæ & Agathodæmon Ophionius dicitur, vnà cum cratere vini, teste Auenar, Tametsi Indorum Astrologi hoc loco arborem ponant magnam, in cuius ramis Canis, & Ibis existant. Sed audiamus verba Authoris:

ויעלה שם אילן גדול על סעיפיו כלב ועוף הנקרא רחמה:

Ascenditque ibi arbor magna, in cuius ramis Canis & Ciconia, quæ & Ibis dicitur, & à Philostorgia appellatur Hebræis Rachama. nihilque hoc aliud, quàm stationem Mercurialium Numinum indigitant. Dicunt præterea Ægyptij apud Auenarem, hoc loco poni virginem pulchram, capillorum longitudine spectabilem, duas in manu spicas habentem; sedet autem in throno, & puerum lactat paruulum, nutritque ipsum summâ diligentiâ. Verùm cùm verba Auenar consideratione dignissima sint, ea hîc adduco: Virgo puerum lactans in Zodiaco ex Ægyptiorum & Hebræorũ opinione.

ויעלה בפנים ראשנים בתולה יפה ושערה ארוך ובידה שני שבלים והיא יושבת על כסא והיה תרבה עוד קטון ותניצהו ויאכילהו:

In prima, inquit, *facie Virginis, ascendit Virgo pulchra, longis capillis, & duas in manu spicas continet, sedetque supra sedem, & nutrit puerum adhuc paruulum, & lactat eum, & cibat eum.* Expressiùs multò Albumazar ea in suo in Astrologiam introductorio describit, quæ verba allegat Stefflerus in sphœra Procli; ita autem disserit: *Oritur in primo Virginis decano puella, Arabicè dicta *Aderenosa, id est, Virgo munda, Virgo immaculata, corpore decora, vultu venusta, habitu modesta, crine prolixo, manu duas aristas tenens, supra solium aulæatum residens, puerum nutriens ac iure pascens, in loco, cui nomen Hebræa, puerum dico à quibusdam nationibus nominatum Iesum, significantibus Issa, quem & Græcè Christum dicunt.* hæc Albumazar. Ex his manifestè patet, Saluatorem nostrum ex illibata Virgine natum indigitari. Oritur ergo hæc Virgo IESVM pascens. Pudeat hîc proteruos Hebræos, dum Virginem matrem renuunt, cùm tantis ætatibus, tot ante secula Gentiles ista præuiderint. Quòd si Verpus dicat: *Non dicunt hi ipsam Virginem pueri illius matrem, sed tantùm iure ipsum pascentem;* erubescat infœlix, quia quæ iure ipsum pascit, non nisi mater est. Simile quid legitur apud Sybillam Europæam: *Veniet montes & colles transiliens, & in paupertate regnans cum silentio dominandi è Virginis vase exiliet.* Ponitur quoque hoc eodem loco ab Ægyptijs figura hominis Ταυρομόρφου, id est, figuræ Taurinæ, ita Auenar:

*corruptè

ויעלה שם אדם שיש לו חצי צורת וראשו בראש השור ובידו צלם אדם חצי ועריה וגם יעלה שם חצי צורת בראשה חרוץ והוא חורש בה הארץ:

Ascendit ibi homo mediæ figuræ Ταυροκέφαλος, *id est, Taurino capite transformatus, & in manu eius idolum hominis dimidiati & nudi. ascendit etiam ibi dimidiata figura, in cuius capite trabs est, quâ terra arari solet.* Quorum mysticæ rationes posteà explicabuntur.

Libræ & Scorpionis Asseclæ.

6 In signo Libræ & Scorpionis ascendit similitudo viri, in cuius manu sinistra Libra, in dextra libri scripti:

ויעלה שם צורת אדם בידו השמאלית מאזנים וביד אחרת ספרים כתובים:

Et ascendit ibi similitudo viri in manu sinistra Libram bilancem, in dextra libros scriptos tenentis. Atque hæc est, quem suprà, cùm de signo Libræ ageremus, Omphta appellauimus.

Sagittarij & Capricorni Asseclæ.

7 Intra Sagittarij & Capricorni latitudinem Austro-Boream ponunt Ægyptij figuram hœdi cornua tenentem; & eadem figura est, quam suprà in signo Capricorni exposuimus: deinde Accipitris volantis figuram; & loco quidem Accipitris, Græci dein Aquilam volantem supposuerunt. Ponunt præterea Ægyptij hoc in spacio Κυνοκέφαλον, id est, corpus Simiæ cum capite canino. ita docet ex Astrologia Ægyptiorum Auenar:

ויעלה שם גוף הקוף וראשו בראש הכלב:

Et ascendit ibidem corpus Simiæ, & caput eius sicuti caput Canis. De quo Cynocephalo, eiusque significatione, vide Obeliscum Pamphilium lib. 3. Hierogrammatismo Simiæ.

Aquarij & Piscium Asseclæ.

8 Intra Aquarij & Piscium mansionem ponunt Gallinam cum pullis. Oxyrinchus piscis & Nili figura ab aliquibus nuncupatur.

Atque hæ sunt imagines quas ad mentem Ægyptiorum cœlo insertas fuisse refert Auenar, reconditarum actionum symbola, quas Græci deinde suis fabulis adornatas expolitasque posteris consignarunt; quas hîc apponendas duxi. Meritò tamen hoc loco quispiam interrogauerit, quânam viâ ad tam reconditam antiquitatem penetrauerim; quare vt id constet, rem explico. Michaël Schatta Coptita Ægyptius, meus olim Romæ in Copticis & Arabicis ex Bibliotheca Vaticana transcribendis Amanuensis, postquam in Ægyptum reuersus esset, inter cœtera à me sollicitatus fuit, vt si quid hieroglyphicarum inscriptionum reperiret, id delineari curaret, pecuniâ certâ in hunc finem assignatâ; quod & præstitit. Inter alia itaque fragmenta hieroglyphica, de quibus suo loco mentio fiet, hanc quoque Astronomicam 48 Iconismorum descriptionem ex vetusta Monasterij S. Mercurij Bibliotheca depromptam, & quantum potuit fieri, adornatam, ad promissam mihi fidem exoluendam transmisit. Quam cùm Veterum lucernam olere, & hieroglyphicæ doctrinæ conformem cognoscerem, eam hoc loco ceu raram & inuisam curioso Lectori opor-

oportunè communicandam duxi; in qua tametsi multa fuerint mutilata & imperfecta, continuo tamen studio & diligentiâ factum est, vt quæ vel deessent, aut obscuriora existerent, ex hieroglyphicorum fonte Dædaleæ mentis limâ expolita dilucidarentur. Differentia inter hasce & Græcorum sanè insignis elucet. Ponebant Ægyptij non Æquatorem, sed Zodiacum basis loco; ita vt centrum hemisphærij vtriusq; non polum Mundi, sed polum Zodiaci referret. Secundò, figuræ hieroglyphicis adumbratæ symbolis, non exactè suis locis correspondent, sed vtplurimùm differunt. neque hoc cuipiam mirum videri debet, cùm Ægyptij hisce hemisphærijs non tàm stellas, quàm stationem Numinum in vasta illa firmamenti facie exprimere sint conati, vti suprà dictum est: neque enim, vti Græci, figuras Numinum, stellarum coaceruatione componi putabant; sed certam quandam stellarum congeriem talis & talis Numinis stationem vocabant, quod tali & tali cœli loco dominari credebant. Neque enim vti posteri, effectus in inferiori Mundo elucescentes stellarum occulto influxui; sed Numinum virtuti & efficaciæ tali & tali cœli loco constitutorum, adscribebant, vti dictum est. Et Achilles Statius in sua Isagoge circa finem hoc idem testatur. verba eius cito: Ἐν γοῦν τῇ τῶν Αἰγυπτίων σφαίρᾳ, οὔτε ὁ δράκων ἐστὶν νομιζόμενος ἢ ὀνομαζόμενος. οὔτε ἄρκτη. οὔτε κηφεύς. ἀλλ' ἕτερα σχήματα εἰδώλων, καὶ ὀνόματα τεθειμένα. οὔτε δὲ καὶ ἐν τῇ τῶν Χαλδαίων. Ἕλληνες δὲ ταῦτα τὰ ὀνόματα ἔθεντο τοῖς ἄστροις ἀπὸ ἐπισήμων ἡρώων πρὸς τὸ δυκατάληπτα εἶναι καὶ εὔγνωστα. *In Ægyptiaca,* inquit, *sphæra neque Draco, neque Vrsa, neque Cepheus, sed aliæ sunt idolorum formæ nominaq; ijs indita; vti neq; in Chaldæorum Astrologia; Græci porrò vocabula illa de insignibus Heroibus transtulerunt, vt comprehendi & agnosci faciliùs possent.* Zodiacum quoque latiorem, quàm Græci posuerunt; in cuius Boreali hemisphærio figuræ hieroglyphicę 12 signorum Zodiaci expressæ cernuntur, iuxta priscæ rudiorum adhuc seculorum Astronomiæ inuentionem. In Australi verò hemisphærio easdem repetitas inuenies; sed abbreuiatas: ex quibus prorsus, vnde characteres signorum in hunc vsque diem vsitati, quibus similes sunt, profluxerint, patefit. neque hic Lector gradus aut declinationis, aut latitudinis stellarum, aut similes diuisiones requirat; cùm, vt dixi, ea priscorum mens non fuerit; sed Deorum stationes solummodò per 12 Rhombos, quod ipsi δωδεκάπυργον vocabant, exprimere conati sint. Quæ omnia hìc fusiùs deducere volui, nè Lectorem curiosum Ægyptiorum in Astronomicis 48 imaginibus cœlo imponendi consilium lateret. ad Rhombum itaque.

Achilles Statius.

Nota Signorum ordinem hìc positum fuisse initio sumpto ab ♈, cùm Ægyptij tamen Hieromanthæ initium eorundem sumpserint à Capricorno; cuius rationem in præcedentibus dedimus. Vnde binis diuersis numericis figuris ea insignire visum fuit ad confusionem vitandam.

HE-

HEMISPHAERIUM BOREALE ZODIACI

Ex mente Aegyptiorum.

HEMISPHAERIVM AVSTRALE ZODIACI

Ex mente Aegyptiorum.

Diſpoſitio Iconiſmorum Aſtronomicorum, ex mente Aegyptiorum, quos Michael Schatta Aegyptius ex vetuſtis Aegyptiacis monumentis extractos, ad Authorem tranſmiſit.

IConiſmi Aſtrologico-hieroglyphici cœlo ab Ægyptijs impoſiti, ſunt omninò 48, vti ſuo tempore in Obeliſci Barberini interpretatione patebit; quibus eam in aſcenſione aut culminatione eorum Natis fortunam, quam ſymbolis exprimebant, pollicebantur. Referunt enim, vt ſuprà dixi, eos certas quaſdam Numinum diſpoſuiſſe ſtationes, in quibus ea particulari influxu in inferiora fidei tutelæque ſuæ commiſſa agere opinabantur; vnde & ⲙⲁⲛⲱⲟⲩⲏ ⲛ̀ⲧⲉⲫⲛⲟⲩϯ, ſtationes aut manſiones Deorum ab Ægyptijs vocabantur, quòd in ijs vigili curâ rebus ſibi commiſſis intenderent. Quarum duodecim principales in Zodiaci obliquitate diſponebant, reliquas partim in Borea, partim in Auſtro, prout ex adiunctis hîc binis hemiſphœrijs à Michaële Schatta Ægyptio mihi tranſmiſſis patet, collocabant. Atque hunc quidem 48 Iconiſmorum numerum Græci, & tota demùm poſteritas amplexa eſt; tametſi, vti ex hemiſphœrijs patet, Ægyptij à Græcis, & ſitu & ordine diſcrepent, Græcis ſua in locum Aegyptiorum, Numina ſubſtituentibus, & hâc cœleſti ἀποθεώσει veluti cohoneſtantibus. Et de myſtica quidem duodecim præſidum in Zodiaci dodecamorijs manſionibus diſpoſitorum ſignificatione ſupra Cap. 3. amplè diſſeruimus; reſtat vt de reliquis pari paſſu nonnihil diſſeramus, à Boreo hemiſphœrio initium facturi.

Iconiſmi Boreales. Regnorum Ammonij.

Primus itaque Ammonij Regni Iconiſmus poſt duodecim Zodiaci Oecodeſpotas, è regione Ammonis, ſiue Arietis diſtrictu occurrit triangulum, quod Δέλτα Aegyptij nominant, & in lingua Copta idem notat ac portam triquetram, per quam Deorum in Aegyptum ingreſſui aditus patet; ac nihil aliud eſt, quàm inferior illa Aegypti pars, vti in I. Tomo Syntagm. primo oſtenſum fuit, quam Nilus ad Memphim diuaricato flumine diuiſus olim ex Nilotici congerie limi enatam conſtituerat; tantæ proinde fœcunditatis, vt non immeritò domum Deorum immortalium, cœlumque Deorum eam nuncupandam exiſtimârint. Portam Deorum dicunt, quòd per illam ad omnium bonorum copiam Deorum liberalitate ac beneficentiâ conceſſam aditus pateat; quam Ibis, Mercuriale animal, dum pedibus diuaricatis exprimit, ſimul etiam ſub cuius tutela Numinis Δέλτα ſit, indigitat. Hinc in ea cœli plaga Aegypto ſupereminente, ſimile triangulum ſiue Δέλτα è tribus ſtellis conflatum, conſtituerunt, idque tanquam Mercurialium Numinum Aegypto fauentium ſtationem ſummo cultu & veneratione poſteri proſecuti ſunt, quod & Græci inter ſuos quoque aſteriſmos retulerunt. Vide quæ in primo Tomo fol. 8. 9. 10. 11. in Obeliſco Pamphilio lib. 3. alijſque locis paſſim recitauimus.

II. Iconiſmus ſtatio notatur Nephtæ, quæ cùm res inferioris Horizontis fidei ſuæ commiſſas habeat, Delta Niloticum, id eſt, Aegyptum, cui ſupraponitur, contra omnes nocturni rigoris iniurias defendendam, ſuſci-

suscipit. Sedet, ad indicandam potestatem; scuticam in manu tenet, ad propulsationem malorum arcanè significandam. Tutulum gerit germinibus compactum, ex quo duo serpentes emergunt, ad vitam & fœcunditatem, quam confert, indicandam. Crucem ansatam gerit, ad influxus amplitudinem indicandam.

III. Iconismus in eodem Ammonis districtu contentus, simulachrum ponitur alterius Numinis tutelaris, genibus flexis, ipsoque situ, & corporis dispositione Numen Ammonis, vt alibi ostendimus, exprimit, quasi Ammoni contra IV. Iconismum Draconem Typhonium (qui circa polum Boreum suam collocauit stationem, & est veluti Regni Typhonij index) supplicaturum.

V. Iconismus ponitur intra Rhombum Apidis, Tauri iurisdictioni subditum; estque Gallina cum pullis, quam Aegyptij Venereum fœcunditatis Numen venerabantur. Vide quæ de Gallina cœli seu Succoth Benoth copiosè disseruimus in Pantheō Hebræorum fol. 354. toto Cap. 18.

VI. Iconismus, intra eundem Rhombum constitutus, continet simulachrum sedentis in throno, tutulo spicarum, cornibusque Bouinis insigne, vnâ manu Theraphim, alterâ Crucem ansatam gestans, atque Isidis, tutelaris Numinis Aegypti, inuentricis frumenti, & agriculturæ per boues, vti symbola monstrant, simulachrum est; sedes est potestatis index; Theraphin Apidis amuleti, Crux influxus benigni symbolum est, quasi se Draconi Typhonio, quem IV. Iconismus exhibet, oppositura. Vide Tomi primi folium 185. vbi de hoc simulachro ampla fit mentio. respondet hic Iconismus Græcorum Cassiopæiæ.

VII. Iconismus, intra Rhombum Geminorum constitutus, simulachrum Anubidis est, canino capite conspicui, qui vnâ manu sagittam, alterâ situlam portat, quæ sunt Nilotici Numinis symbola, & significant siccitatis, calorisque excessum, qui Anubidis moderamine temperatur. vide Obeliscum Pamphilium.

VIII. Iconismus Panos est simulachrum in forma humana hœdum portans, vnâque manu baculum, alterâ serpentem gestans. Hœdus symbolum fœcunditatis lasciuientis, vt in Obelisco Pamphilio probauimus; baculus potestatis & vigilantiæ; serpens vitæ symbolum est. Innuunt hoc Iconismo Numinis Panici curam & diligentiam, quâ in rebus fidei suæ commissis defendendis contra imminentem Typhoniam vim, veluti fœcunditati & vitæ rerum contrariam impellatur.

IX. Iconismus intra Rhombum Hermanubis, qui Cancro respondet, simulachrum est tutulo insignitum, manibus instrumentum musicum portans, loco cuius Græci lyram posuerunt. Indicat autem, authoritate potestateque ab Hermanubi sibi concessa, se æstus ardentes, quas Typhonia vis hoc loco inuehit ad rerum destructionem, ad harmonicum temperamentum reducere, & contra hostilem Typhonis vim defendendam suscipere.

X. Iconismus, intra Rhombum Momphtæ siue Leonis contentus, simulachrum exhibet Aspidis surrecta ceruice spectabilis, quam Aegy-

ptij Ἀγαθοδαίμονα vocant; de quo amplè in Obelisco Pamphilio.

XI. Iconismus Vrsæ maioris imaginem exhibet, quam بنات النعش *Benath alnaaghs*, id est, *filias feretri* Arabes, Aegyptij *Vehiculum Osiridis* vocant: hoc enim dodecamorio Osiris, id est, Nilus, super Tellurem Aegypti veluti vehiculo quodam per inundationis vim, quæ sub signo Momphtæ contingit, vehi fingitur, ad eandem cum asseclâ suo Ophionio Agathodæmone animandam, fœcundandamque. quæ omnia ampliùs explicata reperies in Obelisco Pamphilio l. 8. Hierogram. Leonis, & infrà in Capite de 28 mansionibus Lunæ.

XII. Iconismus intra Rhombum Isidis siue Virginis constitutus, arbor est, in cuius ramis hinc inde Canis & Ibis resident, vti suprà ex Astrologia Aegyptiorum, quam R. Auenar in linguam Hebraicam traduxit, probauimus. Arbor quidem exhibet totam vegetabilis naturæ substantiam, cuius præsides sunt Mercurius & Isis Numina, quæ aptè per Canem & Ibidem notantur, vti in Obelisco Pamphilio demonstrauimus. Cùm enim sub Spicilegæ Virginis, hoc est, Isidis dodecamorio Niloticarum aquarum exuberantia magnam opimæ segetis, cæterorumque vegetabilium spem daret; nè concepta in tellure ab incubante eidem humentis naturæ substantia, semina vi Typhonia, defectu aquæ vel exsiccarentur, vel suffocarentur excessu, apposité hosce veluti excubitores, Mercurialia inquam Numina huic dodecamorio consecrarunt, quorum vigilantia & cura Nili incrementum, optatum contra aduersas potestates emolumentum telluri Aegyptiæ præstaret.

XIII. Iconismus, intra Rhombũ Omphtæ siue Libræ constitutus, Nũmen βούμορφον siue bouino capite transformatum exhibet, cui superemi net trabs in formam aratri, vti suprà ex Auenar probauimus. Quibus statio notatur spermaticæ naturæ Præsidum, quæ sub præsidio Omphtæ Numinis cuncta æquâ proportione librantis, per agriculturæ Præsidum industriam, quorum symbolum Bos & aratrum erant, tum promouebatur perficiebaturque, postquam Nilotico exuta operimento, in vberem segetem varia propullulatione erumpebat.

XIV. Iconismus, sub Typhonis, id est, Scorpionis signo constitutus, teste Auenar, erat simulachrum figuræ humanæ nudæ, vnâ manu facem, alterâ spiculum exhibens, & Coruum in capite gestabat, & Typhonis asseclas Genios indicabat. Per nuditatem tellus indicabatur aquis nudata; per spiculum vis radiorum exsiccatiua, quâ vegetabili naturæ per subtractionem humoris necessarij, destructionem minatur, quod & per facem innuunt; per Coruum verò, animal quod cadaueribus & morticinijs vescatur, venenatorum animalium ex putrilagine terræ hoc tempore nascentium contagium aptè denotatur; qui omnes sunt Typhonis & asseclarum eius effectus. Vide Obeliscum Pamphilium.

XV. Iconismus, sub Arueris seu Sagittarij signo constitutus, simulachrum est sub forma humana, tripartito tutulo spectabili, quod hircum apprehensis cornibus mactare videtur. Quibus quidem nihil aliud indicant, quàm stationem Geniorum Typhoniæ phalangis ἀντιτέχνων, quorum

cura est resciſſis cornibus hœdi, id eſt, domitâ radiorum Solarium aduſtiuâ vi Typhoniam fœcunditatem, ſemente terræ viſceribus incluſa, ad nouam vegetabilis naturæ ſobolem producendam, fouere & ſuſtentare; quod ſub hoc ſigno contingit, vti ſuprà in Zodiaci Ægyptiaci interpretatione oſtendimus. Inuenitur & hoc ſimulachrum in Tabula Bembina, vti ſuo loco videbitur.

XVI. & XVII. Iconiſmus, ſub Anubis ſeu Capricorni ſigno, Cynocephalum ſtantem, qui Capricornum loro liget, exhibet. Quo aptè indicabatur, ligatâ fœcundâ Capricorni naturâ ab Anubi, id eſt, virtute Solis ob depreſſionem ſuam debilitatâ, Lunam, eiuſque aſſeclas Genios, quos per Cynocephalum indicabant, aſſurgere, & vicariam Solis poteſtatem exercere, humoremque ſufficientem ad ſeminalem terræ viſceribus incluſam ſubſtantiam ſouendam roborandamq; ſubminiſtrare. Canis verò Iconiſmus XVIII. ſtationem notat Sothiacorum Numinum.

XIX. Iconiſmus ſub Aquarij Rhombo conſtituitur, atque ſimulachrum eſt hominis Gygantei Ægyptiaco more veſtiti, tutuloque κυπελλοπτερο-πυρο-οφιμόρφῳ conſpicui, quòd dextrâ clauam, ſiniſtrâ ſceptrum Mophtæ tenet: per Gyganteum corpus & clauam robur in res terrenas; per tutulum multiformem poteſtatem, quam in aërem, ignem, terram, & vitam rerum obtinet, ſignificat; per ſceptrum Momphtæum, in humentis naturæ ſubſtantiam dominium notat; quod in Regno Canubico exerit, dum pluuijs, niuibuſque incluſam terræ ſementem fouet, ſolidat, roborat, ſubigit, & ad variam rerum fœturam concipiendam animat. Atque hæc eſt ſtatio, quam Ægyptij, Oſiridis in arcam incluſionem dicebant, vti in Syntagm. II. ex Plutarcho probatum fuit, vbi & ſymbolicas alluſiones fusè interpretati ſumus.

XX. Iconiſmus ſub Ichthonis Rhombo ponitur, & eſt figura fœminea, quæ in Tabula Bembina exſtat velo conſpicua, ſedens, & vbera turgida, vnâ manu ſceptrum Lotomorphum, alterâ Crucem anſatam gerens, cuius & fœmur ijſdem Tauticis characteribus ornatû eſt: per figuram fœmineam, vbere turgidam, & velo conſpicuam, notabant fœcundorum Numinum ſtationem, tectis quidem adhuc ſub terra rerum Mundi ſeminibus, ſed iam terra Solis ſpiritu imbuta, in apertam germinationem erumpente; quod per Lotiferum ſceptrum aptè inſinuatur, & per Cruces anſatas, quibus fœmorale inſignitur, oſtenditur; quibus variæ ſeminalium rationum miſcellæ, Solarium radiorum ſpiculis percuſſæ, in omnium rerum fœcundam generationem prorumpunt; quod ſub hoc Ichthonis Rhombo, ſeu ſtatione Piſcium contingit: Ichthon enim per aſſeclas ſuos latentium, teſte Iamblicho, rerum rationem è tenebris ſub quibus iacuerunt, in lucem educit; vt quæ præcedentis ſigni Numina terræ clauſa abdiderant, illa, terrâ paulatim apertâ, id eſt, Sole ſenſim aſſurgente, & radijs ſuis terram potentiùs feriente, in apertam fœcundamque propaginem deducat.

Vidimus myſticas Aſteriſmorum Boreorum ſignificationes, reſtat vt & Auſtrinorum arcana pari paſſu aperiamus.

Iconiſmus XXI. In Auſtrali Oſiridis Regno, ſub Rhombo Ammonis ſiue Arietis primo loco occurrit ſerpens ſtipiti circumplicatus, quo Agathodæmonum vitæ rerum Præſidum ſtatio indicatur; hi enim per Delta Niloticum, id eſt, Deorum portam, vt ſuprà expoſuimus, ingreſſi, omnia ſub Ammonis præſidio ad vitam excitant, humorem ſuo tempore proficuum in vltimis Auſtri finibus, quem per Nili ſuprapoſita fluenta, Iconiſmus videlicet XIX. aptè inſinuat, diſponunt.

Iconiſmus XXII. Sub Apidis ſigno in Auſtro ponunt ſimulachrum Panos, id eſt, ſtationem Panicorum Numinum, ſub quorum præſidio omnia in fœcundam rerum productionem conſpirant; quod hoc tempore contingit.

Iconiſmus XXIII. & XXIV. ſub Geminorum & Cancri ſigno conſtitutus, exhibet Serpentarium cum lancea, cui ſupereminet nauis Arietinis capitibus conſpicua, in cuius medio Bos exiſtit ſeu Apis. Per Serpentarium lanceatum ſtatio indicatur Arimaniarum Poteſtatum, quâ vis humectatiua radiorum Solarium aduſtiuâ vi deſtruitur; huc ponitur Apis naui vectus, id eſt, *Orimazes, Sol Auſtrali plagæ veluti* per humidum ſuperuectus, radiorum attractiuâ vi nouum humorem ex fluminibus, lacubus, maribus attrahit, quibus in imbres reſolutis, noua Nilotici incrementi præludia parantur.

Iconiſmus XXV. & XXVI. ſub Cancri & Leonis Rhombo conſtitutus, Anubis eſt Lupum ſiue feram Typhoniam transfigens; quo indicare volebant, Mercurialium ſeu Niloticorum Numinum ſtationem, quorum cura eſt, Nilotica incrementa hoc tempore accelerare; quod fit ſub ortum Caniculæ, quæ Aegyptiacè ⲥⲱⲑⲓⲥ ſeu Sothis, quo nomine & Mercurium appellatum fuiſſe in Obeliſco Pamphilio oſtendimus; hoc enim tempore terrea & aduſtiua Typhonis vis, non incongruè per Lupum, animal terreſtre & præferum, in quod ſe Typhon tranſmutaſſe dicitur, indicata, Nilotici humoris exuberantia deſtruitur.

Iconiſmus XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. ſub Virginis & Libræ ſigno conſtituuntur, ſuntque primò Gygas, quem Græci Orionem vocant; cui iungitur Noctua & Coturnix, teſte Auenat, ſuntque mali ominis ſymbola. Per Gygantem inauſpicata ſtatio Titanica prænotatur, id eſt, Geniorum humoris exceſſu omnia præſocantium; quorum tyrannidi opponitur Leo naui vectus, id eſt, Momphta & Omphta, quorum ille cum aſſeclis ſufficienti humore tellurem beare, hic exceſſum humoris ſuffocatiui per Titaniam vim intemperanter illatum temperare, & in mediocritatem reducere ſatagit. Vide quæ de hiſce copioſè diſſeruimus in Bembinæ Tabulæ interpretatione.

Iconiſmi Auſtrales. Iconiſmus XXXI. ſub Scorpionis Rhombo auſtrali conſtitutus, exhibet Crocodilum, Typhoniæ tyrannidis argumentum; eſtque ſtatio infeſta, quia bonum quod per humoris exceſſum deſtruere non valebant aduerſi Genij, per defectum eiuſdem, Nilo iam intra alueum reducto, & terra creſcente, conficere attentant. vocatur ſtatio Suchi, id eſt, Crocodili, in quem Typhonem transformatum referunt Ægyptij.

Ico-

Iconiſmus XXXII. & XXXIII. ſub auſtralibus Sagittarij & Capricorni Rhombis conſtituti, continent ſimulachrum figuræ humanæ vnâ manu Hippopotamum transfigentis, alterâ Ibidem, quæ Serpentem deuoret, indicantis figuram. Per hominem puerilis habitus vittâ conſpicuum Horus, per Hippopotamum Typhon intelligitur; & Horus quidem renaſcentis Mundi ſymbolum, quo humoris remanentis contagioſa vis transfigitur. quæ & per Ibidem Mercurialium Geniorum ſymbolum indicantur, quorum ope noxiarum rerum, atque ex putrefactione terræ naſcentium pullulans multitudo hoc tempore abſumitur.

Iconiſmus XXXIV. XXXV. XXXVI. ſub auſtrali Aquarij & Piſcium Rhombo contenti, ſunt Nilus, Hydra, & Altare ſummum; quibus trium Geniorum Niloticorum, auſtralium aquarum cuſtodum, & igneæ naturæ conſeruatorum ſtationes exprimuntur: primi humorem terræ viſceribus incluſum actuant; ſecundi eundem fœcundant; tertij calorem ſubterraneum, quibus fœcundatur, adminiſtrant; quæ quidem apte per Nilum, Hydram, & Altare igne inſtructum exprimuntur. Sed de hiſce in Obeliſci Barberini interpretatione copioſa ſuo tempore dabitur differendi materia.

Nota Lector, à ſuprà citato Michaële Schatta figuras ſolummodò, eaſque admodum imperfectas eſſe miſſas, quas tamen quantum ex literis ipſius Arabicè ad me ſcriptis colligere potui, ad rectam Ægyptiorum mentem reduxi, & in certas quaſdam Deorum ſtationes diſpeſcui, vt Ægyptiorum in illis inſtituendis intentio luculentiùs pateret. Sed hæc omnia, vti dixi, meliùs in Obeliſci Barberini interpretatione patebunt.

Habes itaque 48 Iconiſmorum ab Ægyptijs in cœlo poſitorum diſpoſitionem, eorundemque phyſicas interpretationes, quas & ſecundùm analogiam quandam ad archetypas moraleſq; rationes accommodabant; ita vt per dicta Iconiſmorum ſymbola, intellectualis Mundus intelligatur, in quo diſtributis officijs vnicuique Geniorum choro competentibus, quos tum in triplici Mundorùm ſerie, tùm potiſſimùm in animarum ſphœris effectus imprimunt, ſubtiliter inſinuabant; hinc enim fatorum ordinem deducebant. Ex hiſce Iconiſmis Geniorum aſcendentibus de cuiuſcunque Nati fortuna vel fato, infallibilem ſe coniecturam noſſe poſſe credebant. Hinc ſollicitè ſingulas dictas Deorum ſtationes, mox vbi ab Horizonte emerſerant, aut aſcenſione culminarent, quà ſacrificijs, quà ritibus cœremonijſque placare contendebant: vti enim ex aduerſo Geniorum aſcenſu, omnem Nati miſeriam & calamitatem dependere credebant, ita ex beneuolo propitioque Agathodæmonum aſcenſu fortunam & felicitatem ſibi pollicebantur; hinc illos ſacrificijs, nè nocerent, placare; hos vt prodeſſent, appropriatis ijs rebus & ſacrificijs attrahere contendebant. Cùm verò ſeptem principalia planetarum Numina continuò nunc bona bonis, iam bona malignis, ſubinde maligna malignis coniungantur; hinc pro ratione coniunctionis proſperæ vel aduerſæ de rerum euentibus proſperis & aduerſis pronunciabant. Vide quæ de hiſce fuſiùs ſuprà Capite 3. 4. & 5. differuimus.

Impia Ægyptiorum & Chaldæorum ſuperſtitio ac diuinatio ex Iconiſmis 48 ſtellarum.

Tota hæc Aſteriſmorum congeries, quatuor principalia Numina habebat, quorum virtute influxiuâ, tùm Geniorum concatenatorum ſeries, tùm inferioris Mundi œconomia gubernatur; quam quidem Geniorum tetradem, Ægyptij, quadruplicis Mundanæ catenæ capita, Græci, τῶν Θεῶν τετρακτύα nominabant. Et Ægyptij quidem hanc tetradem ijs adornabant ſymbolis, quibus in ſequentis Sectionis Iconiſmo, annorum Ægyptiorum παρέδρους inſignitos ſpectabis, Serpente complexos; Græci verò eâ prorſùs ratione, quâ in ſubiuncta figura patet, ſuam exhibebant Deorum tetractym, quam ex Gemma â Petro Stephanonio Antiquitatis peritiſſimo Viro mihi communicata extraximus; quam τετρακτύα δωδεκάπυργον Demophilus peruetus Author, vti aliàs oſtendimus, nuncupat.

ΤΕΤΡΑΚΤΙΣ ΔΩΔΕΚΑΠΥΡΓΟΣ.



In medio huius figuræ Zodiaco quatuor dicta Numina incluſa vides: Iouem cum Aquila, cui reſpondet Oſiris; Mercurium caduceatorem, cui Anubis; Martem caſſide & lancea ſpectabilem, cui Horus; Neptunum denique aquis innatantem, & tridente inſtructum, cui Iſis tergemina reſpondet. Atq; hæc eſt 12 cœli arcium tetractys. Quid verò triangulum tria ſuperiora Numina connectens notet, videamus. Veteres Poëtæ, vt eſt apud Proclum Diadochum, triadem finxerunt, Mundorum gubernatricem, & hanc triadem dixerunt eſſe cœlum, Saturnum, & Iouem: per Cœlum, Numen ſupremum Archetypum; per Saturnum primam & regiam

giam mentem, siue naturam intellectualem, in sola rerum supernarum contemplatione defixam; per Iouem vitam actiuam, siue vniuersalem rerum omnium administrationi eius subiectarum prouidentiam innuere. quæ quidem tria Numina, si naturam spectes, prorsus vnum, si effectuum varietatem, tria diuersa considerantur. In hac figura Iuppiter medium locum tenet, qui sensibili Mundo per dodecapyrgon indicato præest; regnumque suum tribus filijs suis, Mercurio, Marti seu Plutoni, & Neptuno diuisisse à Poëtis fingitur; aëreâ quidem Mercurio; Neptuno aqueâ; Plutoni denique siue Marti subterraneo, terrestri substantiâ distributâ. Verùm hæc omnia fusè tractata vide Tomo II. Gymnas. Hierogl. Patet itaque propositi Schematis significatio.

DIGRESSIO.

Num Cœlum Liber quidam sit; & num variæ stellarum combinationes scripturam quandam conficiant, in quâ futura digito Dei inscripta legi possint.

HEbræos & Arabes primos huius dogmatis assertores fuisse reperio. Cùm enim Cœlum tam miris & inusitatis falsorum Numinum imaginibus ab Ægyptijs & Græcis insignitum intuerentur, tùm inconuenientiâ rei, tùm lege prohibente impulsi, aliud dogma architectati sunt, ex cœlestibus characteribus constitutum. Hi enim cùm partim leges fatales cœlo descriptas opinarentur, partim antiquissimorum Authorum testimonijs illusi, minimè vanum & otiosum esse arbitrarentur, quod tam insolitis se in inferiorem Mundum exereberat effectibus; in eam deuenere sententiam, firmamenti expansum nihil aliud esse, quàm librum quendam stellis veluti literis quibusdam insignitum, ex quorum congrua combinatione, omnium seculorum euentus decretaque hominum Dei digito inscripta legi possint. Vt verò hoc insulsum commentum scitiùs defendant, probant id ex sacris textibus, quos vti ad sua placita stabilienda ridiculè detorquent, ita miris modis contra rationem deprauant. Allegant itaque primò illud Isaiæ 34.

Hebræi & Arabes asserunt cœlum esse librum, in quo futura leguntur.

Insulsa Hebræorum Astrologorum interpretatio scripturæ.

ונגלו כספר השמים:

Et complicabuntur cœli sicut liber. quod ita explicant; *Et complicabuntur cœli sicuti liber, omnium præsentium, præteritorum, & futurorum euentuum rationes exhibens.* Confirmant hunc locum ex 1. Genesis versu:

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ:

Quæ verba hoc pacto perperam interpretantur; *In principio creauit Deus literas seu scripturam cœli*; vbi particulam את *literas* seu *scripturam cœli* exponunt. Incongrua prorsus expositio, & ad superstitiosam illam scripturam cœlestem imperitis persuadendam, dolose contorta. Quis enim vnquam ex sacræ Scripturæ Commentatoribus hanc particulam aliud, quàm articulum accusatiui casus interpretatus est? quod & manifestum

fit

fit ex sequenti vocabulo: ואת הארץ, (quod tamen studiosè causæ suæ malè conscij subticent) vbi eadem particula repetitur; loco cuius in Chaldaica paraphrasi habetur ית *Iath*, articulus Chaldæis in accusatiuo formando vsitatus. Iuxta horum igitur opinionem primus Genesis versiculus ita legi deberet; *In principio creauit Deus literam cœli, & literam terræ*; quâ quidem interpretatione nihil insulsiùs, nihil ineptiùs fingi potest. Pari pacto illum eiusdem Genesis locum והיו לאתת, & *erunt in signa*; ipsi legunt, & *erunt in literas*; temerario prorsùs ausu. Nec hìc desistunt, vt intentum suum tandem obtineant. in illo Psalmi 17. *In omnem terram exiuit sonus eorum*; illi vocem קולם *Kolam* interpretantur קום *Kauam, linea eorum*, id est, lineæ scripturales; pessima pariter & inconcinna expositio, priori non inferior.

Hisce itaq; verminosis fundamentis positis aiunt, cœlum seu Rakia, illud inquam expansum, esse veluti pellem quandam pergamenam, in qua stellæ literas, asterismi verba futurorum euentuum digito Dei insculpta exhibent, iuxta illud; *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*. In hoc aiunt omnes futurarum rerum successus, mutationes regnorum imperiorumque, vti & omnem priuatorum hominum sortem & fortunam veluti per librum quendam, solis Sapientibus intelligibilem, exposita esse. Atque huius quidem sententiæ propagatores fuisse aiunt primò Iochaidem, quam in Zohar exponit, Akibam Authorem libri Ietsiræ, Rambam, Abrahamum Dior, Ebenezram, Radak, Iomtof, Ralbag, Abarbanel, aliosque innumeros; quos Latini nonnulli secuti sunt cœteris superstitiosiores, suumque dogma stabilire contendunt ex libro quodam apocrypho, qui intitulatur *Narratio Ioseph*, quem Origenem citare asserunt in libro, vtrum stellæ aliquid agant; in quo habentur hæc verba: *In tabulis cœli legi, quæ contingent vobis, & filijs vestris*. Huc quoque torquent illud S. August. l. 2. contra Manich. c. 21. *Neque in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent; sed sicuti nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate corporum cœlestium omnes omninò motus animi latere non arbitror*. Vbi tamen scripturæ cœlestis nulla fit mentio, sed S. Doctor ibi solummodò comparationem quandam cœlestis faciei ad faciem humanam instituit. Neque illud Orphei: Σὺ δ' ἐν ἄστροις τάξις ἀπαλλάκτοισιν ἐφημοσυναῖσι τρέχει. *Certus tuus ordo immutabilibus mandatis currit in astris*, ipsis fauet: hoc enim dum huc trahunt, vanitatis luculenter arguuntur, cùm qui hymni Orphaici contextum scrupulosiùs ponderauerit, in eo non de scriptura cœlesti, non de literarum characterismis, quibus illi cœlum deformant, sed de immutabili naturæ necessitate in cœlis potissimùm elucescente sermonem esse, sit inuenturus. Inter cœteros tamen Cornelius Agrippa hanc opinionem fusè exponit in occulta sua Philosophia, Paracelsus in suis Archidoxis, Robertus de fluctibus, qui in Apologia quadam pro defensione statuæ roseæ Crucis, sic dicit: *In cœlo inserti & impressi sunt huiusmodi characteres, qui non aliter ex stellarum ordinibus conflentur, quàm lineæ Geometricæ, & literæ vulgares ex pun-*

Authores impiæ sententiæ asserentis cœlum esse librum, in quo futurorum euentus digito Dei sint descripti.

Cornelius Agrippa. Paracelsus. Robertus de fluctibus.

ctis, superficies ex lineis, & corpus ex superficiebus; quibus verò huiusmodi linguæ, & scripturæ arcanæ, characterumq́ abditorum cognitio à Deo concessa est, his etiam datum erit, veras rerum naturas, mutationes, alterationes, & proprietates siderum, omnesque alias operationes & executiones oculis quasi illuminatis legere, & legendo intelligere. Cui subscribit Postellus, qui in Commentario in Ietsira vanè, nè dicam stolidè, cœlestis huiusmodi scripturæ notitiam sibi arrogat, his verbis: *Si dixero in cœlo me vidisse in ipsis sacræ linguæ characteribus ab Esdra primùm pulchrè expositis, ea omnia quæ sunt in natura rerum constituta, vt vidi non explicitè, sed implicitè; vix vllus mihi crediderit; testis tamen mihi Deus est, & Christus eius, quòd non mentior.* rectè dixisti, *vix vllus mihi crediderit*, cùm qui ingenium tuum nôrunt, meritò de verbis tuis dubitare possint. Postellum certè totam hanc notitiam ex Arabum superstitiosa doctrina, cuius perstudiosus erat, hausisse, ex sequentibus verbis liquet: *Ariani*, inquit, *sunt demùm delineati, fuisq́ lineis adumbrati igne diuino in aquis cœli scilicet expresso, sancti characteres, & tantâ virtute in cœlis expressi, vt possit etiam futurorum veritas haberi, cuius scientiæ vestigium adhùc in Iericho, & multis alijs Ismaëlitarum ciuitatibus extant, licet sint admodum deprauatæ, & adulteratæ figuræ sanctæ.*

Atque scripturam quandam cœlestem stellas exhibere sentiunt paulò antè citati Authores. Iam videndum est, quibus characteribus sit exarata, & quomodo lectio eiusdem instituenda sit. Et quòd ad primum quidem attinet, hanc difficultatem enodare se putat Neotericus quidam Author Gaffarellus nomine, in libro, quem Gallicè intitulat, *Les Curiosites inouyes*, hoc est, *Curiositates inauditæ*; concluditque ex mente tùm Rabbinorum, tùm aliorum huius sententiæ Authorum, aliam hanc scripturam esse non posse, nisi Hebræam, tametsi Arabes non nisi suam, id est Arabicam esse velint. Litis decisorem Postellus agit, qui Arabum versutissimorum hominum vanitate & præsumptione suppressa Hebræorum causæ subscribit, quam Gaffarellus in citato Gallico libro fusè & per varia exempla describit, vt paulò post videbitur. Alphabetum à Gaffarello prolatum ex Grammatica Hebræa Abrahami Balmis, quod cœleste vocat, extractum, illud est quod sequitur, in quo puncta nigra stellas dicunt referre.

ALPHABETVM SCRIPTVRÆ COELESTIS SIVE STELLIFERVM.



Ec He-

HEMISPHÆRIVM BOREALE CHARACTERVM COELESTIVM.

HEMISPHÆRIVM AVSTRALE CHARACTERVM COELESTIVM.

Alphabetum Cœleste, vanum & inutile.

Hæ Alphabeti literæ vtriusque hemisphœrij asterismis ita inseruiunt, vt singuli asterismi ex dictis literis constructi, ex literarum constructione aliquid, siue bonum, siue malum, legendorum characterum perito exhibeant; cuius vtrumque characteristicum hemisphœrium huic loco inserendum duxi; vt quot nugis humana se curiositas inutili conatu intricet, ex tam lubrici, & prorsùs arbitrarij, nulloque fundamento nixi negotij exhibitione veluti prototypo quodam cognosceret Lector. Est enim id adeo incertũ, inconcinnum, & ἄτακτον, vt tametsi summo studio & industriâ dictorum characterum cum asterismis Astronomicis comparationẽ adorsus sim, tamen nè vnum quidem comperire licuerit, qui vel per coniecturam vulgò notos asterismos referret, ideoque tanquam inutile & phanaticum machinamentum prorsùs respuendum duxi. Accedunt ad huius scripturæ lectionem ritè perficiendam ingentium difficultatum scrupuli, qui nullâ ratione superari posse videntur. Si enim lectio instituenda est, quæro, vbi primum lectionis exordium fieri debeat? Nam præterquàm, quòd asterismi characteristici semper, & vbique locorum ijdem sint & immutabiles, singulis etiam, è quibus illi spectari poterunt, locis & Horizontibus communes existunt, ac proinde in hoc bonum, in altero malum æquo intuitu ex ijs cognoscere licet. Quis igitur æquum se iudicem & definitorem in hoc negotio adeo lubrico interponet? cùm definiri nullâ ratione possit, cur huic potiùs bonum, aut malum, quàm illi regioni, aut ciuitati, aut homini portendatur, aut quo tempore scriptura minitans complenda sit. Respondet ad hoc Gaffarellus ex R. Abiudam: *Pour sçauoir parfaictement entendre ceste escriture celeste, il faut exactement remarquer les estoilles verticales; car celles qui sont sur vn Royaume, monstrent ordinairement ce qui luy doit arriuer.* hoc est: *Ad perfectam cælestis huius scripturæ rationem cognoscendam, oportet exactè notare stellas alicui Regno verticales, hæ enim ordinariè monstrant quicquid illi euenire debebit.* At contrà; cùm stellæ alicui regioni verticales attendendæ sint, omnibus autem ijs, qui eidem parallelo substant, dictæ stellæ æquè verticales sint; necessariò sequitur, omnes circumsitas terræ globum eundem effectum sortituras, cùm nulla sit ratio, cur periœcis sub hoc potiùs meridiano, quàm ijsdem sub alijs & alijs dictum parallelum secantibus, dictus effectus competat; cùm eadem semper immobilis & immutabilis scriptura omnibus sub eodem parallelo habitantibus semel 24 horarum spatio verticalis sit. Verùm experientia docet, magnam periœcos effectuum varietatem habere, alijs bellorum, famis, cœterisque calamitatibus pressis, alijs verò pacis felicitate perpetuâ gaudentibus. Hisce argumentis absterriti hoc repererunt effugium, vt dicant, stellas quidem semper immobiles & immutabiles esse, & hoc sensu legi minimè posse scripturam illam cœlestem, sed Deum tùm per planetarum vltrò citròque commeantium disparatos motus, tùm per cometas, nouaque stellarum subinde apparentium portenta, Sapientibus futurarum rerum, euentuumque secuturorum veritatem manifestare; hi enim dum omnes cœlorum semitas peruagantes, semper alicubi cum dictis asterismis coniungantur, fit vt ex hac Synodo nunc in principio, paulò

Obiectio 1. contra Alphabetum Cœleste.

Responsio Gaffarelli.

Instantia contra Gaffarellum.

Effugium Gaffarelli.

lò poſt in medio, & tandem in fine alicuius aſteriſmi notabilis, ſenſus eliciatur earum rerum, quas indicant. Exemplo rem declarat Gaffarellus; in hac, inquit, Gallica voce AME, ſi ei in principio iungatur F, conſtitues vocem FAME; ſi eidem in medio iungatur R, conſtituet vocem ARME, & ſic de cœteris. Addit, cùm in aſteriſmis diuerſæ magnitudinis ſtellæ ſint, maiores ſe per modum maiuſcularum literarum habere, & magis ſignificatiuas eſſe, ac proinde ad ipſas ſolas interdum eſſe attendendum. Sic (ait ipſe) ſi in hoc verbo, EMPEREVR, volo legere verbum PERE, ſcribam verbum EMPEREVR ſic, emPEREur; & ſic ſolæ maiuſculæ ſignificant PERE. Similiter ſi in voce ROYAVME, volo legere vocem ROME, ſcribam ROyauME. Sed quis puerilem hanc & ineptiſſimam philoſophandi rationem non rideat? Si enim planetæ, cometæ, cœteraque noua ſtellarum phœnomena, hanc ſenſus in ſcriptura cœleſti mutationem efficiant; peto vt mihi indicent, quam literam ſolitaria illa ſidera conſtituant, cùm vna ſola ſtella cuiuſpiam literæ conſtituendæ incapax ſit, ſed plures ſtellæ, vt vltrò fatentur, ad figuram conſtituendam neceſſariæ ſint. Forſan reſpondebunt, hoc fieri in magnis coniunctionibus, quibus planetarum fit concurſus. Sed ponamus, eos quadratum efficere; quis iam cognoſcere poterit, vtrum illud quadratum Aleph, num Beth, num He, aut Cheth, num Mem, aut ſimilem quampiam quadratæ formæ literam efficiat; cùm quadratum illud, quod planetæ cum ſtellis efficiunt, omnibus dictis literis conuenire poſſit, vt in ſequentibus literis apparet, םחהבא: in quibus cùm ſolus linearum ductus, literarum figuras tantùm denominet, fruſtraneus & prorſùs otioſus videtur ſtellarum in quadratum ſitus. quod idem de literis linealibus, quæ duabus tantùm ſtellis conſtant, vt in ר י ן ו ז; & in triangularibus literis, quæ tribus ſtellis vtplurimùm efformantur, vti ſunt סלדטג &c. dicendum eſt. Sed ſummam huius ſcripturæ vanitatem non meliùs quàm per exempla conſpicere licebit. Exempla adducit ex R. Ghomer, Gaffarellus ſequentia: primò caput Meduſæ, cuius ſtellæ quinque principales & verticales, vltimam Græciæ portendebant deſolationem, dum hanc vocem Hebræam conſtituunt חרב, *Charab*, hoc eſt, *deſolatum*. Verùm qui hæc penſiculatiùs rimatus fuerit, is ſub his non niſi apertam impoſturam latere reperiet; quod ita oſtendimus. Quinque principales ſtellæ deſignantur per quinque puncta candida literis impreſſa; vbi prima litera ח *Cheth* duabus ſtellis, ר *Reſch* vnâ, & tertia ב *Beth* pariter duabus conſtat ſtellis: ſed vti ex Alphabeto cœleſti patet, ע צ ס טז eundem prorſùs ſtellarum ſitum habent, quem habet prima dictæ vocis litera ח *Cheth*; ſecunda litera ר *Reſch* eundem quem ו *Vau*, ק *Koph*, ד *Daleth*; tertia denique eundem quem literæ תנ כ גב. Vndè ſequitur ex dicta conſtellatione non tantùm colligi poſſe vocem חרב, id eſt, *deſolatum*, ſed & omnia ſequentia vocabula: סות, סוף, זית, צוף, זקן, חרץ, חרף, ערב, טוב, quo-

Confutatio.

Vanitas Alphabeti cœleſtis oſtenditur per exempla.

quorum prius טוב idem sonat ac *bonum*, sensusque est priori prorsus contrarius; secundum ערב idem ac *spondere, miscere, coruus, salix*; tertium חרף idem ac *probris afficere, hyems*; quartum חרץ idem quod *mouere, sollicitare, &c.* quintum זקן, idem quod *senescere, barba*; sextum צוף idem quod *natare, euolare, fauus*; septimum זית idem quod *olea, oleum*; octauum סוף idem quod *terminus, finis, deficere*; nonum סות idem quod *operimentum*, significant, vti ex Lexico Hebraico patebit. Cùm itaque vna & eadem interpretatio tot & tam varijs modis confici possit, sensum nunc bonum, nunc malum inuoluentibus, quis vnquam de sensus veritate assecurabitur? Patet igitur dictam scripturam penitùs nugacem esse, nec vllam rationem excogitari posse, quæ ei quouis modo satisfacere valeat.

Obiectio 2. contra Alphabetũ cœleste.

Altera difficultas consistit in hoc, quòd sciri non possit, cui potissimùm regioni huiusmodi infortunia portendantur. Verùm nè & in hoc nihil dixisse videantur, ad Cabalica diuertunt artificia; ex numeris enim vocis v. g. חרב, summo, at inutili labore, quærunt vocem alicuius regionis eundem numerum continentem, cuiusmodi dicunt יון *Iuan*, id est, *Græcia*; Græciæ itaque desolationem instare diuinant, eò quòd hæc eundem numerum contineat, quem vox חרב, videlicet 12. Sed pessima, sicuti omnia alia, ἰσοψηφίας ratio, ineptè & violenter ad propositum detorta: dum enim viderent se intentum non obtenturos, quibusdam literis diuersos numeros attribuerunt, quàm communis Arithmeticorum Schola ijs attribuit. Sic τῷ ר, quæ 200 significare solet, illi attribuunt 2 reiectis zyphris. pari pacto τῷ י, quæ 10 significat, illi attribuunt 1 reiecta zyphra. Quod si א occurreret, quæ 1 significat, quomodo hanc ab vnitate *Iod* distinguent? video eos hærere, & ad nihil respondere posse, nisi quòd se apertè omnibus eximios prostituant impostores.

Arguitur vlterius vanitas ac falsitas Alphabeti cœlestis.

Plura similia stolida & insanæ mentis technasmata ex RR. Chomer, Kapol, & Abiudan adducit. Cùm Nabuzardan, ait, templum Ierusalem destrueret, stellæ eidem verticales has quinque literas constituebant החשמן, quod idem est, ac *vastare, excidere, in vltimam ruinam deducere*; cuius literas κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν resolutas eundem aiunt conficere numerum, quem anni, quibus templum à sui conditu vsque ad istud tempus durauit. Iterum antequam Iudæi sceptrum viderent concussum, libertatemque suam in Babylone captiuam reperirent, quinque stellæ hasce literas my-

50 sticas exhibebant נתק, quod idem est, ac *rumpere, demoliri, exterminare*;
400 cuius numerus 505, vt ipsi ponunt, respondet numero annorum, quibus
100 à Saule vsque ad Sedechiam durauit regnum Hebræorum. Falsum, vti
550 omnia alia; ego enim non 505, sed 550 numerum sub voce *Natak* reperio, vti in margine patet. Pari pacto Persæ & Assyrij, post euersa Regnorum, Imperiorumque Monarchias, legebant in quatuor stellis verti-

cali-

calibus hanc vocem רוב, quod *litigare* significat, & numerum 208 constituere aiunt, eundem cum numero annorum, quibus hæc Monarchia durauit, à Cyro stabilita. Finis Græciæ pari pacto monstratus fuit per quatuor stellas, quæ componebant vocem פרד, id est, *diuidere*, quorum numerus 284 durationi huius Monarchiæ congruit. Iterum Monarchia Atheniensium durabat 490 annis, quam durationem exhibent tres literæ quatuor stellarum quæ sub voce צרר continentur, & significat *angustijs affici*. Cum hisce quatuor stellis videntur quatuor aliæ in formam ככ dispositæ, quas literas fatales & lugubres appellant; Rabbi verò Chomer ait duplici Caph, significari *Cecropem* & *Codrum*, sub quibus potentissimum hoc Regnum & inceptum & consummatum est. Talibus se nugamentis oblectant maleferiatorum hominum ingenia. Porrò aiunt, Romanum Consulatum non potuisse potentiam suam extendere vltra 501 annos, quia sic ipsi, & non aliter decreuerat fatale illud cœlorum volumen per 8 stellas, quæ componebant hanc vocem ראש, quod *caput* & *cacumen* significat, & numerum continet 501. quanto tempore videlicet durauit Consulum Romanum dominatus. Rursus Monarchia Iulij Cæsaris ad Consulatum Romanorum opprimendum fundata, totidem ferè annis durauit, indicata per sex stellas, quæ componebant hanc vocem שבר, quod idem est, ac *frangere, rumpere*, & numerum habet 502. Denique R. Chomer putat se per stellarum lectionem vicinum Ottomanici Imperij terminum reperisse hoc pacto. hodierno die septem stellæ huic verticales sunt, & constituunt vocem כאה, quod significat *infirmari, conquassatum esse, magnoq; dolore affici*; & numerum quidem durationis dicti Imperij indicat numerus sub voce כאה absconditus, videlicet 1025. Cùm itaque hic annus completus fuerit, suum & Monarchiam hanc dominatum complere necesse; quod fieri deberet 1655. Nam subtrahendo à currente Christi anno, 630 annos, quibus post Christum perfidia Mahumedana incepit, remanet 1025 durationis Regni Ottomanici tempus.

ר	200
ו	6
ב	2
	208

פ	80
ר	200
ד	4
	284

צ	90
ר	200
ר	200
	490

ר	200
א	1
ש	300
	501

ש	300
ב	2
ר	200
	502

כ	20
א	1000
ה	5
	1025

Verùm hoc data opera totum dolosè confictum esse, inde patet, quòd vox כאה non contineat numerum 1025, quem tam anxiè ad suum commentum detorquet Chomer, quisquis ille fuerit Rabbinaster, sed numerus eius ἰσόψηφος proprius est 26. vti illum ex arte resoluenti patebit. nec valet illum pro א accipere millenarium, cùm hæc absurdissima licentia sit, & nullâ ratione toleranda; neque enim א vnquam pro millenario numero accipitur, nisi puncto signatum. Patet igitur, in omnibus hisce nugamentis manifesta impostura; dum, contra leges numeris literarum ab antiquis præscriptas, illos nunc mutent, nunc addendo, demendoque adeo deprauent, vt vix ampliùs dignosci possint. Vt igitur ad scopum præfixum, sub certa numerorum summa, quæ durationem alicuius Regni notet, latentem perueniant, hâc tam effronti licentia in numerorum responso κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν adornando combinandoque sine scrupulo vti solent;

כ	20
א	1
ה	5
	26

nu-

numerosque cœteroquin immutabiles ad suum intentum, velint, nolint, coactâ ac violentâ compositione adigunt. O Asininam ruditatem, non nisi fustibus dignam. Quæ quidem fusiùs confutanda duximus, vt male-feriatorum hominum stoliditas & insania luculentiùs innotesceret; nescio enim quem adeo speciosum cœlestis scripturæ dogma in imperitorum animis pruritum excitârit, potissimùm hoc tempore, quo quantò commenta fuerint absurdiora, tantò in animis superstitiosorum hominum plausibiliora sunt, ac veluti ambobus brachijs auidiùs excipiuntur; quibus quidem erroribus paulatim serpentibus remedium efficaciùs adhiberi non posse existimaui, quàm insanorum huiusmodi dogmatum apodicticam confutationem; quorum suppressâ falsitate, veritas tandem suæ integritati restituatur.

CAPVT VIII.

De Horologijs, seu Sciathericis Veterum.

SI verum est quod sciuit Stoicorum Schola, & retulimus lib. 3. c. 2. Artis Magnæ Lucis & Vmbræ, tempus esse normam rerum & custodiam, quia veritatis index atque examen est, & rerum gestarum memoriam, ac diuturnitatem posteritati tuetur; ij sanè non exiguâ laude digni sunt, qui leges temporum vmbraticis alligantes vinculis, fugitiuos annos, menses, dies, horas retractas, ita præsentes, ac si res permanentes forent, ingenioso sanè commento, sistere conati sunt. Cùm enim tempus nihil aliud sit, quàm μέτρησις τοῦ πρώτου κινητοῦ, *mensura primi mobilis secundùm prius & posterius*, Philosopho teste; mensura autem hæc omnium humanarum actionum regula sit; ad confusionem vitandam assumpta: certè tempus ipsum priscis sæculis, dum horarum nomine tempus necdum sibi constaret, quotidianis actionibus distinctum appellatum fusè docet Censorinus. Ita βουλυτὸν vesperam vocabant, nimirum, vt Poëta inquit;

Temporis diuisio apud Antiquos etiam in vsu fuit.

Demeret emeritis cùm iuga Phœbus equis.

Item tempus antemeridianum designantes dicebant πληθούσης ἀγορᾶς, conuenientibus scilicet eo tempore in comitium viris, vt Hesiodus dicit ὅτ' ἀληθέω λαοὶ κείνοντες ἄγωσι. Sic Homerus meridiem designat, ὅταν δρυτόμος ἀνὴρ δόρπον ὁπλίσατο. Imò, Athenæo teste, verbo ὥρα, vt plurimùm Veteres tempus actuum quotidianorum notabant, vt ὥρα δόρπου, ὥρα δείπνου. Latinis quoque tempestas dicitur; idem censeas de veteribus Hebræis, qui diem in Mane, Meridiem, & Vesperam diuidebant, quas partes Horas dicebant. Ijdem totum νυχθήμερον in quatuor partes (quas Vigilias vocabant) diuisum obseruabant: prima Vigilia erat à Vespere: secunda à media nocte: tertia ab aurora; quarta à meridie. Vnde quidam concludunt, Priscos horarum spacijs caruisse. perperam; nam Gnomonices artem, & horarum distributionem à principio fuisse, facilè mihi persuadeo, dum insi-

Gnomica ab initio fuit.

insignem antiquorum in rebus adinueniendis solertiam penitiùs considero. Nam cùm ea, quibus carere nequimus, quibusque necessariò vtimur, maximè vtilia iudicamus; certè non est verisimile, primos Mortales vsum Musicæ, vocumque interualla magis abstrusa, minùsque necessaria inuenisse; Gnomicam minùs difficilem, magis necessariam neglexisse. Quòd si, Philosopho teste, tempus est numerus motus, adeoque actionum nostrarum mensura; necesse est, aut Veteres caruisse tempore, quo actiones suas mensurarent, aut Gnomices rudes non extitisse. Astronomiam certè, imò & Astrologiam omnes ferè in primos parentes Adamum eiusque progeniem referunt, vt suprà & Classe II. vidimus: quem autem latet neutram ipsarumq; absque Gnomonica stare? Partitio enim temporis vtriq; summè necessaria est. Antiquissima igitur fuit diuisio diei in certas partes שעות, quas Horas vocabant; cuius principia ipse quasi sensus designauit. In sacris libris passim horarum vsus clarè indicatur. Exod. 9. Deuter. 28. Esd. 3. cap. 2. Iob 11. mentio fit horæ dimidiæ, & cap. 12. *Per tres horas prostrati orarunt*. Eccles. 12 *Vna hora permanebit tecum*. & 30. *Omne opus hora sua*. E quibus tale conficitur argumentum: Si Antiqui horas habuerunt, habuerunt etiam instrumenta, quibus eas cognouerunt; ergo & Gnomicam excoluerunt: talia autem instrumenta, horologia sunt dicta; ergo. Sed de his plura infrà in hoc eodem capite. Porrò antiquitùs in vsu fuisse Horologia Sciatherica, demonstrat locutio ἑνδεκάπους σκιὰ, pro hora cœnæ; vel ἑνδεκάπουν στοιχεῖον, quia notis literarum singularum horæ distinguebantur; testatur & ἐπιγραμμάτιον de Horologio apud Athenæum, de quo §. II. sequenti. *Horarũ vsus antiquissimus.*

Herodotus l. 11. Geometriam ab Ægyptijs ad Græcos peruenisse scribit, Gnomicen autem, & dierum in partes 12 fractionem à Babylonijs ad eosdem manasse. Verba eius sunt: Πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθεν Ἕλληνες. *Polum enim, & Gnomonem, & duodecim partes diei à Babylonijs Græci didicerunt*. Hoc loco tametsi nonnulli horas non pro duodecim diei partibus, sed pro signis ciuilibus negotiationibus deputatis, & pro Solstitialibus temporibus sumi debere contendant; nos tamen putamus horas verè 12 diei partes fuisse æquinoctiales, & æquabiles, quas καιρικὰς & populares vocant, quæ omni die & nocte sunt duodecim. Certum enim est, Mathematicos illos, qui Horoscopia, vel Heliotropia publicè & in propatulo collocabant, non solis eruditis & Astronomiæ peritis, sed vulgo ea proposuisse; quæ non ad sola discernenda Solstitia ex vmbrarum ratione, sed ad ciuiles diei partes, & ad quotidiana gubernanda negotia pertinebant. Quid enim interesset plebæiorum hominum ac ciuium, scire, quo momento exactè Solstitia commissa sint? vt eiusmodi obseruationis vsus ad rusticorum quorundam operum procurationem vtcunque spectaret, non tam limatâ subtilitate opus fuit, sed pinguiori Mineruâ discerni hæc facilè potuit, vt ex mensibus ciuilibus annuos cardines æstimarent, vt prudenter notauit Petauius noster in suo Ouranologico Opere l. 7. c. 7. Quis porrò credat, vnius in anno diei, vel paucorum, quibus cardines illi accidunt, machinas illas *Horarum nomine quid intellexerint Antiqui.*

fuisse proprias? præclarâ verò & publicâ commendatione digna hæc opportunitas, nôsse, diebus abhinc centum, aut ducentis, æstiuum incidisse Solstitium, vel post hac futurum. Imò verò horologia Veterum, machinæ erant ad distinguendas diei duodecim partes, quæ à Solis conuersione ita sint dictæ, vt perinde nihil absurdiùs dici possit, quàm vni tantùm tempori, aut etiam vni diei tantùm, tantam illam molem seruijsse. Neque obstat, illa horologia vocata fuisse θερινὰ, æstiua, vel χειμερινὰ, hyberna; cùm hisce non æstiuæ & hybernæ conuersionis tempus, sed horologia æquinoctialia indigitauerint; hæc enim supra planum æquinoctialis posita, perpetuo gnomone suo demonstrant horas Sole æstiua signa transeunte superiùs; inferiùs verò easdem monstrant reliquo dimidij anni tempore, Sole hyberna signa transeunte, vt vel pueris in gnomonica facultate constat. Fuerunt autem varia horologiorum genera Antiquis vsurpata: Gnomonica, siue Sciatherica, Hydraulica, Sympathica; Gnomonica iterum varia erant. De quibus singulis ordine, à Sciathericis initium facturi nostræ disceptationis.

§ I.

De Horologio Sciatherico Achaz.

INter cœtera Veterum celeberrima Horologia vnum fuit Horologium Achaz; quod nobis hisce verbis refert c. 20. libri 4. Regum.

ויקרא ישעיהו הנביא אל יהוה וישב את הצל במעלות
אשר ירדה במעלות אחז אחרנית עשר מעלות:

Et clamauit Isaias Propheta ad Dominum, & reuersa est vmbra in gradibus, quos descenderat in horologio Achaz, retrò 10 gradus. vel vt Isaias habet capite 38. v. 8.

הנני משיב את צל המעלות אשר ירדה במעלות אחז
בשמש אחרנית עשר מעלות ותשב השמש עשר מעלות
במעלות אשר ירדה:

Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, seu graduum, per quos descenderat in horologio Achaz, in Sole retrorsum decem lineis seu gradibus; & reuersus est Sol decem gradibus per gradus quos descenderat. vel vt Paraphrasis Chaldaica habet:

הא אנא מתיב ית טול אבן שעיא דנחתה במסקנא
דאחז שמשא לאחורוהי עשר שעין ותב שמשא עשר שעין
בצורת אבן שעיא דנחתה:

Ecce ego reuerti faciam vmbram lapidis horarum, qua descenderat per gradus Achaz Sol, retrorsum decem horis; & regressus est Sol decem horis in figura lapidis horarum, qua descenderat. Septuaginta sic habent: Ἰδοὺ ἐγὼ στρέψω τὴν σκιὰν τῶν ἀναβαθμῶν οὓς κατέβη τοὺς δέκα ἀναβαθμοὺς τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου ὁ ἥλιος· ἀποστρέψω

στρέψω τὸν ἥλιον τοὺς δέκα ἀναβαθμοὺς οὓς κατέβη ἡ σκιά. Ecce ego verto vmbrã graduum, quos descendit decem gradus domus patris sui Sol; auertam Solem decem gradibus, quos descendit vmbra.

Habemus itaque, Horologium hoc fuisse gnomonicum seu Sciathericum; habemus fuisse in domo Achaz, patris Ezechiæ Regis Iuda; habemus & illud horarijs lineis insignitum. Quale tamen fuerit illud, & quo horarum genere fuerit insignitum, restat explicandum. — Horologium Achaz fuit sciathericum, & lineis horarijs insignitum.

Nonnulli putant, hoc Horologium fuisse horizontale; & id colligunt ex paraphrasi Chaldaica, vbi habetur: אבן שעיא *Auen Schaia*, hoc est, *lapis horarum*. Quidam putant fuisse hemicyclum, in formam Scaphij, ante fores Regis positum. Plerique Rabbinorum existimant, fuisse in muro domus Regiæ. ita colligitur ex Radak in expositione huius loci:

ושב השמש אחרנית והיה הצל במעלה הראשונה — R. Radak.
במעלות אחז כי הוא בנה אותם המעלות ובדר ואשר
ירדה במעלות אחז:

Et reuersus est Sol retrò, & fuit vmbra in primo gradu in Horologio Achaz, quoniam ipse ædificauerat Horologium in domo sua, in quo descendebant gradus. Vel vt Ralbag habet:

שבנה אחז בבית המלכות: — R. Ralbag.

Quod Horologium ædificauerat Achaz in domo Regia. Quod quidem verticale fuisse, & rectà in meridiem respexisse, R. Salmon in hunc locum his verbis ostendit:

והיה כמין מדרגות עשויות כנגד החמה לבחון שעות — R. Salmon.
היום:

Erat autem quasi species graduum, qui è regione Solis, id est, versus meridiem dirigebantur. vt per eos horæ diei probarentur. Cùm autem horologium vsui publico, & negotijs ciuilibus in Regia domo peragi solitis iuxta certa horarum tempora determinandis destinaretur; verisimile est, illud fuisse grande, elegans, & vti omnibus patulum, ita in principali Vrbis loco, hoc est, Regio palatio, tùm ad ornatum, tùm ad publicam vtilitatem, vt dixi, negotiorumque opportunè tractandorum rationem supra portam domus constitutum. Neque video cur Authores nonnulli illud Scaphij hemicycli formam habuisse velint; cùm illud, præterquam quòd exiguum, publicis vtilitatibus non adeo seruire potuisset, cùm horæ nequaquam, nisi concauum saxum propè inspicientibus, patere possint. Manet itaque, in ingenti & verticali, vt Gnomonici loquuntur, politi marmoris superficie, quod meridiem præcisè respiciebat, illud fuisse delineatum. Dubium hoc loco tantùm occurrit, quali horarum genere illud fuerit insignitum; horarijs enim id lineis fuisse descriptum, ex Paraphrasi Chaldaica paulò antè citata patuit. Quod vt exponatur, Notandum, quadruplex horarum genus passim ab Astronomis assignari. Primum genus constituit horas 24 ab ortu vsque ad ortum, Babylonijs vsurpatum potissimùm; alterùm 24 horas contrà ab occasu ad occasum numerat, & maximè Italis in

— Horologium Achaz fuit verticale, meridiem directè respiciens.

— Quatuor horologiorum Sciathericorum genera.

vſu eſt; tertium horas 24 à meridie in meridiem, vti Aſtronomi ſolent, numerat, vnde & Aſtronomicæ appellantur; vel etiam à media nocte in mediam noctem, cuiuſmodi Eccleſia in feſtorum celebratione vſurpare ſolet, eaſdem computat; quartum horas 12 computat ab ortu in occaſum, & totidem ab occaſu in ortum; ita vt hora huiuſmodi nihil aliud ſit, quàm duodecima tam diei, quàm noctis artificialis portio. Quæ horæ tametſi omnes æquales ſint, inæquales tamen ſunt, diuerſorum dierum ac noctium, nunc longiorum, nunc breuiorum reſpectu, de quibus vide fol. 215. Artis magnæ Lucis & Vmbræ. Atque hæ quoque paſſim vocantur antiquæ, eò quòd tota antiquitas ſemper ijs vſa comperiatur; quas & Martialis lib. 4. Epigram. eleganter deſcribit. Vocantur etiam Iudaicæ, eò quòd Hebræi Veteres ijs, & non alijs fuerint vſi, vt ex ſacris literis comprobatur. Huc alludit illud Chriſti Saluatoris noſtri, *Nonne duodecim horæ diei ſunt?* huc, vti eſt in Actibus Apoſtolorum, hora tertia aduentus Spiritus Sancti ſuper Diſcipulos; & vt in Euangelijs habetur, hora nona mortis Chriſti, alludunt; quorum illa nonæ Aſtronomicæ, hæc tertiæ Aſtronomicæ reſpondet. Porrò in Sanedrin Thalmudico tractatu celeberrimo mentio fit horarum huiuſmodi, dum Adami à Deo ſingulari myſterio iuxta horarum diſtributionem membra producta fabulantur; in prima quidem hora, id eſt, ab ortu Solis Deus collegit puluerem eius; hora ſecunda, facta eſt maſſa corporis; hora tertia, extenſa ſunt membra eius; quarta, infuſus eſt ſpiritus in eum; quinta, ſtetit ſupra pedes ſuos; ſexta, ſeu in meridie, impoſuit rebus nomina; ſeptima, coniuncta eſt ei Eua; octaua, aſcenderunt ipſi duo ad lectum, & deſcenderunt quatuor; nona, prohibitus eſt edere de ligno ſcientiæ; decima, data ſunt ei alia præcepta; vndecima, ſignificauit menſam; duodecima, ad occaſum Solis, præuaricatus eſt Adam.

Hebræis itaque horarum genus aliud non fuit, quàm quod deſcripſimus; vnde conſequens eſt, horologium Achaz non alio horarum genere quàm inæqualium, vti omnibus Orientalibus communi, inſignitum fuiſſe. Ex quo colligimus, vmbram dicti horologij eo tempore, quo Ezechiæ à Propheta vitæ prorogatio promittebatur, monſtraſſe horam decimam, retroceſſiſſe verò ſummo miraculo vmbram ad primæ horæ initium, vti ſuprà ex Radak probauimus; quod quidem fieri non poterat, niſi Solis curſu in ortum Solis reflexo, ſtupendo quodam miraculo; quod quidem non fuit, vt nonnulli putant, oculorum illuſio, ſed vera & realis Solis ex occaſu in ortum retractio, ex qua dies naturalis in vniuerſa terra decem horis ſolito longior efficiebatur. Quod & inde patet, quòd Babylonij hâc inſolitâ diei longitudine ſtupefacti, & Solis in horologio Achaz receſſu certiores facti, ad Ezechiam Viros ad mirifici huius euentus rationem examinandam, vt citato loco habetur, amandarunt.

Patet itaque ex dictis, non tantùm Hebræis, Chaldæis, Romanis, ſed & Ægyptijs horas huiuſmodi nullo non tempore fuiſſe vſitatas. Verùm iam ordo poſtulat, vt Ægyptiorum horologiorũ rationem propiùs oſtendamus.

§ II.

De Horologijs Aegyptijs.

Horologiorũ triplex genus apud Ægyptios, Sciathericum, Naturale, & Sympathicum.

TRiplex lego Ægyptijs fuisse vsurpatum Horologium: Sciathericum, Naturale, & Sympathicum. Primum erat illud, quo horaria tempora ex vmbris Gnomonum ediscebant. Erat autem & hoc multiplex. Nonnulli ex vmbris Obeliscorum & pyramidum, certis in ambientis superficiei planitie signis fixis, ad quæ vmbra apicis pertingeret, talem & talem horam esse discebant. Hoc pacto Obeliscum Heliopoli erectum, horas indicasse alibi ostendimus. Pyramidem quoque maximam, totius anni meridianum tempus; Solstitia item & æquinoctia; vmbris meridianis nunquam extra basin cadentibus, exhibuisse, Strabo & Solinus docent. Præterea baculo terræ superficiei implantato horas per pedes, quibus vmbram baculi metiebantur, didicisse, & sic in temporis actionibus peragendis constituti notitiam peruenisse, docet locutio ἑνδεκάπους σκιά, id est, *vndecim pedum vmbra*, pro hora cœnæ; vel ἑνδεκάπους στοιχεῖον, quia notis literarum singularum horæ distinguebantur, vt testatum reliquit Athenæus sequenti Epigrammatio.

Obeliscorum vmbræ apud Ægyptios monstrabant horas, meridiem, & Solstitia. Strabo. Solinus.

Vmbra baculi per pedes dimensa discebant Ægyptij horas. Athenæus.

> Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ τὲ μετ' αὐτὰς
> Γράμμασι δεικνύμεναι, ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.

> *Sex horæ laboribus sufficiunt, sequentes negotijs destinantur,*
> *ΖΗΘΙ verò, id est, 7. 8. 9. 10. cœnales vocant.*

Ita vt ΑΒΓ, id est, 1. 2. 3. laboribus; ΔΕϚ, id est, 4. 5. 6. negotijs ciuilibus; ΖΗΘΙ denique, id est, 7. 8. 9. 10. cœnali refectioni deputarentur.

Quadrantis in horis inueniendis vsus apud Ægyptios.

Ægyptios quoque quadrantis in horis inueniendis vsum tenuisse, quadrans inter hieroglyphica passim insertus satis docet, quo ex altitudine Solis datam horam eliciebant.

§ III.

De Scaphio Aegyptiorum Sciatherico.

Arazael. Scaphium, & eius vsus in horis inueniendis apud Ægyptios. Macrobius.

PEr vmbras intra Scaphia collectas, Veteres telluris magnitudinem, summo sanè ingenio deprehendisse, Arazaël Astronomus Arabs libro de Mundi mensura testatur. Hisce quoque Eratosthenem in Ægypto vsum Ptolomæus testatur. Erat autem Scaphium, vt Macrobius in somnium Scipionis explicat, saxeum quoddam vas (quod inde Veteres אבן השעות, hoc est, *lapidem horarium*, dum horologium Achaz suprà descriptum interpretantur, dixerunt) in hemisphœrij formam curuatã ambitio-

bitione cauatum, infrà per lineas designato duodecim diei horarum numero, quas styli prominentis vmbrà cum transitu Solis prætereundo distinguebat; hoc enim erat huiusmodi vasis officium, vt tanto tempore à priori eius extremitate ad alteram vsque styli vmbra percurreret, quanto Sol medietatem cœli ab ortu in occasum, vnius scilicet hemisphœrij conuersione metiebatur. Nam totius cœli integra conuersio diem noctemque concludit. Et ideo constat, quantum Sol in circulo, quolibet parallelo meat, tantum in hoc vase vmbram meare. Huius vasis mentionem à Martiano Capella quoque factam lego: *Scaphia, inquit, ex ære vasa sunt, in quibus horarũ ductus styli medio fundo suâ proceritate discriminant, qui stylus, gnomon appellatur*. Vide Plinium lib. 2. c. 2. Vitruuium lib. 9. c. 9. Præ cœteris itaque, vti & hieroglyphica suo tempore producta monstrabunt, Scaphio hoc vtebantur Ægyptij. Cùm enim vsum sphœræ iam perfectè callerent, Scaphium autem nihil aliud esset, quàm hemisphœrium concauum, in quo summâ facilitate tùm parallelorum Solis, vnà cum tropicis, & æquinoctiali, tùm horarum inæqualium discrimina delinearentur; hoc pacto, æquinoctialem primò in duodecim partes æquales diuidebant, & in totidem Tropicum ♑ & ♋; per quarum sectiones si lineæ curuæ ducebantur, necessariò horarum inæqualium ductus prodibant; quorum primus, siue Horizon, obtinebat horam duodecimam, meridies sextam, vltimus tandem iterum duodecimam ad occasum Solis monstrabat. Quomodo verò Eratosthenes, Possidonius, & Alammon Rex, per Scaphium terræ quantitatem inuestigauerint, vide amplè tractatum in Arte nostra magna Lucis & Vmbræ fol. 722.

Martianus Capella. Plinius. Vitruuius.

§ IV.

De Cercopitheco Horologio Aegyptiorum.

Cynocephalus vrinando metiebatur horaria tempora apud Ægyptios.

ERat inter alia aliud non minùs ridiculum, quàm mysteriosum. Obseruabant in Cynocephalo (est ea Simiarum quædam species) nescio quam occultam proprietatem, quâ Sole Ariete & Libram subeunte, abdito quodam naturæ instinctu duodecies interdiu, noctuque vrinam daret. Hinc prodijt Horologium hydraulicum Ægyptijs proprium. Ex ære formabant Cynocephalum sedentem, ex cuius veretillo aqua delabebatur in subiectam phialam oblongam, cuius augmentũ paulatim ascendens intra cyliandraceæ vitreæ machinæ latera in duodecim circulos diuisa, gradatim horas monstrabat. Ita Horus lib. 1. Hieroglyphico 16. quem consule. Simulachrum quoque Cynocephali vide in Obelisco Pamphilio fol. 300. vbi fusè omnia descripta reperies. Horologium inuenies infrà in Mechanica Ægyptiaca.

Horus.

§ V.

§ V.

De Horologio Aegyptiorum Sympathico.

SYmpathicum Ægyptiorum Horologium erat ſolis Philoſophis & myſtis notum, quò in conſultationibus ſuis myſticis vtebantur. Erat autem Lotus aquatica; quæ planta eſt paluſtris, ea occultâ naturæ vi prædita, vt ſimul ac Sol oritur, & ipſa veluti ex aquarum profundo exoriens paulatim ſe erigat vſque ad meridiem, quo tota ſupra aquas exiſtens normali erectione ſuâ Solem veluti æmulari videtur: ad occaſum verò Sole vergente, & ipſa inclinatione ſuâ de horis in horas eaſdem ſibi leges, mirificâ ſuâ conuerſione ſeruat, vſque ad aquæ ſuperficiem; Sole denique Horizontem ſubeunte, & ipſa aquas ſubiens, ita pertinaci ſubmerſione ambit, vt quantum in meridie ſeſe extulerat, tantum infra aquas ſubmerſa, Solem veluti deperire videatur. Nouerant Sacerdotes occultum naturæ impetum; ea de cauſa, aquis circulum ligneum, vt hîc vides, Sola- Horologium ſympathicum apud Ægyptios conſtituebat Lotus aquatica.

ris circuli æmulum implantabant ſuis horis inſignitum; fiebatque vt horas, quas vix Sciatherico, eas abditâ quâdam naturæ ambitione perſectè diſcerent. Verùm cùm de hiſce in Obeliſco Pamphilio iam egerimus, & iterum tractatu de plantis Ægyptijs ex profeſſo acturi ſimus, Lectorem eò remittimus. Vide etiam quæ diximus in Arte Magnetica lib. 3. parte 5. cap. 4.

CAPVT IX.

De Horis planetarijs, Geniorumque singularum Præsidibus.

Planetas singulos singulis septimanæ diebus attribuebant Ægyptij.

VT in omnibus, ita Ægyptij potissimùm magnum in septem planetis, singulis diei horis dominantibus, mysterium posuisse visi sunt. Hi enim primi fuerunt, qui singulos septimanæ dies singulis planetis attribuerunt. Putabant enim, singulis horis ab ortu Solis vsque ad alterum ortum noctu diuque aliquem ex præsidibus planetis præesse. Vnde & in hunc vsque diem Astrologica vanitas profluxit, quia Astrologi nihil ferè, nisi priùs planetæ dominantis hora inspecta perspectaque, auspicantur. Verùm vt negotium reconditum luculentiùs patefiat, de eo pariter altiùs ordiri visum est.

§ I.

Horæ planetariæ quæ, & quales:

Horæ planetariæ quæ, & quales.

HOræ planetariæ, quæ hîc describuntur, inæquales sunt. Quæ quidem sic dicuntur, non absolutè ad Solis cursum, vti horæ æquales, sed ad planetas dominantes referuntur. Cùm enim septem planetas hoc ordine referrent, ☽ ☿ ♀ ☉ ♂ ♃ ♄, singuli horis diei singulis ordine retrogrado dominari & præesse putabantur. Nam si prima diei hora dominabatur Saturnus, secunda dominabatur Iupiter, tertia Mars, quarta Sol, quinta Venus, sexta Mercurius, septima Luna, octaua iterum Saturnus, nona Iupiter, & sic deinceps; quibus sic ordine spacio 24 horarum reuolutis, sequentis diei hora prima necessariò competebat Soli, secunda eiusdem diei Veneri, tertia eiusdem diei Mercurio, & sic de cœteris, donec reuolutione 24 horarum facta, tertia diei competeret Marti; quemadmodum ex sequenti tabula exactè conspicitur.

Tabula regiminis Planetarum.

Tabula dominij seu regiminis planetarum in singulis diei horis.

		1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
☉	Dies Solis	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
☽	Lunæ	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
♂	Martis	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀
☿	Mercurij	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄
♃	Iouis	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉
♀	Veneris	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♄	Saturni	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂

Atque ex Tabula hac perspicuum fit, cur in diebus Septimanæ planetæ non sibi ordine respondeant, sed semper ab inuicem ordine interru-

pto

pto distent; cuius quidem rei rationalia non est, nisi quòd dominium planetarum ordine retrogrado 24 horarum siue diei naturalis spacio absoluatur, vnde semper vigesima quinta hora, quæ est prima sequentis diei, competit planetæ qui ordine retrogrado sequitur. Ex. gr. in Tabula die Solis hora diei prima, dominium competit Soli, à quo dies denominatur; secunda hora Veneri, quæ immediatè Solem ordine retrogrado sequitur; & sic de cæteris, vsque ad octauam horam; quam vbi pertigerit septem planetarum dominio totidem horis reuoluto Sol incipit denuò dominium horæ octauæ, quem & reliqui planetæ ordine, vt prius, sequuntur, vsque ad tertiam noctis horam; ad quam Sol, reuoluto planetarum dominio, denuo suum auspicatur imperium, quod & ad horam decimam noctis repetit; post quem Veneris pro vndecima, & Mercurij pro duodecima hora noctis dominia sequuntur; postquæ, 24 horarum reuolutione factâ, ordine retrogrado, necessariò sequentis diei, videlicet diei Lunæ, prima hora competit Lunæ dominio; & sic de cæteris, vt ex Tabula patet. Atque hinc patet ratio, cur dies Septimanæ nominibus planetarum insigniti, nec ordinem planetarum naturalem, nec ordinem retrogradum, quemadmodum in Tabula fit, seruent, sed semper ordine interrupto se consequantur. Non ignoro multos rerum ignaros varia de hisce comminisci. Dion Nicæus inter alios l. 36. hanc discontinuationem ex harmonia seu consonantia, quæ diatessaron dicitur, nasci putat, quâ videlicet vnâ totius Musicæ vis contineri, eiusque fundamentum stabile, Veterum iudicio credebatur; siquidem habita huiusmodi consonantiæ ratione, eamque cum cœli ornatu, orbiumque & planetarum cœlestium ordine comparantes, conuenientiâ quâdam & similitudine in illis notata atque animaduersa, postquam dies vnus ab vno planeta fuit appellatus, diem sequentem à quarto planeta post illum, ordine tamen

Ordo dierum Septimanæ, qui à Planetis denominantur, non sequitur ordinem Planetarum, & cur.

retrogrado, nominandum censuerunt: vt post Saturnum quarto loco sequatur Sol, deinde Luna, deinde Mars, & post hunc quarto loco Mercurius, & post hunc Iupiter, deinde quarto loco Venus, & tandem in Saturnum

num reuolutione factâ, dominium reuertatur, vti ex Tabula patet. Quòd si disponas Planetarum ordinem eo modo, quo heptagonum præcedens ostendit, disponendo scil. planetarum progressum eo modo, quo factum esse vides in septem pentagoni cuspidibus; conspicies manifestò huiusmodi planetarum dispositionem per Septimanæ dies, originem suam traxisse ex natura septenarij numeri, qui spacio 24 horarum ternâ reuolutione peractâ, cum binis ordine sequentibus planetis, necessariò efficit, vt primam horam dierum Septimanæ is nanciscatur planeta, qui in præcedentis diei planetariâ reuolutione post vltimum immediatè sequitur, vti dictum est; vt proinde hoc mysterium aliud non sit, quàm quod diximus; nec video quid διατεσσάρων, quam consonantiam tantopere Dion Nicæus prædicat, hic faciat. Sed de his vide, quæ copiosiùs tractauimus in Arte magna Lucis & Vmbræ fol. 537.

§ II.

De Regimine seu dominio Planetarum.

Regimen Planetarum figmentum antiquum.

INuentum Ægyptiorum fuit, singulis dierum horis, tam diurnis, quàm nocturnis succenturiatum Planetarum dominium disponere; quod & in hunc vsque diem vniuersa Astrologorum Schola, tanquam sacrosanctum amplectitur & deosculatur. Veteribus etiam tantopere placuit, vt inde vel ipsæ Septimanæ dies denominationem suam auspicatæ sint, vt vidimus; tumidum sanè & fœcundum superstitionum seminarium, ex quo innumera vti olim, ita & hodiernâ die portentosorum partuum monstra veluti ex equo quodam Troiano & prodierunt, & prodeunt, dum vix vlla Magica, Cabalistica, aut Astrologica operatio instituitur, quæ non in hac vanissima planetariæ horæ obseruantia fundetur. Quam & acriùs tunc confutabimus, vbi priùs superstitiosam huius machinationis Syntaxin à fundamentis ostenderimus.

Ægyptij fingunt Mundo præesse septem Intelligentias.

Fingunt itaque Ægyptij, in magno illo Hermetico anno, Mundo secundùm septenarios quosdam præesse septem Intelligentias, quarum vnaquæque 354 annis cum quatuor Mensibus gubernet, & omnes diuersis muneribus & officijs fungantur; Mundum consequenter varias diuersasque alterationes pro septem errantium siderum influxu atque dispositione, subire; quæ ex mente Ægyptiorum recitat Abraham Auenar Hebræus Astrologus in libro rationum his verbis:

Abraham Auenar.

והנה המליך אלוה לעולם שבע שלטונים ושמותיהם כפיאל צרקיאל כמאל מיכאל אנאל רפאל גבריאל והנה שבע מלכים לשבע כוכבי לכת וכל אחד ואחד ימלוך העולם שנד׳ שנים וד׳ חדשים :

Ficta septem Angelorum septem Planetis præsidentium nomina.

Ecce præposuit Deus Mundo septem potestates, quorum nomina sunt Caphiel, Zadkiel, Camael, Michael, Anael, Raphael, Gabriel; & insuper singulis septem planetis septem Angelos præfecit, quorum vnusquisque gubernat Mundum 354 annis, & quatuor Mensibus, & sunt Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Pergit deinde recensere officiorum qualitates,

quas

quas hîc Latinis verbis apponam. *Saturnus præcessit, quoniam Sol & Luna fuerunt à principio producti hora Saturni, & duxit Caphiel Mundum 354 annis & Mensibus. Deinde Venus, & posteà alij, ita vt perfectum circumuolutione suâ constituant circulum. Inuenies quoque per istum reuolutionis Intelligentiarum numerum, Martialis Angeli seu Camaelis dominium incidisse in tempus diluuij; & Lunaris Intelligentiæ dominium in linguarum confusionis tempus, item in excidij Sodomæ & Gomorræ, exitusq́ filiorum Israël ex Ægypto, qui fuit annus Mundi 2400. post 48 annos dominium Mundi Solaris Intelligentia arripuit. Templi verò prima destructione anno Mundi 3338 dominium Mundi Iuppiter accepit, cuius tempore Templum secundò restauratum fuit. In destructione verò huius secunda Mercurius rerum potitus est anno Mundi 3828. Completis verò annis 4708. Sol seu Michaël dominium super Mundum auspicatus est, iuxta illud Danielis, Illo tempore stetit Michaël instar Principis.* Hæc Auenar. Trithemius in libello de septem Secundeis Polyographiæ suæ annexo, hasce Intelligentias aliter describit; in quo tamen neque ordinem Angelorum, neque numerum annorum Mundi eundem cum Auenare seruat. Saturni Intelligentiam vocat Oriphiel, & hunc ab Orbe condito dominatum suscepisse asserit: quem secutus est post 354 annos & 4 Menses Anaël Veneris Spiritus: hunc post alios 354 annos & 4 Menses secutus est Zachariel Iouis Spiritus: deinde Raphaël Spiritus Mercurij. Hunc Samaël Spiritus Martis, & deinde Spiritus Lunæ Gabriel: ac tandem Spiritus Solis Michaël. Ita vt circulus primus reuolutionis dominij, quem ordine Spiritus planetarij obibant, 2480 annorum & 4 Mensium fuerit; secundus verò circulus absolutus fuerit anno 4960 cum 8 Mensibus, & sic vsque ad consummationem seculi. Verùm vt vnicâ Synopsi, quæ Trithemius integro libello digessit, oculis Lectoris subijciam, sequentem epilogismum apponere visum fuit.

Trithemius.

Circuli dominantium Mundi Spirituum Planetariorum.

		Nomina	*Initium gubernationis iuxta annos Mundi.* Anni.	Menses.	Dies.	Gesta.
Primus Circulus annorum 2480.	1	Oriphiel Spirit. ♄	0	0	15 Mart.	Rudis Mundi status & agrestis.
	2	Anaël Spirit. ♀	354	4	24 Iunij.	Cultior Mundi status, inuentio artium.
	3	Zachariel Spir. ♃	780	8	26 Oct.	Politicus Mundi status. Henoch translatus.
	4	Raphaël Spirit. ☿	1063		24 Feb.	Scriptoria ars, Musica, nauigatio exculta.
	5	Samaël Spirit. ♂	1417	4	26 Iun.	Iniquitas Mundo dominatur, diluuio omnia destruuntur.
	6	Gabriel Spirit. ☽	1771	8	28 Mart.	Noë cum filijs Mundũ instaurat.
	7	Michaël Spirit. ☉	2125	12	24 Febr.	Dominatus Nembrod, & diuisio linguarum.

Cir-

		Nomina	Initium gubernationis iuxta annos à Mundo cond. Anni	Menses	Dies	Gesta
Circulus II. annor. 4960. iunctus primo.	8	Oriphiel Angel. ♄	2480	4	26 Iunij.	Ortus Abrahæ. Regnorum variorum initium.
	9	Anaël Ang. ♀	2834	8	29 Oct.	Idololatria per Mundum sparsa. Ioseph Ægypti Dominus.
	10	Zachariel An. ♃	3189	12	28 Febr.	Mundus legibus instructus,
	11	Raphaël Ang. ☿	3543	4	1 Iulij.	Sapientiæ studijs excultus. Moyses floret.
	12	Samaël Ang. ♂	3892	8	2 Octob.	Iliacum bellum, & excidium Troiæ. Iudices dominantur Israël.
	13	Gabriel Ang. ☽	4252	12	30 Ian.	Saul, Dauid, Salomon, cæterique Reges Israël dominantur.
	14	Michaël Ang. ☉	4606	4	1 Maij.	Roma condita, Monarchia Persarum. Alexander Magnus.
Circulus III.	15	Oriphiel Angel. ♄	4960	8	30 Sept.	Machabæorum historia.
	16	Anaël Ang. ♀	5315	12	31 Ian.	Persecutio Imperatorũ in Christianos. Constantinus Ecclesiam erexit.
	17	Zachariel An. ♃	5669	4	1 Iunij.	Regna varia in Europa constituta. Mahumedis principia.
	18	Raphaël Ang. ☿	6023	8	2 Nouẽb.	Gothorum diluuium. Carolus Magnus; Imperium in Germanos translatum.
	19	Samaël Ang. ♂	6378	12	3 Martij.	Varia Mundi Stratagemata.
	20	Gabriel Ang. ☽	6732	4	4 Iunij.	Rudolphus I. Austriaci Imperij fundamentum.
	21	Michaël Ang. ☉	7086	12	30 April.	Hucusque futura Prophetam requirunt.

Trithemius in assignando Mundi dominio septem Angelis, dissidet ab Hebræis.

Atque hi sunt Circuli dominij Angelorum Planetariorum, quos Trithemius ex Hebræorum traditione recitat; in quorum tamen ordine, vti & temporum ratione assignandâ, ita confusi sunt, vt non videam quâ ratione aliquid certi inde concludi possit. Hebræi ordinem annorum Mundi sequuntur ipsis vsitatum. Trithemius verò iuxta computum annorum à 70 Interpretibus constitutum procedit; qui anni cùm mille circiter annorum differentiam habeant, inde fit, vt dominium Angelorum iuxta constitutum ijs numerum temporibus nunquam congruat: siquidem tempora, quæ Oriphielis dominio apud Trithemium competunt, il-

la

la apud Hebræos Anaëlis, aut alterius dominio competere inuenientur; vt proinde totum negotium confictum, & nullo solido veritatis fundamento nixum, neque vllius emolumenti meritò ab omnibus ijs, qui res limatiori rationis trutina ponderare solent, censeri debeat.

Comperio quidem in vetustis Ægyptiorum monumentis, Ægyptios simile quid, vti posteà de Anno Sothiaco siue Caniculari exponemus, tradidisse, & in præcedentibus tactum fuit, & in sequentibus; vbi de Anno Platonico, & παλιγγενεσίᾳ rerum agemus, fusiùs exponetur. Certum tamen est, Ægyptios primos, Genios singulis horis, qui noctu diuque rerum fidei suæ commissarum curam haberent, per totius hebdomadis curriculum distribuisse, ita vt prima hora primi diei competeret dominio Genij Solis, secunda illius diei Genio Veneris, tertia Genio Mercurij, quarta Lunæ, quinta Saturno, sexta Ioui, septima Marti; & huius dominio reuoluto, Sol dominium repetebat, quos reliqui eodem ordine, quo dictum fuit, sequebantur; vsque dum 24 horarum, scilicet vnius diei naturalis reuolutione peractâ, vigesima quinta hora, id est, prima sequentis diei hora Lunæ, à qua & nomen dies ille obtinebat, competeret; & sic altera vnius diei reuolutione peractâ, dominium tertij diei horæ primæ competeret Marti, & quarti diei primæ horæ Mercurio, & quinti diei primæ horæ Ioui, & sexti diei horæ primæ Veneri, & tandem septimi diei horæ primæ Saturno competeret. Nomina verò Geniorum, quæ ex Ægyptiorum Coptitarum monumentis extraximus, sunt sequentia.

Ægyptij singulis diei horis singulos Planetas dominantes attribuerunt.

ⲡⲏⲣⲓⲏⲗ ⲡⲟⲥⲓⲣⲓⲥ ⳾ id est, *Piriel Angelus Solis.*

ⲥⲟⲩⲣⲟⲧⲓⲏⲗ ⲡⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲫⲟⲩⲗⲟ ⳾ id est, *Surotiel Dominus Veneris.*

ⲁⲛⲟⲩⲃⲓⲏⲗ ⲡ̄ⲟ̄ⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓⲥⲁϫⲓ ⳾ id est, *Anubiel Dominus orationis & inuentionis.*

ⲡⲓⲟⲥⲓⲏⲗ ⲡ̄ⲟ̄ⲥ ⲛ̀ⲫⲓⲟⲙ ⳾ id est, *Piosiel Dominus maris & fundorum.*

ⲣⲉⲫⲁⲛⲓⲏⲗ ⲡ̄ⲟ̄ⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲭⲣⲟⲛⲟⲥ ⳾ id est, *Rephaniel Dominus temporis & actionum.*

ⲡⲓϩⲉⲩⲥⲓⲏⲗ ⲡ̄ⲟ̄ⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓⲱⲛϩ ⳾ id est, *Piseusiel Dominus vitarum.*

ⲧⲩⲫⲁⲛⲓⲏⲗ ⲡ̄ⲟ̄ⲥ ⲫⲧⲉⲧⲙⲟⲩⲟⲩⲕ ⳾ id est, *Typhaniel Dominus destructionis.*

Coptica Nomina Geniorum seu Angelorum septem.

Atque hi Genij dies noctesque veluti succenturiati obtinebant totius naturæ dominium iuxta Ægyptiorum mentem; ita vt Piriel Angelus Solis primæ primi diei horæ, octauæ, & decimæ quintæ, & vigesimæ secundæ dominaretur; secundi diei horæ primæ, octauæ, decimæ quintæ, vigesimæ secundæ Piosiel Lunæ Angelus dominaretur; & sic de cœteris, vt dictum est. Hasque horas tantâ superstitione obseruabant, vt nihil ferè operum ijs inconsultis aggrederentur. Quæ consuetudo ab ijs ad hæc nostra vsque tempora deriuata, communi Astrologorum calculo ap-

Antiquorum ac Neotericorum superstitio in obseruandis horis Planetarum.

pro-

probata, adeo mentes hominum infatuauit, vt radicibus iactis vix euelli posse videatur. Hebræi putant, Ægyptios non septem, sed tot diuersos Genios singulis horis dierum per totam hebdomadam ordine currentium attribuisse, quot horæ in vna septimana computantur; eorumque nomina & officia loco ingentis secreti, vt superstitiosissimi sunt, habent. Quæ quidem nomina & officia continentur in libro quodam Ietsiræ annexo; quem librum olim eruditissimus Abrahamus Ecchellensis Ionæ Galilæo, Hebrææ linguæ in Lycæo Romano Professori, hic mihi communicauit. Sunt verò omnia ex peruetusto Arabico Codice, teste dicto Abrahamo, in linguam Hebræam versa, & continent propemodum vniuersa, quæ in Astrologia consultoria & adiuratoria tractari solent; vnde ea, vtpote igne quàm luce digniora, nè incautis Philosophastris offendendi occasionem præberem, silentio supprimenda duxi, solummodò nomina prolaturus, vt Lector, si quando in huiusmodi nomina inciderit, ex cuius officina prodierint, cognoscat, & ea tanquam apertam Idololatriam Ægyptiacam inuoluentia rideat.

Ægyptij credunt singulis totius septimanæ horis singulos Genios attributos. Abrahamus Ecchellensis.

Tabula, Geniorum horis 12 nocturnis dominantium seriem & ordinem continens.

ואלה שמות השרים והשולטים וממונים על שעות הלילה

Hæc sunt nomina Principum & Potestatum, qui præsunt horis nocturnis.

Nocte I. præsunt horis.	*Nocte II. præsunt horis.*
Hora 1 Papus, Genius medicamentorum.	Hora 1 Sinbuk, Angelus iudicij.
2 Sisera, Angelus amoris & desiderij.	2 Toruatus, Genius dissidij.
3 Hahabi, Genius apprehensionis.	3 Phlogabitus, Genius ornamentorum.
4 Phalgus, Genius iudicij.	4 Thacrinus, Genius confusionis.
5 Zeiazua, Genius infirmitatis.	5 Tabtibik, Genius fascinationis.
6 Tabris, Genius Consultor inter bonum & malum.	6 Susabo, Genius itinerum.
7 Sialul, Genius prosperitatis & pacis.	7 Sabrus, Genius sustentationis.
8 Nantur, Genius scripturæ.	8 Toglas, Genius thesaurorum.
9 Risnuch, Genius seminationis & plantationis.	9 Suclagus, Genius præses ignis, noxius.
10 Sesarbil, Genius aduersus.	10 Azcuph, Genius puerorum raptor.
11 Æglun, Genius vastator igneus.	11 Zuphlas, Gen. venationis.
12 Tarab, Genius concussionis.	12 Mizran, Genius persecutionis.

Nocte III. præsunt horis.

Hora 1 Rasphuia, Genius Necromanticus.
2 Nitibus, Genius stellarum.
3 Eirucus, Genius destruens idola.
4 Eistibus, Genius diuinationis.
5 Tacritan, Genius magicarum operationum.
6 Eiruilus, Genius fructuum.
7 Libtabis, Genius absconditi auri & argenti.
8 Zalburis, Genius consultationis medicæ.
9 Kilabus, Genius apprehensionis linguarum.
10 Armilos, Genius diuitiarũ.
11 Phaldorus, Genius interrogationis de occultis.
12 Labus, Genius inquisitionis veritatis.

Nocte IV. præsunt horis.

Hora 1 Zahun, Genius scandali & offensionis.
2 Hizarbin, Genius rerum maris.
3 Mascarun, Genius vastationis.
4 Pharzuph, Genius fornicationis.
5 Suphlatus, Genius puluerum terræ.
6 Nitika, Genius politionis lapidum.
7 Mizgitari, Genius volucrum rapacium.
8 Alphun, Genius volucrum mundarum.
9 Sablil, Genius furtorum.
10 Kataris, Genius Canum.
11 Rolabis, Genius lapidum.
12 Kalab, Genius vasorum.

Nocte V. præsunt horis.

Hora 1 Heiglus, Genius Niuium.
2 Sachluph, Genius Herbarum.
3 Zarobi, Genius præcipitiorum.
4 Sizlau, Genius venenorum.
5 Sair, Genius Antimonij.
6 Haatan, Genius retractionis furum.
7 Cauzub, Genius Incantationis serpentum.
8 Tukiphat, Genius lapidis Samir.
9 Schaclil, Genius incantationis equorum.
10 Razanil, Genius lapidis Onychis.
11 Adiuchas, Genius cæsuræ lapidum.
12 Hanhad, Genius ciborum regiorum.

Nocte VI. præsunt horis.

Hora 1 Mizkun, Gen. Amuletorũ.
2 Baglis, Genius ponderationis.
3 Butatas, Genius numerationis & computus.
4 Schickron, Genius custodiæ animalium.
5 Barcus, Genius præfecturæ.
6 Hatiphas, Genius vestimentorum.
7 Salilus, Genius apertionis clausuræ.
8 Zizuph, Genius clausuræ portarum.
9 Colopatiron, Gen. carcerũ.
10 Buchaphi, Gen. lamiarum.
11 Zopharis, Genius inclusionis Pythonis.
12 Marnes, Genius cognitionis spirituum.

No-

Annotatio.

Nocte VII. præsunt horis.

Hora 1 Hauen, Genius dignitatis.
2 Labezerin, Genius bonæ operationis.
3 Cahor, Genius deceptionis.
4 Aclahayr, Genius ludi & iocorum.
5 Camaysar, Genius concubitus.
6 Zaren, Genius vindicationis.
7 Iaser, Genius amoris comparandi.
8 Cuniali, Genius fœderationis.
9 Zeffar, Genius electionis rerum.
10 Mastho, Genius aspectuũ.
11 Halacho, Genius amicitiæ.
12 Sellen, Genius gratiæ Principum.

Notandum hoc loco, hanc Tabulam tantùm Geniorum dominij in 12 nocturnas horas totius Septimanæ dispositionem continere; per diurni verò temporis duodecim horas, dominia Geniorum, eodem prorsus ordine, quo nocturnis horis, sese consequi.

Vanitas Ægyptiorum in obseruandis horis planetarijs acriter perstringitur.

Sed vanitatem paulò fusiùs exponamus. Disponebant Veteres dominia planetarum iuxta ordinem horarum inæqualium; quæ cùm Sole in Boream vergente crescant interdiu, decrescant noctu, & contrà Sole in Austrum vergente; necessariò sequebatur dominia planetarum quoad durationem fuisse inæqualia, non quidem quoad diem ipsum, sed quoad noctem comparatam ad diem, & alios Solis parallelos. ita in Tropico æstiuo, cùm Romæ v. g. horæ duplò quasi maiores horis eiusdem noctis sint, dominia planetarum quasi horâ vnâ æquinoctiali & 15 minutis durabant, cùm nocte non nisi 45 minutis durarent. Hinc quæro, quomodo Astrologastri tam præcisè horas obseruare potuerint ad Genium eius horæ Præsidem inuocandum, præsertim nocte, cùm Sol Sciatherica in hunc finem erecta non illustraret? Certè necessariò grauissimos subinde errores incurrebant, dum, quam horam ipsi Martis putabant, illa adhuc ad Iouis imperium pertineret. Portentosa verò illa Geniorum planetariorũ, qui in tutelam rerũ singulis horis præesse finguntur ab Arabibus, Hebræis, Ægyptijs, nomina, & officia, originem aliam non habent, quàm ex caliginosa Diaboli culina depromptam; & superstitiones horrendæ, quas ad Genium quempiam constituta hora trahendum, & ad votis sollicitationibusque suis fauendum exercent, tales sunt, vt Vulcanijs focis suscitandis, quàm publici luminis commendationi aptiores iudicem, vtpote quas horreant castæ Christianorum aures veluti impijssimas, & tanquam à Cacodæmone adinuentas. Visum nihilominus hîc fuit ea recensere, tùm ad succenturiatæ superstitionis contextum, tùm ad superstitionis Ægyptiacæ Syntagmata luculentiùs demonstranda. Qua quidem in re S. Irenæum secutus sum, qui vt infrænem Gnosticorum in ijs fingendis libidinem & insaniam ostenderet, eorundem Deastrorum, quos Æonas vocant, longum Catalogum vnà cum horrendis superstitionibus pertexit. Idem inquam ad piorum cautelam hoc loco mihi faciendum censui: est enim hæc Tabula damnata

radix illius clauiculæ Salomonis, vt vocant; ex qua ad æterna infernalis barathri præcipitia aditus patet, ad vltimum ijs vtentium exterminium; ex qua omnia sua execranda facinora Dæmonum ope perficiunt Magi. Ex hac Cornelius Agrippa, Paracelsus, Petrus de Albano, alijque damnatæ & diabolicæ artis Magistri, dogmata sua desumpserunt, quæ omnes timoratæ conscientiæ homines, tanquam Scyllam & Charybdin fugere consulo. At quis nomina illa Angelorum fanatica illis reuelauit? non alius nisi Cacodæmon, totius Mataeotechnias magister & artifex. Quod quidem apertè liquet ex effectibus, quos præstare perhibentur, perniciosissimos, imò prorsus diabolicos; quos quidem in Angelos bonos non cadere, nemo tam imprudens, nè dicam, stolidus est, qui non videat. Mera itaque Magorum, & hominum diabolicis artibus deditorum opera & commenta sunt.

CAPVT X.

De viginti octo Mansionibus Lunæ.

HOris planetarijs, earumque Genijs, succenturiantur 28 Mansiones Lunæ, cum appropriatis sibi Genijs. Vocantur Coptè ⲠⲒⲘⲞⲚⲎ ⲚⲦⲈ ⲪⲘⲈⲦⲒⲞϨ hoc est, *habitacula*, seu *diuersoria Lunæ*; Arabicè منازل القمر, *hospitia Lunæ*. Nonnulli stationes Deorum Lunarium eas quoque dicunt. Ego rectiùs Dæmonum stabula appellauero; cùm tot ac tantis superstitionibus referta sint, vt vix Astrologicum commentum sit, in quod Mansiones Lunæ non ingrediantur. Est autem Ægyptiorum figmentum, qui Lunæ cursum 28 dierum numero definientes, eidem singulo die naturali vnam stationem, vnà cum Genio eius stationis, veluti administro quodam & conseruatore assignabant. Summo itaque studio, primò horam planetariam inquirebant; deinde qua eadem hora in statione Luna esset, considerabant; atque sic ex inimico vel amico Geniorum concursu, opus suum auspicandum, vel non auspicandum, iudicabant.

Mansiones Lunæ superstitionum seminaria sunt, & rectè Dæmonum stabula appellantur.

Mansiones 28 Lunæ sunt Ægyptiorum figmentum.

Verùm antequam ad Mansionum explicationem perueniamus, portam earum priùs hoc loco explicare visum est. Vocant Ægyptij portam Mansionum Lunarium eum circulum, quem Astronomi communi nomine Lacteum vocant, Coptè verò appellatur ⲠⲒⲘⲰⲒⲦ ⲚⲦⲈ ⲠⲒⲦⲞϨ quæ quidem vox, vt dixi in Supplemento Prodromi Copt: c. 5. Ægyptia seu Copta est, eamque nos *viam straminis* seu *paleæ* interpretamur; hoc enim nomine Ægyptij appellant circulum illum candidum, quem γαλαξίαν, seu τὸ γαλακτικὸν κύκλον, Græci, Latini *viam lacteam* vocant; Ouidius verò iter, quo ad Iouem accedebant Superi, his verbis:

Porta mansionum Lunæ secundùm Ægyptios est Via lactea.

Est via sublimis cœlo manifesta sereno;
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

Lactea via quomodo à diuersis populis vocetur.

Hâc iter est Superis ad magni regna Tonantis,
Regalemq; domum: &c.

Dicitur autem lacteus circulus à Poetis, ob lac Iunonis effusum, de qua re consule Hyginum, Phornutum, aliosque Mythologos. Hæc, inquam, via Copticè vocatur *via straminis* seu *paleæ*; quam denominationem reliqui Orientales ferè omnes sequuntur. Constat autem duabus vocibus, quarum prima ⲡⲓⲙⲱⲓⲧ *viam*, alia ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓⲧⲟϩ, *stramen* seu *paleam* significant, ⲛ̀ⲧⲉ verò est nota regiminis, vt in Grammatica Copta docuimus. Atque hanc interpretationem nostram veram esse, docent Arabes, Syri, Æthiopes, Hebræi, alijque Orientales. Arabes γαλαξίαν vocant vtplurimùm المجرة *Alnagiret*, quasi diceres *fluxum* seu *tractum ex sparsa palea*; Author Scalæ, vti & Abenregel, ita eum describit: المجرة وفي طريق التبن *Almagiret, & est via straminis* seu *paleæ*. Mor Isaac in sua Philosophia Syriaca, pari ratione, hunc circulum lacteum vocat *semitam straminis* his verbis:

Author Scalæ. Abenregel. Mor Isaac.

[Syriac text]

Zona verò quæ in 12 signorum Orbe spectatur, vocatur via straminis seu paleæ. Æthiopes quoque, vt ab Abyssinis Sacerdotibus hîc Romæ audiui, eam *Chasara tsamangadu*, *viam straminis* vocant; vt Hebræi נְתִיבַת תֶּבֶן omnes fabulæ Ægyptiorum subscribentes. Fingunt enim Ægyptij Typhonem, Isidis fugientis fasciculum aristarum sibi obiectum in cœlo dispersisse; vnde & plagæ illi *viæ straminis* nomen in hunc diem mansit.

Ægyptiorum fabula de via lactea.

Ægyptij igitur, vt dicebam, statuunt 28 stationes Lunæ, id est totidem constellationum, quas Luna singulis suis periodis, hoc est, 28 dierum spacio attingit, loca, eaque loca vocant Copto nomine ⲙ̀ⲙⲟⲛⲏ ⲛ̀ⲧⲉ ⲡⲓⲟϩ, hoc est, *habitacula siue diuersoria Lunæ*, (Arabicè المنازل القمرية *hospitia Lunæ* seu *stationes Lunæ*:) ⲙ̀ⲙⲟⲛⲏ enim plur. num. mansiones, ⲛ̀ⲧⲉ notam regiminis, ⲡⲓⲟϩ verò Lunam significat. Atque has stationes Lunæ à primis temporibus vsque in hunc diem Astrologos, cùm ad mutationem aëris explorandam, tùm ad inchoationem operum secundandam opportunas & scitu dignas, vt aiunt, ob stellarum influxus locis memoratis signiferi varios rerum effectus introducentes, obseruare videmus. Constat autem quælibet statio 12 gradibus & 24 minutis præcisè, vt cuiuis circulum in 28 partes dispescenti patebit. Hæ stationes licet aliàs in octaua sphœra à capite Arietis inchoentur, eas tamen ob motū augium nunc à 22 Arietis gradu moderni auspicantur Astrologi. Ordo stationum Lunarium, earumque explicatio sequitur.

Lunæ 28 stationes quomodo appellarint Ægyptij.

Quælibet 28 stationum Lunæ constat 12 gr. 24. m.

I. ⲡⲓⲧⲉⲃⲧ Coptè *piscis*, significat hoc loco *stationem piscis*; Arabicè appellatur بطن الحوت *Venter Ceti*, siue *piscis*; estque prima statio Lunæ, ab humiditate perniciosa sic dicta; incipiebatque à 0 gr. Arietis, terminabaturque in 12 gr. eiusdem signi & 24 min. Genius huius stationis iuxta Arabes est قيال *Kiaiel*; statio infestationis inimici.

Ordo & explicatio 28 stationum Lunæ.

II ...

II. ⲡⲓⲭⲁⲧⲥⲱⲣⲓⲟⲛ, id est, *piscis Hori*, Arabicè السرطين *statio Lunæ* est; quam Author Scalæ his verbis describit: الشرطين وهو راس الحمل *Sartin*, *& est caput Arietis*. Abenragel ita dicit:

السرطين وهو منزل القمر في برج الحمل فهو راس الحمل

Id est, *Sartin statio Lunæ est in signo Arietis, accipiturq. passim pro ipso capite Arietis*. Initium eius 12 gr. Arietis & 24 m. finis eius in vigesimo quinto gr. eiusdem. Huius Genius est حياييل *Hiaiel*; statio reconciliationis Principis est.

III ⲕⲟⲗⲗⲓⲱⲛ, *statio connectens*, Arabicè بطين *Bathin*. ita eum describit Chamus:

بطين هو منزل القمر فهو مثلث عند بطن الحوت

Bathin, statio Lunæ est, & est triangulum prope Ventrem Ceti. Nos hanc stationem aliam non dicimus, nisi quam Triangulum siue Δέλτα, caput Arietis, & Piscis Boreus eiusdem ferè latitudinis fundant. Initium huius stationis est à vigesimo quinto gr. ♈ inchoato, finis in nono ♉. Huius Genius جنخاييل *Ginchiael*, & statio est prosperitatis & bonæ fortunæ.

IV. ⲱⲣⲓⲁⲥ id est, *statio Hori*, Arabicè الثريه *Altarieh*; statio Lunæ est, quam Pleiades præstant Lunæ. Vocarunt autem Hori stationem ab Horias, eò quòd Horus, quo Mundi fœcunditatem, Plutarcho teste, ἱερογλυφῶς innuebant, maximè in Tauro, Veneris domo, Pleiadum consortio sese exereret. Vnde & Hebræi has easdem Pleiades עש, siue סוכות בנות *Gnasch*, siue *Succoth benoth*, id est, *congregationem*, siue *filias tabernaculi, filias opertas, & fotas* vocant: vt enim Gallina pullos suos fouet & sustentat, ita Hori Mundum inferiorem in hoc signo, Tauri statio. Vnde & idolum eius fuisse aiunt Gallinam cum pullis suis. ita Rassi in cap. 5. Amos, & in Iob:

סוכות בנות דמות תרנגלת עם אפרחיה: Rassi.

Succoth Benoth simulachrum erat Gallinæ cum pullis suis. Hæ autem Succoth Benoth eædem sunt cum Horias Ægyptiorum, & Arabum الثريه *Altarieh*, quod idem est ac statio Taurina: الثريا *Altarieh* enim aliunde nomen suum non inuenit, nisi à voce Arabica ثور *Tzuor*, quæ Taurum significat. Expressè docet id his verbis R. Iona in 5. Amos.

סוכות בנות הוה ז׳ כוכבי במזלה אשר בלשון אשמאלים אלתוריא: R. Iona.

Succoth Benoth sunt septem stellæ in Zodiaco, quæ linguâ Ismaëlitica, id est, Arabica vocantur Altarieh. Verùm de hisce consule Templum Ægyptiacum, id est, primum Tomum Oedipi, vbi de hisce curiosa multa traduntur. Respondent hisce verba Abenragel, qui in sua Astrologia, mansiones Lunæ describens, de hac ita dicit:

الثريا هو منزل القمر في برج الثور وتسمى دجاجة السما مع بناتها Abenragel.

Altaria statio Lunæ est in signo Tauri, & vocatur Gallina cæli cum filiabus suis. Sunt nonnulli, qui confundunt الثريا cum بنات النعش & نعش لعازر id est, *cum filiabus feretri*, & *feretro Lazari*, quas alij Arcturum, alij Vrsam minorem dicunt. Sed quid nos de eo sentiamus, & quid verè statuendum

Athenæus. fit, docemus in primo Tomo huius Oedipi, quod Templum Ægyptiacum notauimus. Certè Pleiades ab Æschylo, Pindaro, Simonide πελειάδας, id est, *columbas* dici, apud Athenæum reperio: neque aliò respicit Homerus, cùm in descriptione Scyphi Nestorei πελειάδας, columbas Ioui canit ambrosiam pocillari, πλειάδας intelligens. Sed vt ad nostrum institutum reuertamur, vocatur ⲱⲡⲓⲁⲥ alio quoque nomine Copto ⲥⲟⲟⲩⲥⲓⲟⲩ quasi diceres, *sex astra*; quibus sanè verbis luculentissimè indicatur, aliud non intelligi nisi الثريا *Altarieh*, hoc est, *Pleiades*; consentitque illud Ouid.

Pleiades incipiunt humeros tolerare paternos,
Quæ septem dici, sex tamen esse solent.

Initium huius stationis est nonus gradus Tauri, finis vigesimus secundus eiusdem. Sed hæc forsan fusiùs quàm par erat. Huius Genius est دلهايل *Delhaiel*; & est statio inimicitiæ & vindictæ.

V ⲡⲓⲱⲣⲓⲟⲛ *statio Hori maior*, Arabicè الدبران *Aldebaran*; vocatur statio Hori, eò quòd sicuti eandem ferè cœli plagam cum præcedente obtinet, ita & ab operationibus Hori maximè efficacibus in hac statione denominationem suam inuenit. De hac ita Abenragel.

الدبران هو منزل في برج الثور فهو عين الثور

Id est, *Aldebaran statio Lunæ in signo Tauri est, & vocatur oculus Tauri*. Sequuntur Arabes Astrologos omnes moderni, qui Aldebaran postea pro oculo Tauri sumunt. Græcis dicitur λαμπαδίας, ab insigni videlicet splendore sic dicta. Initium eius 21 gr. Tauri, finis quartus ♊. Genius est هوايل *Huaiel*; statio est fauoris Magnatum.

VI ⲕⲗⲟⲩⲥⲟⲥ *Claustrum*; statio Lunæ sic dicta Arabicè الهنعة, nihilque aliud est, quàm duæ stellæ in Geminis, quarum prima, quæ pedes eorum præcedit, Græcis, Gemino teste, πρόπους; altera, ὁ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, secundæ magnitudinis, Arabibus راس الجوز *Ras elgieuze*, hoc est, *caput* ♊ dicitur. Has stellas duobus nominibus alijs ab Arabibus descriptas reperio, videlicet غرقلس وافولون *Garakles & Apullun*; quæ res cùm me perplexum redderet, tandem eos huiusmodi Græcis nominibus corruptis Herculem & Apollinem (quibus nominibus τῶν Διδύμων siue *Geminos* apud Mythologos appellatos lego) indicare voluisse inueni. Incipit hæc statio à quarto gradu Geminorum, & terminatur in decimo octauo eorundem. Genius huius est فيجايل *Phigiael*; statio est beneuolentiæ & amoris.

VII ⲕⲗⲁⲣⲓⲁ Arabibus الهنعة *Albenaah*, Lunæ statio est, quam Abenragel sic describit:

الهنعة هي منزل القمر في برج التومان وسموها كتف التومان

Albenaah Lunæ statio est, quam vocant scapulas Geminorum. Incipit autem à decimo octauo, & terminatur in trigesimo Geminorum. Genius eius est زساييل *Zisaiel*; statio est acquisitionis bonorum.

VIII ⲡⲓⲙⲁϩⲥⲓ id est, *cubitus*, quasi diceres, ⲡⲓⲙⲁϩⲥⲓ ⲛⲧⲉⲕⲉⲩⲱⲛ

cubi-

cubitus Nili, Arabicè ذراع الاسد *Durah Eleſſed, cubitus Leonis*. Ego arbitror hanc ſtationem malè dictam ab Arabibus *cubitum Leonis*, cùm integrò adhuc ſigno diſtet. Dicitur igitur ⲡⲓⲙⲁϩ ⲛⲧⲉⲕⲉⲱⲛ id eſt, *cubitus Nili*, eò quòd circa hanc ſtationem Lunæ, Nili incrementa incipiebant comparere in Nilometro, in ſuos cubitos diuiſo; de quibus nos fusè alibi. Incipit autem hæc ſtatio à principio Cancri, & terminatur in 13 eiuſdem. Genius huius eſt حطابيل *Hathaiel*; ſtatio eſt victoriæ in bello.

IX ⲧⲉⲣⲙⲉⲗⲓⲁ *ſtatio deſcenſus* ſeu *influentiæ*, Arabicè النثرة *Alnathreh*; eſt ſtatio Lunæ in ſigno Cancri. ita Abenragel:

النثرة منزل القمر في برج السرطان

Alnathreh Lunæ manſio eſt in ſigno Cancri. Ego puto eſſe duas ſtellas illas, quas Proclus ὄνος, Latini *Aſellos* vocant. Vide Plinium lib. 18. Initium huius ſtationis eſt decimus tertius Cancri, finis eiuſdem vigeſimus ſextus Cancri. Genius eius eſt طاييل *Tiaiel*; ſtatio eſt infirmitatum.

X ⲡⲓⲁⲧⲧⲟⲥ *ſeipſam parturiens*. Manſio Lunæ Arabibus dicta الطرف *Eltarph*. Occupat totum ſpacium à vigeſimo ſexto gradu Cancri, vſque ad nonum gradum Leonis. Genius eſt بياييل *Biaiel*; ſtatio facilitatis partus.

XI ⲧⲧⲉϭⲛⲓ *Frons*, Arabicè الجبهة *Elgiebhe*; ſtatio Lunæ eſt in Leonis fronte. ita Abenragel:

الجبهة منزل القمر في برج الاسد وهي جبهة الاسد

Algebhet, Lunæ manſio eſt in ſigno Leonis, & eſt frons Leonis. Initium eius nonus gradus Leonis, finis 21 eiuſdem. Genius eius eſt كاكاييل *Kekaiel*; ſtatio eſt reuerentiæ & timoris.

XII ⲡⲓⲭⲱⲣⲓⲟⲛ idem ac ὀπισχέτης; ſtatio eſt, quam Scalæ Author vocat الخرقان *Alcharkan*, alij الزبرة *Alzabre*; vltimamque partem Virginis occupat, id eſt, vigeſimum primum gradum Leonis vſque ad quartum Virginis. Genius eius لاايل *Laaiel*; ſtatio ſeparationis amicitiæ.

XIII ⲁⲥⲫⲟⲗⲓⲁ *ſtatio amoris*, Arabibus الصرفة *Alſzarphet*; ſtatio Lunæ eſt, de qua ita Abenragel:

الصرفة هي منزل القمر في برج العذري التي هي السنبلة فيرفع البرد

Alſzarphet ſtatio Lunæ eſt in dodecamorio Virginis, quæ & Sanbalet dicitur, tollitque frigus. alij quoque hanc plagam vocant السماك *Alſzamach*; Græci στάχυν, Latini *Spicam*; de qua ita Aratus: ἡ ἐν χερσὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα, quæ explicans Cicero, ait:

Spicam illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.

Incipit hæc ſtatio à quarto Virginis, & terminatur in decimo octauo gradu eiuſdem dodecamorij Virginis. Genius eſt مساييل *Maſaiel*; ſtatio pacis & vnionis coniugalis.

XIV ⲁⲃⲟⲕⲓⲁ *ſtatio latrantis*, forſan à Canicula, quæ hoc in dodeca-

decamorio olim occidebat; Arabicè العوا *Algaua*, manſio Lunæ eſt in dodecamorio Virginis, cuius initium decimus octauus gradus Virginis, finis trigeſimus eiuſdem. Genius نقواييل *Nakuaiel*; ſtatio diuortij.

XV ⲭⲱⲣⲓⲧⲟⲥ. *Statio altitudinis*, Arabicè السماك *Alſamak*, Lunæ manſio eſt in Libra, initium eius o gradus Libræ, finis eius tertius decimus eiuſdem. Genius ſtationis eſt ككاييل *Kekaiel*; ſtatio acquiſitionis amicorum.

XVI ⲭⲁⲙⲉⲃⲁⲗⲓⲁ. *ſtatio propitiationis*, Arabicè الغفر *Algaphra*, Lunæ ſtatio eſt in dodecamorio Libræ; incipit à decimo tertio gradu Libræ, & terminatur in 26 gradu eiuſdem. Genius عقلاييل *Aklaiel*; ſtatio lucri & mercimoniorum.

XVII ⲡⲣⲓⲧⲏⲣⲓ. Arabicè الزنانات *Alzananath*; ſtatio Lunæ eſt, cuius initium vigeſimus ſextus gradus Libræ, finis nonus Scorpionis. Genius huius ففاييل *Papaiel*; ſtatio latrociniorum.

XVIII ⲥⲧⲉⲫⲁⲛⲏ. *Corona*, Arabicè اكليل *Eklil*; ſtatio Lunæ eſt, cuius initium nonus Scorpij, finis vigeſimus primus eiuſdem. Genius مصراييل *Meſraiel*; ſtatio infirmitatum.

XIX ⲭⲁⲣⲙⲓⲁⲛ. *Cor*, Arabicè القلب; ſtatio Lunæ eſt prope cor Scorpij. Genius huius قفاييل *Kephaiel*; ſtatio recuperationis ſanitatis. de qua ita Abenragel:

القلب هو منزل القمر في برج العقرب فهي قلب العقرب

Alkolb Lunæ ſtatio eſt in dodecamorio Scorpij, & vocatur Cor Scorpij. Initium eius vigeſimus primus gradus Scorpionis, finis quartus Sagittarij.

XX ⲁⲅⲓⲁ. *Sancta*, Arabicè الشولة *Alſchaulet*; ſtatio tranſlationis Caniculæ in cœlum, vnde & ⲥⲱⲑⲓ vocatur. De qua ſtatione peculiari tractatu agitur. Longitudo huius ſtationis eſt à quarto Sagittarij vſque ad decimum ſeptimum eiuſdem. Hæc ſtatio, ab Ægyptijs quoque vocatur ⲥⲟⲗⲉⲕⲁ ſiue ⲁⲥⲧⲣⲟⲕⲩⲱⲛ. Genius رزاييل *Rezaiel*; ſtatio venationis.

XXI ⲛⲓⲙⲁⲙⲉⲣⲉϭ. *Statio gratiæ & iucunditatis*, Arabicè النعايم *Elnaaim* ita dicta, quod lætam produceret ſegetem; ſtatio hæc principium ſuum habet à decimo ſeptimo gradu Sagittarij, & terminatur in trigeſimo gradu Sagittarij. Genius eius سطاسييل *Setaſiel*; ſtatio calamitatum.

XXII ⲡⲟⲗⲓⲥ. *Ciuitas*, Arabicè البلده *Elbeldeh*; ſtatio Lunæ eſt intra o gr. & 13 Capricorni. de qua ita Chamus:

البلده هو منزل القمر في برج الجدي بين النعايم وسعد

Elbeldeh Statio Lunæ eſt in dodecamorio Capricorni inter Elnaim & Meſchadt. Genius eius eſt تطاييل *Tetaiel*; ſtatio fugæ & exilij.

XXIII ⲱⲡⲉⲧⲱⲟⲩⲥ. id eſt, *Brachium ſacrificij*, Arabicè سعد الذابح *Saadeldabahh*. Incipit à decimo tertio gradu Capricorni, & terminatur in 26 gradum eiuſdem ſigni. Genius تطاييل *Tetzaiel*; ſtatio deſtructionis & expilationis.

XXIV.

XXIV ⲡⲉϩⲣⲓⲧⲟⲥ *Beatitudo*, siue *brachium absorptum*, Arabicè سعد البلع *Saad elbelaa*; statio Lunæ est, quæ incipit à 29 gr. Capricorni, & terminatur in 9 gradu Aquarij. Vocatur hæc etiam ذنب الجدي *cauda Capricorni*, à stella prima primæ mag. in radice caudæ fixa. Genius eius خبخابيل *Chachaiel*; statio fœcunditatis gregum.

XXV ⲡⲉⲛⲡⲉⲧⲏⲥ *Beatitudo beatitudinum*, siue *brachium brachiorum*, Arabicè سعد السعود *Saad elsaaud*; statio Lunæ est in dodecamorio Aquarij, cuius initium est nonus gradus Aquarij, & finis 21 eiusdem. Quidam Arabum hanc plagam vocant quoque فم الحوت *phem elhhaut*, id est, *os piscis*; est enim, vt cum Græcis loquar, στόμα τοῦ ἰχθύος λεγομένου νοτίου μονάζοντος; & videtur ex antiquorum mente sidus hoc potiùs referendum ad piscem meridionalem & solitarium, quàm ad Aquarium. Nos igitur hanc stationem potiùs dicimus occupare eam plagam, quam Græci χύσιν ὕδατος & ob anfractus, ἀραιότητα dixêre. Corruptè legitur in Vitruuio hoc loco ἀμαυρότης, pro ἀραιότης; quod doctos notare velim; Hesychius enim expressè ἀραιότητα interpretatur, τῶν ἀμυδρῶν ἀστέρων χύσιν, id est, *obscuriorum stellarum fusionem*. Genius est دداليل *Dedaliel*; statio affluentiæ bonorum terræ.

XXVI ⲡⲉⲧⲉⲡⲓⲁⲛ *Brachium absconditum*, Arabicè سعد الاخبية *Saad elachbieb*; statio Lunæ est, quæ incipit à vigesimo primo gradu Aquarij, & terminatur in quarto piscium. Genius صعصعيل *Szaszaiel*; statio voluptatum.

XXVII ⲁⲣⲧⲉⲗⲟⲥ *Statio prioris germinationis*, Arab. الفرغ المقدم *Alphara elmakoddem*; statio Lunæ est, cuius initium est à quarto gradu Piscium, & finis eius in 17 gr. Piscium. Genius eius ططاعيل *Tatsaiel*; statio siccitatum.

XXVIII ⲁⲣⲧⲉⲗⲟⲥⲓⲁ *Posterior germinatio*, Arab. الفرغ المؤخر *Elphara elmuchar*; statio Lunæ est à 17 gradu Piscium, vsque in 30 gradum eiusdem extensa. Genius هرخزييل *Harchaziel*; statio inundationum.

Atq; hæ sunt Nomenclaturæ 28 stationum Lunæ, à veteribus Ægyptijs vsitatæ, quarum ordinem secuti sunt etiam Arabes Brachmanes Indorum Philosophi, vt ex libris eorum patet, vt in Supplemento ad Prodromum dixi loco suprà citato.

PARS

PARS II.

De Aegyptiorum Computu, annique rectè constituendi ratione & methodo.

CAPVT I.

De Origine diuisionis temporum in annos, dies, horas.

AEGYPTIOS primos Mortalium post diluuium, Astronomiæ intendisse, Tempus iuxta Solis & Lunæ cursum in annos & dies diuisisse, intercalandarum dierum rationem detexisse, suprà ex Plutarcho, Diodoro, Herodoto, alijsque sat superque patuit. Quod vt modò luculentiùs pateat,

Ægyptij diuiserunt annũ in tot dies, quot annis vixit Henoch

Sciendum est, Arcanam Hierophantarum, vti suprà in Astrologia, & in Obelisco Pamphilio fol. 28. innuimus, fuisse traditionem, annum ciuilem Ægyptiorum tot constitisse diebus, quot fuerunt anni dierum vitæ Henoch primi illius ante diluuium Hermeris, quem Arabes Adris, Ægyptij primum Osirim, aut etiam Hermetem dicunt. Habuit autem, attestante sacro Genesis textu, Henoch, postquam translatus est, annos vitæ suæ 365. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.* Cùm verò suprà Hermetem secundum, quem Trismegistum diximus, annum tot dierum constituisse retulimus, verisimile est illum hanc methodum habuisse ex prioris Hermetis monumentis, per Chamum postero Mundo communicatis; quo quidem ciuili Ægyptiorum pleno & simplici anno, non tantùm veteres Astronomi, sed & posteri Mathematici, & potissimùm eorum Princeps Ptolomæus vsi sunt. Alij hoc loco authorem ἐπαγωμένων seu intercalarium aiunt fuisse Aseth trigesimum primum Regum Ægypti. ita Eusebius in Chronico. *Ægyptiorum Regum XXXI. regnauit Aseth annos XX. hic apposuit anno dies intercalares, & illis temporibus, vt aiunt, annus Ægyptiacus 365 dierum proditus fuit, qui antè 360 absoluebatur.* Sed cùm huius rei inuentionem iam suprà Mercurio Trismegisto multò antiquiori attribuerimus, non video, quomodo hæc cohærere possint; cùm à Misraim Ægyptiacæ Monarchiæ fundatore vsque ad Aseth, quem nos cum Mispharmutosi secundo eundem esse dicimus, anni computentur 924. ipso attestante Eusebio: Ἀπὸ τοῦ πρώτου βασιλέως καὶ οἰκιστοῦ Μεστρὲμ τῆς Αἰγύπτου ἕως τοῦ Κογχάρου ἔτος ἔχατον πληροῦται ἔτη ψ', βασιλέων κε': A Concharo verò ad Aseth anni iuxta eundem numerentur 224. qui iuncti 700 faciunt 924 annos, adeoque inuentio intercalarium incidat in annos circiter exitus filiorum Israël ex Ægypto; quod nullâ ratione dici debet, aut potest. Si enim Chronico Eusebij ex Manethonis fragmentis computato standum est, dicendum, vel Aseth confusum esse cum alio huius nominis

Eusebius facit authorem ἐπαγωμένων Regẽ Aseth, sed malè.

Rege

Rege, quem nos Masphármūtosin II. suprà diximus, vel nodus hic intricatissimus est accuratiùs extricandus. quod vt fiat:

Dico, Aseth Regem Mercurio ferè Synchronum fuisse; nam ante Tutemosin, ipsum Eusebius ponit tertium; hic Mercurij inuenta, vti curiosus erat, ad incudem reuocans, epagomenas in ordinem redegit, reiectisque varijs de anni forma rudis seculi opinionibus, solum hunc tanquam exactiorē retinuit; & vt mysteriosâ eum inuentione adornâret, singulos hosce quinque intercalares dies Deorum nominibus insigniuit, atq; ex hoc apud posteros huius machinationis inuentor audiuit; non quòd re vera primus fuerit earum inuentor, cùm formam anni 365 dierum ab Henoch, successiuâ traditione, vti diximus, per Chamum traditam, Mercurius primus post diluuium euulgauerit. Atque hâc ratione locum hunc, saluo meliorum iudicio, intelligendum existimo; hoc enim posito, & Chronologiæ ordo, & ratio temporis scitiùs sibi constabit.

CAPVT II.

De Lustro Sothiaco, seu Caniculari.

AEgyptij experientiâ diuturna obseruationum cœlestium paulatim instructiores, cùm viderent, annum, quo tunc passim vtebantur 360 dierum, Solis in Zodiaci periodo non vsquequaque respondere, sed quinque diebus eandem superare notarent, annum Solarem duodecim Mensibus τριακονθημέροις, id est, trecenarijs, & quinque dierum epagomenon appendice in fine anni, sine vllo quadrante diei definiuerunt; qui deinde ab omnibus verus annus ciuilis habitus fuit. Qui iterum vel fixus fuit, vel vagus & solutus; ille vti ciuilibus negotiationibus, ita hiç sacris Hierophantarum actionibus inseruiebat.

Annus Ciuilis Aegyptiorum 365. dierum duplex, fixus, & vagus.

Itaque annus Ægyptiorum simplex & vniformis fuit, sine vllis horis appendicibus, & bissextis, quæ quarto quolibet anno transacto in Iuliana forma intercalari solent. Quapropter si cum Iuliano comparetur, post annos quatuor Mensium neomeniæ vno die retrocedunt; post 8 annos biduo; atque ita paulatim, ~~donec~~ post 1460 annos Iulianos euolutos, ad idem caput Iuliani Mensis & diei, vnde profecta fuerat, primi Mensis neomenia reuertatur. Atque hunc annorum circulum quidam vocant Lustrum caniculare, siue ἔτος κυνικὸν, ἔτι Σωθιακὸν. Lustrum caniculare minus est Systema annorum 4 Ægyptiacorum, dierumque 1460: Lustrum verò minus Iulianum est annorum 4 Iulianorum, dierumque 1461, superatque Ægyptiacum vno die, ob quatuor quadrantium intercalationem: Superat enim annus Iulianus simplex Ægyptiacum sex horis ferè, quæ quatuor annorum spacio in 24 horas excrescentes, diei integri intercalationem efficiunt. Iterum Lustrum caniculare maius Ægyptiacum, est Systema annorum Ægyptiacorum 1461, quo interuallo Thoth ciuilis redit ad Thoth Iulianum vnde profectus est: Iulianum verò lustrum caniculare, est Systema lustrorum minusculorum Iulianorum

Annus Aegyptiorum vniformis semper.

Lustrum caniculare seu Sothiacum Ægyptiorum minus.

Lustrum caniculare seu Sothiacum Ægyptiorum maius.

 365.

365, ſcilicet annorum Iulianorum 1460; Ægyptiorum verò 1461, quo interuallo Thoth redit ad eundem diem Iulianum. Atque hoc ſpacium ἔτος κυνικὸν μέγα, ſiue ἐνιαυτὸς Θεοῦ, id eſt, *Annum Dei* vocant. Quæ annorum diuiſio, appellatioque non exiguas lites excitauit non ita pridem inter duos magni nominis viros; quam tamen ſolâ veterum Scriptorum authoritate dirimendam duximus: tantum enim in hac materia, vti abſtruſa; ita incerta, credi debet, quantum ex bonis Authoribus probari poteſt; nè figmentis, propudioſiſque commentis locus vllus concedatur. Cardo igitur controuerſiæ in hoc verſatur: Vtrum Ægyptij præter annum communem Solarem ſolutum & vagum, luſtra quoque quadriennia ſiue Sothiaca vſurpârint? Secundò, Vtrum ἐνιαυτὸν Θεοῦ ſiue *Annum Dei*, appellârint? Tertiò, Vtrum ad figendos annos intercalationem adhibuerint? De quibus ſingulis ordine breuiter tractabo.

Annus Dei apud Ægyptios.

Controuerſiæ ſtatus contra Ægyptiorum annos & luſtra.

Theon Alexandrinus.

Ægyptios igitur anno vago & ſoluto vſos, hiſce verbis Theon deſcribit: Ἐξ ἧς λαμβάνεται ὅτε μὲν ἡ ἡμέρα κατ' Αἰγυπτίους τῇ δὲ πάλιν τὸν τρόπον. ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας, ἤτοι κατ' Ἀλεξάνδρειαν αἰανδιδόμενος ὁ μῆνας ἐνιαυτὸν ἡμερῶν ἐστὶ τξε', καὶ μία τετάρτη, καὶ καθ' Αἰγυπτίους ὡς ἔφαμεν τξε' μόνον. δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν προσλαμβάνει καθ' Ἀλεξάνδρειαν. *Deinceps vſurpatur Menſis & dies ſecundùm Ægyptios ad hunc modum. Quoniam enim Græcorum ſiue Alexandrinorum proprius annus diebus conſtat 365 cum vna quarta; Ægyptiorum verò 365, duntaxat; perſpicuum eſt quarto quoque anno diem vnum, ad Alexandrinum accreſcere.* Quibus in verbis Alexandrinos indicat annum fixum, nimirum Auguſtæum accipiſſe; Ægyptios verò priſcos, ſine intercalari ſimplicem annum atque æquabilem egiſſe. Quæ omnia confirmantur apud Ptolom. in Almageſto. Luſtris quoque Sothiacis, quos ἐνιαυτοὺς Θεοῦ, hoc eſt, *Annos Dei*, appellabant, vſos eſſe, Cenſorinus refert his verbis: *Ad Ægyptiorum verò annum magnum Luna non pertinet, quem Græci κυνικὸν, Latini Canicularem vocamus; propterea quòd initium eius ſumitur cùm primo die eius Menſis, quem Ægyptij Θωθ vocant, Caniculæ ſidus exoritur; nam eorum annus ciuilis ſolùm habet dies 365 ſine vllo intercalari; itaque quadriennium apud eos vno circiter anni die minus eſt, quàm naturale quadriennium, eoque fit vt anno 1461. ad idem reuoluatur principium. Hic annus etiam annus ἡλιακὸς à quibuſdam dicitur, ab alijs Θεοῦ ἐνιαυτός.* Quæ vt intelligantur, obſeruandum eſt, Ægyptios duplicem habuiſſe computus ſui rationem: vnam, quæ ad annos figendos, ac in ordinem redigendos inſtituebatur, eratque toti Ægypto vnà cum Alexandrinis promiſcuè vſitata; quam & in hunc diem vſque obſeruant Chriſtiani Coptitæ. Altera propria fuit Sacerdotibus & Hierophantis, vnde & myſtica ſeu hierophantica, & arcana dicebatur, ſolis, vt dixi, Sacerdotalis ordinis Sapientibus nota, nullâque intercalatione vtebatur, ſicuti ciuilis; ſed permittebat habenas annis ſuis, excreſcenteſque dies & annos certo quodam & myſtico artificio Solis rationibus imputabat. Verùm nè quicquam gratis dixiſſe videamur, dicta proborum Authorum teſtimonijs iam reſtat, vt declarentur. Primò Geminus peruetus Aſtronomus in ſuo de Sphæra libro de dictis Hierophanticis annis ita diſſerit: Οἱ μὲν γὰρ τὴν ἐναντίαν διάληψιν καὶ πρόθεσιν ἐσχήκασι τοῖς Ἕλλησιν. Οὔτε γὰρ τοὺς ἐνιαυτοὺς ἄγουσι καθ' ἥλιον, οὔτε τὰς μῆνας, καὶ τὰς ἡμέρας κατὰ τὴν σελήνην, ἀλλὰ ἰδίᾳ τινὶ ὑποστάσει κεχρημένοι εἰσὶ, βούλονται γὰρ τὰς θυσίας τοῖς

Cenſorinus.

Ptolomæus.

Ægyptij duplicem Computus rationem habuerunt.

Hierophantica computandi ratio apud Ægyptios.

Geminus.

Θεοῖς

θεοὺς μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ πασῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διεξελθεῖν, καὶ γίνεσθαι τὴν θερινὴν, καὶ χειμερινὴν, καὶ φθινοπωρινὴν, καὶ ἐαρινὴν ἄγουσι. γὰρ τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε. δώδεκα γὰρ μῆνας ἄγουσι τριακονθημέρους· καὶ πέντε ἡμέρας ἀπάγουσι, τὸ δὲ μίαν τετάρτην οὐκ ἐπάγουσι, διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν, ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζωνται ἑορταί. *Nam Ægyptij contrariam,* inquit, *ac Græci sententiam ac propositum secuti sunt; neque enim annos ad Solem dirigunt, neque Menses & dies ad Lunam, sed peculiari quodam fundamento nituntur, student enim sacra Deorum non iisdem anni repræsentare temporibus, sed ea ipsa omnes anni tempestates peragrare volunt, vt idem festum æstiuum sit, & hybernum, & autumnale, ac denique vernum. Annum quippe dierum obseruant 365, Menses verò duodecim tricenarios, addunt his præterea dies quinque; neque quadrantem inserunt, ob dictam videlicet caussam, vt ipsis solemnia retrocedant.* Atque hoc est proprium institutum Hierophantarum, qui de industria anno suo habenas laxabant, vt solemnes dies ac festiui nullâ certâ tempestate continerentur, sed per omnes paulatim circumducerentur. Cuius meminit quoque Haly in suo Tarich his verbis:

Annus vagus Hierophantarum eur.

Haly.

وكان لمصر بين الشنت اول لحكماهم وكان ثلثمايه وستين وخمس يوما بغير الساعات
واخره ثلثمايه وستين وخمس يوما وست ساعات لا سوي وهي سنة مشتركة لكل
اهل المصر

Fuerunt autem Ægyptijs duo anni: primus fuit Sacerdotum, eratque 365 dierum, absque adiuncto: alter erat annus 365 dierum, cum additione horarum; & hic erat annus vulgò vsitatus, siue toti Ægypto communis. Meminit & huius distinctionis Theon Alexandrinus in Canonibus. Verba eius sunt:

Theon.

Ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας, ἤτοι καθ' Ἀλεξανδρέας, ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστὶ τξε καὶ τετάρτου, ὅτι καθ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν, τξε μόναις, δῆλον ὡς ἅπαξ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει ὁ κατὰ Ἀλεξανδρέας, κατὰ δὲ αὐτὰς ἡμέρας τξς', τουτέστι κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα, καὶ πάλιν ἅμα ποιοῦσιν, οἵτε κατὰ τὴν Ἀλεξανδρέων, καὶ οἱ κατὰ τὴν Αἴγυπτον τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ ἑξῆς τὰς ἡμέρας, καὶ τοὺς μῆνας τοῦ κατ' Αἰγυπτίους χρόνου ὅλον ἐνιαυτὸν προσειληφότες· καὶ ἐν τῇ ἀρχῇ πάλιν ἀκολούθως. *Quia verò iuxta Græcos, aut Alexandrinos, prout à nobis traditum est, annus dierum est 365 cum quadrante, iuxta Ægyptios verò solum 365, vt diximus; patet annum Alexandrinum in quatuor annis integrum diem assumere; in annis verò 1460. dies 365. hoc est, iuxta Ægyptios annum vnum: & rursus eodem tempore & Alexandrini & Ægyptij annum suum simul auspicantur; & toto illo anno dies mensesq; planè iuxta Ægyptiorum rationem Alexandrini agunt; initio verò sequentis anni incipiunt Ægyptij quadrantem diei anticipare, & sic deinceps.* Ex quibus verbis apertè liquet rationis Alexandrinorum & Ægyptiorum in anno instituendo, concordia & discordia; & cum Alexandrinis quidem certum est, illos intercalasse quarto quouis anno diem, vt rectè Horus paulò post citandus, & ex illo Gulielmus Langius in doctissimo opere de annis Christi ostendit fol. 217. Quæ omnia probat Diodorus l. 1. *Thebani vetustissimos se omnium mortalium esse prædicant, apud quos omnium primos philosophia, & exactior Astrologia sit inuenta; nam dies non ad Lunæ, sed Solis motum exigentes, tricenos mensibus dies tribuunt; & post duodecimum quemque mensem quinque dies cum quadrante intercalant, eoque pacto circulum annuum absoluunt.* Quæ Strabo quoque iisdem ferè verbis attigit l. 17. vbi cùm de Sacerdotibus Thebanis loquitur, hæc

Langius.

Diodorus.

Strabo. inter alia producit. *Horum institutum hoc est, dies non iuxta Lunam, sed iuxta Solem agere, ita vt tricenarijs duodecim mensibus appendices addant quot annis dies quinque: porrò cùm ad totius anni complementum particula diei quædam excurrat, certam periodum componunt ex integris diebus & annis integris, quæ portiones singulorum annorum residuæ diem conficiunt.*

Lucianus. Hic mirum in modum nonnulli contendunt, Ægyptiorum annos, Lunares fuisse, ex illo Luciani persuasi, qui lib. de Astrologia ita differit: Καὶ οἱ μὲν εἰσὶ σφίσι μέζον ἡ σελήνη καὶ ἡ ταύτης ἀναστροφὴ ἐγένετο. ἔτεος καὶ ἥλιος, καὶ τοῦ ἡλίου περιφορέος. *Atque hi quidem (Ægyptij) Luna, eiusq; conuersione menses metiuntur; annum verò Sole, eiusque circuitu definiunt.* Quod vt exponatur, Sciendum est, quòd vti varia fuit varijs in Aegypto religio, ita Mensium quoq; ratio diuersa fuit. Nonnulli enim veterum Aegyptiorum cùm Lunam singulis Mensibus Orbem suum conficere notarent, hunc Orbem pro anno vsurparunt, ita vt Mensis Lunaris, quo Luna Zodiacum transit, ipsis annus Lunaris dictus sit. Cùm autem viderent, hanc Computus sui rationem institutis suis contrariam, ea relicta nunc bimestrem, nunc trimestrem, aut quadrimestrem posuerunt. Cùm verò nec sic ipsis in temporum distributione satisfieri viderent, annũ Lunarem præcisè 360 dierum fecere, ita vt singuli Menses 30 dierũ præcisè 12 signis Zodiaci responderent. Sed audiamus Censorinum: *Et in Aegypto quidem antiquissimum ferunt annum bimestrem fuisse; post deinde à Pisone Rege quadrimestrem factum; nouissimè annum ad 12 Menses & quinque dies produxisse.* Cui consentit illud Authoris Hebræi lib. de Moledim:

Ægyptiorum aliquorum annus Lunaris, bimestris, trimestris, &c.

Censorinus.

אמרו רז"ל שמקדם חשבו השנים לפי דרך המצרים ר"ל שחשבו השנים לפי מחזרות ונכתב בספר חשבונות שאבינו אברהם מסר למצרים זה דרך:

Dicunt Rabbini nostri bonæ memoriæ, quòd olim computabant annos suos secundùm rationem Aegyptiorum, id est, quòd computabant annos suos iuxta cyclos Lunares; & scriptum est in libro computus, quòd pater noster Abraham benedictæ memoriæ hanc rationem dederit Aegyptijs. Ex his clarè patet, Aegyptios iuxta cyclos quoque Lunares annos suos instituisse, non omnes, sed nonnullos Nomos Lunæ cultui addictiores; maiorem tamen Aegypti portionem Solaribus annis vsam, testantur ea quæ paulò antè produximus, & luculentius in sequentibus patebit. Sed vnde digressi sumus, reuertamur.

Ægyptiorum alij vtebantur annis Lunaribus, alij Solaribus.

Vtrumque Dei annum dictum esse, ex Authoribus nobis iam probare incumbit. Atque ex Censorino quidem paulò antè probatum est. Iam verò testem omni exceptione maiorem adducimus Horapollinem, qui de hieroglyphica anni repræsentatione agens ita differit lib. 1. c. 5. *Horapollo.* Ἔτος δὲ ἐνιστάμενον γράφοντες τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν. ἔστι δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα πηχῶν ἑκατόν. βουλόμενοι τε ἔτος εἰπεῖν, τέταρτον λέγουσιν. ἐπειδή φασι κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς Σώθεος, μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς τέταρτον ἡμέρας προστίθεσθαι· ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ Θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν. ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι, τὰ γὰρ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Instantem*, inquit, *annum significantes, arui quartam partem pingunt. Est autem* ἄρουρα (vnde Latinis aruum dicitur) *terræ mensura centum complectens cubitos. Itaque annum volentes dicere, quartum dicunt, eò quòd ab vno, vt tradunt, sideris, cui nomen Sothis est, ortu ad alterum, quarta sit interiecta diei pars; vt sit Annus Dei dierum 365. Quamobrem &*

quarto quoque anno superuacuum diem computant atque intercalant Aegyptij, quatuor siquidem diei quadrantes, diem perficiunt. Cum igitur Aegyptij Solem Deum dicant, mirum non est, Solarem annum ἐνιαυτὸς Θεοῦ, Copto ϯⲣⲟⲙⲡⲓ ⲛϯ, vel ἐκ τῶν κεράτων ϯⲣⲟⲙⲡⲓ ⲛϯ dictum esse. Osiridem enim, siue Solem, Plutarcho teste, μέγαν Θεὸν ab Aegyptijs dictum, Isidemque Lunam, notius est, quam dici debeat. Vnde & Apion Historicus Osiridis, seu Serapidis simulachrum ex nouem cubitorum Smaragdo conflatum stupendo apud eos miraculo commemorat. Quæ omnia huic Solari Numini Osiridi honorem præ cœteris habitum, ostendunt.

Annus Dei idem quod annus Solis apud Ægyptios.

Plutarchus.

Apion Historicus.

Iam verò (quod grauioris est difficultatis) cur annum communem per quartam arui partem, quæ centum duntaxat cubitos complectebatur, expresserint, & eundem annum τέταρτον, quasi quadrantem dices, nominârint, breuiter declarandum est. Cum enim Horus duplicem annum hoc citato loco describat, vnum minorem 365 dierum, alterum κυνικὸν Canicularem, qui quatuor annos Solares comprehendebat, vno insuper die intercalari addito; hunc annum ex ortu Sotheos quater repetito definiebant, ita vt trecentis & sexaginta quinque diebus absolutis, sex præterea horæ ad cursum, qui ex motu Solis definitur, singulis annis adderentur, illæ verò post quatuor annorum conuersionem diem solidum efficerent, Ægyptij inquam, quarto demum anno Sotheos diem vnum intercalabant, & solidum annum tunc absolutum putabant (quod erat reuera quadriennium, ciuili quadriennio vno die maius) quem Græci κυνικὸν, Latini, vt benè notat Censorinus, Canicularem, Coptitæ ϯⲣⲟⲙⲡⲓ ⲛⲥⲱⲑⲓ vocant, eò quòd initium illius sumatur cum primo die eius mensis, quem Aegyptij Θωθ dicunt, Sothis exoritur. Nam eorum annus proprius Solaris solutus & vagus solus habet dies 365, sine vllo quadrante. Itaque quadriennium vno circiter die minus est, quam naturale quadriennium, eòque fit, vt anno 1460 ad idem ferè deuoluatur principium omninò. In Horo igitur annus vertens pro ciuili sumitur, eumque quarta arui parte denotant, & annum volentes dicere, τέταρτον, *quadrantem* dicunt. Quorsum hoc, nisi quia sex horæ quarta diei pars sunt? & sicuti præterea ciuilis annus quarta pars Lustri Canicularis, siue Sothiaci; ita magni anni quarta pars sunt 365, anni, quæ in quatuor ducta producunt 1460, magnum illum annum Canicularem, quem supra definiuimus Systema annorum Aegyptiacorum 1460. Iterum sicuti singulis simplicibus annis accrescunt sex horæ, quæ post quadriennium integrum diem artificialem, ita singulis 365 annis accrescunt 91. dies, cum vna quarta, quæ post 1460 excrescit in annum integrum magnum Canicularem, quem Systema annorum 1461 definiuimus. Hanc autem rationem pulchrè subintexuit Horapollo, cùm dixit: Μέχρι τῆς ἀνατολῆς τοῦ ἄστρου τοῦ Σώθιος μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς τέταρτον ἡμέρας προστίθεται. *Ab vno Sotheos ortu vsque ad alterum [præter annum] quartam diei partem adiungi; ex quo,* inquit, *quarto quoque anno superuacaneum diem computant.* Quem Cynicum Alexandrini, Coptitæ Sothiacum, aut etiam Hermeticum appellant, ab Hermete eius primo

Annus communis cur per quartam arui partem significatur.

Annus duplex apud Ægyptios.

Horapollo.

primo

Hermes sub specie Canis pingitur. mo institutore, quem & sub specie Canis pingebant, & in Cœlum traductum, sub specie Sothis fulgere credebant. Vides igitur, quomodo Sacerdotes fixerint annos suos, & quâ ratione habenas iisdem laxarint; fixerint videlicet iussu Principum ad ciuilium actionum directionem; laxauerint verò, ob rationes mysticas suprà ex Gemino allatas. Atque hic annus eorum solidus, ciuilis, quatuor annorum erat spacio definitus, quô Eudoxus periodos, tempestatumque ambitus putabat confici; cuius & Plinius meminit his verbis: *Omnium quidem, si libeat obseruare minimos ambitus, redire easdem vices quadriennio exacto, Eudoxus putat, non ventorum modò, verum & reliquarum tempestatum magna ex parte; estq; principium Lustri eius semper intercalari anno Caniculæ ortu.* Quibus quidem nihil clariùs dici potest. Cui consona quoque sunt ea, quæ Horapollo adfert lib. 2. hieroglyph. cap. 85. vbi annum Aegyptium quatuor annis constare expresse dicit his verbis: Ἄνθρωπον ζῶντα τέλειον βίον θέλοντες δηλῶσαι, κορώνην ἀποθανοῦσαν ζωγραφοῦσιν· αὕτη γὰρ ζῇ ἑκατὸν ἔτη κατ' Αἰγυπτίους. τὸ δὲ ἔτος τεσσάρων ἐνιαυτῶν. *Eum,* inquit, *qui legitimam hominis ætatem vixerit, volentes monstrare, Cornicem mortuam pingunt; hæc enim 100 annos iuxta Aegyptios viuit. Constat autem annus Aegyptiacus quatuor annis vsitatis.* Author Scalæ magnæ expressè dicit:

Annus fixus, & vagus Sacerdotum Ægyptiorum.

Plinius.

Horapollo.

Author Scalæ.

الشهور القبطيه اثنا عشر شهرا وسنتهم ثلثمايه وخمسه وستين يوما خمس النسي
ويوم الكبيس في كل اربع سنين يدور السنه النوروز وهي لفظه فارسيه

Intercalatio adhibita in anno Aegyptiorum.

Menses Coptitarum 12, & annus eorum 365 dierum cum 5 diebus Nisi, & singulis quatuor annis dies intercalaris initium anni Neuruz, quæ est vox Persica. Quibus iisdem respondet Coptica Lectio ibidem.

ⲡⲓⲁⲃⲟⲧ ⲙ̄ⲙⲉⲧⲣⲉⲙⲛ̄ⲭⲏⲙⲓ ⲓ̄ⲃ̄ ⲡⲓⲉϩⲟⲟⲩ ⲉⲧⲉⲣϩⲟⲩⲟ ⲡⲉ ⲉ̄ ⲛ̄ⲉϩⲟⲟⲩ ⲛ̄ⲧⲉ ⲡⲓⲉⲑⲉⲥⲓⲥ ⲕⲁⲧⲁ ⲇ̄ ⲛ̄ⲣⲟⲙⲡⲓ ⲧⲁⲣⲭⲏ ⲛ̄ϯⲣⲟⲙⲡⲓ ϯ ϩⲟⲩⲓⲧ ⲛ̄ⲧⲉ ϯⲣⲟⲙⲡⲓ

Hoc est, *Menses duodecim Coptici, & quinque dies* ἐπαγόμεναι, *dies intercalationis singulis quatuor annis initio anni, videlicet Neuruz.* Quæ confirmat alius quidam manuscriptus Arabicus de Computu Coptitarum tractatus, quem mutuum concessit insignis vir Abrahamus Ecchelensis amicus meus singularis, qui ita de anno Coptitarum disserit:

M.S. Arabicus liber de Computu Coptitarum.

والسنه الشمسيه اكثر العلما يعتقدون انها ثلثمايه وخمس وستون يوم وربع
فلوا من اجل ما يروه من الشهور المرتبه في العلم اعني الشهور القبطي التي بدوها
توت وبابه او شهور الروم والسريان التي بدوها ايلول وتشرين وان هذا الترتيب رتبوه
اولاد ادم من اول ايامهم

Annum Solarem multi Sapientum credunt esse 365 dierum cum quadrante simpliciter; ideoq; menses in hoc Mundo ita ordinatos esse, vt initium v. gr. mensium Coptitarum, sit mensis Thoth & Paophi, vel initium mensium Græcorum aut Syrorum initium sit Ellul & Tisrin; & dicitur, quòd hæc ordinatio facta fuit à filijs Adam ab initio dierum. Quibus quidem annus Solaris cum appendice quinque horarum, antiquitùs clarè describitur. Quâ ratione autem Antiqui intecalationem instituerint, sequitur:

واسسوا ترتيبها على ان السنه الشمسيه ثلثمايه وخمس وستون يوما وربع
يوما

يوما سوا ولذلك يجتمع الربع في كل اربع سنين فيصير يوما ولذلك يكبسوا
السنة الرابعة تكون ثلثماية وستة وستون يوما ☼

Et fundantes fixerunt annum, ita vt annus Solaris esset 365 dierum cum quarta diei æqualiter, & ideo colligentes hanc quartam singulis quatuor annis confecerunt vnum diem intercalantes eundem constituerunt 366 dierum. Verùm si cuipiam necdum satisfactum esset citatis locis, illi producimus Diodorum Siculum suprà etiam citatum, qui de Thebanis loquens ita disserit: Τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δὲ ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι, καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσι. *Dies*, inquit, *non sumuntur iuxta Lunam, sed Solem, ita vt singulis mensibus 30 dies attribuant, & quinque dies cum quadrante duodecim mensibus inserant, & hâc ratione totum cyclum anni complent.* Erat igitur Ægyptijs præter annum vagum & solutum, fixus quoque & embolismæus maximè in vsu, cùm sine eo maximas in rerum publicarum administratione confusiones oriri necesse esset. Imò hanc intercalationem tantum abest, vt à Græcis primùm & Latinis acceperint Ægyptij; vt potiùs Græci ab ijsdem Ægyptijs primò didicerint veram anni rationem, & intercalationis methodum. Verùm ne quisquam verbis tantùm me agere existimet, pro me habeo grauissimum & maximæ fidei Authorem αὐτόπτην Strabonem, qui in 17 libro circa medium, Eudoxum hanc intercalandi diei & anni rationem ab Aegyptijs acceptam in Græciam primum intulisse his verbis docet: Συνανέβη γὰρ δὴ τῷ Πλάτωνι ὁ Εὔδοξος δεῦρο καὶ συνδιέτριψαν τοῖς ἱερεῦσιν ἐκεῖνος ἐνταῦθα τρισκαίδεκα ἔτη· ὡς εἴρηται τισί· περιττοὺς γὰρ ὄντας κατὰ τὴν ἐπιστήμην τῶν οὐρανικῶν, μυστικοὺς δὲ καὶ δυσμεταδότους τῷ χρόνῳ, καὶ ταῖς θεραπείαις ἐξελιπάρησαν. ὥστε τινὰ τῶν θεωρημάτων ἱστορῆσαι, τὰ πολλὰ δὲ ἀπεκρύψαντο οἱ Βάρβαροι. οὗτοι δὲ τὰ περιέχοντα τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτὸς μόρια ταῖς τριακοσίαις ἑξήκοντα πέντε ἡμέραις εἰς τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνου παρέδοσαν. Ἀλλ' ἠγνοεῖτο τέως ὁ ἐνιαυτὸς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν. ὡς καὶ ἄλλα πλείω. ἕως οἱ νεώτεροι Ἀστρολόγοι παρέλαβον παρὰ τῶν μεθερμηνευσάντων εἰς τὸ Ἑλληνικὸν τὰ τῶν ἱερέων ὑπομνήματα, καὶ ἔτι νῦν παραλαμβάνουσι τὰ ἀπ' ἐκείνων, καὶ τὰ τῶν Καλδαίων. Hoc est: *Etenim Eudoxus cum Platone eò profectus est; & ambo cum Sacerdotibus annos 13 sunt versati, vt nonnulli tradiderunt. Isti Sacerdotes cùm rerum cœlestium scientia præstarent, cæterùm arcanam eam seruarent, neque cum quoquam communicare vellent; tamen & tempore, & obsequio deuicti, nonnulla præcepta enarrauerunt, cùm plurima interim Barbari occultarent. Ij excurrentes diei ac noctis particulas supra 365 dies ad anni complementum, tradiderunt. Ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, quemadmodum & alia permulta; donec iuniores Astrologi ab ijs ea acceperunt, qui Sacerdotes monumenta in linguam Græcam transtulerunt, & adhuc tùm ab illis, tùm à Chaldæis accipiunt.* Ex quibus clarè patet multò ante Alexandri Magni in Aegyptum irruptionem, Aegyptios sciuisse, & vsurpasse ἐμβολισμὸν anni ex quatuor diei quadrantibus excrescentis; imò Eudoxum secretum ab Hierophantis, quà muneribus, quà obsequijs deuictis acceptum Græcis primùm tradidisse.

Diodorus Siculus.

Intercalandi rationem ab Ægyptijs acceperunt Græci.

Strabo.

Eudoxus ab Ægyptijs accepit intercalandi rationem.

Præter hunc annum fixum, ciuilibus actionibus destinatum, alium, vt dixi, annum habebant, qui solus cognitus erat Sacerdotibus, quem & annum Dei vocasse partim probauimus, partim paulò post probabitur; eratque quadruplex. Primus erat annus ex quatuor anni quadrantibus, seu

Annus Dei Hieromantarum quadruplex.

Primus annus Dei seu Lustrum Caniculare.

seu quatuor trimestribus spacijs conflatus, quem & annum Hori appellabant, ita Censorinus loco sæpius citato, his verbis: *Sunt qui tradunt, hunc annum trimestrem Horum instituisse, eoq; Ver, Æstatem, Autumnum, & Hyemem ὥρας, & annum dici, & Græcos annales ὥρας, eorumq; Scriptores ὡρογράφους*. Porrò annum quoque fixum, & Lustrum Caniculare, seu Sothiacum, ἐνιαυτὸς Θεοῦ appellatum, ex Horapolline & Censorino probatum est, quorum sententiam confirmat Haly Chronographus Arabum his verbis:

Haly.

وسنة المصر يين الكبيرة هي مركبة من اربع سنين بسطين وسموها سنة
الله لان كل وحدة منهن مرسومة بسم الالهم ۞

Porrò annus magnus Ægyptiorum compositus est ex quatuor simplicibus annis, quem & annum Dei dixerunt, quia vnusquisque eorum nomine alicuius Dei insigniebatur. Quo quidem testimonio nihil illustriùs dari potest. Hinc Persæ occasionem quoque sumpsisse videntur, annum illum magnum 1440 annorum denominandi سالخداي *Salchudai*, hoc est, annum Dei, & mensem siue duodecimam partem huius magni anni mensem magnum, μῆνα μέγιστον, Persicè بزورج ماه *Bozurah mahe*, Chaldaicè סחרא *Sahara*, corruptè Sarus, vnde & Sari Chaldæorum. Si enim 120 anni ciuiles sunt vnius mensis, duodecim huiusmodi menses, qui sunt anni 1440, erunt vnus annus maximus. Dicebatur autem Persicè سالخداي *Salchodai*, ἔτος Θεοῦ, à diebus mensium Dijs Persicis συνωνύμοις, vt alibi declarabimus. Vides igitur, & Persas Aegypto vicinos, annos suos ad Aegyptiorum imitationem coordinasse, vt qui mysterijs & disciplinis mysticis, ijs essent similes, annorum disponendorum rationibus non discreparent. Quod igitur nobis est spacium temporis inter duos bissextos comprehensum, videlicet Lustrum, seu quadriennium Iulianum, hoc Aegyptijs erat Lustrum Sothiacum siue Caniculare, vtrumque 1460 dierum, post quorum euolutionem vnius diei conflati ἐμβολισμὸς contingebat, vt ex suprà citatis Græcis, Arabibus, Latinis, Hebræis probatum est.

Persæ ab Ægyptijs acceperunt rationem disponendi annum.

Lustrum Sothiacum seu Caniculare quid.

Intercalandi ratio Aegyptiorum declaratur.

Vnum hoc loco quispiam mirari forsan posset, quomodo Aegyptij post singula, tam parua, quàm magna lustra, dies & annos intercalârint, cùm tamen constet, Aegyptios præ cæteris omnibus ἐμβολισμὸν maximè odio habuisse, vtpote mysticæ festorum solemnium dispositionis perturbatorem. Quod & ex Scholijs Germanici hisce verbis ostenditur: *Deducitur autem Apis à Sacerdote Isidis in locum, qui dicitur Ἄδυτος, & iure iurando adiguntur, neque mensem, neque diem intercalandum, quem in festum diem immutarent, admissuros, sed 365 dies præterea sicuti institutum est ab antiquis*. Ex hoc loco Authores magni nominis occasionem acceperunt, omnem Aegyptiacam intercalationem negandi. At respondeo, hoc loco non intelligendam anni dispositionem ciuilem Aegyptiorum, qui cum Alexandrinorum Græcorumque ciuili idem habebatur, vt ex superiùs citatis Authoribus patet; sed Hierophanticam seu mysticam illam Sacerdotum, qui in arcana dispositione sacrorum, quæ in honorem Deorum instituebantur, consistebat; & sicut in omnibus mysterijs silentio supprimendis iure iurando tenebantur, ita & in hac mystica annorum dispositione; qui vti

cum

cum intercalari consistere non poterat, ita eam quoque tanquam mysticis sacris repugnantem abominabantur. Cùm enim αἱ ἐπαγόμεναι, siue dies Nisi, alicuius Dei cognomines sint, atque eodem die natales eius, cuius cognomines erant, celebrarentur; si sexta ἐπαγομένης accederet, cui Deo dicaretur, cuius Dei Epocham celebrarent? erant autem, vt in Prodromo ostendimus, Θεοὶ γενέθλιοι ε'.

ⲟⲥⲩⲣⲓⲥ ✱ ⲓⲥⲓⲥ ✱ ⲛⲉⲩⲫⲑⲏ ✱ ⲧⲩⲫⲱⲛⲉⲩⲥ ✱ ⲁⲡⲟⲫⲣⲁⲥ

teste Plutarcho. Si igitur sexta ἐπαγομένη accederet, duæ ἀποφράδες siue nefastæ continuæ forent; quod erat contra institutum Hierophantarum. Habenas igitur ei laxabant consultò, vt annorum 1460 curriculo expleto, Dij patrij totum Orbem peragrasse dici possent, vt & Plutarchus haud obscurè docet in libro de Osiride & Iside. Confecta autem dicta periodo, neomenia Lustri canicularis incipiebat ea nocte, quæ post meridiem quinque dierum Nisi sequebatur, oriente Canicula ἀκρονύχως nocte quæ Thoth præcedebat, totusque ille annus vocabatur Σῶθις. Anno sequente eadem nocte quæ Thoth antecedebat, obseruantes ortum Caniculæ, qui non vespere vt primo anno, sed mediâ nocte oriebatur, tunc incipiebat annus Lustri secundi. Anno tertio ortus Caniculæ ante Solem eminebat, & hinc tertius Lustri annus incipiebat. Quarto anno Canicula non poterat videri, quia in meridie Aegypti in contraria parte alterius hemisphœrij oriebatur; itaque à meridie Thot incipiebat quartus annus Lustri. Ita inter singulos Lustri annos vnius diei quadrans erat interiectus, & sine vlla diei integri ἐμβολισμῷ. Sed sensim vnus dies subrepebat. Tota igitur controuersia inter Authores orta videtur, quòd Ægyptiorum ciuilem computandi rationem, ab Alexandrina diuersam, quam nos eandem dicimus, arbitrarentur. Sicuti enim fixus annus Ægyptiorum cum Alexandrino idem est; ita vagus, solutus, & ἀνεμβολιμαῖος penes solos Sacerdotes & Astronomos Ægyptios resedit, vti fusè in præcedentibus probatum est: & Geminus c. 6. asserit luculenter, festum Isidis, quod Eudoxi temporibus hybernis conuersionibus conueniebat, postea suo tempore mense integro inde distitisse; quod factum non fuisset, si Aegyptijs fixus tantùm fuisset annus, non vagus & solutus. Nam vt ipse Geminus citato loco testatur, in 4 annis vno die Aegyptij deficiunt à Sole; in 40 annis, decem; totidem itaque diebus festa eorum anticipabant, nè secundùm eosdem anni quadrantes continerent; ita quidem, vt 120 annorum spacio 30 dierum, id est, mense integro anticipent festa, respiciendo tùm ad annum Solis, tùm ad quadrantes. Hinc, inquit Geminus, erratum illud quod apud Græcos circumfertur, cùm propter temporis longitudinem approbatione dignum sit habitum, etiam ad nostra vsque tempora pro vero creditum fuit. Putant enim plurimi Græcorum in festum Isidis secundùm Aegyptios, & secundùm Eudoxum, hybernas conuersiones incidere; quod omninò falsum est; mense enim toto festum Isidis distat ab hybernis conuersionibus. Fluxit autem error ille ex causa prædicta; nam ante 120 annos contigit vt festum Isidis in ipsis hybernis conuersionibus ageretur; in annis autem quatuor vnius diei fiebat variatio; hic itaque

Plutarchus.

Lustri canicularis neomenia quando incipiebat.

Quomodo Aegyptiorum festa per omnes anni dies vagabuntur.

non habuit sensibilem varietatem ad anni tempora: in annis autem 40 facta est 10 dierum variatio; nec sic quidem euenit sensibilem fieri mutationem. At nunc (sunt verba Gemini) cùm in annis 120 fiat maxima variatio, excessum ignorantiæ non relinquunt ij, qui putant festum Isidis secundùm Ægyptios & secundùm Eudoxū ad hybernas fieri conuersiones; vno enim die, aut duobus dissentire aliquos hac de re, possibile est; at mansionum varietatem latere, impossibile est, quod & longitudines dierum, & horologia Sciatherica Aegyptijs vsitata, satis demonstrant. Vnde festum quidem Isidis priùs fiebat in hybernis conuersionibus, & adhuc priùs in æstiuis conuersionibus, sicuti & Eratosthenes in Commentario de Octoeteride meminit, & agetur iterum in autumno, & in æstiuis conuersionibus, & in vere, & in bruma. In annis enim 1460 omne festum transire oportet per omnes anni quadrantes, & menses restitui ad idem anni tempus.

Geminus.

Porrò hieroglyphicum quoque hunc annum appellatum reperio, non alia de causa, nisi quòd singulis mensibus acta Deorum hieroglyphicè exhiberentur. Verùm vt Lector veritatem rei propiùs intueatur, hoc loco (vt in sequenti facie vides) Schema hieroglyphicum propono, quod & in Obelisco Pamphilio fol. 464 minutim interpretati sumus; ad quem Lectorem curiosum amandamus.

Annus Hieroglyphicus.

Quòd verò quidam putent, huiusmodi annos nominibus Deorum denominatos esse, probari non posse, ij sanè multùm hallucinantur, & in reconditiori Aegyptiorum literatura parum se versatos declarant. Et primò quidem singulos annos quadriennij, siue vt Horapollo, τέταρτον τοῦ ἐνιαυτοῦ Θεοῦ, quartum annum Dei nominibus appellatum, suprà ex Strabone Authore probatum est. Et primum annum Lustri Sothim siue Caniculam dictum, quam Petosiris Rex apud Vettium Σὴθ vocat, idque genere masculino τοῦ Σὴθ ἀνατολὴ; quod erat initium anni Aegyptiaci, clarè Porphyrius in Antro declarat his verbis: Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὁ ὑδροχόος ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος. πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα Ἕλληνές φασι, νουμηνία δ' αὐτοῖς ἡ Σώθιος ἀνατολή. *Aegyptijs verò initium anni non erat Aquarius vti Romanis, sed Cancer: prope Cancrum enim Sothis, quod Canis sidus Græci vocant, Neomenia autem ipsis est Sothios ortus, generationis in Mundo Author.* Ex quo patet, hunc annum primum Sothin dictum, siue Thoth, vtpote ab Hermete κωμογράφῳ institutore annorum; reliquos verò non inconuenienter Isidis aut Serapidis, Isidis & Hori nominibus denominatos, ex figura hieroglyphica 36 Theat. hierogl. luculenter patet, vbi annum κυνικὸν volentes monstrare, Hermetem caninâ facie Crocodilo insistentem cum sphœra in manu Authorem sagacem temporum & Astronomiæ denotant, à cuius latere dextro Juppiter Ammon, ab altero Serapis cum modio Nili in capite, appositâ figura stellæ; quibus quidem nihil aliud denotare volebant, quàm anni Sothiaci curam habere, quatuor principalia Aegypti Numina, Hermetem, Serapidem, Osirin, Isin vel Isidis canem. Isin autem per stellam signari, Manilius Author est. Habet autem Canicula duas stellas, vnam in capite, quæ Isis vocatur Porphyrio teste, & alteram

Lustri Sothiaci quatuor anni Deorū Aegyptiorū nominibus appellabantur.

Porphyrius.

Manilius.

Porphyrius.

in

Diodorus. in lingua, quæ Syrius propriè & Canis nuncupatur. Vnde Diodorus l. 1. Bibl. inter titulos Isidis hæc ponit:

Ἐγώ εἰμι ἐν τῷ κυνὶ ἐπιτέλλουσα.

Ego sum in astro Canis fulgens.

Quòd autem Manilius dicit, in huius sideris exortu Aegyptios ἀποτελεσματικῶς περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ μελλόντων, id est, *prognosticon facere de ijs, quæ toto anno futura sunt*; alludit ad καλενδολόγια, quæ nos vulgò Almanach vocamus, mosque iste, vt apparet, ab Aegyptijs promanauit ad Græcos. Sed vt ad institutum reuertar, hoc vnicum dico, si nullum aliud argumentum huius denominationis esset, certè illud ad rem demonstrandam sufficiens foret; quod Coptitæ & Aethiopes dictum quadriennium in hunc diem obseruent. Sicuti enim Veteres singulos illius annos nomine Dei alicuius appellabant, ita & dicti populi eiusdem quadriennij singulos annos, non quidem nomine profani Dei, sed quatuor Euangelistarum nominibus indigitant, ita vt primus à bissexto vocetur Matthæus, alter Marcus, tertius Lucas, quartus Ioannes: quod & Computus Coptus his verbis describit:

Coptitæ & Aethiopes quatuor Lustri annos 4 Euangelistarum nominibus appellant

يوم الكبيس في كل اربع سنين ولكل وحده منهم يسموها بسم اربع انجيليين

Dies intercalaris singulis annis quatuor euenit, & vnumquemque ex ijs denominant nominibus quatuor Euangelistarum. Expressiùs hoc videtur in Computu Ecclesiæ Aethiopicæ, in quo Author docens modum inueniendi annum Euangelistarum, ita procedit:

ለአለዘ፡ትአምር፡ዓመተ፡ወንጌላውያን፡ ዓመተ፡ምሕረት፡
ው፡እ፬፡ትክፈል፡ወእመ፡ተረፈክ፡ ፩ ዮም ማቴዎስ፡
ዮም ማርቆስ፡ ወ፪ ዮም ሉቃስ፡ ወ፫ ዮም ዮሐንስ፡ ሶ ቀስ፡
ሰአየ ዕሩይ፡ ከፈለ፡ ለዐሥሩ፡፡ ፬ ዮሐንስ፡፡

Hoc est, *Vt scias annum Euangelistarum, Annum gratiæ per 4 numerum diuide; quòd si reliquum fuerit 1, erunt dies Matthæi; si 2, dies Marci; si 3, dies Lucæ; si autem æquata fuerit diuisio per 4, tunc dies Ioannis.* Ita Veteres primum annum vocabant Sothin, alterum Isin, tertium Serapidem siue Osiridem, quartum Horum, vt benè quoque notat Scaliger. Annos igitur ab Aera Nabonassari diuidentes per quatuor, inueniebant annum Deo conuenientem, eâ prorsùs ratione quâ Aegyptij Coptitæ & Abyssini diem Euangelistarum.

Verùm vt Lector anni tùm fixi, tùm vagi, tùm Lustrorum maioris minorisque rationem exactiùs cognoscat, hoc loco Cyclicum totius anni Systema disposuimus; in quo extrinsecus circulus fixi anni rationem obtinet, intrinsecus verò in formam orbis circa centrum suum mobilis anni soluti & vagi formam exhibet. Cui festa Aegyptiorum, quæ singulis.

lis mensibus occurrunt, ex varijs Authoribus collecta apposuimus; ex cuius applicatione ad primum diem mensis Thoth, disces primi vagi anni diem & annum, festorumque toto eo anno situm; elapso verò anno, applicatio primi diei Thoth ad secundum diem mensis Thoth, monstrat omnium festorum eo anno occurrentium situm & dispositionem; & sic dato quolibet anno, si scire desideres situm & dispositionem festorum Aegyptiacorum eo anno conuenientem, applicabis dato anno primum diem Thoth interiori rotæ, ad datum diem vel annum in exteriori limbo, & habebis intentum. Nota tamen hoc loco, quòd sicuti Lustrum caniculare ex quadriennio compactum dies 1460 notat, ita magnum Lustrum caniculare annos istius cycli notat; siquidem iuxta suprà allegata annus ciuilis est 365 dierum, quæ ducta in 4, 1460 dies conficiunt, quot nimirum quadriennium Sothiacum dies continet; 4 verò ducta in 365 annos, producit magnum illud Lustrum caniculare 1460 annorum curriculo comprehensum. Extrinsecus itaque circulus in 365 gradus diuisus tàm diebus quadriennij Sothiaci, quàm annis magni Lustri applicari potest; vt proinde mirum Aegyptij in tam pulchra dispositione ingenium monstrarint. Festa siquidem quæ magno Lustro conueniebant, illa eadem minori Sothiaco ex 1460 diebus conflato, accommodabantur; ita quidem, vt Dij non tantùm magnum illum Orbem spacio 1460 annorum circuire censeantur, sed & minorem dierum Orbem quadriennio comprehensum, circuiisse dici possent; atque adeò Hierophantæ cultum Dijs debitum, cùm in magno illo Lustro ob vitæ breuitatem exhibere non possent, illum in Lustro dierum 1460, Dijs exhiberent. Nunc sacra & vsum rotæ exponamus.

Primus itaque mensis Thoth, Ægyptiacè nihil aliud significat, nisi Mercurium, quem Ægyptij nunc Thoth, nunc Thoyth, teste Eusebio, Phœnices Tautum, Sacerdotes verò Σιωθ, quasi dicas, Canem, nominant; vt proinde non immeritò primus Ægyptiaci anni mensis Mercurio tanquam dispositionis annuæ Authori & inuentori, à priscis dicatus sit; de quo fusiùs lege Diodorum l. 2. c. 11. Eusebium & Herodotum. Erat autem in hoc mense potissimùm sacra Mercurio dies duodecima. Sed audiamus Plutarchum: Τῇ μὲν γὰρ ἐνάτῃ ἐπὶ δεκά τοῦ πρώτου μηνὸς ἑορτάζοντες τῷ Ἑρμῇ, μέλι καὶ σῦκον ἐσθίουσιν, ἐπιλέγοντες, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. *Inde vigesima secunda die primi mensis, festum agunt Mercurio, mel & ficus comedentes, dicendo, dulcis est veritas.*

Mensis 1 Thoth.

Diodorus. Eusebius. Herodotus. Plutarchus.

In secundo mense, quem Paophi dicunt, baculorum Solis natalia 22 die celebrantur, ità Plutarchus lib. de Osir. & Isid. Τῇ δὲ ὀγδόῃ φθίνοντος τοῦ Παωφὶ βακτηρίας ἡλίου γενέθλια, ὃν ἄγουσι μετὰ φθινοπωρινὴν ἰσημερίαν. *Vigesima secunda die mensis Paophi post æquinoctium autumnale, festum diem celebrant, tum Solis baculos natos dicentes.* Quò, teste Plutarcho, innuunt, baculo veluti fulcro quodam, quo sustentetur. Solem, vtpote qui ob descensum obliquum versus Tropicum brumæ caloris & luminis aliquam diminutionem passus sit, indigere. Sexta verò die huius mensis, partum Harpocratis celebrant; quæ hisce verbis Plutarchus citato loco memorat: Διὰ καὶ λέγουσι, τὴν Ἶσιν αἰσθομένην ὅτι κύει, περιάψασθαι φυλακτήριον, ἕκτῃ μηνὸς ἱσταμένου Φαωφί. Τίκτεσθαι δὲ τὸν Ἁρποκρά-

Mensis 2 Paophi. Plutarchus.

Plutarchus.

την

τὴν περὶ τροπὰς χειμερινὰς ἀτελῆ καὶ νεαρόν. *Ideo dicitur, Isin se grauidam dum sentiret, appendisse sibi amuletum, sexta die mensis Paophi, & peperisse Harpocratem, sub solstitium hybernum, imperfectum ac recentem*. quòd scilicet tum præuij flores & germina prima nascantur; ideoque fabarum nascentium primitias offerunt. Hic toto quoque mense Omphta, quem Plutarchus Omphis vocat, benefico Numini sacra celebrant: Ἕτερον δ᾽ ὄνομα τοῦ Θεοῦ τὸν Ὄμφιν εὐεργέτην ὁ Ἑρμαῖος λέγει. *Alterum nomen Dei Omphis, quem beneficum interpretatur Hermæus*; de quo vide in descriptione Zodiaci hieroglyphici in præcedentibus amplius tractatum.

Mensis 3 Athyr. Die 17 mensis Athyr interitus Osiridis celebratur. Typhonem enim Osirin arcæ inclusum per Taniticum ostium in mare demisisse, ferunt; quad eam ob rem etiamnum Ægyptijs nominatum est admirabile. Ταῦτα δὲ πραχθῆναι λέγουσιν ἑβδόμῃ ἐπὶ δέκα μηνὸς Ἀθὺρ, ἐν ᾧ τὸν σκορπίον ὁ ἥλιος διέξεισιν, ὄγδοον ἔτος καὶ εἰκοστὸν ἐκεῖνο βασιλεύοντος Ὀσίριδος. *Dicuntur hæc acta esse 17 die mensis Athyr, quo Sol Scorpium ingreditur, vigesimum octauum annum regnante Osiride*. & alibi. quòd autem in arcam inclusus dicitur, nihil aliud est, quàm aquæ occultatio & diminutio. Διὸ μηνὸς Ἀθὺρ ἀφανισθῆναι τὸν Ὄσιριν λέγουσιν, ὅτε τῶν ἐτησίων ἀπολιπόντων παντάπασιν ὁ μὲν Νεῖλος ὑπονοστεῖ, γυμνοῦται δὲ ἡ χώρα. *Itaque mense Athyr periisse Osirin dicunt, quando Etesijs omninò deficientibus, Nilus recedit, & solum nudatur*.

Mensis 4 Choiac. Die 19 mensis Choiac sacra Cistophoria celebrantur; solennitatis ritus Plutarchus recenset his verbis: Τῇ δὲ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα νυκτὸς ἐπὶ θάλασσαν κάτεισι, καὶ τὴν ἱερὰν κίστην οἱ στολισταὶ, καὶ οἱ ἱερεῖς ἐκφέρουσι χρυσοῦν ἐντὸς ἔχουσαν κιβώτιον, εἰς ὃ ποτίμου λαβόντες ὕδατος ἐγχέουσι, καὶ γίνεται κραυγὴ τῶν παρόντων, ὡς εὑρημένου τοῦ Ὀσίριδος, εἶτα γῆν κάρπιμον φυρῶσι τῷ ὕδατι, καὶ συμμίξαντες ἀρώματα, καὶ θυμιάματα τῶν πολυτελῶν ἀναπλάττουσι μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον, καὶ τοῦτο στολίζουσι, καὶ κοσμοῦσιν ἐμφαίνοντες ὅτι γῆς οὐσίαν καὶ ὕδατος τοὺς Θεοὺς τούτους νομίζουσι. *Decima nona die mensis Choiac noctu ad mare descenditur, & sacram cistam stolistæ vnà cum Sacerdotibus efferunt, in qua est intus aurea arcula, cui infunditur ab ijs aqua potabilis, ac clamor tollitur ab his qui adsunt vociferantibus, Osiridem esse inuentum, exinde tellurem frugiferam aquæ permiscent, additisq; mixturæ aromatibus & suffimentis sumptuosis effingunt imagunculam luniformem, & hanc amiciunt & ornant, significantes Deos ipsos ab ipsis putari esse naturam terræ & aquæ.*

Mensis 5 Tybi. Die mensis Tybi, reditus Isidis è Phœnicia celebratur. ita Plutarchus citato loco: Διὸ καὶ θύοντες ἑβδόμῃ τοῦ Τυβὶ μηνὸς, ἣν καλοῦσιν ἄφιξιν Ἴσιδος ἐκ Φοινίκης, ἐπιπλάττουσι τοῖς ποπάνοις ἵππον ποτάμιον δεδεμένον. *Ideo septima die mensis Tybi sacrificantes, quem aduentum Isidis è Phœnicia vocant, & ex placentis efformant fluuiatilem equum vinctum*, quo Typhoniam vim ab Iside profligatam innuunt; hoc eodem mense celebratur Nephtes solennitas.

Mensis 6 Mechir. Mense Mechir Sacerdotes adyta sua lustrabant, & Canopo litabant; cuius ritus & cœremonias vide in primo Tomo huius Oedipi, capite de Canopo.

Mensis 7 Phamenoth. Mense verò Phamenoth, festum quod Osiridis in Lunam ingressum nominant, celebrant. ita Plutarchus: Ὅτι τῇ νεομηνίᾳ τοῦ Φαμενὼθ μηνὸς ἑορτὴν ἄγουσιν, ἔμβασιν Ὀσίριδος εἰς τὴν σελήνην ὀνομάζοντες, ἔαρος ἀρχὴν οὖσαν. *Quòd in Neomenia mensis Phamenoth festum celebrant, quod Osiridis in Lunam ingressum vocant,*

cant,

cant, existimantes illud Veris principium. Hoc enim pacto vim Osiridis, id est, Solarem in Luna subobscurè insinuant; est enim Luna siue Isis vxor Osiridis; ideoque Lunam Mundi matrem appellant, & naturam ex vtroque mixtam sexu assignantes, quod impleta & grauida facta à Sole, rursum à se in aërem emittat & disseminet genitabilia principia.

Mense Pharmuthi, Ammonis festum celebrant, vti in Zodiaci hieroglyphico suprà ostendimus; est enim Amun Numen Arietinum fœcunditatis præses, cuius maximè sese exerunt inditia, Sole in Ariete ascendente sub Veris principium. Eódem tempore festum celebrabant, teste Pausania, quod profligationem Typhonis dicebant: & teste Plutarcho; Crocodilum occidebant, cuius symbolum Typhon erat; occultè hisce ritibus insinuantes, Sole in Arietem seu Ammonis domum concedente, tenebras & frigoris vehementiam, Typhoniæ virtutis effectus, profligari, ac ammoniâ virtute dispelli. Vide quæ de hisce citato loco, & in Obelisco Pamphilio, de Arietis significatione fol. 269. tradidimus.

Mensis 8 Pharmuthi.

Pausanias Plutarchus.

Mense Pachon siue ⲡⲁϣⲟⲛⲥ qui Maio respondet, Serapidi sacra faciebant, id est, Osiri subterraneo, cuius beneficum maximè hoc mense elucescit in terra omni germinum herbarumque genere luxuriante. Hinc Plutarchus hanc vocem Σάραπις, gaudium interpretatur: Særei siquidem Ægyptij lætitiæ festum appellant. Sed de his fusiùs tractatum vide Tomo 1. cap. de Serapide. Præterea hoc mense sphragistæ siue sigillatores boues rufos immolabant, teste Plutarcho, τῆς σφραγῖδος (ὡς ἱστορεῖ Κάστωρ) γλυφὴν μὲν ἐχούσης ἄνθρωπον εἰς γόνυ καθεικότα, τὰς χεῖρας ὀπίσω περιηγμένας ἔχοντα, καὶ τῇ σφαγῇ ξίφος ἐγκείμενον. *Sigilli autem sculptura exprimebatur (vt Castor perhibet) homo ingenua desidens, manibus post terga reductis, iugulo ense imminente.*

Mensis 9 Pachon.

Mense Payni pœnas luebant Asini, execrandi Typhonis gratia, quem Asinum tùm inertiâ stoliditateque, tùm colore retulisse narrant; hinc Καὶ πόπανα ποιοῦντες ἐν θυσίαις, τοῦ δὲ Παϋνὶ καὶ τοῦ Φαωφὶ μηνὸς ἐπιπλάττουσι παράσημον ὄνον δεδεμένον. *Mensibus Payni ac Phaophi placentas facientes in sacrificijs ijs figuram Asini vincti imprimunt.*

Mensis 10 Payni.

Mense Epiphi, qui Iulio respondet, Momphtæ præludia fiebant, Sole ingrediente in Leonem; ritus omnes & cœremoniæ felix Nili incrementum respiciebant; de quo fusè in Obelisco Pamphilio hierogrammatismo de Leone. Vltimo verò huius mensis die ferias agunt natalitias oculorum Hori, & Cantica promunt inuocantes eum, qui in Solis vlnis occultatur. ita Plutarchus: Ἐν δὲ τοῖς ἱεροῖς ὕμνοις τοῦ Ὀσίριδος ἀνακαλοῦνται τὸν ἐν ταῖς ἀγκάλαις κρυπτόμενον τοῦ ἡλίου, καὶ τῇ τριακάδι τοῦ Ἐπιφὶ μηνὸς ἑορτάζουσιν ὀφθαλμῶν Ὥρου γενέθλιον ὡς οὐ μόνον τὴν σελήνην, ἀλλὰ καὶ τὸν ἥλιον ὄμμα τοῦ Ὥρου καὶ φῶς ἡγούμενοι. *In sacris verò hymnis Osiridis inuocant eum, qui in vlnis Solis latet; & vltima die Epiphi mensis celebrant genethliacam diem oculorum Hori, non enim duntaxat Lunam, sed & Solem oculos Hori existimant.*

Mensis 11 Epiphius.

Mense verò Mesori solennia Nili celebrant, eo ipso videlicet tempore, quo Nili incrementum incipit. Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον, ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδος ἀπορροὴν καλοῦσι, καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ Θεοῦ, καὶ θρίῳ βασιλέα, καὶ τὸ νότιον κλίμα τοῦ κόσμου γράφουσι, καὶ μεθερμηνεύεται τὸ θεῖον ποτισμὸς, καὶ κίνησις πάντων, καὶ δοκεῖ γεννητικῷ μορίῳ τὴν φύσιν ἐοικέναι· τὴν δὲ τῶν παμυλίων ἑορτὴν ἄγοντες φαλλικὴν

Mensis 12 Mesori.

ἔχε, ἄγαλμα προτίθενται καὶ περιφέρουσιν, οὗ τὸ αἰδοῖον τριπλάσιόν ἐστιν. *Non ſolum autem Nilum, ſed omnem ſimpliciter humorem, Oſiridis effluxum vocant; & ante ſacra in pompa ſemper præcedit vas aquarium in honorem Dei, & ficus folio Regem, & meridionale Mundi clima pingunt, & interpretantur folium ficus irrigationem, & motum omnium, videturq́ natura ſimile membro genitali. Porrò Pamylia feſta agentes, quæ phallo, id eſt, virilis membri ſimulachro adhibito, fiunt, imaginem proponunt, & circumferunt, cuius triplex eſt penis.* Occultè inſinuantes, Deum eſſe principium omnium; omne autem principium multiplicare id, quod ab eo producitur; adeòque humidum rerum omnium principium eſſe, ſine quo Mundus ſenſibilis, quem Horum dicunt, conſeruari non poteſt.

Atque hæc ſunt ſolennia, quæ Ægyptij per anni decurſum celebrare ſolebant, in Deorum quos colebant, honorem; quæ quidem feſtiuitates, ſi annum communem & ciuilem ſpectes, fixæ & immobiles erant; vagę verò & ſolutæ, ſi modũ Hierophantis vſitatũ conſideres: volebant enim Deos ſpacio 1460 annorum, omnes Mundi plagas perlustrare, ſingulosque Zodiaci gradus & menſium dies ſucceſſu temporum peruadere; nè vlla Mundi pars, aut annui temporis portio tam neceſſariâ Deorum præſentiâ deſtituatur, vti ſuprà ex Gemino oſtendimus. Reuocabantur autem omnia ſacra ad quatuor potiſſimùm Numina, videlicet Sothin, qui eſt Mercurius; ſecundò ad Iſidem; tertiò ad Oſiridem; quartò ad Horum, quem Kemin quoque dicunt; ita vt quemadmodum hæc quatuor Numina ſingulis quadrienijs, id eſt, 1460 diebus, ſuis reſtituuntur principijs, ita 1460 annis, magno illo Sothiaci luſtri decurſu, eò vnde progreſſi erant, reuertantur. Quatuor hæc Numina in interiori circulo ſingula ſuis hieroglyphicis expreſſimus. Atque hæc de anno magno Sothiaco ſufficiant.

ROTA

ROTA CHRONICA EX MENTE ÆGYPTIORVM,

Qua Festa Mensium Deorum Ægyptiorum, quà fixa, quà vaga, vnà cum Lustro Sothiaco seu Caniculari minori 1461 dierum, maiori 1461 annorum exhibentur.



Nota Lector, festa fixa Mensium apicibus suis diem Mensis monstrare; nomina verò 12 Deorum Copticis literis exhibita indicare, hosce Deos nullas fixas habere sedes, sed in anteriora procedere, ita vt spacio 1461 annorum totum 12 Mensium circulum conficiant; qui & annus, seu lustrum magnum Hierophanticum dicitur.

Declaratio Rotæ Chronicæ, quâ quæcunque hucusque de Mensibus & Festis dicta sunt, vnica veluti Synopsi comprehenduntur.

Continet exterior circuitus dies totius Ægyptiaci anni 365 dierum expansi; infra quem nomina Mensium Ægyptiacorum, quorum singuli 30 dierum, continentur cum quinque epagomenis, quas Ægyptij Nisi vocant; infra hunc verò circulus ponitur in duodecim menses ξιακονταημερῶν, id est, triginta dierum diuisus, vnà cum quinque epagomenis. Atque hic est annus fixus Ægyptiorum: quorum quidem annorum quatuor constituunt lustrum Sothiacum siue caniculare minus, siue Θεῶν σεβαστῶν; ita vt primus annus, Sothi, id est Mercurio; secundus Isidi; tertius Osiri; quartus denique Horo sacratus habeatur. Respondet autem prædictum lustrum quatuor annis Iulianis bissextum continentibus; & sub duplici ratione considerari potest, vel in quantum hoc quadriennium ciuile, vel in quantum mysticum ac hierophanticum: illud post quadriennium, vnum diem intercalare solet, hoc omni spretâ intercalatione habenas laxat in anteriora tempora. Hinc aliam rotam ordinauimus, in centro suo versatilem, cui festa Deorum Ægyptiorum, cœterasque solennitates imposuimus; vocaturque ab Authoribus ἐνιαυτὸς μέγας τοῦ Θεοῦ, magnus annus Sothiacus vagus, Lustrum caniculare, & constat 1460 annis, qua finita periodo ad primum diem Thoth circiter reuertitur. Vagantur autem Dij, eorumque festa, per omnes menses anni fixi, spaciò 365 bissextorum; adeoque nulla in mensibus dies est, quam Dij non peragrasse dici possint. Atque hic est annus magnus hierophanticus, seu hieroglyphicus, quo mysticè indicabant, nullam Mundi partem esse, quàm Dij beneficâ suâ præsentiâ non penetrent, animent, & necessariò influxu conferuent. Exhibent id aptè per serpentem in circulum abeuntem, & capite caudam, teste Horo, mordentem. In circumuolutione verò sua quatuor veluti circulos efficiebat, quibus Lustrum Sothiacum minus quatuor annorum indicabatur, quibus singulis Numen præficiebant, hieroglyphicis suis adornatum. Hic vides in primo præesse Sothin, id est, Mercurium sedentem, & canino capite insignem, veluti anni temporumque dispositionis Authorem; in secundo circulo Isis occurrit sedens, & fœmineo vultu conspicua, & secundo anno præesse dicebatur; in tertio circulo Osiris throno insidens, Accipitrino capite insignis, tertio anno præest; in quarto circulo Horus spectatur ea figura, quam vides, quarti anni præses. Quemadmodum enim hæc Numina 1460 dierum spacio totum quadriennium Sothiacum lustrant, sic ijdem magnum lustrum 1460 annis, vnà cum reliquis asseclis & festiuitatibus ijs exhibitis, conficere dicuntur. Præterea sicuti minori lustro singulis quadriennijs vnus dies accedit; ita maiori lustro confecto annus accedit, vt in suas sedes pristinas restituantur.

Serpens caudam mordés, annum significat.

Horus. Quatuor Numina Lustro Sothiaco præsidentia.

Nota etiam, quòd sicuti minoris lustri annus est dierum 365, ita maioris lustri vnus annus censetur esse 365 annorum, quæ per 4 multi-

pli-

plicata efficiunt circuitum 1460 annorum, quæ quidem periodus à prima eius institutione, quam ab Hermete factam esse supponimus anno ante Christum 1837, vti in Obelisco Pamphilio ostendimus, ad hunc nostrum vsque annum 1653, bis peracta fuit, ita vt hodie primus dies mensis Thoth, iuxta Hierophantarum computum, anni magni vagi incidat in 25 diem mensis Phamanoth. Si enim 1837 anno ante Christum, quo ex hypothesi ab Hermete institutio huius Computus peracta fuit, iunxeris 1653 à Christo vsque ad præsentem annum; habebis summam 3490 annorum, quæ diuisa per annos lustri maioris canicularis 1460 annorum, quotum dabunt 2, cum 570 diebus, quæ vnum annum, sex menses, & 25 dies conficiunt; quibus respondent 25 dies mensis Phamenoth.

His itaque positis; si velis scire, quibus nam mensibus festa & solennitates Deorum hodie respondeant, sic age. Volue rotam anni magni Sothiaci siue lustri canicularis, signo suo quod lilium refert, supra 25 diem Phamenoth; huic enim hodiernâ die initium huius Sothiaci Cycli ex hypothesi respondet; & mensium dies, quibus festa & solemnia in circuitu rotæ disposita respondent, dabunt quæsitum. Non secus operaberis in Cyclo hoc Sothiaco ad quosuis aliorum temporum indices accommodato. Si verò nôsse cupias, quodnam Numen ex quatuor τῶν Σεβαστῶν huic præsenti anno præsideat, sic operare; Diuide 570 dies ex diuisione paulò antè facta superstites, per 365, & habebis quotum 1. diesque residuos 205, qui secundi anni ex lustro caniculari dies sunt; pronunciabis itaque, IΣIN huic præsenti anno præsidere; initium autem Cycli magni canicularis vagi incidere in vigesimam quintam Phamenoth, vti dictum est, qui respondet 21 Martij, qui est dies æquinoctij. Atque hæc ex Hierophantarum mente tradidimus; qui verò lustrum hoc maius ad annos Ægyptiacos seu Alexandrinos accommodare volunt, isti diuidant annos instituti Cycli 3490 per 1461. & prodibunt $2\frac{578}{1461}$, quorum minutiæ in dies resolutæ dabunt vnum annum, septem menses & octo dies, qui erit 8 dies mensis Pharmuthi, & respondet tertiæ Aprilis. His præmissis, iam restat, vt de moderno Coptitarum Computu nonnihil dicamus.

CAPVT III.

De Computu Coptitarum.

QVæ in Supplemento ad Prodromum de moderno Coptitarum Computu diximus hîc iisdem verbis repetere libet, quia rara sunt, & & scitu dignissima, & dictum Supplementum ad paucorum fortè notitiam peruenit, prætereaque multis erroribus scatet, Typographi & Correctoris incuria.

Coptitæ igitur Christiani tenent triplicem Æram, primam cum reliquis Orientalibus ferè omnibus communem ab orbe condito, quam vo-

cant تريخ السنين ابونا ادم *Æram annorum Patris nostri Adam*, Maximus Monachus ἔτη Ἀδάμ, quibus in cyclis tam Solari, quàm Lunari, & quæ cyclos consequuntur, ordinandis vtebantur. Alteram à primordio Regni Græcorum; de quibus annis vide Prodromum. Tertiam à Diocletiano doctrinalem, quam in libris, literis, & monumentis inscribendis adhibent, eamque vocat Albateni تريخ القبطي *Tarich Elkupti, Æra Coptica*; Coptitæ verò ⲡⲓⲱⲛ ⲛ̀ⲧⲉⲩⲅⲉⲛⲧⲓⲟⲥ vel Arabicè تريخ الشهدا الطهار *Æram SS. Martyrum*. Copticè ϯⲣⲟⲙⲡⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲙⲁⲣⲧⲩⲣⲟⲥ id est, *annum Martyrum*. Addunt aliqui hisce Æris siue Epochis quartam Nabonassari Chaldæorum Regis; verùm cùm ea Astronomi tantùm vtantur, vt quæ in ciuili Computu locum non habeat, consultò omittendam duximus, erat enim Æra Nabonassari non ciuilis, nec vulgò cognita Ægyptijs, sed Astronomis tantùm, quam à Chaldæis mutuarunt, vt doctè in epistola quadam ad me data probat doctissimus noster Petauius, videlicet Callisthenis opera, & studio, qui Aristotelis discipulus fuit, & magistri hortatu, cùm in comitatu esset Alexandri Macedonis, antiquissimas Chaldæorum obseruationes Babylone receptas misit in Græciam, vnde in Ægyptum delatæ ab Astronomis adhibitæ fuerunt, maximè à Ptolomæo, qui eas ab Hipparcho mutuatus videtur. Testatur hæc omnia Simplicius in comment. in 2 lib. Arist. de cœlo; adeo vt quæcunque de hac æra in Prodromo diximus, aliter intelligenda, ac diximus, nolimus; neque æram à morte Alexandri, quæ & æra Philippi dicitur, cum æra ذو لقرنين *Dulkarnain* confundendam putamus, cùm vna ab altera 12 ferè annis distet, quæ fusiùs legi possunt apud eum, quem suprà laudaui, Petauium.

Petauius.

Simplicius.

De Æra autem annorum Mundi, notandum est, Græcos & Latinos sine vlla causa à veris epilogismis sacrorum Bibliorum discedentes, annos à conditu rerum ad Christum natum putare 5199; qui numerus excedit vera Moysis ratiocinia annis mille ducentis quinquaginta. Sed & Græci Computûs conditores Ægyptios imitati, æras Mundi alio, atque alio modo interpretati sunt, vt eas arti computatoriæ accommodarent. Ex qua licentia natæ sunt tres æræ technicæ, quas à Magistris in vsum Computûs excogitatas, aut transformatas, posteri pro veris annis Mundi acceperunt; suntque Dionysiana, Alexandrina, & Antiochena, de quibus vide Petauium in Opere de doctrina temporum, & Scaligerum. Quæ æræ cùm naturales non sint, sed ad calculum instituendum fictæ, multum quoque differunt. Hebræorum æra à condito Mundo putat ad Christum 3760 annos. ita liber Computisticus Hebræorum, cuius titulus est:

לקט קציר לסוד העבור:

Hoc est, *Spicarum collector de mysterio computus, siue embolismi*; quod enim nos Computum, illi à parte totum, ἐμβολισμὸν, Hebraicè עבור *Ghibbur*, id est, *prægnantem* vocant, translatione sanè elegantissima, quasi annus insititium mensem in se gestet, tanquam mulier prægnans fœtum in vtero. In hoc igitur libro ab Orbe condito ad æram Christi numerantur

3760 anni, quam Epocham etiam Samaritani, vti ex fragmento quodam Samaritano Bibliothecæ Pereiscianæ mihi innotuit, sectantur: quæ omnia correspondent Chronol. Hebræorum. Ægyptij verò, ac Græci, vnà cum Syris, Septuaginta 2 Interpretum rationem secuti, plùs mille annis ab Hebræorum, Samaritanorumque ratione dissident, quorum authoritatem libenter hoc loco producerem, si aut tempus, aut tractatus breuitas, quam sectamur, permitteret. His igitur ita præmissis, nunc instituti filum prosequamur. Antequam verò vlteriùs procedamus, ipsum Samaritanum textum, vnà cum Hebraico hîc subiungendum duximus, vt quæ de æra annorum Mundi dicta sunt, sinceriùs comprobentur: ita autem in Autographo habetur.

Aera Samaritanorum.



Cui consentit Hebræorum Aera.

I מבריאת עולם עד המבול אלף שש מאות ושש המישים:

II עד פלגה אלף תשע ומאות ושמנה וארבעים:

III עד לדת אברהם אבינו אלף ותשע ומאות וששה ותשעים:

VI עד לדת משה רבינו ע"ה אלפים שלשה מאות שמנה וששים:

V עד יציאת מצרים אלפים ארבע מאות ושמנה וארבעים:

IV עד בנין בית ראשון אלפים תשע מאות ושמנה עשרים:

IIV עד מנין הנצריים שלשה אלפים שבע מאות וששים:

Hoc

Hoc est:

I	A creatione Mundi ad diluuium anni	1656
II	Ad diuisionem linguarum	1996
III	Ad natiuitatem Abrahæ	1948
IV	Ad natiuitatem Moysis	2368
V	Ad exitum de Ægypto	2488
VI	Ad ædificationem domus prioris	2928
VII	Ad Æram Christianorum	3760

Ordinant autem Coptitæ annum suum Ecclesiasticum à 29 Augusti, qui incidit in primum diem Thoth, diem decollationis S. Ioannis Baptistæ, etsi in Martyrologio celebretur 2 die Thoth, ob primi anni diei solemnia propria, de quo ita Tarich elKupti:

بدو السنة توت ويوم استشهد القديس والنبي يوحنا المعمدان ابن زكريا الكاهن ✤

Id est, *Initium anni Mensis Thoth, & dies est martyrio S. Prophetæ Ioannis Baptistæ filij Zachariæ Sacerdotis consecratus*, quæ verba Syriaco seu Antiocheno Calendario exactè consonant, vt patet:

ܦܘܣܩܐ ܕܪܫܗ ܕܝܘܚܢܢ ܡܥܡܕܢܐ ܘܫܘܢܝܐ ܕܐܒܘܢ ܐܕܡ ܘܪܫ ܫܢܬܐ ܕܡܨܪܝܐ ✤

Id est, *Decollatio S. Ioannis Baptistæ & obitus Patris nostri Adam, & initium anni Ægyptiorum*. quod & confirmat Græcus ψηφισμὸς his verbis: Ἀποκεφαλισμὸς Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ, καὶ τελευτὴ τοῦ προγόνου ἡμῶν Ἀδάμ, καὶ ἀρχὴ τοῦ τῶν Αἰγυπτίων ἐνιαυτοῦ. Celebratur autem hoc festum bis à Coptitis, semel primò Thoth, quo decollatus fuit, secundò 30 Mechir, quo ipsius caput inuentum est, vt in Calendario Coptico patet.

Quâ ratione autem feria, in quam 1 dies Thoth, siue festum decollationis S. Ioannis Baptistæ incidat, inueniri possit, pulchrè docet computus Æthiopicus, siue Abyssinus, sequentibus verbis:

Wachaiba baza thamir, bailatha Ioannes amatha mechrath thechaz wathac haphlo laarbathu id wamatna rabithu thuesic dibeheu vimchalean, wathdemior chulo athtani wathathith imnehu chlethu, wathgatph baba saboathu vazathâraphim sabaatu vethuche balatha Ioannis. Hoc est, *Vt scias diem Ioannis, annum gratiæ accipito, diuidesq; in 4 summas; mensuram quadrantis apponito super illum vtrinque; commisceto omne simul; abijce ab eo 11; diuide septies; quod reliquum erit de 7, ipse est dies Ioannis*. Ratio porrò cyclorum Solis, & Lunæ, & consequentis ex ijs termini Paschalis, cum Alexandrina prorsus eadem est, vt paulò post videbitur, si loquamur de anno fixo Ægyptiorum, & ad normam Iuliani redacto; proprij autem Solares anni veterum Ægyptiorum sine quadrantis appendice, non mensurantur cyclo decennouennali, vt Græcorum, Alexandrinorum, & Hebræorum anni, sed 25 annorum cyclo, quem Ptolomæus descripsit l. 6. περὶ τῆς μεγάλης συντάξεως. Quòd autem hic cyclus optimè quadret tempori Lunationum veterum

Ægy-

Ægyptiorum, ita demonſtratur. Quoniam enim 25 Solares anni ſeclufis biſſextis continent dies 9125, & fiunt in eis lunationes 309. quæ iuxta Aſtronomicam ſupputationem conſtant diebus 9124, horis 22, min. 51, ſecundis 18 ; redibunt lunationes omnes poſt 25 annos ad eundem diem in quo priùs factæ fuerant, anticipantes ſolùm ad vnam horam, minut. 8, ſecund. 12 ; quod de cyclo decennouennali ad dictos Aegyptiorum annos applicato dici nullâ ratione poteſt. Atque hinc emergit quoque ratio, cur Veteres nunquam intercalauerint annos ſacros, ciuiles autem ſeu Alexandrinos quarto quoque anno intercalauerint. Verùm de hoc cyclo paulò antè fuſiùs, nunc ad Copticicum ſiue Alexandrinæ Eccleſiæ vſitatum Computum progrediamur. Vtitur ea duplici cyclo, Solari, & Lunari, quorum illum Copte ⲡⲓⲕⲩⲕⲗⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲏⲣⲓ vel Arabicè دور الشمسي *Circulum Solis*, hunc ⲡⲓⲕⲩⲕⲗⲟⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓⲓⲟϩ vel دور القمري *Circulum Lunæ* vocant. Solis cyclus conſtat 28, Lunæ 19 annis. His omnia quæ ad diſpoſitionem Paſchatis, cœterorumque feſtorum pertinent, inueſtigant, vt ex ſequenti Pinacio patet, quod ex Copticarum libris decerptum tibi hîc exhibendum duxi.

Tabula Computi Paſchalis.

Menſes	*Char. Menſis.*	*Cyclus Solis.*		*Char. Anni.*	*Cyclus Lunæ ſiue Paſchatis*		*Termin. Paſchat.*	*Dies term. Paſch.*
ⲁ ⲑⲱⲟⲩⲧ	ⲅ	1	ⲁ	ⲅ	ⲁ	1	ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ	ⲕⲑ
		2	ⲃ	ⲇ				
ⲃ ⲡⲁⲟⲡⲓ	ⲉ	3	ⲅ	ⲉ	ⲃ	2	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲓⲏ
		4	ⲇ	ⲍ	ⲅ	3	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲍ
ⲅ ⲁⲑⲱⲣ	ⲍ	5	ⲉ	ⲁ	ⲇ	4	ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ	ⲕⲋ
		6	ⲋ	ⲃ				
ⲇ ⲭⲟⲓⲁⲕ	ⲃ	7	ⲍ	ⲅ	ⲉ	5	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲓⲉ
		8	ⲏ	ⲉ				
ⲉ ⲧⲱⲃⲓ	ⲇ	9	ⲑ	ⲋ	ⲋ	6	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲇ
		10	ⲓ	ⲍ	ⲍ	7	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲕⲅ
ⲋ ⲙⲉⲭⲓⲣ	ⲋ	11	ⲓⲁ	ⲁ				
		12	ⲓⲃ	ⲅ	ⲏ	8	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲓⲃ
ⲍ ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ	ⲁ	13	ⲓⲅ	ⲇ	ⲑ	9	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲁ
		14	ⲓⲇ	ⲉ				
ⲏ ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲅ	15	ⲓⲉ	ⲋ	ⲓ	10	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲕ
		16	ⲓⲋ	ⲁ	ⲓⲁ	11	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲑ
ⲑ ⲡⲁϣⲱⲛⲥ	ⲉ	17	ⲓⲍ	ⲃ				
		18	ⲓⲏ	ⲅ	ⲓⲃ	12	ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ	ⲕⲏ
ⲓ ⲡⲁⲱⲛⲓ	ⲍ	19	ⲓⲑ	ⲇ	ⲓⲅ	13	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲓⲍ
		20	ⲕ	ⲋ				

ιⲁ ⲉⲡⲏⲡ	ⲃ	21	ⲕⲁ	ⲍ	ιⲇ	14	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲋ
		22	ⲕⲃ	ⲁ	ιⲉ	15	ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ	ⲕⲉ
ιⲃ ⲙⲉⲥⲱⲣⲓ	ⲇ	23	ⲕⲅ	ⲃ	ιⲋ	16	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ιⲇ
		24	ⲕⲇ	ⲇ				
ιⲅ ⲛⲓⲥⲓ	ⲋ	25	ⲕⲉ	ⲉ	ιⲍ	17	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲅ
		26	ⲕⲋ	ⲋ	ιⲏ	18	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲕⲃ
		27	ⲕⲍ	ⲍ				
		28	ⲕⲏ	ⲁ	ιⲑ	19	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ	ⲅ

In prima columna ponuntur nomina mensium Copticorum, quorum etymologiam paulò antè protulimus. Secunda columna characteres mensium continet. Tertia Cyclum Solis. Quarta characterem anni. Quinta Cyclum Lunarem. Sexta terminos Paschales. Septima dies termini Paschalis; de quibus singulis aliquot Canones producemus ex Copticis monumentis depromptos.

PROPOSITIO I.

Inuenire Cyclum Solis.

واذا اردات معرفة كيقلس الشمس اسقط ثمانية وعشرين ثمانيه وعشرين
من السنة تاريخ القبط وبقيته هو كيقلس شمس تلك السنة التي انت فيها ❁

Si vis ſcire Cyclum Solis, abijce ex annis æræ Diocletiani quoties potes 28, & reliquum dabit tibi Cyclum ipſius anni actu currentis.

PROPOSITIO II.

Cyclum Lunarem inuenire.

واذا اردت تعرف كيقلس القمر اسقط واحده من سنة تاريخ القبط واسقط
ايضا تسعة عشر تسعة عشر وبقيته هو كيقلس القمـــــــــــــر ❁

Si vis ſcire Cyclum Paſchalem ſiue Lunæ, abijce 1 ex annis æræ Diocletiani, & iterum 19 quoties potes, reliquum enim dabit Cyclum Lunæ ſeu Paſchalem quæſitum.

PROPOSITIO III.

Feriam Menſis inuenire.

خذ العلمة قبلة لكيقلس الشمس وهذه تزيدها على علمة الشهر وجملة هو قوم
الشهـــــــــر ❁

Si velis scire feriam mensis, accipe characterem anni, siue signum (in columna) *è regione cycli Solis; huic adde characterem mensis* (in columna propria) *& summa dabit feriam quæsitam abiectis 7 quoties poteris.*

PROPOSITIO IV.

Innenire Cyclum Paschalem alia ratione.

اذا اردت تعرف حساب كيقلس تلك السنة التي انت فيها كيم هو تسقط سنين
ابونا ادم تسع عشر تسع عشر فمهما بقي لايجي تسع عشر فهو كيقلس تلك السنة
لان الكيقلس ينمو من واحد الى تسعة عشر واذا وصل الى تسعة عشر ترد الى واحد ✿

Cùm volueris scire numerum cycli Lunaris istius anni in quo es, quotus sit, abyce ab annis patris nostri Adam 19 quoties poteris, & quod reliquum fuerit, & non fuerit 19, iste erit cyclus istius anni, quia cyclus est reuolutio annorum ab vnitate ad 19, & hinc ad vnitatem.

PROPOSITIO V.

Fundamentum Anni inuenire.

واذا اردت تعرف الاس وحسابة وهو كيقلس الشمس ينمو هذا الحساب من احد
الى سبع ومن سبع يردا الى واحد واذا اردت كيقلس السنة التي انت فيها فتمسك
سنين ابونا ادم وتزيد عليها مثل ربعها وما كان كسر مثل ربع او نصف اتركه
واذا الربع مع الاصل اجمع جملته واسقطه سبعة سبعة فمهما بقي لا يجي سبع
وهو كيقلس الشمس تلك السنة التي انت فيها وهو الاس ✿

Hoc est, *Si fundamentum anni (qui certus quidam cyclus Solis est, procedens ab Vno ad 7, & hinc redit ad vnitatem) scire velis, accipe annos Patris nostri Adam, & addes ijs quartas eorum, & si fuerint fractiones numerorum, relinques eas, & si fuerit completa quarta cum radice, coniunges summam eius, & abijcies ab ea quoties poteris septem, & si quod reliquum fuerit, & non fuerit septem, erit id cyclus Solis anni istius qui actu currit, & hoc est fundamentum quæsitum.*

PROPOSITIO VI.

Diem, in quem cuiusuis mensis principium cadat, inuenire.

اذا اردت تعرف اي يوم يكون اول الشهر فتنظر علامة الشهر الذي تريد
وتضيف اليها اس تلك السنة ومهما اجتمع معك تسقط منه سبعة ومهما فضل
من السبعة ان فضل واحد اول الشهر الاحد وان فضل اثنين وهو الاثنين ✿

Si volueris scire, quis dies primus mensis, vide characterem mensis quem vis, & addes ad fundamentum anni currentis, & à collecto subtrahes septem, & reliquum ex septem si fuerit 1, erit prima dies mensis feria 1; si 2, erit mensis dies secundus, feria secunda, & sic de reliquis.

Atque hisce Canonibus respondent ad vnguem Canones Computûs Æthiopici, quos hîc libenter adduceremus, si angustia temporis permitteret. Qua etiam de causa omitto Martyrologium Arabico-Copto-Latinum expansum. Vt verò curiosus Lector cognoscere possit quis dies mensium Iulianorum, cui diei Ægyptiaco respondeat, hîc Pinacem dictorum subiungendum existimaui. Huic alteram, videlicet mensium Taburum subiecimus, in qua Hebræorum, Syrorum, & Arabum menses, mensibus Coptitarum, quantum fieri potuit, respondentes, parallelo situ posuimus, vt si cui vnum cum altero conferre liberet, quo id posset, haberet. Vbi tamen notandum, plerosque Orientalium menses cùm Lunares sint, & secundùm Neomenias dies suos ordinent, diebus mensium Copticorum, vtpote solarium & fixorum, non vsquequaq; respondere, sed sedes suas mutare; neque Solares Orientalium dies, diebus Aegyptijs semper respondent, sed diuersas in eodem mense sedes habent. Tertia Tabula continet Nomenclaturam dierum Septimanæ, varijs Orientis populis vsitatam; quam ideo Menopinacio subiunximus, nè quicquam, quod Lector desiderare posset, omisisse videremur.

Tabula Mensium, dierumque Aegyptiacorum, ex qua dicto citius, quis dies mensium dictorum, cui diei mensium Iulianorum respondeat, indagari potest. Incipiunt autem Menses Aegyptiorum eo ordine, qui sequitur.

Dies Mens. Ægyptiorum	*Thoth incipit à*	*Paophi incipit à*	*Athor incipit à*	*Choiac incipit à*	*Tobi incipit à*	*Mechir incipit à*
1	29 Aug.	28 Sept.	28 Oct.	27 Nou.	27 Dec.	26 Ian.
2	30	29	29	28	28	27
3	31	30	30	29	29	28
4	1 Sept.	1 Octo.	31	30	30	29
5	2	2	1 Nou.	1 Dec.	31	30
6	3	3	2	2	1 Ian.	31
7	4	4	3	3	2	1 Febr.
8	5	5	4	4	3	2
9	6	6	5	5	4	3
10	7	7	6	6	5	4
11	8	8	7	7	6	5
12	9	9	8	8	7	6
13	10	10	9	9	8	7
14	11	11	10	10	9	8
15	12	12	11	11	10	9
16	13	13	12	12	11	10
17	14	14	13	13	12	11
18	15	15	14	14	13	12
19	16	16	15	15	14	13
20	17	17	16	16	15	14
21	18	18	17	17	16	15
22	19	19	18	18	17	16
23	20	20	19	19	18	17
24	21	21	20	20	19	18
25	22	22	21	21	20	19
26	23	23	22	22	21	20
27	24	24	23	23	22	21
28	25	25	24	24	23	22
29	26	26	25	25	24	23
30	27	27	26	26	25	24

Dies Menſ. Ægyptiorum.	*Phamenoth incipit à*	*Pharmuthi incipit à*	*Paſcons incipit à*	*Paoni incipit à*	*Epip incipit à*	*Meſori incipit à*	ἐπαγόμεναι
1	25 Feb.	27 Mar.	26 Apr.	26 Maij	25 Iunij	25 Iulij	
2	26	28	27	27	26	26	
3	27	29	28	28	27	27	
4	28	30	29	29	28	28	
5	1 Mart.	31	30	30	29	29	
6	2	1 April.	1 Maij.	31	30	30	
7	3	2	2	1 Iunij.	1 Iulij.	31	
8	4	3	3	2	2	1 Aug.	
9	5	4	4	3	3	2	
10	6	5	5	4	4	3	
11	7	6	6	5	5	4	
12	8	7	7	6	6	5	
13	9	8	8	7	7	6	
14	10	9	9	8	8	7	
15	11	10	10	9	9	8	
16	12	11	11	10	10	9	
17	13	12	12	11	11	10	
18	14	13	13	12	12	11	
19	15	14	14	13	13	12	
20	16	15	15	14	14	13	
21	17	16	16	15	15	14	
22	18	17	17	16	16	15	
23	19	18	18	17	17	16	
24	20	19	19	18	18	17	
25	21	20	20	19	19	18	
26	22	21	21	20	20	19	24
27	23	22	22	21	21	20	25
28	24	23	23	22	22	21	26
29	25	24	24	23	23	22	27
30	26	25	25	24	24	23	28

Vſus huius Tabulæ.

Si velis nôſſe quiſnam dies Iulianus cuinam Aegyptio alicuius menſis diei reſpondeat, quære diem Aegyptiorum in prima columna, deinde nomen menſis Aegyptij in fronte Tabulæ, & angulus communis dabit diem Iuliani menſis correſpondentem: ita decimum ſextum diem menſis Mechir, inuenies reſpondere decimo Februarij, vigeſimum Meſſori, decimotertiò Auguſti, & ſic de cœteris.

Tabula denominationis Menſium populorum Orientalium; & correſpondentiæ vniuſcuiuſque ad menſes Aegyptiorum.

	Coptitarum,	*Hebræorum,*	*Syrorum,*	*Græcorum,*	*Arabum,*
Sept.	ⲑⲱⲟⲩⲧ Thout	אלול Elul	ܐܝܠܘܠ Illul	Βοηδρομιὼν	محرم Muharam
Octob.	ⲡⲁⲟⲡⲓ Paopi	תשרי Thiſri	ܬܫܪܝ ܩܕܡ Thiſrin 1	Πυανεψιὼν	صفر Saphar
Nou.	ⲁⲑⲱⲣ Athor	מרחשון Marcheſuan	ܬܫܪܝ ܐܚܪ Thiſrin 2	Μαιμακτηριὼν	ربيع الاول Rabi prior
Dec.	ⲭⲟⲓⲁⲕ. Choiac	כסלו Caſleu	ܟܢܘܢ ܩܕܡ Canun 1	Ποσηδεὼν	ربيع الاخر Rabi poſter.
Ian.	ⲧⲱⲃⲓ Tobi	טבת Tebeth	ܟܢܘܢ ܐܚܪ Canun 2	Γαμηλιὼν	جمادي لاول Giamadi
Febr.	ⲙⲉⲭⲓⲣ Mechir	שבט Sceuat	ܫܒܛ Sceuet	Ἀνθεστηριὼν	جمادي الاخر Giamadi 2
Mar.	ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ Phamenoth	אדר Adar	ܐܕܪ Adar	Ἐλαφηβολιὼν	رجب Ragieb
April.	ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ Pharmuthi	ניסן Niſan	ܢܝܣܢ Niſan	Μουνυχιὼν	شعبان Schaban
Mai.	ⲡⲁϣⲟⲛⲥ Paicons	אייר Iiar	ܐܝܪ Iior	Θαργηλιὼν	رمضان Rhamadan
Iun.	ⲡⲁⲱⲛⲓ Paoni	סיון Siuan	ܚܙܝܪܢ Hhaziran	Σκιρροφοριὼν	شوال Sceuel
Iulius	ⲉⲡⲓⲡ Epip	תמוז Thamuz	ܬܡܘܙ Thamuz	Ἑκατομβαιὼν	دو القعدي Dulkaida
Aug.	ⲙⲉⲥⲱⲣⲓ Meſori	אב Ab	ܐܒ Ab	Μεταγειτνιὼν	دي الحجة Dalhagieh

Tabula denominationis dierum Septimanæ.

Latini	*Hebræi*	*Arabes*	*Græci*	*Coptæ*
Feria I. ſeu Dominica ſeu dies ☉	יום ראשון	يوم الاحد	ἡμέρα Κυριακὴ	ⲕⲩⲣⲓⲁⲕⲏ
Feria II. ſeu dies ☽	יום שני	يوم الاثنين	Δεύτερα	ⲡⲃ̄
Feria III. ſeu dies ♂	יום שלישי	يوم الثلثا	Τρίτη	ⲡⲅ̄

Fe-

Feria IV. ſeu dies ☿	יום רבעי	يوم الاربعا	Τετάρτη	ⲡⲇ̄
Feria V. ſeu dies ♃	יום חמשי	يوم الخميس	πέμπτη	ⲡⲉ̄
Feria VI. ſeu dies ♀	יום ששי	يوم الجمعة	Παρασκευή	ϯⲡⲁⲣⲁⲥⲕⲉⲩⲏ
Feria VII. ſeu dies ♄	יום שבעי	يوم السبت	Σάββατον	ⲡⲓⲥⲁⲃⲃⲁⲧⲟⲛ

Apud diuerſas Nationes.

Latini	*Perſæ.*	*Aliter Perſæ.*	*Turcæ.*
Dies Dominica	روز ياخه Ruz iacheh	يكشنبة Iachſchanbe	بزر قوه Pazar Kue
Lunæ	روز دويامي Ruz duiemi	دوشنبة Duſchanbe	بزر ارتسي Pazar ertſi
Martis	روز سيومي Ruz ſiumi	سه شنبة Sehſchanbe	صالي Sali
Mercurij	روز چهرني Ruz tzeharni	چهر شنبة Gieherſchanbe	چهر شنبة Gehar ſchanbe
Iouis	روز پنجمين Ruz phengemin	پنج شنبة Peng ſchanbe	پنج شنبة Peng ſchanbe
Veneris	روز ششمين Ruz ſcheſchmin	آدينة Adine	جمعة Giamah
Sabbati	روز هفتمين Ruz haphtemin	شنبة Schanbe	جمعة ارتسي Giumah ertiſi

CLASSIS VIII. MECHANICA SIVE ARCHITECTONICA.

Inuestigat prodigiosarum Aegyptijs vsitatarum machinarum constructionem.

ILLVSTRISSIMO ATQVE REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

GEORGIO LIPPAY,

Archiepiscopo Strigoniensi, Sac. Cæs. Regiæque Maiest. Consiliario intimo, Hungariæ Primati, & Magno Regni Cancellario.

ARCANIOREM illam Ægyptiorum πολυτεχνίαν, *quam posteri Mechanicam dixerunt, hoc loco traditurus, cuinam tam nobile, iucundum, Principumq; curiositate dignissimum argumentum inscriberem, præter* Te, *sacratissime Præsul, inueni neminem.* Tu *enim præter cætera disciplinarum subsidia, quibus instructus es, huius mirificæ quoque ac penè diuinæ artis notitiâ tantum* Tibi *nominis ac famæ peperisti, vt omnium opinione* πολυμήχανος καὶ πολυτεχνάστης, *vti quondam de Archimede memorabat Polybius, iure dici & haberi merearis. Testantur id satis superq; deliciosi illi viridiariorum* Tuorum *recessus, tantâ, vt audio, hydraulicarum varietate machinarum instructi, quantâ paucis in locis similes se vidisse testantur spectatores. Meritò itaque hoc præsens disceptationis Thema* Tuo *debebatur nomini; non quòd* Tuæ *famæ, quâ Mundo inclarescis, scriptis meis quidpiam ornamenti adijcere me posse sperarem, sed vt studiorum meorum conatus nomini* Tuo *inscripti, hoc pacto & plùs obtinerent authoritatis, &* Tu *nonnullum meæ in* Te *obseruantiæ indicium haberes. Obsequium, fateor, tenue illud & rude; sed vel ex hoc capite in pretio apud* Celsitudinem Tuam *futurum, quòd id non tam meâ, quàm imperiosâ Magni Cæsaris voluntate, præstitum atque exhibitum sit. Vale Præsul dignissime, studijsq; meis faue.*

CLASSIS VIII.

Mechanica Aegyptiorum.

PRAEFATIO.

Mechanica Ægyptiorum qua ratione tractetur hic.

RECTO ordinis filo ducti ex Astrologia Ægyptiorum, id est, ex Cœlo, in terrestres eorundem habitationes descendimus, vt quàm prodigiosos nullo non tempore partus ingeniosa Ægyptiorum industria produxerit, ex huius tractatus admirandis elucesceret. Quod dum facimus, nemo nos putet hoc loco Mechanicam Mathematicis suffultam demonstrationibus daturos, foret enim hoc prorsus extra scopum; sed historicis relationibus innixi, eam damus, quæ stupenda Ægyptiorum ingenia, inuentionesque prodigiosas ob oculos ponat curiosi Lectoris; atque adeo rationes hieroglyphicas in ijs elucescentes exponemus; reliqua quæ Mathematicas concernunt rationes, magno Operi, quam Mechanicam vniuersalem appellamus, reseruaturi. Inscripsimus autem hanc Classem, Mechanicam Ægyptiorum, diuiditurque in tres potissimùm species ijs vsitatas, quarum prima erat Architectonica; secunda Organica, quæ varia instrumentorum in ædium, columnarum, statuarumque erectione adhiberi solitorum genera considerat; Tertia Θαυματουργική, & consistebat in abditarum quarundam ex penitissimis naturæ fontibus extractarum machinarum fabrica: quas quidem tanto ingenio & subtilitate adornabant, vt non hominum, sed Dæmonum opera, ἄπιστα prorsus καὶ παράδοξα, vniuersa crediderit posteritas. Et tametsi non diffitear Dæmonum operam subinde ijs implicatam fuisse, huiusmodi tamen opera haud quaquam humanæ potentiæ limites excessisse, sed in intimis naturæ penetralibus sua principia fundata habuisse, hoc loco mearum partium, hoc est, Oedipi erit, varijs modis & rationibus demonstrare. Negotium itaque cum bonó Deo auspicemur.

Diuisio tractatus de Mechanica Ægyptiorum.

PRAELVSIO I.

De Mensuris Aegyptiacis.

QVONIAM itaque hoc tractatu passim Ægyptiacarum mensurarum ponderumque mentio fiet, ne Lector curiosus mensurarum, alijs Nationibus vsitatarum cum Ægyptiacis confusione implicetur, priùs de singulis hoc loco præludere visum fuit, vt sic de adducendarum rerum authoritatibus, quibus eas peruetusti Scriptores passim describunt, securius iudicium formare possit.

Certè inter cœtera, in quibus decernendis indefessa huc vsque Philologorum desudat industria, non minimum locum occupat ea, quæ de ponderibus & mensuris est materia, sanè vti abstrusa, ita difficilis, & à nemine

mine huc vsque penetrata. Cuius quidem difficultatis aliam rationem non inuenio, nisi diuersos diuersarum Nationum vsus & consuetudines, quibus non dicam Nationes, sed & ipsa adeo oppida inter se dissidere videntur. Accedit varia temporum conditio, Principumque voluntas, qua Rerum publicarum necessitate sic postulante, leges modò conduntur nouæ prioribus irritatis, modò rerum per contractus ciuiles acquirendarum valor augetur, vel minuitur; vnde ex perpetua mutationum huiusmodi vicissitudine magnam rerum incertitudinem oriri necesse est, quæ vti in omnibus à Principum voluntate dependentibus, ita & potissimum in hac materia de ponderibus & mensuris, quæ sunt veluti instrumenta quædam iustitiæ, quibus vnicuique, quod suum est, decernitur, locum habet. Nemo igitur miretur, si tantam viderit Authorum circa dictam materiam disceptantium inconstantiam; cùm, si nomina ipsa excipias, ponderum & mensurarum, præsertim Veterum, determinata quantitas sit non incerta duntaxat, sed & Authorum æquiuocatione ita deprauata, vt vix vlla de ijs certa notitia haberi possit. Cùm igitur hanc literarum calamitatem, non sine dolore intuerer, fontes ipsos adeundos, vt aliquid tandem certi statui possit, existimaui: quemadmodum ex sequentibus comparebit nominibus, quæ ex Nomenclatore Copto, quem Scalam magnam Coptitæ appellant, à nobis An. 1643 Romæ impresso extracta, hoc loco fusiùs exponuntur.

De ponderibus & mensuris tractatio difficilis, & quare.

Authorum æquiuocatio in mensuris Antiquorum.

Nomenclator Coptus seu Scala magna.

Quadruplicis generis mensuræ in Scala proponuntur, quarum primi generis sunt mensuræ interuallorum, quibus in mercimonijs, agrorumque dimensione vtimur; cuiusmodi sunt, pes, palmus, vlna, brachium, passus, cubitus, calamus, stadium, milliare, parasanga, leuca. Secundi generis sunt mensuræ aridorum, cuiusmodi apud Hebræos erant Corus, Gomer, Ephi, Cabus; & apud Græcos Medimnus, Chænix, Cotyla; & apud Romanos Modius. Tertij generis sunt mensuræ liquorum, quales sunt Hebræorum Bathus, Hin, Log; Græcorum Amphora, Vrna, Metreta, Congius; Romanorumque Sextarius, & Cyathus. Quarti generis sunt ponderum diuersorum appellationes, quales sunt Hebræorum Kicarim, Minæ, Sicli, Gheræ; Græcorum & Romanorum Talentum, Libra, Vncia, Denarius, Drachma. De quibus singulis etsi in Scala tractetur, quia tamen in varia dubia ea trahere possunt Lectorem, hic enucleatiùs describenda duxi:

Quadruplicis generis mensuræ Ægyptiorum.

Mensuræ igitur veterum Ægyptiorum ad interualla metienda apta erant.

Mensuræ Ægyptiorum ad interualla metienda.

ⲡⲓⲗⲟⲩⲕⲟⲥ ⳿ ϯⲉⲣⲧⲱ ⳿ ⲟⲩϩⲟⲧ ⳿ ⲡⲓⲕⲁϩⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲡⲓϫⲓⲛϣⲓ ⳿ ϯⲥⲧⲁⲇⲓⲟⲛ ⳿ ⲡⲓⲙⲓⲗⲗⲓⲟⲛ ⳿

ⲡⲓⲗⲟⲩⲕⲟⲥ ⳿ Ægyptia mensura, idem est, quod Græcis λίχας, Arabibus فتر *Pheter*; estque interuallum inter pollicem & indicem, cùm quàm fieri possit maximè distenduntur. ita Pollux: Εἰ δὲ τὸν μέγαν δάκτυλον τοῦ λιχανοῦ ἀντιτείνας, τὸ μέτρον λιχάς, idest, *Si pollicem ad partem indici contrariam tendas, mensura lichas dicitur*; ac decem digitorum est. ita citatus Author:

ⲡⲓⲗⲟⲩⲕⲟⲥ Pilucos.

Ποιεῖ δὲ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου πρὸς τὸ τοῦ δακτύλου ἄκρον, δακτύλους δέκα. *Interuallum inter pollicem & summam indicis partem, efficit decem digitos*. At lichade longior est, nimirum vno digito, ὀρθόδωρον, quod rectum palmum interpretor, videlicet inter primam palmæ partem, quam καρπὸν vocant, & supremam medij digiti. Ita Pollux & Hesychius.

Ὀρθόδωρον quid.

Palmum autem Aegyptij ϯⲉⲣⲧⲥⲱⲓ, شبر *Schabar* Arabes vocant, ac quatuor digitis constat, Græcisque δοχμὴ dicitur. Ita Pollux: Δοχμὴ δὲ συγκλεισθέντες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι, *dogme verò sunt quatuor digiti conclusi*. transuersa enim manu metimur. Hac mensura vtitur Aristophanes in Equitibus; Allantopola verò de Corio loquens carpit Cleonem καὶ πρὶν ἡμέραν φορῆσαι, μεῖζον ἦν δυοῖν δοχμαῖν, *Antequam dies abiret, maius bino palmo erat*. Δοχμὴ verò, δακτυλοδοχμὴ, παλαιστὴ, καὶ δῶρον, idem significant, & vnaquæque τετραδάκτυλος ab Hesychio describitur.

ϯⲉⲣⲧⲥⲱⲓ quid.

Δοχμὴ quid.

ⲙⲁϩⲥⲟⲧ, mensura, quam Arabes الباع القاما vocant, eadem est cum vlna, estque extensio vtriusque brachij in longum, cui altitudo hominis æquatur; nos ex Copto interpretamur eam cubitum maiorem. Quod vt intelligas, notandum est, apud Aegyptios varium fuisse cubitum. Nam aliuserat 24 digitorum, alius 32. quidam arundinem, seu calamum, aut perticam; alius staturam hominis adæquabat, ita Abulfeda Arabs in Prolegomenis Cosmographiæ suæ; verba eius sunt.

ⲙⲁϩⲥⲟⲧ quid.

Cubitus apud Ægyptios varius.

Abulfeda.

واعلموا ان بين القدما المصر والمحدثين ايضا اختلافا في الاصطلاح على الذراع والميل والفرسخ واما الاصبع فليس بينهم فيها اختلاف لانهم اجمعوا واتفقوا ان كل اصبع ست شعيرات معتدلات مضموم بطون بعضها الى بعض اما الذرع والخلاف بينهم فيه حقيقة لانه عند القدما اثنان وثلثون اصبعا وعند المحدثين اربع وعشرين اصبعا وذراع القدما اطول من ذراع المحدثين ثمان اصابع وهو سر الكهنة

Id est, *Sciatis igitur, quòd inter veteres & recentiores de cubito, milliari, & parasanga, multùm controuertitur. Et de digito quidem conueniunt in hoc, quòd omnis digitus sit mensura spacij, quod sex æqualia grana hordei secundùm latitudinem iuxta se posita explent. In cubito verò discordant aliquantulum. Est enim antiquis cubitus vnus 32. digitorum, recentioribus verò 24; ita vt veterum cubitus, cubitum recentiorum superet 8 digitis*. Cubitum autem maximum calamo seu perticæ, vti & staturæ hominis, æqualem, infrà probabitur. Porrò digitum 6. granis hordei constare, Rabbini quoque affirmant hisce verbis:

Cubitus maximus.

ויש לאמה ו׳ טפחים וטפח אחד ד׳ אצבעות בגדל ולאצבע ו׳ גרגרי שעורה וזה אמה של משה אמה התורה והנבאין:

Rabbini.

Habet autem omnis cubitus sex palmos, & palmus quatuor digitos in pollice, & digitus sex grana hordei; & hic est verus cubitus legalis, & ædificij, scilicet quo lex in ædificiorum & structurarum descriptione vtitur. Quæ & Rassi hoc loco affirmat: ולאצבע ו׳ גרגרי שעורה, *habet digitus sex grana hordei*. quæ consonant Syriaco; *Digitus sex granorum hordei mensura est*. Ex his patet, cubitum minorem, videlicet 24 digitorum, æqualem esse cubito Mosaico

Cubitus legalis.

Rasi.

Cubitus minor æqualis legali 24 digitorum.

co ſeu legali. Eſt autem cubitus longitudo tanta, quanta eſt à brachij flexura, ſeu prominentia exteriori vſque ad medij digiti ſummitatem; ſiue quod idem eſt, à medio pectore ad cubitum ipſum ſeu flexuram brachij; quod ſpacium priore, teſte Polluce, prorſus æquale eſt: Ἀπὸ δὲ τῆς ὠλεκράνου πρὸς τοῦ μέσου δακτύλου ἄκρον τὸ διάστημα πῆχυς· ἔχει τὸν πόδα, καὶ μέσον, καὶ διάστημα ἀπὸ τοῦ μέσου τοῦ στήθους πρὸς τὸ ὠλέκρανον τῷ προτέρῳ ἴσον. Id eſt, *A flexu cubiti, vſque ad medij digiti ſummum, interuallum cubiti pedem continet & medium, cui interuallum à medio pectore ad flexuram cubiti æquale eſt.* Continet autem, vt dixi, huiuſmodi cubitus ſex palmos, & palmus quatuor digitos in pollice, & conſequenter viginti quatuor digitorum eſt cubitus vnus, qualis eſt, quem iam explicauimus, Ægyptiorum vulgaris, & legalis Hebræorum. Ex quibus patet cubitum huiuſmodi quater ſumptum perfectè explere hominis longitudinem (quæ ſumitur ab extenſione brachiorum) & altitudinem ſiue ſtaturam eiuſdem. His igitur præmiſſis; nunc ad reliqua. *Cubitus quid.*

ⲡⲓⲕⲁϣ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓⲧⲏⲟⲩⲓ, vel etiam ⲡⲓⲕⲁϣ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓϫⲓⲛⲟⲩⲓ in Scala calamum menſorium interpretatus ſum; & diligentiori ſcrutinio huic voci incumbens, deprehendi tandem illam ſignificare calamum Ibidis ſeu Ciconiæ Ægyptiæ, ita vt hæc vox ex ⲡⲓⲕⲁϣ & ⲡⲓⲧⲏⲟⲩ, quorum illa crus, tibiam, calamum, arundinem, hæc Ibin & Ciconiam ſignificat, compoſita intelligatur; quaſi diceres, paſſum ſeu vlnam Ibidis; quòd ab Ibidis inceſſu primùm ſit inuentus & obſeruatus. Nam vt rectè Clemens Alex. Ἀριθμοῦ γὰρ ἐπινοίας καὶ μέτρου μάλιστα τῶν ζώων ἡ ἶβις ἀρχὴν παρέσχηκε τοῖς Αἰγυπτίοις. *Numerum videlicet inuentionis & menſuræ maximè ex animantibus videri præbuiſſe Ægyptijs Ibidem.* Solebant enim veteres Ægyptij vſurpare, vt plurimum, menſuras ex animantium inceſſibus conſtitutas; quæ cùm idem ſemper ex naturæ neceſſitate agerent, aſſumptæ quoque menſuræ certiori ſolidiorique ſtabiliebantur fundamento. Qualis autem hic paſſus Ibidis fuerit, iam reſtat inquirendum. Certè altitudinem hominis adæquaſſe reperio: ſimulque fuiſſe menſuram trianguli Ibiaci. ita Abenephi de ſacro Ægyptiorum cultu: verba eius ſunt ſequentia: *ⲡⲓⲕⲁϣ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓⲧⲏⲟⲩⲓ Calamus menſorius. Clem. Alex. Ibidis paſſus menſura Ægyptiorum.*

وباع المصريون هو طول الانسان فاسمه باع كبير الكركي ومساحة المثلث الكركي وهو سر الكهنة ۞ *Abenephi.*

Baa menſura Ægyptiaca tanta, quanta hominis perfecti altitudo; & hanc vocabant paſſum magnum Gruis, & menſuram trianguli Ibiaci; & hoc erat arcanum Sacerdotum. Quid triangulum Ibiacum ſit, alibi diximus: quis autem, aut quantus paſſus Ibiacus fuerit, in eo inueniendo, quantum æſtuauerim, dici vix poteſt; ſecretum tamen, Deo dante, erui, vt oſtendo. Cùm enim altitudo hominis è quatuor cubitis communibus Ægyptiorum conſtet, vnus quoque cubitus ſex palmis, & palmus quatuor digitis; debet neceſſariò vnus cubitus communis conſtare viginti quatuor digitis, & conſequenter ⲟⲩⲉⲛⲟⲧ ſeu *Baa* (quam ſuprà, vti & in Scala noſtra, menſuram ſpacium vtriuſque brachij in longum perfectè explentem interpretati ſumus) 96 digitis conſtabit. At totidem digitorum cubitum myſticum, ſeu ſacrum Ægyptiorum, quem paſſum Ibidis vocant, inue- *Ibidis paſſus magnus quid.*

Abenephi. Abulfeda. Ibiacum triangulum. inuenio hâc ratione. Cùm Ibidis crus seu tibia, Abenephi & Abulfeda teste, æqualis sit cubito maiori Ægyptiorum, videlicet 32 digitorum; Ibis quoque ambulando τρίγωνον ἰσόπλευρον, Plutarcho teste, conficiat; erit Ibiacum trigonum 96 digitorum, ἰσοπερίμετρον tribus cubitis τριακόντα-δυάδακτύλοις, id est, 32 digitorum, & altitudini humanæ è quatuor cubitis constantis staturæ. Atque hoc est mysterium illud Sacerdotum de quo loquitur Abenephi, quod & nomen Coptum [Coptic] confirmat: idque dupliciter scribere solebant, primò ita: [Coptic] cubitus, videlicet 32 digitorum; deinde hâc ratione: [Coptic] quo cubitum maximum notant, quem & [Coptic] id est, passum Ibidis tricubitalem, siue calamum, aut arundinem, seu crus Ibidis triplicatum, Arabicè القصبة الاكبرى Scala vocat, qui passus longitudini humanæ exactè respondent; quem & passum ἑξάποδον non immeritò appellare possumus, totidem enim pedum hominis proportionati staturam assignant Geometræ. Mysteria autem, quæ sub hoc passu recondita habebant, & quomodo sub hac mensura Mercurium repræsentabant, alibi iam dictum est.

[Coptic] Stadium varium apud Ægyptios. [Coptic] idem quod *stadium* sonat, Arabicè الغلوة; eratq; apud Ægyptios varium; quidam id faciebant 65 cannarum seu perticarum, alij 85; nec desunt qui id definiant spacio 400 cubitorum. ita Author Scalæ:

الغلوة خمسة وستين قصبة وقد وجد في نسخة عتيقة مروان الغلوة خمسة وثمانين قصبة فيقال ايضا ان الغلوة اربع مائة ذراع ——————— ۞

Id est, *Stadium est 65 calamorum, & inuentum quoque in antiquo exemplari, stadium esse 85 calamorum seu perticarum; dicitur etiam, quòd stadium sit 400 cubitorum seu brachiorum, & dicitur iactus sagittæ.* Atque hæc vltima mensura respondet exactè stadio Græcorum, cùm Suidas στάδιον ἔχειν πόδας χ', Suidas. Herodotus. stadium octingentos pedes habere dicat, & Herodoto in hoc subscribat; pes autem 16 digitorum sit, siue quatuor palmorum, iuxta verba citati Herodoti in Euterpe: Ἑξαπόδου μὲν τῆς ὀργυιῆς μετρουμένης, καὶ τετραπήχεος τῶν ποδῶν μὲν τετραπαλαίστων ἐόντων, τοῦ δὲ πήχεος ἑξαπαλαίστου. *Vt passum sex pedibus metiamur, & quatuor cubitis, pedes verò sunt quatuor palmorum, cubitus autem sex palmorum.* quæ Suidas affirmat ὁ ποὺς ἔχει δακτύλους ις'. Suidas. *Pes autem habet digitos 16.* Et hoc eodem vtitur Solon in legibus, vt est apud Plutarchum. Plutarchus. Cùm igitur stadium Aegyptiacum dicatur habere 400 cubitos, cubitus autem maior Aegyptiacus sit, vt suprà probatum est, 32 digitorum, id est, duorum pedum, quorum vnus 16 digitis æquiualet; ergo 400 cubiti æquiualebunt 800 pedibus, nimirum stadio, vt cuilibet eos resoluenti patebit: erit igitur stadium Ægyptiacum æquale stadio Græcorum, quod ostendere oportebat. Si autem accipiamus calamum pro passu Ibidis, quem 96 digitorum determinauimus; erit stadium, scilicet 85 calamorum, spacium 340 cubitorum minorum, siue quod idem est, 510 pedum. Vnde triplex apud Ægyptios stadium fuisse colligimus; Maius, Mediocre, Minimum: Maius 400 cubitorum; Mediocre 340; Minus 260 cubitorum. prius tamen proprium Ægyptiacum est.

ⲡⲓⲙⲉⲓⲗⲗⲓⲟⲛ *milliare*, Arabicè الميل. constat autem vnum milliare septem stadijs, vna verò parasanga tribus milliaribus. ita Auctor Scalæ. ⲡⲓⲙⲉⲓⲗⲗⲓⲟⲛ Milliare.

الميل وهو سبع غلوات وكل ثلثة اميل فرسخا والفرسخ الف واربع مائة ذراعا وتكون خطا ثلثة الف خطوة

Milliare autem continet septem stadia, & tria singula milliaria constituunt vnam parasangam, & parasanga 1400 cubitos seu brachia, suntque spacium 3000 passuum. Cui in omnibus consonat Abulfeda, qui milliare Aegyptiacum ita definit.

واما الميل فهو عند القدما ثلثة الاف ذراع عند المحدثين اربع الاف ذراع والخلاف بينهم فيه انما هو لفظي وان مقدار الميل عند جميع شي واحد وان اختلفت اعداد الاذرع لانه على التفسير بين الميل ست وتسعون الف اصبع واذا قسمتها اثنين وثلثين اثنين وثلثين كان الخارج ثلثة الالف ذراع واذا قسمتها اربع وعشرين اربع وعشرين كانت اربعة الاف ذراع واما الفرسخ فهو عند القدما وعند المحدثين ثلثة اميال لكن جي الخلاف لفظا في الفرسخ اذا جعل الذراع بذراع القدما فيكون الفرسخ تسعة الاف ذراع وعلى ذراع المحدثين اثنا عشر الف ذراع وهو على التفسير بين ثلثماية الف اصبع تنقص اثنا عشر الف اصبع واذا علمت ان الفرسخ عند القدما تسعة الاف ذراع والميل ثلثة الاف ذراع وعند المحدثين الفرسخ اثنا عشر الف ذراع واعلم ان الميل على التفسير بين ثلث فرسخ وكل فرسخ ثلثة اميال

Id est: *Milliare quidem apud Antiquos 3000 brachiorum, seu cubitorum est, & apud Neotericos 4000: differentia sola in hoc consistit, quòd etsi denominatio milliaris eadem sit apud omnes, numerus tamen cubitorum variet: iuxta Interpretes enim vnum milliare est 96000 digitorum, quæ si partiaris per 32, erit quotus 3000 cubitorum; & si diuiseris eundem numerum per 24, proueniet quotus 4000 cubitorum (vnum milliare). Parasanga verò apud Antiquos & apud Neotericos est trium milliariorum; sola differentia est in varia denominatione cubiti: si enim sumpseris cubitum pro cubito antiquorum, erit vna parasanga 9000 cubitorum; & iuxta cubitum recentiorum 12000 cubitorum, quæ sunt iuxta interpretes 300000 digitorum minus 12000 digitis. Scias autem, quòd parasanga apud Antiquos 9000 cubitorum, & milliare 3000 cubit. apud Neotericos verò parasanga 12000 cubitorum; & scias quòd milliare apud Neotericos 3 parasang. & parasanga 3 milliar.* Verùm qui hæc exactiùs cum superioribus contulerit, insignem sanè concordiam rerum inter se inueniet. Sed his relictis ad mensuras aridorum & liquidorum nos conferamus.

PRAELVSIO II.

De mensuris aridorum, & liquidorum, Aegypto vsitatis.

IN mensuris aridorum, liquidorumque Aegyptios à Græcis aliquantum discrepare inuenio; cuius rei causam vt indagemus, nihil restat, nisi vt vnum cum altero exactè conferamus. Corum igitur vocant Aegyptij ⲡⲓⲕⲟⲣⲟⲥ ⲛ̀ⲥⲟⲩⲟ quem hisce verbis interpretatur Arabs: ⲡⲓⲕⲟⲣⲟⲥ Corus.

الصاع المكيل ـــ قمح اربعة امـــداد

Id

Id eſt; *Saa Corus eſt, ſeu vas farinæ quatuor modiorum*. Hebræi verò eam deſcribunt:

כור תהרה מעשר איפות והם שלישים כור :

Corus menſura aridorum continet decem Ephi, & ſunt triginta Sata. Verùm ante-
quam vlteriùs progrediamur, quid Ephi, quid Satum, priùs explican-
dum eſt: cùm enim corus inter menſuras non aridorum duntaxat, ſed &
liquidorum, omnium maxima ſit, erunt reliquæ omnes tanquam partes ad
totum accipiendæ.

Quam igitur appellant Aegyptij ϯⲟⲩⲱⲡⲓ vel ſine articulo ⲟⲩⲱⲡ-
ⲡⲓ Arabes الويبه *Aluaibeh*, hanc corrupiè οἶφιν vocat Heſychius; quam
& his verbis deſcribit: Μέτρον τὶ τετραχοινικὸν Αἰγύπτιον, id eſt, Oephin ſeu
ⲟⲩⲱⲡⲓ menſura quædam Aegyptiaca eſt, quatuor chœnices continens.
Chœnix autem duobus ſextarijs Romanis æquiualet, ponderis in vino vel
aqua vnciarum Romanarum 40; itaque Ephi ſeu ⲟⲩⲱⲡⲓ menſura conti-
neret octo ſextarios: Ephi autem Hebraicum eſt decima pars cori, eſtq;
æqualis Batho; in hoc ſolummodò diſcrepantes, quòd Ephi aridorum,
Bathus verò liquidorum menſura ſit. Continet autem Ephi tria Sata. ita
Ialkut;

איפה ג׳ סאים וסאה ו׳ קבים וקב ו׳ לוגין ולוג ו׳ בצים :

*Continet autem Ephi tria Sata, Satum ſex Cabos, & Cabus ſex Log, & Log ſex
oua.* Ex quibus apparet, differentes eſſe menſuras Cori Aegyptiaci & He-
bræi: Corus enim Aegyptiorum vas eſt quatuor farinæ modios conti-
nens; Corus autem Hebræorum continet modios 47. niſi forſan modium
pro ſeptem Satis accipiant, de quo infrà. Cùm igitur corus à coro diffe-
rat, Ephi conſequenter ab ⲟⲩⲱⲡⲓ Aegyptio differre quis non videt? ſed
& Bathus Aegyptiacus differt ab Ephi Aegyptiaco, quas menſuras nos
eaſdem eſſe diximus apud Hebræos; Aegyptij Bathum vocant ⲡⲓϭⲁϫⲟⲥ
ⲛ̀ⲛⲉϩ id eſt, *Bathos olei*, ⲛⲉϩ enim oleum in lingua Copta ſignificat;
quæ explicat Author Scalæ his verbis: القفيز الزيت ستين قست id eſt, *vas
olei 60 Koſt*. Quid verò قست Koſt ſit, Serapion Arab. his verbis explicat:

قست عند الروميون هي رطل مع اثنين الثلث سدس ———ن

Id eſt, *Koſt apud Romanos eſt libra cum duobus tertijs, id eſt 20 vnciarum*.
cui ſubſcribit ijſdem penè verbis Aben Sina. Qui verò apud Latinos Kiſt
& Akſat diſtinguunt, diſtinguunt ſingulare à plurali; cùm Kiſt & Akſat
eadem menſura ſit, numero tantùm diſtincta. Quæ ideo appono, ne Le-
ctor ignarus linguæ in huiuſmodi incurrens impingat. Koſtus igitur vnus
cùm ſecundùm Arabes æquiualeat 20 vncijs Romanis, erunt 60 Koſti 1200
vnciarum, qui exactè 100 libras explent. atque tantus eſt Bathus Aegy-
ptiacus iuxta interpretationem noſtri Authoris, dum dicit:

ⲡⲓϭⲁϫⲟⲥ ⲛ̀ⲛⲉϩ قفيز الزيت ستين قست

Bathus ſiue Kaphiz vas olei 60 Koſt.

Heſychius.

Chœnix.

Ephi. Satum. Cabus. Log.

Author Ialkuth.

Corus Ægyptiacus differt ab Hebraico.

ⲡⲓϭⲁϫⲟⲥ Bathus Ægyptius.

Koſt quid ſit. Serapion Arabs.

Aben Sina.

Diximus in Supplemento, Corum & Ghomer eandem mensuram esse; sed inueni, apud Ægyptios & hanc quoque differentem esse à Coro; nam ⲡⲓⲕⲟⲣⲟⲥⲛ̀ⲥⲟⲩⲟ Saam, siue vas farinæ 4 modiorum significat; ⲡⲓⲕⲟⲙⲟⲣ vero Ægyptiorum duplex est, maior & minor; maior, qui & ⲡⲓⲛⲓϣϯ ⲛ̀ⲕⲟⲙⲟⲣ vocatur, id est, *modius maior*; continet alios triginta modios. ita Author Scalæ المد الكبير ثلثين مد *Modius maior 30 modiorum*; & modius minor ⲡⲓⲕⲟⲙⲟⲣ quindecim modiorum. ita in Scala: المد الصغير خمسة عشر مد *Modius minor 15 aliorum modiorum capax*. Ex quibus colligo ⲕⲟⲙⲟⲣ & مد seu modium maiorem hoc loco accipi pro Coro Hebræorum, & modios, quibus constat, pro Satis. Hâc ratione ghomor Ægyptiorum reducemus ad Corum Hebraicum; quem 10 Ephis, & 30 Satis constare probauimus. Accipitur igitur hic modius pro modio vno Hebraico, & Italico cum dimidio, qui conficit vnum Satum: ergo Corus Hebræorum, modius seu Komor maior Ægyptiorum pro eadem mensura accipiuntur. Minor autem modius seu Komor constat 15 modijs, subduplus videlicet ad maiorem. Ex his igitur præmissis, facilè reliquas Ægyptiorum mensuras determinabimus.

ⲡⲓⲕⲟⲣ Ghomer Ægyptiacus.

ϯϫⲁⲛⲓϫⲓ est modius Saæ continens 22 Kost. ita Author Scalæ: المد الصاع تسع اثنين وعشرين قسط وهذا الاسم في الابو غالسيس وذكر الهوري ان المد مكيال وهو رطل عند اهل الحجاز ورطلان عند اهل العراق الصاع اربعة امداد Hoc est: *Modius continet 22 Kost, & hoc nomen inuenitur in Apocalypsi, meminitque eius Albuari, aitque: Modium hunc mensuram esse, quæ apud Habazæos Arabes libram, & apud Arakæos duas libras valet: Saa verò quatuor modios continet*.

ϯϫⲁⲛⲓϫⲓ Modius Saæ.

Explicemus iam verba Authoris. Dicit igitur primò, modium seu mensuram Saæ continere 22 Kost. cùm igitur superiùs ex Arabe Serapione ostenderimus, vnum Kost constare 20 vncijs vnius libræ in 12 vncias diuisæ; constabit igitur modius Saæ 36 libras cum 8 duodecimis. Modius autem hic, vt rectè dicit Alhuari, diuersus est apud diuersas gentes, vt proinde non exiguam confusionem pariat huiusmodi mensurarum æquiuocatio non aduertentibus ad singulas vocum circumstantias. Addit in fine, vnam Saam constare quatuor modijs talibus, videlicet qualium vnus constat 36 libr. cum 8 duodecimis ita vt vna Saa constet 165 libris & 8 duodecimis. Vnde patet, ⲡⲓⲕⲟⲣⲟⲥⲛ̀ⲥⲟⲩⲟ id est, Corum Ægyptium æquiualere Saæ: Saa enim est corus farinæ quatuor modiorum talium, qualium vnum diximus tenere 36 libras & 8 duodecimas. Patet etiam mensuram Aegyptiorum ϯϫⲁⲛⲓϫⲓ esse quartam partem ⲡⲓⲕⲟⲣⲟⲥ ⲛ̀ⲥⲟⲩⲟ. Colliges denique Lecythum, Cantarum, siue lagunculam Eliæ, quem Coptitæ vocant ⲡⲓⲕⲁⲛⲥⲁⲕⲏⲥ ⲛ̀ⲧⲉⲏⲗⲓⲁⲥ valere quatuor Kost. ita Interpres: قلة ايليا ليس اربعة قسط quæ sunt libræ 6 & 8 duodecimæ; hydria autem, quam Coptitæ appellant ϯⲙⲁⲣⲓⲥ continet 19 Kost. ita Author noster: وجره تسع عشر اقساط *& hydria continet decem modios*; id est,

Saa Lecythus. Hydria.

Vter. 16 libras, cum duabus tertijs. Vter autem vini, quem Coptitæ vocant ⲡⲓⲛⲉϭⲃⲏⲗ ⲛⲏⲣⲡ & Arabes ita describunt:

الزق للخمر الكبير وهو ماية وخمسين اقساط

Alabastrum. *Vter vini maior est 150 Kost*, id est, 250 libras pendet. ⲧⲁⲗⲁⲃⲁⲥⲧⲣⲟⲛ denique, siue Alabastrum vnguenti, 9 Kost, & totidem libris constat, id est, 24 libris, siue 24 sextarijs Romanis. ⲡⲓⲅ̅ ⲙ̀ⲙⲉⲧⲣⲏⲧⲏⲥ tres hydriæ, siue metretæ Canæ Galilææ, quarum vnaquæque continet 72 Kost, ita Author Scalæ:

الثلث اجاجين التي ابدلها السيد خمرا تسع كل واحدة اثنين وسبعين قسطا ويقال ان الصاع ثلثين منا والمن ثلثة وبيات

Hydriæ tres Canæ Galilææ. *Tres hydriæ siue metretæ, in quibus Dominus aquam in vinum conuertit, continet vnaquæque earum 72 Kost, & dicitur, quòd Saa 30 modios, & modius 3 Ephi contineat.* Hydria igitur Canæ 120 librarum, & Saa 30 modiorum, & modius 3 Ephi, hoc loco æquiualet vni coro, seu ghomer Hebræorum continenti 30 Sata, sicuti Ephi 3 Sata, vti dictum est.

ⲡⲓⲗⲟⲕ Log. ⲡⲓⲗⲟⲕ Coptè idem sonare videtur, quod Hebræis לוג Log, etsi mensura differat; Log enim suprà sex oua tenere ostendimus; ⲡⲓⲗⲟⲕ autem, seu Congius hic continet 9 Kost, quæ sunt 13 lib. cum duabus sextis. ⲡⲓⲗⲟⲕ autem sacer, vt eum Coptitæ vocant, continet 6 Kost, quæ sunt libræ 10. Sed hæc fusiùs cum mensuris Græcorum, Hebræorum, & Romanorum conferre poterit Lector, nostrum tantùm est, fideliter mensuras iuxta Aegyptiorum mentem interpretari.

De Artaba.

Artaba. ⲡⲓⲉⲣⲧⲱⲃ celeberrima Aegyptiorum mensura est, quam corruptè passim Ardabam, Arabes الاردب *Alertob*, Syri ܐܪܕܘܒܐ *Ardubo* vocant. Qualis autem hæc mensura, & quanta fuerit, inter Authores controuersum est. Suidas. Suidas ait: Ἀρτάβη μέτρον Μηδικὸν, σίτε Ἀττικὸς μέδιμνος. *Artaba mensura Medæa, id est, Medorum, frumenti Atticus medimnus*, Medimnus verò Atticus mensura est sex modiorum, teste Cornelio Nepote in Attici vita. Cornelius Nepos. Quidam dicunt communem esse Persis & Ægyptijs mensuram. ita Aristophanis interpres in Acharnensibus de Artaba: Περσικὸν δὲ καὶ Αἰγύπτιον τὸ ὄνομα. *Persicum autem & Ægyptium nomen*. Nos dicimus Ardabam Ægyptiacè ⲡⲓⲉⲣⲧⲱⲃ mensuram liquidorum esse quinque modios continentem. ita Græcus quidam Anonymus de ponderibus & mensuris apud Agricolam: Αἰγύπτια ἀρτάβη ἔχει μοδίους έ, ὁ δὲ μόδιος ὁ Αἰγύπτιος, καὶ ὁ Ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας ή. *Ægyptia Artaba capit modios quinque, modius Ægyptius & Italicus continent chœnicas octo*. In eadem sententia reperio S. Hieronymum fuisse, S. Hierom. cuius hæc sunt verba lib. 11. in Commentario in Isaiam. *Et pro 30 modijs, quos nos pro coro posuimus, qui Hebraice* חומר *dicitur, Septuaginta vertunt* ἀρτάβας ἕξ, *quæ mensura Ægyptia est, & facit modios triginta*: si enim sex Artabæ capiunt modios triginta, vnaquæque capiet modios quinque.

Alij

Alij tamen contrà sentiunt. ita Fannius, qui eam minorem, ac diximus, facit.

Est etiam in terris, quas aduena Nilus inundat,
Ardaba, cui superat modij pars tertia post tres,
Namq; decem modijs explebitur Ardaba duplex.

Fannius.

Id est, Ardaba Ægyptia capit tres modios, & tertiam modij partem. à quo discordat Epiphanius, qui Artabam Ægyptiam esse vult 72 sextariorum, siue vnius Medimni Attici; eritque ita æqualis Artabæ Medææ; Ἀρτάβη, inquit, τοῦτο τὸ μέτρον καὶ Αἰγυπτίοις ἐκλήθη ἐπὶ δὲ ἑβδομηκόντα δύο ξεστῶν. id est, *Artaba hæc mensura ab Ægyptijs vocata fuit 72 sextariorum*. Eritque hâc ratione secundùm Epiphanium, Artaba eadem ac Ephi mensura. Vt autem tantæ de Artaba opiniones dissoluantur, dico Artabam Aegyptiam triplicem fuisse. Prima, eaque maior, capiebat ampliùs quàm Medimnus Atticus, Chœnicas sex; & tantam quoque fuisse Persicam Artabam, quæ cum Aegyptiorum passim confunditur, Herodotus Auctor est: Ἡ δὲ ἀρτάβη μέτρον ἐστὶ Περσικὸν χωρέον μεδίμνου Ἀττικοῦ πλέον χοίνιξι ϛ´ Ἀττικῇσι. id est, *Artaba mensura Persica capiens ampliùs quàm Medimnus Atticus, Chœnicas Atticas 6.* Vbi insignis error Interpretum elucescit, pro ϛ, ἕξ, legentium, hoc est 3, decepti senario numero Græcorum ϛ´, τῷ γ´ notæ ternariæ simillimo; quem eruditos notare velim. Alteram Artabam Attici Medimni capacem diximus, Medis quoque vsitatam. Tertiam quinque modiorum esse, suprà ostensum est. Verùm iam hoc ipsum ex fontibus ostendamus. Aegyptij has tres Artabas vocant ⲛⲓⲉⲣⲧⲱⲃ, vt ex Scala patet. Prima ⲛⲓⲛⲓϣϯ ⲛ̀ⲉⲣⲧⲱⲃ vocatur, id est, *Ertob maior*; Altera ⲡⲓⲙⲉⲉⲧⲥⲱ ⲛ̀ⲉⲣⲧⲱⲃ; id est, *Ertob media*; Tertia ⲡⲓⲉⲣⲧⲱⲃ, *Artaba communis* passim; quæ omnia Interpres pulchrè explicat:

Epiphanius.

Artaba Ægyptiaca triplex

Herodotus.

والاردب كبير من وخرة وستة امداد والاردب وسطة وهي مد وحدة والاردب صغير
فهي خمسة امداد

Artab maior vnum modium maiorem (quem suprà Medimno æqualem diximus) *& sex insuper modios paruos* (quos cum Chœnicis æquauimus) *continet; & Ertob media modij vnius*, id est, Medimni Attici, *& Ertob minor quinque modiorum*. Quæ omnia perfectè cum dictis congruunt; congruitque Hebraica descriptio Baal Aruch:

ארדב מדה קטנה ומציעא פי' השכר את האומנים
ומדה גדולה נהוגה בארץ מצרים עד היום:

Baal Aruch.

Hoc est, *Ardab mensura parua aquæ: media explicatur dimensum quotidianum operarum siue opificum: tertia significat mensuram magnam vsitatam in Ægypto in hunc vsq; diem*. Ex quibus omnibus hucusque dictis patet, sex Artabas 70 Interpr. Coro Hebræorum æquales fuisse; id quod disertis verbis Eupolemus Græcus, idemque antiquissimus & magnæ authoritatis Scriptor apud Eusebium traditum reliquit, quem citato loco consule. Atque hæc de Artaba sufficiant.

70 Interpret.

Eusebius.

PRAELVSIO III.

De Ponderibus Aegyptiorum.

MAximum ponderum Talentum cùm sit, ab eo principium disceptationis nostræ ordimur.

ⲡⲓⲝⲓⲛϭⲱⲣ Talentum. Alsamenudi.

ⲡⲓⲝⲓⲛϭⲱⲣ Aegyptijs idem quod Talentum est, pendetque 120 libras. ita Alsamenudi in Scala:

الوزنة وهي مايه وعشرين رطل ——————

Aluazne est talentum, seu pondus 120 librarum. Talento verò Hebræorum quinque libris minus: est enim Kikar Hebraicum 125 librarum, secundùm Hebræorum veram sententiam, cui subscribit Suidas, Τὸ τάλαντον παρὰ τισὶν ἔχει λίτρας ρκε. *Apud quosdam talentum habet centum viginti quinque libras.*

Suidas.

ⲡⲓⲙⲉⲛⲁ Mina.

ⲡⲓⲙⲉⲛⲁ idem quod Mina, continet viginti vncias. ita Alsamenudi:

المنويجمع عشرين اوقية وهي ثمنة وعشرين دينارا

Mina verò continet viginti vncias, & sunt 28 denarij. Atque hæc maior est Mina Ptolomaica & Italica duabus vncijs, estque propriè Mina Alexandrina; de quibus Dioscorides de ponder. est Μνᾶ παρὰ τὴν τῶν ἰατρῶν χρείαν ἔχει οὐγκίας εἴτε δραχμὰς ρκη. ἡ μνᾶ Ἰταλικὰ τὰς οὐγκίας ιη. εἴτε δραχμὰς ϙϛ. ἡ μνᾶ τῆς Ἀλεξανδρείας ἔχει οὐγκίας κ. εἴτε δραχμὰς ρξ.

Dioscorides.

ⲡⲓⲥⲓⲕⲗⲟⲥ Siclus.

ⲡⲓⲥⲓⲕⲗⲟⲥ Siclus Ægyptius, de quo ita Alsamenudi: وعا يجمع ربع اوقية Siclus Aegyptius pondus est, seu vas, quartam vnciæ partem, siue quatuor drachmas pendens.

ϯⲇⲣⲁⲭⲙⲏ Drachma.

ϯⲇⲣⲁⲭⲙⲏ verò, quem Alsamenudi drachmam interpretatur, est octaua vnciæ pars. Verba sequuntur:

الدرهم ثمن اوقية وفي نسخة ثلثي اوقيه ——————

Drachma octaua pars vnciæ est; & legitur in antiquo exemplari, quòd duæ tertiæ vnius vnciæ sint. Fuit autem Drachma, sicut ipsum nomen indicat, Græcorum proprium pondus, & signatum Numisma, quòd cùm rerum potirentur Græci, ad Romanos translatum, ab ipsis frequenter vsurpatum est; sicuti è contra Romanorum vnciæ pondus, & nomen ad Græcos & Arabes translatum est. Fuit autem, vti apud Romanos & Græcos, ita & Aegyptios, vnciæ octaua pars. ita Fannius: *Vncia fit drachmis bis quatuor.* Suidas Ἑκατὸν δραχμαὶ ποιοῦσι μνᾶν μίαν. *Centum drachmæ vnam minam faciunt.* Ex quo patet, libram siue assem Drachmis constare 96, quibus si addas quatuor, habebis Minam Atticam 100 drachmarum; quibus consentiunt Dioscorides, Galenus, Columella, alijque, quos vide apud Villalpandum, Marianam, Agricolam, aliosque.

Fannius. Suidas. Dioscorides. Galenus. Columella. Villalpandus. Mariana. Agricola.

ⲡⲓⲥⲧⲁⲧⲏⲣ Stater.

ⲥⲧⲁⲧⲏⲣ seu Stater, mediam vnciam pendebat. ita Alsamenudi:

الاستاتير الذي وجده بطرس في فم السمكة وهي نصف اوقية وهو ثلث الدينار بالدينار الصغير ——————

Stater, quem inuenit Petrus in ore piscis, pendet dimidium vnciæ, & est tertia pars denarij minoris. Atque hac ratione Siclus Hebraicus & Stater idem pen-

pendebant, videlicet quatuor drachmas Atticas, ſeu vt vocant τετραδραχμόν; quod & manifeſtum eſt ex verbis S. Matthæi, vbi ſic habetur: *Acceſſerunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſoluit didrachma*. Et poſt pauca ſubditur, præcepiſſe Petro Dominum, vt ad mare veniens hamum mitteret; *Et eum piſcem*, inquit, *qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem; illum ſumens da pro me, & te*. Quibus verbis duo manifeſtè teſtata habemus; alterum didrachma à ſingulis ſolui conſueuiſſe; alterum Staterem binis didrachmis æqualem fuiſſe, vtpote qui & pro Chriſto & pro Petro ſoluendus eſſet. Cùm ergo octo drachmæ conſtituant vnam vnciam, erit dimidium vnciæ Stater, ſiue τετραδραχμὸν idem quod Stater. Conſonat igitur Author noſter cum Hebræis & Græcis; quod monſtrare voluimus. Erit quoque ϯϭⲕⲓϯ Cenſus, idem quod Stater; quia Author noſter dicit ϯϭⲕⲓϯ eſſe mediam vnciam. الجزية نصف اوقية

Siclus & Stater Hebraicus idem pendebant.
S. Matthæus.

Cenſus quid.

ϯϭⲕⲓϯ verò idem quod δίδραχμα; quæ ſunt decem quadrantes: فلسا وهي عشرين est enim quarta vnciæ pars ربع اوقية.

Erit igitur ⲥⲧⲁⲑⲏⲣⲁ Stater, Siclus Hebraicus ⲧⲉⲧⲣⲁⲇⲣⲁⲭⲙⲟⲛ ϯϭⲕⲓϯ Cenſus, ſemiuncia Romana, iuxta Ægyptios eadem res, nominibus tantùm diſtincta.

Stater, Siclus, Cenſus idem ſunt.

C A P V T I.

De Architectonica Ægyptiorum.

ARchitectonica Ægyptiorum veterum maximè in prodigioſa illa Obeliſcorum, Coloſſorum, Pyramidum, Fanorum, Sepulchorum, Labyrinthorumque magnificentia elucèſcebat. Et ſi vera ſunt, quæ Herodotus, Pauſanias, Diodorus, Plinius, Arabumque hiſtoriæ de ijs omnem ferè humanæ fidei rationem excedentia oculati eorundem inſpectores ſcribunt; non vereor aſſerere, tanta ea fuiſſe, vt ſiue eorundem excellentiam & perfectionem, ſiue difficultatem moliminum exequendorum ſpectes, omnibus poſteris Architectis ad eandem perfectionem quandoque perueniendi ſpem ademiſſe videantur. Quòd ſi opus opifices probet, quales ipſos Architectos, & quàm diuino ingenio præditos aſſeremus? Certè ſumma in ijs ſingulariſque partium ſymmetria & proportio, contignationumque commiſſio, vti ſummum Geometram & Arithmeticum, ita inſolentium moliminum erectio ſummum Mechanicum & Staticum meritò exigebant. Sed vt cum ordine procedamus, à Pyramidibus primò exordiri viſum eſt, deinde ordine reliquas fabricas proſequemur.

Ægyptij in Architectonica præſtantes.

§. I.

Pyramides.

QVanta fuerit Pyramidum in Aegypto summâ ac profusissimâ Regum munificentiâ erectarum magnificentia, splendor, decorque, ex hoc inter cœtera colligitur, quòd vnanimi Scriptorum consensu, vel tunc etiam, quando Romanorum fastus omnia Mundi loca conculcabat, inter Orbis miracula fuerint connumeratæ. Et tametsi varijs Aegypti locis insolentes huiusmodi turrium moles conspiciebantur fundatæ; Memphiticæ tamen inter cœteras potissimum admirationis argumentum, ac veluti Mundi miraculum fuerunt. Herodotus, qui teste Plinio, circa annum 300 ab Vrbe condita vixit, de vna illarum quas ipse inspexit, hæc comprimis testatur in Euterpe: Τῇ δὲ πυραμίδι αὐτῇ χρόνον γενέσθαι εἴκοσι ἔτεα ποιευμένῃ, τῆς ἐστὶ πανταχῇ μέτωπον ἕκαστον ὀκτὼ πλέθρα, ἐούσης τετραγώνου, καὶ ὕψος ἴσον. Λίθου δὲ ξεστοῦ τε καὶ ἁρμοσμένου τὰ μάλιστα οὐδεὶς τῶν λίθων τριήκοντα ποδῶν ἐλάσσων. ἐποιήθη δὲ ὧδε αὕτη ἡ πυραμὶς ἀναβαθμῶν τρόπον τὰς μετεξέτεροι κρόσσας, οἱ δὲ βωμίδας ὀνομάζουσι. *Verùm in Pyramide hac annos 20 absumptos, cuius singulæ frontes* (quadrangula enim erat) *sunt octo plethrorum seu iugerum, pari altitudine, saxis dolatis, decentissimèque coagmentatis, quorum nullum minus 30 pedum; fuit autem extructa hæc Pyramis in speciem graduum, quas quidam scalas, quidam arulas vocant.* Diodorus 400 annis Herodoto posterior, & ipse oculatus earundem inspector, hoc pacto illas describit: *Octauus denique Rex Chemmis* (Herodoto *Cheobus*) *Memphis annos regnauit 50, ædificauitque trium Pyramidum maximam, inter septem præclarissima opera numeratam. Hæ versus Lybiam spectant, longè à Memphi stadijs 120, à Nilo autem 45. quæ & artificio, & operis magnitudine mirabilem stuporem intuentibus præberent. Earum maxima quatuor est laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte iugera septem continet; altitudo amplius quàm sex iugera tollit; latitudo quodlibet, deducta paulatim vsque ad verticem altitudine, continet cubitos 65. Ex lapide duro difficilique ad tractandum, sed æternùm permansuro structura omnis constat; Nam fermè mille annis, vt aiunt quidam, vt alij tradunt, ampliùs tribus millibus & quadringentis ad nos vsque ea moles integra permansit. Ferunt eos lapides ex Arabia longo admodum itinere aduectos. Aggeribus autem fabricata est, nondum eo tempore inuentis machinis. Opus certè mirabile, præsertim in terra vndique arenosa, vbi nulla neque aggeris, neque cæsi lapidis sint vestigia; vt non ab hominibus, sed à Dijs tanta moles structa videatur. Conantur Ægyptij mira quædam de his fabulari, ex sale & nitro eos factos esse aggeres, posteaque Nili incremento liquefactos, absque hominum labore penitùs defecisse. Verùm id procul abest à verò. Nam & multitudine hominum agger constructus est, & multitudine deletus est. Nam 360000 hominum, vt aiunt, ad id opus deputata sunt, quod 20 fermè annis absoluerunt.* Deinde describit secundam Pyramidem à Rege *Chabreo* erectam structurâ priori similem, magnitudine imparem, vtpote basis lateribus singulis stadium tantùm comprehendentibus: pecuniam omnem in opus prioris impensam; vt olera tantùm & herbas mille & sexcentorum

Pyramides Memphiticæ ex Herodoto.

Herodotus.

Diodorus.

Pyramis miræ magnitudinis.

rum

rum talentorum sumptus excessisse dicatur. Tertiam pyramidem Myzerinus Rex erexit, sed morte præuentus opus absoluere non potuit; adeoq; magis Architectorum summum ingenium, quàm otiosam pecuniæ ostensionem Regum admirari licet. Meminit & harum molium Strabo Diodoro ferè Synchronus lib. 17. *Quadraginta*, inquit, *stadijs ab Vrbe montanum quoddam est supercilium, in quo stant pyramides multæ. Earum tres memorabiles sunt; duæ inter septem Orbis miracula adnumerantur, singulæ altitudine stadij, figurâ quadratâ, altitudine habentes paulò maiorem quolibet latere, & modo se paululum excedentes*. Et paulò post: *Vlteriùs in montis altitudine maiori tertia est, multò primis duabus minor, maiore tamen impensa structa. Nam ab ipsis ferè fundamentis vsque ad medium constat nigro ex lapide, ex quo mortaria faciunt, ab extremis Æthiopiæ montibus delato, qui cùm & durus sit, & operatu difficilis, reddit opus sumptuosius* Rhodopis meretricis siue Dorichæ sepultura. Plinius deinde singula exactiùs trutinans, hæc inter alia profert lib. 35. c. 12. *Dicantur obiter & pyramides in eadem Aegypto, Regum pecuniæ otiosa & stulta ostentatio; quippe cùm faciendi eas causa à plerisq; traditur, nè pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut nè plebs esset otiosa. Multa circa hoc vanitas illorum hominum fuit, vestigiaq; complurium inchoatarum extant. Vna est in Arsinoite Nomo, duo in Memphite non procul labyrintho, de quo & ipso dicemus. Totidem vbi fuit Mœrodis lacus, hoc est, fossa grandis. Sed Aegyptus inter mira & memoranda narrat harum cacumina extrema, quæ eminere dicuntur. Reliquæ tres, quæ Orbem terrarum famâ impleuêre, sanè conspicuæ vndique adnauigantibus, sitæ sunt in parte Africæ, monte saxeo sterilique, inter Memphim oppidum, & quod appellari diximus Delta, à Nilo minùs quatuor millia passuum, à Memphi sex, vico apposito, quem Busirin vocant, à quo sunt assueti scandere illas*. Et paulò post; *Sed pyramis amplissima ex Arabicis lapidicinis constat; 360000 hominum annis viginti eam construxisse produntur*. Et infrà: *Amplissima octo iugera obtinet soli, quatuor angulorum paribus interuallis per octingentos octuaginta tres pedes singulorum laterum, altitudo à cacumine pedes 25*. Hæc Plinius. Et tametsi citati Authores quoad situm conueniant, vix tamen est, qui cum altero in mensura concordet; quod factum crediderim ob diuersam mensurarum diuersis nationibus vsitatarum rationem. Strabo. Plinius.

Hisce Neoterici accesserunt pyramidum mensores; quos inter Petrus Bellonius meritò primum locum obtinet, qui datâ operâ ad pyramides mensurandas in Ægyptum concessit. Sic autem dicit: *Pyramides verò Aegypti adeò à Veteribus celebratæ edito loco sunt, quæ procul 40 millium passuum apparere incipiunt. Hos Aegyptij Pharaones nuncupant. Quæ quidem magis admirandæ videntur propè inspicientibus, quàm ab Auctoribus descriptæ sint: nam videntur esse montes immensæ magnitudinis: vnde Romanorum fabricæ, & antiqua opera nihil accedunt ad harum pyramidum splendorem & magnificentiam. Positæ autem sunt in loco valdè deserto, seu solitudine, quatuor milliaribus à Cairo distante vltra Nilum tertio lapidis iactu; & earum amplissima reliquas etiam præstantiâ superat, quam omnes Antiqui Scriptores aspectu mirabilem esse scripserunt. Extructa est gradibus foris prominentibus, atque 324 passus* Petrus Bellonius.

in singula latera habet, à basi vsque ad cacumen continet 250 *gradus, quorum singuli altitudinem habent quinque solearum calcei, nouem pollicum longitudinis; adeoq; vastæ est latitudinis hæc moles, vt peritissimus atque validissimus Sagittarius in eius fastigio existens, atque Sagittam in aërem emittens, tam validè eam eiaculari non possit, vt extra molis basin decidat, sed in ipsos gradus cadat. Fastigium eius in planitiem desinit* 2 *passus in diametro patentem, in qua* 50 *homines consistere queunt. Aliæ etiam duæ pyramides sunt immensæ magnitudinis, sed longæ minores primâ; & harum trium minima, tertia sui parte maior est ea, quæ apud Testaceum montem est Romæ. Præter has tres plurimæ aliæ minores hinc inde per arenosum illud solum sparsæ sunt, plusquàm centum, quarum nè vnica adeo vitiata spectatur, vti Romana.* Hæc Bellonius. Quæ ferè congruunt relationi factæ Marci Grimani Antistitis Aquileiensis, & postea Cardinalis: hic enim vti antiquitatum perstudiosus, ita ipsemet, dum in Ægypto, negotiorum causâ Venetorum ageret, eam mensus est, eamque conscendit, & ad interiora penetrauit. *Pyramidis huius commensus iustis passuum interuallis, quorum magnitudo trium palmorum antiquorum modulos aliquantulum excessisse putatur. Singula quadratæ b sis latera passus* 270 *circiter complectuntur; vniuersaq; pyramis ex rediuiuo & præduro lapide constat, eiusque præcinctiones in satis conuenientem longitudinem extenduntur, itaque toto opere aptantur ac disponuntur, vt ad summum verticem vsque, etsi quàm maximè difficilem incommodumque, præstent ascensum; singulæ enim tripalmarem ac semis circiter altitudinem patent, nec tantum vtique prominentis planitiei nactæ fuerunt, vt scandentium vestigia ijs commodè tutoq; inniti possint. A basi autem vsque ad verticem* 200 *circiter ac* 10 *præcinctiones habentur, singulæque eandem prorsus altitudinem obtinent, adeo vt structuræ totius altitudo basis suppositæ latitudini æqualis omninò videatur.* Præ omnibus tamen maximè & exactissimè illas obseruasse reperio Principem Radziuilium in peregrinationis suæ historia fol. 161. verba eius quamuis longiora, adducenda tamen duxi, vt sigillatim omnia elucescant. *Summo manè, inquit, vnà antè diem horâ ex hospitio egressi ad ciuitatem veterem venimus, quæ à noua, quartâ milliaris parte, inter hortos semper eundo, distat; duabus verò horis post exortum Solis traiecto Nilo, quintâ milliaris parte peractâ, rectà ad pyramides peruenimus; de quibus, quoniam ab Authoribus multa produntur, ego quæ ipsemet coram vidi, breuiter annotabo. Constat omnium testimonio, Memphim ciuitatem sacris & prophanis literis celebratam, olim hic fuisse; nunc præter exiguas quasdam versus meridiem ruinas, eius nulla apparent vestigia; steriles arenæ omnia cooperiunt: pyramides tamen septendecim adhuc integræ conspiciuntur, quarum duæ sunt maiores, & tertia à Rhodope meretrice constructa, est imprimis elegans, vix tamen* 60 *aut* 70 *cubitorum habet altitudinem. Hæ tres pyramides sunt planè integræ, & inter miracula mundi commemorantur. Duæ maiores stupendâ & incredibili sunt magnitudine; alterâ tamen excellit, quæ tam in altitudine, quàm in latitudine & longitudine* 300 *habere cubitos dicitur. Intrinsecùs habet artificiosos & peramplos gradus, quibus æquè ac extrinsecùs ad ipsam vsque summitatem ascenditur; habet & concamerationes, quarum duæ maiores, vna supra alteram erecta, quæ sepulchra Regum Ægypti continebant: in inferiori extat etiam hodie sepulchrum satis*

[Margin notes: Marcus Grimanus. — Radziuilius. — Memphis situs. — Pyramides 17 integræ Memphi extant.]

satis magnum, in quo corpus aliquod fuit repositum. Porrò à quibus Regibus, quanto sumptu, quoue modo vel artificio, & num à Iudæis in Aegyptiaca seruitute constitutis (quod omnibus ferè Authoribus placet) pyramidum hæ moles fuerint excitatæ; vel num ijdem Hebræi aggeres & fossas, quibus Nilus deducitur, (apparent enim non naturâ, sed arte facta esse omnia) perfecerint, Historicis iudicandum relinquo. Illud mirari magnopere conuenit, cùm dictæ pyramides in sublimi monte, qui totus è viuo saxo constat, sint erectæ, quantum tamen è lapidum genere colligitur, apparet, eas non ex eiusdem rupis lapidibus esse concinnatas; nec facilè peruestigari potest, vnde, aut quâ ratione tanta lapidum congeries eò comportari potuerit; quandoquidem etiam Nilus exundans tribus milliaris partibus à fabrica remotus procurrit. Sed nec illud penetrari potest, cùm quilibet lapis tres cubitos longus & latus, altus verò plusquàm vno sit & semis, quo labore & artificio in tam altum montem protrahi, & in summitate collocari potuerit. Maxima omnium pyramis ex lapidibus eiusmodi sectis, & quadratis, in formam montis cuiusdam naturalis, singulari quodam artificio est fabricata; & licet quadrangulari figura, ab ima parte sensim in cacumen consurgat, tamen lapides isti quadrati ita inæquali ordine compositi arte mirabili videntur, vt moles tota montis à natura formati speciem repræsentet. Ascensus propter lapidum crassitiem grauis ac laboriosus, securus tamen est; & licet passu conuenienti vsus fuerim, vix tamen intra vnam & dimidiam horam pyramidis summitatem ascendi, vbi planities est quadrata, spacium decem cubitorum in qualibet parte complectens. Pyramidis maximæ magnitudo, forma, &c. ex Radziuilio.

Secunda pyramis paulò priore minor, ad geminum sagittæ iactum ab illa distat; ingressus interior in illam non patet, quem tamen occultum esse volunt. Exteriùs ad medium vsque potest ad illam conscendi, cùm ad eundem modum, vt prior illa, lapides habeat compositos, nisi quòd paulò planiores & minores sint. A medio verò lapides ita complanati sursum ascendunt, vt vltra progredi sit impossibile; quod eo maximè consilio factum apparet: inde verò tertia eiusdem pyramidis pars, vsque ad summitatem lapides habet quasi neglectim & inordinatè collocatos, vt in parte inferiori, ita vt nisi series illa saxorum plana, quæ ad aliquot denos cubitos eleuatur, impediret, conscendi eius summitas, quemadmodum prioris, facilè posset.

Tertia pyramis ad latus secundæ versus ciuitatem, est Rhodopes illius, cuius iam meminimus, tota ex lapide dolato, vt conscendi non possit, fabricata; à qua ad ternum arcus iactum etiam versus ciuitatem est caput collo & brachijs prominens eiusdem meretricis, septem cubitorum altitudine, habitu mirabili, ex vno viuoque saxo exsculptum. Volunt nonnulli, quòd ex illa maiori pyramide, quam ingressi sumus, per cauernam subterraneam in rupe excisam, quam lapidibus obrutam vidimus, angustus & occultus in caput hoc patebat aditus, atque inde oracula edita, vulgo Gentilium existimante, per ipsum capitis os illa proferri. Hactenus Radziuilius: qui quidem adeò exactè omnia descripsit, vt nihil eidem addi aut demi posse videatur.

Inter cœteros easdem pyramides mirâ industriâ & curiositate anno 1616 lustrâuit Illustrissimus Vir Petrus à Valle, omniaq; & singula examinando, & cum Authoribus comparando, exactè & minutim obseruauit; à quo & oretenus (erat enim, dum in viuis esset, inter paucos, amicus sanè

sin-

singularis) accepi; quæ & postea in itinerario suo, quod hoc an. 1654 primum prodijt, omnia exactiùs descripsit. Verùm nè Lector curiosus dictum itinerarium adire cogatur, hìc verba eius Italica ponam, quæ habentur lit. 11. anno 1616. fol. 359. *Si trouano dunque a dodici miglia dal fiume le prime piramidi, che sono quelle trè grandi, che descriue il Belonio mia guida; e quelle stesse, che noi scoprimmo venendo al Cairo, con vna innumerabil quantità di altre minori. Della bellezza delle quali, cioè delle grandi, basterà dire a V. S., che il Belonio ne hà parlato poco, & che io le stimo degnamente marauiglie del Mondo; e quando lo dico io, che vengo da Italia, e da Roma, V. S. può pensar, che sia vero. Non vi è vaghezza grande di architettura, nè galanterie di membri di rilieuo, di capricci, e di altri ornamenti, con che sogliamo noi ornar le nostre fabriche: nè meno difficultà di far sostener gran volte in aria, come le nostre cupole, & altre fabriche, che appresso di noi hanno dell'artificioso. Perche non fù intentione di quelle genti di far vna cosa vaga all'occhio: ma di fare vna fabrica che fosse eterna, come è stata, e sarà secondo'l parer mio: e per questo pensiero non vi era meglio, che quella forma soda delle piramidi, che non è altro, che vn corpo quadro di grandissimi pezzi di marmo, che, quanto più si alza, và sempre più sminuendo a gradi; secondo la qual proportione, rispetto alla sua vastezza, non si alza molto. Dalle quali trè conditioni, cioè di esser composto di materia soda, come è il marmo fino, e durissimo; di hauere il fondamento poco grauato; e'l corpo pieno a Piramide, che all'in sù sempre manca; ne nasce, che si rende saldissimo ad ogni motiuo del cielo, della terra, & del tempo, pigliando non men la fermezza, che la forma di vn monte naturale. Pare questo, a prima vista, poca cosa:. perche radunar tanti marmi in vna campagna arenosa, doue non ve ne è, non è gran fatto. L'Egitto nè hà montagne grandissime non molto lontano: condurli per lo Nilo è facilissimo: e così dal Nilo fin là, che è poco, è tutta pianura: e nella piramide comporgli semplicemente in figura quadra vn sopra l'altro, non è gran manifattura. La grandezza delle piramidi non par manco eccessiua; perche in fatti crederei, che di altezza non superasse di molto la cupola di San Pietro di Roma. Io veramente non hebbi tempo, nè patienza di misurare; ma così all'occhio, e per quanto intesi anche da diuersi curiosi che hanno fatto la fatica, credo, che le misure del Belonio siano giuste: cioè, che le piramidi siano circa a trecento ò trecento cinquanta passi larghe da piedi per ogni canto de'i quattro; & alte intorno a ducento dieci infin a ducento cinquanta gradi, che giusti non è possibile a contarli, per esser guasti in alcuni luoghi; & ogni grado sarà largo poco più di due palmi, & alto poco men di quattro. Sì che, per le cose già dette, non riescono al primo aspetto tanto marauigliose; & a me stesso fecero questo medesimo effetto. Però quando l'huomo si accosta da vicino, e considera meglio la smisuratezza de i sassi, più grandi assai degli architraui del portico della Rotonda, delle pietre del Colseo, e di quante altre io ne hò vedute; e penso come con tanta ageuolezza siano stati maneggiati fin là sù in cima, doue bisogna pur che ò con funi, ò con ponti fossero portati: e di più, che siano stati composti con tanta giustezza di misure, messi ciascuno al suo luogo così a puntino, e con tanto giudicio; comincio a conoscer l'artificio, & a comprender, che quegli huomini non ne sapeuano poco.* Quæ omnia dictis iam ab alijs Authoribus consentiunt. Pergit postea describere ingressum in interiora pyrami-

Petrus de Valle.

Architectura pyramidum.

Quantitas pyramidum.

rami-

ramidis; & ijs quæ ab Arabibus citantur, planè consona sunt. Sed audiamus eius verba. *Ma quando si saglie verso'l mezo, e si troua la porta, cauata con vna giustezza mirabile trà vn massiccio di pietre di straordinaria grandezza; le quali, benche così smisurate, le son composte sopra in arco, e le fanno ornamento con architettura molto bella; bisogna confessar, che vi è del buono. Perche, se ammiriamo in Roma la porta della Rotonda, che è drizzata in piana terra, per la sua grandezza, che è tutto vn pezzo (come molti stimano) gli stipiti con l'architraue; molto più dobbiamo ammirar nella piramide quelle sette ò otto pietre (ogni vna delle quali, e per lungo e per largo, è grande forse non meno di tutta la larghezza della porta della Rotonda) che tirate tanto in alto, e con bellissimo disegno incastrate insieme per gli angoli, fanno arco, e volta ad vna picciola porticella. Cresce la marauiglia entrando dentro, e caminando per quella strada, che il Belonio descriue, che và fin'al centro, doue riponeuano il corpo nel sepolcro: la quale strada, come egli dice, è quadra a guisa di vn pozzo, non à piombo, ma pendente, e ripida assai, che malageuolmente vi si può caminare; e questo lo faceuano, perche in effetto non voleuano, che vi si andasse a muouere e sturbar quei cadaueri: anzi la porta, quando il corpo era riposto, si serraua, & copriua con le medesime pietre grandi in guisa, che di fuori non appariua doue era; & essendo tutto'l resto della piramide massiccio, quando ben fosse stata cercata, era quasi impossibile a trouarla, se non si disfaceua la piramide. Questa strada, doue si entra con lumi, perche spiraglio alcuno non vi è, non credo, che sia men lunga di ducento passi, perche và, come hò detto, fin'al centro; e và, non à piombo, ma pendendo, che fà la linea più lunga. E drittissima, & è cauata tutta frà quattro ordini vgualissimi di pietre, vno de' quali le fà tetto, vno pauimento, e due fianchi. La larghezza & altezza è tanta, che vn'huomo solo chinato vi può caminare, ma non in piedi; e questo credo pur, che lo facessero, per render l'adito più difficile. Le pietre intorno son tanto grandi, che bene spesso se ne trouano, e così quasi tutte, di venti, venticinque, e trenta palmi di lunghezza, & anche più. Nel fin della strada si troua come vno stanziolino, per riposare alquanto, che ve n'è bisogno; poiche quel calar per via ripidissima, e chinato, e tal volta, doue i sassi cadutiui dalla porta impacciano la strada, con la pancia per terra, fà stancare vn poco; oltre che l'essere in luogo chiuso, trà i fiati, e'l caldo de' lumi, rende tanto caldo, che io quando giunsi in quel luogo, haueua passato fin'il giubbone di sudore, e tutti gli altri, che erano con me, non haueuano fatto niente manco. Dallo stanziolino comincia a man manca vn'andata assai ripida, che và in sù, tornando di nuouo ad ascendere, & è a punto come vna nostra scala in volta: la volta però di essa non è rotonda, ma termina in angolo; & è formata nel massiccio della piramide dalle pietre, che, grandissime, vgualissime a più ordini vn sopra l'altro, e disposte con buonissima architettura, venendo sempre ogni ordine più in fuori di quello, che gli è sotto, a poco a poco si vanno stringendo, e lasciano in mezzo il vacuo dello stanziolino, e della andata, che io dico: nella quale, per salire, non vi sono scalini; ma solo delle medesime pietre alcuni poggiuoli ripidissimi di quà e di là, sopra i quali si aggrappa vn poco le mani; e per gli piedi, vi sono più a basso, disposti con ordine alcuni buchi, per gli quali si può salire: ma bisogna slargar le gambe quanto si può da vn poggiuolo all'altro, che sarà sempre cinque ò sei palmi di larghezza; e nel metter da vn bucho all'altro*

tro il ..., fare il passo molto lungo. Di maniera, che il salir questa andata, benche non sia in estremo lunga, nè alta, riesce nondimeno molto faticoso; e se ne può argomentare, ò che la facessero così a posta per renderla difficile a salire; ò pur, che in quei tempi gli huomini di Egitto fossero più grandi di statura, che hoggi non sono, se pur allhora in questa guisa era a loro facile. Ma io vi andai, e la guardai minutamente con gran gusto; & in fatti, considerando bene il maneggiar di quei pezzi così grossi di pietra, e'l disporgli, & aggiustargli con tanto bell'ordine, mi parue di trouarui vn'architettura, vn artificio tale, qual'io per me non saprei desiderar maggiore. Salita questa come scala, si entra nella camera del sepolcro, che hà del quadrato; e misurata dà me trouai esser da vent'vno de' miei piedi larga, e circa a quaranta lunga. Sette pietre sole la cuoprono tutta, ogni vna delle quali si appoggia da vn canto e l'altro della larghezza; e'l resto si sostiene in aria, formando vna volta piana piana, come vn nostro solaio. Il sepolcro stà in capo della stanza per trauerso in Isola, & è vna pila grandissima, e grossa assai, di vn sol pezzo, di quella pietra durissima di Egitto, che il Belonio in più luoghi chiama Thebaica. Della durezza feci proua, perche con vn martello d'acciaio, che io haueua, non era possibile a romperne scaglia; e quello che mi piacque assai, battendola co'l medesimo martello, sonaua a punto come vna campana, rendendo vn suono soaue, e tanto forte, che se non fosse stato in luogo chiuso, si sarebbe sentito molto discosto. Coperchio al sepolcro non vi è, ò che sia stato rotto, ò pur, che non vi fosse messo; se pur è vero, come dicono i paesani ignoranti, che il Rè, che fece fare quella piramide, non vi fosse sepellito; e che però sia aperta, e non come le altre vicine, che tutte son serrate, e non se ne troua la porta. Sia come si voglia, il sepolcro fù messo là dentro in fabricandosi; perche conduruelo dapoi, per la strettezza dell'entrata, è per altre difficultà, non era possibile. Non hebbi men gusto à veder la piramide di fuori; perche salij con qualche poco di fatica fin'in cima, doue si gode vna bellissima vista; scoprendosi il mare, e l'Egitto con molto paese attorno. Là sù nel più alto, in quella parte, che guarda verso Italia, mi presi piacere di lasciarui intagliato il nome mio, con quello di qualche altra persona, a chi io non voglio male. Mi presi anche gusto di far tirar da quella cima dal mio Capigi, e da altri Turchi, che vi erano con noi, diuerse freccie con la maggior forza, che si poteua; le quali nondimeno, per qualsiuoglia sforzo, che si facesse, ricadeuano sempre negli scalini della piramide; nè vi fù mai chi potesse spingerne pur vna fuor degli scalini, nè farla arriuare al fine di essi di gran lunga. Calato poi giù, diedi vn'altra vista di fuori alle piramidi minori, che non si possono salire; & anche là vicino alla Sfinge, che veramente è vn bel pezzo di sasso, intagliato come si dipinge. Non mi ricordo di hauer letto, se è sasso naturale in quel luogo, ouero se è portato d'altronde; come par più verisimile, per esser la campagnia piana & arenosa. Nel luogo non si può scorgere, perche l'arena è molto cresciuta, e la Sfinge stà, forse la metà, dentro a quella sepolta; vedendosi fuora solo il capo, e'l collo, con vn poco delle spalle, e del dorso. Se è portato, io lo stimo assai più delle guglie; perche in fatti è molto grande, benche per la sua forma, e modo di posare in terra, non c'è dubbio, che è più facile delle guglie a maneggiare; almeno men pericoloso di spezzarsi. His summâ diligentiâ examinatis, animum ad reliquas in vasta illa arenarum solitudine pyramides spectandas adiecit. Verba eius sunt: *Il giorno seguen-*

guente, che fù il nono di Decembre, leuati la mattina a buon'hora, & alzata la tenda, c'inuiammo a veder certe altre piramidi più lontane, delle quali il Belonio similmente fà mentione; cioè di molte; ma non già di vn altra pur grande assai, che, per andarla a vedere, si camina vn gran pezzo innanzi nelle campagne arenose, verso Mezo giorno. Queste piramidi si chiamano delle Mumie, perche son vicine, anzi dentro al paese d'arena, doue le Mumie si trouano. Per tutto'l camino, non si vede altro, che pianure di sabbia minutissima, gialla, come quella, che adopriamo per le lettere, & arida in estremo; e d'ogn'intorno à passo a passo, piramidi sparse, di grandezza diuersa, ma tutte di vna forma. Questa più grande, che andai a vedere, stà molte miglia dentro, & è grande, e bella assai: ma dal tempo è di fuori talmente consumata, che i gradi son guasti, & in cima difficilmente vi si può salire, nè io mi curai di andarui. Volsi ben vederla dentro, che hà pur la bocca aperta; e la trouai, a mio gusto, molto più bella di quell'altra veduta prima: perche quella andata in giù, fatta a guisa di pozzo, comincia vn pezzo più ad alto; &, ò sia questo, ò che, è senza dubbio più lunga due volte, che non è in quell'altra. E anche più piana, e più facile a caminare: ma và tanto in giù, che io credo certo, che arriui fin nel fondo trà i fondamenti. Con tutto che sia così piana, a noi nondimeno riuscì molto fastidioso l'andarui: perche, come la piramide di fuori è più consumata; dalla bocca è caduta dentro vna gran moltitudine di sassi grossi, che in molti luoghi hanno talmente intricato il camino, che più e più volte ci conuenne andar notando sù le pietre, come fà il Dottore in Napoli sù l'acqua. E talhora si passaua per angustie tanto strette, che mi dauano da pensare; perche se à caso vn di quei sassi si fosse mosso vn poco, ouero per malitia di alcuno di sopra (che al fine si stà in terra d'infedeli) ne fosse stato buttato giù alcun'altro, che hauesse serrato vn poco più l'adito, erauamo spediti, e bisognaua restar morti là dentro, e sepelliti viui. Affè che mi venne questo concetto, e se vi hauessi da tornare vn'altra volta, vorrei lasciar buona guardia alla porta per ogni rispetto; con ordine anco, che se si tardasse souerchio, venissero a basso con buoni picconi, perche quelli di fuori, come superiori di sito, potrebbero aiutare: ma quelli di dentro, benche hauessero picconi, & ogni altro strumento, non sarebbe possibile; perche il peso mandare in sù non si può, da vn'huomo solo, che cape alla volta; e di essere intesi gridare, non vi sarebbe vna speranza al Mondo. Basta, noi altri senza tanta diligenza, la passammo bene: & a piè della scesa non trouammo da salire, come nell'altra piramide; ma subito immediatamente la camera della sepoltura, grande assai, & altissima: e la volta, non è piana come in quell'altra; ma fatta ad angolo in cima, andandosi sempre stringendo. Da questa camera, per vna porticella assai bassa, si entra in vn'altra camera simile, della medesima grandezza e fattura; che forse la piramide era fatta per più di vna persona: ma, nè dentro all'vna, nè dentro all'altra camera, trouai auello alcuno; e bisogna che, ò non vi fossero, ò siano stati rotti, e guasti. E ben vero, che nella seconda camera, si vede molto in alto vna porta lasciata frà i marmi, nella quale tirando io vn sasso, sentij che andaua dentro assai: ma l'altezza è tale, che vi vorrebbe vna grande scala per salirui; & alcuni del paese dicono, che là sopra in quella terza camera stia il sepolcro: io no'l sò, che non potei vederlo; ma potrebbe essere; messoui forse, accioche il corpo, per la difficultà

dell'entrarui, stesse più sicuro di non esser toccato. Huc usque Petrus de Valle.

Arabes paulò in earundem descriptione differunt. Sed nè quicquam intermisisse videamur earum rerum, quæ ad pyramides spectant, hìc eorum relationes adducam. Ita autem eas describit Ioseph Ben Altiphasi in libro de historia Ægypti, cui consonant ea quæ Ben Salamas in libro, qui *Hortus mirabilium Mundi* nominatur, tradit.

Ioseph Ben Altiphasi. Ben Salamas.

في دكر الاثار القديما والمباني العظيمه في بلد مصر ۞

الاهرام التي بمصر وهي عظيمة كبيره واكبرها الهرمان اللذان بجيزة مصر
غربي النيل ۞ يقال ان بانيهما شوريد بن شهلوق بن شرياق قبل الطوفان ۞ وقيل ان
هرمس المثلث بالحكمه الذي تسميه العبرانيون اخنوخ وهو ادريس عليه السلام لما علم
بالطوفان بناها واودع الاموال والصحف وجميع ما يخاف عليه من الدثور والهلاك ۞ وكل
هرم مربع القاعده مخروط الشكل ارتفاع عموده ثلثمايه وسبعة عشر ذراعا يحيط به
اربعة سطوح متساويات الاضلاع كل ضلع اربعماية وستون ذراعا وهو مع هذا العظيم
من احكام الصنعة واتقان الهندام وحسن التقدير بحيث لم يتغير منه شي ۞ والرياح
تعصف والزلازل تزعزع ۞ والبنا لا يتخلل بينه شعره وطول الحجر منها خمسة اذرع
في سمك ذراعين ۞ ويقال لها ابواب على ازج تحت الارض كل ازج طول عشرين ذراعا
وله باب من حجر واحد يدور بلولب اذا اطبق لم يعلم انه باب فازج الشرقي نا حية
الجنوب وازج الغربي ناحية المغرب تدخل من كل الى سبعة بيوت كل بيت منها
على اسم كوكب من السبعه والبيوت مقفله كلها بقفل واحد وفي كل بيت صنم
من ذهب مجوف احدي يديه على فيه وفي جبهته كتابه اذا قريت انفتح فاه فيوجد
فيه مفتاح الاقفال والهرم الشرقي دفن فيه شوريد الملك ۞ والهرم الغربي فيه اخوه
هوجيت ۞ والهرم الملون فيه افروس بن هوجيت والصابيه تزعم ان احدهما قبر
اغثاذيمون وهو شيث والاخر قبر هرمس والملون قبر صاب بن هرمس ۞

De Antiquitatibus Aegypti..

Pyramides, quæ sunt in Ægypto, sunt maximæ, duæ potissimùm, quæ sunt in fossa, quæ est Mesræ antiquæ ad Occidentalem partem Nili. Dicitur quòd eas ædificauerit Schur filius Schahaluak filius Schariak ante diluuium; & dicitur quòd Hermes Trismegistus ob sapientiam suam, qui & Hebraicè dicitur Henoch, & est Adris, super eum pax, cùm sciret futurum diluuium, ædificauit eam, & reposuit in ea omnia sua bona, & libros, & quicquid habebat pretiosi. Est autem omnis pyramis quadrata, & politæ figuræ, si eleuationem perpendicularem spectes, 317 cubitorum; circumdatur quatuor superficiebus æqualibus laterum, vnumquodque latus 460 cubitorum. Est autem eo artificio ab ingeniosis Architectis structa, vt nihil in ea alterationi obnoxium sit: siue enim venti vehementes irruant, siue terræmotus concutiant, nil tamen de ea aufferatur vnquã. Saxa singula, ex quibus constat, 5 cubitorum longa, alta duorum. Dicitur habere portas supra canales occultos subterraneas, singuli canales longi 20 cubitorum, & portas ex lapidibus habent, per quas per cochleam aditus patet in mansiunculam, neque scitur quòd illa porta, & canalis Orientalis respicit Meridiem, & ca-

& canalis Occidentalis Occidentem; per singulos, aditus patet in 7 domus, singulæ domus 7 planetarum nominibus insignitæ sunt, intrinsecùs ad inuicem dispositæ omnes. In singulis domibus idolum ex auro, quorum vnum manum ori applicatam tenet, & librum in fronte; si quis appropinquauerit ei, aperit os suum, & inuenta est in ore eius clauis catenâ alligata. Porrò pyramis Orientalis sepultus est in ea Schurid Rex. Pyramis Occidentalis in ea sepultus est frater eius Hugith. Pyramis Elmalun in qua sepultus est Aphrus filius Hugith. Sabæi recitant quòd in vna harum sepultus sit Agathemon, qui est Seth, & in altera Hermes, & Elmalun, & Szab filius Hermes. Hæc ex Arabum relatione.

ΨΗΦΙΣΜΟΣ *siue Calculus totius Architecturæ Pyramidis maioris.*

INter tot Authores, Herodotum & Plinium potissimùm concordare inuenimus; quorum ille, vti vetustate (vixit enim 300 circiter anno, ab Vrbe condita, teste Suida ac Plinio) eminet, ita hic excellentia scriptionis, & curiosâ rerum inquisitione meritò præcipuum locum inter fidedignos obtinet. Ex huius igitur verbis ψηφισμὸν instituimus. Ait igitur Plinius, 8 iugerum fuisse basin pyramidis, & 883 pedum singula latera; quæ si in se inuicem ducantur, nascetur quadratus numerus 779689 pedum. Habemus itaque aream basis, cuius cubum si scire velis, cubicandum est latus vnum, id est, 883 ducenda sunt in quadratum (posito tamen, altitudinem æquari basi pyramidis, & prodibunt 688465387, quod est prisma dictæ basis. Cùm verò pyramis, tertia pars sit sui prismatis, vt Euclides l. 12 demonstrat, diuide 688465387 datum pyramidis cubum per 3, & quotus 229488462 dabit soliditatem pyramidis maioris in pedibus cubicis. Cuius pondus si habere desideres, duc pondus vnius pedis cubici v. g. 200 librarum, in 229488462, & productum dabit summam librarum, quas tota moles ponderaret, si tota solida foret.



Cœterùm qui aiunt, quaternas superficies dictæ pyramidis æquales esse, & æquilateras, necessariò ex vi geometrici ratiocinij asserere debent, pyramidis altitudinem esse minorem longitudine lateris eiusdem; rem ita demonstro. Sint basis *a b c d* pyramidis superficies *e a c*, *e d b*, *e c d*, *e a b*, quarum latera æqualia sint lateribus *a b*, *b d*, *c d*, *c a*, & consequenter æquilatera. His positis, fingas intra soliditatem pyramidis triangulum rectangulum *e f g*, cuius latus *e g* sit in superficie triangulari æquilatera media, *e f* ad basin *c b* normalis, *f g* verò latus indicet semibasin, siue dimidium latitudinis dictæ pyramidis, quæ est *b g*, vsque ad axem *f e*, qui perpendiculum pyramidis seu altitudinem exhibet. Quoniam igitur in triangulo hoc rectangulo illa latera minora sunt, quæ angulum rectum conficiunt, cuiusmodi sunt *f e*, & *g f*; necessariò sequitur *e f* lineam lineâ *e g*, angulum rectum subtendente minorem esse; atque adeo clarè patet, altitudinem pyramidis minorem

esse

esse latitudine, positis ponendis, id est, si singulæ superficies quatuor triangula æquilatera intelligantur.

Singulorum verò dicti trianguli *e f g* laterum quantitatem sic inuestigabis. Cùm latera pyramidis *a b*, *b d*, *d c*, *c a*, singula iuxta Plinium, sint 883 pedum; erit necessariò *f g*, dictorum laterum dimidium 441 $\frac{1}{2}$ pedum. Hoc posito, fiat vt sinus complementi inclinationis lateris pyramidis ad sinum rectum eiusdem inclinationis, hoc est, vt sinus grad. 30. ad sinum grad. 60, sic 441$\frac{1}{2}$ ad aliud; factâque operatione prodibit *f e* linea altitudinis pyramidis quæsita. Latus *e g*, sic reperies. Fiat vt sinus complementi inclinationis pyramidis ad sinum totum, ita 441 $\frac{1}{2}$ ad aliud; & prodibit linea *e g*, altitudo decliuis lateris pyramidis quæsita. vel per tangentes, aut secantes, fiat, vt sinus totus ad sinum tangentem, vel secantem 60 grad. sic 441$\frac{1}{2}$ ad aliud; factâ operatione prodibit idem quod antè, altitudo scilicet vtriusque lateris *e f* & *e g*. Atque hic est calculus iuxta relationem Herodoti, qui tamen minimè consistere potest, si cum ijs, quæ cœteri Authores circa altitudinem eius obseruant, conferatur.





Alij pyramidis huius altitudinem insinuant fuisse parem longitudini basis: quod si ita, fiat axis altitudinis *f e*, 883 pedum, vt in II. fig.; & habebitur qualitas lineæ *e g*, eo qui sequitur modo. Quadretur numerus lineæ *e f*, 883, & lateris *f g* pariter, quod 441 $\frac{1}{2}$ pedum diximus; quadrata iungantur in vnum; ex qua summa si radicem quadratam extrahas, monstrabit illa tibi quantitatem lineæ *e g*, decliuem altitudinem quæsitam. Verùm cùm altitudo hæc factâ positione plùs æquo excedat, mediam sententiam tenendam duximus, quæ in hoc negotio perpendicularem altitudinem minimè considerat, sed eam quam exprimit in figura linea *e g*. Ponamus itaque angulum decliuitatis superficiei esse 55, fiatque vt sinus complementi *f g* ad sinum totum *e g*, ita 441$\frac{1}{2}$ ad aliud; factâ operatione prodibit quantitas lineæ *e g* quæsita altitudo. Si iam perpendicularem altitudinem habere desideres, id est, lineæ *e f*; fiat vt sinus complementi 55 grad. ad sinum rectum *e f*, ita 441 $\frac{1}{2}$ ad aliud; & factâ operatione prodibit altitudo perpendicularis quæsita, id est, quantitas lineæ *e f*.

Vt verò habeas diagonalem lineam basis quadratæ pyramidis, sic operare; iunge quadrata duorum laterum in summam vnam, & extrahe radi-

dicem quadratam, & habebis longitudinem diagonalis diametri *b c* primæ fig. supra positæ: v. g. latera singula sunt 883, cuius numeri quadratum 779689, huius verò duplum dabit 1559378. radix huius numeri dabit quæsitam longitudinem diagonalis *b c*. Atque hæc est altitudo pyramidis inter extremas media Neotericis mensuratoribus conformior, secunda Straboni, prima Herodoto.

Consectarium Architectonicum.

Atque ex hisce fusiùs forsan, quàm par erat, demonstratis clarè patet, mirificum Architecti ingenium, tùm in structura mirifica adornanda, tùm in lapidibus tam vastis singulos suis locis admouendis. Res enim sine machinis, summâ industriâ & prorsùs Archimedeâ constructis, nequaquam confici poterat. At quibus tractorijs machinis vsum esse putabimus, in lapidibus ex Arabiæ montibus tantâ intercapedine dissitis, per tam inuia & impedita itinera, in locum statutum aduehendis? quis hodierno tempore Architectum reperiat, cui ad simile quid attentandum, animus sufficiat? Est enim lapidibus, quorum singuli longitudinis 30 pedum, teste Herodoto, ita coagmentata, vt sine vlla diuulsione lapidum in hunc vsque diem integra perseueret, in circuitu 3532 pedum, cuius singula latera tantùm ferè spacij occupant, quantū longitudo fori agonalis Romæ; vt proinde fabrica hæc, omnes sumptuosas Romanorum fabricas, vti sunt Thermæ, Amphitheatra, &c. multis parasangis, siue magnitudinem, siue expensarum exorbitantiam, siue denique magnificentiam, & ingenium spectes, superârit.

Hæc dum scribo, Titus Liuius Burattinus, Architectus insignis, qui datâ operâ in Ægyptum profectus est, vt omnia antiquitatum monumenta summâ diligentiâ inquireret, inquisita delinearet, & sic posteritati thesaurum concrederet, mihi inter multa alia, huius quoque pyramidis delineationem transmisit, vnà cum deserti, in quo reperitur, & cryptæ subterraneæ, in quam aditus ad Mumias patet, Ichnographia; quam hìc vnà cum literis ad me datis, apponendam duxi.

Literæ Titi Liuij Burattini, Architecti Regis Poloniæ de Pyramidibus, Sphyngibus, cœterisque Aegyptiæ magnificentiæ reliquijs.

Litteræ Titi Liuij Burattini ad Authorem, de pyramide Memphiticâ.

Molto Reu. Padre, mio Signore e Patrone Colendissimo.

Supplico Vostra Paternità Molto Reuerenda di scusare la mia tardanza in hauer differito tanto senza mandargli niuna cosa oltre gli duoi disegni, e misure delli duoi Obelischi d'Alessandria, e della Matarèa già mandateli, il che n'è stato causa le mie continue occupationi per seruitio di Sua Maestà Serenissima, le quali non mi concedono tempo di poterla seruire come tanto desidero; ma hora

che

che le notti vengono più longhe, e che le mie occupationi saranno minori, hauerò più campo di poterla seruire, come dalli effetti conoscerà. Questa mia sarà accompagnata con gli disegni delle Mumie, e delle Piramidi, appresso le quali già era la famosa Memfi; le misure delle quali, & il disegno interiore lo hauerà insieme con quelle di Giza, poste frà gli sette miracoli del Mondo. Hora V. P. M. Reuer. hauerà vna polita descrittione di dette Mumie, con il vero disegno interiore d'esse. Le Settimane passate riceuei due carissime lettere di V. P. M. Reu., dall'vltima delle quali vedo il desiderio che hà di sapere qualche cosa della Città di Chanea, della quale il P. Marco gli dice tante cose, delle memorie della quale non mi resta cosa alcuna, ma più mi spiace d'hauer perso quelle di Bebet l'haiar, doue v'è vna piramide alta circa 25 piedi, e larga nella base circa 30, hà tutte quattro le facciate, nella quale sono gran quantità di Hieroglifici, e tutti differenti; la quale è di Granito Orientale, e tutta d'vn pezzo; così nell'antichissima Sai, hora chiamata Sa l'haiar, cioè, Sai delle pietre, come la superiore Bebet delle pietre, così chiamate dalle grandissime ruine, che in ambidoi si scorgono, che dinotano la grandezza dell'antica felicità dell'Egitto. In Sa l'haiar sono molte antichità come dico, frà le quali sono diuerse Sfingie di pietra bianca, e ancora di Granito, tutte coperte di Hieroglifici, ma quella di Thebe supera di grandezzà tutte l'altre, leuata però quella delle Piramidi di Giza, come à suo tempo mostrerò. Quella di Thebe è longa circa 30 piedi, e la base sua è adornata tutta all'intorno di Hieroglifici, come sono ancora doi grand'Idoli che sono appresso quella, longhi in circa 20 piedi l'vno. Molte altre cose appresso queste hò perso con mio sommo dolore, le quali sono state causa che più non applicai di ponere regolatamente quel poco, che m'è restato, ch'è quello, che nella prima lettera significai à V. P. M. Reu., alla quale bacio humilmente la mano, e resto *Varsauia à gli 15 Settembre 1652.*

Di V. P. M. Reu.

Humiliss. Seru.

Tito Liuio Burattini.

Da



Da queste Piramidi fino a quelle di Giza, che sono circa dieci miglia Italiane poste verso Tramontana, era già la famosissima Città di Memfi, & hora ancora sono li Sepolcri delli antichi Egittij, volgarmente chiamati le Mumie. Sei di questi Sepolcri qui sopra hò disegnato, con l'arena all'intorno, che cauano dalla bocca quando vogliono entrare.

§ II.

Fana, Delubra.

INter cœtera Ægyptiorum memoranda, ab Amasi Rege constituta, & hoc est, quòd delubrum quoddam ex integro & solido saxo trium annorum spacio, ope duorum millium hominum, ex vrbe Elephantina Saim 20 dierum itinere distante aduexerit; de quo exactè Herodotus in Euterpe circa finem. Τὸ δὲ οὐκ ἥκιστα αὐτέων, ἀλλὰ μάλιστα θαυμάζω, ἐστὶ τόδε. Οἴκημα μουνόλιθον ἐκόμισε ἐξ Ἐλεφαντίνης πόλιος. Καὶ τοῦτο ἐκόμισε μὲν ἐπ' ἔτεα τρία, δισχίλιοι δέ οἱ προσετετάχατο ἄνδρες ἀγωγέες, καὶ οὗτοι ἅπαντες ἦσαν κυβερνῆται. Τῆς δὲ στέγης ταύτης τὸ μὲν μῆκος ἔξωθέν ἐστι εἷς τε καὶ εἴκοσι πήχεες, εὖρος δὲ τέσσαρες καὶ δέκα, ὕψος δὲ ὀκτώ. Ταῦτα μὲν τὰ μέτρα ἔξωθεν τῆς στέγης τοῦ μουνολίθου ἐστί· ἀτὰρ ἔσωθεν τὸ μῆκος ὀκτωκαίδεκα πηχέων, καὶ πυγόνος, τὸ δὲ εὖρος δυώδεκα πηχέων, τὸ δὲ ὕψος πέντε πηχέων ἐστί. *Ad hæc quod non minimè, sed maximè admiror, hoc est, attulit ædificium, ex solido saxo ab vrbe Elephantina; in quo afferendo triennium consumpserunt duo millia delectorum virorum, qui omnes erant gubernatores. Huius autem domus extrinsecùs est vnius & viginti vlnarum longitudo, quatuordecim latitudo, octo altitudo. Hæc est dimensio exterior domus ex vnō lapide: interior autem eius*

longitudo est octodecim vlnarum & cubiti, latitudo duodecim, altitudo quinque. Domus verò templo inuehenda erat magnificentissimo, seu vestibulo Mineruæ quod in Sai extruxerat Amasis opere admiranda, atque cœtera ædificia tùm lapidum substructionumque vastitate, tùm Colossorum Andro, Sphyngumque immanitate longè superans: vbi inter alia tres Colossi videbantur, quorum medius 75 pedum, reliqui duo vtrimque eum stipantes singuli 20 pedum. Sed cùm ad vestibulum dictum Monolithum ædificium pertraxissent, Architectum, teste Herodoto, suspirasse aiunt, vel diuturni laboris pertæsum, vel vt aiunt, propter mortem vnius è gubernatoribus, mole cedente oppressi, & quasi desperatione actum operis vlteriùs promouendi, ibidem reliquisse.

Atque hæc est admiranda illa fabrica ex integra rupe, imò monte excisa, quam quibus machinis, spacio 20 dierum à Sai dissito, promouere potuerint, vix est, qui animo concipere possit. Fuit hæc moles spacio 20 dierum dissito aduecta trium annorum tempore, vti dictum est. Quantum verò singulis annis, mensibus, diebus, machinis promota fuerit moles, Arithmeticis calculandum relinquo.

Totius Symmetriæ Computus.

Exterior.			Interior.		
Longitudo.	Latitudo.	Altitudo.	Longit.	Latitudo.	Altitudo.
Cubitos 21	Cubit. 14	Cubitos 8	Cubit. 18	Cubit. 12	Cubitos 5
seu pedes 42	seu ped. 28	seu ped. 16	seu ped. 36	seu ped. 24	seu pedes 10

Differentia interioris & exterioris.

Longitudo.	Latitudo.	Altitudo.	Quæ differentia constituit craffitiem murorum.
Cubitos 3	Cubitos 2	Cubitos 3	
seu pedes 6	seu ped. 4	seu ped. 6	

Atque ex hisce mensuris facilè curiosus Lector pondus totius eruet.

§ III.

Labyrinthus, & Sepulchrum Regum.

Labyrinthus Ægyptiacus. QVæ de Labyrinhto Aegyptiaco scribunt vetustissimi Authores, Herodotus, Diodorus, Strabo, & post hos Plinius, omnem humanam fidem superare videntur. Herodotus ad primum eius intuitum Herodotus. infinitâ admiratione defixum fuisse de se testatur. Diodorus omnibus ope- Diodorus. ribus hominum industriâ vnquam factis, superius excellentiusque fuisse scribit. Plinius potentissimum humani ingenij opus prædicat. Operis Plinius. ma-

magnitudo, diſpoſitio, & magnificentia à varijs variè exponitur; neque id mirum cuiquam videri debet, cùm Labyrinthum ingreſſi, quiſque in tanta rerum ſpectandarum multitudine, id potiſſimùm, quod maximè in admirationem traheret, referendum putauerit; vnde dum noua ſemper & mirabiliora occurrebant luſtranda, facilè inde confuſis ſpectantium animis ex innumeris, vti ſingula diſtinctè obſeruare non potuerunt, ita confuſè quoque & indiſtinctè poſteritati illa conſignarunt. Certè Dædalum huius admiratione fabricæ captum, inde occaſionem cepiſſe alium Labyrinthum in Lemno condendi Plinius aſſerit, tametſi centeſimam tantùm partem eius fuerit imitatus, dum ſeſe ex inextricabili fabricæ ſtructura etiam ſummo quo pollebat ingenio, explicare non potuerit. Situs eſt Labyrinthus ad lacum Mæridis verſus Crocodilopolim, teſte Herodoto & Plinio, quod & Sepulchrum Mæridis eſſe volunt. Diuiditur id primùm in duodecim iuxta Herodotum, & in ſedecim iuxta Plinium, domicilia; tot videlicet aulas, ſeu potiùs ampla receptacula, vaſtiſſimaque ædificia, quot olim Ægyptus vniuerſa in præfecturas, quas Nomos vocant, diuidebatur: continebat præterea omnium Ægyptiorum Numinum templa; quibus complures quadragenûm vlnarum pyramides includebantur. Erant autem, teſte Strabone, ſingulæ aulæ Nomorum Columnis ambitæ, inuicem continuæ; viæ verò quæ ad eas tendunt, ex aduerſo ſunt muri, qui aulas ordine poſitas cingit. Ante ingreſſam verò portam Cryptæ ſunt multæ ac longæ, quæ inter ſe tantâ & tam mirificâ tortuoſitate vias implicatas tenent, vt nemo ingredi aulam vllam poſſit, nec egredi ſine duce, inexplicabili illo viarum errore deceptus. Sunt hic & cœnacula altiſſima, porticuſque nonagenis gradibus ſinguli exſtructi, columnis ex porphyrite lapide fulciti, quos inter Deorum ſimulacra, Regum ſtatuæ, & ſumma monſtroſarum imaginum congeries. Quarundã verò domorum talis eſt, ab ingenioſa Architecti inuentione, ſitus & diſpoſitio, vt mox atque fores earum aperiuntur, formidabile tonitru audiri videatur. Dignum verò præ omnibus admiratione eſt, quòd domorum ſingularum tabulata ſeu tecta, vti & cryptarum latitudines ex integris, teſte Strabone, lapidibus, magnitudinis prorſus inſolentis extructa ſint, nullo prorſus nec ligni, nec alterius materiæ interuentu. Verbo, totam fabricæ extenſionem tria millia domorum comprehendiſſe, qua vel ingentem vrbem æquare poterat. Sed audiamus ſingula exactè diſcribentem in ſua Euterpe Herodotum αὐτόπτην. Verba eius ſunt: *Regnantibus in Ægypto duodecim Regibus, placitum eſt eis aliquod relinquere commune omnibus monumentum, ex eoque placito fecerunt Labyrinthum paulò ſupra Mæridis ſtagnum, maximè vrbem verſus quæ dicitur Crocodilorum, quam ego aſpexi famâ maiorem. Si quis enim ex Græcorum narratione muros & operis ſpeciem ratiocinatur, minùs concipiet, quàm pro labore & ſumptu huius labyrinthi: tametſi enim Epheſi templum memoratu dignum eſt, & in Samo; tamen pyramides erant narratione maiores, quarum ſingulæ multis & magnis operibus Græciæ æquiparandæ ſunt. Sed eas quoque Labyrinthus antecellit. Etenim duodecim, cuius aulæ ſunt tecto opertæ, portis oppoſitis altrinſecùs: ſex ad Aquilo-*

Labyrinthi Ægyptiaci ſitus.

Labyrinthi domicilia.

Labyrinthi Templa.

Labyrinthi cryptæ.

Labyrinthi cœnacula, & porticus.

Labyrinthi tecta.

Herodotus. Labyrinthi deſcriptio ex Herodoto.

nem contiguæ, totidem ad Austrum vergentes, eodem prorsus muro conclusæ. Bifaria in eo sunt domicilia, vna subterranea, altera superiora illis imposita; vtraque tria millia quingenta: quorum ea, quæ superiora sunt, ipsi vidimus, & quæ aspeximus, enarramus; subterranea verò auditu percepimus: nam qui Labyrintho præpositi Ægyptiorum, nolebant illa vllo pacto monstrari, quòd dicerent illic sepulchra esse tùm eorum Regum qui ædificandi Labyrinthi fuerunt Authores, tùm sacrorum Crocodilorum. ita de inferioribus docti comperimus, superiora ipsi aspeximus humanis operibus maiora. nam anfractus seu egressus per tecta, & regressus per aulas, vti erant diuersissimi, ita infinitâ me admiratione afficiebant. Ex aula in conclauia transitur, ex conclauibus in cubicula, è cubiculis in solaria alia, è conclauibus in aulas alias. Horum omnium lacunar, quemadmodum & parietes, lapideum est, sculptilibus passim figuris ornatum; singulæ aulæ maxima ex parte digestæ albo lapide, columnarum ambitu redimitæ; angulo quo finitur Labyrinthus, adhæret pyramis quadraginta passuum, in qua grandia sunt insculpta animalia, ad quam iter sub terra fit. Hæc est descriptio ab Herodoto curioso rerum omnium inspectore & admiratore obseruata, cuius descriptionem secutus, libenter hîc totius fabricæ rudem saltem quandam & superficialem Ichnographiam exhibuissem, si per tempus licuisset, vt Lector ex vngue Leonem colligere, & de præstantia ingenij talium operum Architecti conijcere posset. Sed id alibi fortè præstabimus.

Labyrinthi domicilia 3500.

Porrò quæ Hecatæus apud Diodorum de Sepulchro Ismendis refert, non videntur relationi Herodoti & Plinij congruere, cùm aularum, quas Nomos vocant, non meminerit; neque eo ordine, quo Herodotus, domicilia disponat; neque locus, quem citati Authores iuxta lacum Mæridis assignant, concordet. Ait enim, in Thebano territorio illud fuisse extructum; quod cùm multorum dierum itinere à lacu Mæridis distet, haud dubiè (quicquid nonnulli Authores dicant, qui fabricam Sepulchri Ismendis cum Labyrintho confundunt) diuersum fuisse, necessariò asserere cogemur. Quia tamen ex Hecatæi relatione fabrica hæc Ismendis Labyrintho minimè, siue magnificentiam, siue vastitatem spectes, est inferior, hîc eius quoque descriptionem ex ipsis Hecatæi oculati testis apud Diodorum verbis apponemus.

Ismendis Sepulchrum à Labyrintho diuersum est.

Sepulchra quoque, inquit, *Regum priscorum mirabili opere, & quæ minimè æquari à posteris possent, fuisse aiunt. Referunt Sacerdotes, 47 Sepulchra Regia, quorum vsque ad Ptolomæum Lagum 17 tantùm supererant, in eorum libris scripta contineri; eorumque etiam plurima, quo tempore ad ea loca accessimus, absumpta erant, Olympiade 180. Non solùm verò ab Ægyptijs Sacerdotibus hæc traduntur, sed Græci complures, & in his Hecatæus, qui Ptolomæi Lagi tempore Thebas profecti, historias Ægyptias scripserunt, nobiscum sentiunt: de prioribus enim Regum Sepulchris, in quibus traditur Iouis pellices conditas fuisse, recensens singula, Regis monumentum, qui Simendius est, tradit fuisse stadiorum decem; cuius in aditu porta erat vario lapide constructa; & huius longitudinem duorum iugerum, altitudinem 45 cubitorum fuisse ait. Post hanc ingredientibus aderat lapideum peristylium quadratum, cuius singula latera iugera quatuor complecterentur. In eo pro columnis animalia erant sita ex vnico lapide, 16 cubitorum, ad* anti-

Ismendis Sepulchri descriptio.

antiquam formam fabricata. Textura omnis superior tecti confecta ex lapidibus duorum passuum latitudine, varijsq́ stellis cæruleis ornata. Ex hac deinceps alter erat aditus, & in eo porta priori similis, sed sculpturâ vberiori. In ingressu statuæ tres positæ erant ingentes vnius lapidis, Memnonis opus; harum vna sedens, cuius pedis mensura septem excedebat cubitos, cæteras Ægypti statuas magnitudine superabat; duæ præterea vsque ad genu, altera à dextris, altera à sinistris, filiæ & matri, minores positæ. Hoc opus non solùm magnitudine conspicuum, sed arte mirabili, & lapidum natura excellens fuit, cùm in tanta mole neque fissura quæpiam, neque macula inesset. Scriptum erat in eo,

REX REGVM OSYMANDYAS SVM; SI QVIS QVALIS FVERIM, ET VBI IACEAM, NOSSE VELIT, MEORVM ALIQVID OPERVM EXVPERET.

Esse quoque & aliud signum matris ferunt vnico lapide, cubitorum 20, habens supra caput Reginas tres, quæ ostenderent, filiam vxoremq́ & matrem Regis fuisse. Post hanc portam & aliud erat peristylion superiori nobilius, sculpturis varijs, in queis bellum erat contra Bactrianos, qui ab eo defecerant; gestum aduersus hos quadringentis millibus peditum, equitum 20 millibus, in quatuor partes diuiso exercitu, quorum omnium filios Regum gessisse imperium. Prima muri pars obsidionem vrbis (scilicet Bactrianorum) sculptam continebat ab ea parte, qua fluuius muros alluit. Rege deinde cum hoste congresso Leo vnà cum eo terribiliter pugnabat. Secundus paries sculptus erat captiuis absque pudendis, manibusque, à Rege ductis; quæ nota erat illos fuisse animo viles, & corpore imbecilles. Tertium latus sculpturis varijs, picturisq́ decoris, Regis sacrificia triumphosq́ deuictis hostibus continebat. In medio peristylio erat subdialis ara ex pulcherrimo lapide, & opere excellens, & magnitudine mirandâ. In vltimo autem pariete statuæ iacebant duæ ingentes ex vnico lapide cubitorum 27, ad quas tres ex peristylio aditus patebant. Has prope domus erat columnis suspensa, cuius latus quoque duo iugera, id est 480 pedes amplectebatur: in ea statuæ ligneæ haud paruo numero, referentes eos, qui in iudicijs sententias ferrent. Hi ab vna parte muri sculpti triginta numero erant, & in medio iudicij Princeps, cuius à collo suspensa veritas penderet, & oculis esset subclausis librorum cumulo circumstante. Hæ imagines præseferebant, iudices integros esse debere, & solam veritatem inspicere. Deinde ambulacrum erat domibus plenum, in eisque diuersa epularum genera suaui gustu præparata. Sculptus deinde eminentior cæteris Rex varijs coloribus, aurum argentumque, quæ ex aureis argenteisq́ metallis annuatim accipiebat, Deo offerens, cum inscriptione summæ,

MINÆ TER DECIES CENTENA ET DVCENTA MILLIA MILLIVM.

Sequebatur deinde Sacra Bibliotheca, cum inscriptione:

ANIMI MEDICAMENTVM.

Erant

Erant deinceps omnium Ægypti Deorum imagines; Regis quoque dona ferentis, quæ cuiq; competerent Deo. Pone Bibliothecam domus sita erat egregia, in qua 20 essent Iouis & Iunonis lectisternia. Regis insuper statua, vbi & Regis corpus sepultum iacebat. Hanc circumstabant plurima habitacula, in quibus picta cernebantur animantia Ægyptia, omnia sacris apta. Circumibat monumentum aureus circulus cubitis 365 vnius cubiti spissitudine, in quo descripti erant per singulos cubitos dies anni, & astrorum Ortus atque Occasus, quidue ea secundum Ægyptios Astrologos obseruata significarent. Eum circulum ferunt, quo tempore Cambyses & Persæ Ægyptijs imperabant, ablatum. Hoc Osimandri monumentum non solùm cæteris omnibus sumptuosius, sed & artificio excellentius fuit. Hactenus Hecatæus apud Diodorum.

Isinendis in Sepulchro tria maximè miranda. Primò, Statuarum multitudo.

In hac insolenti prodigiosi operis fabrica, tria maximè admiratione digna occurrunt. Primum est statuarum tam multiplicium ex vnico lapide constructarum, quarum singulæ 32 pedum altitudinem habebant, tectumque peristylij loco columnarum sustinebant, artificium. Excedebat has multis parasangis in secundi peristylij aditu ex tribus media, cuius vel pes solus ferè adæquabat altitudinem earum, quæ loco columnarum seruiebant, vtpote 28 pedum, seu septem cubitorum longitudinis. Cùm itaque pedis longitudo sit subsextupla ad totius altitudinem corporis, erat dicta statua, si erecta stetisset (sedentis enim habitu ferebatur) 168 pedum; quam nè Rhodius quidem Solis Colossus adæquasset. Memorantur & aliæ duæ prostratæ, quarum singulæ 108 pedum habebant longitudinem; quæ tametsi priori magnitudine cederent, præstantiâ tamen lapidis, longè superabant. Secundò, quadratum ædificium columnis innixum, cuius singula latera longa 480 pedes, columnis 27 ex integro lapide fulcita; quibus in superiori tecto totidem respondebant, immensæ magnitudinis statuæ ligneæ. Tertium erat aureus circulus, qui circumdabat Simendis monumentum, 365 cubitorum, qui totius anni dies, Astrorumque Ortus & Occasus, Astrologorumque electiones, obseruationesque continebat, erantque singuli gradus vnius cubiti, id est, 4 pedum, tàm in longitudine, quàm latitudine, vti & crassities; diameter eius ex Mathematico ratiocinio 120 circiter cubitorum, id est, 480 pedum erat; ex quo amplitudo loci, quem occupabat, satis colligi potest. Præterea si aureus fuit, vt Diodorus memorat, & non ex ære inaurato; tota circuli moles 3650000, id est, tres milliones, sexcenta & quinquaginta millia librarum pendebat, posito cubitum solidum auri, siue cubum aureum, qui 4 pedes tàm in latum quàm in altum contineat, 10000 libras pendere. Quæ res vix animo concipi potest.

Secundò, quadratum ædificium.

Tertiò, aureus circulus 365 cubitorum solidorum.

Consectarium.

HInc collige, Lector curiose, Architectorum summam Geometriæ tùm in singulis delineandis pingendisque, tùm in singulis fabricæ membris ritè disponendis peritiam & industriam; sculptorum prodigiosas ingenij dotes, in tam enormibus statuis, columnisque ex vnico lapide,

de,

de, seruata humani corporis perfectâ proportione, efformandis, auri quantitatem in vnius Orbis cœlestis fabrica, non minori ingenij, quàm diuitiarum felicitate demonstratam. Quæ sanè opera si paulò penitiùs considero, ausim sanctè affirmare, hosce summi ingenij homines, vti nihil humanarum scientiarum latuit, ita earum ope, humanis quoque operibus, maiora præstitisse, cùm vel in vnica fabrica efformanda omnes artes & scientias, Physicam & Mathematicam conspirasse videam. Quis enim hodierno die simile quid attentare audeat, nisi totius naturæ consultus, nisi totius Arithmeticæ, Geometriæ, Opticæ, Astronomiæ, Mechanicæ, Staticæ, cœterarumque annexarum artium peritia ad miraculum præditus? Nemo itaq; miretur, totius Architecturæ rationem primò ab Ægyptijs ad Græcos, ab his ad Romanos deuolutam, in hunc diem suam adhuc tueri existimationem. *Architectorũ Ægyptiorum excellentia.*

Nil dicam hîc de lacu Mæridis, qui, teste Herodoto, plùs admirationis habet, quàm omnia hucusque enarrata opera. Habet is in circuitu tria millia & sexcenta stadia; vbi profundissimus, est 50 passuum; humanâ industriâ ad aquas Nili stagnantes tùm recipiendas, tùm ijsdem deficientibus ad terram rigandam, excauatus; de eius miraculo vide citatum Herodotum in Euterpe singula exactissimè describentem. Non memoro Thebanæ ciuitatis miracula, quæ apud Strabonem, Diodorum, & paulò antè citatum Herodotum videantur; quæ profectò tanta sunt, vt ipsis Authoribus testibus, nihil in humanis rebus maius & excellentius fieri possit. Atque hæc sunt quæ de Architectonica Ægyptiorum dicenda putauimus, nunc ad machinas calamum conuertamus. *Mæridis lacus. Herodotus. Thebanæ vrbis miracula.*

CAPVT II.

De Mechanica Aegyptiorum.

VIdimus immensas Ægyptiorum fabricas, Labyrinthi inextricabiles errores, præcelsas Colossorum moles admirati sumus; restat modò vt ostendamus, quâ ingenij artisque industriâ, tam insolentes fabricas erexerint. Certè id sine machinis summâ arte constructis perfici minimè potuit. Et primò quidem non nego, maximam hominum multitudinem ad eiusmodi ædificia tùm celeriùs, tùm faciliùs extruenda necessariam fuisse. Nam in sola pyramidis maximæ ædificatione trecenta millia hominum fuisse adhibita, quam & 20 annorum spacio perfecerunt, ita vt in solas cæpas & allia mille & sexcenta auri talenta fuerint erogata, Herodotus Author est: in Obelisco verò Ramesſæo siue Lateranensi viginti millia hominum laborasse Plinius tradit: pari pacto in Labyrintho, cœterisque enarratis fabricis construendis idem contigisse nullus dubitare debet, nisi qui Ægyptum præ cœteris totius Mundi nationibus semper innumerabili propè hominum copia abundasse ignorârit. Sed non obstante excessiuâ illâ hominum multitudine, dico nihilominùs, illa sine adhibitis machinis fieri non potuisse; nec subsistere potest, quod Diodorus asserit, aggeribus eam exstructam, machinis eo tempore nondum *Herodotus. Machinæ necessariæ ad Ægyptiorum opera construenda.*

reper-

repertis. Plinius asserit, exstructos fuisse pontes latericios, per quos saxa immensa ad constitutum locum operariorum vi deuoluerentur; sed neque hoc dici potest, cùm pondera maiora fuerint, quàm vt immediata manuum applicatio ea moueret; pondus enim quod ducentorum hominum ponderi applicatorum operâ moueri non potest, octo aut decem hominum operâ machinis vtentium nullo negotio moueri, Statica docet. Machinis itaque necessariò ad tam immanes moles quà mouendas, quà erigendas vtebantur; quæ quales fuerint, restat explicandum.

Ferri temperandi notitia apud Ægyptios.

Suppono itaque primò, Ægyptios perfectam habuisse tùm cœterorum metallorum auri & argenti, tùm potissimùm ferri attemperandi notitiam, à primis Patribus traditam: quomodo enim tam immensas statuarum moles vel ex vnico porphyrite, vti vidimus, durissimi lapidis genere constructas, sine optimi ferri qualitate & temperamento, fieri poterat vt exscinderent, dolarent, & polirent? nouimus quantum nostri artifices vel in exiguis porphyriticis vasis elaborandis desudent. miram itaque temperiem, nobis prorsus incognitam, habuisse verisimile est, ad montes ipsos porphyriticos penetrandos, saxaq; exscindenda, dolanda, polienda.

Mechanicæ rationes à natura insitæ.

Suppono secundò, Mathematicos Mechanicos, quorum magna pars in hunc finem publicis sumptibus alebatur, in hoc vnicum incubuisse, vt machinis nouis inuentis, superba Regum molimina promouerent.

Suppono tertiò, Mechanicas rationes à natura insitas esse, vti ex motibus corporeis, tollendisque grauioribus ponderibus, aut percutiendis rebus experientia docet; vt vel hinc vectium, malleorumque ratio originem inuenerit: dum enim clauum parieti inserere attentamus, non manu, aut duriori qualibet re manibus inserta, sed malleo, qui instar vectis est, vtimur; sic etiam saxum, non manuum immediatâ applicatione, sed ligno supposito faciliùs vrgere & erigere attentamus; quæ notiora sunt, quam vt dici debeant. His positis, sit

§. I.

De modo & ratione, quam in ponderibus quà trahendis, quà in altum deducendis, Veteres vtebantur.

QVæcunque de Veterum machinis hoc loco dicturus sum, illa extracta sunt ex Veterum Mechanicorum monumentis, quorum primus & omnium antiquissimus fuit Chemmin Ægyptius, vltra tempora Pythagoræ in Ægypto Architectus clarissimus, & admirandorum operum fabricator: ex quo sua pleraque acceperunt Hero Alexandrinus, Philo Byzantinus, & Pappus Alexand. Hic dicitur Architectus fuisse pyramidis magnæ, quam cùm in altitudinem 6 octauarum vnius milliaris erigere cogitasset, tale quippiam in lapidibus quà vehendis, quà in altum attrahendis proposito suo mirificè congruum adinuenit,

Chemmin Architectus Ægyptius.

eum

eum narrant. Porrò in trahendis vehendisque longo spacio saxis immanibus parasse duas scytalas seu cylindros ponderi vehendo proportionatos, strato super eos facto ex solidissimis arboribus, ita tamen vt cylindros non attingerent; & hisce saxa firmiter compacta imposuisse, & tantùm cylindrorum axibus funibus adiunctis, magna hominum multitudine ad statutum locum per coaceruatorum aggerum veluti montes quosdam pertraxisse; & nè in via quicquam impedimenti occurreret, omnes lacunas & inæqualitates semitarum, per quas saxa deuehenda erant, priùs lapidibus, arenâ, terrestribusque molibus oppletas fuisse. Hoc eodem artificio Ctesiphontem & Metagenem filium eius in columnis Ephesino templo destinatis aduehendis vsum esse, Vitruuius tradit. *Saxa trahendi ratio.* *Vitruuius.*

Fuit autem triplex vsitata in grandioribus machinis loco mouendis ratio & methodus: vel enim ex lapidicina ad constitutum locum transuehendi erant, seu terrâ, seu flumine; vel immanes Colossi erigendi; vel denique saxa excelsissimæ molis in locum statutum collocandi. Prima vocabatur ἑλκτικὴ, id est, tractiuâ vi peragendâ; Secunda ὀξεργετικὴ ναυτικὴ, id est, elatrix seu nautica; Tertia manganaria vocabatur. De singulis dicam. *Triplex ratio machinas grandiores loco mouendi.*

§ II.

De Machinis, quibus terrâ ingentes saxorum moles vehebantur.

PRimò ante omnia, vt suprà meminimus, iter per quod moles deuoluendæ erant, nè quod impedimentum aut offendiculum occurreret, impletis fossis, deplanatisque eminentioribus terræ partibus, summo studio & industriâ æquabatur. Quo posito, duplici artificio lapides, similesque moles per iter præparatum ad destinatam stationem perducebant. Philo Byzantinus Antiquos trahâ in deuehendis lapidibus vsos asserit. Erat autem traha vehiculi genus, constans duabus ingentibus trabibus parallelis, quæ radijs transuersis firmiter connectebantur, & infernè laminis ferreis perpolitis inductæ erant, cornibus aliquantulùm incuruatis & repandis. His superimponebant ingentia saxa, & sic ingenti hominum, aut iumentorum multitudine rudentibus applicata, ad destinatum locum deducebant; quæ maximè locum inueniebat post decrementum Nili, terrâ adhuc limosâ & lubricâ. Alterum genus vehiculi erat currus quatuor cylindris seu tympanis grossissimis, ferreisque laminis pariter politis, quæ circumferentiæ inducebantur, instructus; per quorum centra bini axes ex ferro grossissimo, aut ex alio metallo conflati transfigebantur. Supra hos axes pegma ex trabibus pro molium magnitudine construebatur, supra quod deponebatur onus deportandum, ac deinde dicta hominum, aut iumentorum multitudine, loris funibusque crassissimis ad locum suum deferebantur. Vitruuius ait, Ctesiphontem in fabrica templi Ephesini *Philo Byzantinus.* *Traha quid.* *Currus ad deuehendas saxorum moles ingentes.* *Vitruuius.*

 haud

Ctesiphon quomodo columnas in locum suum deportauerit.

haud absimili artificio vsum; ingentes enim columnas in suum locum deportaturus, singulis columnis iam factis axes æneos columnarum axibus correspondentes implumbauit; deinde ingentibus rotis axes dictos indidit, & sic tandem onus rotarum ope ad arbitrium Architecti deuoluebatur: axes verò ænei deinde seruiebant columnis in basibus & capitellis firmiùs stabiliendis. Inspice appositam figuram.



Scytalarum vsus.

Alij dicunt, Veteres scytalis, quibus tabulæ ligneæ politæ & leues insternebantur, vsos, ijsque commissum pondus vectibus ad stationem desideratam versasse: quod non intelligi velim de magni spacij itinere; fuisset enim valde incommoda, perpetua illa scytalarum agitatio, tabularumque ijs superiniectarũ ferè in singulos quindecim passus mutatio; in paruo tamen spacio oneri deuoluendo non exiguum vsum præstare poterant.

§. III.

Quibus machinis dictæ moles aquâ marique deueherentur.

Modus Obeliscos excisos in statutum locum transferendi.

PОrrò Obelisci, quem Ptolomæus Philadelphus 80 cubitorum longum à Rege Nectenabo ex rupe Thebaica excisum Alexandriæ statuit, Architectus fuit Satyrus, vti refert Plinius, & diximus in Obelisco Pamphilio (ex quo quidquid hoc § traditur, desumpsimus). Ratio verò, quâ eum naui impositum Alexandriam deportarunt, hæc fuit. Primò fossam profundissimam, quæ sub ipso Obelisco initium duceret, ad ipsum vsque Nilum effecerunt; quæ deinde aquis Nili repleta, non tam fossam, quam flumen ingens referebat. In hac fossa, veriùs flumine, teste Callixeno Phœnice apud Plinium, duas naues amplissimas ordinabant, quas & lapidibus in tantum onerabant, vt pondus lapidum Obelisci pondere duplo

maius

maius esset. Hoc peracto naues firmiter connexas sub ipsum Obeliscum extremitatibus suis in ripis vtrinque pendentem, remis subigebant. Subactis verò hoc ingenio infra Obeliscum nauibus, naues paulatim lapidum exoneratione alleuiabant, donec Obeliscum pendentem exciperent; exceptum verò hoc pacto per fossam in Nilum, ac deinde Alexandriam deducerent, quemadmodum ex figura II. Schematismi I. positi in Obelisco Pamphilio fol. 90. patet, ex qua facile totius machinationis rationem percipies. Verùm ad dictorum confirmationem adducamus verba Plinij lib. 36. c. 9. *Alexandriæ, inquit, statuit vnum 80. cubitorum Ptolomæus Philadelphus, quem exciderat Nectabis Rex purum, maiusque opus fuit in deuehendo, statuendoq; multò, quàm in exscindendo. A Satyro Architecto aliqui deuectum tradunt rate, Callixenus à Phœnice, fossa perducta vsque ad iacentem Obeliscum è Nilo; Nauesq; duas in latitudinem patulas, pedalibus ex eodem lapide ad rationem geminatis per duplicem mensuram ponderis oneratas, ita vt subirent Obeliscum pendentem extremitatibus suis in ripis vtrinque; postea egestis laterculis alleuiatas naues excepisse onus statutum. Excisos autem sex tales in monte eodem, & artificem donatum talentis quinquaginta.* Hæc Plinius. Simili industria haud dubiè à maioribus per traditionem accepta, reliqui ex posteris in magnis molibus transferendis vsi sunt. Nonnulli volunt Obeliscos ad constituta loca translatos esse eo tempore, quo maxima esset Nili in Ægypto inundatio; aquis enim terras altiùs supereminentibus nihil faciliùs erat, quàm extra alueum Nili in quemcunque Ægypti planioris locum, onus deportare. Quòd si tamen necessitas ita requireret, Obeliscum chamulcis siue cylindris impositum, in locum erectionis deuoluebant; in quo posito primò fundamento, quod vtplurimum saxum siue rupes natiua erat, deinde tandem Obeliscum trabibus tabulisque ligneis, lanâ, fœno, stramine fartis, contra omnem violentiam munitum, ergatorum, trochlearumque ope erigebant.

Quo ingenio Obeliscus Nectabis Alexandriam fuerit deuectus.

Plinius.

Quibus verò nauibus, Obeliscis Alexandriâ Romam aduehendis vsi sint Imperatores Romanorum, Plinius & Ammianus Marcellinus referunt. Augusti Cæsaris nauis, quâ maior eius Obeliscus aduectus fuerat, cùm ceu miraculi instar Puteolis in perpetuam rei memoriam asseruaretur, incendio tandem, nescio quo casu perijt. Nauis verò quâ Caius Caligula suum illum Nuncorij aduexerat, omnibus quæ vnquam in mari visæ sunt, mirabilior, ad Ostiam substitit, vbi à Claudio Caij successore submersa in portus fundamentum cessit turri superexstructa, quæ in hunc diem durat. ita Suetonius in vita Claudij; & Plinius citato loco.

Naues quibus Obelisci vehebantur. Nauis quæ detulerat Obeliscum Augusti, Puteolis incendio perijt. Nauis quæ detulerat Obeliscū Nuncorij, in Ostia Tyberina submersa fundamento turris inseruiebat. Suetonius. Plinius.

Nauis verò quâ Ramessæus Obeliscus à Constantino Imperatore aduectus fuit, crates erat ex trabibus & arboribus ingentibus compacta, trecentis, teste Marcellino, remis instructa. Arbor principalis, præter alias, quibus vela obtendebantur, tantæ erat crassitiei, vt duo eam homines amplecti non possent. Verùm nauis, quantum ex actis Constantij Imperatoris, ex Ammiano Marcellino, alijsque historicis percipere licuit, eius formæ, quam in Obelisco Pamphilio fol. 90 adduximus, fuit, quam consule citato loco.

Naues tres quibus Obelisci ex Ægypti nomen fuerunt reportati.

Trium itaque nauium, quibus Obelisci ex Ægypto in Vrbem portati sunt, meminerunt Authores, duarum Plinius, Ammianus vnius; & eas omnes maximæ cuiusdam & prodigiosæ magnitudinis fuisse testantur. Et de naue quidem, quâ Obeliscum illum suum Augustus in Vrbem inuexit, Puteolis miraculi gratia Naualibus perpetuò dicata, deinde igne consumpta, paulò antè dictum; de ea verò, quâ Caius Caligula suum Obeliscum Romam transuexit, hæc inter alia refert Plin. l. 16. c. 40. *Abies admirationis præcipuæ visa est in naui, quæ ex Ægypto Caij Principis iussu Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorq; truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit; quâ naue nihil admirabilius visum in mari certum est. Centum viginti millia modiorum lentis pro saburra ei fuere, longitudo spatium obtinuit magna ex parte Hostiensis portus latere læuo, ibi namque demersa est à Claudio Principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano puluere, aduectisque.* Libro verò 35. c. 9. ità habet: *Diuus Claudius aliquot per annos asseruatam, quâ Caius Cæsar importauerat, omnibus, quæ vnquam in mari visæ sunt, mirabiliorem, turribus Puteolano ex puluere ædificatis perductam Hostiam, portus gratiâ mersit.* Quæ consentiunt relationi Suetonij in vita Claudij: *Portum, inquit, Hostiæ extruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam solo mole obiecta, quam quo stabilius fundaret, nauem ante demersit, quâ magnus Obeliscus ex Ægypto fuerat aduectus; congestisque pilis supra posuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, vt ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent.* Ad quarum normam Constantium Cæsarem suam illam nauem, quam ab Ammiano Marcellino suprà descriptam, in Obelisco Pamphilio loco cit. exhibuimus, construxisse, verisimile est; fuisse autem ex eo genere nauium, quas Rates siue Crates vocant, dicti Authores expressis verbis indicant.

Plinius.

Suetonius.

Dominicus Fontana.

Qui denique rationem in Obeliscis à Sixto V. erectis obseruatam, desiderat, is Dominici Fontanæ Architecti machinas adhibitas, æri elegantissimè incisas, & à Mercato, Bargæo, alijsque fusè descriptas consulat.

§ IV.

Quibus machinis in immensis molibus extollendis vsi sint Aegyptij: siue de quinque facultatibus motricibus; & primò de vecte & axe in peritrochio.

Hero Mechanicus.

HEro primus fuit, qui de quinque Staticis potentijs ex mente Veterum, vti ipse testatur, egit in particulari libello; ex quo postea Archimedes, Pappus, & tota tandem posteritas, sufficientia sibi ad ponderum elationes adiumenta desumpsit. Ægyptios quoque datâ potentiâ, datum pondus mouere, primos fuisse, qui pollicerentur, Pappus his verbis adstruit. *Cum itaque quinque sint facultates, per quas datum pondus datâ potentiâ mouetur, necessarium est figuras earum, & vsus, præterea etiam &*

Ægyptij datâ potentiâ datum pondus mouebant. Pappus.

nomi-

nomina Ægyptijs vsitata exponere. Traditum autem est ab Herone, & à Philone, qua de causa prædictæ facultates in vnam reducantur naturam, quanquam figuris inter se multum discrepantes. Nomina igitur hæc sunt, axis in peritrochio, vectis, polyspastos, cuneus, & deinde ea quæ appellatur cochlea infinita. Et vt à vecte simplicissimo incipiamus,



Est vectis instrumentum, siue ligneum, siue ferreum, oblongum, quod ponderi suppositum ab vno extremo, ab altero verò deorsum vi motrice pressum, pondus nullo negotio eleuat, vt in figura apparet; vbi D saxum est, vectis AB, hypomochlium C. Nam vt rectè Hero apud Pappum differit, cùm Veteres magna pondera mouere vellent, eaque primò à terra attollere oporteret, ansas autem non haberent, quod omnes partes basis ipsius ponderis solo incumberent; paulùm suffodientes, & ligni longi extremitatem subijcientes sub onus, supponebant ligno prope ipsum onus lapidem, quod hypomochlium appellatur, sicque onus dimouebant. Cùmque ijs visus fuisset hic motus valde facilis, fieri posse sibi persuaserunt, hoc pacto quælibet magna pondera attolli posse; tantò autem faciliùs pondus moueri deprehendebant, quantò hypomochlium saxo vicinius; hâc enim ratione vectis maiorem acquirebat longitudinem; quantò autem longior erat vectis, tantò faciliùs, vt Mechanici demonstrant, pondus mouebatur. Atque hæc sunt prima Mechanices fundamenta, quibus non tam arte, quam naturæ quodam instinctu, omnes vtimur. Neque enim vlla humana actio violentiam aliquam sustinens, assignari potest, quæ non, etiam nobis non aduertentibus, vectis ope perficiatur.

Vectis quid.

Hero Mechanicus.

Vectis vsus prima Mechanices fundamenta præbuit.

Porrò cùm talis subinde ponderum ratio esset, vt vectes munus suum obire non possent, vt fit in ingentibus molibus attollendis; aliud machinæ genus architectati sunt; vt in ea multiplex vectium in circulum dispositio idem præstaret in eleuandis in summam altitudinem molibus, quod vectes in molibus terræ superficiei insistentibus. Et hoc vocabant axem in peritrochio. Erat autem instrumentum ex cylindro & orbita, in cuius circumferentia radij dispositi erant, qui locum vectium subirent, vti in figura sequenti apparet. Ad cylindrum enim AB, cui rota S infixa erat, funes circumplicabant, è quorum extremitate saxum L dependebat; fiebat enim, vt circumducta per radios suos rota cylindrus vnà conuoluens funes, saxum tandem sustolleret. Hanc machinam statuebant vt plurimùm in muris, in quos saxa eleuanda erant; atque ita validè ibidem fir-

Axis in peritrochio.

ma-

mabant, vt pondus sustineret, neque præponderationem vllam subiret.



Huius instrumenti duplex vsus vrat, rectus, & inuersus. Rectus, quando eius ope pondera in altum subleuabantur; inuersus, quando dicta pondera ex longinquo trahebant, vel etiam in altum trahebant; & tunc ergata vocabatur. Dicitur autem inuersus, quia quemadmodum in situ recto, cylindrus Horizonti parallelus; ita hîc eidem normalis siue perpendicularis constituebatur. Verùm ad hunc situm alia quædam requirebantur, vti trochleæ, & arbores polyspastis instructæ: de quibus tunc fusiùs dicetur, vbi primùm, quid per trochleas, cuneos, similesque potentias intelligatur, intellexerimus.

Cuneus Aegyptiacus.

Cuneus Ægyptiacus.

CVneus maximè in lapidicinis vsurpabatur; estque instrumentum ligneum, vel ferreum pyramidalis figuræ, quo immensa saxa finduntur. Hoc enim intra rimam alicuius saxi positum, & vehementi mallei ictu percussum, dum se violenter insinuando intra rimam, ambo latera potenter premit, rupem tandem findit. Habebant autem plura huiusmodi instrumentorum, quibus ordine intra fissuram positis, percussisque, lapis findebatur. In ijs verò locis montium, vbi immensæ moles columnarum, Obeliscorum, statuarum ex vno lapide, eruendæ erant, hâc industriâ vsos esse Veteres, Philo Byzantinus in suo de quinque facultatibus Staticis libello, refert. Supra rupem fundabant ligneam machinam, seu potiùs pegma, cylindro transuerso volubili adornatum; huic cylindro fune crassissimo appendebant chalybeam columnam immensi ponderis; atque infra intra rimam rupis cuneum ponebant magnitudini cylindri chalybei proportionatum; atque sic fune attracto tollebatur cylindrus, quo aliquò vsque eleuato, funem laxantes operarij ipsum in cuneum decidere sinebant; cuius immenso pondere cuneus pressus, magnâ vi findebat rupem, & sic rimæ fissuram sequentes, instrumentorum nouâ adapta-

Philo Byzantinus. Cunei vsus in lapidibus findendis.

tio-

tione, tandem negotium conficiebant. In figura apposita cylindrus ferreus volubilis est AB, cui appensum pondus S; saxum findendum est F,



cuneus rimæ impositus I, cylindrus ferreus plumbo fartus S, funis attollens cylindrum E M, qui elatus, & cadere permissus, magnâ vi in cuneum I illidebatur, vnde fissio petræ sequebatur.

Quando verò è latere rupes findere volebant, hâc industriâ id faciebant, teste paulò antè citato Philone. Muro ingentem trabem ferream *Cunei vsus in rupibus findendis è latere. Philo Byzantinus.*



A B ita adaptabant, vt intra vertebras nullo negotio moueri posset: huius extremitati B ferreum pondus S mallei ad instar appendebant, quod perfectè cuneo I C respondebant; habebat id in extremitate B funem adnexum, trochleæ E circumuolutum, cuius extremitate multitudo hominum pondus S attrahebat, elatumque summo impetu cuneo illidi sinebat; atque hâc violentiâ adhibita rupem findebant. Quod quidem ma-

machinamentum ita concinnatum erat, vt pro rimæ ſindendæ altitudine aut depreſsione nunc alte, nunc demiſſe in quamcunque partem transferre poſſent.

Polyſpaſtus Aegyptiacus.

Polyſpaſtus Ægyptiacus. ALtera facultas fiebat per polyſpaſtum, trochleâ mangano inſertâ, cui funis circumuoluebatur, quo tractum pondus nullo negotio mouebatur. Erat autem trochlearum huiuſmodi diſpoſitio pro magnitudine ponderum varia. Quando vna trochlea adhibebatur, vt in minoribus ponderibus contingebat, tunc vocabatur μονόσπαστος; ſi duæ trochleæ adhibebantur, δίσπαστος; ſi tres, τρίσπαστος; & ſic in infinitum, nominabantur. Erat autem duplex horum polyſpaſtorum vſus; vel enim in altum tollendis ponderibus, vel per terram trahendis ſeruiebant. Verùm vtriuſque machinamentum hîc oculis Lectoris exponendum duxi, vt ipſius repræſentatione machinæ, fuſam eiuſdem deſcriptionem compenſarem.

Polyſpaſti vſus in planis



IK, eſt polyſpaſtus, ſeu quaternæ trochleæ, quarum binæ vtrimque duobus manganis I & K inſertæ ſunt; funis verò alligatur vnco L, & deinde circumuoluitur duabus trochleis minoribus manganorum K & I, & iterum duabus maioribus trochleis eorundem manganorum K & I, tandemque ergatæ OPQ interiori cylindro S circumuolutus inſeritur, in cuius cylindri exterioritate ſuperiori inſeruntur vectes N N, quos multitudo hominum, aut iumenta circumagunt; A B C D E eſt pondus, cui polyſpaſtus I K ab vna extremitate H H cheloni, cui pondus impoſitum eſt, annectitur, altero extremo V terræ firmiter ad reſiſtentiam inſerto. Chelon quid. Chelon verò, quemadmodum eum Philo & Hero appellant, nihil aliud eſt, quàm traha, vehiculi genus, cuius & ſuprà mentionem fecimus, extremitatibus H H repandis, lignis firmiter compacta, ſub quo cylindri R R æquales intra polos verſatiles ponebantur, fiebatque ita, vt ſimul ac vectes N N circumagerentur, cylindrus ergatæ complicatâ chordâ polyſpaſton

paston moueret, polyſpaſtus annexus cheloni H H per funes pondus A B C D E nullo ferè negotio traheret. Sed figura hic appoſita, mentem meam faciliùs, quàm vel copioſa machinæ deſcriptio explicauerit. Habebat hæc machina id quidem incommodum, quòd ad ſingulos centum paſſus, tùm polyſpaſti, tùm ergatæ loca pariter mutare debebant, donec ad conſtitutum locum onus transferretur; cæterùm ingentia pondera huius machinæ ope, nullo penè negotio tranſportabantur. Atque huius machinæ vi templum illud prodigioſum ex vnico ſaxo concinnatum, cuius ſuprà mentionem ex Herodoto fecimus, ex Elephantina vſque in Sai diſtantem viginti dierum itinere, ſpacio triennali tranſlatum fuiſſe, nemo dubitare debet, cùm nec melior, nec expeditior modus haberi poſſit. Atque hæc de ponderibus in plano per polyſpaſtum deducendis ſufficiant. Polyſpaſti incommoda quæ.



Alter machinæ huius vſus erat, ponderibus in altum extollendis ſeruiens. Arborem prægrandem A B, cum tranſuerſa ſuperiùs trabe A E, ſupra pegma C E D V trabibus firmiter connexum, & quatuor rotis ſeu cylindris in extremitate trabium annexis C, D, E, V, vbi opus erat, verſatile, fundabant; è cuius regione ergata Q P L M parabatur, cylindro S O, & vectibus N N, vti in priori, inſtructa; huius ergatæ cylindro S O funis circa S circumdabatur, qui in arboris radice trochleæ V inſerebatur, & inde polyſpaſti è trabe E dependentis mangana I & K orbiculis, vti priùs, circumplicabatur, funis extremitate mangano I affixà, à mangano verò K dependebat pondus A B C. Fiebat itaque vt ſimul ac ergata vectium ope ſollicitaretur, funis circumplicatus cylindro S, & per trochleam V continuatus, circumplicatuſque orbiculis manganorum I & K, pondus in altum ſuſtolleret. Vbi verò periculum erat, nè pondere Polyſpaſti vſus ſecundus in attollendis ponderibus.

prægrauata arbor rumperetur, quatuor aut quinque funibus X T Y F G, ex summitate arboris deductis, terræque firmiter infixis, machina non secus ac malus in nauigio rudentibus vnà cum pegmate versatili firmabatur. Quia tamen machina sæpe mutanda erat, hinc rotæ seu cylindri C D V E pegmati indebantur, vt totam machinam quò vellent, nullo negotio transferre possent. Sed contemplare figuram hìc appositam.

Hoc pacto quælibet in altum vastissima pondera eleuabant. Quòd si pondera (vti erant Obeliscorum, ingentiumque Colossorum moles) maiora essent, quàm vt vnius ergatæ atque polyspasti ope sustolli possent; tunc multiplicabant pro ergatarum multitudine ipsos polyspastos, atque sic summâ hominum aut iumentorum multudine adhibitâ, vnà æqualiter suas singulis ergatas mouentibus, moles tandem, tabulatis priùs, siue ligneo vestimento inclusas, nè damnum alicubi inferretur, aut statuis, aut Obeliscis, summâ vti concordiâ, ita facilitate eleuabant. In pyramidum verò structura, arborem non adhibebant pegmati implantatam, sed machinam quandam ligneam bifurcatam adhibebant, cui trochlea in superiori parte annexa funes complicabant; extra verò basin pyramidis alia machina applicabatur (ergaton ego interpretor) cui alterum chordæ extremum circumplicabatur, quæ machina hominum aut animalium ope circumducta, saxum paulatim in statutum locum ponebat; priorem verò bifurcatam machinam ligneam singulis pyramidum gradibus admouebant, & sic gradatim opus perficiebant, ita vt vel tot essent machinæ, quot gradus pyramidum; vel certè eadem machina de gradu in gradum promoueretur. Verùm audiamus ipsa Herodoti verba libro 2. vbi sic de pyramide Cheopis discurrit. *Fuit autem extructa hæc pyramis in speciem graduum, quas quidam scalas, quidam arulas vocant. Postquam eam principio talem effecissent, attollebant reliquos lapides breuibus machinis è ligno factis, ex humo in primum ordinem graduum leuantes; vbi super hunc gradum lapis erat, alteri machinæ imponebatur, quæ in ipso primo gradu stabat; ab hoc enim deinde in alterum ordinem trahebatur super alteram machinam* (nam quot ordines graduum, totidem machinæ erant) *siue eandem machinam, quæ vna & facilis ad ferendum esset, transferebant ad singulos ordines, quoties saxum amoliebantur.*

Machina lignea bifurcata in pyramidum structura adhibita.

Atque hinc patet apertè, machinas ab Ægyptijs primùm, vtpote qui præ omnibus Mundi nationibus semper maximis & prodigiosis fabricis erigendis animum intentum habebant, feliciter excogitatas, deinde ad Græcos per Dædalum, teste Herodoto & Philone, & hinc ad Romanos translatas fuisse. Hinc Archimedem, hinc Vitruuium, hinc Pappum omnia sua desumpsisse adeo verum est, vt vel ipse Archimedes id fateatur, teste Riualdo in eius vita, dum multa in Ægypto Heronis consuetudine se didicisse ad Mechanicam spectantia sincerè confitetur.

Herodotus. Philo.

David Riualdus.

Restat vltima potentia de cochlea, quam cùm nescio quid difficultatis habeat tùm ad constructionem, tùm ad vsum, non adeo Ægyptijs frequentatam existimo, nec vsum aliquem in ponderibus à terra leuandis habere poterat. Est autem cochlea nihil aliud, Pappo teste, quàm assumptus

Cochlea quid.

ptus cuneus expers percussionis per vectem quoque motionem efficiens. Cochlea dicitur, ab ipsa cochlea seu limacis domo, tortuosis ductibus à natura instructa. Dicitur & Helix, à natura lineæ, secundùm quam construitur. Quæ tamen si commodè adhiberi posset, omnibus meritò recensitis machinis palmam eriperet, ob summam quam in operando habet efficaciam. Sed qui plura de huius effectibus desiderat, is legat quæ fusè de hac Pappus l. 8. tractat ex mente Ægyptiorum, & nostram suo tempore Mechanicam.

CAPVT III.

De Machinis Thaumaturgis Aegyptiorum Veterum.

INscribitur hoc caput de machinis Thaumaturgis Ægyptiorum Veterum, id est, de fabricis miraculosâ quâdam ac tantâ industriâ instructis, vt Authores, quotquot eorum meminerunt, eas non arte humanâ, sed magicâ Dæmonum ope constructas existimârint. Est enim huiusmodi machinis ita comparatum, vt dum occulta & abdita technasmata non comparent, motum tamen & vitam spirent, vehementique admiratione spectatores veluti rei nouitate attonitos teneant. Sunt autem multiplicis rationis. Quædam solo sono, vti Memnonis statua, artis prodebant miracula; aliæ solo motu vitam mentiebantur; nonnullæ aquarum artificio adornabantur. Non deerant quæ & sono, & motu, cœterisque circumstantijs, eâ constituebantur industriâ, vt non immeritò θαυματουργικαί, id est, miraculorum operatrices, apud posteros audierint. Quis porrò harum omnium Architectus fuerit, tam incertum est, quàm incerta est inaccessa huius inuentionis antiquitas, cùm Arabes iam ante diluuium eas in vsu fuisse asserant, vt posteà dicetur. Hesiodus antiquissimus Poëtarum Vulcanum harum inuentorem facit, cùm statuas aureas se quaquauersùs mouentes ab illo fabricatas recitat. Tripodes quoque eum fabricasse hinc inde mobiles, & inter se concertantes, & in locum vnde prodierant reuertentes, scitè describit. Quidam Dædalum à Vulcano instructum, harum machinarum prodigiosis operibus vniuersam Græciam in sui admirationem traxisse volunt. Construxerat is, teste Homero, ope Ariadnæ, pueros, qui manibus porrectis choreas agebant; canem prætereà aureum, animatū vt videbatur, teste Dionysio antiquissimo Homeri interprete, de quo vide Iulium Pollucem. Facit & mentionem fabricarum à Dædalo constructarum Plato in Dialogo, qui Memnon inscribitur, quæ si non ligarentur, fugiebant. huc alludit Aristoteles lib. 1. polit. vbi apertè ait opus non iam fore seruis, si instrumenta etiam obedirent Opifici, sicuti machinæ Dædalo. Verùm Dædalum omnia sua ab Ægyptijs accepisse, Diodorus asserit; quorum peculiare erat, ingeniosis inauditisque machinis omnes in admirationem trahere. Ab his Heron hausit quæcunque de spiritalibus & Automatis scripsit, dum à prædecessoribus se ea accepisse sincerè fatetur. Hinc Pythagoras, Architas, Eudoxus, Apol-

Machinæ Thaumaturgæ Ægyptiorum.

Multiplices erant.

Machinarum Thaumaturgicarum Author quis.

Hesiodus.

Vulcani tripodes.

Dædali statuæ.

Homerus

Dionysius Homeri interpres.

Iulius Pollux.

Plato.

Aristot.

Dædalus ab Ægyptijs instructus.

Diodorus.

Heron ab Ægyptijs sua spiritalia didicit.

Apollonius, cœterique rerum mirabilium famâ celebres Philosophi, sua desumpsisse notius est, quàm vt dici debeat. quæ vel ipse Aristoteles agnouisse videtur in Procemio in Mechanicam suam his verbis: *Cùm itaque vterentur naturâ, quæ in circulo reperitur, opifices varia conficiunt instrumenta, occultantes principium, ita vt pars tantum machinæ appareat mirabilis, non manifestatâ causâ.* quæ confirmat lib. 2. de generat. & libro de motu animalium, vbi motum animalium comparatione quâdam ex machinis automatis desumpta ostendit. Erat itaque ante Aristotelem iam ab immemorabili tempore horum automatorum vsus. Qualia enim horum ope fecerit Philo Byzantius, & Archimedes, qualia Ctesibius Tonsoris Alexandrini filius & Magister Heronis, nota sunt ex Hydraulicis, Organis, Hydrologijs, alijsque machinis automatis, rotarum dentatarum, vitiumque ope animatis, vti Pappus lib. 8. refert: quæ quidem successu temporum in tantam euecta sunt excellentiam & perfectionem, vt nihil quoque modernis opificibus in ea facultate denegatum videatur, vt nos suo tempore in vniuersali nostra Mechanica, Deo dante, vberiùs describemus. Quare ad Ægyptiorum automatas machinas reuertamur; in quibus describendis primò Authores allegabimus, deinde occultas machinarum istiusmodi construendarum rationes, quantum coniecturare licuerit, per totidem problemata aperiemus.

Aristoteles.

Pappus.

§. I.

Statuæ Memnonis modus & ratio.

Memnonis statua, eiusque habitus, & situs.

MEmnona Poëtis cantatissimum nemo non nouit; de quo nonnulla nobis comperta sunt, ijs planè adnumeranda, quæ præcipuè dignâ admiratione sunt in naturæ contemplatione, vel etiam quæ fidem rei nouitate vix impetrant. De hoc simulachro variè à varijs dissertum reperio. Plinius l. 35. c. 7. ex Basalte lapide constructum fuisse narrat, & in delubro Serapidis positum, quotidiano Solis ortu concussum radijs sonuisse. Philostratus verò in Iconibus, *Memnon*, inquit, *in Æthiopia deformatus est in lapidem nigrum, sedentis habitu, Solaribus radijs vbi statua contingitur, veluti plectrum incidens Sol in Memnonis os, elicit inde vocem.* In Tonari Lucianus prodit, Demetrium Sunicum peregrinationem obijsse in Ægyptum, vt pyramides spectaret, ac Memnonem, quòd illas audisset quamuis altissimas, vmbram tamen non iactare; Memnonem verò ad exorientem Solem inclamare. Strabo ibi se adfuisse scribit cum Ælio Gallo, & amicorum multitudine, ac militum, circiterque horam primam sonitum audiuisse, siue à basi, siue à Colosso, siue à circumstantibus de industria factum. *Id enim, inquit, haud quaquam affirmârim, cùm propter incertam causam omnia magis iubeat, vt credam, quàm ex lapidibus sic compactis concinnatisq; crepitum edi.* Pausanias miratur in Magarensium montibus lapidem, quem si quis calculo percussisset, non secùs ac lyra insonaret;

Plinius.

Philostratus.

Strabo.

Pausanias.

Sed

Sed multò me, inquit, *maiori admiratione affecit Æygptiorum Colossus, qui Thebis Ægyptijs est postquam Nilum traieceris; vidi enim ad hoc vsque tempus statuam sedentem iuxta eum locum, quem Syringas appellant; eam plerique Memnonem dicunt, quem ex Æthiopia profectum in Ægyptum venisse arbitrantur. Thebæi Memnonem negant, sed quendam popularem suum esse aiunt, cuius ea statua sit. Audiui etiam, qui hanc Sesostri statuam tribuant; quam Cambyses mutilauerit. Reliquum corpus sedet*, καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίου βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλιστα εἰκάσει τῆς κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς. *Et quotidie insonat oriente Sole, quem sonitum similem dixeris diruptæ chordæ in lyra, vel cythara*. Legimus porrò Apollonium Thyanæum venisse quandoque in Memnonis templum, deque eo ita Damin retulisse. Locum vbi erectum steterit templum, antiquo loco similem fuisse; cuiusmodi multa visebantur in vetustissimis ciuitatibus, vbi & omnium columnarum extant fragmenta, & parietum vestigia quædam. At statuam Memnonis adolescentis impuberis imaginem referre; esse autem ex nigro lapide fabricatam, & ad Solis radios conuersam, vtroque pede solum attingentem, arrectas autem manus sedi inniti hominis surgere volentis similitudine quâdam, & oculorum, & totius corporis habitum quasi loquentis esse hominis; vbi verò Solis radio percutitur, quod matutino euenit, tùm vtique summam parere admirationem, loqui enim tunc perhibent, vbi primus ad eius os radius peruenerit. Nam splendentes oculi lætique ad Solem expositi sunt, veluti eorum, qui valde Solis aspectum tolerare possunt, quos Græci εὐηλίους vocant, id est, Euhelios. Cuius meminit quoque & Satyricus dum canit:

Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci,
Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ. *Horatius.*

Vidimus habitum & situm Memnonis statuæ, restat vt, qui sonum illum prodigiosum ederet, explicemus. Plerique Authores magicum opus fuisse existimant; quod & ego puto, tùm antiquitate operis, tùm statuæ conditione persuasus; si enim artificiosi quid fuisset, & ingenij industriosa inuentio, certè per millenos ferè & centenos annos, quibus ab origine sua vsque ad Apollonij Thyanæi tempora perstitit, effectum suum continuare non potuisset. Talisma itaque fuisse, si vera sunt, quæ Authores paulò antè citati de ea commemorant, siue Dæmonem solitis coniurationibus intra dictam Statuam compactum, qui dictum effectum ederet, verisimiliùs est. Nihilominus, quomodo & idem effectus industriâ naturali confici possit, videamus.

Memnonis statua magicà arte, seu Dæmonis ope sonum edebat.

PRA-

PRAGMATIA I.

Statuam conficere Memnoniam, chordæ sonum, ad orientem Solem, edentem.

Statua Memnonia quomodo naturaliter sonum edere possit.

CVm Historiæ dicant, statuam Memnonis oriente Sole cytharæ sono similem edidisse, quomodo id fieri potuerit, hoc loco, ratiocinio Physico-Mathematico ostendendum duxi. Magnam vim rarefactionem in natura rerum obtinere, nemo ignorat. Fiat basis seu Abacus sta-



tuæ Memnoniæ proportionatus, sitque ABCD, diaphragmate EF distinctus; sit deinde latus Abaci DF ex subtili metallica tabula, quæ facilè ardorem Solis concipiat, Solis ortui obuersa; fiat præterea in fundo diaphragmatis foramen R, per quod canalis ducatur; intra verò diaphragmatis receptaculum ABEF, rota ordinetur subtilis, tenuis, & facillimè mobilis, axe vtrique receptaculi lateri inserto; Rota hæc axe suo versatilis habeat intra exteriorem circumferentiam tabellas ligneas, ceu spatulas quasdam, eidem in orbem insertas, & penneo cuspide instructas. Huius rotæ sic adornatæ circumferentiæ, transuersæ in circuitu tendantur chordæ metallicæ quotquot volueris, ad maiorem harmoniæ varietatem, magnæ & paruæ crassitiei, quæ lateribus alligentur; habebisque machinam ad cytharæ sonum exhibendum accommodatam. Latus enim Abaci DFB, ad orientem Solem conuersum, mox atque ad præsentem Solem incaluerit, aërem intus latentem, ac noctu frigesactum, calore superueniente rarefaciet; qui constringi nescius per canalem R fugam parabit non sine impetu; canalis verò admotus spatulis rotæ in orbem circumuolutis rotam vertet; rota versa, penneis cuspidibus chordas sibi superextensas vehementius sollicitans, tandem adstantibus sonum illum lyræ seu cytharæ similem exhibebit, nemine reconditam ma-

chinationem concipiente. Si verò chordis seu fidibus rem perficere velis, spatulæ rotæ è latere applicentur; circumferentia verò rotæ latiuscula resinâ optimè perfricetur, ita vt tensæ chordæ rotam leuiter tangant; fietque vt rota versa chordas perfricando sonum edat desideratum.

Si verò statuam Abaco superimpositam & motu & sono animare velis, alius canalis ordinandus erit ex fundo diaphragmatis per medium statuæ occultè traductus, quæ ori habeat vnam ex fistulis, quas anthropoglossas, id est, humanam vocem mentientes vocant, insertam, cum mobilibus oculis: per hunc enim canalem aër summo impetu elapsus fistulam animabit, oculosque in motum sollicitabit, vnde statua & sono & motu vitam aptè mentietur. Atque hæc successum suum habere, experientia docuit in simili machina, quam construi curaui; quæ Soli exposita limpidissimam quandam harmoniam edidit, omnesque quos descripsi motus; neque enim quicquam hoc loco tradere decreui, quod non priùs experimento mihi innotuisset. Machinam tamen Memnonis non hâc arte constructam fuisse, sed magicâ, seu Dæmonis inclusi machinamento, inde patet, quod chordæ tanto tempore durare non potuerint. Hinc, vt durent consultius forsan fuerit, rotam circumferentiæ subtilibus pennis, vt in clauicymbalis fit, ei insertis adornare; hæ enim circumgyratâ rotâ chordis illisæ sonum diu duraturum cytharæ haud absimilem exhibebunt. Vt tamen sonus inclusus à circumstantibus percipi possit, foramina in superiori, aut laterali receptaculi parte fieri non inutile foret; hoc enim pacto sonus elapsus, limpidiùs se auribus sistet.

Statua Memnonis quomodo sonum & motum exhibeat.

PRAGMATIA II.

Memnonis aues repræsentare motu & sono animatas.

ASserunt nonnulli Scriptores, aues Memnonias, sepulchro Memnonis assistentes, humanâ voce locutas esse; alij variant. Cremutius, vt est apud Rhodiginum, aiebat huc venire ex Æthiopia aues, & confligere ad Memnonis sepulchrum, quas ob id Memnonidas vocant, idque quinto quoque anno facere. Ouidius verò ex Memnonis cineribus natas asserit.

Memnoniæ aues.

Rhodiginus.

Præpetibus subitis nomen dedit Author, ab illo
Memnonides dictæ, cùm Sol duodena peregit
Signa, parentali moritura more, rebellant.

Quarum & Pausanias mentionem facit, illasque in Memnonis chlamyde expressas comparuisse asserit. Quidam eas solo artificioso motu cecinisse, cum volatus attestatione asserunt: quod quomodo factum sit, explicandum duxi.

Pausanias.

Maneat Abacus vt in priori Pragmatia. Fiant itaque ex quacunque materia auiculæ, intra quarum rostra fistulæ, quæ sonum volucrum imitentur, abscondantur; quibus canalis aëreus per corpus animalium traductus

Memnonis aues cantantes arte exhibere.

ductus connectatur, canalisque fundo diaphragmatis inseratur: fietque vt Sole oriente aër rarefactus latiora quærens spacia, summo impetu per canalem lapsus, illidatur fistulæ orificio, vnde sonus auiculæ audietur.



Motus autem rostri, & caudæ, alarumque hoc artificio instituetur. fiat intra diaphragmatis receptaculum alia rota X O, dentibus suis in circuitu instructa; cui forinsecùs manubrium M N adaptetur, è cuius puncto M filum ferreum deducatur vsque ad corpus auiculæ, alteri vertebræ Y Z connexæ. Rota itaque O X per canalem aëreum circumacta, dentibus manubrium M deprimet; hoc depressum, filum ferreum pariter deprimet, & eodem tempore vertebram Y Z, quæ in Y rostrum eius aperiet, in Z caudam vertebræ innitentem extollet; vnde auicula viuere videbitur, motu rostri, caudæ, & sono. Verùm cùm artificium ex ipsa figura luculenter appareat, longior in eodem describendo esse nolui. Patet itaque, quomodo ex sola rarefactione aëris, & summo impetu per canales partim in rotas, partim in corpora animalium deductos, nullo penè negotio & auium sonus, & motus repræsentari possint. Si quis verò exactiorem omnium huiusmodi descriptionem desideret, is adeat Musurgiæ Librum IX, vbi fusè omnia descripsimus; & suo tempore, si Deus vitam dederit, in Mechanica Thaumaturga pleniùs traditurі sumus.

PRAGMATIA III.

Sphynx Memphitica.

Sphynx Memphitica.

Plinius.

SPectatur hoc simulachrum in hodiernum vsque diem iuxta pyramides Memphiticas; quod Plinius l. 35. c. 12. his verbis describit: *Ante has est Sphynx, vel magis miranda, quasi syluestre Numen accolentium; Amasin Regem putant in eo conditum, & volunt inuectam videri. Est autem saxo naturali elaborata, & lubrica; capitis monstri ambitus per frontem* 102 *pedes colligit; longitudo* 143 *pedum est, altitudo à ventre ad summum apicem in capite* 62. De hac mira fabulantur Authores; consulentibus responsa dedisse; tametsi complures dicant, dolo Sacerdotum id contigisse, hac ratione, quæ sequitur. Habebatur per subterraneos cuniculos in ventrem vsque caputque occultus in simulachrum monstri aditus; constituto itaque tempore, Sacerdotes ex capite, quod vellent, proloquebantur, consulentibusque de rebus difficilioribus responsa reddebant; interiori ca-

Sphynx Memphitica quomodo responsa dabat.

uitate eâ induſtriâ conſtructa, vt ſonus intra eam multiplicatus, dum alium præter os patulum, exitum non inueniret, is per illud ſummo impetu prolapſus, ſuperſtitioſam gentem admiratione & ſtupore attonitam veluti cœleſtis cuiuſdam Numinis voce admonitam, mirum in modum in dicti Numinis, vel potiùs Dæmonis cultum ſollicitam detineret. Quòd ſi molem excipias, cùm non tanta, quantam ipſi putabant, ingenij ſubſit induſtria, de eo quoque ampliùs dicere ſuperſedendum duximus. Qui ingenioſam ſtatuæ loquentis fabricam ſpectare voluerit, is legat, quæ in Muſurgiæ IX. Libro copioſè tradidimus, huius argumenti propria.

PRAGMATIA IV.

Echo quæ tonitru aperientibus conclaue aliquod exhibeat.

AVdiuimus ſuprà Plinio recitante, nonnulla Labyrinthi Thebaici conclauia ita fuiſſe *conſtituta, vt ſimul ac ianua aperiretur conclauis, mox tonitrui inſtar ſonus vehementiſſimus perciperetur; quod quomodo factum ſit, & quo artificio, explicandum duximus. Totum itaque negotium à fornicis diſpoſitione dependebat, quæ cùm eſſet tortuoſa, & varios ſinus voci multiplicandæ aptos diſpoſitos haberet; fiebat, vt ad ſtridorem portæ ſtridor intra ſinuoſa parietum volumina multiplicatus, id quod dixi, tonitru exhiberet. Qui Dionyſiæ auris in Syracuſana vrbe conſtructæ artificium perceperit, facilè rationem dicti tonitrui concipiet. Habet ea ſinuoſum aditum in formam cochleæ adaptatum, eo artificio conſtructum, vt in aditu quiſpiam ſcreans, aut pallium concutiens, vocem tonitrui, aut exploſionem tormenti apertè percipiat. Verùm qui occultæ machinationis rationem luculentiùs deſcriptam intelligere voluerit, is adeat Muſurgiæ noſtræ Librum IX. vbi cùm Dionyſiæ auris architectonicas rationes, aliorumque locorum in Europa paſſim occurrentium, Echonicas Mathematico ratiocinio demonſtramus, facilè quomodo Thebaicæ Echûs fabrica ad tonitru exhibendum conſtructa fuerit, videbit.

Tonitru quomodo artificioſè exhibeatur.

Auris Dionyſia Syracuſis.

PRAGMATIA V.

Serapis orientis Solis oſculo ſalutatur.

NArrauimus ſuprà, Serapidis ſtatuam eo artificio poſitam fuiſſe in templo eius honori conſtituto, vt ſimul ac Sol oriretur, radij eius os faciemque contingerent illius, qui veluti Solare Numen ab omnibus haberetur colereturque. Hoc quomodo factum eſſe potuerit, enodandum exiſtimaui. Erat Serapæum formâ rotundâ, vti omnia Solis delubra, exſtructum, & hemiſphœrico tholo ſpectabile; in cuius medio ſtatua poſita Serapidis, eius magnitudinis, vt vtrinque delubri latera contingeret. Vt itaque totius anni decurſu radij Solis orientis, os faciemque con-

Serapidis ſtatua Solis orientis oſculo ſalutata.

Serapidis delubrum.

tingerent; in basi tholi circulari, iuxta amplitudines Solis ortiuas & occiduas, foramina datâ operâ cyclica, fenestrarum instar, condiderant Astronomico ratiocinio, id est, iuxta amplitudines seu declinationes Solis à puncto æquinoctiali, tam in Austrum, quàm in Boream ita dispositas, vt Sol oriens semper in vnam ex dictis rimis pro amplitudine ortiua vel occidua rectà incideret, & consequenter os statuæ in centro rotundæ fabricæ constitutum, necessariò & infallibiliter contingeret. Vnde mysterij ignara plebs, in opinionem venit, Serapidem à Sole, cuius animam esse rebantur, osculo salutari. Sole verò occidente, nè recessurus infra horizontem insalutato Numine discessisse videretur, osculo eidem impacto veluti perpetuum domino suo tributum pendebat. Verùm rem ratiocinio Mathematico demonstremus. Sit circulus siue basis tholi sphœrica



BECD, intra cuius centrum A caput Serapidis desijsse fingas. Disponantur in circumferentia basis foramina rotunda, intra maximas amplitudines ortiuas & occiduas ita disposita, vt Horizontem perfectè referant. Amplitudo verò ortiua sit comprehensa inter FCG, quorum F hybernam, C æquinoctialem, G denique æstiuam, maximam Solis in Horizonte amplitudinem referat. In occidua pari ratione disposita omnia censeantur. Inter dictam verò amplitudinum latitudinem FG ponantur fissuræ illæ fenestrarum instar; ita vt inter quodlibet signum duæ fissuræ intermedient; fietque vt dum Sol exoritur in primo Capricorni puncto, radius per foramen F introiens, necessariò faciem Serapidis collustret. Idem faciet in puncto C Arietis & Libræ, dum oritur, constitutus; idem in G Cancri æstiuo puncto; idem præstabit in quolibet alio intermedio puncto; idem in occiduis amplitudinis punctis. Cùm enim basis tholi Horizontis plano perfectè respondeat, & radij Solares rectè ferantur in foramina, quæ Solaribus in Horizonte stationibus exactè correspondent; necessariò semper centralis statuæ portionem ferient, vti ex figura apparet; atque adeo semper ad ortum suum, statuæ faciem Sol osculari videbitur. patet itaque propositum.

Quòd si quis vellet qualibet diei hora per totius anni decursum istius

modi

modi spectaculum exhibere, id haud difficulter foret, se hemisphœrium tholi in parallelos Solis præcipuos, siue lineas signorum, quæ exactè parallelis Solis, quos totius anni decursu percurrit, correspónderent, distribueretur, eo ferè modo, quo in superficie hemisphœrica ad horas indicandas, dictos parallelos signorum delineare solemus. Hoc enim peracto, si singulis horarum interuallis in dictis parallelis memoratæ fissuræ fiant, dico futurum, vt singulis horis, queîs Sol datum quemlibet parallelum percurrit, radius Solis faciem Serapidis perfectè tangat. Ratio patet ex constructione; cùm enim in hemicyclo tholi, lineæ tùm horariæ, tùm signorum effigiatæ, exactè cœli faciei, per quod Sol toto anno vagatur, correspondeant, & horaria spacia in cœlo, horarijs in tholo spacijs congruant; consequens est, vt effectus ad datam horam in illuminatione Serapidis necessariò contingat. patet itaque machinamenti Ægyptiaci ratio.

Singulis diei horis statua Memnonis quomodo salutari possit à Sole.

PRAGMATIA VI.

Statua Delubri apici imposita ad Solem se conuertens.

Hanc machinam referunt Arabes à Rege Nacraus confectam, vti in primo Tomo Syntagmate I. Lector curiosus videre poterit verba Arabica, quorum interpretatio est: *Et ædificauit vrbem in Ægypto, cui nomen Salgia, & fecit in ea hortum, cui ex lapidibus varij coloris & obductum auro murum circumduxit, & plantauit in eo varia fructuum genera, quem subterlabebatur fluuius, & plantauit in eo arborem omni fructuum genere feracem, & fecit in eo tabernaculum ex lapide rubro, in cuius apice idolum erat, quod cum Sole conuertebatur &c.* Quomodo autem simulachrum hoc cum Sole circumageretur, restat explicandum.

Duplex modus hoc loco assignari potest huius machinationis; vel sympathicus, vel artificialis. Sympathicus fieri poterat, materiâ quâpiam ad Solem sympathiam habente, quemadmodum de Loto Ægyptia scribit Theophrastus; hæc enim eminentioribus statuæ, leuissimè atque exactissimè supra acuminatum ferrum libratæ, partibus veluti membris inserta, & à Sole attracta, conuersionem statuæ causabit. Vide quæ de hisce & similibus plura in tertio libro Artis Magneticæ de Horologijs Heliotropijs tractauimus. Alter vti parabilior, ita solidior, per rotas conuersionem suam peregisse verisimile est, eo ferè modo, quo hodiernâ die Horologia circumaguntur. Cùm itaque in præcedentibus ostenderimus, Ægyptios dentatarum machinarum notitiam habuisse; nihil faciliùs fuit, quam simulachrum exactè priùs libratum, per rotas conuersione suâ motum Solis metientes, & ponderibus alligatis in motum motui Solis correspondentem animare. Quæ vti nullam difficultatem habent, ita quoque ijs immorari noluimus.

Statua cum Sole conuerti potest dupliciter, sympathicè & mechanicè.

Theophrastus Lotus Ægyptia.

§ II.

De machinis ad sacrificium spectantibus.

ERat ita Ægyptiorum ingenio comparatum, vt non tantùm aras, templa, statuas, mysticâ & exoticâ quâdam metamorphosi transformatas adornarent, sed & multùm quoque tùm ad reuerentiam, tùm ad admirationem sacris conciliandam conferre rebantur, statuis motum ad pantamorphæ naturæ similitudinem indere, vt homines mysteriorum ignari, saltem ex motu, gestis, & actionibus Deorum, veriùs Dæmonum voluntatem cognoscerent. Mirùm sanè, ad cœca mortalium pectora peruertenda, Sacerdotum inuentum. Machinarum autem variæ species erant. Quædam ad introitum templi, nonnulla in aris repræsentabantur. Quæ quidem tanto ingenio concinnabantur, vt non plebs tantùm diuinum quiddam ijs inesse putaret, sed & quotquot de ijs mentionem fecerunt Authores, arte quâdam humano ingenio superiori confectas censuerint. Tales pleræque sunt, quæ in spiritalibus suis Hero tradit, quas ab Antiquis acceptas se in ordinem redegisse his verbis testatur: *Cùm spiritalium tractatio maximo studio digna ab Antiquis tum Philosophis, tùm Mechanicis existimata sit, illis quidem ratione eius vim ac facultatem tractantibus, his verò etiam per actionem ipsam sensibilium; necessarium fore duximus, quæ ab Antiquis tradita sunt, in ordinem redigere, & quæ nos ipsi inuenimus, exponere.* Hero itaque, quæ admiratione digna ab Antiquis tradita, & in opus deducta comperrerat, posteritati consignare voluit; quare singulas ordine machinas hoc loco explicandas duximus.

Machinæ Ægyptiorum spectantes ad sacrificia variæ.

Hero Alex.

PRAGMATIA I.

In Ara magnæ Matris Deorum multimammeæ, mox ac candelæ accendebantur, vbera copiosum lac fundebant.

MVlti ex Authoribus hoc præstigiatorum & Dæmonis arte constructum opus fuisse putant; sed nos apertè Sacerdotum dolosam machinationem fuisse hoc loco ostendemus. ita autem procedebant. Fabrica A B C K L fiebat, columnis suis B K, L C, super quas tholus A B C hemisphœricus concauus imponebatur, instructa; intra quam crater G H, supra quem idolum F mammis protuberantibus effigiatum fundabatur. Columnæ B K, C L, brachia habebant mobilia S, T, quæ sursum deorsumque moueri poterant, candelabris instructa. Claudebatur tholus A B C per trochleam loco A impositam. Hoc peracto, arula M N lacte replebatur; intra quam ex tholo Syphon ducebatur X B K I per fundum vasis K L vsque in supremum locum I arulæ N M; ex fundo verò arulæ alius syphon N M intra statuam porrectus erat, atque in loco F in canaliculos pro multitudine mammarum diuisus; eratque machina præparata.

Magna Deorum Mater lac spargebat fraude Sacerdotum.

Tempore itaque ſacrificij, candelis E, D accenſis, tholi fundus B C calefactus, latentem intra tholum aërem rarefaciebat; hic rarefactus, dum locum euadendi non reperiebat, trochlea obſtructo tholo, per X B K I abitum parans, dum arulæ interiora iam lactis humore repleta reperit, illum impetu ſuo per canalem N M in vbera ſtatuæ protrudit; hæc largifluum humorem foras, non ſine admiratione inſpectantis populi, ſingulari Deorum beneficio conceſſum putantis, intra arulæ craterem G H diſpergunt, durabatque ſolùm ſacrificij tempore. Patet itaque ex dictis propoſitum.

PRAGMATIA II.

Ara Aſpide adornata, in qua igne poſito Iſis & Oſiris vinum & lac fundebant, Aſpis verò ſeu Agathodæmon ſibilando applaudebat.

DEſcripſit hoc Hieromyſtarum machinamentum Hero Alexandrinus, hâc propoſitione: Altari accenſo aſſiſtentia animalia ſacrificabant, Draco verò ſibilabat. Bitho ait, Sai huiuſmodi artificium fuiſſe exhibitum in templo Mineruæ, his verbis: Ἐν τῇ Σαΐτῃ τὸ βωμὸς, ἐν ᾧ τοῦ πυρὸς θαλυσμένου Διόνυσις καὶ Ἄρτεμις γάλακτα καὶ οἶνον ἔσπενδον, καὶ Δράκων ἱερακόμορφος ἐσύριζε. *In Sai erat Altare, in quo accenſo igne Dionyſius ac Diana lac & vinum fundebant, Draco verò accipitriformis ſibilum edebat.* Quomodo igitur hoc contigerit, explicabo. Abaco A B concauo ſuperimponebatur arula C D pariter concaua, cui præminebat Aſpis illa celeberrima, quam Ἀγαθοδαίμονα vocabant. His poſitis, canalem ſeu ſyphonem D E per arulæ interiora traducebant in inferius Abaci receptaculum, è quo tres alij ſyphones egrediebantur. Prior F Y Draconi deputabatur, reliqui duo G M & N X per ſacrificantium corpora traducebantur. His duobus ſyphonibus in M & X connectebantur duo vaſa, in quorum vno lac, in altero vinum infundebatur per operculum, quod ita poſtea obſtrui debebat, nè aëri abeundi locus daretur vllus: è fundo verò dictorum vaſculorum in H & S, Hero Alex.

duo

duo alij ſyphones ducebantur ſuperiùs inflexi, HO & S V, qui in ipſius arulæ craterem deſinebant; & machinam habebant myſterioſis actioni-

bus exhibendis paratam. Tempore enim ſacrificij, ſimul ac ignis accendebatur in arula C D, aër intra arulam rarefactus, maiorem locum quærens, fugæ ſibi conſulebat per ſyphonem D E; & hinc primò per Draconis ſyphonem F Y delatus, ibidem per appropriatam fiſtulam, in quam deſinebat, Draconem ſibilare faciebat; per binos verò laterales ſyphones G M & N X delatus intra vaſcula O H & S V, ibique premens humorem, hic lacteum, illic vineum, per ſyphones trudebat in craterem arulæ; vnde Dionyſius & Diana lac & vinum fundere videbantur, Dracone veluti actionibus eorum ſibilis applaudente. Quæ res cùm à plebe adſtante non perciperetur, neque occultæ machinationis ratio cognoſceretur; mirum non eſt, eam Deorum beneficio id contigiſſe exiſtimaſſe. Cùm enim Oſiris ſiue Dionyſius vitis & lactis inuentor fuerit habitus, Iſis verò Niloticæ aquæ Genius, Aſpis verò Ἀγαθοδαίμων Solaris, cauſa omnium dictorum, vt alibi expoſuimus, ſacrificia verò ad beneficia omnibus communia impetranda, Deoſque placandos fierent; ea iam accenſo ſacrificij igne, impetrata, tùm lactis, vinique ſeu aquæ fuſione, tùm ſibilo Draconis, Dij ipſo facto demonſtrare videbantur. patet itaque propoſitum.

PRA-

PRAGMATIA III.

Sacelli constructio, quâ igne succenso valuæ aperiebantur, & extincto rursus claudebantur.

PRoponit hoc machinamentum Hero c. 37, eratque adornatum, ad Deorum aduentum tempore sacrificij significandum. Sic itaque res se habebat. Supra Abacum intus concauum A B C F ponebatur ara Hero Alex.



E D, è cuius regione porta constituebatur valuis suis instructa. Innitebantur autem valuulæ binis scytalis seu cylindris α β, γ δ, inferiùs acuminato ferro intra matrices versatilibus, & intra concauum Abaci A B C F ita absconditis, vt nihil eorum, quibus valuæ aperiebantur, compareret. Intra hoc concauum præterea ponebatur aliud vas G K, è quo ducebatür syphon G F in aram suprapositam E D; & alius syphon ex eiusdem vasis G K fundo K L M, qui desinebat intra situlam X N. Situla verò ansâ suâ alligabatur fune duplici, quorum vterque scytalis complicabatur; scytalæ verò alio duplicato fune inferiùs complicatæ super rotulam V deducebantur, cui in fine pondus adnectebatur; & machinam habebant paratam. Tempore itaque sacrificij, igne supra aram E D accenso, aër intra concauum aræ rarefactus descendebat intra vas G K, vltra dimidium, per foramen P, aquâ priùs repletum; foramen postea ita claudebatur, nè aër ibidem diffluerat alicubi. Aër itaque dilatatus, liquorem in vase G K pressum, per canalem K L M protrudebat in situlam N X: situla aquâ prægrauata, dum paulatim subsidendo chordam trahit, chorda tracta scytalas vertit: versis scytalis, valuæ quibus scytalarum extremi axes

con-

connectebantur, aperiuntur; ſitulâ verò humore repletâ, aqua per ſyphonem tortum θ V ſitulæ coagmentatum, paulatim ſeſe intra vas ſubditum deonerat, ac proinde leuior ſitula reddita, ſurſum in locum vnde remeârat, pergit; pondus verò ſunis, qui ſcytalas complicabat, deorſum contrà vergens ſcytalas vertebat, quarum verſatione portæ claudebantur, adeoque ſacrificium, omnium adſtantium ſtupore, myſterioſâ quâdam operatione peragebatur. Nonnulli volunt, porta aperta, varia Deorum monſtra & choreas ſaltantium comparuiſſe; quod quomodo factum ſit, difficile non eſt cognitu; quod & libenter hoc loco adnotarem, niſi id fuſiſſimè in ſuo de Automatis Opere Hero præſtitiſſet; quare Lector eum conſulat, vbi & habebit, quomodo ignis ſeipſo accenderetur, ſtatuæ in Orbem actæ vinum alioſque liquores funderent, Triton tubâ caneret, ſimiliaque ibi vbertim deſcripta.

PRAGMATIA IV.

Rotæ verſatiles aquam luſtrationi neceſſariam fundunt.

DIcit Clemens Alexandrinus l. 6. Strom. in ſacris Ægyptiorum rotas quaſdam fuiſſe, quæ dum verterentur, aquam abundè & luſtrationi neceſſariam fuderint: quorum myſtica ratio, cùm in Obeliſco Pamphilio ſat ſuperque deſcripta ſit, hìc in illa explicanda morari noluimus. Verba tantùm Heronis adducam, qui cap. 31. Pneumaticorum inter cætera, huiuſmodi artificium proponit ab Antiquis vſurpatum. *In ſacris*, inquit, *Ægyptiorum adporticus rotæ æreæ verſatiles fiebant, vt qui ingrederentur, ipſas conuerterent, propterea quòd æs purgare viderentur; ſunt autem & vaſa ad inſperſionem, vt ingredientes aſpergantur*. ita autem conſtrui poſſunt. Fiat



Rotæ verſatilis conſtructio ad aquã luſtralem fundendam.

poſt porticum, ſiue intra parietem porticus, vas amplum A B, & aliud inferiùs H L, diaphragmate H B diſcriminatum: habeat autem vas A B in-

fundo

fundo C canalem ductum in vas H L, inferiùs in D æneæ matrici coagmentatum; per matricem verò alius canalis traducatur E M F in modum axis, qui in F & M tanquam polis insertus versatilis sit; habeat autem hic canalis foramen in G, quod orificio canalis C D intra matricem exactè respondeat; canalis in E quoque rotam mysticam N S habeat insertam, in cuius centro orificium canalis desinat in caput Leoninum. Hoc peracto, si rota seu canalis H S per manubria vertatur, axis E M F eidem insertus, & intra matricem D circumactus, mox vbi foramen foramini canaliculi C D congruerit, aqua vasis A B per canaliculum C D intra canalem E M F, se insinuans, magno impetu per E, & os Leonis foras erumpet. Si verò foramen axis foramini matricis non congruerit, aqua quoque non fundetur, cùm crassitie axis exteriori, foramen matricis exactè obstruatur. Totum itaque artificium in hoc collocabatur, vt axis E M F concauo matricis quàm exactissimè insertus, facilè tamen intra illud versaretur; & nihil aliud erat, quàm epistomium quoddam, quo hodiernâ die vtimur quàm familiarissimè, in omnibus ferè dolijs, canalibusque fontium tùm claudendis, tùm aperiendis. Quâ ratione itaque versâ rotâ, aqua Nilotica dispergeretur, ex hoc artificio patet. Innuebant autem per rotam supernas Intelligentias, quas Iyngas vocabant, supremi Numinis ministras, cuius influxu Mophta humidæ naturæ Præses aquam suppeditabat sacram, tùm rebus omnibus producendis, tùm lustrationibus eumprimis necessariam.

PRAGMATIA V.

Ara Deorum imagines tripudiantes exhibens.

Refert Hero in Automatis, Ægyptios subinde integras fabulas aut historias repræsentasse in aris; quod artificium proponit quoque c. 71. suorum pneumaticorum his verbis: *Si in ara aliqua accendebatur ignis, animalia,* id est, *figuratæ imagines choreas agere videbantur.* Quomodo itaque dictum machinamentum constructum fuerit, dicere aggredimur.

Rota versatilis Deorum tripudia exhibens.

In Heronis exemplari machina ita constructa fuit, vt impossibile sit, eum effectum sortiri potuisse; quare eam paulò aliter exhibendam duximus. Ara erat C D in formam tympani extructa; in cuius superiori loco alia quæpiam arula A B construebatur, sacrificijs & igni accendendo apta. His positis, syphon I E ex fundo arulæ A B ducebatur in fundum tympani C D, & deinde alius syphon ex vase C D ducebatur in vas inferius X Y. Syphon hic signatur literis Q R Y coagmentatus in vtroque fundo R & Y vasorum C D, & X Y, qui & in Y incuruabatur. Fiebat prætereà è leuiori materia rota, M F G H, in centro suo supra acutissimum stylum posita, vel leuissimo motu versatilis, in qua

exponebantur Deorum imagines in varias figuras animalium transformatæ; motus verò illis hâc induſtriâ indebatur. Tempore ſacrorum peragendorum conſtituto, igne in arula A B accenſo, aër intra arulam rarefactus, ac maiorem locum quærens deſcendebat per ſyphonem I E, & hinc per ſyphonem Q R Y foras erumpebat; qui mox dentes, qui in M F G H rotæ exteriori circumferentia diſpoſiti erant, impellens, rotam Deorum imaginibus adornatam vnà verſabat, quæ vndulato motu Deorum ob collata ſacrificia veluti tripudiantium choreas eminùs ſpectantibus exhibere videbatur. Horum maximè Menem Regem, (Chomniſeo Architecto) delectatum ferunt. Erant autem ſyſtemata huiuſmodi eâ artis induſtriâ concinnata, vt in obſcuris adytis ad lucernarum lumen, Numinum motus propè viuum exprimerent. Callidum ſanè inuentum ſiue Sacerdotum, ſiue Cacodæmonis, ad ſtolidam & imperitam plebem in idololatricæ ſeruitutis inſania, quà mirum in modum laborabant, detinendam. Ita vt ad Deaſtrorum cultum, nihil validiùs, nihil efficaciùs excogitari potuerit.



§. III.

De Clepſydris, ſeu horologijs Aegyptiorum.

Horologia Ægyptiorum hydro-pneumatica.

AEgyptij, vti ad electiones ſuas ritè inſtituendas multùm intereſſe putabant, exactam temporis horarumque obſeruationem; ita præ cœteris quoque Nationibus inſignem eos horographicæ doctrinæ notitiam habuiſſe, eique vnicè incubuiſſe, tot & tam diuerſa horologia, quibus vtebantur, ſatis declarant: imò eadem Hero integro libro ſe deſcripſiſſe in pneumaticis refert; ſed hic vetuſtate temporum perijt. Quantum tamen ex Pappi, & ipſiuſmet Heronis verbis colligere licuit, fuerunt pleraque hydropneumaticâ arte inſtituta, vti ex paulò poſt adducendis technaſmatis luculentiùs patebit. Notandum itaque, triplex Ægyptijs in

Hero. Pappus.

in vsu fuisse horologium, Artificiale, Naturale, Mixtum. Artificiale diuidebatur in Sciathericum & Hydraulicum. Naturale conficiebatur ex rebus occultum motionis ad Solem instinctum habentibus. Mixtum ex vtroque comparabatur. Et de Sciatherico quidem suprà in Astronomia Ægyptia copiosè tractatum est; restat vt de reliquis hoc loco disseramus. Horologium triplex Ægyptijs vsitatum

PRAGMATIA I.

Cynocephalus Aegyptius ex veretillo aquas fundens, horas in subiecto vase demonstrat.

INdicat huius Horologij machinamentum Horapollo his verbis: *Rursus æquinoctia significantes idem animal Cynocephalum sedentem pingunt; duobus enim anni æquinoctijs, duodecies in die, per singulas nimirum horas vrinam reddit; idemque noctu facit: quare non immeritò suis hydrologijs Ægyptij Cynocephalum sedentem insculpunt, è cuius membro* (scil. veretro) *aqua defluat; idque propterea, quòd duodecim, vt iam dixi, in quas Æquinoctij tempore dies & noctes ex æquo diuiduntur, horas significet. Cæterùm nè foramen illud acutè artificioseque constructum, per quod in horologium aqua profluit & excernitur, aut latius fit, aut rursum arctius* (vtrumque enim magni refert, siquidem latius cùm magna celeritate aquam profundat, non rectè horæ modum ac dimensionem perficit; angustius autem paulatim ac lentiùs quàm par sit, aquæ ductum laxat) *remedium hoc excogitarunt, vt quicquid pilorum est ad caudam vsq; abradentes, pro huius crassitudine ferream quandam fistulam in vsum iam dictum fabricentur. Hoc autem ipsis visum est non sine ratione aliquâ, sicuti nec in cæteris, facere; & quod etiam solus ex omnibus animalibus in æquinoctio duodecies in die per singulas horas adlatrat.* Modum hydrologij hieroglyphici ab Horo recitatum audiuimus; nostrum porrò erit, quâ illud industriâ constructum fuerit, hoc loco ostendere. Primò itaque ex ære faciebant Cynocephalum sedentem, intus concauū, cuiusmodi hodie in Regio Musæo Montis Pinciani, à Francisco Gualdo Equite Ariminensi, ostenditur. Hunc ponebant supra Abacum AB tetrastylon, siue quatuor columnis innixum, intra quem ponebatur vitreus cylindrus CD, cuius basis claudebatur, in superiori parte apertus. Intra hunc vitreum cylindrum diabetes EF ordinabatur, cuius interior canalis IK basi cylindri perfectè coagmentatus, in vas suppositum GH desinebat. In cylindri vitrei, vel etiam in ipsius diabetis circumferentia horæ duodecim intra totidem circulos describebantur, vt figura sequens docet. Hoc peracto, per orificium M Cynocephalus aquâ Niloticâ, cuius symbolum erat, replebatur, quæ per veretillum Cynocephali in cylindrum vitreum deplebatur. Et quoniam veretilli canalis eâ industriâ erat constructus, vt per illud aqua spacio duodecim horarum exactè depleretur (quod ad Sciathericum exactè factum explorabant (ideo diabetes quoque EF, vnà cum cylindro vitreo, Horapollo. Cynocephalus hydrologicus.

eâ proportione dispositi erant, vt spacio 12 horarum & cylindrus impleretur, & diabetes depleretur, vt iam dicemus. Aqua enim ex veretillo Cynocephali intra cylindrum vitreum C D lapsa, sese paulatim intra diabetem F E insinuans, spacio duodecim horarum crescebat vsque ad E, & illinc per orificium canaliculi I lapsa in vas G H, per orificium K sese alijs duodecim horis deonerabat; fiebatque vt cylindri vitrei duodecim circulis aqua primùm crescendo duodecim horas diurnas intra cylindri latera demonstraret; & intra eadem, aqua per diabetem sese exonerans decrescendo horas nocturnas monstraret. Die verò naturali elapso, Cynocephalo ad horologij continuationem noua aqua affundebatur, exemptâ priùs aquâ vasis G H per canalem L. Atque hæc erat ratio hydrologij Ægyptiaci ab Horo descripta. Notandum tamen, spatia horaria cylindri esse inæqualia, & aliam diuisionem faciendam pro horis diurnis, aliam pro nocturnis. Aquâ enim per syphonem I K se exonerante, spacia horaria necessariò maiora erunt, proportionaliter decrescendo vsque ad D. Contrarium fit in aqua intra diabetem ascendente. Nota quoque canalem I K non cuiuscunque amplitudinis esse debere, sed ita proportionatæ, vt spacium I K inter lineas horarias, duodecim horarum fluxum exactè adæquat. Cynocephali figuram iuxta consuetudinem Veterum expressam, cuius ænea figura hodie reperitur in Musæo Regio Montis Pinciani, Francisci Gualdi Equitis Sancti Stephani, vt suprà diximus, vide in Obelisco Pamphilio.



PRAGMATIA II.

Hydrologium horas diurnas & nocturnas monstrans.

ERat Ægyptijs, teste Herone, Horologium, quod cum exoriente Sole continuò aquam fundebat, quæ intra vitrea vasa crescendo vel decrescendo, tùm diurnas, tùm nocturnas horas demonstrabat. Sic autem fiebat. Supra Abacum tetrastylon F G, plumbea, ærea, vel vitrea sphæra, subtili folio elaborata, horologij magnitudini proportionata ponebatur, quam vltra medietatem aqua replebant: habebat autem intùs sypho-

phonem reflexum E D, cuius extremum D intra sphœram apertum, alterum fundo sphœræ coagmentatum, intra tetrastylon desinebat; intra quod vitreus cylindrus ponebatur duodecim circulis, vti in præcedentibus diximus, horarijs distinctus. Intra hunc cylindrum diabetes ordinabatur H I eiusdem cum syphone reflexo, qui intra sphœram collocabatur, capacitatis & longitudinis; hic diabetes fundo vitrei cylindri exactè coagmentatus desinebat orificio suo K in vas M L, cui superponebatur. Totum itaque hoc hydrologicum Systema oportuno loco expositum, sphœra vltra medietatem, vt dixi, aquâ repleta, & per trochleam Horologium hydraulicum.

III.



A prius exactè, nè aër difflare posset, conclusâ, mox ac radijs solaribus percutiebatur, aërem in superiori sphœræ regione stabulantem rarefaciebat; hic rarefactus premebat aquam; aqua pressa cùm locum euadendi non haberet nisi per syphonem reflexum, in eum per osculum D intrans, se exonerabat in cylindrum vitreum, ibique horatim ascendendo tùm extra, tùm intra diabetem H I eâ proportione, quâ ex syphone reflexo, id est, duodecim horarum spacio dilabebatur; vbi verò ad duodecimæ horæ circulum peruenerat, ibi eodem temporis puncto intrabat canalem S K, seque eâdem proportione per orificium K exonerabat in vas M L, id est, horas nocturnas ordine intra circulos descriptas, demonstrabat. Et sic singulis diebus oportebat sphœram denuo ad dictum terminum apertâ trochleâ A replere, ad nouam horarum demonstrationem. Atque

S K,

hoc hydrologium ingeniosum quidem erat, & horis Astronomicis ostendendis accommodatissimum, sed, sicut & præcedens, non nisi diebus æquinoctialibus, cùm dies artificialis nocti æqualis esset, horas perfectè demonstrabat: cùm enim antiquum horologium sequerentur Ægyptij, in quo singuli dies in duodecim quidem horas, vti & noctes, diuidebantur, ideoque dies & noctes tantò longiores breuioresque erant, quantò tropicis viciniores; stabilem & constantem mensuram in aquæ lapsu vt haberent, fieri non poterat. Quomodo itaque horologium construi possit, vt dictæ dierum ac noctium horæ per totius anni decursum constanti lege ostenderentur, explicare aggredimur.

Horologium hoc, & præcedens solùm horas æquales monstrabat.

PRAGMATIA III.

Hydrologium antiquum Aegyptiacum, quod horas inæquales demonstret.

Horologium horarum inæqualium.

MAchina constituatur loco opportuno, vbi perpetuæ aquæ suppeditatio existat; sitque caput Leoninum, siue Momphta A, quod intra receptaculum B C, aquam effundat; & nè exuberet dictum vas, per canalem T V exoneretur. habeat autem vas B C intùs syphonem reflexum D, per quem aqua se exoneret in vas vitreum, quod ponetur intra tetrastylon G G H I, cuius columnis insistit receptaculum B C. tetrastylon hoc insistat alteri receptaculo H I K L, intra quod per diabetem E F, aqua intra cylindrum vitreum ex syphone D vasis B C dilapsa se exoneret. Atque hæc est fabrica machinæ; sequitur horarum inæqualium in cylindro vitreo delineandarum modus. Vt itaque totius anni decursu, aqua intra vitreum cylindrũ inæquales horas exactè demonstret, sic procede. Accipe priùs chartam altitudini cylindri vitrei EF æqualem; intra hanc separatim lineas horarias hoc pacto depinges. Vide loci in quo hydrologium constituendum est, maximam & minimam diei longitudinem; quæ Memphi erat quatuordecim, & decem horarum. Deinde describatur parallelogrammum A B C D, cuius latera A C, B D singula in 24 partes æquales diuidenda sunt. Latus verò frontis A B in sex æquales partes diuidas per septem lineas, quæ parallelæ descendant in basin C D; quibus singulis characteres signorum, vti in figura sequenti apparet, inscribantur. Hoc peracto, in latere A C, inferiùs incipiendo, numerentur decem spatia, & in latere B D quatuordecim; & per terminos ducatur linea recta E F. hoc posito, spatium E C, vti & F D, diuidatur in duodecim æquales partes, & per horas correspondentes ducantur lineæ rectæ.



ctæ. Eâdem ratione ſpacia E A, & B F partieris; quod fiet, ſi ſpacia horarum F D traducas in E A, & ſpacia horarum C E in lineam F B: ductiſque lineis rectis, habebis



hydrologij lineas, ad horas monſtrandas, paratas. Totum hoc parallelogrammum depinges ſupra vitrei cylindri ſuperficiem, & habebis totum negotium confectum. Aqua enim exonerante ſe per ſyphonem D reflexum in cylindrum vitreum, eâ ratione, vt aqua ſpacio 24 horarum cylindrum præcisè impleat vſque ad A B; fiet neceſſariò, vt aqua in latere A C, dum percurrit ex C in E, quantitatem diei minimi decem horarum per duodecim horarum ſpacia, in quæ diuiſa eſt pars C E, metiatur; in V verò duodecim horas æquinoctij, in F denique quantitatem diei maximi quatuordecim horarum per duodecim ſpatia, in quæ diuiſa eſt pars D F, exactè demonſtret; & ſic in reliquis lineis ſignorum conſequenter fieri iudicabis. Poſt E F verò incipiet aqua paulatim creſcens monſtrare horas nocturnas. Vbi verò aqua ad vltimam lineam peruenerit, incipiet ingredi diabetem E F, atque per eum, eâdem proportione motus, quo intra vitreum cylindrum creuerat, ſeſe euacuabit in vas ſuppoſitum H I K L; hâc tamen cautione, vt aqua, quæ horas Sole in Capricorno exiſtente demonſtrauerat in ſpacio C E creſcendo, eaſdem in ſpacio B F decreſcendo demonſtret; pari pacto, aqua, quæ Sole in Cancro exiſtente, horas demonſtrauerat in ſpacio F D creſcendo, eaſdem decreſcendo demonſtret in A E ſpacio, vti numeri adſcripti luculenter monſtrant. Eadem eſt ratio de reliquis ſignorum lineis; ita vt ſemper aquâ decreſcente linea oppoſita illius lineæ, per quam creuerat, accipienda ſit, vti characteres ſignorum in baſi monſtrant. Eſt itaque hoc hydrologium perpetuum, ob perpetuò fluentis aquæ per os leoninum fluxum. Totum itaque artificium conſiſtit in ſyphonis reflexi & diabetis conſtructione, quorum vterque ad eam tenuitatem ſubtilitatemque reduci debet, vt aqua receptaculi B C, per ſyphonem D, ſpacio 24 horarum cylindrum G I præcisè impleat, & eodem prorſus tempore eadem per diabetem E F in vas H I K L ſe depleat; quod quidem haberi non poteſt, niſi per obſeruationem ad dicti temporis ſpacium: deinde vaſorum proportionis ſumma cura tenen- *Horologium hoc perpetuum eſt.*

nen-

nenda est. Verùm cùm perpetuò fluente aquâ, semper quoque cylindrus plenus foret; hinc os leonis habeat epistomium, vt quando aquâ cylindrus vitreus fuerit plenus, claudatur, donec tota aqua spacio viginti quatuor horarum se depleuerit; & deinde pro noua horarum demonstratione postero die reseratur; atque adeo semper alternis diebus naturalibus claudatur atque reseratur epistomium. Procurauimus autem perpetuò fluentem aquam hac de causa, quia quamdiu receptaculum B C plenum fuerit aquâ; aqua consequenter cum æquali prorsus impetu per syphonem lapsa, æquale intra vitreum cylindrum incrementum causabit; quod non fieret, si aqua in vase B C, paulatim deficeret, vti fusè in Mechanica nostra hydrostatica demonstrabimus.

Vsus Horologij.

SI horam cognoscere velis, quære primò lineam signi, in quo Sol currente tempore existit, & vide vbi dictam lineam aqua vasis intersecet; linea enim horaria, quam ibidem tangit, est hora inæqualis quæsita. Et aquâ quidem crescente intra vas vitreum, accipe signa in fronte A B notata; eâdem verò decrescente accipienda sunt signa in basi C D descripta, prout in præcedentibus tradidimus. Hydrologium itaque quod horas inæquales totius anni decursu demonstrat, construximus. Atque hæc sunt quæ de Mechanica Ægyptia indicanda duxi. Qui plura de mirabilibus Ægypti nosse desiderat, is Arabum historias legat, potissimùm verò Schiangia celebrem Authorem; Salamas Kandati, in Opere quod *Hortum mirabilium Mundi* nominat; Ioseph Ben Altiphasi, aliosque innumeros passim in præcedentibus allegatos; quorum de Ægyptiacis portentis narrationem hoc loco libenter adducerem, nisi id in primo Tomo Oedipi præstitissem. Accedit, quòd cùm pleraque Dæmonum ope & magicâ arte constructa tradantur mirabilium rerum technasmata, consultò ea omittenda existimauerimus.

CLASSIS IX. IATRICA,
SIVE MEDICINA HIEROGLYPHICA.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

IOANNI PHILIPPO,

Sacræ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo, ac S. R. I. per Germaniam Archicancellario, Principi Electori, nec non Herbipolensi Episcopo, & Franciæ Orientalis Duci,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QVANTVS sit, Eminentissime S.R.I. Princeps Elector, *virtutum* Tuarum *splendor & magnificentia, non est quod scriptis meis memorem; nouit id Orbis, testabuntur Historici, quibus iam dudum thema dictare cœpisti, quo quanto consilio, prudentiâ, & authoritate in Augusto Imperij theatro* Te *gesseris, quanta rerum ingentis momenti tractandarum dexteritate valueris, posteritati innotescet. Et tametsi incumbentium* Tibi *huiusmodi negotiorum onere sanè Ætnâ grauiore perpetuò premaris; nulla tamen tanta* Tibi *accidere possunt, quæ* Te *ab eruditorum Virorum, quos amas, fouesq; , consuetudine, reconditiorumq; artium capessendarum desiderio auellant. Quin si quandoque liberiorem à negotijs auram nactus fueris, de abditis rerum naturalium causis, de medicis herbarum, lapidum, animaliumq; viribus tam scitè disceptas, tam singula profundè euoluis, tam subtili ratiocinio cuncta penetras, vt Virorum longo vsu & experientiâ in ijs facultatibus exercitatorum industriam multis parasangis superare videaris. Vt proinde hisce compulsus, cui in hoc Cæsareo Oedipi Opere de veterum Ægyptiorum medicina argumentum libentiùs inscriberem, præter* Te, *digniorem censuerim neminem. In quo, nisi me communis philautia fallit, forsan haud ingrata, sed apposita ad ingenium* Tuum *pascua reperies, quibus mens* Tua *publicis negotijs fessa, in peramœna quædam herbarum plantarumq; viridaria, veluti in dulces quasdam, vt cum Thucydide loquar,* τῶν πόνων ἀναπαύλας *introducta relaxetur, instaureturque. Quæ quidem si* Celsitudini Tuæ Electorali *non displicuisse cognôro, animum addes, vt hâc* Tuâ *benignitate & clementiâ stimulatus alios & alios, glorioso Nomini* Tuo *reseruatos, in lucem propediem educam ingenij partus. Vale* S. R. I. Princeps Elector, *& quem hucusq; humanitate & beneuolentiâ fouisti, porrò fouere non desistas.*

CLASSIS IX.

Iatrica, siue Medicina hieroglyphica.

PRAEFATIO.

Medendi triplex modus apud Ægyptios, Physicus, Eucheticus, Amuletarius.

CVM magna hieroglyphicarum inscriptionum portio Medicinæ Ægyptiacæ arcanis referta sit, de eius origine, inuentione, & applicatione hoc loco opportunè differendum existimaui; vt quibus illa potissimùm constet, innotescat. Erat autem Ægyptijs triplex medicinæ institutum in vsu. Primum erat Physicum seu Oeconomicum, quo per vegetabilis naturæ remedia omnibus communia humani corporis infirmitates depellebantur. Secundum dicebatur εὐχητικὸν *Eucheticum siue precatorium, quo per preces hymnosque Deorum morbos quoslibet fugare se posse credebant. Tertium erat* περιφυλακτικὸν *siue Amuletarium seu characteristicum, siue sidereum aut astræum, quo per figuras Deorum singulis morbis præstitutorum varijs hieroglyphicorum symbolis adornatas, perque adiunctam adiurationem, Deastris attractis hominem pristinæ sanitati, à quacunque infirmitate tandem detineretur, restitui sibi persuadebant. De quibus singulis ordine tractandum duximus, hoc vnicum intendentes, vt prauarum artium dogmata, quæ in hæc vsque tempora, Dæmone seminatore, radices suas propagarunt, extirpentur; atque ita, quod vnicum institutum nostrum est, hieroglyphicæ doctrinæ arcana, per veridicam interpretationem, aperiantur.*

CAPVT I.

De Origine, inuentione, & conditione, Medicinæ Veterum Aegyptiorum.

Adami medendi arte à Deo instructus, eam posteris suis tradidit.

PROTOPLASTVS Adam, vti infusa sibi rerum omnium scientia diuinitùs instructus fuisse legitur, ita insignem quoque medicarum facultatum lapidibus, plantis, animalibus insitarum notitiam habuisse certissimum est. Cùm enim post lapsum eius humani generis massa corrupta, innumerorum malorum infirmitatumque tyrannidi subijceretur; hæc scientia ad hominum salutem parandam prorsùs necessaria videbatur, nè homo omni diuino humanoque auxilio destitutus, Dei misericordiam, quæ finem non habet, ceu oppidò rigidam incusare posset. Sapienti igitur Dei consilio factum est, vt Adamus scientiam rerum naturalium sibi communicatarum Posteris suis traderet, nè homo tot malis pressus, veluti desperatione in transuersum actus, omnem resurgendi spem abijceret. Hinc Abenezra pulchrè sanè ostendit, Deum Adamum post impositionem nominum singulis animalibus peractam per vniuersas paradisi semitas duxisse, singularum plan-

plantarum, arborum, fructuum, lapidum naturas inspiciendas dedisse, & qua quodlibet virtute ad cuiuslibet morbi depulsionem instructum esset, docuisse. Hinc factum, vt Adamus non sibi minus, quam filiorum saluti consulendum duxerit; dum scientiam à Deo Magistro sibi communicatam filijs suis continua successione tradidit; quæ est Cabalæ naturalis pars, quam Noe à prædecessoribus acceptam filijs tradidit, hi in reliquam posteritatem transfuderunt. Sed audiamus verba Abenezræ hoc loco:

R. Abenezra.

והובא אדם בכל נתיבות הפרדס לראת כל עצים ואילנות ועשבים ואבנים ולמדו יהוה כל טבעתם לרפאות כל מכאבות וחלים:

Et ductus Adam per omnes paradisi semitas, vidit omne lignum, arbores, plantas, & lapides, & docuit eum Dominus omnem naturam eorum ad sanandum omnem dolorem & infirmitatem.

Medicinandi artem Ægyptios docuit Cham, & deinde Trismegistus.

Porrò Cham inter cœteros Noëmi filios curiosior, traditam sibi scientiam primus Ægypto inuexit, quam Mercurius Trismegistus omnibus denique numeris perfecit. Nam vt rectè Clemens Alexandr. l. 6. Stromatum refert, scripsit Mercurius 42 libros valde necessarios, ex quibus 36 continent omnem Ægyptiorum Philosophiam; reliqui autem sex, qui à pallium gestantibus, quos παστοφόρους vocant, discuntur, pertinent ad medicinam, nempe de constructione corporis, de morbis, instrumentis, & medicamentis. Qui quidem libri non nisi ab ijs, qui Sacerdotalis ordinis erant, legebantur; vnde & hieroglyphicis varijs obuelati, morbo quidem oppressis applicati ad salutem ita conferebant, vt ratio tamen eorum ipsam plebem lateret, vt in sequentibus dicturi sumus. Quis autem modus fuerit Medicinæ Ægyptiacæ, ipse Hermes in suo Asclepio testatur his verbis: *Quoniam ergo proaui nostri multum errabant, contra rationem Deorum increduli, & non animaduertentes ad cultum, religionemque diuinam; inuenerunt artem, qua Deos efficerent, cui inuentæ adiunxerunt virtutem de Mundi natura conuenientem, eamque miscentes, & quoniam animas facere non poterant, euocantes animas Dæmonum, vel Angelorum, eas indiderunt imaginibus suis, diuinisque mysterijs, per quas sola idola & benefaciendi & malefaciendi vires habere potuissent. Auus tuus, ô Asclepi, Medicinæ primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Lybiæ, circa littus Crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est corpus; reliquus enim, vel potius totus, si est homo totus in sensu vitæ melior, remeauit in cœlum, omnia etiam nunc adiumenta hominibus præstans infirmis Numine suo, quæ ante solebat Medicinæ arte præbere. Hermes, cuius nomen mihi auitum est, sibi cognomen patrium consistens omnes mortales vndique venientes adiuuat, atque conseruat.* Et paulò post: *Constat ô Asclepi de herbis, lapidibus, & de aromatibus vim diuinitatis naturalem in se habentibus; & propter hanc causam sacrificijs frequentibus oblectantur Numina, hymnis quoque & laudibus, dulcissimisque sonis in modum cœlestis harmoniæ concinentibus, vt illud quod est cœleste vsu & frequentatione illectum in idola, possit lætum humanitas patiens longa durare per tempora, sic Deorum author est homo. Et ne putes fortuitos effectus esse terrenorum Deorum, ô Asclepi, Dij cœlestes inhabitant*

Clem. Alex. Libri Trismegisti ad medicinam spectantes.

Trismegistus. Medendi modus Ægyptiorum ex Trismegisto & Proclo.

tant summa cœlestia, vnusquisque per ordinem, quem accepit, complens atque custodiens. Hi verò nostri sigillatim quædam curantes, quædam præuidentes, quædam sortibus & diuinatione prædicentes, his pro modo subuenientes humanis, quasi amicâ cognatione auxiliantur. Quæ congrua sanè sunt ijs, quæ Proclus in hanc rem affert: *Etenim intellectus ex se tanquam Deus occurrit, & animarum antiquissima intellectualis existit, ideoque Dæmonum quoque supremum genus, vtpote Dys proximum, vniforme est atque diuinum. Secundi verò post hos sunt Dæmones intellectuali proprietate iam præditi, ascensionibus & descensionibus præsidentes, atque omnino Deorum effectionem declarantes omnibus, atque tradentes. Tertij verò sunt Dæmones, qui animarum diuinarum effectiones distribuunt in sequentia, complentque vinculum suscipientium inde defluxus ad illas. Quarti vniuersalium naturarum vires efficaces in generabilia transmittunt, particularibusque naturis inspirant vitam, ordinemque, & rationes, & vniuersam mortalium effecturam. Quinti corporei quodammodo sunt, corporumque extrema deuinciunt. Quo enim pacto corpora sempiterna conuenient cum caducis? Quomodo efficientia cum effectibus, nisi eiusmodi medio colligante? Natura enim eiusmodi media bonis corporeis dominatur, omnibusque copys naturalibus prouidet. Plerique verò ex eorum numero versantur circa materiam, viresque à cœlesti materia desuper in materiam descendentes continent, atque contexunt, eamque subinde custodiunt, & varietatem picturamque formarum in hac ipsa conseruant.* Idola itaque singulis Numinibus, qui morbis diuersis præsidebant, extruebant, quibus materiam ex natura Mundi congruam, videlicet ex lapidibus, herbis, lignisque Deos secundùm intentam analogiam respicientibus addebant; accedebat deinde laudum, hymnorum, sonorumque congrua harmonia, quibus illecta Numina ad sanitatem concedendam, vt falsò putabant, sollicitabantur; quorum nonnulla singulatim membrorum curam suscipiebant, vt pariter credebant, quædam sortibus & diuinatione alliciebantur, quædam per somnum medicamenta morbis adhibenda præmonstrabant; alia denique in animalia transformata, medicamentorum adhibendorum rationem docebant, vti Mercurius sub Ibidis forma clisteris vsum, Typhon sub Hippopotami figura venæ sectionem; de quibus omnibus in sequentibus fusiùs & exactiùs tractabitur.

Proclus.

Ægyptij idola singulis morbis præsidentia faciebant.

CAPVT II.

De Characterismis rerum medicinalium, quibus per sigilla, characteresque singulis rebus impressos, in abditas rerum virtutes deueniebant Ægyptij.

TAmetsi in Cabala hanc materiam tractauerimus cap. 9. §. III. Quia tamen ibidem mentem tantùm Cabalistarum innuimus, hîc veluti proprio loco eadem pertractare visum est. Ab ouo itaque rem ordiamur.

Ægyptij mortalium in obseruanda naturæ maiestate studiosissimi, mi-

nime tradita sibi à prædecessoribus scientia contenti, nihil non agebant, vt intimas rerum naturas penetrarent. Hinc lapillorum, plantarum, herbarumque singulas proprietates examinaturi, non Indicarum, non Assyriarum, non Europæarũ plantarum, sed quæ patrio solo natæ & educatæ fuissent, proprietates scrutabantur; magnam in climatum dispositione vim ponentes. Cùm enim idem à benignæ naturæ liberalitate temperamentum, quo ipsi constabant, sortitæ essent, præter eas, alias non curabant, imò eas veluti degeneris indolis aspernabantur. Habebant illi quidem traditione, multa de characteribus à natura singulis impressis, sed ad artis applicationem non omnibus tam facilis aditus erat; industria igitur & continuo exercitio, experientiâque docti, tandem in id, quod desiderabant, continua, vt dixi, mentis indagine deueniebant. Modum itaque nonnullis suppositis explicemus.

Ægyptij virtutes plantarum in proprio solo natarum scrutabantur.

Notandum primò, Ægyptios totos in mundialium rerum catenis, queîs quadruplex Mundus, Archetypus, Angelicus, Sidereus, & Elementaris arctè connectebantur, inuestigandis occupatos fuisse, totumque eorum studium in eo positum fuisse videtur, vt elementalia singula, quibus stellis, quibus Genijs Præsidibus subessent, cognoscerent. Quæ omnia calculo suo conformia luculentis verbis recenset Elluchasen in libro de ritibus Ægyptiorum.

Ægypeij rerũ mundialium catenas scrutabantur.

Elluchasen.

والفلسفه مصر كما وجدت في تذكرهم كان يفتشون في الحرص السلسلة التي
بها يترابط الدنيا على مع التحتي يعني كان يستقصيون العروة الدنيا المليكه التي بها
يتصل الدنيا البروج والسبع كواكب وهذا مع الدنيا الاربع طبايع وكل ما يخضع
تحتهم من المعدن ومن احجار ومن نبات ومن حيوانات ومن خواص وجميع فعالهم
وكان يعرفون برهان وتجربة لان كلهم يتصلون باشكالهم يمثل اشكل الدنيا عالى
وتحتي وهكذا فعلوا معجزات عظيمة في حكمة الدوا

Id est, *Philosophi Ægypti, quemadmodum in historijs eorum inueni, summo studio inquisiuerunt catenam illam magnam, quâ Mundus superior inferiori colligatur, id est, explorare conati sunt vinculum, quo Mundus Angelicus iungitur Mundo Sidereo, id est, duodecim signis Zodiaci, & septem planetis, & quomodo hic Mundus Mundo elementari connectatur, & ex omnibus quæ eidem subiectæ sunt rebus, ex mineralibus, lapidibus, herbis, plantis, animalibus, proprietatibus & omnibus operationibus eorum, cognouerunt tandem longo vsu & experientia, & per longum ratiocinium, omnes formas & similitudines inferiorum iungi formis & similitudinibus superiorum; & hoc pacto mirabilia magna operati sunt in vsu Medicinæ.* Sed singula paulò vberiùs explicemus.

Catenæ sympathicæ dicebantur ab Ægyptijs, certæ quædam series rerum naturalium, ex incomprehensibili supremi Numinis seu diuinitatis centro, per concatenatas intermediorum Mundorum substantias, in vltimum vltimi Mundi terminum continuatæ; quarum quidem series pro diuersitate graduum naturæ inferioris erant diuisæ, atque Dei Optimi Maximi occulto consilio ita ordinatæ, vt singulæ res sub vna catena comprehensæ, sympathicâ quâdam amicitiâ, & fatali necessitate se mutuò respicerent; ac proinde beatum illum prædicabant, qui rerum naturalium ordi-

Catenæ sympathicæ apud Ægyptios quæ.

ordinem sub vna catena comprehensum inuenisset. Hisce enim in vnum compositis, mirandos sibi effectus in Medicina spondebant. Sed rem exemplo curioso Lectori exhibeo. Supremum Numinum Numen, omnia quæ in Vniuerso spectantur, in vna simplicique essentia complicans, singulos rerum naturalium gradus explicabat, vt ipsi putabant, in Mundum Genialem nouendecim Intelligentiarum præsidiarijs cœtibus instructum; quorum duodecim, signis duodecim Zodiaci præerant, septem, totidem planetarum globis. Atque hi in Mundum Elementarem totidem entium gradibus distinctum influebant, singuli in singulos rerum gradus sibi analogos; demum in microcosmum hominem, cuius corpus in totidem membra distribuebant, secundum quandam, quam ad illa habebant sympathiam ἀναλόγως influebant, ita vt membrum herbam sibi propriam; membrum & herba proprium sibi sidus & signum; membrum, herba, sidus & signum proprium sibi Angelum haberent; omnia deniq; supremo Numini, in quo complicantur omnia, subijcerentur. Supremo itaque Numine per præuiam dispositionem, ad membri alicuius male dispositi sanitatem impetrandam, sollicitato, mox diuinæ voluntatis nutum in eam Mundi Angelici Intelligentiam, quæ dicto membro præsidebat, explicari credebant; Angelus diuino nutu perculsus, mox sideris membro analogi vim influxiuam concitabat; sidus subditam sibi plantam, lapillum, vel animal astræo suo radio percutiebat; hoc percussum, & virtute sympathica imbutum, membrum tandem, seu morbum eidem insitum, per mutuum quendam harmonicumque omnium ordinum corresponsum, perfectæ sanitati restituebat. Audi Iamblichum in mysterijs. *Mundus*, inquit, *est vnum animal, in quo partes, quamuis loco distantes, tamen propter naturam vnam inuicem ad se feruntur. Atqui vis ipsa conciliatrix Mundi, & causa communis omnium mixtionis, trahit quidem partes ad se inuicem suapte natura; potest tamen eiusmodi tractus & appetitus arte quadam præter ordinem augeri. Vis quidem ipsa concilians infusa cunctis bona est, & causa vbique impletionis, communionis, harmoniæ, amoris mutui, vnionisque mundanæ, quæ sunt fiuntque imperio continentis: in partibus autem propter earum distantiam ab inuicem & à totis, atque ob naturam debilem et egenam, compassione motuum congressum conficit. Vnde acrior appetitus plurimis est ingenitus. Ars itaque deprehendens hanc vim coaguli passim in natura dispersam, contrahit eam vndique, colligitque simul, deriuatque in vnum: atque ita appetitum necessariæ vnionis naturaliter moderatum, reddit suis machinis effrenatum, dum & materiam admouet genituræ præcipuè conferentem, & vires vndique naturales inter se differentes commiscet in vnum, quarum commixtione pro arbitrio regit & conficit congressus ad genituram. Proinde cum sint in herbis atque lapidibus vires & dissolutiuæ & rursum congregatiuæ, sintque multò maiores in rebus naturisque maioribus; potest vtique ad coitum nixus intendi eiusmodi rebus adhibitis, atque ab his ipsis sine artis opera amor accendi, tractusque fieri.* Vide quæ Proclus in libello de Magia & Sacrificio, vbi propè ijsdem verbis allegata inuenies. Quomodo verò in cognitionem virtutum medicarum, quæ singulis rebus natura insceuerat, peruenerint, suprà ex citati Elluchasen

Catenæ sympathicæ exemplum.

Iamblichus.

Proclus.

ver-

verbis patet, videlicet ex similitudine plantarum & rerum ad humani corporis membra. Quæ vti fusiùs explicari debent, ita peculiare quoq; caput merentur.

CAPVT III.

De modo & ratione, qua Aegyptij in notitiam virium rerum peruenerint, id est, quomodo Aegyptij per Characteres, & similitudines rebus impressas, vires vniuscuiusque rei naturalis cognòrint.

CErtum est ex Cabala Primæuorum Mundi Patriarcharum, eos hanc artem traditione didicisse, quam postea longo vsu & experientiâ summo studio promouerunt. Virtutes itaque rerum inuestigaturi, triplicem methodum vsurpabant: quarum prior erat, per qualitates manifestas rebus ipsis insitas; Secunda per signa seu Characteres singulis rebus à sagaci natura rebus impressos; Tertia erat per similitudines rerum ad res; de quibus singulis ordine tractabitur. *Tribus modis Veteres rerum naturalium vires explorabant.*

§. I.

De cognoscendis herbarum viribus per qualitates elementares, qui est primus modus, Aegyptijs vsitatus.

SCiendum est, Ægyptios nullis herbis, præterquàm quas patrium solum illis suppeditabat (exteris & peregrinis veluti degeneris naturæ repudiatis) vsos esse; solæ enim Ægyptiacæ plantæ veluti Geniorum immortalium donum, indigenis concessum, in pretio & æstimatione habebantur, quod & in animalibus, lapidibusque vsu venit; siquidem nullum præterquàm Ægyptium animal aut diuinis honoribus prosecuti, aut hieroglyphicorum catalogo, præter illud quod patrij soli benignitate productum ibidem adoleuisset, dignati sunt; cuius rei causam alibi vberiùs discutimus. Nullum etiam lapidem ad Obeliscum, cœterarumque sacrarum imaginum fabricam, præterquàm Niloticæ telluris alumnum, assumpsisse, in Obelisco Pamphilio fusè probatum est. Idem igitur de plantis statuendum ducebant; has summo studio inquirebant, has anatomiæ more, in radices, flores, fructus, folia, vti heterogeneæ naturæ, ita diuersi quoque in medicina vsus, resoluebant. Virtutes autem singulis plantis inhærentes quinque sensuum ministerio addiscebant. Visus ex colore albo, flauo, rubro, puniceo, flammeo, purpureo, viridi, cæruleo, pallido, cinereo, nigro seu atro, qui omnes diuersas temperamentorum in plantis abditorum rationes aperiebant, cognoscere studebat. Auditus, ex sono, quo percutiebantur, acuto, graui, tinnulo, obtuso, aspero, *Ægyptij solis indigenis herbis vtebantur in medendis morbis.* *Virtutes herbarum discebant Ægyptij ministerio quinque sensuum.*

leni,

leni, compaginatæ ſtirpis temperamentum diſcebat. Guſtus ex ſapore earum, acri, acerbo, acido, amaro, dulci, ſalſo, pingui, auſtero, de plantarum viribus iudicabat. Odoratus quoque de odore earum, moleſto, grato, inamœno, obtuſo, ſuaui, ſtiptico, pungitiuo latentes qualitates aperiebat. Tactus denique ex leuitate, aſperitate, mollitie, duritie, ſcabroſitate, & hirſutie, virtutes latentes capiebat. Atque ex hiſce maniſeſtis ſenſui qualitatibus de caliditate, frigiditate, ſiccitate, & humiditate iudicabant. Siquidem ex colore albo, & pallido, humidi temperamenti imbecillitatis indicium ſumebant; flauus caloris index erat; rubeus & croceus immodicæ ſiccitatis humiditatiſq; ſigna præbebant; contrà viridis & porracei coloris herbæ, exceſſiuæ humiditatis ſymbola ſtatuebant. Iterum ſapor acer vehementis caliditatis ſignum latere monſtrabat; acerbus frigidæ, ſiccæ, & terreſtris indolis notam ijs manifeſtabat; acidus humidioris quàm frigidioris indolis ſignum erat, fit enim, cùm auſtero plus humidi miſcetur; ex amaritndine ariditatis & caliditatis, ſiccitatis ſcilicet terreſtris in herbis latentis ſignum, in vnctuoſo aëream vim, in inſipido denique frigidæ & humidæ qualitatis exceſſum notabant. Odor deque bonus bonas, fœtens malas & excrementitiæ humiditatis qualitates diſcooperiebat. Quæ omnia confirmantur ab Abenſina l. 2. Can. c. 3. Præterea tactus per craſſitiem terreſtrium partium, humidarum, atque frigore congelitarum abundantiam reperiebat; per tenuitatem partium ignearum, aërearumque: & ſicuti ijs durities ſiccitatis terreſtris, ita mollities humiditatis comes eſſe perhibebatur, cui congruit grauitas & leuitas. Præter dicta, qualitates rerum ex diſpoſitione ſeu mutabilitate, eiuſque recipiendi modo facili vel difficili cognoſcebant. Ita res velocioris congelationis, frigida; velocioris inflammationis, calida cenſebatur. Ab ætate quoque iuniora, humidiora fore, vetuſta ſicciora dicebant. A loco etiam paluſtres plantas humidas & frigidas; fluuiatiles & marinas frigido-ſiccas; quæ verò ſterili ſolo, aut in montibus, aut arenoſis locis natales ſuos habent, calido-ſiccas reputabant. Ab operationibus denique illud calidum dicebant, quod ſubtile redderet, reſolueret, abſtergeret, aperiret, molliret, maturaret, concoqueret, incideret, attraheret, rubefaceret, adureret. Frigidum, quod repelleret, incraſſaret, crudum faceret. Siccum, quod conſtringeret, exprimeret. Humidum, quod inflammaret, ablueret, lubricaret, læuigaret. Atque hæc fuit prima ratio, quâ Ægyptij in abditarum qualitatum in herbis latentium notitiam peruenerunt.

Abenſina.

Alij modi quibus Ægyptij in virtutum herbarũ notitiam veniebant.

§ II.

De qualitatum ſpecificarum in herbis, cæteriſque rebus latentium inueſtigandarum per characteres ſingulis impreſſos methodo & ratione Aegyptijs vſitata.

CVm in Arte Magnetica, vti & in Cabala naturali, de huiuſmodi rerum ſignaturis fusè egerimus, hîc eadem repetere noluimus, ſed

tan-

tantum, quânam ratione Ægyptij per occulta similitudinum sigilla singulis rebus impressa in virtutum rerum naturalium notitiam peruenerint, recensebimus. Est enim hæc scientia non, vt multi putant, à recentioribus inuenta, sed ex Orientalium monumentis denuo resuscitata, vt pulchrè Cornelius Agrippa docet, eidemque subscribit Quercetanus libro de prisca Medicina; estque Cabalæ pars, à Sapientibus Ægypti vel posteris oretenus tradita, vel hieroglyphicis inuoluta sui ordinis hominibus proposita: Consistebat autem in abdita quadam membrorum humani corporis ad diuersos herbarum characterismos, quibus dicta membra repræsentabant, analogia. Sed rem exemplis ostendamus. Ægyptij itaque capitis morbis mederi volentes, herbam quærebant, cuius fructus, aut calyx humani capitis figuram repræsentaret, & hoc dicebant, appropriatum esse capitis medicamentum; cuiusmodi erat Pœoniæ flos calyci adhuc inclusus, quo maximè ad epilepsiæ morbum vtebantur, variè præparato. In horum censu papauer quoque, iuglans, nux myristica, radix scyllæ, agaricum, lilium conuallium, similiaque, reputabantur. Quæ quidem non crudè, sed variè correcta & præparata in vsum medicamentorum adhibebant. Hoc pacto, cùm in euphrasiæ, calthæ, hieracij, scabiosæ floribus, nescio quid ocularis rudimenti reperirent, ea oculis conferre ritè præparata similiter sibi persuadebant. Quæ dentes referrent, vt hioscyamus, acini mali punici, pini nuclei, dentaria, radix chelidoniæ minoris, ea dentium doloribus mederi credebant. Sic asari folia & cochleæ, folia mentastri aquatici, quorum hæc nasum referunt, illa aures, occulta sympathia dictis membris conferre volebant. Pari pacto ad gutturis morbos, pyrola vuluaria, ceruicaria, cassia fistularis: ad pulmones, pulmonaria saxosa & maculosa, aut quæ in quercubus sua incunabula habet: ad cor, citri fructus, anthoræ radix, fructus anacardi, persæa: ad iecinoris mala, lichen, fungus betulinus, quercus, hepatica: ad lienem, scolopendrion, lingua cerui, asplenium, cetarach: ad ventriculum, folia cyclaminis, zyngiber, galangæ: ad intestina, conuoluolus, calamus aromaticus, cassia fistula, capreoli vitis: ad vesicam alcakengi, staphylodendrum, vesicaria, solanum: ad pudenda, arum, fabæ: ad genitalia, omnes orchides, & satyriorum genera: ad vterum, aristolochia rotunda, cuius & folia & radix vterum exhibent: ad renes, portulaca, radix cyclaminis: ad articulos hermodactylus: ad manus, palma Christi, palmago &c. conferebant. Verùm omnium hucusque recensitorum Synopsin, figuris suis expressam in sequenti schemate contemplare. Si quis verò scire desideret, quam hæ herbæ Ægyptiacum Nomenclaturam sortiantur, quamque virtutem ad Deorum catenas trahendas obtineant, is adeat III. Tomi Caput 8, vbi omnia fusè tradita reperiet, vt proinde superfluum sit hoc loco de ijs fusiùs agere.

Ratio discendi rerum naturalium virtutes per sigilla similitudinum impressa, quàm sit antiqua, & in quo consistat.

Cornelius Agrippa.
Quercetanus.

Plantæ capitis similitudinē habentes medentur capiti.

Oculorum oculis.

Dentium dentibus.

Aurium auribus.

Reliquorum reliquis.

Typus nonnullarum Herbarum.

Anthoræ radices Cardiacæ ſunt, quia cor exprimunt.

Cynoſorchis generationi confert, quia eius organa exprimit.

Palma Chriſti, ſiue Hermodactylus, articularibus morbis prodeſt.

Dentaria, dentibus quos refert, prodeſt.

Anthemis herba oculos, quibus medetur, floribus refert.

Colurea, veſicæ quam refert, prodeſt.

Pari pacto eos herbarum succos, qui succos siue humores humani corporis colore referebant, in illius humoris peccantis purgationem adhibebant. Hinc crocei plantarum succi, vti cimini, croci, aloes, senæ, absynthij, colocynthidis, ricini, reubarbari, quæ bilem flauam referebant, eandem & curare perhibebantur. Bili atræ purgandæ, omnes illæ herbæ, quæ floribus, folijs, vel succo nigrescunt, aut purpurascunt, cæruleique coloris sunt, vti fabæ, smilax, blitum, borrago, conferunt. Pituitam plantæ albifloræ, cucurbita, fungi candidi, lactuca, agaricum, quia pituitosum humorem humore referunt, euacuant. Sanguinem verò rubri coloris & succi plantæ, siue is in floribus, siue caule aut succo eniteat, vti santalum rubrum, filicis radix, atriplicis & betæ rubræ caulis, perhibentur purificare. Mistos verò humores, misti coloris plantas, vt iris, curare credunt. Lacti & spermati denique, lactuca, sonchus, beitalzar, & tithimallus, & omnes lactiferarum herbarum species. Quos quidem succos non crudos, sed summâ arte præparatos conditosque in vsum medicum adhibebant. *Humoribus humani corporis medentur illi herbarũ succi, quæ eorum similitudinem referunt.*

Non hîc cessabant Ægyptij, sed vlteriùs ratiocinantes, morborum signaturas & characterismos omni studio rimabantur. factumque est vt, continuo vsu & experientiâ deprehenderent, quòd, quæcunque morbum quendam repræsentare viderentur, ad illum morbum, morbosumque habitum curandum conferrent. Sic prorsùs calculo laborantibus ea conferre experiebantur, quæ calculos & lapides mentiebantur; sic oculos piscium, calculosq; in animaliũ corporibus inuentos; in herbis milium Solis, aliasque petrosis locis stabulantes, appropriatum calculis in vesica & renibus latentibus conterendis medium asserebant. Sic vulnera, id est, perforationes corporis sanare credebant herbas naturâ perforatas, vt hypericon; sic maculosam ex impetigine pellem sanabant herbæ maculosæ; squamas squamosæ; plantas & animalia tumentia tumentibus membris prodesse dicebant. Pari pacto ex virulentis animalibus, vt serpentibus, scorpionibus, araneis, rubetis, medicinam trahebant, quæ qualecunque venenum siue potu, siue morsu haustum destruebat. Sic steriles herbæ homini sterilitatem, vt lactuca, salix, sabina, vibex, salix. Contrà salaces & fœcundæ fœcunditatem adferre censebantur, vti satyrium, passer, scincus. Plantæ verò longæuæ perpetuòque virentes vigorem homini conciliare dicebantur. Herbæ & animalia voracia concoquendi facultatem hominibus, vti Lupus & Lucius, præbere putabantur. Hoc pacto animalia ingenio & docilitate instructa ad intelligentiam, & memoriam facere; animalia tristia, tristes; somniculosa somniculosos; vigilantia vigiles; ferocia feroces; iracunda iracundos reddere sibi persuadebant. Sic contra inimicos conflicturi animalium in choleram priùs actorum calidum sanguinem potantes, ferocissimi reddebantur; & sic de alijs. Nec sine ratione: vti enim magno subtilique ingenio erant, rerumque analogias aptè & concinnè rebus applicare nôrant; ita rationes quoque & causas singularum perscrutabantur. Nouerant enim vnamquamque rem se mouere & conuertere ad suum simile. Operaturi itaque ad aliquam pro- *Quæ morbũ aliquem repræsentant, illi medentur.* *Herbarum & animalium in medendo vsus.*

prietatem vel virtutem, eas res & animalia quærebant, quibus talis proprietas vel actio excellentiùs inerat. Vocabant autem actionem, modum quendam nascendi, florendi, generandi, crescendi, prolificandi, fructificandi, concoquendi, pariendique, quo singulæ res, insito sibi veluti pondere quodam & naturali appetitus stimulo se inuicem prosequuntur, horrent, & alliciunt. Configuratio verò, seu characterismus est similitudo signaturæ seu characterismi in vno & altero elucescentis; effectus siquidem similis præsupponit interni agentis seu causæ in vtroque similitudinem, idque tantò euidentiùs, quantò illa signatura fuerit euidentior: Sic Alexipharmaca coniecturantur, quæ cornu cerui mentiuntur, serpentesque repræsentant &c. idque ex hoc fundamento, quòd id, quod cornu ceruini figuram gerit, à simili principio interno sit productum, à quo idem illud cornu. Similitudo itaque principij virium similitudinem coniecturare facit. Penetrarunt hoc naturæ arcanum peroptimè Ægyptij Philosophi, qui membrum malè affectum, simili membro ex animalibus assumpto, atque in cibum dato, curabant. Sic hepatici hepatibus caprarum, columbarum, cœterarumque animalium hepaticam naturam redolentium curabantur. Phtisicis pulmonibus animalium pulmonarijs herbis priùs aliquanto tempore pastorum, herbis quoque pulmonem respicientibus decoctis ac præparatis medebantur. Cordiacis, rebus cordiacis, cordibusque animalium naturam cordis referentium, subueniebant; Capitis infirmitatibus cerebris auium appropriatarum. Et sic de singulis alijs curam diuersorum membrorum instituebant. Et nè Medici tantarum rerum mole distraherentur, lege cautum erat, nè vnus Medicus totius humani corporis infirmitates curandas susciperet, sed singuli singulorum membrorum, veluti onere distributo in plures, curæ incumbebant. Hinc Medici Ophtalmici, solis morbis oculorum sanandis media inquirebant apta. Cephalici, capitis morbos explorabant, ijsque remedia apta quærebant. Sicuti Cordiaci Medici cordis; Splenetici splenis; Hepatici hepatis; Stomachici stomacho; Pectorales pectori; Pulmonares pulmoni medebantur. Sic fiebat, vt felicissimè in destinata cura progrederentur. Quæ quidem methodus à primis sæculis vsque in hodiernum diem propagata in Ægypto adhuc durat, vt Prosper Alpinus in libro de Medicina Ægyptiorum narrat.

Animalium membra medentur affectis hominum membris.

Prosper Alpinus.

§ III.

De Philosophia astræa seu siderea, qua Philosophi & Medici Ægyptij in morborum cura vtebantur.

FVit hæc Medicina tota hieroglyphica, & solis nota Sacerdotibus Hieromanthis, quam & suprà citatus Elluchasen Arabs in suo de Ægyptiorum moribus aureo sanè libello amplè describit. Constabat autem in catenarum mundialium, quas suprà explicauimus, dispositione

Dogma siquidem erat, non Hebræorum tantùm, sed & potissimùm Ægyptiorum, nullum esse humani corporis membrum, quod non haberet propriam herbam, plantam, lapidem suæ salutis vindicem, ac proinde amicam, sympathicam, & quæ naturali quadam inclinatione ad detrimentum, si quando defecerit, conseruationem concurreret. Iterum nullam esse in inferioris sublunaris Mundi Oeconomia speciem, ex herbis, plantis, lapidibus, animalibus, quæ non suum haberet sidus sibi proprium, cuius influxu suas perficeret naturæ dotium viriumque functiones; neque vllum sidus, quod non suum sibi haberet appropriatum Genium, cuius præsidio fulciretur, cuiusue iussu influxuum suorum munera speciei suæ tutelæ commissæ communicaret; Genijs in illo abyssali diuinitatis centro, à quo omnia profluunt, quiescentibus, & ad supremi Numinis, vnicuique rei sufficientia ad sui conseruationem media præuidentis voluntatem exequendam paratis. Quod quidem dogma tanquam cœleste arcanum tanto apud Sacerdotes pretio habebatur, vt non immeritò illud hieroglyphicis symbolis, vt postea demonstrabitur, occultandum censuerint. Verùm nè quicquam confinxisse videamur, apponam hoc loco authoritatem Abenrahhmon filij Senis excellentis Elmorgum, Philosophi Arabis, qui propositã hoc loco à nobis doctrinam fusè tradit in Opere quod denominat تعليم الحكما مصر doctrinam Sapientum Ægypti. Sic autem loquitur:

Philosophia astræa Ægyptiorum consistebat in catenarum Mundialium dispositione.

Dogma Ægyptiorum de superiorum cum inferioribus conuenientia.

Abenrahhmi.

يخص لحكما مصر ان يخدوا باستعمال الادوية من كل انواع الطبع صفا صفا ومن كل درجة الوجودات كلهم الذين لهم المثل والصفة مع السبع كواكب السيارة كقولك كلهم الذين لهم المثل الى الشمس ومن فلكها وما لها من الايام من الارض المعدنها وحجرها وحيوانها البري والبحري ومن نباتها واستنزالها وخواصها ومن جميع فعالها كلهم باستعمال الدوا القلب الذي هو كما شمس اخر العلام صغير وهكذا كانوا يعملون بكل انواع الالام وامراض الراس والكبد والمعدة والرية وغيره

Proprium fuit Ægyptijs, in vsum Medicinarum ex omnibus naturæ speciebus, & ex omnibus gradibus entium eas res seligere, quæ aliquam similitudinem, & proprietatem cum septem planetis obtinerent; exempli gratia, omnes species, quæ similitudinem aliquam ad Solem haberent, seligebant ex mineralibus, metallis, lapidibus, animalibus tam syluestribus, quàm maritimis, ex plantis & herbis, & ex ijs quæ influxum earum concernunt, proprietatibus, ex omnibus denique operationibus rerum Solarium in vsum Medicinæ cordis, quia cor est quasi Sol quidam minoris Mundi, adaptabant; Et hoc pacto operabantur in omni infirmitatum genere, v. g. capitis, hepatis, stomachi, pulmonis, & cæterorum membrorum curis. Deinde pergit ad particularia, ex omnibus recensitis rebus seligere, & morbis Solaribus Solaria, Lunaria Lunaribus, Saturnina Saturninis, Martialibus Martia, Venerea Venereis, Iouia Iouijs, Mercurialibus Mercurialia adaptare, Medicinarum vim, compositionem, & vim ostendere. Quæ cùm nos in præcedentibus ostenderimus, superuacaneum esse ratus sum ea hoc loco repetere. Cùm itaque membra singula humani corporis alicui ex planetis & signis Zodiaci subijciat, & ex singulis naturæ gradibus, en-

tium-

tiumque Mundanorum Classibus eas res, quæ tali & tali planetæ ac signo similitudine congruunt, accommodet; tale ponit pronunciatum:

كل وحده من النواع الحيوانات والنبات ومعدنات الذين لهم المثل وصفه مع الكواكب مذكورين وهو باستعمال الدوا ينفع من عضا الذين لهم مثل مع النجوم الذين ذكرناه

Vnaquæque specierum ex animalibus, plantis, metallis, aliquam similitudinem obtinet ad planetas memoratas, & istæ in vsu Medicinæ conferunt membris quibus similitudo est cum stellis, quas memorauimus.

Marsilius Ficinus. Quæ omnia Marsilius Ficinus ex Antiquorum traditione confirmat his verbis: *Adhibitis autem, quæ ad stellam talem pertinent, stellæ Dæmonisque huius proprium subit influxum, velut lignum per sulphur paratum ad flammam vbique præsentem. Atque hunc non modò per ipsos stellæ Dæmonisque radios, sed etiam per ipsam Mundi animam vbique præsentem, in qua & cuiuslibet stellæ Dæmonisque ratio viget, partim quidem seminalis ad generandum, partim etiam exemplaris ad cognoscendum. Hæc enim secundùm Platonicos antiquiores rationibus suis ædificauit vltra stellas in Cœlo figuras partesque ipsarum tales, vt ipsæ quoque figuræ quædam sint: impressitque his omnibus proprietates. In stellis autem figuris, partibus, proprietatibus, omnes rerum inferiorum species continentur, & proprietates earum. Vniuersales verò figuras octo posuit atque quadraginta, scilicet in Zodiaco duodecim, extra verò sex atq; triginta. Item in Zodiaco triginta sex ad numerum facierum. Rursus ibidem trecentas atq; sexaginta ad numerum graduum; In quouis enim gradu sunt stellæ plures, ex quibus ibi conficiuntur imagines. Similiter imagines extra Zodiacum in plures diuisit figuras pro facierum ibidem graduumque suorum numero. Constituit denique ab imaginibus his vniuersalibus ad vniuersales imagines habitudines, & proportiones quasdam, quæ ipsæ quoque imagines illic existunt. Eiusdem verò figuræ continuitatem quæque suam habent ex radijs stellarum suarum in se inuicem peculiari quâdam proprietate coniectis, à quibus formis ordinatissimis dependent inferiorum formæ, illinc videlicet ordinatæ. Sed & Cœlestes illæ tanquam & inter se disiunctæ, procedunt à rationibus animæ coniunctis inuicem, & quodammodo mutabiles à stabilibus. Sed hæ quatenus se ipsas non comprehendunt, referuntur ad formas in mente, vel animali, vel eminentiore sese comprehendentes, quæ tanquam multiplices rediguntur ad simplicissimum vnum atque bonum, sicut figuræ Cœlestes ad polum.*

Figuræ cœlestes ab Antiquis positæ.

Quemadmodum verò non singulæ species rerum in terra ijsdem Genijs subdebantur, sed pro ratione Nationum, quibus præsidebant, diuersis; ita Ægyptiarum species rerum peculiares sibi Ægypti proprios Genios sortiri putabantur; erant enim dominia Geniorum, vt ipsi tradunt, diuersa, vti & diuersæ iurisdictiones. Hinc plantas alienigenas tanquam sub aliena iurisdictione degentes, in vsum siue medicum, siue mysticorum Sacrorum, nunquam assumendas esse iudicabant, vti suprà insinuatum est; imò singulis præfecturis singulas species sub appropriatis Genijs distributas habebant, vt docet Iamblichus in suo de mysterijs Ægyptiorum libello, his verbis. *Hæc igitur Sacrorum sapientia contemplata, atque ita secundùm congruentiam competentia vnicuique Deorum susceptacula*

Ægyptij proprios Genios colebant in singulis Præfecturis.

Iamblichus.

dili-

diligenter inueniens, sæpe componit in vnum lapides, herbas, animalia, aromata, aliaque similia, sacra, & perfecta, & Deiformia, atque subinde ab his omnibus susceptaculum purum integrumque fabricat. Neque enim fas est omnem materiam detestari, sed solam quæ à Dijs fuerit aliena. Propriam verò ad illos decet eligere, vtpote quæ consentire possit, atque conferre ad Deorum ædificia, statuarum fundamenta, sacrificiorum opera. Neque enim aliter terrenis locis & hominibus hic habitantibus possessio portione vlla ex diuinis contingere potest, nisi tale quoddam prius iactum fuerit fundamentum. Arcanis sermonibus credendum est, testantibus ex Deis per beata spectacula quandam traditam fuisse materiam. Hæc igitur illis ipsis tradentibus est cognata. Talis ergo materiæ sacrificium Deos excitat, vt se demonstrent, atque ad comprehensionem eos protinus aduocat, & præsentes capit, & perfectè demonstrat. Eadem aliquis perdiscere potest etiam ab ipsa quæ secundùm loca distributio diuinitùs est effecta, atque ab ipsa præfectura, quæ per res singulas est diuisa, quæcunque secundùm diuersos ordines, siue maiores, siue minores, passim sortes eiusmodi nacta fuit. Constat enim Deis locorum quorundam rectoribus, sacrificium ex eisdem rebus, quæ nascuntur ibidem, fore admodum consentaneum, & gubernatoribus gubernata, & quæ ad ea pertinent placitura. Effectoribus & grata semper sunt opera sua potissimùm, & qui primò aliqua procreant, talia rursus habent inprimis accepta. Siue igitur animalia quædam, siue plantæ, siue alia quæ visa superis dispensantur simul, & præfecturam sub eis nacta sunt, & communionem nobis conciliant cum superis indiuiduam. Horum ergo nonnulla quatenus conseruantur atque tenentur, augent tenentium ad Deos familiarem proprietatem, quotcunque videlicet ex eo quòd integra maneant, vim communionis inter homines Deosque conseruant. Talia sunt quædam apud Ægyptios animalia, & vbique sacer homo; quædam verò mactata combustaque familiaritatem efficiunt clariorem, quotcunque videlicet resolutionem in primorum elementorum principium efficiunt cognatiorem causis superorum, atque pro ritu sacratiorem. Vbique enim quò magis proprietas familiaritasque perficitur, eò perfectiora bona ad nos inde descendunt. Neque sunt hæc hominum duntaxat inuenta, nec humanis moribus authoritatem nacta sunt, sed Deus ipse ritè inter sacra vocatus Author est eiusmodi legum, circa quem Dij Angelique permulti versantur, sub quo per quaslibet in terra gentes, Numen aliquod sortitum est Præfecturam communemque Prouinciam. Proprium quoque inde tributum est templo vnicuique Numen. Item sacrorum quæ operamur ad Deos, Deus aliquis spectator est atque gubernator; quæ ad Angelos, Angelus; quæ ad Dæmones, Dæmon; atque in alijs eodem pacto secundùm proprium genus perfectus cognatam sortitus est Præfecturam. Et tametsi in Astrologia Ægyptiorum catenas herbarum cum planetis, duodecim signis Zodiaci, vti & Decanis eorum, vnà cum Genijs præsidibus per fusas tabulas exhibuerimus, hîc tamen veluti ex professo, easdem fusiùs specialiùsque exhibere visum est, nè quicquam in Opere hoc, Medicis nostris proficuum omisisse videremur. Dictorum autem & dicendorum figuram hîc appono, ex qua mens luce meridianâ clariùs elucescit.

Typus Sympathicus Microcosmi cum Megacosmo.



Characterismi plantarum ad duodecim signorum Characterismos, & humani corporis membra comparati, iuxta methodum tùm Hebræorum, tùm modernorum Medicorum; quorum hi omnia ab Hebræis, illi ab Aegyptijs traditione acceperunt.

QVoniam verò non omnes herbæ, quæ ad signum aliquod referuntur, eiusdem gradus qualitate pollent, neque quolibet tempore suum sibi virtutis valorem obtinent; hinc singulas plantas ad aliquod signum spectantes, quaternis gradibus distinctas adducemus, & quo loco, & tempore colligendæ sint, vt membro quod respiciunt, seruiant, quas præterea ad reliqua signa antipathias habeant, declarabimus, vt sic omnibus numeris absolutum botanicum hoc argumentum in vsum prodeat; quæ partim ex Auenar Hebræo, partim ex Carichteri Germani Botanica astrali extraximus. Ab Ariete itaque, exordium faciemus nostræ disceptationis.

Characterismi plantarũ ad 12. Signorum Zodiaci Characterismos, & membra hominis comparationi.

I. Aries ♈.

ARies est signum masculinum, igneum, calido-siccum, sympathicum capiti. Plantæ primo gradu calido-siccæ sunt.

Plantæ ad ♈ relatæ.

Gradus rerum calido-siccarum

I Grad. Artemisia rubra, Betonica, Cychorium, Consolida regalis, Ebulus, Mentha, Tussilago, Veronica. Colligendæ sunt in fine Canicularium dierum post plenilunium.

II Grad. Plantæ secundo gradu calido-siccæ sunt. Asparagus, Hyparicum, Millefolium, Plantago, Pœonia. Colligendæ sunt Sole & Luna existentibus in Cancro ♋.

III Grad. Agaricum, Cataputia, Chamælea, Colocynthis, Farsara, Gentiana, Ligustrum, Ricinus, Sambucus. In fine Iulij, & principio Augusti colligendæ sunt.

IV Grad. Abrotanum, Helleborus albus, Maiorana, Marrubium, Nasturcium syluestre, Rosmarinus. Colligendæ sunt partim mense Aprilis, partim Septembris.

II Taurus ♉.

TAurus signum est fœmineum, frigidum & siccum, terrestre; sympathicum est collo & gutturi.

Plantæ ad ♉ relatæ.

Species frigido-ſiccæ.

I Grad. Plantæ frigido-ſiccæ primo gradu, Aſplenion, Caterah, Chamædris, Hedera terreſtris, radix Liliorum, Narciſſus, Polypodium, Roſæ, Valeriana, Viola. Emolliunt tumores faucium & lienis.

II Grad. Adiantum, Akakengi, Aquilegia, Hedera muraria, polygonatum, Quercus, Viſcus quercinus. Vulneribus conferunt.

III Grad. Bugloſſa, Carduus benedictus, Cynogloſſa, Eupatorium, Lappa minor, Origanum, Petroſelinum, Sanicula, Scrophularia, Tormentilla, Vinca per Vinca. Omnes vulnerariæ ſunt.

IV Grad. Auricula muris, Bardana maior, Chelidonium maius, Fraxinus, Malua, Pulmonaria, Scabioſa; & antipathiam habent cum ſublunaribus, quæ Libræ & Scorpioni ſubſunt; ſympathiam cum ijs quæ Cancro & Sagittario.

Auenar in Aſtrologia Ægyptiorum, ſequentes rerum ſpecies Tauro adſcribit:

ומן החיות כל שיש לו ארבע רגלים ומן אילנות
הגבוהות וכל אילן עושה פרי וכל אילן שאין לו צורך
למים וכל עץ שישתועלות בפריו עץ טעמיו וריחו טובים:

Ex animalibus, inquit, *omnia quadrupeda, & ex arboribus, altæ; & omnis arbor fructificans, & omnis modicæ aquæ indiga, vti montana, fructu valida; omnes denique plantæ & arbores guſtui, ſapori, & odori ſuaues.*

III. Gemini ♊.

Plantæ ad ♊ relatæ.

GEmini ſunt ſignum maſculinum, aëreum, calidum & humidum, ſympathicum humeris.

Grad. plantarũ calido-ſiccar.

I Grad. Aniſum, Althæa, Borrago, Fœniculum, Hyſſopus, Petroſelinum, Prunella, Ruta muraria.

II Grad. Bardana maior, Silix, Tilia alba, Rapa.

III Grad. Alſine, Arum, Macis, Rumex rotunda, ſeu Oxalis, Vrtica mortua.

IV Grad. Acetoſa, Chamædris, Chamomilla, Chelidonium Parthenium, Reubarbarum. Et omnes antipathiam habent cum ſublunaribus Capricorni; ſympathiam cum herbis Libræ & Aquario ſubiectis. Ægyptij verò, vt Auenar recitat, Geminis ſubdebant ſequentia:

תאומים ותולתו: חמה ולחה ובחלצו הרם ומטעמו
מתוק וממארוה העינים כל עץ מתהפך לעינים רבות וב
חלצו.

חלצו מן החיים כל אדם והצוף והעוף שיש לו יגון ערב
ומן הצמחים האילנים הגבוהים :

Et temperamentum eius eſt calidum humidum, ex parte humorum ſanguinem habet; ex ſaporibus omne dulce; ex coloribus, omnes mixtos ex pluribus. Ex viuentibus partem habet hominem & Simiam, & omnes aues ſuaui cantu pollentes, & ex vegetabilibus denique omnes arbores altas.

IV Cancer ♋.

CAncer ſignum eſt fœmininum, aqueum, frigidum humidum, ſympathicum pectori, pulmonibus, coſtis, lieni, quorum quoque affectibus medentur ſequentia, iuxta gradus ſuos diſtincta. Plātæ ad ♋ relatæ.

Grad. plantarũ frigido-humidarũ.

I Grad.	Alſine, Braſſica, Carduus, Fabarum flores ac fructus, Rapunculus, Vitex, Scrophularia.
II Grad.	Arbutus, Coni Abietis, Pini nuclei, Conſolida, Solanum, Therebinthus, Viſcus.
III Grad.	Iuncus, Naſturcium, Semen petroſelini, Portulaca, Salix, Saxifragia, Vermicularis.
IV Grad.	Conchæ, Coralla alba, Cryſtallus, Mater perlarum, Nymphæa, oculi Cancri, Pœonia, Sedum, Vitriolium, & quæ antipathica ſunt ſublunaribus Sagittarij, ſympathica Tauro & Libræ.
	Ægyptij verò, prout Auenar recitat, ſequentia ſubdunt Cancro:

הסרטן והוא צר ולח במעט יושר וממעמום חמוץ
ומלוח וממראה העינים הלבן ועין העפר וכמו העינים
המעושנים ודומה להם ובחלצו מן החיים כל חיות
ושורצים והקטנים מן הרגים וחיות היבשה והעקרבים
ורמש האדמה ובכל ... על מים שיש להם הנוע רבה
ובכל צמח שהוא עם מים וממימי הגשם ובכל מים מתוקים :

Cancer eſt frigidus & humidus parum; ex ſaporibus habet acrem & ſalſum; ex viſibilibus habet colorem album, & cineritium; & qui aſſimulatur ei. Pars animalium ſunt aquatica omnia, ſerpentia, & parui piſces, & animalia ſicca, & ſcorpiones, & omne quod reptat ſuper terram; in ſumma ſignificat ſupra aquam multùm mobilem, & omnia germinantia ſupra riuos aquarum, & quæ ſupra torrentes ſiue aquas pluuiales & dulces proueniant, reſpicit.

V. Leo ♌.

LEo ſignum eſt maſculinum, igneum, id eſt calidum ſiccum, ſympathicum cordi & ſtomacho, & ſequentes ſpecies ſub ſe continet. Plantæ ad ♌ relatæ.

Gradus plantarum calido-ſiccarum.

I Grad. Baſilicum, Crocus, Cypreſſus, Garyophillum, Hyſſopus, Lauendula, Plantago aquatica, Ros Solis, Thymus.

II Grad. Angelica ſylueſtris, Bifolium, Centaurea, Galanga, Gentiana, Morſus Diaboli.

III Grad. Cotula fœtida, Paſtinaca, Mentha, Naſturcium Hortenſe, Pulegium, Ranunculus, Vrtica.

IV Grad. Betula, Geniſta, Buxus, Laurus. Primi gradus herbæ colliguntur Sole exiſtente in Piſcibus, & Luna in Cancro. Secundi gradus ſpecies colliguntur in principio Maij ante ortum Solis, vel ſub finem Auguſti; vel Sole exiſtente in Tauro, & Luna in Geminis, ante ortum Solis. Tertij gradus ſpecies colliguntur Sole exiſtente in Leone, & Luna in Virgine ad vltimum quadratum, vel ad refrigerationem, Sole in Tauro, & Luna in Geminis verſantibus, ante ortum Solis. Quarti gradus ſpecies colliguntur Sole in Piſcibus, & Luna in Aquario; ex influxu enim huiuſmodi ad trmperiem reducuntur. Verùm audiamus de hiſce Auenar ex mente Ægyptiorum ſic diſſerentem;

ותולדתו חמה ויבשה וחמרה הארמה ומטעמו מרוחריף ממראה העינים המכורכה והצתוב ומן החיות האריות והנמרים והצפועים והדובים והזאבים ומכלי המתכות הזהב והכסף והאבנים היקרות והאבן הנוקבת האבנים הנקראות אלמאס והאבן מלקנות התבן הנק״אלסרי וכל מלאכת האש:

Id eſt, *Complexione calidum ſiccum; ex humoribus habet choleram rubeam; ex ſaporibus amarum & acutum; ex coloribus croceum, ruffum, ad rubedinem vergentem; ex animalibus habet Leones, Leopardos, Baſiliſcos, Vrſos, Lupos; ex metallis Aurum & Argentum, lapideſq; pretioſos, Adamantem, Chryſopraſon, & qui dicitur Elſari, & omne opus ignis.*

VI Virgo ♍.

Plantæ ad ♍ relatæ.

VIrgo eſt ſignum fœmineum, terreum frgido-ſiccum; ſympathicum hepati, inteſtinis, & ventri, cuius ſpecies ſequuntur.

Grad. I. Acetoſa, Berberis, Cychorea, Plantago acuta, Pyrus, Saluia ſylueſtris; naturâ frigido-ſiccæ.

Grad. II Beta alba, Cynosbatos, Meſpilus, Sigillum Salomonis; ſecundo gradu frigido-ſiccæ.

Grad. III. Ariſtolochia, Conſolida media, Coniza, Prunella, Quercus; tertio gradu frigido-ſiccæ.

Grad. IV. Carduus benedictus, Centaurea minor, Ophiogloſſum, Prunus ſylueſtris, cum omnibus ſuis partibus, Serpentaria, Tormentilla.

la. Sympathicæ ſunt cum Tauri ſpeciebus; antipathicæ cum Ariete & Leone; de quibus ita Auenar in Aſtrologia Ægyptiorum:

ותולדתו קרה ויבשה והוא מוליד המרה השחורה ומטעמו העפיץ והעוצר וממראה העינים הלובן והארגמן ועין העבר ובחלצו מן החיים האדם והעוף ומן הצמחים כל צמח קטן שאין לו שוק במו רחטה והשערה והפיל וכל מיני מן ורועְנים:

Natura eius frigida & ſicca; & generat Choleram nigram; ex ſaporibus habet ſtipticum; Ex coloribus album, & purpureum, atque cineritium; Ex viuentibus hominem, & auem; Ex germinantibus, omnem plantam, cuiuſmodi eſt frumentum ſine ſtipite, hordeum, faba, & omnia genera ſeminum.

VII Libra ♎.

Libra eſt ſignum maſculinum, aëreum, calidum humidum; Renibus & veſicæ ſympathicum. Cuius ſpecies ſequuntur. Plantæ ad ♎ relatæ.

Grad. I. Bellidis genera omnia, Conſolida media, Parthenium, Prunella veris, Mæum, Tragopogum.

Grad. II. Allium, Althæa, Chamæmilla, Martagon, Malua, Verbena, Viſcus, Tilia.

Grad. III. Antirrhinum, Artemiſia, Chalidonium maius, Mentha nigra, Scabioſa, Scrophularia.

Grad. IV. Alyſſum, Alſime, Corylus, Ruta muraria. Auenar verò ſequentes ſpecies refert.

ותלדתו חמה ולחה ושלא האדם וכל עוף שראשו גדול ומן הצמחים האילנים הגבוהים ומטעמים מתוק ומראה עינים הירוק ועין עבר:

Natura eius calido humida; ex animalibus habet hominem, & aues magni capitis; & ex germinibus, arbores altas; ex ſaporibus dulcem; ex coloribus viridem & cinericium.

VIII Scorpius ♏

Scorpius eſt ſignum fœmineum, aqueum, frigidum humidum; ſympathicum partibus genitalibus. Species eius ſequuntur. Plantæ ad ♏ relatæ.

Grad. I. Cruciata, Oxyacantha, Sorbus ſylueſtris.

Grad. II. Fraxinus, Poma omnis generis, Prunus, Concha, Oſtrea; huc pertinent omnia ſimplicia primi gradus Cancri, ſi menſe Octobris collecta fuerint.

Grad.

Grad. III. Beetoſella, Erua, Parthenium, Saponaria, & omnes herbæ, ſecundi gradus, collectæ Sole in Cancro exiſtente.

Grad. IV. Atriplicis ſpecies, Beta rubra, Mercurialis, Narcyſſus.

ומטעמו כל מלוח ותפל ועין מראתו מאדום וירוק ועין העפר והלצו מהחיים העקרבים והחיות ורמש האדמה והחיות המים וכל מים שהם רצום ומהירים וכל צמח שהוא כמים ומן הצמחים האילנים האמצעיים :

Ex ſaporibus ſalſum & inſipidum; ex viſibilibus rubrum, viridem & cineritium ſeu cæruleum; ex animalibus, Scorpiones, & omne reptile ſuper terram, omnia animalia aquatica; & ex generibus omnia ad aquas vel intra aquas naſcentia, vti corallus; ex germinibus arbores medias, &c.

IX Sagittarius ♐.

Plantæ ad ♐ relatæ.

SAgittarius eſt ſignum maſculinum, igneum, calidum ſiccum, ſympathicum coxis, lumbis, & ſimilibus. Species eius ſunt.

Grad. I. Conſolida maior, Cœpa, Raphanus, Seſamum, Flores Tiliæ, Verbena lutea.

Grad. II. Allium, Angelica ſylueſtris Hyoſciamus, Leuiſticum, Salicis folia.

Grad. III. Aſarum, Beta rubra, Chalidonium, Crocus; Curcuma, Filix, Hedera terreſtris, Iuglans, Rubia, Succiſa.

Grad. IV. Antimonium, Momordica, Euphorbium, Naſturcium, Vitis alba. Iuxta Auenar, ex animantibus habet homines, equos, aues, ſerpentes; ex metallis Plumbum & Stannum; ex lapidibus Smaragdum.

X Capricornus ♑

Plantæ ad ♑ relatæ.

CApricornus eſt ſignum fœmininum, terreſtre, frigidum & ſiccum, ſympathicum genibus & neruis. Species eius ſunt ſequentes.

Grad. I. Calendula, Ceraſa nigra, marina, Enula, Morus, Vaccinia.

Grad. II. Scarlea, Verbaſcus.

Grad. III. Acorus, Arum, Burſa paſtoris, Cucurbita, Sonchi omnis generis.

Grad. IV. Helleborus, Hyoſciamus, Mandragora, Napellus, Solanum, & omnes herbæ venenoſæ, Staphiſagria. Auenar, *Ex ſaporibus amarum & ſtipticum habet; ex coloribus, nigrum, pulueruleutum; ex animalibus partim quadrupedia, partim aquatica; ex germinantibus oliuas & glandes, fruticeſque ſpinoſas.*

XI

XI Aquarius ♒.

AQuarius est signum masculinum, aëreum, calidum humidum, sympathicum tibijs, & omnibus his speciebus adornatum. plãtæ ad ♒ relatæ.

Grad. I. Angelica, Daucus, Ficus, Fraxini flores, Iuglans, Melilotus, Sanicula, Sigillum Salomonis.
Grad. II. Consolida regalis, Cuminum, Epithymum, Geranium, Lappa, Radix rhodia, Parietaria.
Grad. III. Agrimonia, Myuris, Horminum, Saxifragia, Serpentaria, Saluia syluestris.
Grad. IV. Asari folia, Cardiaca, Cicuta, Mespilus; quibus addit Auenar, ex humoribus sanguinem; ex saporibus dulcem; ex coloribus viridem, citrinum.

XII Pisces ♓.

PIsces, signum fœmininum, aquaticum, frigidum humidum, sympathicum pedibus; cuius species sunt: Plantæ ad ♓ relatæ.

Grad. I. Fagus, Aristolochia, Caulis caput, Cucurbita, Myrabolanus, Napus, Nymphæa, Portulaca.
Grad. II. Artiocus, Anthirrinum, Cyanus, Stæchas citrina.
Grad. III. Nigella, Papauer cornutum, Sonchus.
Grad. IV. Cicuta, Hyosciamus, Napellus, Salanum, Serpens; quibus adiungit Auenar ex saporibus salsum; ex coloribus viridem, album & varium; ex animalibus omnia aquatica; ex germinantibus itidem aquatica; ex lapidibus, corallum.

Atque hæ sunt species, quas Neoterici nonnulli iuxta Ægyptiorum regulam duodecim signis subdiderunt; sed qui penitiore ea trutina examinârit, inueniet multa hiare, nec satisfacere posse, cùm vni & eidem signo prorsùs contrariarum qualitatum species subiecerint, venenosa salubribus prorsùs sine ratione miscuerint. Non sic Ægyptij, qui summo iudicio vnam aliquam plantam seligebant, quæ signatura membrum & qualitatem eius exprimeret, eodemq; tempore colligeretur; verbo, iam exactè singula vnicuiq; signo subiecta, siue saporem, siue odorem, siue formam & figuram spectes, disponebant, vt nihil vndiquaque foret, quod non omnimodè cœlesti signo, & membro quod denotabat, responderet, vt paulò post videbitur, vbi primam classem planetariarum specierum examinauerimus.

Characterismi Plantarum ad septem Planetas comparati.

Characterismi plantarũ ad Planetas comparati.

INfluentiæ stellarum sunt effluuia peculiaribus facultatibus prædita, quibus res sibi familiares, si robustæ, & in vigore stellæ fuerint, roborant, secundant, promouent; contrà, res sibi contrarias debilitant, deprauant, impediunt. Familiaritas siquidem stellarum cum sublunaribus ex mente Platonis & Paracelsi iuxta stellas singulas, & singula sublunarium genera, constituenda foret; (nam stellas singulas singulis sublunarium speciebus præesse volunt, & ijsdem peculiari influentiâ, suas vires influere.) Verùm cùm difficile esset, singulis indiuiduis singulas stellas assignare; hinc forsan nonnulli, meliori iudicio, non rebus singulis singulas stellas, sed facultatem tantùm viresque, quibus singulæ à natura dotatæ sunt, stellis aptè assignarunt. Hinc Lunæ naturam exprimentes res, lunares; Mercurio competentes, Mercuriales; Veneri, Venereas; Soli, Solares aptè denominarunt, vt doctè demõstrat suprà citatus Arabs Aben. elrahhmon. Quæ quales fuerint hoc loco exhibendas duximus, à Saturno incipientes.

I. Saturnus ♄ eiusque species ex Auenar extractæ.

VTi Saturnus ex se & sua natura malignus; summè frigidus, melancholicus, Martis amicus, reliquis inimicus; sic progenies eius similibus dotibus instructa est, ac proinde præcisè in Microcosmo lienem respiciunt, membrum similibus qualitatibus insignitum.

Res Saturninæ, & Spleneticæ.

Res Saturninæ seu spleneticæ ♄ humidæ.

EX Mineralibus Cinabrium, Plumbum, Auripigmentum, possidet; ex lapidibus, Marchasitam, Saphyrum, & omnia terrea fusca & ponderosa; ex vegetabilibus omnia venenosa & narcotica, vti sunt Aconitum, Helleborus, Hyosciamus, Solanum, Opium, Cicuta, Napellus, & mediæ naturæ res, vt Vitex, Asphodelus, Cannabis, Cypressus, Filix, Lappa, Mandragora, Pinus, polypodium, Scolopendria, & omnes Aspleniorum & Semperuiuorum species, Serpentaria, Tamariscus. Ex animalibus, solitaria, nocturna, tristia, vti sunt Asinus, Vrsus, Buso, Camelus, Talpa, Scorpio. Ex auibus, Bubo, Coruus, Noctua, Vespertilio, Vpupa.

II Iuppiter ♃ & res Iouiales.

Res Iouiales seu Hepaticæ hora ♃.

IVppiter, ζῶς, vita, benignus planeta, vti moderatissimus, ita omnibus amicus est, si Martem excipias, & hepati sympathicus est; has sibi species subiectas habet.

Ex

Ex mineralibus, Aurum, Corallum, Hyacinthum, Iaspidem viridem, Saphyrum, Smaragdum. E vegetabilibus, Amygdalum, Buglossam, Calamentham, Hepaticam nobilem, Lilium candidum, Morum, Pomum, Ocymum, Oliuam, Origanum, Prunum, Oliuam, Pœoniam, Rubiam tinctorum, Spicanardum, Symphytum, Violam, Manna, Mastichen, Styracem, Saccarum, & omnia boni & aromatici odoris, & saporis dulcis. Ex animalibus Agnum, Ceruum, Elephantum, Ouem, Taurum; ex auibus, Aquilam, Gruem, Phasianum; ex aquatilibus Delphinum. Antipathica sunt ei omnia Marti subiecta, vt sequitur.

III. *Mars, ♂ & res Martiales.*

Mars, πυρόεις, malignus, summè calidus, præter Venerem omnibus inimicus, vesicæ fellis sympathicus est, & continet has species.

Ex mineralibus Auripigmentum, Arsenicum, omnia rubea, ignea, sulphurea. Ex lapidibus, Adamantem, Amethistum, Magnetem, Ostracollum, Sal ammoniacum. E vegetabilibus, Arum, Allium, Carduum, Cæpam, Helleborum, Lathyrin, Napellum, Porrum, Sinapi, Vrticam, Tormentillam, Castoreum, Euphorbium, Scammoneam, & venenosa omnia. Ex animalibus, bellicosa, impetuosa, potentia, biliosa, rapacia, vti sunt Hircus, Rhinoceros, Lupus, Pardus; ex auibus, Accipitrem, Falconem, Miluum, Vulturem: è piscibus Lucium, Pastinacam marinam, Canem marinum, Percam.

Res martiales seu Cholerica hora ♂.

IV *Sol ☉ & res Solares.*

Sol beneuolus, amicus Iouis & Veneris, reliquis inimicus, cordi sympathicus est, vti & omnibus cardiacis, vt sequitur.

Ex mineralibus Aurum, Terram Solarem, sigillatam; ex lapidibus Ætitem, Carbunculum, Chrysolithum, Rubinum, & Ambram continet. E vegetabilibus, aromata omnia, veluti Cynnamomum, Charyophyllum, Chelidonium, Coronam regis, Granatum, Helenium, Heliotropium, Hypericonem, Laurum, Maioranam, Melissam, Poma citria, Rosmarinum, Milium Solis, Vitem, Thus, Mel, Myrrham. Ex animalibus, Arietem, Equum, Leonem. Ex auibus, Gallum, Cygnum; ex insectis, Cantharides, Scarabæos, Cincindelas, quibus contrariæ sunt res Lunares.

Res Solares seu cardiacæ, hora ☉.

V *Venus ♀ & res Venereæ.*

Venus, Ἀφροδίτη, beneuola, amica Soli, Marti, Mercurio, Lunæ, inimica Saturno, sympathica est partibus genitalibus; & has species continet.

Ex mineralibus, Argentum, Ambram; ex lapidibus Berillum, Co-

Res Venereæ seu spermaticæ hora ♀.

rallum, lapidem Lazuli, Saphyrum, Topazium, Tutiam. Ex vegetabilibus, Adianthum, Coriandrum, Cyclamen, Fabariam fragariam. Omnes Orchidum & Satyriorum species; Lilia, Narcyssum, Rosam, Serpillum, Thymum, Muscum, & omnis generis thymiamata; ex animalibus, delitiosa, lasciua, mitia, blanda, iucunda, vt sunt Catulus, Cuniculus, Capra, Hircus. Ex auibus, Columbam, Cygnum, Lusciniam, Motacillam, Passerem, Pauonem, Picam, Turturem.

VI Mercurius ☿ & res Mercuriales.

Mercurius mutabilis, bonus cum bonis, malus cum malis; respicit pulmones, quos influxu suo sympathicè irradiat. Species eius sunt.

Res Mercuriales seu pulmonariæ hora ☿.

Ex mineralibus, Argentum viuum, Marchasita, Smaragdus, Topazius. Ex vegetabilibus, Anisum, Aquilegia, Chamæmilla, Fumus terræ, Corylus, Iuniperus, Nummularia, Pentaphyllum, Pimpinella, Scabiosa, Mercurialis, Tussilago, Veronica. Ex animalibus, ingeniosa, astuta, sagacia, abblandientia, loquacia, vt Canis, Simia, Vulpes; ex auibus, Alauda, Pica, Luscinia, Psittacus, Merula, Carduelis. Ex aquatilibus, Rana piscatrix; ex insectis Formica, Apis, Gryllus, Locusta.

VII Luna ☽ & res Lunares.

Luna mediocris inter bonitatem & malitiam, respicit cerebrum, & neruosam substantiam; resque sibi subiectas habet, vt sequitur.

Res Lunares seu Encephalicæ sumendæ hora ☽.

Ex mineralibus, Argentum, Selenitem, Alumen, & omnia salium genera, sicuti & omnia alba, & viridia, vt sunt Corallus alba, Crystallus, Margarita, Mater perlarum, Succinum, Camphora, Ambra. Ex vegetabilibus, Agnus castus, Alkakengi, Arundo, Brassica, Lactuca, Mandragora, Nasturcium, Nymphæa, Iuglans, Portulaca, omnia denique Lunariarum genera, & quæ intra, aut ad aquas natales suos habent. Ex animalibus, Felis, Anser, Ardea, Mergus, & omnes aquaticæ volucres; ex piscibus, Cancer, Cochleæ, Ostrea, Ranæ; ex insectis, Aranea, Bufo.

Atque hæ sunt species rerum sublunarium septem planetarum dominio subiectæ, partim ex Neotericis, partim ex Auenar Arabe extracta; è quibus Ægyptij suas harmonicas concinnabant catenas, ad in medicamentis humani corporis infirmitatibus subueniendum.

CAPVT IV.

Applicatio dictorum, siue Medicina Aegyptiorum applicata; & primùm de Botanicis remedijs, & morborum distinctione.

PRædictas analogas rerum ad superiorum entium species Ægyptij suis temporibus, locis, alijsque circumstantijs ita cautè & sollicitè in vsum Medicum adhibebant, vt si vnam præterirent, irritum totum negotium cadere crederent. Distinguebant verò morbos omnes, iuxta numeros membrorum humani corporis, comparatos ad duodecim signa, & septem planetas; ita vt Cephalicos morbos ad Arietem & Lunam; *Ægyptij morbos distinguebant iuxta numerum membrorum corporis humani.*



Pulmonares ad Cancrum & Mercurium; Cardiacos, id est, cordis infirmitates ad Leonem & Solem; & sic cœteros morbos singulos ad sua signa, & planetas, tanquam sympathicas eorundem causas referrent. Quo facto, si quis infirmitate quâdam capitis laboraret, diligenter causas morbi, & qualitatem examinabant, si ex humiditate, vel frigore originem habuisset. Quod si excessiuo quodam phlegmone inuasum esset membrum, catenam humido-frigidorum in dictæ infirmitatis curam adhibebant. Si contrà frigus & siccitas causa fuisset, humido-calidorum catenam sibi consulendam putabant. Atque hic erat primus gradus medicationis Ægyptiacæ, quo contraria contrarijs adhibebant. Quæ omnia fusè deducit Rabbi Sola, Haly Arabs, & Prosper Alpinus in suis de Medicina Ægyptiorum monumentis. Qui verò aliquantulum subtiliùs de rebus Medicis ratiocinabantur, paulò antè enarratos morbos succisiùs subdiuidebunt. Ita capitis morbos in quinque Classes diuidebant, ita vt primaria Classis morbos rheumaticos, siue eos, qui à rheumate seu catharro dependent, contineret; cuiusmodi sunt catharri, scotomia, vertigo, paralysis, epilepsia, apoplexia; quibus curandis peculiares Medicos adhibe- *Rabbi Sola. Haly Arabs. Prosper Alpinus. Morborum capitis quinque classes.*

hibebant, qui totâ vitâ nihil aliud moliebantur, quàm vt horum malorum causas, & origines scrutarentur, ijsque oportuna & appropriata media singulis singula adinuenirent. Secunda Classis, morbos oculorum; Tertia aurium; Quarta linguæ & faucium continebat; Quinta circa extrinseca mala, vt sunt scabies, psora, & vulnera extrinsecus inflicta, versabatur; quibus singulis curandis totidem Medicos præficiebant; ita vt alij essent Medici Rheumatici; alij Oculares; Auriculares alij; alij denique alijs præficerentur curandis malis; neque vlli alijs, lege latâ, vti suprà in Politica Ægyptiorum cap. 3. fusè deduximus, licebat intendere. Alij prætereà non occupabantur, nisi in pectoris & pulmonum cura; alij in cordis morbis, quorum iterum magna varietas est, medendis destinabantur. Alij in hepatis, renum, & vesicæ, splenis, iliorum; alij in stomachi, & intestinorum; alij denique in febrium curam vnicè incumbebat; ita vt tot Medici, quot morborum species essent, deputarentur. Sic fiebat vt singuli summo studio membri sibi commissi curam per oportuna remedia, & quàm maximè appropriata, atque ex catenis suis extracta, adorirentur, effectusque sequerentur in dictorum morborum cura prorsus prodigiosi. Quia tamen magna morborum vnius ad aliud membrum connexio est, hinc lege tenebantur primò vniuersalem Medicinam, & anatomiam addiscere; & tandem sufficiente eiusdem notitiâ instructi ad particulares morbos sanandos pro inclinatione cuiusuis, animum adijcere. Vide quæ suprà in Politica Ægyptiorum pluribus de hisce egimus. Porrò cùm Ægyptus ex naturali sua constitutione certos quosdam & epidemicos morbos produceret, de quibus vide suprà citatum Prosperum Alpinum; diligenti indagine primò causas horum morborum indagabant, & deinde commoda remedia adhibebant. Nam certis anni temporibus ex Austro ardentibus sabulosi soli caloribus venti commisti, vti exotica symptomata in corporibus, ita morbos quoque diuersos efficiebant. His itaque præmissis, curam membrorum triplici viâ aggrediebantur; sympathica, astræa, characteristica siue hieroglyphica; de quibus singulis differemus.

Morbi aliorum corporis humani membrorum.

Morbi peculiares habebant peculiares Medicos apud Ægyptios.

CAPVT V.

Medicina sympathica:

MEdicina sympathica Ægyptiorum in hoc consistebat, vt res seu species eorum quæ occultum aliquem ad membrum curandum consensum habere cognoscerentur, singulari præparatione adhiberentur. Has autem ex catenis mundanis, quibus res eiusdem naturæ plantæ alicui, vel signo Zodiaci, quod membro curando præerat, abditæ naturæ similitudine connecterentur, depromebant: nôrant enim species nonnullas naturali quâdam inclinatione cum sidere aliquo connexas membrorum, quorum sigilla exprimebant, conseruationem appetere, ita vt quantò plures huiusmodi concurrerent, tantò maiores effectus in cura membri appe-

Medicina sympathica Ægyptiorum.

appetiti se præstituros esse crederent. Nam vt rectè inquiunt Arabes ex mente Ægyptiorum apud Marsilium Ficinum cap. 2. de vita cœlitùs comparanda. *Neque verò diffidere debet quispiam, nos, atque omnia quæ circa nos sunt, præparamentis quibusdam posse sibi vendicare cœlestia; nam cœlitùs hæc facta sunt, assiduèque reguntur, & illi inprimis præparati sunt ad illa. Ergo sicuti in nobis membri cuiuslibet, præsertim principalis qualitas motusque ad alia pertinet, ita membrorum principalium actus in Mundo commouent omnia, & membra inferiora facilè capiunt à supremis vltrò dare paratis; quo enim potentior causa est, eò est principalior ad agendum, eò & propensior ad dandum; exigua itaq; præparatis nobis insuper adhibita cura sufficit, cœlestium muneribus capiendis, si modò quisque ad id præcipuè se accommodet, cui præcipuè subditus est.* Et capite septimo applicationem huius rei docet his verbis: *Totum corpus fouebitur, caput verò potissimùm, si planetas obseruaueris in Ariete, vel in suo quemque domicilio; præcordia, si in Leone; stomachus, iecurque, si in Cancro, & Marte, vel saltem in Virgine; adhibuerisque ea quæ propriè membrum petunt. Expedit quoque, quæ quisq; Planeta membra in signo quolibet habeat, nosse.* Quæ omnia vno mundanæ vitæ spiritu animata credebantur ab Antiquis Ægyptijs. Nam vt rectè Abu Rhodam asserit, fuit Ægyptiorum dogma; animam Mundi, quam روح الدنيا *Ruach aldonia* vocabant, totidem rationes diuinitùs sibi habere insitas, quot sunt in mente diuina ideæ, quibus ipse fabricatur species in materia; vnde vnaquæque species per propriam rationem seminalem propriè respondet ideæ; facilèque potest per hanc sæpe aliquid illinc accipere, quandoquidem per hanc illinc est affecta; ideoque si quando à propria forma degeneret, potest hoc medio sibi proximo formari rursum, per quod id medium inde facilè potest reformari. At si certæ cuidam rerum speciei, vel indiuiduo eius ritè abhibeas multa quæ sparsa sunt, sed ideæ conformia, mox in materiam hanc hoc pacto opportunè paratam singulare munus ab idea, per rationem videlicet animæ seminalem, deriuabis; non enim intellectus ipse propriè, sed anima ducitur; neque enim putabant Sapientes veteres certis Mundi materijs Numina quædam à materia penitus segregata trahi, sed Dæmones potiùs animatique munere stellarum viuentium, vti dicebant, trahebantur. Quando itaque anima gignit speciales inferiorum formas, viresque eas per rationes efficit proprias, sub stellarum formarumque cœlestiū adminiculo; singulares verò indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt tam admirandæ, quàm in speciebus esse solent, exhibet per seminales rationes, non tam sub adminiculo formarum figurarumque cœlestium, quàm situ stellarum, & motionum habitu, aspectuumque planetarum tùm inter se, tùm ad stellas planetis sublimiores; anima siquidem nostra vltra vires membrorum proprias communem vbique promit in nobis vitæ virtutem, maximè verò per cor tanquam ignis animæ proprium fontem. Similiter anima Mundi, dicebant Veteres, vti vigens per Solem præcipuè suam passim explicat communis vitæ virtutem; vnde & animam & in nobis, & in Mundo, in quolibet totam, potissimùm in corde, atque Sole collocatam arbitrabantur. Sicuti enim animæ nostræ virtus per spiritum

Marsilius Ficinus.

Abu Rhodam Ægyptiorum dogma de Anima mundi.

Anima mundi per Solem vires suas exerit.

adhi-

adhibetur membris, sic virtutem animæ Mundi per ætherem, quæ est veluti quinta quædam essentia, quæ vbique viget, omnium penetratiua; ceu spiritus quidam intra corpus Mundanum, sub anima Mundi dilatari putabant per omnia, maximè verò illis virtutem hanc infundi, quæ eiusmodi spiritus plurimùm hauserant. Hinc quintam hanc essentiam tùm elementis, tùm mixtis commistam dextrè segregabant, ijs potissimùm vtentes, quæ huiusmodi quintâ essentiâ & spiritu abundabant, vt sunt vinum, saccarum, balsamum, aurum, lapidesque pretiosi, myrabulani, quæ suauissimè redolent, lucentque, & in subtili substantia qualitatem habent calidam, humidam, atque claram. Præterea sicuti alimenta ritè in nobis assumpta per se non viua, per spiritum tamen nostrum ad vitæ nostræ formam rediguntur; sic & corpora nostra ritè applicata corpori, spirituique mundano, videlicet per res mundanas, & per spiritum nostrum ijs sympathicum, necesse est, vt illa ex vita mundana hauriant quàm plurimùm. Quæ omnia pulchrè ostendit Iamblichus de mysterijs Ægyptiorum, quem Lector consulat.

Quinta essentia rerum.

Medendi ratio Ægyptiorum.

Hinc Ægyptij, vt morborum radices efficaciùs extirparent, Medicinas singulis membris appropriatas, ex herbis, plantis, animalibus, dictis membris analogis, sub correspondente cœli situ & hora compositas alembico imponebant, & distillatione continuâ inde aquam purissimam, subtilissimam, atque ætheri siue quintæ essentiæ mundanæ, quem spiritum animæ Mundi dicebant, simillimam summâ industriâ extrahebant. Verbi gratia caput à noxijs rheumatismis purgaturi; è speciebus quæ caput respicerent, liquorem trahebant, qui congruo tempore iuxta Astrologicas leges sumptus, euestigio ad membrum, cujus causâ productus erat, conseruandum, contraq; inimicas morbosarum qualitatum ibidem stabulantium machinas confortandum conuolabat; fiebatque vt tùm vi penetratiuâ, tùm efficaciâ medicamenti æger mox inimico latente liberaretur. Idem dicendum de cardiacis, spleneticis, hepaticis, spermaticis, pectoralibus, & sic de cœteris: liquorem enim hunc subtilissimum à spiritu mundano vitarum authore mirificè confortari aiebant, qui quidem in vnum cum spiritu æthereo coalescens, ac præter hæc commixtarum ei specierum appropriatis virtutibus tinctus, non poterat non magnos & prodigiosos in morbis profligandis effectus præstare, cùm in huiusmodi liquoribus, abiectis, exutisque crudis speciebus, & vtcunq; inexistentibus malignitatibus, sola rerum vis, & naturalis dos qualitasque dominetur specifica à totius substantiæ proprietate emanans. Et quoniam in omni distillatione tria potissimùm miro dissolutionis artificio emergunt, spiritus, oleum, sal; vti spiritus miram vim in membris sibi sympathicis confortandis obtinebat, ita sal in canalium microcosmi obstructionibus aperiendis, vti & oleum in extrinsecorum malorum cura miræ efficaciæ perhibebatur, vnumquodque in ea partis affectione, cui symbolum erat. Nonnulli vino electo priùs maceratas, & deinde distillatas exhibebant res. Alij electuaria inde conficiebant, pro inclinatione videlicet & iudicio Medicorum, qui tamen nunquam à catena rerum morbo alicui profli-

Distillatione tria eliciuntur, Spiritus, Oleum, Sal.

gan-

gando conferentium, recedebant. Quæ quidem fusissimè pertractata apud EbnRhodan Arabem vide.

De Panacea, seu Medicamento Catholico Aegyptiorum omnibus morbis profligandis aptissimo.

Naturam morborum medicatricem illam dicit Hippocrates instrumentorum causam, qua ad præcipuas facultates exercendas, vel instaurandi conseruandique causa, anima immediatè vtitur. Quam quidem intelliges non elementarem tantùm partium miscellam, primarumque qualitatum crasin, sed substantiam illam ex humido radicali & & calido primogenio, insitoque spiritu conflatam, animi corporisque vinculum, cœlestium, terrestriumque hypostasin, quam in præcedentibus quintam essentiam appellauimus; Veteres cœlum quoque elementare, & elementum cœleste nominarunt. Quæ quidem ex mente Hippocratis è singulis membris humani corporis decidua semen informat, fermentat, disponit, & subituræ sibi animæ corpus ex subiecta sibi materia efformat, partibus consimilibus ipsis, à quibus effluxit, noua harmonica propaginis miscella. Nam pars è capite excisa, nouum caput, cuius ideam retinuit, conformat; quæ ex corde, nouum cor; quæ ex hepate, nouum hepar; quæ ex pulmonibus, nouum pulmonem; & sic de cœteris. Quod autem sibi efformauit membrum in nondum edito fœtu, eiusdem officium est, ipsummet in iam edito in omnibus incolume conseruare, vel ad salubritatem reducere, si ex ea fortè deciderit. Tametsi verò natura illa tota ad totius corporis integritatem, conseruationem, incolumitatemque concurrat; potissimùm tamen eius diuersæ particulæ, diuersis corporis partibus, quibus innatæ sunt, per occultam quandam sympathiam consensumque, opem adiumentumque ferunt; quod Medici dispositionem vocare consueuerunt partium a tota substantia procedentem. Quamuis enim natura inuicem minimè differant, vtpote substantiæ innatæ; aliquam tamen habent propriam συμπάθειαν cum corporis partibus quibus insunt, qua corporis membrum cui congeneæ sunt, conseruant, confortant, & à morbis veluti conseruationi contrarijs vindicant. Hinc Ægyptij capitis morbo laborantibus capita volucrum, cerebraque diuersa animalium, maxime congruorum; hepaticis iecinora; cardiacis corda; spleneticis splenes; phthisicis pulmones, vt dixi, appropriatorum animalium deuoranda, vel cocta, vel appropriatis herbis, cephalicis, cardiacis, hepaticis, pulmonaribus, spleneticis præparata exhibebant; non nescij, huiusmodi alimentum probè officio suo in curando membro, cuius signaturam habebat, & in cuius conseruationem vnicè inclinabat, functurum. Et tametsi magno cum infirmorum commodo similia exhiberentur, quia tamen experientiâ didicerant, tantò medicamenta maiorem effectum sortitura, quantò partibus, imò toti similiora, imò eadem iuxta speciem suam forent; hinc aliud quidpiam sublimiùs architectati sunt. Etenim ex singulis

Panacea Ægyptiorum. Hipocrates per naturam medicatricē quid intelligat.

Virtus primogenia humidi radicalis & calidi.

Natura medicatrix.

Ægyptij diuersis membris laborantibus diuersa animalium membra applicabant.

Ægyptij ex humani corporis membris liquores medicos eliciebant.

gulis humani corporis membris seorsim Chymicâ arte liquores quosdam extrahebant; quibus mirificos, & quasi prodigiosos effectus, in cura eius partis, ex qua extracti essent, præstabant. Sic autem procedebant. Ad spiritum vitalem corroborandum, cor hominis recenter occisi, & adhuc calidi eximebant, vel hepar, vel pulmones, vel cerebrum, & sic de cœteris; quòd minutas in partes contusum mixtis herbis, si cor esset, cordiacis; si hepar, hepaticis; si stomachus, stomachicis, alijsque rebus dictum membrum respicientibus, & sic de cœteris, alembico inclusum igne lento distillabant: liquor enim, qui inde proueniebat, erat illis Medicina appropriata & specifica, in propositi membri curam destinata; quam ægro vel solam, siue alijs mistam, vel iusculo liquoribus probè diluto, competente tempore & hora præbebant. Panaceam verò sic præparabant. Cadauera, quas Mumias vocant, ritè prius balsamo, myrrha, asphalto, cœterisque speciebus condita, minutim secabant, quibus frumentum, vinum, myrabulanos, aurifolia, similiaque catholica medicamenta apponebant; totaque massa intra vas Chymicum imposita, inde vel salem, vel liquorem eliciebant, quem Panacea dicebant, omnibus morbis proficuum. Cùm enim virtute in dicto corpore omnia membra lateant, suisque specificis virtutibus polleant, & singula ad singula sibi sympathica inclinationem habeant naturalem; certò sibi persuadebant, singulas singularum partium in hoc extrahi latentes virtutes, & inconfusas eo modo in membra sibi correspondentia agere, quo separatæ agunt: atque adeo liquorem hunc catholicum, vti ex totius corporis massâ extractus fuit, ita catholicam quoque virtutem obtinere, ad totum corpus, cui applicabatur, ab omni morborum violentia tutandum, vindicandumque, ob rationes paulò antè indicatas existimabant. Quæ omnia fusiùs prosequitur suprà citatus Eben Rhodam in suo de Ægyptiorum Medicina tractatu, cuius verba Arabica libenter hoc loco apponerem, nisi libri moles, & describendi tædium deterreret; sufficiat mentem eius paucis hisce insinuasse.

Panaceam quomodo præpararint Ægyptij.

Eben Rhoda.

CAPVT VI.

De Medicina Hyperphysica & Astræa, seu Characteristica, aut Amuletaria.

§. I.

De Medicina Hyperphysica Aegyptiorum.

Medicina hyperphysica quæ.

MEdicinam hyperphysicam eam esse dicimus, quæ non naturalis indaginis studio, sed diuini Numinis, aut Genij alicuius inspiratione acquiritur; idque varijs modis contingere potest, vel per adiurationes

nes & ensalmos, vel per somnium, aut apparitiones manifestas, alijsque modis quos in Magia hieroglyphica descripsimus. Et hoc erat proprium institutum Hierophantarum Ægyptiorum; ad quod gratiæ munus adipiscendum mirum in modum se ieiunijs, vitæ castimoniâ, temperantiâ victus se disponere nôrant; medijs siquidem naturalibus, & intellectualibus operationibus, Deorumque perpetuâ contemplatione, ad id se peruenire posse firmiter credebant. Erant autem ijs decem Dij, quibus potissimùm in medicamentorum singulis morbis appropriatorum reuelatione consequenda, vti infrà ostendemus, adiurandis, sollicitandisque occupantur; quibus & singulos suos numeros consecrabant, veluti mundialium catenarum indices: quos & mirâ quâdam ratione rebus naturalibus ad prodigiosos effectus producendos applicabant; quod in vegetabilium argumento maximè patuit. Vnum siquidem supremo Numini & Causæ causarum, ex quo vti ex perenni quodam fonte cuncta profluunt, dicabant. Nephtæ dyadem, Mineruæ triadem, tetradem Apollini, siue Horo, pentadem Isidi, Osiri hectadem, heptadem Mercurio, octadem Ammoni, enneadem Typhoni, decadem denique Momphtæ attribuebant. Verùm, vt procedendi methodum in vegetabilis naturæ officina constitam (vt interim alios naturæ gradus taceam) demonstrem; primò herbarum folia quem numerum exprimerent, inquirebant; & hanc, quæ numerum aliquem certum certo Numini dedicatum foliorum numerosa fœtura adæquaret, veluti sub correspondentis Numinis tutela conseruabant, tanquam ad dicti Numinis œconomiam pertinentem. Flores quoque secundùm foliorum numerum quibus ornabantur, vnà cum figura & colore examinabant; & si quem florem Numini alicui, quoad numerum, figuram, colorem correspondentem nacti essent, illum eidem Numini tanquam maximè appropriatum existimabant; hoc eodem sacrificia peragebant, tanquam ad flectendum Numen efficacissimo. Idem faciebant in numero nucleorum alicuius fructus. Quæ omnia tandem longâ experientiâ docti, tanquam ad dictorum Numinum catenas pertinentes, sacro hieroglyphicorum albo adnumerabant. Simili ratione numerum internodiorum in thyrsis plantarum, thyrsorumque figura, num rotundus teresue, aut trigonus, tetragonusque esset, ritè disquirebant; atque hosce veluti sceptra conuenientibus Numinibus sacrabant, vt in Tabulæ Bembinæ demonstratione patebit. Quibus quidem cœremonijs iuxta analogiam dictarum rerum adhibitis, mirandos tùm in Medicina, tùm in somnijs per diuinationes, effectus se exhibere posse sibi persuadebant. Siquidem de cura alicuius morbi consulturi, antequam lecto se committerent, animo priùs ritè per lustrationes varias disposito expiatoque, complures huiusmodi plantarum florumque characterismos ante se positos, intensâ fixâque imaginatione considerabant; deinde cœlum Deosque carminibus sollicitabant, vt quorum ex dictis vegetabilibus ad morbi cuiuspiam medelam conduceret, per somnium monstraret; tùm somno captando se accingentes, quod Numen primùm in somno ijs apparuisset, illius fidei commissam plantam ad desideratam propositi morbi medelam

Sacerdotes Aegyptiorum quo modo se disposuerint ad hyperphysicâ Medicinam.

Dij à quibus medicandi peritiâ Ægyptij postulabant.

Vegetabilia quæ quibus Dijs attribuerint Ægyptij.

Per somnia cognoscebant Ægyptij herbarum characterismos.

 diui-

diuinitùs definitam assumebant: vt si Isis comparuisset, medicinam ex pentaphyllorum Classe desumendam rebantur. Non secùs in alijs procedebant. Vide quæ in Magia, & Theologia hieroglyphica, vti & III. Tomo ex varijs Authoribus de hisce & similibus amplè tradidimus; Et tametsi hæc medicandi ratio subinde in conclamatis etiam morbis mirificos sanè effectus sortiretur, nequaquam tamen eos naturali herbarum virtuti & proprietati, sed occulto Dæmonum pacto, & commercio quo illudebantur, adscribendos duxerim. His itaque præmissis, ad filum reuertamur.

§ II.

De Medicina Astræa.

Astræa medicina quid.

ASTRÆA Medicina nihil aliud erat, quàm medicamentorum ad constitutum tempus horamque, aptumque Cœli positum exhibitio; de qua cùm in Astrologia & præcedentibus affatim dixerimus, hîc breuiores esse voluimus. Totum enim negotium consistebat in rerum inferiorum, quæ necessariam cum superioribus astris, vti & humani corporis membris, quin & supramundanis ideis & genijs connexionem consensumque haberent, applicatione; de qua vide Marsilium Ficinum in libro de vita cœlitùs propaganda, vbi plura ex mente Veterum, curiosa sanè, & propria nostri instituti tradit; aliosque tùm Arabes, tùm Hebræos suprà citatos.

Marsilius Ficinus.

§. III.

De Medicina Characteristica.

Characteristica Medicina, seu amuletoria.

MEdicina Characteristica facultas est, qua incisis iuxta leges Astrologicas in lapide, aut vase medicinali ex eodem lapide, morbo alicui analogo, hieroglyphicis notis, vsu eius morbum necessariò profligari credebant. Mos itaque Ægyptiorum fuit, vt quemadmodum de herbis suprà diximus, ita & de lapidibus procederent, dum singulis Zodiaci signis planetisque certas quasdam figuras insculperent ad Genios, Signa, Sidera, morbos prorsùs analogas, horâ & tempore opportuno, scilicet quo dominabantur; hoc enim pacto & Genium præsidem per astrum sibi subiectum, astrum verò per influxum suum in figuras, has in morbum agentes, infallibilem effectum tandem infirmo conferre simpliciùs sibi persuadebant. Et tametsi huiusmodi tanquam vana & superstitiosa Astrologorum commenta Ecclesiæ legibus proscripta sint; de ijs tamen hoc loco tanquam opportuno, agendum censuimus, tùm vt radices superstitionum astrologicarum luculentiùs ostenderentur euellerenturque, tùm vt hieroglyphicæ doctrinæ veritas solidiùs comprobaretur. Hanc itaque

cha-

characteristicam Ægyptiorum medicinam, seu amuletariam, præ cœteris ad posteros malefidâ traditione Arabes propagarunt; vti ex libro de duodecim signorum, ac septem planetarum sigillis Mahumed Ben Iuseph, & Morgum Ebnasa, cœterisque in Cabala Saracenica allegatis patet. Quos secuti sunt ex posteris Paracelsus in Archidoxis magicis, Cornelius Agrippa in occulta philosophia, Coclenius in Polymantia, & Gaffarellus in libello Gallicè conscripto de curiositatibus inauditis. Marsilius Ficinus lib. 3. de vita cœlitùs propaganda c. 18. modum describit fusissimis verbis, ex quibus nos instituti nostri propria hæc pauca hîc adducẽda duximus. *Sunt in Cælo variæ formæ ab Ægyptijs Chaldæisque profectæ, vel saltem excogitatæ. Exempli gratia, in prima Virginis facie Virgo pulchra sedens, geminas manu spicas habens, puerumque nutriens*, quam Arabes Achati incisam dicunt magnam habere vim in conciliando optimo corporis habitu, & Principũ beneuolentia. *Sunt & alij characteres signorum, & planetarum ab Ægyptijs designati. Volunt itaque imaginibus omnia hæc insculpi, vt si quis exspectet proprium à Mercurio beneficium, collocare eum in Virgine debeat, vel saltem ibi Lunam in aspectu Mercurij, & imaginem tunc ex stanno conficere, vel argento, in quo totum sit Virginis signum, & character eius, characterque Mercurij. Saturni Veteres imaginem ad vitæ longitudinem faciebant, in lapide Saphyro hora Saturni, ipso ascendente, atque feliciter constituto. Forma erat homo senex, in altiori cathedra sedens, vel dracone; caput tectus panno quodam lineo fusco, manus supra caput erigens, falcem manu tenens, aut pisces, fuscâ indutus veste. Ad longam vitam atque felicem Iouis imaginem in lapide claro & albo figurabant; erat homo sedens supra aquilam, vel draconem, coronatus, hora Iouis, ipso in exultatione sua feliciter emergente, croceam indutus vestem. Contra timiditatem hora Martis imagines fabricabantur prima Scorpionis facie oriente, Martem armatum & coronatum. Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro hora Solis, prima facie Leonis ascendente cum Sole; Regem in throno croceâ veste, & coruum, Solisque figuram. Ad lætitiam, roburque corporis, Veneris imaginem puellarem, poma floresque in manu tenentem, croceis & albis indutam, hora Veneris, prima Libræ, vel Piscium, vel Tauri facie, in hisce enim signis valde prosperari dicebant. Imaginem Mercurij ad ingenium & memoriam prima facie Geminorum sculpebant. Item contra febres sculpebatur Mercurius in marmore, homo tela manu gerens, hora surgentis Mercurij; subinde materiæ cuidam imprimebant languentibus assumendæ. Hinc omne genus febrium curare dicebant. Erat autem Mercurij forma, homo in throno sedens, galeratus, cristatusque, pedibus aquilinis, sinistrâ gallum tenens, aut ignem; alatus aliquando super pauonem, dextrâ tenens calamum, veste variâ. Luna puella pulchra, cornuto capite supra draconem, vel Taurum sedens, serpentibus tùm capite, tùm pedibus inuolutis, mirificam contra calculum, genitaliumque dolores, & ad sanguinem adstringendum hora Saturni, vim obtinere putabatur. Item Leonem auro imprimebant, quem quidem expellendis morbis gestatum mirificè conferre credebant. Ad renum morbos similem faciebant, Sole in corde Leonis medium Cœli obtinente. Prolixum foret dictu, quas per quælibet signa facies Antiqui, & quas Lunæ stationes tanquam necessarias in exprimendis imaginibus obseruabant. Nam in statione Lunæ à gra-*

Characteristicam Ægyptiorum medicinam Arabes propagarunt.

Mahumed Ben Iosepb Morgam Ebnasa.

Paracelsus. Cornelius Agrippa. Coclenius Gaffarellus.

Marsilius Ficinus.

Formæ Cœli lapidibus & amuletis ab Ægyptijs & Arabibus incisæ, ex Marsilio Ficino.

gradu Virginis decimo septimo ad finem eius faciebant Imagines contra morbos, & odia, & iter felix. In Statione Arietis à primo gradu ad duodecimum, contra morbos & discordiam. In statione Capricorni à gradu duodecimo ad vigesimum quintum, aduersus languorem, & carcerem. In Statione ♓ à gradu quarto ad decimum septimum, ad curandos morbos, ad lucrum, ad augendam messem; & in alijs similiter alias vana sæpius curiositate machinabantur, quæ non tàm Magum, quàm Medicum redolerent. Hæc Marsilius. Quæ quidem Arabum relationi congruunt, sed puram Ægyptiorum doctrinam non redolent, vtpote varijs aliarum gentium superstitiosis opinionibus contaminatam. Quæ itaque methodus fuerit in characteristica Medicina Ægyptijs vsitata, explicare visum fuit.

Methodus Ægyptiorum in characteristica Medicina.

Dictum fuit in præcedentibus, Geniorum duodecim signis Zodiaci, vti & septem planetis præsidentium dominium, eos quàm maximè obseruasse. Cùm enim successiuâ quâdam traditione Genios tùm dictis signis planetisque, tùm singulis corporis morbis præsides nôssent; sic auspicabantur negotium. V. gr. contra morbos cordis, aureæ laminæ rotundæ hora Solis, & Sole circa Basiliscum, quod cor Leonis appellant moderni, constituto, incidebant figuram Sphyngis, quæ capite hominem, corpore reliquo Leonem referret, alis maximè conspicuam; totum verò hieroglyphicum Intelligentiam Solarem indicabat; per faciem humanam procedendi & intelligendi vim; per Leonis Solaris animalis corpus, fortitudinem & robur; per alas velocitatem motus exprimebant. Hanc figuram auro Solari speciei incisam, varijs suffumigijs ex varia Solarium specierum materia paratis, varijsque Solarium herbarum succis delibutam, Genio conceptis verborum formulis consecrabant: hanc summâ sollicitudine & curâ, dicto modo consecratam, lateri è regione cordis filo aureo appendebant; & sic beneficio Genij Solaris, huiusmodi Solaribus speciebus potenter attracti, tùm sidera, tùm species curæ fideique suæ commissas; in membri pariter sibi commissi curam sollicitabant, atque adeo omnia à corde, spiritibusque vitalibus incommoda arceri & auerruncari firmiter sibi pollicebantur. Non secùs in reliquorum membrorum cura procedebant. Si tamen huiusmodi suum sortirentur effectum, nequaquam quenquam putare velim, id verè Numinis Solaris attractu factum, sed Dæmonum, eorum se operationibus semper interserentium, illusione contigisse, vt proinde huiusmodi meritò ab Ecclesia tanquam implicitam, vel explicitam Dæmonum inuocationem in se continentia, iam dudum proscripta fuerint; vnde similia non doceo, sed Christianos hâc meâ descriptione cautos velim in similibus attentandis.

Cordiacis morbis medêdi ratio per characteristicam.

Superstitiosus characteristicæ medicinæ vsus.

Morbis capitis quomodo medicentur Ægyptij per Amuletariam medicinam.

Porrò contra noxios totius corporis humores & infirmitates, potissimùm capitis & cordis, omnium ferè morborum radicis, vasa præparabant

bant ex appropriato lapide, quibus ſymbola hieroglyphica, ad Genios cordis, capitis, humorumque præſides ſympathica inſculpebant, ex quibus quocunque morbo infeſtarentur, ſi potionem cephalicis & cordiacis ſpeciebus ritè priùs compoſitam biberent, ſymbolorum occulto tractu, Genios præſentia ſua infirmum liberare credebant; tametſi ego non tàm ſymbolis, Genioque attracto, quàm Medicæ potioni, ſanitatis effectum adſcribendum duxerim. Huiuſmodi vas ex Cæſareo gazophylacio depromptum non ita pridem ad me tranſmiſit celeberrimus Bohemiæ Ar-



chiater Ioannes Marcus Marci, amicus cumprimis ſingularis, cuiùs typum hîc oculis Lectoris vnà cum interpretatione eiuſdem proponendum exiſtimaui. Vas eſt ex integro Achate Orientali, altitudinis vnius palmi, ſi collum excipias, cui manubrium alterâ parte corporis inſertum, annexum eſt; corpus dimidium latitudinis vnius pollicis habet in craſſitie, vt proinde mirum ſit, quomodo & quâ arte lapis tam durus per foramen tam tenue, videlicet latitudinis vnius pollicis, excauari potuerit; opus ſanè admirandum eſt, verbo, Ægyptiacum. Anterior pars figuras hieroglyphicas ſequentes habet. Figura humana in Scarabæi corpus deſinens, ac quaternis alis in crucis formam ſe diſpeſcentibus, vtrâque manu ſpicas continens; inferioribus binis alis annexus globus ſpectatur, cui ſupponitur Ibis expanſis alis; ſequitur hanc figura humana genuflexa, alterâ manu capite ſextilem Lunam ſuſtinens, triplici ſpicâ inſignitâ, alterâ ſceptrum Arietino capite inſignitum continet; baſin adornant flos Nenupharis ſeu Nymphææ, vel Loti Ægyptij, binis ſpicis ſtipatus. Poſterior pars humanam figuram continet, quæ aram impoſita Sphynge adornatam duobus brachijs Ypſilomorphis ſuſtinet; ſub cuius pedibus flos Nymphææ, vti priùs, geminâ ſpicâ cernitur. Latera oppoſita Cynocephalos continent; quorum vterque columnæ Nymphæa & ſpicis adornatæ rectus, & manu florem Nenupharis continens, inſiſtit; quæ partim ranæ

flori

flori Nenuphari insidente, partim arulis, vase, cœterisque symbolis insignitis è latere stipantur.

Hieroglyphici vasis explicatio.

Quæ omnia quid significent, explicare aggredior. In anteriori parte occurrit humana effigies in Scarabæi corpus desinens, quadruplici alarum diffusione spectabilis; quâ nihil aliud hieroglyphicè designatur nisi Intelligentia Solaris. Globum in capite gerit, quia diuinitatis particeps. Humanâ facie, & nudo pectore conspicitur, quia intelligit & peruidet omnia, tametsi ab omni terrenæ & materialis contagionis miscella libera: In Scarabæi corpus desinit, quia sicut Scarabæus pilulam suam materialem voluendo ab ortu in occasum, tùm corpore, tùm operationibus Solis operationes exprimit; ita Solaris Intelligentia mouet globum illum Solarem ex ortu in occasum, quâ conuersione omnia inferiora mouentur, animantur, generantur. Quæ cùm omnia fusissimè in Obelisco Pamphilio, Hierogrammatismo de Scarabæo, exposita sint, eò Lectorem remitto. Qradruplici alarum diffusione insignitur, quia motus sui vim in quadripartitam Mundi faciem summâ velocitate diffundit, vti citato loco traditum est. Manibus suis spicas tenet, quia ab illis ceu homogeneis, & Solaribus speciebus conuenientem alimenti rationem procedere putant: est enim frumentum vnicum & summum hominum sustentamentum, ac magnum in Medicina robur obtinens. Sequitur hanc figuram immediatè Ibidis simulachrũ, quæ coniunctio Solis & Lunæ exprimitur, quâ opportunè medicamentum sumendum; quæ coniunctio aptè significatur per ligamina ab Intelligentia Scarabæo-formi in Lunam deriuata, quibus globus annexus est, hoc enim tempore in Lunæ globum Sol præcipuè agit, suâ eam virtute imprægnando. Ibin autem Lunam significare, citato paulò antè libro, in Hierogrammatismo Ibidis, copiosè demonstratum est. Alas expansas habet, ad lætitiam & promptitudinem, quâ à Sole grauidari, in inferioris Mundi bonum, desiderat, significandam. Sequitur deinde figura genuflexa, vnâ manu Lunam sextilem capite impositam tenens, alterâ sceptrum κριόμορφον, id est, Arietino capite insignitum sustinens; quâ indicatur sublunaris humoris Præses Nephta, quæ vim Solis & Lunæ in frumentum influxiuam in sublunari Mundo perficit, & iuxta tria anni tempora, quæ ternæ spicæ sextilis Lunæ cauitati impositæ monstrant, lætam & vberem messem præstat, auxiliante & dominante Ammone, quem sceptrum Arietiforme exprimit. Genuflectit in modum supplicantis, ad ordinationem Geniorum ostendendam, quâ inferiores Genij, superiores tanquam Præsides suos reuerentur. Cùm verò Ammon siue Arietis Genius, vti & Luna, capiti potissimùm præsint, pulchrè hoc hierogrammatismo ostenditur, quomodo Luna in Ariete constitutâ, Medicina ex frumento & Nenuphare siue Nymphæa præparanda sit, vt caput, atque adeo totum corpus ab omnibus infirmitatibus liberetur; quauè ritè & iuxta sacrificiorum leges præparata, Genij tùm Solaris, tùm Lunaris ad infirmitates suprà dictas dispellendas veluti allectamento quodam & sympathico illicio attrahatur; Nenuphar verò cum spicacea Medicina paratum, quod ipsa figura Nenupharis inter duas spicas ostendit;

Anterior pars vasis.

sum-

summum in capitis morbis medicamentum esse, & ab Ægyptijs inuentum Abensina docet his verbis : Abensina.

نيلوفر المصري هو كرنب الما ويسمي حب العروس في مصر ومنوم مسكن
للصداع الحار والصفراوي وشرابه مع الحنطه وينفع كل اوجاع الراس وهو الدوا
كبيره خصوصا لمصريون

Niluphar, id est, *Nymphæa Ægyptijs est caulis aquaticus , & vocatur in Ægypto granum Sponsi, somnum conciliat, sedat dolorem capitis ex calida & cholerica materia causatum, & syrupus eius cum tritico præparatus confert omnibus doloribus capitis, & est magnum medicamentum, maximè Ægyptijs .*

Posterior facies vasis hæc hieroglyphica continet. Vir seminudus supra caput expansis brachijs gestat aræ impositam, Sphyngis imaginem ; quâ significant, Intelligentiam Solarem cordis confortatricem ; & ritus cœremoniasque, quibus similia Solari Numini in adytis consecrari debeant : cor enim in Medicinis exhibendis, maximè & præ omnibus alijs membris confortari debere existimabant, quo confortato , & spiritibus roboratis, omnem morborum malitiam facilè expelli credebant. Per cœremonias verò morbo analogas Sphyngem Solarem infallibiliter ad fidei suæ commissum membrum corroborandum attrahi putabant ; vnde aliam, quemadmodum paulò antè ostendimus, Sphyngis imaginem aureæ laminæ in eundem finem incidentes, cordis regioni forinsecùs affixam gestabant, tanquam vnicam morborum cordis medicatricem. Vt verò cordiaca medicamenta maiorem effectum sortirentur, hinc è lateribus sculpebant duos Cynocephalos, Loti siue Nymphææ Ægyptiæ folium manu gestantes, supra columnas partim Nenupharis, partim triticeis caulibus ornatas, insistentes. Per Cynocephalos Lunam tùm post, tùm ante coniunctionem cum Sole, vti sextilis Luna capitibus eorum imposita monstrat, significant, qua phasi Medicinam administrandam esse innuebant. Est enim Cynocephalus, teste Horo, Lunæ symbolum, de quo vberrimè tractatum vide in Obelisco Pamphilio, Capite de Hierogrammatismo Cynocephali. Nymphæa verò herba Lunaris, maximæ virtutis est ad deducendos tùm ex capite, tùm ex omnibus membris humores. Columnis insident, Nymphææ flore conspicuis, tanquam rei fidei suæ commissæ, quas alterni caules nunc spicæ, nunc Nymphææ flore insigniti in formam candelabri, ambiunt ; quæ indicabant, ad temperamentum Medicinæ necessariam esse compositionem ex Lunaribus & Solaribus speciebus, quales tùm spicæ, tùm Nymphæa erant ; quod & limbus inferior vasis sat superque docet, in quo semper Nymphæam spicis stipatam cernimus. Præterea vnicuique parua arula apposita videtur, cui vasculum impositum cum flore Nymphææ, & spica in vnam columnam composita ; quâ cœremoniam tùm in vase, tùm in composita potione consecrandam adhibenda tacitè innuunt. In posteriori verò arula, Nymphææ floribus in formam brachiorum extensis manus superextensa spectatur, quâ benefici Numinis sibi adfuturum sperabant, per huiusmodi analogas cœri-

Posterior pars vasis.

moniasi, attractum. In angulo tandem ranam videmus Nymphææ flori insidentem; quæ vti ex putrilaginoso Nili limo ortus sui incunabula habuit, ita putridum quoque in corpore latentem humorem, morborum causam per ranam significatam, facilè dicto medicamine expelli significabant.

Vasis prædicti vsus in morbis pellendis.

Hoc itaque vas tùm symbolis, tùm cœremonijs ritè consecratum potione Lunæ-Solari replebant ægroq; ex illo eam hauriendã præbebant, vel Sole cum Luna coniuncto, vel saltem Lunâ Solem sextili aspiciente. Quo facto per hasce species Lunæ-Solares infallibiliter Numina attracta ægro pristinam sanitatem restitutura sibi persuadebant. Nouerit tamen Lector, huiusmodi hieroglyphica in diuersis Mundi ordinibus diuersam significationem habuisse: quandocunque enim medicinalibus vasis incidebantur, quem in sanitate homini concilianda effectum haberent, ostendebant. Hoc pacto in Obeliscis mundialium rerum arcana denotabant; in Tabulis verò, vti Bembina, arcanæ Theologiæ mysteria, & archetypas rationes significabant, quibus dicta Numina ad analogas rationes attrahebantur; de quibus fusiùs in III. Tomo.

Vrnæ hieroglyphicæ à Ferdin. IV. transmissæ explicatio.

Porrò huic accessit aliud vas medicinale, in formam vrnæ bipalmaris, huius figuræ, quæ sequitur. Cuius exactam delineationem Serenissimus Hungariæ & Bohemiæ, modò Romanorum Rex Augustus Ferdinandus IV. pro suo in Rempublicam literariam promouendam zelo, non ita pridem explicandam transmisit, in cuius medio sequentia hieroglyphica ponuntur, quæ explicare aggredimur.



Lectio Idealis.

Mundorum elementarium dominatores, Genij Solares, qui superna & inferna influxu suo fouēt.

Fœcundo orientis & occidentis Numinis dominio potiuntur, quo omnia vniunt, potestate suâ influxiua omnibus vitam præbent.

Isis venerabilis, aquarum Nili dominatrix, agrorum præses adsit.

Sub hoc amuleto Nili prophylactico, fœcũdo influxu suo Orienti, Occidenti, Septentrioni, & Meridiei assistant commissis sibi pignoribus, atque hoc signo T ab omni malignarum potestatum impetu, in subterraneo Regno seruent & defendant.

Pri-

Primo ordine habentur hæc hieroglyphica; temon cum tribus lineis, ſceptro ſuperimpoſito; ſequuntur hæc duorum Geniorum ſimulachra cum ſceptro κριομόρφῳ, id eſt, Arietino capite inſignito; deinde duæ pyramides inuerſæ cum intermedio circulo. Per temonem indicant vehiculum quo per inferiores tres Mundos veluti per humidum ducuntur Genij Solares, quod ſimulachra Accipitrinis capitibus conſpicua indicant, auxiliante Ammonia vi per ſceptrum Arietini capitis ſignificata, & ſuperiorem iuxta ac inferiorem Mundum radijs ſuis perſtringente, quod per pyramides inuerſas notatur. Vide quæſo Obeliſcum Pamphilium l. 3.

In ſecundo ordine primo loco ſceptrum κριόμορφον, cùm duobus curuis baculis, intermediante capite Hori, ſceptro, circulo; ſequitur manus extenſa, cum ſerpente, & trigono; quibus Ammonia vis Orienti & Occidenti dominans, eiuſque in Mundum ſenſibilem influxus rebus vitam præbet.

In tertio ordine caput fœmininum, cum ſuprapoſito pheretro, quo cultus Iſidis notatur; ſequitur Accipiter ſymbolum Oſiridis, cum figura aquæ; deinde duo ſceptra cum duabus lineis obliquis, quibus dominium, quod in aquas poſſident, quemadmodum in Obeliſco Pamphilio demonſtrauimus, indicatur.

In quarto ordine vas Niloticum, cum ſceptro Momphta; cum duobus ſceptris incuruis intermedio ſceptro Ammonio, & duobus quadratis; quibus indicatur Momphtæ & Ammonis beneficio calidum & humidum ad naturæ vegetabilis generationem aptè temperari, atque per influxum ipſorum ab omnibus aduerſis & infortunatis defendi; quod per crucem anſatam & Noctuam aptè ſignatur. Auctoritates hoc loco non adduco, cùm eæ III. Tomo tanquam loco proprio reſeruentur. Atque hæc quidem iuxta phyſicum ſenſum ita accipi debent; iuxta ſenſum medicum ea indicare volunt humorem ex varijs ſpeciebus compoſitum vaſi incluſum, ſub Ammonis, Iſidis, & Oſiridis poteſtate eſſe, vnde quicunque ex eo biberit infirmus, eorum adiutorio propter ſympathicas tùm hieroglyphicorum, tùm ſpecierum, ex quibus Medicina compoſita eſt, rationes, infallibiliter eum liberatum iri credebant.

Talis erat vrnula ex Helite lapide medicinalis, quam Petrus Stephanonius in ſuo Muſæo olim aſſeruabat, in cuius ſuperficie in formā cordis elaborata, hæc hieroglyphica depinguntur: globus alatus, figura humana ἱερακόμορφος ſedens, figura Solis, quem ſequitur pyramis, & hanc Leonis caput, quod excipit Accipiter, cum flore Loti, terminat tandem circulus cum duobus ſegmentis, vt in ſeq. fig. patet. Quæ quidem hieroglyphica nihil aliud indicant, niſi Solarium rerum catenam, in qua primo loco globus alatus exhibet triforme Numen, ſtatua ἱερακόμορφος cum ſtella appoſita, Genium Solarem, circulus verò ipſum Solem, pyramis ignem, caput Leoninum, animal Solare quadripes, Accipiter Solarem alitem. Lotus Solarem plantam; circulus verò cum duobus ſegmentis, Solem ſubterraneum, videlicet aurum; nihilque aliud indicant, niſi cardiacum

Interpretatio vaſis medicinalis extracti ex Muſæo Petri Stephan. cuius figuram vide in ſequenti facie.

morbum, quem curari posse credebant, solis rebus Solaribus ex catena Heliaca extractis: id est, poculo ex lapide Helite in cordis figuram adaptato, ex quo potio ex Solaribus liquoribus, quæ cœteris speciebus Solaribus delibutæ sint, & per ignem distillata, hora Solis, ab infirmo ebibebatur, vti dictum est. Figur sequitur.



Ægyptij & Arabes vasa medicinalia hieroglyphicis notis insigniunt.

Erat itaque familiare Ægyptijs, vasa medicinalia hieroglyphicis quibusdam Schematis Numinum certos morbos respicientium notare, quibus tanquam sympathicis rebus tracti, morbos quos notabant, curarent. Acceperunt ab Ægyptijs istiusmodi inuentum Arabes, quibus huiusmodi vasis characteristicis nihil frequentius est, vti videre est in Musæis Angelomi, Caroli Antonij Magnini, & meo, quæ huiusmodi phialas in medicum vsum paratas continent; hoc tamen discrimine, quod Arabes, præter figuras Scorpionis, Serpentis, Leonis &c. Orationes quoque seu Ensalmos ex Alcorano depromptos Arabicis characteribus descriptos apponant; à quibus ad nostra vsque tempora mos hic deuolutus varia quoque pocula suppeditauit superstitiosis characteribus contra certorum morborum vim insignita; v. g. contra icteritiam accipiunt poculum ex cera virgine flaua, cui Galgali volucris figuram imprimunt; ex quo quotquot icteritio morbo infesti biberint, mox eo liberari asserunt. De quibus fuse superstitiosus Paracelsus in suis Archidoxis, quæ cum indigna luce sint, consultò omitto.

Pocula varia superstitiosis characteribus insignita.

Paracelsus.

Porrò Ægyptij non tantùm memoratis vasis vtebantur, sed & vtplurimùm contra morborum vim dicta hieroglyphica appropriatis laminis & annulis portatilibus incidebant: & illas quidem collo, pectori, capiti, lumbis, ventri, genitalibus, alijsque membris pro morbi situ applicatas gestabant; hos diuersis digitis diuersos morbos respicientibus inditos ferebant; cuiusmodi dum hæc scribo, à Torquato Alexandro Capitaneo mihi fuit monstratum ex Metallo Corinthiaco, cui loco gemmæ capsula erat, cuius operculum intra vertebram versatile capite Isidis insigniebatur, intus laminam auream habebat conditam, quemadmodum per rimam quandam conspiciebatur; quibus tamen figuris insignire-

Annuli & laminæ medicæ Ægyptiorum.

tur,

tur, cognoſcere non licuit, cùm operculum diuturnitate temporis capſulæ ita tartari interuentu coaluiſſet, vt nullâ ratione niſi per ſectionem aperiri potuerit; neque adigi poterat poſſeſſor eius vllis precibus vt aperiretur; nam hoc pacto plus fidei & exiſtimationis inuiolatum habiturum cimelium cenſebat; figuram tamen apponendam duxi.

Sed vt ad inſtitutum reuertamur, reuerebantur Ægyptij præter cœtera Numina maximè Iſin & Oſirim, ac Horum ſiue Harpocratem, tanquam Iatricos Genios. Hinc paſſim eos in varia materia, vti ligno, oſſe, metallicis laminis, diuerſiſque pretioſis lapidibus, pro morborum ratione ſummo rigore, tempore, cœteriſque Aſtrologicis circumſtantijs obſeruatis, incidebant, vt ſequentia amuleta demonſtrant. Capſulas quoque feciſſe reperio in formam membrorum quos reſpiciebant, adaptatas, cuiuſmodi vnam non ita pridem mihi exhibuit ſuprà laudatus Torquatus Alexander Capitaneus. Capſula eſt in formam cordis, & fructum foliumque Perſeæ mentiens, in cuius meditullio Harpocrates nudus, infans, labijs digito appoſito ſilentia ſuadens, poſitus ſpectatur, iiſdem prorſus ſymbolis quibus aliàs inſignitur, in capſula efformatis; quod quidem prophylacticum cordis potentiſſimum geſtatum exiſtimabant. figuram hîc ad meliorem rei informationem, apponendam duximus, vt vel hinc videas quibus modis & induſtrijs Ægyptij in morborum cura verſati ſint. Cauſam autem, ob quam tantopere tres dictos Genios coluerint Ægyptij, Diodorus his verbis aſſignat. *Aſſerunt, inquit, Ægyptij, Iſidem plurimùm inuentricem ad morbos medicamentorum & medicinæ arti admodum contuliſſe, eamque immortalitate quoque potitam gaudere hominum cultu, inque eorum valetudine præcipuè verſari; quia etiam in ſomnis opitulatur palam eis, quos cenſuerit dignos, tum oſtendens ſuum Numen, tum erga gentes curandas beneficentiam. Signa horum eſſe dicunt non Græcas fabellas, ſed opera certa; omnis enim fermè orbis hanc Deam colit, propter manifeſtas eius morborum curas. Etenim in ſomnis illam dicunt non rectè valentium morbis auxilia præbere, & qui eius monitis obtemperent, præter opinionem curari, etiam quorum Medici ſalutem deſperarint. Viſu quoque, aut alia quapiam corporis parte debiles, eius Deæ Numen implorantes in priſtinam valetudinem reſtituuntur. Ab ea quoque medelam ad aſſequendam immortalitatem aiunt eſſe inuentam. Itaque Orum filium à Titanibus interfectum, ac per aquam repertum, non ſolùm in lucem reſtituit, ſed & fecit immortalem. Quem quidem Orum dicunt Apollinem interpretari, ac medendi, diuinandique artem à Matre Iſide edoctum, multum hominibus tum oraculis, tum medelis attuliſſe vtilitatis.* Ex quibus patet, cur tam intenſo cultu Iſidem, Horum, & Harpocratem coluerint; ſiquidem horum imagines paſſim varijs metallicis laminis gemmiſque inciſas, vti dictum eſt, contra morborum vim geſtabant. Verùm hæc omnia ampliùs in Magia Gnoſticorum pertractabuntur, vbi ſignacula varia huius farinæ ad confirmationem dictorum adducemus; vbi etiam ſuperſtitioſi ritus in hu-

Dij in varia materia inciſi contra morbos ab Ægyptijs.

Capſula Medica.

Diodorus.

Iſin Oſirin, & Horum cur tantopere coluerint Ægyptij.

iusmodi amuletis apparandis copiosè confutabuntur. Atque hæc sunt, quæ de Medicina Veterum Ægyptiorum dicenda putauimus, in qua si quicquam omissum fuerit, Lector alijs passim tractatibus insertum reperiet.

CLASSIS X. ALCHIMIA HIEROGLYPHICA, Siue Aurifera Ars Aegyptiorum.

SERENISSIMO PRINCIPI FERDINANDO II. Magno Hetruriæ Duci. DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

QVOTIES admirandas, Serenissime Princeps, *& propè diuinas animi* Tui *prorsus Heroini virtutes altiùs mecum pondero, toties egregium illud Plutarchi Epiphonema in* Te *comprobatum esse video:*

Μηδὲν λαμπρότερον τοῦ Ἄρχοντος πανσόφου.

Nihil videlicet Principe sapientiæ & πολυμαθείας laude conspicuo pulchrius, splendidius, ac præstantius esse. Quâ quidem, quæ est animi Tui *vastitas, & ingentis intellectus energia, ita flores, ita eâ Mundum illustras, vt quem* Tibi, *siue abstrusarum rerum notitiam, siue diuinarum humanarumq́ scientiam spectes, anteponam, inuenerim neminem. Testatur id Gazophylacium* Tuum, *rerum omnium, quæ animo concipi possunt, varietate longè instructissimum, in quo veluti in vero quodam Artis & Naturæ Theatro, quicquid vtraque rarum & peregrinum possidet India, Asia inuisum offert, monstrosum parturit Africa, Europa exoticum in artis miraculis producit, veluti in maioris Mundi epitoma quadam, summâ aduenarum admiratione, reclusum tenes. Cùm itaq́ Magni Cæsaris iussu Oedipum hieroglyphicæ disciplinæ instauratorem iam luci publicæ committere cæperim, atq́ inter cætera eius argumenta veterum Ægyptiorum Alchimia non infimum locum obtineat; eam glorioso Nominis* Tui *honori meritò, tanquam vnico abditarum rerum Iudici, inscribendam duxi; vt grata tandem posteritas cognoscat, quantum summæ* Tuæ *liberalitati & munificentiæ debeam, ex qua non hoc præsens duntaxat Opus, sed & cæteri qualescunq́ ingenij mei partus nullo non tempore tantum ad illustrandas rerum reconditarum notitias, subsidij & emolumenti hauserunt. Suscipe itaq́,* Serenissime Princeps, *hoc qualecunq́ tandem rerum abstrusarum argumentum, non eo quidem animo* Tibi *oblatum, vt nouæ* Tibi *omnium rerum gnaro scientiæ incrementum accedere posse putem; sed vt illud sit meæ in magnam mentem* Tuam *æstimationis, summæq́ iuxtà ac sinceræ voluntatis τιμήεν cedro perennius; atque adeo, quæ ex immenso thesaurorum* Tuorum *pelago profluxerunt, eidem postliminio restituantur. Vale,* Magne Dux, *Idea Principum, & æternum literatorum decus, literisque meis, vti soles, faue.*

CLAS-

CLASSIS X.

Alchimia Hieroglyphica, siue Aurifera Ars Aegyptiorum.

PRAEFATIO.

MIRABITVR forsan Lector, argumentum me hoc loco longè extra instituti mei limites semotum suscepisse; neque deerit forsan Aristarchus nonnemo, qui me Obelisco figat, dum multis odiosam, sophisticam, fallacem, fumiuendulam, verbo, plenam aleæ artem, non paucis diuinæ, & humanæ sapientiæ apicem, omnium bonorum felicitate refertam, pertractandam aggredior. Nouerit tamen, argumenti propositi rationem ita iure quodam sibi vendicasse, vt Oedipum acturus, cuius proprium est, occultos abstrusarum rerum nodos soluere, hanc pro modulo meo, ad Ægyptiorum mentem varijs hieroglyphicorum inuolucris exhibitam è suis tenebris euoluerem. Non quòd eam approbem, aut quòd inde vllam vtilitatem aut emolumentum, quo ad partem, quæ auro conficiendo insistit, hauriri posse credam; sed vt quod veneranda antiquitas tot symbolis notisque symbolicis posteritati consignatum credidit, fideli & sincerâ expositione in lucem educerem; vnicuique libertatem plenam relinquens, vt quod voluerit, teneat, credat, iudicet. Certè ex ijs artibus & scientijs, quas humana curiositas tam studiosè sectatur, tam ardenter expetit, vti nullam acrioribus flagellis exagitatam, ita nullam pertinaciùs defensam reperi. Nec mirum; quò enim non auri sacra fames mortalia pectora cogis? Sunt qui, dum omnem ætatem, vitam, substantiam fumosâ hâc negotiatione sine vllo fructu & vtilitate consumpserunt, desperatione in transuersum acti, non artem duntaxat, sed & naturam ipsam tanquam nouercali odio liuentem, iniurijs & calumnijs lacessere non verecundentur. Alij naturalium rerum ignorantiâ, siue præpostero iudicio, aut alijs priuatis pathematis stimulati, dum altiùs insurgunt, quod cauillarentur, insectarenturque, non intelligunt. Sunt denique, qui vastis voluminibus, artis præstantiam & diuinitatem innumeris verborum encomijs in cœlum euehunt; &, vti impostorum consuetudo fert, exoticis characteribus, tùm symbolis, tùm pronunciatis, veriùs Vulpinâ quadam astutiâ propriam ignorantiam ita obuelant, vt ipso facto, quod ipsi nescirent, alios nescire velle monstrarent: nè tamen fraudis impositæ insimularentur, nescio quibus pomposis verbis, & affectatis exoticorum nominum ampullis, plusquam Sophocleo Cothurno superbientes, artem plebeiam horrendè confusam, sordibusque intolerabilibus refertam, veriùs Augiæ stabulum verrunt, hâc vnicâ intentione compulsi, nè quod in tanta hominum existimatione, tanto apud Reges & Principes in pretio esse conspiciunt, nescisse se posteritati comprobent; quod proprium Alchimistarum huius temporis est. Et cùm Philosophia Chimica in intimis naturæ penetralibus conclusa fixas radices habeat, ita tamen ei comparatum inuenio, vt nulla vnquam ars fuerit, quam maior hominum ignarissi-

Alchimiam cur tractet Author, & quomodo.

Alchimia quam ardenter à multis colitur.

Ab alijs damnatur.

Ab alijs commendatur.

Et quo fine.

Præsertim à philosophiæ ignaris.

rissimorum sordidissimorumque multitudo aggressa, illotis, vt aiunt, manibus pertractandam susceperit; qui cùm omni scientiarum supellectile destituti sint, nec ad intima naturæ principia ritè percipienda, à natura vllum subsidium habeant, tantæ tamen & tam effrontis audaciæ sunt, vt scientiam etiam acutissimis Philosophis ob reconditos naturæ recessus imperuiam pro libitu tractare, docere, & leges præscribere non erubescant. O insulsos Philosophastros! digni sanè, qui non in Chimicam, sed in ferricrepinam Plauti officinam ablegentur. Maior huius arcanæ scientiæ honor habebatur Ægyptijs, qui præter Reges, Sacerdotes, & Philosophos, summo & acutissimo ingenio præditos homines, vllum alium hominum eam callere, crimen rebantur non nisi morte expiandum; vnde non sine ratione tot ac tam abstrusis symbolorum notis eandem obuelabant, nè in plebeiæ insipientiæ abusum eam cum notabili Regni præiudicio, imò ruinâ, verti contingeret. Hanc itaque modò in hac Classe explicandam duxi, vt quænam illa fuerit, in quonam potissimùm constiterit, quæ emolumenta Regno attulerit, Lector curiosus intelligat, ab origine totius negotij rationem adorturus.

Alchimia apud Ægyptios in honore & pretio.

CAPVT I.

De Origine Alchimiæ Aegyptiorum.

ALCHIMIA, quam Ægyptij ϯⲥⲟⲫⲓⲁ ⲛ̀ⲉⲣⲙⲏⲥ, Sapientiam Hermeticam, Græci χρυσοποιείαν, hoc est, artem aurificem, Arabes الكمة الكليه scientiam vniuersalem, alij alijs nominibus appellant, nihil aliud est, quâm ars conficiendi aurum: de cuius origine varij variè disceptant. Sunt qui ab Alchimo primo eiusdem inuentore, vel à χέειν τὰ μέταλλα, à fundendis metallis Alchimiam sic dictam velint. Alij Hermetem Trismegistum eius inuentorem faciunt, vti Ægyptij, eorumque Asseclæ Arabes. Certè antiquissimam artem esse, vnanimis omnium Philosophorum consensus testatur. Vnde tamen originem suam primordialem habuerit, nobis demonstrandum incumbit.

Alchimiæ nomina, definitio, origo.

Suppono itaq; primò, primæuos ante diluuium Patriarchas ab Adamo infusa sibi à Deo rerum omnium naturalium scientia conspicuos edoctos, vti reliquarum artium, ita potissimùm metallicæ Philosophiæ humano generi tantopere necessariæ peritissimos fuisse. Consentiunt in hoc omnes propè in sacram Genesin Commentatores. Et aurum quidem tunc temporis notum fuisse, ostenditur ex secundo capite Genes. vbi versu 12. sic habetur. *Nomen vni* (ex quatuor videlicet fluuijs) *Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi aurum nascitur; & aurum terræ illius optimum est.* Metallorum verò reliquorum tertio capite eiusdem fit mentio, versu 22. *Sella quoque genuit Tubalcaim, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris, & ferri.* Ex quibus patet, metallicam artem statim à primis Mundi nascentis incunabulis, à filijs Adæ, vtpote sine cuius ope omni ad vitam rectè administrandam subsidio destituerentur, fuisse excultam, nec dubium esse debet illi, qui longissimam primorum hominū

Primæui Patriarchæ omniū scientias habebant.

Metallica ars antiquissima ante diluuiū.

vitam,

vitam, tanto instructore, qualis Adam erat, administratam, penitiùs considerauerit; vnde sine dubio naturam singulorum metallorum exactè calluerunt. Eosdem quoque metalla coquendi, dissoluendi, depurandi, colliquandi, indurandi, poliendique peritiam singularem tenuisse, certum est. Quid enim in tam diurno ætatis vitæque decursu, accedente continua, & longa rerum experientia traditæ de ijs theoriæ iuncta, confici non poterat? Vide quæ de Adami scientia Classe I. fusè deduximus. Et nè metallica ars, tam humano generi necessaria, obliuioni daretur, eam traditione vsque ad Noëmum propagatam fuisse, ei patebit, qui quæ in Obelisco Pamphilio de laminis metallicis, in quibus Cham ante diluuium, artium & scientiarum inuenta insculpserat, secumque in arcam, nè imminente diluuio, quod tanto studio comparatum fuerat, periret, deduxerat, ad posteros propagatis, è varijs Authoribus ostendimus. Huc pertinet quoque, quæ suprà in Architectonica Ægyptiorum de immensis primorum Regum aureis operibus ex relatione Arabum adduximus.

Posteris traditione consignata.

Suppono secundò, post diluuium hanc metallicam artem, maximè fuisse cultam; idque superbissima opera tùm Turris Babylonicæ, tùm Semiramidis omnibus retrò seculis admiranda monumenta, quæ quidem sine exacta metallicæ artis notitia fieri non poterant, sat superque demonstrant. Nam vti Diodorus tradit; *Semiramis in summo templi tres ingentes statuas aureas, Iouis, Iunonis, Opisque erexit; quorum Iouis adhuc extat longitudine pedum 40, mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis simili pondere in sella aurea residet, ad cuius genua duo adstant Leones, iuxtaque serpentes argentei ingentis magnitudinis, ponderis quisque est talentorum triginta. Iunonis stantis signum, ponderis est talentorum 800. His omnibus communis erat mensa aurea manufacta, longitudinis pedum 40, duodecim latitudinis, ponderis talentorum 50. Duo præterea Carchesia talentorum 30 erant, totidemque thuribula, vtrumque talentorum 30. Crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus talenta 1200 pendebat, aliorum quisq. 600; quæ omnia postmodum Persarum Reges diripuerunt.* Quantum præterea ferri, æris, plumbi in immensos & propè innumeros hominum exercitus impensum existimabimus? Nam vt Ctesias apud Diodorum l. 2. c. 2. meminit, duxit Ninus contra Bactrianos in exercitu decies septies centena millia peditum, equitum 200000, ducenta millia, currus falcatos 10600. Vt interim ingentem armorum ad instruendum tantæ multitudinis exercitum necessariorum copiam præteream: non enim fustibus tantùm & lapidibus, sed gladijs, hastis, arcubus singulos pugnasse verisimile est. Abrahamum certè eidem seculo Synchronum diuitem fuisse in possessione auri & argenti, sacræ literæ cumprimis testantur. Sumptus auri, vti habetur Exodi 37 in tabernaculi structuram oblati, fuerunt 29 talentorum, & 730 Siclorum, quæ conficiunt libras auri 131595. Sumptus argenti pro eadem opera 100 talentorum, & 1775 Siclorum, quæ faciunt libras 37722. Hiram Salomoni in templi opera misisse traditur 120. auri talenta; quæ conficiunt libras 540000. & tantum quoque auri Sabam Reginam Salomoni obtulisse sacer textus docet. Ex Ophir allata quoque feruntur Salomoni auri talenta

Et post diluuium eximiè culta à primæuis hominibus.

Diodorus.

Semiramis tres ingentes statuas erexit.

Armorum copia & armatorum numerus Nini.

Exodi cap. 37.

Auri sumptus in Tabernaculi fœderis structura.

Ibid.

ta 420, id est, libræ 1890000. Dauid pariter reliquisse dicitur filio Salomoni pro templi fabrica centum millia talentorum auri, quæ libras 45000000. præterea argenti vnum millionem talentorum, quæ libras 375000000 conficiunt, quibus de proprio peculio adiunxit 3000 talenta auri, id est, libras 13500000; argenti verò 7000 talenta, id est, libras 1625000. Contributio Principum in eiusdem templi structuram fuit 5000 talentorum, & 10000 adarconim, quæ libras faciunt 22507500; præterea talenta argenti 10000, quæ libras faciunt 3750000. In summa redditus annui Salomonis, præter negotiationis, & aromatum prouentus, & Principum honoraria, in solo auro 666 talentorum fuisse perhibentur, quæ conficiunt libras 2997000. Omnes hæ Salomonis diuitiæ coniectæ in vnam summam conficiunt 873358500 libras, hoc est octingentos septuaginta tres milliones, trecenta quinquaginta octo millia librarum, & quingentas. Quæ summa profectò tanta est, vt meritò paradoxa cuipiam videri possit, & quæ omnem fidem excederet, nisi id sacræ literæ testarentur. Et certè si de maiori talento 125 librarum, quod Kikar Hebræi vocant, sermo sit, id dici non posse videtur, cùm totius auri summa in vnam massam conflata, ipsum templum, vel etiam montem integrum æquare possit. Vnde verisimiliùs est, nonnulla talenta, vti sunt quæ Dauid Salomoni in templi structuram reliquisse dicitur, minoris pretij fuisse, quorum vnum sex drachmas constituisse Pollux tradit in Onomastico. Certè auri & argenti nullum numerum fuisse in diebus Salomonis, & argenti tantum, quantum lapidum, sacra historia refert.

1. paralip. 22. v. 14. *1. paralip. 29. 4.* *1. paralip. 29. 7.* *2. paralip. 9. 13.* *Talenta in templi fabricâ insumpta quæ.* *Pollux.*

His itaque suppositis; quæritur vnde tanta auri & argenti, tanta æris, plumbi, & ferri copia prouenerit. Certè Salomonem id non fecisse, ex sacris literis constat, cùm partim ex Ophir & Tharsis, partim ex Regum & Satraparum contributione, partim denique ex Vectigalibus & propria Salomonis industria, tanta summa conflata sit. Ego sanè arbitror, tum temporis, nostris forsan incognitam temporibus, ex omnibus terrestribus partibus aurum argentumque, vti & cætera metalla, summâ facilitate educendi artem viguisse; & successiuâ quâdam traditione relictam ijs seculis notitiam, excultamque fuisse tùm aliorum, tùm potissimùm Salomonis sapientiâ, quem Rabbini in hunc locum commentantes, perfectè venas omnes auri & argenti, omniumq; terrestrium partium, etiam vilissimæ arenæ, latentes aureas argenteasque miscellas cognouisse referunt, multis conuicti coniecturis. Sed de his in sequentibus fusiùs, nunc ad initio nobis propositum scopum reuertamur.

Auri copia ingens tempore Salomonis ex arte Chimica. *Salomon perfecti aurifexæ artis notitiam habuisse creditur.*

Multa & magna sunt, quæ de inexhaustis Salomonis diuitijs innuimus; verùm exigua, si cum diuitijs Ægyptiorum comparentur. Rem exemplis doceamus.. In vna solùm pyramidum maxima erigenda, quam Herodoto & Diodoro teste 360 hominum millia viginti annorum spacio extruxerunt, in solas cæpas & allia 1600 auri talenta, impensa sunt; in lapidum verò vecturam, structuramque viginti annorum spacio, 1200 milliones auri insumptos historiæ Ægyptiorum meminerunt. Non minori sumptu Labyrinthum Ægyptium constitisse Ammianus refert. In

Ægyptiorum opulentia. *Herodotus. Diodorus.* *Sumptus facti in pyramidibus, & labyrinthis.*

Ammianus; Thebana vrbe tanta fuit auri & argenti copia & abundantia, vt post incendium, quod Cambyses Vrbi omnibus sæculis memorandæ iniecit, auri, quod liquefactum diffluxerat, summa à Persis collecta sit, Diodoro teste, 300 talentorum; argenti verò 2300 talentorum, quæ in auro 37000, in argento verò 287500 libras conficiunt. In Meridis lacus effossionem innumerabilis auri vis expensa dicitur, ita vt, Diodoro teste, solorum piscium vectigal pertingat ad 365 talenta auri annuorum redituum. Redditus annui in auro, quod Regi Simendio persoluebatur, teste Diodoro, erant Minæ centies trigesies semel millies millena millena, & insuper ducenties millena millia, seu 131200000000; & hoc in monumento eius scriptum fuisse perhibetur; quod monumentum circulus aureus ambibat, in periodo 365 cubitorum, ita vt singuli gradus cubo aureo constarent. Cùm verò cubus ex auro puro conflatus & cubicatus ad minimum pendat 10000 aureorum, totum circulum 3650000, tres milliones sexcenta quinquaginta millia aureorum confecisse patet. Nihil dicam hîc de alijs sumptuosis monumentis, quæ suprà in Architectonica Ægyptiorum tradidimus, innumerabili auri argentique copia extructa leguntur. Nihil de Sesostris trecentorum millium hominum exercitibus; nihil de sumptibus, qui in Obeliscorum, Statuarumque erectione expensi sunt; ex dictis enim immensæ Regum Ægypti diuitiæ sat superque patent, quæ omnes Imperatorum, Regum, Principumque potentissimorum thesauros longè excessisse videntur; vt proinde non sine causa Plinius, dum superbissimarum molium structuras memorat, otiosam stultamque pecuniæ ostentationem fuisse dicat.

Auri copia in Ægypto à Persis deuicta reperta.

Diodorus;

Annui redditus Simendis Regis.

Aureus circulus in Simendis monumento.

Ægyptiorum diuitiæ omnium Regum diuitias superabant.

Plinius;

Cùm itaque tanta auri argentique in Ægypto, qualem descripsimus, copia extiterit; meritò quispiam dubitare posset, vndenam tantam pecuniæ vim acquisiuerint, præsertim cùm Ægyptus aurifodinis non adeo referta celebretur. Huic dubio vt satisfaciam, ab ouo rem ordior. Certum est, Ægyptios à Trismegisto edoctos, artem habuisse, ex omnibus terrestribus rebus educendi aurum; quam quidem artem dictum Trismegistum, à Ianigenis, quibus Synchronus erat, instructum, ad posteros propagasse, apertè docet Chronicum Alexandrinum; dicit enim, Mercuriũ à Pico Ioue Rege Ianigena in Italia edoctum, minerarum auri detegendarum, aurique conflandi rationem inuenisse; deinde in Ægyptum ad Misraimum profectum, aureo amiculo indutum philosophasse, atque eam, quam inuenerat artem Ægyptios docuisse; ob quod beneficium in omnium admiratione habitus, Mercurius dictus, aureique Numinis titulum adeptus est. textum Chronici in Obelisco Pamphilio fol. 105 fusè positum contemplare. Artem itaque quandam auriferam primæuos homines, nemini nisi Regibus, familiarumque capitibus, eamque non scriptis, sed oretenus traditam possedisse, siue ea in auro ex omnibus rebus educendo, siue in cœteris metallis vnum in alterum transmutandis constiterit, adeo certum est, vt de eo nemo, nisi totius historiæ ignarus, dubitare possit. Fuit autem data opera summo silentio à possessoribus ideo suppressam,

Ægyptij aurum ex omnibus terrestribus educebant.

Chronicus Alexandrinus

nè arcaniora naturæ gazophylacia ignaræ plebi aperta in conclamatam Reipublicæ perniciem cederent, regnoque vltimam meritò ruinam adducerent. Vnde non sine ratione ingeniosissimus Mercurius tanta damna præuidens, sicuti diuiniorem de Deo, Angelis, Mundo, Philosophiæ portionem, reconditissimis symbolis, nè communi vsui paterent, obuelauit; sic & hanc artem auriferam inter eas scientias, quæ sublunaris subterraneique Mundi œconomiam contemplantur, arcanissimam diuinissimamque meritò ijsdem hieroglyphicarum notarum obscuritatibus à profanorum lectione longè semotissimam, obtexit. Qualis verò hæc ars, & quibus hieroglyphicis adornata fuerit, iam tempus ordoque postulat vt aperiamus.

Aurifera ars solis Regibus familiarum, que capitibus nota apud Ægyptios.

CAPVT II.

De hieroglyphicis, quibus aurifera ars à Trismegisto fuerit exhibita.

MErcurius Trismegistus totius reconditæ doctrinæ Author, cùm abdita quæuis in naturæ maiestate elucescentia summâ ingenij subtilitate penetrasset; nè tanta in Mundanis recessibus sacramenta cuiuis obuiam fierent, ingeniosam illam hieroglyphicorum architecturam adortus est, quâ singula magni momenti mysteria sub symbolis quibusdam ad pantamorphæ naturæ similitudinem excogitatis, ita recondidit, vt tamen ijs, quos dignos iudicaret, & sibi ingenij perspicacitate similibus, haud imperuia relinquerentur. Vnde electis in hunc finem Sacerdotibus, Philosophis, & Prophetis, quibus vnica ad Regni solium spes erat, mentis suæ arcana per dicta symbola expressa, nè vnà secum tanta inuentarum rerum emolumenta interirent, communicauit, saxisque contra omnem temporum iniuriam incidi curauit. Quoniam verò tantarum rerum scientia paucis verbis exprimi non poterat, symbola quędam Idealia, quæ analogiam quandam multa complectentem tenerent, cuiusmodi hieroglyphica sunt, subtili sanè indagine excogitauit, quibus omnia ea, quæ sine multis discursibus describi non poterant, & solo, & mystico vnius symboli conceptu patefierent.

Trismegistus hieroglyphicorum Author.

Cùm itaque omnia in omnibus sub certa quadam analogia latere conspiceret, imò superiora in inferioribus, hæc in superioribus, medijsq; mirâ quâdam ratione contineri intueretur; quadruplicem Mundum distinxit, Archetypum, Genialem, Sidereum, & Elementarem, vti suprà in Systematica Mundi, & in Obelisco Pamphilio amplè demonstratum fuit; in quibus ordines rerum, & entium gradus eo ingenio disposuit, vt nullum infernum Mundi ens existeret, quod non suum tùm in Sidereo, tùm Geniali Mundo, secundùm intentam analogiam, ens haberet consonum & proportionatum; quæ quidem in Archetypo Mundo, ideali quâdam analogiâ secundùm nostrum concipiendi modum disparata, re vera ta-

Quadruplicē Mundum distinxit Trismegistus.

Catenarum mundanarum origo vnde.

men sub vnius simplicis essentiæ diuinæ ratione considerantur. Atque hinc catenæ illæ, quas σειρὰς vocant Ægyptij, de quibus in præcedenti Classe, originem inuenerunt. Habet superior Mundus suum Solem, Lunam, cœterosque Planetas, quibus è superiori Mundo Intelligentiarum totidem Præsides Genij consignantur; habet & ea inferior Mundus. Cùm itaque in Sidereo Mundo Sole nihil excellentiùs, nil præstantiùs, diuiniùsque reperisset, & in inferioris elementaris Mundi miscella nihil auro pulchriùs, efficaciùs, excellentiùsque cognouisset, illud ob Soli analogas virtutes, inferioris Mundi Solem nuncupauit. Hoc pacto videns Lunam esse Soli præstantiâ proximam, Lunam inferioris Mundi argentum esse voluit; & sic de cœteris Planetis, singulos singulis inferioris Mundi correspondentibus metallis ἀναλόγως connectendo. Hinc factũ est, vt per symbolum v. g. Solis, quadruplicem sensum exhiberet, seu vt Solis Archetypi, Genialis, Siderei, Metallici seu Elementaris arcana sub quadruplici analogia veluti vnum quidpiam consideraret; ita vt quæcunque de diuinitate supremi Numinis mysteria traderet, eadem suo modo & de mysterijs Genialis Mundi, Siderei, & Elementaris intelligi possint. Cùm verò nihil in vniuersa natura metallicis operationibus mirabilius cognosceret; artem hanc sub ijsdem mysterijs, quibus supremi Numinis, cœterorumque Mundorum sacramenta, exhibuit; quem postea Græci in omnibus secuti, naturam rerum haud absimilibus ænigmatis, vti paulò post videbimus, absconderunt. Quânam verò ratione hanc artem auriferam hieroglyphicis suis exhibuerit, iam dicendum est.

Aurum Sol terrestris.

CAPVT III.

De symbolis hieroglyphicis, quibus Chimica arcana exprimuntur, sub historia Osiridis, Isidis, Hori, Typhonis repræsentata.

Historiam Osiridis, Isidis, Hori, Typhonis, varios sensus inuoluisse, ex multis huius Oedipi argumentis patet, potissimùm ex Mystagogia Ægyptia Obelisci Pamphilij; vbi hanc non iuxta historicum tantùm, sed & physicum, medicum, tropologicum, anagogicum, allegoricumque, & in secundo huius Syntagmate, iuxta politicum sensum exposuimus. Restat modò, vt quomodo Ægyptij Chimicum Mundum eâ historiâ indicârint, seruato semper eodem analogiæ tenore, ostendamus.

Chimicus mundus sub historia Osiridis, Isidis, Hori, Typhonis apud Ægyptios.

Quemadmodum Ægyptij per Osiridem, Isidem, Horum, Typhonem, indicarũt Solis & Lunæ in hac mundana domo per varia naturæ certamina, labores; ita & per Solis, & Lunæ subterraneæ varias diuersasque operationes, omnium præstantissimum effectum producendum, qui (vt multi falsò credunt) est humanæ felicitatis finis, analogicè indicarunt. Considerantes enim artem, quam tanto studio colebant, eiusque obiectum, formam, efficientem, effectusque nescio quam cum præcipuis Mundi partibus communitatem habere, nempe cum Sole, Luna, igne, aëre, aqua;

aqua, terra, cœterisque stellis errantibus; eadem ab ijs denominarunt. In subiecto enim artis duo considerabant, quorum vnum masculi, alterum fœminæ rationem obtinet; ideoque illud Osiridem seu Solem, hoc Isidem seu Lunam dixerunt. Mercurium qui Soli & Lunæ coniungitur, vtrique communem dixerunt; cùm non fiat Solis & Lunæ in maiori Mundo coniunctio, nisi præsente Mercurio Solis satellite. Osiris verò & & Isis vti coniuges sunt, sic & frater & soror, Plutarcho teste, sub mystica quadam ratione habentur, quibus additur tertius quidam Typhon, niger & ardens spiritus, qui Osiridem fratrem vterinum in minutissima membra dissecat. Hisce adnumerant Vulcanum seu ignem externum; Palladem seu Sapientiam operandi, Oceanum siue Matrem Thetyn, aut pro vtrisque Nilum, hoc est, aquam & terram matrem omnium, Orpheo teste, diuitias largientem, cum reliquis metallorum mineraliumque speciebus, quas per Saturnum, Iouem, Venerem, Apollinem, Plutonem significabant, vti apud Diodorum videre est. Quis hic Vulcanus? An non ignis Magister operum? Quis Mercurius? an non omne id, de quo, cum quo, & in quo operantur Chimicæ artis ministri, tametsi ab omni vulgari Mercurio longè semotum? Ignis autem per quem Vulcanus operatur, minimè is intelligi debet, quem passim adhibemus, à conditu rerum in hæc vsque tempora vti pernecessarium, ita notissimum; sed ignis philosophicus, & in centro rerum omnium absconditus; qui quomodo Mercurio Chimico adhiberi debeat, postea dicetur. Præterea sicuti Vulcanus dicitur primus in Ægypto regnasse, ita Mercurius literarum artiumque inuentor habitus est; in arte enim Hermetica nil sine omnimoda artium notitia rectè confici potest; est enim Hermes interpres omnium, cuius consilio Osiris plurimùm vtitur, sineque eo nil fit. Verùm cur Isis omnia ex auro, & quidem tot templa integra parenti suo, & reliquis Dijs statuerit, aut cur æris aurique fabros tanto in honore habuerit, in promptu causa est; aurea quippe Dea est, aurea Venus à tota Asia eam ob causam vocitata. Eadem enim & soror & coniunx Osiridis dicitur, sicuti Iuno Iouis, & Rhea Saturni, progenitores eorum. Si quis verò artis, de qua agitur, qualemcunque cognitionem habeat, allegoricà hâc arte, Osiridem & Isidem nihil aliud esse fatebitur, quàm agens & patiens in vno subiecto; per expeditionem verò Osiridis denotari arcanissimam operis solutionem, vbi primùm ad Æthiopes nigros, post ad mare rubrum deuenitur, qui colores vt primò & vltimò interueniant necesse est, qui per intermedios colores in albedinem, & post in rubedinem transeunt; *Hæc enim creata sunt*, inquit Morgum, *in hac terra nostra Æthiopia*; & Aben Reis Arabs: *Dealba coruum tuum; si vis dealbare ipsum cum Nilo Ægypti, albescit primò, tunc in Persia in secretis, & cum hoc & hoc apparebit rubedo, & papauer in eremo.* Quòd si Nilus non intra metas coërceatur, sed in agros nimium redundet, maximum inde damnum oriri necesse est. Quare Prometheum oportet ratione præuiâ, & Hercule laborum comite, id est, artificem ingenio manuque præcauere. Adsunt nouem Musæ, & frater Apollo, id est, nouem Aquilæ Heliconis, & vna pars

Masculus & fœmina in Chimiæ subiecto.

Plutarchus.

Diodorus. Vulcanus in arte Chimica.

Morgum.

Aben Reis. Allegoriæ chimicæ.

terræ

terræ nigræ, quorum harmonicis modulis elicitur id quod præstantissimum; adsunt Satyri, & Chori mulierum cum Nymphis & Lymphis, id est, multiplex colorum pulcherrimorum series, veluti crebra subsaltatione ebulliunt, Chimicæ lætitiæ latitantis vnicus index. Osiris itaque rectè sumitur pro materia artis, qui in suo sepulchro, hoc est, vase Chimico à Typhone fratre impositus, in multas partes ab igneo & ardente spiritu discerpitur, quas post operis absolutionem Isis colligit, & vnit, omni sulphure combustibili proscripto; atque sic collectio partium Osiridis ab Iside instituta, est eiusdem operis iteratio, eò vsque continuata, donec Typhonis virtus extincta sit, & in locum anima Osiridis ardens accesserit, & hoc pacto matrem seu Isidem, & coniugem & sororem amantissimam, facilè ad se conuertit, quæ est vltima perfectio. Hinc enim nascitur Horus filius, quem & Apollinem vocant, desideratus totius artis scopus, ad quem, vt pertingerent Osiris & Isis, tot se laboribus, itineribus, periculis, curis subiecerunt, vnicus Ægyptiorum Philosophorum, Sacerdotum, & Regum thesaurus, amor, & cura, cuius causa parentes eius honorant, amant, & in delicijs habent; quæ Hermes ipse, sub hoc ænigmatico loquendi modo, pulchrè alludendo, describit. *Venite*, inquit, *sapientum filij, gaudeamus, & exultemus simul, quia mors consumpta, & filius noster iam regnat in rubro ornamento, & carne indutus reuixit, iam filius noster genitus Rex sumit tincturam ab igne.* Quæcunque itaque de Osiride & Iside, Horo & Typhone dicta sunt, prorsus Græcorum fabulis parallela sunt, vt rectè Plutarchus ait: *Quæ de Gigantibus & Titanibus apud Græcos cantantur, & Saturni scelera, pythonis certamen cum Apolline, exilia Bacchi, errores Cereris, non absunt ab Osiridis & Isidis euentu, alijsq́ similibus, quæ ab hominibus sunt licentiosè conficta, eadem quoque eorum ratio, quæ in mysticis sacris occultè aguntur, & efferri ad vulgus, aut ab eo videri nefas ducitur.* Vt proinde Osiridis, Isidis, Hori, Typhonis prorsus consonet cum Græcorum fabulosâ narratione, quam de Ioue, Iunone, Alcmena, Hercule, Amphitrione, & alijs comminiscuntur. Si enim hæc ad nostrum institutum applicemus, Alcmenam seu Isidem nihil aliud esse, quàm metallicam terram, quæ Osiridi seu Amphitrioni nexu iugali coniungitur; Iuppiter amore Alcmenæ captus, dolis ac technis ad hoc paratis, refert certam metalli speciem propriam & peculiarem, quæ Hermeticæ artis industria, Isidi seu Alcmenæ, id est, terræ metallicæ finibus insinuatur & permiscetur, dumque cupitis fruuntur amplexibus, Mercurium seu argentum viuum, quod seruus Philosophorum est, Sosiam ludit, id est, radicalem auri humorem dissoluit; congrediente Ioue cum Alcmena, metallica terra humido copioso metallico prægnans turget, quod leuissimâ distillatione tempore partus stillat in aquam candidissimam, fumosam valde & aëream, quæ Herculis nomine decoratur, ob insignes & potentissimas eius virtutes ac energias. Quid verò aliud indicatur, dum à Iunone gemini serpentes Herculi in cunis adhuc vagienti, occidendi obtruduntur, nisi bini metallici sales, qui Sol & Luna dicuntur, seu frater & soror, qui dictæ aquæ Herculeæ efficacitate conteruntur, occiduntur que, id est, putre-

Osiris, Isis, Typhon, & similes in arte Chimica.

Trismegistus.

Plutarchus.

Ægyptiorum & Græcorum Deastrorum parallelismus in arte chimica.

fiunt

fiunt ope Iunonis, id est, metallicæ artis industria? Præterea Isidem ope Herculis, quem Diodoro teste, monstrorum domitorem adhibuit, vnà cum Horo Typhoniam serpentiferam, id est, hydram Beloniam colubris & capitibus identidem repullascentibus formidabilem, in loco paludoso, siue quod idem est, face & ferro in Lernæa palude oppressisse, fabulosa narratione traditur. Quâ quidem symbolicè maximum Hermeticæ artis mysterium attingere videntur. Quid hic per Herculem adultum, nisi Mercurium Philosophorum indicant? qui post legitimam eiusdem præparationem robore insigni & mirifico suffultus, semen metallicum crudum adhuc indigestumque, quod non incongruè per colubros repullulantibus capitibus formidabiles, infinitis ferè modis enascens, & in Lernæa palude, hoc est, in aqua Chimica arte singulari præparata, quæ tanquã palus quædam in rotunda phiala concluditur, venenum suum attollit, id est, semen metallicum, quæ hydra Chimica dicitur, ex aqua enascens, varia colorum veluti capitum quorundam fœtura sese exerit, quæ quidem nunquam interimi potest, nisi igne continuato & ferro, id est, Marte eam exscindamus, atque hoc pacto varietatem ex Mercurij cruditate emergentem & pullulantem compescamus, donec spurijs coloribus exutis in vnum rubeum colorem perfectum & vltimum permeantem & subsistentem reducatur; quæ hydra nisi occidatur, & Typhonia vis exscindatur, nemo Horum ab interitu conseruare se posse speret, id est, nemo in Chimico negotio ad desideratum scopum se perventurum arbitretur. Quæ omnia Haled Arabs in libro de Alchimia confirmat ex mente Hermetis, quem ita loquentem introducit. *Quod nascitur ex terra metallica nigra, est principium artis vniuersalis: assate ergo eam igne, deindè coquite in fimo equino per 7, 14, vel 21 dies, & fiet draco alas suas comedens; hunc ponite in vase diligentissimè clauso, in igne furni, & nè quicquam exhalet, cauete. Hoc itaque liquefacto, & combusto, accipite cerebrum eius, & acerrimo teritote aceto, vel vrinâ puerorum, donec obscuretur. Hoc peracto viuat in palude putrefactus, & fuscæ nubes, quæ in ipso erant, antequam moreretur in corpore suo, reuertentur; reiteratus autem iterum moritur & viuit; in eius autem vita & morte spiritibus vtimur: sicuti enim moritur spiritibus ablatis, sic restitutis viuificatur, & ipsis lætatur; ad hoc autem peruenientes, id quod quæritis, ex rubicundo colore habebitur.* Hæc Haled ex Hermete.

Diodorus.

Haled.

Trismegisti symbolica Alchimia.

Tradit Philastrius Herculem Ægyptium in expeditione Osiridis, in syluis ingentis magnitudinis Leonem iugulasse, pellemque detractam pro insigni gestasse; quæ Græcanicæ fabulæ de Leone in Nemæa sylua ab Hercule interempto consonant. Quid verò Ægyptij hâc adumbratione indicârint, videamus. In sylua res gesta contigit, quæ Græcè ὕλη dicitur, & omnium Philosophorum consensu materia prima dicitur, vtpote confusa, horrida, & innumerabilium seminalium rationum miscellam conclusam possidens, id est, materia metallica Chimicæ artis subiectum, in cuius horrida solitudine Leo latet; quem alium non interpretamur nisi salem quendam fixum & permanentem, qui omnia vastet, corrumpat, & in suam potestatam redigat. Est enim tanti roboris & virtutis, vt aurum, argen-

Philastrius.

Hercules Ægyptius leonem iugulans in syluis, quid in Alchimia.

argentum, cœteraque metalla deglutiat, ac optimè digerat; quem Herculea vis superat, detractamque pellem toto vitæ suæ tempore pro insigni reportat. Atque in hoc totius philosophici operis cardo versatur; beatus proinde, cui tantæ ad huiusmodi Leonem domandum vires suppetunt: hæret enim in abditissimis sylvæ recessibus, & nunquam in aperto & publico apparet, sed summo studio, diligentiâ, industriâ, & Herculeæ mentis audaciâ inquiritur; estque aqua Mercurialis, seu humiditas illa primigenia, seu humidum radicale, semenque omnium metallorum; quod calore suo innato aquam Mercurialem fixat, & coagulat; vnde meritò totius artis clauis, & arcanum arcanorum ab Hermetica Schola nominatur; quam quidem reperire non licet, nisi in intimo metallicæ materiæ centro absconditam. Vnde omnes Philosophi clamant: *Occultum fac manifestum, & habebis quod Mundus tantopere desiderat.* Leo dicitur, quia aquarum omnium fortissima & voracissima est, omniaque metalla quantumuis durissima, mox ac attigerit, in aqueam substantiam deducit. Hunc verò Leonem occidit Hercules, detractamque ipsi pellem pro insigni portat; quo quidem nihil aliud indigitatur, nisi sal quidam qui aquam Mercurialem Leoninâ quâdam virtute præditam, suâ quâ pollet virtute, & facultate fixatiuâ & coagulatiuâ, iugulat, pellemque sanguineâ rubedine tinctam detrahit; quod vnicum confecti operis signum est, videlicet tincturæ rubeæ perpetuò subsistentis ac permanentis, tantopere ab omnibus Philosophis quæsitæ, & tandem obtentæ. Huc pertinere etiam videtur Historia de Busiride Rege Ægypti, qui vt pluuiam nouem annos suspensam impetraret, oraculum consuluit, à quo nunciatum ei fuit, pluuiam secuturam, si hospites immolaret; quæ prorsus congruunt fabulæ Græcanicæ de Diomede Thraciæ Rege equos suos hospitum carnibus & sanguine pascente, ab Hercule occiso. Quid aliud tùm Busiris, tùm Diomedes nobis refert, nisi Mercurium Philosophorum, crudelis & immanis terræ frigidæ & incultæ dominum agrestis & rudis naturæ adeo vt cœtera metallica corpora in agro metallifero hospitantia, corrosiuâ vi suâ, ac dissoluendi potentia, equorum voracitati rectè comparata, discindat ac laceret. hunc occidit Hercules, id est, peritus in Chimia Magister, qui ex spiritibus Mercurij, qui equis his Busiridis intelliguntur, aquam Mercurialem conficit, quæ vel per ipsum Busiridem, id est, Mercurium equis suis, id est, spiritibus proprijs consumendum tradat. Hoc enim confecto alius resurgit multò priore liberalior, magnificentior, & purpureo quodam paludamento coruscans, quæ est vera artis tinctura. Tempus me deficeret, si singula tùm à Græcis, tùm ab Ægyptijs de magna arte ænigmaticis huiusmodi verborum velamentis tecta prodere vellem. Qui enim rectè fabulã de aureis Hesperidũ horti pomis, & dracone eorundem custode interfecto, pomisque direptis, interpretratus fuerit, sub ea ferè totum Hermeticæ artis mysterium latere deprehendet. Item de aurei velleris acquisitione ab Iasone facta, deque varijs præmissis certaminibus, intelligendum est; quæ omnia modum & rationẽ in Chimica arte procedendi ostendunt. Non dicam hic de Ceri-

Busiridis Aegyptij Regis historia ad Alchimiã applicata.

Aenigmata varia Chimica.

ua æripede aurea habente cornua in Menelao monte ab Hercule interfecta. Sileo Apri Erymanthæi omnia deuastantis ab Hercule capti mythologiam, quæ nihil aliud, quàm Hermeticæ artis arcana sunt, fabulis inuoluta. Quæ omnia cùm fusè tractârint Maierus in libro intitulato, arcana arcanorum omnium arcanissima, vti & in Hercule Piochymico Petrus Ioannes Faber, ad ea Lectorem remitto; neque enim nobis iam ab alijs tradita, sed vt Oedipum decet, incognita, & forsan haud comperta alijs, euulgare libet. Quare Græcorum fabulis relictis, ad Ægyptiorum artem magnam reuertamur. Maierus. Petrus Io: Faber.

CAPVT IV.

De Cruce Hermetica, quam nos passim in hoc Opere Crucem ansatam appellamus, eiusque arcana significatione in opere Hermetico.

Hermes Trismegistus, vti primus literarum siue inuentor, siue inuentarum iam instaurator, ita characterum Hieroglyphicorum institutor, vt quæ in Mundo occultissima latent, mirifico à se excogitato symbolo exprimeret, omnia vnico charactere, quàm & Crucem Hermeticam appellant (nos Isiacam, seu ansatam, eò quòd in nullis ferè simulachris Ægyptiacis manu gestatus non spectetur, appellamus) expressit. Quem quidem characterem in tanta veneratione habebant, vt nihil sine eo rectè confici posse existimarent; eratque amuletum potentissimum, & character ad naturæ exemplar mirabili ingenij subtilitate fabricatus, ad viam felicitatis demonstrandam vnicus dux & lumen; cuius virtute apprimè in suo de vita cœlitùs propaganda libello describit Marsilius Ficinus his verbis: *Antiquiores Ægyptij, quemadmodum in Arabum quodam Collegio legimus, figuram Crucis cunctis anteponebant; quâ corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam, prima verò superficies Cruce describitur; sic enim imprimis habet longitudinem atque latitudinem, primaque hæc figura est, & omnium recta quàm maximè, & quatuor angulos rectos continet; effectus verò cœlestium maximè per rectitudinem radiorum angulorumque resultant; tunc enim stellæ magnoperè sunt potentes, quando quatuor Cœli tenent angulos, imò cardines, Orientis videlicet, Occidentisque, & medij vtrinque Cœli; sic verò dispositæ radios ita conijciunt in se inuicem, vt Crucem inde constituant. Crucem ergo Veteres figuram esse dicebant tùm stellarum fortitudinem factam, tùm earundem fortitudinis receptaculum, omniaque Mundi arcana per ipsam significabant.* Verùm cùm amplissimè in Obelisco Pamphilio l. 2. de Cruce ansata, omnia demonstrauerimus, superuacaneum esse ratus sum, ea hoc loco repetere; quare Lectorem eò remittimus; nostrum est, quænam dicta Crux mysteriosa arcana artis magnæ indigitet, hoc loco exponere; quod tunc opportunè fiet, vbi primò totius characteris Hermetici siue Mercurialis structuram ostenderimus.

Crux Hermetica, Isiaca, ansata. & cur ita dicta.

Marsilius Ficinus de cruce ansata.

Crucis Hermeticæ structura.

Sciendum itaque, Hermetem, dum maximam cœlestium corporum connexionem, atque adeo omnia in omnibus quodammodo latere aduertisset, binam Astronomiam condidisse; cœlestem, & elementarem. In cœlesti considerabat ordinem, connexionem, proprietates, influxus; in Elementari omnia eadem considerabat, sed suo modo; adeoque nihil esse in inferiori elementaris miscellæ Mundo, quod non in cœlesti, analogicâ quâdam comparatione reperiretur, contemplabatur. Sunt in Mundo superiori signa Zodiaci, septem Planetæ, cum Genijs suis præsidibus; sunt eadem in inferiori Mundo, vti copiosè varijs in locis huius Operis demonstratum est. Hæc itaque cùm considerasset, characterem hieroglyphicum excogitauit, quem à se Hermeticum, Tauticum seu Mercurialem appellauit, in quo vtriusque Astrologiæ arcana, mysticâ quâdam ratione, miroque artificio comprehendit. Et tametsi in hieroglyphicis character hic paulò rudiori Mineruâ sit exhibitus, suas tamen proportiones absconditas habet, queîs intimæ Mundani spiritus actiones exprimerentur. Sed structuram ostendam.

Mundi inferioris cum superiori analogia.

Ducatur in plano quopiam linea recta A B, quam in nouem æquas partes, eo ferè modo quo Siderei Mundi expansa diuiserunt Ægyptij, distribues. Hoc peracto, tres partes ex 9, inferiùs ex A sursum vsque in punctum E numeres, per quod punctum lineam duces D C, lineam A B ad angulos rectos intersecantem; quæ quidem linea vtrinque ex 9 binas partes occupet, cuiusmodi sunt lineæ E D, & E C. Iterum ex puncto E sursum numerabis tres partes ex 9; vsque in I punctum; in quo pones circinum, & intercapedine duarum partium, quales tota linea A B 9 habet, describatur circulus P M N. Hoc etiam peracto, ponatur denuò circinus in B puncto extremo, & intercapedine duarum partium, quales linea A B nouem continet, describatur semicirculus X Y Z: descripto semicirculo, trahatur ex A, altero extremo, linea R G, quatuor partium ex nouem longa, ita vt vtrinque duæ partes existant; positoque circino in punctis S, & T, intercapedine T A, & S A, describantur vtrinque semicirculi R V A, & A H G; & habebis characterem Hermeticum sub debita sibi proportione, & mundanæ symmetriæ corpori vndiquaque consentiente descriptum. Nihil porrò restat, nisi vt iam mysteria eius pari passu enucleemus; quod quidem per partes præstabimus.



Interpretatio characteris Hermetici.

PRimò itaque Mercurius mundanæ machinæ fabricam altiùs considerans, cùm ex rectis cyclicisque lineis compositam videret, characterem suum simili linearum mistura apparandum duxit, vt monadi megacosmicæ monas hæc hieroglyphica exactâ proportione responderet. Sicuti enim per lineam rectam circulumque primâ simplicissimaque rerum omnium in lucem productio repræsentatioque exhibita fuit; ita & in hoc characterismo ὀρθοκυκλογράμμῳ, ordo & series rerum omnium exhibetur; in quo centrale punctum I terram refert, circa quam tùm Sol, tùm Luna, reliquiq; Planetæ suos cursus conficiunt. Sol quidem Ægyptijs per hieroglyphicum circuli; Luna verò per segmentum eiusdem, vt in figura patet, referebatur: nam vti alibi diximus, Lunam connectebant Soli, non tantùm ob vicinitatem & situm, quem in mundano systemate ad Solem habet, sed & ob præstantiam horum luminarium, quorum Sol instar principij actiui, Luna verò instar principij passiui dùm se habent, maris & fœminæ in hac Mundi œconomia officio funguntur, ex quorum congressu influxuque fœcundissimo vniuersa inferioris Mundi natura fouetur & conseruatur. Quod autem Sol & Luna faciunt in Mundo Sidereo, hoc idem præstant in Mundo Elementari seu terrestri Sol & Luna, id est, aurum & argentum. Meritò igitur in characterismo mutuæ copulæ vnione se fouere spectantur. Porrò dum Hermes noster videret, omnes Siderum actiones influxusque non nisi rectâ radiorum diffusione in inferiora dimanare; præterea elementis extra sedes suas dimotis, suos ad easdem reditus, natura duce, per rectas lineas peragere; rectè Soli & Lunæ crucem rectilineam supposuit, vt Elementaris Mundi sidereis radijs animati imprægnatique actiones luculentiùs exprimeret. Sicuti enim ex fluxu puncti linea, ex lineæ fluxu superficies, ex superficiei fluxu corpus; ita in Mundi tam superioris, quàm inferioris œconomia, imò & in Chimico Mundo prorsùs contingit; in quo dùm ex stellæ tanquam Physici puncti continuo cursu quasi fluxu elementares in Chimico negotio lineæ producuntur, grauibusque leuia permiscentur, necessariò indè crux emergit, cuius vna linea recta deorsum descendens, grauia & leuia simpliciter exhibet; linea verò lineam perpendicularem rectâ secans, appositè ex grauibus & leuibus mixta corpora designat. Quæ omnia luculenter demonstrant Hermetis sectatores, dum vasi inclusum corpus caloris vi, in quatuor primas naturas, mirâ quâdam ratione iuxta dicta dissoluunt, exactissima in suas lineas factâ separatione; vt tandem inde per earundem linearum periphoras circularis in complemento Solari fiat coniunctio. Porrò per duos semicirculos crucem terminantes, nihil aliud indicasse videtur, nisi Arietem cornibus conspicuum, quem & duo semicirculi exhibent, & est symbolum ignis; quo ostenditur, totam hanc praxin, nisi ignis ministerio fieri non posse. Characterismo itaque in suâ elementa resoluto, hanc hieroglyphicam lectionem Hermes indicare voluit: *Sol & Luna vt in sua elementa resoluantur, denariam proportionem deposcunt,*

Crucis seu characteris Hermetici mysteria & interpretatio

☾ Luna
☉ Sol
† Elementa
♈ Ignis.

poscunt, ignis ministerio, efficiendam. Crucem autem denarij numeri symbolum esse, tùm in Obelisco Pamphilio, tùm in Arithmetica hieroglyphica sat superque demonstratum fuit. Notandum præterea, Planetarum characteres, vti in Astrologia diximus, primùm ab Hermete adinuentos esse, & ex hoc characterismo Hermetico depromptos; nam qui rem penitiùs introspexerit, videbit, omnes illos dictos Planetarum characteres ex Solis, Lunæ, Elementorum, id est, Crucis, & ex Arietis siue Ammonis cornibus compositos esse; ita ♄ Saturni character constat ex cruce & vno cornu Arietis; ♃ character Iouis componitur ex cruce & altero cornu Arietis; ☿ Mercurius ex cruce, circulo, & semicirculo, id est, ex ☉☽, & Elementari charactere; Martis character ex circulo, linea recta, & figura Arietis sic componitur, vt hic ♂. Veneris character ex circulo, & cruce, vt hic patet ♀. Mercurius vti omnium Planetarum nuncius est, ita omnium insignibus honoratur, vt apparet ☿; quo quidem occultè innuitur, in Mercurio omnium metallorum semina latere, cuius spiritus purissimus adeo potens est, vt in purissimam terram Chimicè præparatam quatuor has consimiles sibi & geogamicas naturas ♄, ♃, ☽, ♀ in se conuertat, & in vnum reducat, vt hieroglyphicum demonstrat; Martis verò character ex Solis & Arietis conflatus characteribus, Veneris ex Solis & Elementorum conflatus characteribus, Solarem respiciunt εὐφορίαν, opusque *μιαζωτηρικόν*; in cuius progressu fit tandem conspicuus Mercurius ille alter, prioris quidem vterinus frater, Lunari scilicet Solarique Elementorum completa Magia, videlicet Mercurius Philosophorum celeberrimus; cuius anima non solùm Lunam, Iouem, Mercurium, Venerem, sed & Martem indissolubilibus vinculis ligat & figit, nobisque tandem varia circa metallicam terram reuolutione factâ Solem Philosophorum desideratum exhibet. Vides igitur, quomodo dictus Mercurius primò Saturnum, deinde Iouem, tertiò Lunam actuet, postmodum Martem, & Venerem, ac tandem Solem, secundùm gradus quosdam mirificos, septenario numero completo, vt character pulchrè denotat, exhibeat. Verùm hæc omnia postea clariùs in praxi comperientur; vt proinde totum hoc mysterium ex Sole & Luna prodire, luce meridianâ clariùs pateat. Hinc Hermes, vt est apud Haled Arabem suprà citatum, ait: *Sol pater eius, Luna mater eius, & accipit nutrimentum ex terra, radijs Solaribus Lunaribusq; fomentata.* Nouimus à vetustissimis Astronomis ad hæc vsque nostra tempora, Lunam in Tauro exaltari, Solem in Ariete. Quàm hæc aptè Astrologiæ inferiori conueniant, characterismus Hermeticus demonstrat hâc notâ ♉, quæ est Lunæ in Tauro exaltatio, & Solis in Ariete, vti hæc analysis ostendit. Sol enim in Ariete, signo igneo, post varias operationes suum accipit robur Martium, & veluti in domo suâ exaltationem, ex Marte, vti character innuit Martis ♂; ita vt Lunæ & Solis exaltatio illa ex ♄, ♃, ☿, hæc ex ♂ & ♀, mediante Elementorum scientia, suam perfectionem nanciscantur. Modum verò procedendi ipsa crux indicat. Crux quatuor lineis constat, numerus autem quaternarius expansus sic 1, 2, 3, 4 vt in Arithmetica hieroglyphica docuimus, decem conficit, totius ope-

Planetarum characteres originem habent ex Cruce Tautica seu Hermetica.

Taurus ♉ Lunæ exaltatio. ☉ † Elementa. Aries ♈ Solis exaltatio. ♉

Denarius numerus sub cruce Hermetica latet.

ratio-

rationis metam & terminum; cuius medietas est quinarius, numerus videlicet circularis, & radix quadrati 25; sicuti denarij quadratum 100 sunt; quem quoque conficiunt 25 quater multiplicata; quatuor Elementorum agitatio per denarium, operis per circulationem consumatio, totidem dierum curriculo conclusa, 25 & 100 multiplicationem inuenti operis, aptè designat. Centrum verò vnde totum deducitur, est punctum ipsum decussatæ crucis, quod deinde ignis ministerio euolutum, in omnes locorum differentias, veluti in brachio quodam diffundit.

Latet & aliud sub charactere Hermetico mysterium. Si enim inuersus consideretur, primò occurrunt cornua Arietina, quæ vna cum Cruce constituent characteres ♄ Saturni, ♃ Iouis, ♂ Martis; deinde ascendendo, Crux Veneri ♀, Mercurioq; ☿ inseruit; sequuntur tandem Sol & Luna infimi. Quibus quidem nihil aliud indicare voluerunt, nisi ternarium Hermeticum in monade latentem; ex qua exit primò in separatas, incognitasque quasdam Saturninas, Martiales, Iouiales essentias, vt deinde Sol & Luna, quod intenditur, habeatur. Ex Cruce enim vnum, & ex duobus iterum vnum; in Cruce monas, dyas, trias, decas, quæ omnia quomodo intelligenda sint, & quid in Chimica arte significant, explicemus.

Character Hermeticus inuersus.

Nota itaque, omnia in Mundo secundum archetypum Mundum, facta esse; in quo Pater generat Filium, Monas dyadem, ex qua processio Spiritus sancti vnius, dat triadem; trias tamen hæc necessariò tetradem habet implicatam; vt sit Pater abstractiuè consideratus secundùm diuinam suam essentiam; deinde Pater vt relationem dicit ad Filium, postmodum Spiritus Sanctus prout relationem dicit ad vtrumque. Sunt itaque Pater, Pater & Filius, & Spiritus sanctus. Sic Mundus quoque creatus fuit. Habes quatuor Elementa, habes quatuor luminaria, duo superiora, & duo inferiora, duo cœlestia, duo centralia; quibus omnia, quæ creata sunt, comprehenduntur. Non creatur vnum ex vno, hoc enim solius Dei est proprium; hominis est ex duobus vnum producere. In Mundo Elementari duo regna sunt, vegetale & minerale. Hoc per se subsistere potest, etiamsi nullus in Mundo homo esset, arbor, vel herba; illud pariter etiamsi nullum in Mundo metallum esset, aut animal, perstare potest. Hæc duo ex vno, & per vnum creata sunt; tertium verò ex his duobus vitam habet, iisque præstantiorem essentiam exhibet, tametsi sine illis esse non possit, iisque dominetur; quia in triade omnis semper virtus consumatur, in dyade verò siue binario multiplicatur. Explico mentem meam. In regno vegetabili materia prima herba vel arbor est, Philosophicè loquendo, quam quidem errare non patitur, vtpote solius naturæ opus. In hoc regno materia secunda semen est, & in hoc herba vel arbor multiplicatur, fitque processus ex monade in dyadem, & hinc in triadem. In regno minerali metallum errare nescit, vtpote cuius potestatem sola sibi natura reseruauerit; semen tamen habet, quo Opifex ad multiplicationem operatur. Est aqua in centro cordis eorum latens, cuius digestiua facultas ignis est, receptaculum siue matrix eius

Mundus elementaris factus secundùm Archetypum.

Regnum vegetabile & minerale in Mundo elementari.

aër

aër est. In quo dum digeritur, soluitur; dum putrefit, destruitur; virtusque eius est rei vnicuique se in regno suo coniungere, quia subtile est, & nihil aliud nisi aër, qui in aquæ congelatur pinguedine; quod quidem extra regnum suum nulli rei se miscet, neque soluitur; sed congelatur, quo indiget.

Planetæ inferiores & superiores.

Ad meliorem rerum intelligentiam, vt quomodo metalla coerceri ad emittendum, recipiendumque semen, possint, intelligatur, Notandum, eodem prorsus modo & ratione se habere Planetas inferiores, ac superiores siue cœlestes; in quibus vti superiores in inferiores, non contra influunt, ita inferioribus Planetis vsu venit. Inter Planetas vides Saturnum esse supremum, cui succedunt Iuppiter, & Mars, in medio Sol est, quem sequitur Venus, Mercurius, Luna. Quemadmodum ergo Venus non in Martem, sed contrà Mars in Venerem influit; ita non ex Venere Mars, sed contrà ex Marte Venus fit. Hoc pacto Iuppiter quoque facilè conuertitur in Mercurium, qui Iuppiter secundus est à firmamento, Mercurius verò secundus à terra, vt in margine patet, & sic de cœteris. Sol vti medium locum obtinet, ita omnibus se miscet, hâc tamen conditione, vt per inferiores nunquam melior & præstantior reddatur; ita vt semper superiores cum inferioribus maioribus sympathiæ, & amicitiæ legibus connectantur; & quantò sunt Soli viciniores, ab eoque æquius dissident, vti sunt Mars & Venus, Iuppiter & Mercurius, Saturnus & Luna, tantò faciliori copulâ coalescunt; hinc nonnulli ex similibus, sine vlla, vt putant, Solis operatione, Martem in Venerem, Iouem in Mercurium, Saturnum in Lunam conuertunt; tametsi nihil in huiusmodi operationibus, si penitiori trutinâ negotium ponderemus, sine Solis omnibus metallis suam naturam administrantis subsidio rectè confici possit. Quàm hæc mirificâ ratione ex Hermetico nostro Caduceo eruantur, luculenter patet. Quòd si ♈ Arietis signum duobus constans semicirculis in vnum coniungatur circulum, nascetur Veneris character ♀, qui tamen non attingit magnitudinem characteris Solaris. Quo quidem occultè indicatur duplex Lunæ gradus, siue Luna inexistens, viua per Elementorum tractanda ministerium, habens potentiam, vt Solarem repræsentet plenitudinem, suis simul arte connexis semicirculis. Quòd si fiat, non ea quidem ad Solarem gradum peruenisse natura sua censenda est, sed esse factitium opus, neque referre posse magnitudinem Solarem, vtpote suis partibus laxis, fluxis, dissolutis, non solidè in Solarem speciem compactis. Vnde patet ex hoc mysterio, ex charactere ☿ vel ♀, non nobis sperandum esse Solem ☉, cùm & ☽ primò non fuerit in natura ☿; latet tamen sub eo, veluti sub diuersis membris, mira quædam sympathia, & magnetica quædam vis, & vnionis affectatio, quâ facilè quodque sibi sympathon attrahat in operis executione; ad quam vasa aptissima requiruntur, quorum formam & figuram ipse hieroglyphicus noster character pulchrè demonstrat, ex cuius symmetria nascuntur sequentes figuræ. Alembicus cir-

1 ♄ 7
2 ♃ 6
3 ♂ 5
4 ☉ 4
5 ♀ 3
6 ☿ 2
7 ☽ 1

Character ♀ oritur ex charactere ♈.



circularis A, Grus vitreus B, quod terreæ scutellæ C, fimo aut cinere repletæ superimponi debet.

Totum hoc artificium alio hierogrammatismo exhibuerunt Veteres Ægyptiorum, estque illud quod sequitur; in quo Scarabæus primam metallicæ artis materiam denotat, totius Mundi inuoluens corpora, ex qua ouum euoluit in cauda conspicuum, in quo dum omnium metallorum semina latent, ea per exaltationem in septem desinunt Planetarum orbes; quorum quinque circuli quinque Planetas minores, Hori verò caput Solem, & segmentum circuli capiti Hori impositum, Lunam cui includitur Crux genuinū Elementorū symbolum, denotant; tabulam brachijs inclusam tenet, cum voce Ægyptia ΦVΛO, quod amorem, significat. Si itaque hunc characterismum Anatomicorum more in singulas partes resoluamus, producetur hic sensus: *Anima Mundi, seu vita rerum in inferioris Mundi machina latet, in qua ouum conditur, seminalibus rationibus fœcundum, quod in planetarum metallicorum Orbes vim exercens, calore eos animat, & actuat, vt inde Horus rerum, id est, Sol & Luna per Elementorum dissolutionem, purarumque rerum ab impuris separationem emergat; hoc enim peracto, singula singulis amore quodam naturali & sympathico coalescent, estque totius operis complementum.* Vide Lector, quæ de hoc hierogrammatismo varia producimus in Prodromo Copto fol. 263.

Scarabæi hieroglyphicum Chimicam artem denotat.

Verùm cùm hæc omnia obscuriora sint, quàm vt à Tyronibus percipi queant, vtpote diuturno labore in arte exercitatis reseruata; visum fuit hoc loco in gratiam φιλοχημίας ea paulò fusiùs explicare, latentia secreta in lucem euoluere, modum operandi iuxta præscriptas in præcedentibus hieroglyphicas ideas ostendere; vt si cui lubeat periculum facere, clauem, quâ id possit, habeat.

Totus Hermeticus character ex omnibus mundanorum corporum Schematis compositus, primò ostendit latere vim quandam in omnibus rebus existentem, quæ ipsis vitam & nutrimentum præbeat; esse tamen ita absconditam, vt nemo, nisi maximo labore, ad genuinam eius notitiam peruenire possit. Latet enim in intimis rerum naturalium recessibus, centralis abyssi caligine obuoluta; cuius euolutionem si quis nouerit, ille totius naturæ penuarium sibi apertum esse nouerit. Atque hanc vim Mercurialem esse voluit, charactere illo multiplici linearum fœtura turgido significatam; in qua nullum mundanarum rerum discrimen, sed in vnum compacta veluti in chao quodam delitescunt; quem tamen si dissolueris, & in sua membra peritè distribueris, statim Planetarum non superioris duntaxat, sed & inferioris Mundi orbitæ patebunt, elementa-

Hermeticus character Chimicæ artis clauis.

ria-

riarum qualitatum proportiones elucescent, quam quisque naturam, proprietatem, sympathiam ad aliud habeat, constabit. modus in connexione vnius cum altero, per separationem purorum ab impuris, in vasis appropriatis, mirâ quâdam ratione aperietur, vt tandem iuxta ordinem, quem characterismus euolutus indicat, sagax artifex operando, animam illam vagabundam certis materijs alligans affigensque, id quod in omnibus optimum est, consequatur. Spiritus itaque seu anima rerum per vniuersos entium ordines gradusque diffusa, quæ Hermeticus character continet, nihil aliud est, quàm vis quædam Mercurialis, non quidem vulgaris illius Mercurij soboles, sed in intimo & abditissimo rerum penu recondita, subtilissima, penitissima, omnia peruadens, immutans, pura ab impuris separans, rerum omnium fomentum, sal, vita. Quæ omnia ipse Hermes, vti Haled Arabs eius Commentator asserit, hoc pacto describit. cito textum Arabicum.

Haled Arabs.

قال هرمس الدراه الموصو في ذات النظر التي الدايم الموجود وهو في كل شي وهوفي كل بيت موجود فطوبي لمن فهم سرها ووقف عملها وقال ان سر كل شي الما والما قابل للتربيه من الناس في غير ذلك وفي الما سر عظيم ۞ قال مرقونس ما في الدنيا يباع اكثر منه وهو عند كل احد وكل احد يحتاج اليه يكون عنده ولا يدله منه ولاخرجت روحه ۞ قال ابن اميل يزيد بقوله المالان الما موجود في كل مكان في السهول والجبال وعند الغني والفقير والقوي والضعيف وهذا مثل يضرب به جميع الحكما لحجرهم وهو الما وهو الروح الرطــــــب ۞

Hermetis sententia de essentia in omni re existente.

Dicit Hermes, quòd in omni re existit essentia viua perpetua, primordialis, inuenitur q; in omni re, & in omni domo; beatus cui continget intelligere secretum eius, & conuenienter tractare eam. Dixit autem quòd secretum huius rei est aqua, & aqua accipit nutrimentum suum ab hominibus. Dicit etiam Marcunes, omnia quæ in Mundo sunt, pluris venduntur dictâ illâ aquâ; est enim apud vnumquemque, & vnusquisque indiget illâ; est apud illum, nec deserit illum, neque egreditur spiritus eius. Dicit Abn Amil de dicta aqua differens, quoniam hæc aqua inuenitur in omni loco, in planis, vallibus, montibus, & inuenitur apud diuitem & pauperem, apud robustum & debilem. & hæc est parabola quâ omnes Sapientes respiciunt lapidem suum, & est aqua & spiritus humidus, & Hermes signauit ipsum notis reconditissimis.

CAPVT V.

Quomodo, quæ in characterismo Hermetico θεωρητικῶς continentur, in praxin deduci possunt, & debent.

Character Hermeticus praxin Alchimiæ docet.

QVænam cœterorum metallorum ad aurum & argentum affinitas, proprietas, natura, quid vnicuique addendum demendumque, vti in Solem vel Lunam degeneret, characterismus Hermeticus pulchrè denotat, arcanâ quâdam cœlestis œconomiæ similitudine, quo ad situm, locum, naturam adumbratus, ex quorum notitia in rectum tramitem deduce-

duceris, metalla singula in Sole & Luna exaltandi, vti iam aperiemus.

Notandum absque Martis & Veneris spiritibus & animabus neque Solem, neque Lunam exaltari posse; quòd ex charactere Hermetico mirificâ quâdam analogiâ indigitatur; siquidem duos hosce Planetas, Solem & Lunam, suas exaltationes & dignitates tunc primùm acquirere, vbi in domicilijs Martis & Veneris, id est, in Ariete & Tauro constiterint, Astrologia docet; quod sanè pulchrè per characterem suum expressit Hermes, in quo expressè vides, characteres ♂ & ♀ suam sibi figuram à Solis charactere mutuare, sicuti suos à Luna characteres sumunt Saturnus ♄, & Iuppiter ♃, vti suprà demonstratum est. Quo quidem appositè indicatur, quòd vti Mars & Venus de natura sunt Solis, ita Saturnus & Iuppiter de natura Lunæ sunt; ac proinde vti hi Lunæ sympathi & congenij, ita illi Soli, mirâ quâdam ratione, occultis amicitiæ legibus iunguntur. Hinc character Martis ♂ circulo Solem, binis verò semicirculis characterem cornuum Arietis ♈ notat, id est, Solis in Ariete, seu domicilio Martis exaltationem. Venerem verò in Tauro, id est, in domicilio suo exaltari, character ☿ sat demonstrat; in hoc enim si crucem tollis, restat character ♉. Per quam quidem exaltationem Hermes nihil aliud indigitare voluit, nisi Solem & Lunam in hac terrestri regione seu globo, suas exaltationes & dignitates à terrestribus planetis ♂ & ♀, duce Astrologia cœlesti, accipere. Saturnus enim iuxta Ægyptiorum systema commune, primum locum occupat, Iuppiter secundum, Mars tertium, Sol quartum, Venus quintum, Mercurius sextum, Luna septimum. Si iam Planetæ hoc ordine ponantur, certè vel ex ipsa dispositione patebit Martem & Venerem auri, Saturnum & Iouem argenti naturam proximè participare. Si Saturnus & Luna, Iuppiter & Mercurius, Mars & Venus coniungantur, tunc patebit semper duos vnam habere naturam & proprietatem, & ab auro tanquam omnium Rege & centro in medio consistente summam suam accipere virtutem. Astipulatur hisce meliorum Chimicorum consensus, dum Mercurium & sulphur Philosophorum, qui aurum cibant, sanguinem præbent & sollicitant, ex tinctura Martis & Veneris sumi & præparari debere asserunt; siquidem tinctura auri in nullo magis superflua, quàm in Marte & Venere, veluti in viro & fœmina, inuenitur. Est enim Venus per suum cœleste sulphur, splendore cœlesti amicta, atque tinctura quidem, quam Venus assequitur, & eadem in Marte reperitur, adeoque efficacior, præstantior, & maior; Mars enim vir est, Venus fœmina. In hac inuenitur sulphur ardens, & aliud sulphur





Solis & Lunæ exaltatio in domibus Martis & Veneris.

Systema septem planetarum commune Alchimiam docet.

Auri tinctura

non ardens, vnum album, alterum rubrum, in generationis operatricis executione; rubrum sulphur est incombustibile,& verè ἄσφεσον paratur, estque sulphur cum auro radicaliter consertum & inuentum. Verùm audiamus de hoc suprà citatum Haledum Arabem Hermetis Commentatorem, qui inter multa paucis tandem sic concludit. Arabicum textum lege apud ipsum, hic Latinam subijcio interpretationem: *Hic aperiam tibi secretum, quòd nempe aurum, cuprum, & ferrum in se contineant vnum sulphur, tincturam vnam, & materiam tingentem vnam, quæ materia spiritus est, vapor & fumus, de quibus suprà locuti sumus, qui omnium corporum penetratiuus est. Si itaque illum accipis, & per spiritum curas qui in sale Martis inuenitur, & misces cum eo spiritu Mercurium secundùm nostrum pondus, fœcibus priùs ritè purgatum, & ab omni corrosione violenta liberum solutumque; scias tunc te medicinam habere, cui nulla in Mundo potest comparari. Si verò illa cum Sole fermentetur, tunc ingressus patebit ad conficiendam omnium metallorum transmutationem.*

Haled. Arabs.

Secretum Chimicum ex Haled.

Est & hoc mirum, quòd cùm in terrestri Luna tria desint, nempe pondus, fixatio, & gradatio, illa tria re ipsa recompensare reliqui planetæ voluerint. Primus itaque defectus est pondus, & hoc quidem illi reddere potest Saturnus Soli in pondere proximus, vtpote Sol leprosus à Chimicis dictus. Secundus defectus est fixatio; nam Luna propter Mercurialem adhuc in ea residentem humiditatem, sulphuream que nigredinem, in impura nigredine nondum decocta est; hinc Mars, vtpote Soli calore proximus, feruore suo dictam Lunæ humiditatem, vt in nobiliorem naturæ gradum exaltetur, facilè digerit. Tertius defectus est gradatio, quam Venus perpetua Solis comes, & Lunæ colore proxima, facilè restituit. Quæ omnia secretiores Philosophi non incongruè innuerunt, dum dixerunt: *Venerem solue, solutam congela, congelatam projce supra Lunam fusam, & exaltabitur in colorem & honorem verissimi & lucidissimi Solis.* Quod quidem iuxta characteris nostri interpretationem sic intelligendum est. Venus est exaltatio Lunæ ad gradum Solis; calcina itaque Venerem, exubera, sublima, solue, solutionem conjunge Lunæ solutæ; hanc congela, & habebis exaltationem Solis. Huius tinctura & pondus Marti (facilè enim in se transmutantur) ascribitur, qui, si in Saturnum transmutatur, Saturnus Philosophorum dicitur; sub hisce enim duobus fixatio perfecta inclusa latet. Si enim phlegmaticam Lunæ constitutionem, per calidum Veneris sanguinem exsicces, illiusque nigredinem per Martis salem corrigas; tum Martis animositas & Lunæ constantia, & Veneris pulchritudo in mixtura & concordantia perfectè consonabunt. Quamnam verò hæc tria corpora proportionem habeant, quam commixtionis portionem exquirant, ex characterismo Hermetis constat. Cùm enim tribus defectibus Luna obnoxia sit, primò considerandæ sunt qualitates & natura, & quinam illorum defectuum maximus sit, & quid primò conueniat, hoc est, digestio, & quid vltimò, hoc est, tinctura; & deinde quantum hos in pondere excedat Saturnus; præterea Astronomicè situs & proximatio ad Solem attendenda, vt suprà docuimus. Si iam Lunam in Solem tibi transmutandi animus sit, neces-

Lunæ terrestris pondus, fixatio, & gradatio à reliquis planetis supplentur.

Axioma Chimicum, eiusque interpretatio.

Character Hermeticus docet quomodo terrestris Lunæ defectus tres supplendi.

se est, vt ex Marte & Venere subtilissimi tingentes spiritus extrahantur, & cum auro fermententur; & si Luna debeat fieri Sol, priùs duo illi Planetæ, Mercurius & Venus, qui inter Solem & Lunam consistunt, separentur; tunc abit cum Venere nigredo, & cum Mercurio humiditas euaporans, ad quod requiruntur sales, aquæ fortes, & vegetabilia; per hæc enim purgantur corpora, spiritalemque induunt substantiam. Vides igitur, quanta sub charactere hoc hieroglyphico arcana celauerit Hermes? Sed vt ad veritatem dictorum propiùs accedamus, praxin Ægyptijs vsitatam ex Arabum relatione subnectamus. *Ægyptiorum praxis in Chimico negotio.*

Sciendum itaque, totius artis clauem consistere in dissolutione materiæ metallicæ in sua Elementa per ignem, & putrefactionem; corpus enim non putrefactum nullam producit formam; ministerio autem ignis putrefactum iam distillando resoluitur. Septem itaque Planetæ metallici, primo in quatuor disparatas naturas resolui debent, id est, in calcem, in salem, in aquam, & in oleum, qui est Mercurius Philosophorum, totius operationis finis. Quæ omnia in charactere nostro Hermetico aptè exhibentur per Crucem, in qua infima linea terrestrem substantiam metallicam siue calcem, laterales lineæ salem & aquam, superior denique igneam substantiam siue oleum, quæ ex præsupposita materia educi debent, pulchrè referunt. Scias itaque, dicta septem metallica corpora, quæ in characterismo Hermetico ostenduntur, primò in calcem reduci posse, deinde ex calce fieri salem, post ex sale aquam; ex aqua demum Mercurium Philosophicum, & est cuiusuis metalli resoluti anima, potentiam habens simile sibi in optimum transmutandi. *Character Hermeticus docet dissolutionem materiæ metallicæ in sua elementa.*

Principium itaque operis est calcinatio metallorum, vt ex præparatione calcis deinde extrahatur sal, quem Arabes salem amarum, siue acetum vocant; neque aliud in opere attendendum, nisi salium extractio; hi enim sales continent in se animam metallorum transformatricem, quâ omnia metalla, solâ naturæ operatione, transmutantur in nobiliora & nobiliora metalla; habet enim virtutem penetratiuam, ob summam suam subtilitatem & acrimoniam. Sciendum tamen, Solem & Lunam habere solummodò virtutem & potentiam fixandi sales cœterorum metallorum imperfectorum, potissimùm eorum, qui calcem producunt similem calci Solis, id est, citrinum; eorum verò sales, quæ album calcem producunt, similem calci Lunæ, vt in sequentibus dicetur. *Calcinatio principium operis Chimici.*

Quænam verò ex metallis imperfectis sympatha sint Soli, quæ Lunæ, Characterismus Hermeticus pulchrè ostendit, vt suprà docuimus. Sunt enim, ♄ Saturnus seu plumbum, ♀ Venus seu cuprum, & ♂ Mars seu ferrum: Lunæ verò sympatha sunt ♃ Iuppiter seu stannum, & ☿ Mercurius; vti enim illi Planetæ calcem citrinam, ita hi calcem candidam producunt; quorum vterque in salem, deinde aquam, & tandem in oleum ductus, vim transmutandi in Lunam acquirit. *His præmonitis* nil restat, nisi vt calcinationem singulorum Planetarum metallicorum paucis quoque ostendamus, quæ ex Hermetis operibus ab Haled Arabicè relatis decerpsimus. Nec quisquam putet, ijs me fidem habere, cùm *Character Hermeticus docet quæ Soli & Lunæ sint sympatha.* *Calcinatio singulorum planetarum metallicorum*

non ea experimento didicerim, sed vt Oedipum decet, ea tantùm, vti omnia cœtera huius farinæ, exponere voluisse, ab omni veritate aut falsitate abstrahendo.

Calcinatio Solis.

Sol primò in subtiles laminas extensus, & ab omni sorditie mundatus, ope Antimonij calcinetur in fornace reuerberationis in vase aperto per sex continuos dies; in calcem verò reductus lauabitur aquâ pluuiali (vel etiam, quod meliùs, rore Maiali) distillabitur, quantò sæpiùs, tantò meliùs; hanc calci mistam, atque vasi vitreo impositam coques supra cineres calidos vnius diei naturalis spacio, vsque dum calx totam aquam imbiberit consumpseritque; deinde hanc calcem furno reuerberationis impositam denuo per vnius diei naturalis spacium calcinato, ablutione pariter, vti priùs, iterata; & hanc operationem decies aut duodecies repetes, donec perfectionem suam nanciscatur; cuius signum erit calx purissima, aurea prorsùs, clara & fulgens; vnde & cerussa Solis dicitur. Secundus Planeta sympathus Soli Venus ♀ est, scilicet cuprum, & calcinatur in furno reuerberationis, vel fornace vitraria per decem dies, quod ✝ circulo annexa, denarij symbolum, clarè ostendit; & procedendum vt suprà, recalcinando illam toties, donec tincturam sanguinis ad instar rubram acquisiuerit, & dicitur cerussa Veneris. Tertius Planeta Soli sympathus est ♂ Mars, id est, ferrum, quod per decem dies calcinabis, & recalcinabis in dicta fornace, lauabisque toties, donec tincturam ruberrimam calx nacta fuerit. Quartus Planeta Soli sympathus ♄ Saturnus est, quem eodem prorsùs modo, quo suprà dictum est, in suam cerussam traduces. Luna verò, & cœteri planetæ ei sympathi sic calcinantur. Luna in vase clauso ponenda est, decem dierum curriculo, & procedendum in ablutione, vti supra in calcinatione Solis dictum est, & habebis cerussam Lunæ clarissimam & nitentem, declinantem aliquantulum ad cæruleum. In calcinando ♃ Ioue Lunæ sympatho pari passu in omnibus procedes; & habebis cerussam ♃ Iouis. Calcinatio verò Mercurij ☿ sympathi Lunæ, cum fugacis naturæ sit, paulò aliter se habet; ita autem procedes. Dissoluetur Mercurius primò in aqua forti cum duabus partibus aluminis, & vna salis petræ; quo dissoluto infundes super eum aquam fontanam pauxillùm tepidam, intra quam parum salis communis insperges, & statim Mercurius fundum petet sub specie calcis candidæ; quo facto, aquam ex vase eximes, & calcem perlues vt suprà, & habebis intentum.

Calcinatio Veneris.

Calcinatio Martis.

Calcinatio Saturni.

Calcinatio Lunæ & cœterorum planetarum.

Sal quomodo extrahatur è singulorum planetarum metallicorum calce.

Obtenta calce septem metallorum, ex singulorum calce salem extrahes hâc industriâ. Accipe calcem cuiuscunque Planetæ volueris, quam vasi inclusam superaffuso aceto optimo ter vel quater distillato supra cineres calidos impones; & vbi aliquantulum incaluerit acetum cum calce, deposito vase, mixtum frigefieri vsque ad optimum sedimentum, sines; deinde summâ industriâ aquam, nè calci misceatur, abstrahes, impositamque alembico distillabis in cineribus calidis, igne lento, habebisque acetum; & cum videris congelationis inceptæ præludia, abstracto alembico frigefieri sinas, & constringetur in salem pulcherrimum & lucentissimum,

ſimum, mirificâ vi ad penetrandum prædituм; hunc conſeruabis in vſum. Finis huius ſalis eſt, tranſmutare naturas metallorum imperfectorum combuſtibiles & defectuoſas, in perfectas; vti eſt Sol & Luna, iuxta *ſympathiam, quam ſingula vel ad Solem, vel ad Lunam habent. Sal Saturni dicitur Salnitrũ coloris lucentiſſimi. Sal Martis dicitur Sal Coë, coloris ſanguinei. Sal Veneris dicitur Sal Alkali, coloris viridis & lucentis. Sal Solis eſt coloris citrini inſtar ſuccini. Atque hi ſales ſympathici ſunt ad Solem, id eſt, tranſmutant metalla, ex quibus extracta ſunt, in Solem. Sal Mercurij dicitur etiam Sal Ammoniacus, & Soli & Lunæ confert. Sal Iouis ſiue Sal Talci ſympathus Lunæ eſt. Atque hi ſunt ſeptem Sales principales, in quibus latet aqua illa vitæ tantopere æſtimata, & Mercurius Philoſophorum, vnica ad operis conſummationem clauis. De quibus ſic Hermes apud Haled:

Sal ſingulorum planetarum metallicorum.

Haled Arabs.

قال هرمس خذ الكبريت والدخان والبخار والزيبق وهو الملح المر فخذوه وقطروه
بالين نار تقدرون عليه من نار فحم فقطره كما تعلم برفق وتعاهده حتى اذا انقطع
القطر ولم يقطر شيا ودعه يبرد مكانه ورد الما عليه ثانيه وتقطره وترد ماه ثالثه
وقطره يقطر لك منه خل ولا يبقي فيه نداوه ولا نزعها وهذا خل هرمس وخل جميع
الحكما وفي هذا القول اشارة الى ما في الملح المر من الاركان الاربعه والى كونه بالتدبير
المذكور خلا مقطرا وهو الما الحلال المسمي بما الحياه ۞ ان هذا الما يحرق الاجسام كالنار
ويحفظها من الاحتراق كالما ويغسلها كالصابون من الاوساخ ويكلسها كالكبريت
ويحللها كالزيبق بعد الانعام وهذا الما نار جامد ثلج بارد وكبريت محلول زيبق
معقود كالدرة البيضا وهذا سر الحياة المريه في جميع الاشيا ولذا يحيي الارض بعد
موتها ويسمي بما الحيـــــــــــاه ۞

Dixit Hermes, accipe ſulphur, & fumum, & vaporem, & argentum viuum, illud videlicet quod dicitur Sal amarum, & Philoſophorum Mercurius eſt; hunc accipiunt & diſtillant in igne lento, fortificantes eum paulatim igne carbonum, & diſtillant iuxta artem ſenſim, eum eo vſque dirigendo, donec conſumptâ aquâ nihil aliud fluat; deinde totum frigeſieri ſines in loco ſuo, & affundatur aqua ſecundò, & diſtillabis eum, & diſtillabitur tibi acetum defæcatiſſimum, & hoc eſt acetum Hermeticum, & acetum omnium Philoſophorum, & in hoc habes totum id, quod eſt in ſale amaro ex quatuor elementis, & ſuper eſſentiam eius in magiſterio memorato aceti diſtillati, & eſt aqua laudabilis, & dicitur aqua vitæ; quoniam hæc aqua comburit omnia ſicut ignis, & conſeruat ea à combuſtione ſicut aqua, & lauat ea ſicut ſapo ab immunditia, & calcinat ea ſicut ſulphur, & diſſoluit ea ſicut Mercurius, & hæc aqua eſt ignis congelatus, nix frigida, & ſulphur diſſolutum, & argentum viuum fixum inſtar vnionis candidi, & hoc eſt ſecretum vitæ, & inuenitur in omnibus rebus, hâc viuit terra poſt mortem ſuam, & dicitur aqua vitæ. Quæ appoſitè ſanè ſuperiori hieroglyphico Scarabæoformi exponuntur; in quo Scarabæus materiam primam ſeptem metallorum ſpiritu Mundano agitatã ſignificat, appetitum habet ad omnes formas; in eo diuerſitas colorum, id eſt, aureus, viridis, ruber, albus, niger, cæruleus, candidus (hos enim omnes colores in corpore ſuo exhibet Heliocantharus) diuerſos colores, quos in proceſſu operis Chimici ſpectamus,

Hermetis ſententia de aqua vitæ.

Scarabæi hieroglyphicũ docet ſecretum aquæ vitæ.

mus, designat; cuius cauda in ouum terminans semen quoddam in intimo oui mundani recessu latere indicat, quod eo modo animandum est, quo Scarabæus pilulam stercorariam inducto semine actuat; hoc enim caloris vi dispositum, euolutumque è spiris suis helicibus, singulis planetarijs circulis, siue quinque metallis imperfectioribus, quæ per quinque circulos notantur, communicatur; ex quo dicti Planetæ formam suæ essentiæ suscipientes, vlterioremque perfectionem appetentes, tandem in Solem, quod Hori caput indicat, & Lunam, cuius index est ipsa Lunæ figura capiti imposita, degenerant; per elementarem dissolutionem, purorumque ab impuris, siue heterogeneorum ab homogeneis separationem, siue per spagyricam artem, quam pulchrè, vti suprà dictum est, Crux Lunæ inclusa indicat. Hæc tandem omnia finem suum consequun-



tur

tur per Venerem, siue naturalem inclinationem appetitumque, quo vltro vnumquodque sibi simile appetit, idque ad nobiliorem formam adipiscendam sollicitat. Quæ quidem Hermetici oui euolutio & inuolutio pulchrè per Scarabæi operationem hieroglyphicè exponitur, vt ex figura præcedenti apparet. Sed de latente mirâ quâdam in hoc schemate superioris cum inferiori Mundo analogiâ vide fusè actum in Obel. Pamphi. fol. 341. Fit autem totius magisterij consumatio ope aceti suprà memorati Philosophorum. Nam vt rectè Artephius dicit, est hæc aqua amicabilis, & metallis placabilis, dealbans Solem, & reducit corpus perfectum, quod est de sua natura in suam primam materiam, id est, in sulphur & argentum viuum albi coloris, & plusquam speculum splendentis; corpus volatile reddit, id est, vbi corpus in hoc aceto dissolutum fuerit, ascendit superficiem aquæ. Ita autem operatur institutione Mercurij, Haled, & Artephius, quisquis ille fuerit mille annorum μακρόβιος, qui solius elixiris sui vsu vitam protraxisse, hoc loco imperitè fingitur. Fiat primò acetum Saturninum antimoniale, vti suprà dictum fuit, (sine hoc enim nihil in Chimico opere rectè confici potest) cum sale Ammoniaco, intra quod aurum crudum foliatum vel in subtiles laminas distentum, vel prius calcinatum, vti diximus suprà, impones in vitreo vase lato & alto, pro multitudine materiæ capaci, quod calore temperato foueatur; & videbis breui tempore eleuari quasi liquorem olei desuper natantem in modum pelliculæ, quod identidem colligendum, donec nihil supersit, humiditatemq; aceti superfluam euaporare sines, & remanebit in fundo quinta essentia auri, in modum olei candidi incombustibilis, quod est elixir Philosophorum.

Artephius.

Elixir Philosophorum ex Haled & Artephio.

Finis itaque huius aquæ Mercurialis, siue aceti Philosophorum, est dealbare aurum sublimatum, & in primam suam materiam reducere, id est, in sulphur album incombustibile, & in argentum viuum fixum; hac enim humidum terminatum, id est, aurum per reiterationem liquefactionis in aqua nostra dissolutiua conuertitur & reducitur in sulphur & argentum viuum fixum, & sic corpus perfectum Solis accipit vitam in tali aqua, viuificatur, inspiratur, crescit, & multiplicatur in sua specie, sicuti cœteræ. Acetum enim hoc mistum Soli & Lunæ, illis adhæret, corporaque ab ipso accipiunt albedinis splendentis tincturam. Qui itaque sciuerit conuertere corpus in argentum album medicinale, is nullo negotio deinde per illud omnia metalla imperfecta in optimum argentum conuertet, augmentando in eo suum calorem natiuum, pondus, substantiam, & tincturam; mox enim ac senserit calorem sibi inclusum, si in ea fuerit corpus perfectum Solis & Lunæ, illud findet, & in substantiam albam similem ipsi cum argento coloris, ponderis & tincturæ liquefaciet. Nam vt rectè Haled:

Aquæ Mercurialis seu aceti Philosophorum finis.

والما الذي هو الروح والنفس الشمس والقمر والما المحلول نار في ضد الطبع *Haled.*
نار رطب وخل لطيــــــــــــــــــــــف ۞

Est enim spiritus & anima Solis & Lunæ, oleum & aqua dissoluens ignem, ignis humidus, acetum subtilissimũ. Est igitur vnicum medium aptum & naturale,

rale, quo corpora perfecta Solis & Lunæ mirificâ quâdam metamorphosi sub conseruatione suæ speciei, & absque vlla destructione, nisi ad nouam nobiliorem & meliorem formam, resoluuntur; vt resolutione factâ tandem cum ipsis congeletur, fixetur, & in terram albam constringatur. Est & hoc mirabile, quòd simul ac soluitur hæc aqua, eodem tempore quoque congeletur; neque enim vnum soluitur, quin congeletur & alterum. Cùm videris itaque aquam seipsam congelare cum corporibus in ipsa solutis, scias te rectò ad operis complementum tramite procedere. Et quoniam impossibile est, vt dura & sicca corpora sine dissolutione intimè penetrari & tingi possint, hinc aqua nostra hanc à natura dotem nacta est, vt destruat, mutet, conuertatque corpora & metallicas formas in substantiam humidam, mollem, fluidam, vt sic intimè & medullitùs perfectâ tincturâ imbui possit. Hinc aurum nòn tingitur, nisi spiritus eius per hanc aquam nostràm ex centro eius extractus, in spiritualem quasi substantiam reducatur, quam & Sapientes fumum album, spiritum, & animam vocant. Quæ omnia per superioris hieroglyphici Scarabæo-formis anatomiam significata, pulchrè demonstrantur. Est enim impossibile, vt quod intenditur, nascatur ex spiritu Mundi, nisi Horus & Isis, id est, Sol & Luna à corpore terreo, varijsque imperfectionibus obnoxio, per Elementorum separationem separentur, & in ouum condantur, & sic tandem amico attractu actuata in vitellum & albuginem condensentur, quod vltimum est operis complementum.

Aquæ viuæ simul ac soluitur, congelatur.

Aquæ viuæ effectus.

Aqua viua ex auro & argento soluto oleum facit incombustibile.

Præterea aqua mox vt aurum soluerit & argentum, facit oleum incombustibile, quod alijs metallis imperfectis commixtum illa eleuat, & ad id, ex quo educta sunt, perducit; conuertit enim ea in naturam salis fusibilis, quem Arabes الملح البروت *Sal Albroth* vocant; estque sal nobilissimum, fixum, subtile, penetrans, omnes interiores corporum medullas permeans, Elixir completum, سر الاسرار id est, *secretum secretorum maximum*. Hinc dicitur ab Haled:

Haled.

كل من يعرف الملح الشمس والقمر وتولده ويعرف ليخلطة مع الجساد مذكورين
ويعرف السر الاسرار ☼

Quicunque nouerit salem Solis & Lunæ, & generationem eius, & nouerit rationem eum cum cæteris imperfectis corporibus & amicis seu sympathis commiscendi; is certè nouerit mysteriorum omnium maximum. Atque huc alludere videtur illa inscriptio Copticis characteribus insculpta in quodam saxo propè Memphim, quemadmodum Michaël Schatta Coptita Memphitanus, olim meus in Ægyptiacis & Arabicis Amanuensis, scribit:

Coptica inscriptio.

ⲟⲩⲣⲁⲛⲟ ⲁ̀ⲛⲱ ⳾ ⲟⲩⲣⲁⲛⲟ ⲕⲁ̀ⲧⲱ ⳾ ⲁⲥⲧⲣⲁ ⲁ̀ⲛⲱ ⳾ ⲁ̀ⲥⲧⲣⲁ ⲕⲁ̀ⲧⲱ ⳾
ⲡⲁ̀ⲛⲟ ⲁ̀ⲛⲱ ⳾ ⲡⲁⲛ ⲧⲟⲩⲧⲟ ⲕⲁⲧⲱ ⲧⲁⲩⲧⲁ ⲗⲁⲃⲉ ⳾ ⲕⲉ ⲉⲩⲧⲩⲭⲉ ⳾

Hoc est: *Cœlum sursum, cœlum deorsum: astra sursum, astra deorsum; quod sursum, omne id deorsum. hæc cape & prosperare.* Quo quidem ad Hermetis tabulam Smaragdinam alludere videtur, vt inferiùs patebit. Quæ enim inferiùs sunt, sunt superiora, & contrà: quod per separationem, diuisionem, sublimationemque in altum eleuatur, cœlum dicitur,

Superiora in inferioribus, & inferiora in superioribus.

astrum-

astrumque minerale; relinquit enim id quod fuit, & permanet quod est, in nobiliorem tamen naturam mutatur; post horum enim corporũ putrefactionem & dissolutionem, corpora se in altum eleuant, ad vsque aquæ dissoluentis superficiem, in colorem albedinis cœlestis & astralis, quæ quidem albedo vita est, suo modo loquendi, in vita albedinis anima Mercurialis nutu naturæ spiritibus Solis & Lunæ infunditur, quâ separatur subtile à spisso, & impurum ab impuro, homogeneum ab heterogeneo, exutaque terrestrium fœcium contagione cœlestem quandam indolem acquirit. Atque hic est Mercurius ille Philosophorum, de quo suprà, minimè vti vulgus putat, vulgare illud argentum viuum; in eius tamen, vt in cœterorum metallorum Solis & Lunæ, intimo recessu repositum. Ex quibus quidem tribus, non alijs, Mercurio, Luna, Sole, veluti ex triade quadam mystica, lapis, vt vocant, Philosophorum conficitur, cuius corpus est terra Solaris fixa, subtilissima, per virtutem aquæ nostræ eleuata; anima eius est tinctura Solis & Lunæ; spiritus verò est virtus mineralis amborum & aquæ, quæ desert tincturam seu animam supra corpora, & ex corporibus. Vti ergo spiritus penetrans corpus figit, ita anima copulat, tingit, & dealbat, & sine his tribus omnis in Chimico negotio labor frustraneus est. Solue ergo corpora in aqua nostra supradicta, & digere ea calore temperato, quousque tota tinctura per aquam in colorem album siue oleum album egrediatur; hæc eadem corpora pone vnà cum aqua nostra, in Hermetico vase Hermeticè sigillato, super ignem lentum, eaque digere vsque dum in oleum resoluantur; quod lentissimâ stillatione longo tempore, quod quæris, tandem suppetit. Sit autem, vt dixi, ignis lenis, & continuus, donec in aquam viscosam soluantur, & tota egrediatur tinctura in colore nigredinis primùm, quod est signum veræ solutionis. Continua deniq; decoctionem quousque fiat aqua permanens alba; in suo enim balneo nitorem & claritatem acquiret Mercurio vulgari similem, super aquæ primæ superficiem exaltata. Cùm itaque videris corpora soluta in aquam viscosam, signum id tibi sit, corpora iam in vaporem conuersa, & animas te habere à corporibus mortuis separatas, & in spirituum Chorum sublimatione deuectas, ibique corpus compositum ex mare & fœmina, id est, ex Sole & Luna; & ex illa subtilissima natura purgata per sublimationem vitam accipit vegetabilem & multiplicatiuam suiipsius. Atque ex hoc patet, quare character noster Hermeticus hieroglyphicus suprà expositus maximè hanc triunitatem Solari-Lunari-Mercurialem exprimat; cœterisq; planetis sub ijsdem non nisi per accidens constitutis.

Mercurius Philosophorũ.

Lapis philosophorum.

Vidimus hucusque anatomiam mysticam, modumque præparandi acetum illud Hermeticum, aquam seu salem Philosophicum, per quatuor Elementorum metamorphosin, omnia per characterem Hermeticum symbolicè expressa; iam quid per Arietis cornua Cruci affixa indicauerint, exponamus. Persæpe, ni fallor, in hoc Opere demonstratum fuit, Ægyptios per Hammonem κριόμορφον siue Arietiformem calido-humida in natura rerum, & consequenter Numen totius fœcunditatis expressisse, cum

Arietis cornua Hermeticæ Cruci affixa significãt duplicem ignem, elementarem, & mineralem.

cùm generatio rerum non nisi in calore & humore essentialiter existat. Aptè itaque per cornua duplicem ignem expresserunt, vnum physicum, alterum virtualem. Prior est Elementaris, sed cum certa intensionis proportione, cuiusmodi est lampadis, ad id singulari industriâ & ingenio constructæ; neque vlla maior se difficultas in toto artis magnæ magisterio exhibet, quàm in aptè proportionando hoc igne, & præcisissimâ quâdam proportione temperando, vt effectum tandem speratum sortiatur: Vt proinde certè putem, non alia de causa hoc negotium tam infelices exitus sortiri, etiam apud summæ notæ Philosophos, nisi quòd caloris temperiem ad naturæ operationem complendam necessariam nesciant. Sed cùm hanc materiam libro tertio Mundi Subterranei, quam Geogamiam metallicam vocamus, vbi lampadem seu furnulum Hermeticum ex mente Arabum ex professo describemus, reseruauerimus, hîc longiores esse noluimus. Ignis itaque in secundæ operationis nostræ auspicio, continuus, humidus, vaporosus, aëreus & artificiali industriâ, nec minori iudicio cócinnatus esse debet; si enim lampas seu furnulus debita sibi Geometricâ proportione careat, certè per defectum caloris non comparebunt signa in tempore designato, aut per caloris excessum auri flores comburentur, irrito prorsùs & euanito totius negotij conatu. Aut lampas itaque, aut furnulus, aut cineres, aut fimus calorem proportionatum continens, ita concinnanda sunt, vt deinde vase Hermeticè sigillato, imposito, per circulationem effectum desideratum nanciscaris. Secundus ignis est in naturalis aquæ nostrę Philosophicę, qui ignis contra naturam etiam dicitur; vti suprà ex Haled ostendimus; quia est aqua, & ex auro facit spiritum, quod ignis Elementaris præstare non potest. Est enim mineralis, & à principio metallis inditus, qui & de sulphure participat, omnia destruit, congelat, soluit, calcinat, penetrat intimas quasuis medullas, incombustibilis, & fons aquæ viuæ, in principio, medio, & fine opifici necessarius, naturæ artifex, qui non nisi artificialis ignis temperiem operatur. Sed hæc de igne sufficiant. Procedamus modò ad colorum in opere Hermetico occurrentium conditiones explicandas.

Elementaris ignis qualis debeat esse in chimia.

Caloris temperies in Chimica arte maximè necessaria, ac difficillima.

Mineralis ignis in arte Chimica.

Colores quatuor in opere Hermetico.

Scias itaque quatuor potissimùm colorum genera, qui aptè per quadripartitam Hermetici characteris nostri Crucem exprimuntur, se obtrudere, niger, albus, ruber, & citrinus, è quibus omnes reliquæ colorum species nascuntur. Color qui non niger est, dealbare non potest; est enim nigredo albedinis principium, & signum putrefactionis, alterationisque, & signum præbet corpus iam penetratum, multiplicatumque esse. In opere itaque primò apparet nigredo instar iuris piperini; deinde coctionis continuatione in albedinem degenerat, & instar cremoris albi supernatat; quod signum est vnitionis spirituum in ea indissolubili nexu congregatorum: apparente enim albedine, tenebrosum humidæ naturæ dominium mox perit, fumusq; albus penetrat in corpus nouum, resuscitatum, clarum, album, ac immortale, victoriamque ab omnibus iniurijs reportando triumphat. Est ergo totius operis siue lapidis Philosophorum (quod benè notandum) complementum, vt formetur corpus perfectum;

ponendum in phiala vitrea Hermeticè sigillata, ne aëri aliunde introeundi locus pateat, in digestione lenis caloris, veluti balnei, vel fimi temperatissima, operisque instantia continuetur per ignem perfectæ decoctionis, donec putrefiat, & resoluatur in nigrum, & eleuetur in album: sicuti enim calor agens in humidum, generat nigredinem primum colorem, sic continuatus calor in sicco generat albedinem secundum colorem, & deinde citrinitatem, & rubedinem agens in mero sicco. Dealba ergo nigrum, & rubefac album, vt opus compleas, & cum videris albedinem apparere veram, fulgore oculorum aciem perstringentem; scias ruborem in albedine absconditum: tunc enim decoctio tantum continuanda, vt cum siccitate & caliditate superueniat citrinitas, & rubedo fulgentissima; quam cùm videris, lauda Deum, quia tandem inuenisti, quod Mundus tantopere expetit, tam studiosè ambit, tot curis & laboribus acquirendum ducit.

CAPVT VI.

Nonnullorum hieroglyphicorum expositiones, Hermeticæ artis praxin concernentes.

NImius sim, si hoc loco ænigmata, griphos, parabolas, arcana pronunciata, queîs sacramenta sua, veriùs dixero, nugas & deliria obuelauerunt plerique huius temporis Chimiastri, adducam; quorum nonnullis nihil insulsius, nihil ad rem impertinentius dici potest; adeo quidem, vt vel primâ fronte appareat vanum omninò & commentitium esse, quod tam inconcinnum, tam inconnexum, cumque horrida quadam, & contradictione plenissima confusione effutitum est. Accedit hisce summa Authorum, quos citant, deprauatio, aut quò tempore singuli vixerint, prorsùs inconsentanea traditio. Primò enim Trismegistum Constantinopolitanum Regem faciunt, vrbis nimirum needum in rerum natura existentis dominatorem: deinde complures Reges Arabes Alchimistas citant, pro cuiusque libitu, ad aliquam suæ imposturæ authoritatem conciliandam, confictos, cùm tamen nulla in tota Arabum historia, Chimicisque manuscriptis, quæ apud me sunt, horum mentio fiat. Dicunt præterea Artephium medicinæ vniuersalis vsu mille annis vitam traduxisse; quo verò tempore aut seculo vixerit, altum omnium silentium est. Si enim mille annis vixit, & post Christum, vti ipse indicat liber; rogo sub quo Pontifice aut Cæsare Mundo tot annorum inauditâ ætate nouus ille Mathusalem, priori ante diluuium multò ætate prouectior vixit? tam enim notabile miraculum meritò omnium Scriptorum calamos exercuisset, Regesque ac Principes ad tantum oraculum de præteritorum temporum euentibus consulendum haud dubiè auidissimâ curiositate abripuisset. Vides igitur quàm Chimistæ ad arti suæ nonnullam existimationem conciliandam quæuis perfrictæ frontis audaciâ fingant; quàm sine iudicio quæuis passim comminiscantur, quæ

Chimiastrorum aliquorum imperitia.

Chimiastrorum mendacia.

Artephij longæuitas fabulosa.

vti nullâ ratione ſubſiſtere poſſunt, ita dici non poteſt, quantum inde arti ſuæ contemptum, quantum exiſtimationis detrimentum adducant. Talia ſunt, quæ opus intitulatum, *Turba Philoſophorum*, horrendâ barbarie plenum nobis obtrudit, fictis Authoribus, ridiculiſque & anilibus deliramentis refertiſſimum, in quo vix pagina eſt, vbi eadem non recoquatur crambe; in quo totum, quod ibidem excellens & rarum eſt, facilè vnius *folij* ambitu comprehendi poſſet; à quibus omnes qui ſolidè philoſophari volunt, cauere conſulo.

Libri dicti, Turba Philoſophorum, barbaries.

Sapientiùs ſanè Ægyptij ſua poſteris tradebant, qui vnico hieroglyphico, vti ſuprà viſum eſt (id quod alij vel vaſtis libris non præſtant) comprehendebant doctrinam quam de metallica ſucceſſiua quadam traditione tenebant, ijs tamen ſymbolis inuolutam, vt præter eos, ad quorum officium pertinebat, nulli alteri ad arcana clauis traderetur. Non nego quidem, doctrinam vniuerſalem Hermeticæ artis κατὰ τὴν θεωρίαν tot à principio nobilium Authorũ teſtimonijs comprobatam verè exiſtere; ſed eam ita reconditam dico, vt non niſi paucis, ijſque iudicio & omnigena ſcientia naturalium rerum longo tempore exercitatis Philoſophis, ad tam inexhauſtas diuitias aditus paretur: beatum quoq; dixero, qui per beatum errorem ſubinde ad artis notitiam peruenerit. Sed de his fuſiùs in primo capite egimus; quare propoſitam nobis materiam proſequamur; & primò quidem nonnulla, vti Oedipum decet, modernorum ænigmata, multorum inſtantia ad id ſollicitatus interpretabor; deinde Ægyptiorum nonnullas hieroglyphicas inſcriptiones huc alludentes apponam, vt ſic promiſſa noſtra exſoluamus.

Ægyptiorum ſapientia in Chimica hieroglyphicè tradenda.

Primum Aenigma Chimicum, eiuſque explicatio.

Ænigma Chimicum primum.

Continet ſequens Ænigma duas partes: in prima parte deſcribitur res ipſa ſoluenda; in ſecunda ipſa Sphynx. Multorum autem ingenia in hoc enodando deſudarunt. Alij enim id conati ſunt ad ſenſum moralem detorquere; alij ad allegoricum. Cabaliſtico ſenſu explicat Wilhelmus Baroldonus Anglus in libro de vera & genuina interpretatione Sacræ Scripturæ per artem Cabaliſticam. Auctor delitiarum Orbis id inueſtigare conatur per metatheticam literarum combinationem. Alij volunt eſſe Ænigma κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν compoſitum, ex genere eorum ænigmatum, quæ Græci vocant τὰ ἰσόψηφα, hoc eſt, *æqualis calculi*. Sic Grunderus. Nos quid, & quam rem ſentiamus, & quomodo phyſica methodo ſoluendum, breuibus expediemus.

VVilhelmus Baroldonus.

Grunderus.

Ænigmatis primi explicatio.

Ælia Lælia Riſpis, nec vir, nec mulier, nec Androgyna, nec puella, nec anus, nec caſta, nec meretrix, nec pudica, ſed omnia. Sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, ſed omnibus. nec cœlo, nec aquis, nec terris, ſed vbique iacet. Lucius Agatho Priſcius nec maritus, neque amator, nec neceſſarius, neque mœrens, neque gaudens, neque flens, hanc neque molem, nec pyramidem, nec ſepulchrum, ſed omnia, ſcit, & neſcit cui poſuerit.

Ælia Lælia. Hæc duo vocabula nihil aliud ſignificare dicimus, quàm

artem

artem Chimicam. Vocatur autem Ælia Lælia, quòd ab Imperatoribus Romanis Ælijs nomine, & à Lælijs antiquæ apud Romanos nobilitatis hominibus, semper in magno pretio sit habita, & magnâ pecuniarum vi impensa nullo non tempore sit exculta, quemadmodum videre est apud Eutropium de Romanis Imperatoribus, Suetonium, Lampridium, Rhodiginum, aliosque Romanæ historiæ Scriptores. *Rysßis* ἀναγραμματικῶς, siue per commutationem literarum idem est ac Pyrsis, seu Græcè Πύρσις, quod significat subtiliationem empyricam propriè, quando nimirum per ignem aliquid subtiliamus; nihilque aliud insinuatur hîc, nisi Elixir illud vitæ, seu vt vulgò vocant, Lapis philosophicus, variâ ignis modificatione & contemperatione ex metallis in admirabilem quandam substantiam transmutatus. *Nec vir, nec mulier*. Apud omnes Alchimistas duo velut principia requiruntur ad lapidem philosophicum omnia in aurum conuertentem, efficiendum, nimirum sulphur, & hydrargyron seu argentum viuum; quorum illud est veluti principium actiuum, hoc veluti passiuum; ac proinde à Gebro & Trismegisto in Smaragdina Tabula sub obscuro verborum inuolucro vocitantur vir & mulier. His positis sic explicamus hunc paragraphum: Lapis philosophicus nec vir, nec mulier, id est, nec est sulphur, nec argentum viuum, quia in aliam iam transmutatus est substantiam, neutrius prædictorum remanente substantia seu essentia, vt communis est Chimicorum opinio. Est tamen vir & mulier, eò quòd ex ijs tanquam principijs materialibus constet. Porrò dicitur, *Nec Androgyna*. Per Androgynam intelligitur animal vtroque sexu imbutum. Lapis philosophicus à similitudine dicitur non Androgynus, & Androgynus; Androgynus, quia ex vtroque constat tanquam ex principijs, nimirum ex sulphure & argento viuo; non Androgynus, quia nihil prædictorum remansit in subtiliatione huius lapidis facta. *Nec puella, nec anus*. Significatur per hæc verba, lapidem hunc (seu vt alij vocant, ouum vegetale) ab initio rerum rebus inesse vilem & despectum, quod significatur per (anus;) quatenus autem Chimicæ artis industriâ ex fœce terrena erutus, vocatur puella, quasi in decore suo iuuenili constitutus. Nec puella, nec anus dicitur, quia non ita humana industria subtiliari potuit, vt non aliquid remaneret antiquæ & terrenæ concretionis. *Nec casta, nec meretrix, nec pudica, sed omnia*. Dicitur primò casta & non casta, pudica & non pudica, meretrix & non meretrix: nam vt benè Geber, & cum eo Raymundus Lullus libro de quinta essentia sentiunt, nulla res ita subtiliari potest humana industria, quin aliquid de terra remaneat. Cùm itaque lapis non sit Elementum, nec corpus simplex, sed ex quatuor Elementis compositus, patet quare dicatur castus & non castus, & quod idem est, purus & non purus &c. *Sublata neque fame, neque ferro, neque veneno, sed omnibus*. Hoc est, quemadmodum vnum granum nunquam pullulascere potest, aut etiam erescere, quin priùs in terram coniectum moriatur; sic etiam lapis philosophicus nunquam ad eam vegetationem conuersiuam peruenire potest, quin priùs certis quibusdam medijs mortificetur; fame nimirum, hoc est, calcinatione, fixatione, coagu-

Geber.
Trismegistus.

Geber.
Raymundus Lullus.

latio-

latione; ferro, hoc eſt, croco Martis, ſiue puriſſimis ferri floribus; veneno denique, hoc eſt, antimonio crudo ſiue ſubtiliato: non tamen ita mortificatur huiuſmodi medijs, quin ſemper, vt dictum eſt, radix, terrenæ fœcis permaneat. *Nec cœlo, nec terra, nec aquis, ſed vbique iacet.* Inſinuant hæ particulæ iterum aliquam contradictionem, quæ tamen ſecundùm diuerſum reſpectum ſumenda eſt. Non eſt in terra, quia ab omni terrena concretione, quantum humanæ induſtriæ licuit, ſeparatus eſt; nec in aquis, cùm ſupra aqueam materiam longè eleuatus ſubtiliori conſtet ſubſtantia; nec in cœlis, cùm non ſit ſimplex corpus, & tamen ex omnibus ijs compoſitum. Et in omnibus reperitur: in terra quidem, quatenus eſt prima huius lapidis materia; in aquis, quatenus illa terra reſoluta in aqueam materiam degenerat, aut etiam quia χρυσάμμον ſiue arena aurea, quæ hinc inde paſſim in fluuijs reperitur, à multis tanquam materia huius lapidis aſſumitur; in cœlis denique eſt virtute influxiua.

Secundum Ænigma Chimicum, eiuſque explicatio.

Hamueli Sadid.

ÆNigma hoc ab Hamuelide Sadid Arabe ex Ægyptiorum monumentis extractum ita ſeſe habet. Virum grandæuum in templo exhibet ſolio eleuatum, & turba Philoſophorum circundatum, qui ambabus manibus binas tabulas genibus innixas demonſtrat. In prima tabula viſuntur tres Lunæ, quarum duæ plenæ ſunt, mediantibus duabus auibus, quarum inferior ſine alis, ſuperior expanſione alarum conſpicua, alteri pronæ inſiſtens eius caudam mordet, inferior verò caudam ſuperioris. In ſecunda tabula tres Soles radiorum diffuſione illuſtres ſpectantur, quorum duo ſuperiores inferiori radijs veluti connectuntur. E latere verò decem aquilæ ſub actu & habitu volantium cernuntur. Atque hoc eſt Ænigma, quod ex Ægyptiorum monumentis extractum tantò libentiùs explico, quantò maiorem ad hieroglyphica ſymbola paulò poſt adducenda, affinitatem habet.

Ænigma Chimicum ſecundum.

Ænigmatis ſecundi explicatio.

Templum ſiue domus in qua picturæ ſpectantur, nihil aliud denotat, niſi Mundum Hermeticum ſiue Mineralem, in quo omnia conuoluta veluti in chao quodam reconduntur. Senex grandæuus & maieſtate plenus in ſolio reſidens; Hermetem Triſmegiſtum, Mineralis Mundi primum exploratorem, omniumque Philoſophorum parentem, notat. Turba hominum ſolium circumſtans à dextris & à ſiniſtris, notat duplicis conditionis Philoſophos; quorum qui à dextris ſunt, eos notant, qui ſcientiæ & rerum notitiâ ſufficienter inſtructi, Hermeticæ artis ſcrutinium aggre-

grediuntur quidem, ſed perfectionem eiuſdem necdum ob difficultatem operis attigerunt, curioſitate tamen impulſi, inſtructionem ab Hermete expoſcunt, vt tandem ad id, quod tantopere deſiderant, perueniant. Ij verò qui à ſiniſtris circumſtant, eos denotant Philoſophos, qui dum ſufficienti notitiæ rerum ſupellectile inſtructi non ſunt, illotis tamen, vt aiunt, manibus ſublimia huiuſmodi rerum penetralia ingredi attentant; atque hos certum eſt, nihil vnquam opere completuros. Hermes itaque maieſtate venerandus tabulam duplicem gremio ſuo depoſitam tenet: per priorem tribus Lunis, & binis auibus in vnum coniunctis, notatur Lunarium præparatio prima; per alteram tabulam radioſis tribus Solibus, quorum duo radijs coniuncti, ſpectabilem, denotatur Solarium præparatio. ita vt quinque in prima Tabula, & totidem in ſecunda, non ſine ingenio diſpoſita, quinque ad Lunarem operationem, quinque ad Solarem pertinentia cumprimis conſideranda occurrant. Supra thronum Hermetis decem conſpiciuntur Aquilæ alarum expanſione conſpicuæ, quarum ſingulæ arcu cum ſagitta inſtruuntur. Sed videamus arcanum, quarum tamen figuras conſultò hic omiſimus. Quid ſingulæ Ænigmatis chimici partes denotent.

Primò tabula bipartita eſt, binaſque in Chimico negotio operationes ſignat, quarum prior circa Lunæ, altera circa Solis confectionem occupatur. Per ſuperiores itaque Lunares figuras, quarum prior διχότομος, altera πανσέληνος, duplex Luna indicatur, quarum quæ ſemiplena eſt, imperfectionem inuoluit, plena verò illam incrementi capacem denotat, vſque dum tandem alteram illam Lunam inferiorem minimè vulgarem producat, quam Philoſophi aquam Mercurialem, argentum album, fumum album, terram albam, & magneticam, ſimilibuſque nominibus appellant; ad quam quidem minimè peruenitur niſi per putrefactionem, attenuationem, abſtractionemque animæ à corpore in aqua ſpiritali, quæ indicatur per aues binas, quarum vna inferior ſine alis maſculum, altera cum alis, quæ priori inſiſtit, fœminam, ſibique inuicem caudas vorantes, indicantur. Hæ duæ aues binæ ſunt & vna; aqua enim ex duobus fumis per vripygia indicatis, ex duobus facit vnum, congelando & reducendo in vnum. Videntur autem aues ſeipſas retinere, quia quod primò diſſolutum erat ex duobus, congelatum iam vnum fit; maſculus enim alis priuatus, id eſt, congelatus retinet volantem fœminam, id eſt, ſpiritum Mercurialem, nè fugere poſſit, ſecumque conſiſtere cogit, ideo colligatæ, & veluti in vnum compactæ cernuntur; quæ eſt vera fixatio Lunæ albæ plenæ. & confirmatur dicto Hermetis apud Haled: Prima pars tabulæ chimicæ. Haled.

ارمي الامره على الدكر ويصعد الدكر على الامراه وتحصل كل ما تريد

Proijce fœminam ſuper maſculum, & aſcendet maſculus ſuper fœminam, & habes quod vis. Nam vt rectè dicunt Arabes, conficitur lapis eorum quinque rebus, maſculo, fœmina, & triplici argento viuo; quæ aptè ſanè per triplicem Lunam, & binas aues ſibi inuicem caudas mordentes notantur. Aqua Mercurialis non niſi cum ſimili ſulphuri ſuo in centro aquæ ſtabulante conglutinatur, neque inuenitur aliud ſulphuri ſimile, niſi id quod eſt ex ipſo: conuenit enim, Hermete teſte, rei id, quod eſt propinquius

ei

ei ex natura sua; peregrina enim & dissimilia omnem penitùs consociationem respuunt. Quemadmodum enim arbor, cuius rami, & folia, & flores, & fructus sunt ex ea, & per eam, & ad eam, & ipsa est totum, & ex ipsa totum, neque vlla res alias generat vnquam, nisi ex ea, quæ eiusdem secum speciei est: ita prorsùs vsu venit in Hermetico negotio, in quo multa quidem diuersaque concurrere videntur, quæ tamen vnum quid sunt ex natura sua, & in vnum tendunt, vti figura docet. Recipe itaque materias Lunares in principium operis recentis, permisceantur æqualiter, terantùrque, deinde desponsentur triturenturque aliæ in alijs, vt fiat conceptio, postea extrahantur & nutriantur vt fiat genitum; conceptio verò & desponsatio hæc non fit, nisi in putrefactione in fundo vasis appropriati, id est, in alembico & cucurbita circulatoria, quæ pulchrè exprimunt binæ aues colligatæ, caudasque sibi inuicem deuorantes. In hoc enim digesta defæcataque aqua per spiritum suum è tenebrarum carcere, & nigredinis regno emergens, tandem in terram albam, operis complementum euadet.

Similitudo.

Secunda pars tabulæ Chimicæ.

Sequitur altera pars tabulæ trium Solium binis radijs iunctorum; quæ tamen cum priori tabulæ parte conuenit, & exponit aquam foliatam, quod est aurum Philosophorum & nubes viuificans, estque triplex, vt Sol descriptus cum duobus radijs radians, & figura duorum in vno, & Sol habens radium vnum, & est figura vnius in vno, quæ sunt terra; est enim aqua è duabus naturis composita. Vocatur quoque triplex, quia est vnum in quo sunt tria, videlicet ignis, aër, & aqua; terra existens nigra inferiùs, est Mundus inferior è duobus permixtus & temperatus, figuraque est duorum in vno, id est, ex duobus corporibus composita in vnum, & quinque rebus explicatur; vas instar Lunæ plenæ, in cuius ventre reconditur Luna, & duo radij, & tertius radius descendens ex alto inferiùs circumdans terram; hæc terra triplex est, prima intrat in corpora eorum; secunda terra operis Lunaris, estque initium operationis secundæ, & corpus Solis rubrum facit ex albo; tertia verò terra per Solem infrà positum, operis totius complementum notat; aqua enim terræ nigræ superinfusa eam albam reddit, quam postea calore aucto sequitur rubificatio, operis Solaris finis & terminus: si enim proieceris tres aquæ portiones supra terram solutam, mox illâ solutâ in vnam terram abit, aquæ parte super eam natante in forma picis liquidæ, quod totum peragitur lento fimi, vel cinerum igne per putrefactionem. Quid verò per decem Aquilas arcubus sagittisque instructas intelligant, accipe. Aquilæ animalia sunt igneæ prorsùs & velocissimæ naturæ, sympathicæ Solaribus operationibus, & innuunt volatilium spirituum, qui in hoc Hermetico opere interueniunt, subtilitatem & penetratiuam vim per arcus & sagittas rectè indicatam; decem sunt, quia decemplici operatione eorum ope facta opus tantum conficitur. Praxin consultò non addo, cùm ex superiùs dictis facilè constare possit.

Habes itaque Ænigmatis solutionem, quod tametsi Ægyptiacum nescio quid sapiat, ab Arabibus tamen corruptum, aliquantulum à genui-

ua sua puritate deflexit; quod vt restituamus, hoc loco hieroglyphicum Hermeticum subiungamus, cuius interpretatio maiorem lucem forsan affundet, quàm prior. Fuit autem ex Ægypto ad me transmissum, & Cairi ex celeberrimo lapide, quam concham amoris vocant, transcriptum per Michaëlem Schattam Memphitam; & ita se habet. Concha amoris vas Chimicum notat, in quo sympathica dum ponuntur, fugatis contrarijs perfecto amore coniunguntur, vti symbola paulò post explicanda docent. In solio sedens Anubidis figura homo, duos sub pedibus premens Crocodilos, in manu dextra tenet Leonem & Serpentes, sinistrâ Scorpiones & Canem; infrà ponitur Serpens vndulato volumine caudam suam deuorans; astat homo ἱερακόμορφος Hippopotamum telo feriens, ex altera parte homo Ibidis figura Hippopotamum ducens; quibus intermediat Papilio dracontomorphus. Per Anubidem non alius nisi Hermes siue Mercurius, quem passim canino capite, ad indicandam summam eius in rimandis naturæ arcanis sagacitatem, referunt, atque adeo ipse Mercurius indigitatur. In solio sedet, ad potestatem tùm Mercurij, tùm cœterorum inferioris Mundi arcanorum in naturæ penetralibus elucescentium, quam scrutabatur, indicandam. Binos Crocodilos pedibus premit; qui quidem alij non sunt, nisi Typhonij spiritus, qui in metallis latent, acres, mordaces, venenosi, & omnia rodentes; quibus quidem non suppressis nihil in arte dignum efficies. Manu dextrâ Leonem cauda tenet renitentem, & vi quâdam sympathica in Ibimorphum, quæ est vis Mercurialis, tendentem. Leo Chimicus aurum Philosophorum est, qui inclinationis quodam attractu naturali in Mercurium fertur, eius amicitiam summo ardore ambiens; quod vbi factum fuerit, Mercurius terræ per vim coagulatiuam iungitur, quæ aptè sanè per Ibiformem figuram Hippopotamo alligatam refertur, est enim Hippopotamus amphibium animal, & terream humiditatem notat; quam ligat Mercurius, qui tamen summam eius humiditatem non vsquequaque consumere potest; hinc ἱερακόμορφον in subsidium vocat, id est, igneam quandam vim in centro materiæ latentem, quâ Hippopotamus figitur, fugatis spiritibus rodentibus & venenosis, in aqua Mercuriali latentibus. Draco caudam suam deuorat, id est, ad firmam & solidam substantiam per fixationem perfectam reditus fit, lapisq; vegetatus, vitam acquirit ad multiplicationem, quæ intenditur; quæ per serpentes, quos manibus tenet, signatur.

Hieroglyphicum Hermeticum chimicum, eiusque explicatio.

Figuram vide fol. 259. II. Tom. parte II.

Dicet forsan quispiam, quomodo hæc Chimicis rebus applicari possint, cùm iam sæpiùs eædem figuræ rebus diuinis & Theologicis applicatæ fuerint. Respondeo, verum esse, vti passim quoque in hoc Opere demonstrauimus, hieroglyphica diuersos sensus acquirere, sed pro Mundorum analogia, analogicos; ita quod v.g. Soli Archetypo conuenit, id & Soli Sidereo, Medico, Chimico, Ethico æquè applicari potest. Differentiam solummodo in hoc ponebant Ægyptij, quòd arcana hieroglyphicorum doctrina respectum quendam dicebat ad subiectum, cui insculpebatur. Sic Obeliscis insculpta, altissimas & sublimes res notabant suæ Theologiæ proprias; in Mumijs verò, metempsychosim propitiam notabant;

Obiectio contra datam explicationẽ eiusque solutio.

Hieroglyphicum idem diuersos habet sensus.

in Deorum simulachris, attractum eorundem; in vasis Medicinalibus, Medicas virtutes & facultates; sic in Chimicis vasis incisa, Chimicum notabant artificium. Vt proinde Ægyptiorum ingenium maximâ commendatione dignum sit, quòd vnum & idem symbolum, pro diuersitate subiectorum quibus insculpebatur, ad tam varios sensus & significationes torserint. Præcedens itaque symbolum in Obelisco positum, iam non Chimicum sensum, sed Theologicum in diuinitatis archetypo latentem, exhibebat; & sic de cœteris; de qua re hîc primùm Lectorem monere volui, nè ex dicta symbolorum confusione, dubius & perplexus redderetur animus. Sed de his copiosiùs in III. Tomo huius Operis.

Ænigma tertium chimicum ex Haled.

Porrò adfert Haled aliam similitudinem in modum Ænigmatis, ad operis Hermetici confectionem Ægyptijs vsitatam denotandam. Ænigma hoc est ex Arabico idiomate in Latinum traductum; quod sic incipit: *Terra est apud nos, quæ dicitur Tormus, in qua reptilia quædam stabulantur, quæ opaca comedunt ex lapidibus adurentibus, & hoc pacto sanguinem insuper potant hircorum nigrorum, manentes in vmbra, concipiunt in balneis, pariunt in aëre, gradiuntur supra mare, & manent in monumentis & sepulchris, & pugnat reptile contra masculum suum, & in sepulchro manet masculus eius quadraginta noctibus, & in domuncula quadraginta noctibus, donec exeant candidarum instar columbarum, & vtrumque proijciet semen suum supra marmor in simulachrum, & venient corui volantes, & impetu super illud facto corruentes id colligunt, deinde volant supra montium cacumina, & ibi dealbati pullulant, & multiplices fœtus pariunt.* Atque hoc est Ænigma Arabicum, quo totius artis processum aptè indigitant. Sed explicemus singula.

Ænigmatis Haled explicatio.

Omnia hæc dicuntur contingere in terra Tormos, id est, lupinorum; per lupinorum autem terram, materiam primam intelligunt artis Hermeticæ. aluntur in hac serpentes & reptilia, quæ opaca ex lapidibus ardentibus comedunt, & sanguinem potant hircorum nigrorum. Reptilia sunt spiritus metallici, salini, Mercuriales & Arsenici, rosiui, comedentes, & dissoluentes opaca, id est, materiam metallicam, sub qua latent; potantur sanguine hircorum nigrorum, id est, in aquosam substantiam tingentem & fœcundam, quæ aptè per sanguinem hircorum nigrorum innuitur; vti enim hircus animal salax fœminam init quouis tempore, ita lapis quando congreditur cum fœmina in præparatione Hermetica, denigratur post dealbationem eius ignis philosophici virtute. Concipit itaque in balneis, & parit in aëre, id est, mox vbi cucurbitæ includitur, primæ suæ conceptionis rudimenta ponit, conceptum verò fœtum ignis virtute in alembici eleuatum thalamum parit, id est, in aëre, vapor enim in aëre alembici thalamo in aquam dissolutus in receptaculum colligitur, quod est gradi super mare, vbi habitat tanquam in sepulchro, vbi spiritus inclusi nouam pugnam ordiuntur. Reptile pugnat contra masculum suum quadraginta noctibus, id est, adoritur imperfectiones in materia præparata latentes, eas corrodendo, & varia depuratione consumendo ad tempus chimicis definitum; quibus consumptis depuratisque, albedo tandem desiderata per columbas candidas

indica-

indicata, exurgit. Fœcunda itaque & imprægnata massa proijcitur supra marmor, minutimque conteritur, & deinde denuo alembico inijcitur; vbi spiritus impuri à puris segregati, qui corui dicuntur, in sublime exaltati ibidem tandem vltimam albedinis perfectionem assequuntur, quod est vltimum operis complementum. Hinc rectè Hermes dicit, leniter aqua materia subleuetur à terra vsque ad cœlum, & acquirit vim à superioribus, & descendit in terram, & habet in se virtutem superioris & inferioris, & habet lumen luminum, & ideo tenebræ fugiunt ab eo. Et alias; accipite res à minera sua, sublimate eas ad altiora loca, & mittite à cacumine montium, & reducite ad radices eorum. Atque hoc est ouum illud Philosophorum tantæ fœcunditatis, vt nullum pretium ei Hermeticorum opinione comparari possit; hoc illud Arabum celebre Elixir, de quo sic in modum Logogriphi loquuntur. Materia lapidis nostri Xir, in præparatione sua fit Ixir, fermentatus fit Elixir; quæ hoc pacto explico. Xir dicitur quælibet medicina stringens Mercurium Chimicè præparatum, super ipsum proiecta. Extrahe ergo oleum de terra primum, & dissolue in eo Medicinam soluentem & coagulantem, id est, terram, iterumque sublima per alembicum, sublimatum calcina, & manet expressa calcinatio; dissolue, distilla, coagula, & incera oleo suo, & proijce supra Mercurium fermentatum Xir dictum; & fit Ixir, aptum ad faciendum Elixir. Ex quibus aperte patet, Sapientes diuersis quidem metaphoris & similitudinibus artis opus expressisse, in quibus tamen ad eandem prorsus rem respexerint. Verùm hæc de Artis magnæ theoria & practica breuiter dicta sufficiant; de quibus omnibus copiosior dabitur in Mundo subterraneo, Deo dante, differendi materia. Nunc ad artem Ægyptijs propriam, qua ex omnibus terrestribus partibus aurum colligebant, procedamus.

Hermes.

Logogriphus de Elixir, eiusque explicatio.

CAPVT VII.

Quamnam Aegyptij artem auriferam propriè professi sint; & quid inde vtilitatis eis emanarit; & vtrum Smaragdina Tabula, quam tantopere Alchimistæ iactitant, verè Trismegisti fuerit?

ÆGyptios præ cœteris mortalium auriferam artem callu sse, adeo certum est, vt qui id negare audeat, meritò omnium Historicorum relationi contrariari videatur. Qualis tamen illa fuerit, tam incertum est, quàm certum eam eos habuisse. Moderni Alchimistæ commentitium illum suum lapidem ab Hermete, totius Philosophiæ parente, primò inuentum putant; atque Arabes potissimùm hinc veram artis notitiam hausisse asserunt. Hinc dici vix potest, quot curis, laboribus, vigilijs, sumptibus, vt ad tantarum diuitiarum lapidem pertingant, se exponant. Quid enim in eius gratiam non comminiscuntur? quid non ad

Aurifera Ægyptiorum ars, qualis fuerit.

Lapis philosophorū commentitius.

eius veritatem adſtruendam fabularum attexunt? quibus non diſtillationis, diſſolutionis, coagulationis, fixationis cruciatibus & tormentis in miſera metalla ſæuiunt? verſant, reuerſant, voluunt, reuoluunt, coquunt, recoquunt, figunt, refigunt, verbo, mutant quadrata rotundis, vt tandem ad concupitum finem, quem nunquam adipiſcuntur, pertingant. Certè tot fumis roſi, tot carbonibus denigrati, igne vſtulati, ſpirituum peſtiferorum afflatu intoxicati, ſubſtantiâ denique, ætate, vitâ fumo euentilatâ dum miſeram & calamitoſam vitam agunt, commiſeratione potiùs quàm inuidia digni habentur. Non dicam hìc de librorum, quibus hunc lapidem deſcribunt, inutili prolixitate, & vanâ, nè dicam ridiculâ ſtructurâ, fundamentis non niſi fragilibus & arundineis, ſterilibuſque thyrſis innixâ, cum tam horrenda confuſione, vt vel ad primam lectionem & nauſeam & deſperationem Lectori moueat; in quibus præter inſulſa commenta, obſcuritas prorſùs affectata & imperita, cum ſtyli execranda barbarie ita mentem perſtringit, vt vbi omnia legeris & expenderis, quid tandem concludere poſſis aut debeas, vix videas; vbi contradictio contradictionem inuoluit, principia priùs adſtructa, poſterioribus poſitis deſtruuntur, cum inextricabili æquiuocorum farragine; ita vt nec Proteus in tot formas ſe tranſmutare poſſit, in quot ſuum ridiculum lapidem transformant Alchimiſtæ; vt proinde non immeritò apud omnes ſenſatiores Philoſophos infamis ſcientiæ titulum meruerit Alchimia. Certè in varijs meis peregrinationibus hoc vnicum ſategi, vt ſi qui huius ſcientiæ fama celebres viri alicubi reperirentur, cognoſcerem; nec vllum tamen vnquam, qui aliquid promiſſorum in arte præſtiterit, inuenire licuit. Noui quidem præſtantiſſimos, non veteres tantùm, ſed modernos Philoſophos, de hac ſcientia multa egregia protuliſſe, & ſummâ ingenij perſpicacitate diſcurriſſe; verùm in hoc minimè id quod Alchimiſtæ, id eſt, lapidis ſtructuram intendiſſe viſi ſunt, ſed naturæ tantùm dotes, & mirandas operationes expoſuerunt. Neque Ægyptios praxin huius lapidis intendiſſe, adeo certum eſt, quàm quicquam, cùm ſi quandoque metallorum præparationes attingant, & arcanorum mineralium theſauros aperiant, non tamen id prætendant, quod noſtri temporis, & præteritorum Alchimiſtæ, ſed rem quandam in inferiori Mundo indicant Soli analogam, præſtantiſſimis & vltra humanum captum exoticis viribus imbutam, id eſt, quintam quandam eſſentiam in omnibus mixtis abditam, & Mundani ſpiritus virtute imprægnatam, eidemque σύμβολον, quam quicunque diuino Numine afflatus eruerit, illum ab omni infirmitate liberum, vitam omni felicitate plenam traducturum credebant; neque vnquam lapidis auriferi rationem, eo modo, quo dictum eſt, conficiendi, docuiſſe reperio; ſed dictum rerum omnium Elixir.

Ægyptij non intenderunt lapidem Philoſophorum conficere.

Sed obijciat hoc loco forſan nonnemo, Smaragdinam tabulam Hermetis non aliud dictare, quàm artem tranſmutationis metallorum in aurum, eiuſque ex ſemine multiplicationem; quibus vt reſpondeam, & quænam ſit illa tabula Smaragdina, vt cognoſcatur, paulò altiùs ordiri viſum eſt.

Vtrum

Vtrum Hermes Trismegistus propriè dictus Author fuerit Tabulæ Smaragdinæ.

NIhil celebrius apud Chimicos est Tabulâ Smaragdinâ Hermetis, in qua sub occultis verborum griphis absolutum lapidis Philosophici magisterium contineri sibi persuadent. Smaragdina dicitur, quòd leges artis in Smaragdo insculptæ ad posteros in æternam rei memoriam fuerint propagatæ. Quisnam autem fuerit ille Hermes, vbinam ac quando vixerit, quo loco reposita, aut â posteris inuenta, aut quâ linguâ aut literis conscripta tabula, altum omnium silentium; quod & manifestum nescio cuius suppostitij partus indicium est. Estne possibile tam celebre Hermetis monumentum curiosissimos Græcorum Philosophos, qui data opera in Ægyptum veluti ad artium emporium, arcanorum huiusmodi conquirendorum gratia peregrinabantur, latuisse? Certè huius tam solennis commenti architecti, rectè ab omni circumstantia temporis, loci, nè imposturæ insimularentur, abstinuisse visi sunt, tametsi eam notam effugere minimè potuerint. Hermetem itaque, vetustissimum omnium, qui vnquam fuerunt Philosophum, Authorem asserunt, tùm ad artis vetustatem commendandam, tùm ad eidem magnifici nominis titulo authoritatem conciliandam. Duplex de Hermete sententia est; quorundam eum Ægyptium & Trismegistum asserentium; sed dum Platoni eum synchronum faciunt, prorsùs in Chronologia delirare videntur: alij eum Græcorum Regem Constantinopolitanum dicunt; sed hi tantò errant deteriùs primis, quantò inconuenientiùs contra omnium Chronologorum Historicorumque sensum id effutiunt: lege omnes Historiæ Constantinopolitanæ codices, neque vllum huius nominis Regem reperies. Accedit quòd is non potuerit esse, si esse potuit, nisi posteris Constantini, à quo Constantinopolis primam etymi sui originem inuenit, temporibus; sed cùm de hoc Hermete omnes Historici sileant, meritò fictitium Authorem esse vel luce meridiana clariùs colligitur. Solus Albertus Magnus in libro de secretis Chimicis, qui tamen inter suppostitios Alberti libros connumeratur, originem huius Tabulæ recitat; dicit enim Alexandrum Magnum in suis itineribus sepulchrum Hermetis omnium Philosophorum parentis inuenisse plenum omnibus thesauris, non metallicis, sed aureis scriptis in Tabula Zatadi, quam aliàs Smaragdinam vocant. Vbi quæso? quo loco? quâ regione? quibus characteribus & linguâ inscriptam? Quis non apertè videt, hæc mera Chimiastrorum figmenta esse, cùm nec in vita Alexandri quicquam simile habeatur, neque ante Alberti tempora vlla apud Chimicos Scriptores Græcos, Latinos, Arabes huius dictæ Tabulæ mentio fiat. Bernardus Canesius Alchimista, primus, quod sciam, eam Mundo obtulit, aitque in ea totum opus, & totius Mundi thesaurum contineri. Inscriptio Tabulæ sequitur.

Tabula Smaragdina cur ita dicebatur, & quis eius Author secundum chimicos.

Hermes Trismegistus nō est Author tabulæ Smaragdinæ.

Albertus Magnus.

Bernardus Canesius Alchimista primus prodidit tabulam Smaragdinam.

Tabula Smaragdina Hermetis.

Tabulæ Smaragdinæ verba.

VErum sine mendacio, certum, & verissimum; quod est inferius, est sicut quod est superius; & quod est superius, est sicut quod est inferius, ad perpetranda miracula rei vnius: & sicut omnes res fuerunt ab vno mediatione vnius; sic omnes res natæ fuerunt ab hac vna re adaptatione. Pater eius Sol est, Mater Luna, portauit id ventus in ventre suo, nutrix eius terra est, pater omnis telesmi siue consumationis totius Mundi hic est. Vis eius integra est, si versa fuerit in terram. Separabis terram ab igni, subtile à spisso, suauiter, cum magno ingenio; ascendit à terra in cœlum, iterumque descendit in terram, recipitque vim superiorum & inferiorum. Sic habes gloriam totius Mundi; ideo fugit à te omnis obscuritas. hic est totius fortitudinis fatitudo fortis, qui vincet omnem rem subtilem, omnemque solidam penetrabit. Sicut Mundus creatus est. Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus est hic. Itaque vocatus sum Hermes Trismegistus, habens tres partes Philosophiæ totius Mundi. Completum est, quod dixi, de operatione Solis.

Tabula Smaragdina fictitia.

Atque hæc est inscriptio celeberrimæ tabulæ Smaragdinæ Hermetis, quod supremum est Chimiastrorum oraculum. Quæ si quis paulò attentiùs examinârit, is mox reperiet singula ferè verba ex Hermetis Pimandro & Asclepio, Iamblicho, Proclo, hinc inde extracta, & in hanc epigraphen compilata fuisse; accedunt præterea nonnulla verba barbara, quorum nec vestigium apud Hermetem reperies, cuiusmodi sunt fatitudo fortis; quæ vox quid indicet, conijcere non potui, nisi forsan fatuitatem Chimicorum capitibus congruā indicare voluerint; quod ipsis libens relinquo. Quis verò sit ille thesaurus maximus totius Mundi, quem sub his verbis latere existimant, non capio. Certè quàm facilè illi lapidis sui mirificas virtutes sub ijs abditas asserunt, tam facilè ego totum id ad vniuersalem naturæ vim adapto. Quid enim per illud, *quod est inferius, est sicut quod est superius, & contrà*, aliud indicatur, nisi quod omnia sint in omnibus? Nam Proclo teste lib. de sacrif. & magia, in cœlo terrena sunt secundùm causam, modoque cœlesti, in terra verò cœlestia, sed modo terreno. Quòd *ab vno omnia mediatione vnius, & omnia ex vno adaptatione*, appositè sanè probat Parmenides Platonicus, & Hermes in Asclepio, vim quandam Mundani spiritus in intimis rerum omnium medullis latentem maximam, cuius principale instrumentum Sol & Luna; & in vapore quodam humido consistere. Atque hoc est, quod dicit tabula, *portauit id ventus in ventre suo.* Maxima autem hæc vis terrestribus materijs inclusa, est parens perfectionis rerum omnium, & totius Mundi; quæ aptè insinuantur his verbis: *terra eius nutrix est, pater telesmi totius Mundi; vis eius integra est, si versa fuerit in terram*; quæ possidetur ministerio ignis, terram separando ab igne, purum ab impuro, temperatè & industriâ singulari; ignis enim ministerio mox ascendit à terra in cœlum, & si quid fœcibus admistum fuerit, denuo descendit in terram; quæ Asclepius Hermeticus amplè diducit, atque hoc loco nihil aliud indigitat nisi naturæ vim quandam digestiuam, subtiliatiuam, ad generationem rerum perficien-

Tabulæ Smaragdinæ explicatio.

Proclus.

Plato.

Hermes.

ficiendam necessariam, cooperante lumine cœlesti terrestrium rerum dispositioni. Atque hæc est quinta illa essentia rerum omnium, & thesaurus Mundi tenebris euolutus, id est, ab omni terrena contagione repurgatus; ad cuius exemplar vel ipse Mundus productus fuit, mirabili quâdam adaptationum serie. Hæc est expositio tabulæ, in qua vniuersali quâdam ratione vis naturalis in productione rerum ad optimum eximiumque rerum statum describitur; potestque iuxta analogiam quandam non terrestribus tantùm & metallicis, sed & vegetabilibus, elementaribus animalibus, cœlestibusque quàm optimè applicari.

Totus itaque sensus in hac Smaragdina tabula comprehensus nihil aliud est, quàm Theoria quædam illius essentiæ præstantissimæ, & mirificis virtutibus præditæ, quam alij Elixir vitæ, quidam totius naturæ thesaurum, nonnulli aurum potabile, plerique quintam essentiam esse dicunt. Ad hæc enim singula tabulæ sensum applicari posse, certissimum est; quam enim vim spiritus Mundanus in Sole, hanc in Sole humidorum vino, hanc in mineralium Sole auro, iuxta analogiam quandam, eandem possidet; vnâ & eâdem virtute in diuersis subiectis pro conditione & proprietate singulorum operante. *Tabulæ Smaragdinæ sensus qui.*

Quæ cùm ita sint, iam vtrum Ægyptij veram artis transmutatoriæ scientiam habuerint, & vtrum eius ope tantam auri & argenti, qualem in primo capite descripsimus, copiam coaceruârint, discutiendum est. Respondeo negari non posse, subtilissimos Ægyptiorum Philosophos artis transmutatoriæ doctrinam, loquendo semper κατὰ τὴν θεωρίαν, possedisse; adeo tamen difficilem, adeo periculosam praxin fuisse, vt nullâ ratione ad regnum eius ope tam immanibus sumptibus, quibus indigebant, fulciendum sufficientem putauerint. Vel enim publicè eam artem exercebant, vel priuatim; si illud, iam ars non ampliùs occulta, sed publicis prostituta vsibus quemque etiam priuatum ad proprijs emolumentis eius ope prouidendum, thesaurosque ingentes coaceruandos stimulabat, eòque res deueniebant, vt breui omnes Regibus diuitiarum affluentia, aurique copia, cum maximo & ineuitabili Regni periculo & præiudicio æquiparari potuerint; quod quàm politicis rationibus contrarium fuerit, is solus ignorare poterit, qui quæ in Politica Ægyptiorum tractâuimus, ignorârit. Si hoc, illa haud dubiè inter paucos admodum viguerit; qui in laboriosissimo & periculosissimo opere, ad Regno sufficienti auri argentique abundantia prospiciendum minimè sufficere poterant. *Ægyptij non sciuerunt artem transmutatoriam rerū in aurum.*

Sed obijcient Chimici, tam inæstimabilem auri copiam Ægyptijs suppeditatam fuisse ex lapide illo mirifico, cuius proiectione auri vis quasi in infinitum augeretur. Verùm cùm hæc somnia & deliramenta Chimicorum sint, prorsùs repudianda sunt. Si enim vnquam talis ars in rerum natura fuisset auri multiplicatiua; quid prohibuisset, quò minùs artifex omnia eius ope in aurum conuertisset? Certè nullum vnquam Alchimistam fuisse, qui id præstiterit (nisi forsan fabulosum Mydam obtrudant) aut qui diuitijs multùm abundârit, vti experientia hodierna, ita veterum à tot annorum millibus, luculenter docuit. O felices *Obiectio Chimistrorum soluitur.*

Re-

Reges & Principes, quibus tam diuinæ artis subsidio, non iam ex visceribus terræ summo labore et expensis aurum erutum in statuum neruum comparetur, sed ludo puerorum, id est, nullo negotio, solius animæ auriferæ proiectione supra imperfecta metalla peracta, in infinitum pullularet, adeoque omnes arbores non iam poma & pyra, sed auriferos fructus porrigerent; atque sic minerali natura in vegetabilem transmutata aurum cum fructiferarum arborum luxurie & fœcunditate competeret. Felices populos, quibus hæc nascuntur in hortis Numina. Sed quis vnquam Historicus similia portenta contigisse obseruauit? Quid itaque Ægyptij per multiplicationem hanc intellexerint, aperio. Diximus in præcedentibus, Ægyptios Elixir quoddam ex præstantissimis materijs extrahendi rationem quandam calluisse, quod & cœlum appellasse, ob summam subtilitatem & perfectionem, reperio. Hoc Elixir, siue quinta essentia, tam eminentis virtutis erat, vt cuicunque distillatæ ex quibusuis herbis aquæ affunderetur, virtutem eiusdem, quæ certum aliquod corporis membrum respiciebat, in decuplum augmentaret. Verbi gratia, si aquæ ex Hepatica extractæ apponeretur, illa aqua decuplo validiorem in Hepatis cura effectum præstaret; eratque hæc aqua ad eam temperiem per continuas circulationes reducta, vt frigidis apposita, decuplo ea frigidiora, calidis addita, decuplo calidiora, siccis iuncta, decuplo sicciora, humidis denique admixta, decuplo ea humidiora efficeret. Quæ omnia fusè ex mente Ægyptiorum prosequitur Balsan Arabs, in libro de Elixiris vitæ compositione; erat enim hæc eximia quædam panacea & præstantissima, corpus à quacunque infirmitate immune conseruandi, non Medicina illa metallica auri multiplicatiua. Atque hanc ego arbitror fuisse aquam illam admirabilem, & planè cœlestem, omnibus morbis profligandis aptam, quam & lapidem dicebant, eò quòd ex lapidibus precipsissimis, & miræ virtutis fuisset extracta; quam & aquam vitæ, vegetabile naturæ semen, animam Solarem, similibusque lapidi Hermetico impositis denominationibus nuncupabant. Quod arcanum vti præ omnibus maximum studiosissimè celabant, ita passim de lapide auri vi quâdam cætera metalla in aurum transmutatiua pollente, fabulosas narrationes inuexerunt. His itaque ritè expensis, videamus modò, quænam ars illa Ægyptiorum aurifera, cuius ope ad tantas diuitias perueniebant, propriè fuerit. Respondeo fuisse illam, quâ ex omnibus terrestribus materijs summâ ingenij industriâ præparatis aurum & argentum extrahere nôrant. Quo in negotio vti omnes ferè operationes, quæ in magisterio lapidis præscribunrur, exercentur, ita transmutatoria pro metallica arte sumpta, facilè vna cum altera confuditur, vt proinde omnia hieroglyphica suprà exposita symbola, ad hanc metallicam artem alludere videantur. Qualis tamen illa fuerit, explicemus. Duas materias reperio, ex quibus aurum extraxisse feruntur: limum seu terram Niloticam, & saxa omnis generis. Limus Nili siue terra Nilotica maximè aureis scatebat arenis. Cùm enim in Æthiopicis montibus, per quos Nilus deriuabatur, maxima vis auriferarum minarum lateat, ac proinde ex continua fluminis alluuione par-

Ægyptij elixir extrahebant è præstantissimis rebus.

Elixir vitæ lapis philosophorum Ægyptiorum.

Aurifera Ægyptiorum ars quænam fuerit.

Aurifera Ægyptiorum ars explicatur.

Materiæ ex quibus aurū extrahebant Ægyptij.

particulæ aureæ abraderentur; fieri non potuit, quin flumen præceps in Ægyptum per catadupas delatum, magnam vim auri secum vnà deuolueret, qua limus, quin ipsa tellus inuoluta sufficientem massam suppeditaret, ad aurum inde copiosum extrahendum. Limum autem Niloticum maximè huic negotio aptum, fuisse illum, qui à catadupis vsque ad Insulam Elephantinam, non eum, qui iuxta Memphim & agros mari viciniores colligebatur, constat ex eò, quòd ex fluminis per immensos scopulos præcipitatione arenæ aureæ limo commixtæ separatæ in subiecto præcipitij alueo mox terræ commiscebantur, & in massas subinde integras collectæ reperiebantur, quas deinde artificio ijs noto, vt postea dicemus, separatas, fusioni in fornacibus aptis destinabant. Hoc pacto collectus limus, maxima hominum copia, quæ ad id opus sceleribus damnata deputabatur, extractus, frequentissimis lotionibus primò eò vsque exercebatur, donec terrestribus partibus ab auro separatis defluentibusque, sola aurea arena, vtpote grauior, naturæ pondere, in vasis ad id summâ industriâ constructis, & aliquantulum decliuibus, remaneret; quam collectam ollis fictilibus impositam, & probè sigillatis, cum certa quantitate Mercurij, vel plumbi ijs adiecta, fornacibus triduo vel quatriduo primò, & prout opus requirebat, coquendam exponebant, vt perfecta fieret auri cum Mercurio vel plumbi commixtio penetratioque. Quo peracto, fusione in laminas aureas vsui communi deducebant. Atque hic modus fuit aurum ex arena extrahendi. Altera aurum ex saxifodina extrahendi ratio hæc erat. Supra Thebanam Præfecturam, & per omnes circumuicinas regiones, complures saxifodinæ reperiuntur, auro potissimùm turgidæ, à quibus omnis generis saxa, tùm ad fabricas, tùm ad simulachra construenda eruebantur. Hæc infinita hominum multitudo ad id ob scelera condemnata eruebant. Erant qui exscindendis saxis operam impendebant; nonnullis ea foras exportandi cura committebatur; quidam in minutissima frusta dissecabant; alij in mortarijs in pollinem contusa molendinis circumactis exercebant; pars hoc modo præparatam tabulatis accliuibus impositam, frequentissimis lotionibus purgabant; quâ frequenti purgatione aurum tandem à terrestribus partibus separatum in tabulatis remanebat; quod deinde colligentes, & per spongias expressum, amalgamatumque, fictilibus ollis imponentes, commixta certâ quantitate plumbi, aut alterius metalli auro confinis, iuxta artem ijs cognitam has ollas probè priùs, nè spiritus exhalaret, luto sigillatas, fornacibus coquendum tradebant; quo peracto aurum habebant vsibus humanis reseruatum. Tanta autem erat harum ollarum multitudo, vt ad aliquot milliones librarum auri, singulis mensibus, summo totius Regni bono inde perciperent. Verùm audiamus Diodorum Siculum, qui sicuti omnia proprijs oculis se lustrasse scribit, ita totius operationis scenam, quàm accuratissimè descripsit; ita autem refert l. 3. c. 2. *In Ægypti finibus, qui ad Æthiopiam & Arabiam vergunt, loca sunt metallorum feracia, ex quibus magno cum labore & expensa aurum educitur. Nam terra nigra natura meatus ac venas habet marmoris candidissimi, & quod supra omnem luceat splendorem. Huic*

[Margin notes: Aurum ex arena extrahebant Ægyptij. — Aurum ex saxifodinis extrahebant Ægyptij. — Auri extrahendi è saxis modus apud Ægyptios vsitatus. — Diodorus Siculus.]

operi qui præsunt, magnâ hominum multitudine ad excudendum aurum vtuntur. Ægyptij enim Reges crimine damnatos omnes, atque ex hostibus captos, insuper ob aliquam falsam calumniam, aut Regum iram in carcerem detrusos, interdum ipsos, interdum totam vniuersam cognationem, auro effodiendo deputant, simul sumentes facinorum pœnas, simul magnum quæstum ex eorum labore accipientes. Illi compedibus vincti, magnus hominum numerus, absque vlla intermissione die noctuq; operantur, nullâ requie concessa, omnique ablata fugiendi occasione. Nam barbari milites, diuersa inuicem lingua, eorum custodiæ præsunt, quorum nullus, sermonis commercio sublato, aut precibus, aut amore potest corrumpi. Ex terra durissima plurimo igni decocta aurum extrahitur. Molliorem petram, & quæ mediocri labore frangitur, ferro effodiunt, infinita ferè hominum millia. Qui auri venas discernit, præcedit operarios ostendens quæ effodiant loca; monstratum lapideum marmor robore corporis præualidi, non arte, sed magnâ vi cuneis ferreis proscindunt. Cuniculos verò agunt non rectos, sed quo splendentis auro marmoris natura ducit; cùm propter varios flexus circuitusque obscuri existant. Lumen opifices ante frontem præferentes, saxa magno conatu in frusta excisa in solum deyciunt. Ab hoc labore nunquam conquiescunt, inclementia verberibusque ad continuum opus coacti. Impuberes pueri in duas partes, hi quidem proiecta frusta minutim scindunt, illi verò efferunt. Qui autem trigesimum annum excedunt, sumpta ab his ad mensuram concisa frusta in lapideis vasis ferreo malleo terunt; ea deinde in molis, quæ plurimæ sunt, coniecta, fœminæ senesque duo aut tres ad molam positi vsque ad farinæ modum contrita molunt; manifesta omnibus horum corporum illuuie, neque veste vllâ cooperiente pudenda, nemo est, quin eo aspectu fœdo tetroque motus, tantæ misereatur calamitatis; sed nulla pietas, nulla requies, nulla venia illis datur, siue æger, siue febricitans, siue senes, siue fœminæ debiles fuerint; sed plagis omnes ad continuum opus coguntur, quoad miseri ex debilitate deficiant. Demum opifices ad molam contrita in latis tabulis paulò accliuioribus ponentes, iterum aquâ iniecta marmor terunt. Eo modo terra defluente aurum ex grauitate in tabulis manet: hoc sæpius iterantes manibus aurum fricant; deinde raris spongijs terram mollem exprimunt, quoad veluti arena aurea reddatur. Alij postremò operarij pondere & mensura in ollas fictiles conjcientes superaddunt certâ mensurâ plumbum, algam maritimam, furfuremque hordaceum. His ad proportionem compositis, ollas luto diligenter liniunt; denique quinque continuis diebus ac noctibus in fornace decoctum, rebus cæteris consumptis, solum aurum in vasis reperitur, parum priori pondere imminuto. Atque hæc est decantata illa Ægyptiorum Alchimia, hic ex terrestribus materijs aurum extrahendi modus; non illa, quam suprà descripsimus ex lapide philosophico resultantem; quæ non nisi theoria quædam huius erat. Atque hanc à primæuis Regibus successiuâ quâdam traditione accepisse ipse Diodorus apertè asseruit his verbis: *Horum metallorum inuentio vetusta est, ab antiquis Regibus reperta.* Quantum verò auri ex inhaustis illis aurifodinis, innumerabili illa hominum multitudine gratis laborantium, breui tempore extrahi non poterat? Erant enim saxa auro turgida, & venis auriferis refertissima, quam quidem ibidem partim natura, partim aurearum glebarum coaceruatione, & vnà cum saxo

[Margin: Auri conficiendi ratio apud Ægyptios ex Diodoro.]

[Margin: Alchimia Aegyptiorum.]

[Margin: Diodorus.]

coa-

coagulatarum exundans Nili fluuius produxerat. Hanc deinde artem ab Ægyptijs acceptam Hebræi, cæterique Orientales summo semper labore & diligentiâ coluerunt. Tametsi, vt paulò antè quoque indigitaui, non negarim, magnam quoque auri argentique copiam ex hydrargyri reliquis metallis commisti, singulari artis industriâ peractâ fixatione confectam esse; hanc enim artem ipsos calluisse ex ijs, quæ in præcedentibus de natura metallorum ad Solem & Lunam, id est, ad aurum & argentum vicinitate, ex mirifica characterum Planetariorum constructione docuimus, patet: Nam vt rectè Strabo docet, sunt in ripa maris Erythræi nonnulli montes cauernis pleni, in quibus magna hydrargyri copia ad vsum metallicæ artis colligitur. Artem enim esse quandam hydrargyron in aurum argentumque verum fixandi, is solus nescire potest, qui metallorum vnius in aliud transmutatiuam potestatem ignorarit. Verùm cùm de hoc argumento ex professo in Mundo Subterraneo libro de arte aurifera, amplè & copiosè acturi simus, eò Lectorem curiosum remittimus, vbi quæcunque circa hanc materiam desiderari possunt, vario experimentorum apparatu, regulisque pragmaticis ad naturæ exemplar institutis demonstrata reperiet. Ex quibus quidem hucusque dictis satis patet, quantum nullo non tempore huius auri sitis humanas mentes oppleuerit; quantâ curâ & sollicitudine eiusdem possessionem acquisiuerint, quot laboribus ad illud acquirendum se exposuerint, vel ipsâ naturâ monstrante, aurum inuentione laboriosum, custodiâ difficile, quæstu anxium esse, vsu inter voluptatem & dolorem constitutum; vt proindè nemo verè sapientiæ deditus illud multum quærere, aut desiderare debeat. Beatus proin ille, qui despectis repudiatisque huiusmodi vilis terræ lenocinijs, ijsque non nisi necessarijs contentus, tranquillam & ab omnibus animi pathematis depurgatam vitam ita componit, vt illud Sapientis verè & ex animo dicere possit: *Paupertatem & diuitias, Domine, ne dederis mihi, sed victui meo tantum tribue necessaria.* Desinamus itaque in hoc perpetuo caducarum rerum æstu firmitatem quærere; glandes porcis committamus, bobus fœnum, ranis & coruis sensibile tempestatis præsagium; sordidam auri voraginem auaris; nos altioribus nixi principijs æternâ mente non quæ fluxa in hac sublunaris Mundi œconomia, sed quæ sempiternis supra cœlum thesauris comprehenduntur, omni studio mentisque contentione inquiramus. Atque hæc sunt, quæ de Ægyptiorum Alchimia Lectori communicanda duxi.

Auri acquisitio laboriosa

Nota Lector hanc figuram sequentem fol. 401. inferendam esse, vbi omissa fuerat, & explicat 7 Planetarum characterum ex Cruce Hermetica constructionem, vti sequitur.

Constructio Characterum septem Planetarum.



Exaltatio Lunæ in Tauro.

CLASSIS XI. MAGIA HIEROGLYPHICA,

EMINENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO S.R.E. CARDINALI

Landgrauio Hassiæ, nec non Ord. Hierosol. Equitum S. Ioannis per Germaniam Magno Magistro.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

INTER *cœtera Christianæ Reip. damna illud meritò summum existimandum est, quod à bonorum omnium largitore DEO mortalium animos auersos in vltimum impietatis, & conclamatæ fidei barathrum præcipitat. Quæ quidem alia non est, nisi Magia; non illa quidem naturalis, & reconditior humanæ sapientiæ portio; sed quæ in aperto Dæmonum commercio consistit, sortilegijs, veneficijs, occultis spirituum inuocationibus, cœterarumq́ superstitiosarum artium vsu infamis illa* γοητεία: *quæ vti Diuini cultus, ac veræ religionis extinctrix est, ita non immeritò, quà sacris, quà profanis Canonibus summo rigore proscripta, luculenter monstrat, remis velisq́ id veluti malorum omnium scyllam iure vitandum esse, quod adeò Christianorum dogmatum institutis perniciosum atq́ exitiale dignoscitur. Cùm itaq́,* Eminentissime Princeps, *non ita pridem, in supremum Purpuratorum Patrum Senatum pro meritorũ* Tuorum *cumulo adscitus sis, atq́ adeo, dignitatis assumptæ ratione sic postulante, muneris* Tui *sit, Ecclesiam Dei ab omni impietate vindicare, loliumq́ in eadem Satanicæ malignitatis versutia disseminatum, quibuscunq́ modis extirpare; certè hoc adeò magni apud me ponderis fuit, vt ea de causa hoc meum de veterum Ægyptiorum Magia argumentum (quod vti mille Satanæ in animis hominum illaqueandis fraudes detexit, ita & eas dextrè præcauere docet) gloriosæ nominis* Tui *immortalitati consecrare non dubitârim. Accessit hisce capitibus eximius virtutum* Tuarum *splendor, de quibus tamen modo silere præstat, quàm eas hàc angustiâ chârtæ nimis parcè attingere. Nouit Mundus Natalium* Tuorum *sublimitatem; miratur inuicti ac prorsus Heroini animi* Tui *(quæ maximè in Melitensium maritimis expeditionibus eluxit) magnitudinem, robur, constantiam; victorias & triumphos quos à Christiani nominis hoste reportasti, spolia & trophæa in Principum Ecclesiarum Vrbis tholis affixa abundè testantur: vt proinde complura de* Tua *sibi virtute Orbis Christianus polliceatur, in tali potissimùm dignitatis gradu constituta, in quo & authoritate polles vt possis, & zelo abundas vt velis magnam mentem* Tuam, *in gloriosis pro bonore Dei & Ecclesiæ emolumento, facinoribus perpetrandis impendere. Vale* Eminentissime Princeps, *& quem olim, pro insita* Tibi *benignitate in* Tuorum *familiarium numerum coaptasti, porrò vnum ex* Tuis *esse patere.*

Magia Hieroglyphica.

In qua superstitionum, damnatarumque artium origines à primæuis Mundi sæculis vsque ad hæc nostra tempora traductæ demonstrantur, & conuelluntur.

PRAEFATIO.

Dæmon hominis fælicitati inuidens nititur eum de statu suo deijcere.

INTRODVCTO per Protoplastorum inobedientiam in Mundum peccato, corruptaque humani generis massa, atque tota posteritatis serie in origine sua vitiata, nihil sanè antiquius habuit humani generis hostis Diabolus, quàm vt, quod per primum peccatum iam concussum erat, in vltimum ruinæ exitium deduceret. Erat homo, vtriusque Mundi confinium, Dei similitudine signatus, eo fine conditus, vt soli Conditori suo deditus seruiret, eoque tandem post vitæ huius corruptibilis caducitatem Deo suo fruitus æternis lætaretur delicijs. Veruntamen hoc vbi aduertit callidus serpens, inuidiæ æstro stimulatus, nihil non egit, omnes machinas mouit, vt à Deo Conditore suo humanum genus diuerteret, & honorem, reuerentiam, veramque soli Deo debitam latriam sibi adsciseret, diuinamque vnitatem in complures veluti diuinitatis particulas quasdam dispesceret. Cùm itaque diuinæ essentiæ abyssus ijs cognitu difficilis, atque adeo Numen illud æternum nullibi reperiri, quòd visu non apprehenderetur, sibi persuaderent; paulatim oculos in ordinatissimum Mundi concentum figentes, astrorumque decorem conijcientes, illa veluti Deos æternos cultu prosecuti sunt. Nec hic constiterunt; famam hominum præteritorum sæculorum, qui nonnihil sibi humanis rebus maius in vita gessisse videbantur, percipientes, rerum gestarum admiratione rapti eos veluti Numina quædam apotheosi sanè execranda coluerunt. Cùm autem ijs omnium tam bonorum, quàm malorum euentuum causas adscriberent, impendentiumque sibi malorum metu, aut bonorum spe continuò agitarentur, hinc nata est Idololatriæ soboles superstitio; ex superstitione variæ diuinationum species, quibus vitæ actionumque suarum fortunam bonam vel malam, futurarumque rerum auspicia moliebantur. Et quoniam Numinum iratorum metu consternebantur, hinc statuas varias vnicuique Numini competentes fecerunt, vt cultu ipsis præstito in omnibus actionibus suis eos propitios haberent. Hinc totus Mundus varijs Numinibus auctus, totam paulatim successiuam posteritatem execranda Idololatriæ contagione infecit. Fuit autem prima huius detestandi cultus inuentrix Cainæ stirpis progenies, vti suprà in fragmento librorum Enoch apertè docuimus. Cham verò ante Orbis cataclysmum, nefarijs Cainanitarum doctrinis imbutus, eas ad posterioris sæculi, videlicet suæ generationis stirpem, pocissimùm in Ægyptum & Chaldæam, quarum primus colonus erat, propagauit, vbi tam altas radices egit, vt re-

Idololatriæ origo.

Ægyptum idololatria infecta à Chamo.

mis

nijs suis in vniuersum Mundum diffusis maxima vbique locorum incrementa sumpserit. Hinc Hebræi contigui primùm infecti, Græci verò, Romani, vniuersa Asia & Africa plenis labris hauserunt; quæ cùm omnia in primo Tomo demonstrata sint, hoc loco repetenda non duxi.

Aegyptiorum Magia explicanda proponitur.

Cùm itaque Magiâ Ægyptiorum nihil in historijs, quâ sacris, quâ profanis celebrius sit, magnaque hieroglyphicorum portio eidem implicata sit; eam hac Classe ex professo explicandam duxi, vt quàm callido humani generis hostis animos mortalium astu eludat, quàm subtilibus retibus curiosorum hominum ingenia implicet, luculenter patefiat; eâ cautelâ tamen & circumspectione, nè tenerioribus mentibus offendiculo sint, quin potiùs vt quisque sibi ad cautelam ea legat, & â Sathanicis machinamentis cauere sciat. Verùm vt omnia ἀκριβῶς discutiantur, in decem Capita totam Classem diuidendam existimauimus.

CAPVT I.

Quænam fuerit Magia hieroglyphica Aegyptiorum, & in quo illa constiterit.

MINIME nobis hoc loco de origine, diuisione, definitione Magiæ multiplici agendum censuimus, cùm in multis huius Oedipi argumentis abundè id præstiterimus, fusèque de ijs Boissardus, Bulengerus, Delrio, Pererius, Thomas Alassius Ord. Prædic. in Opere de Potestate Angelica tractârint, alijque innumeri tùm sacri, tùm profani Scriptores iustis eam voluminibus tradiderint. Relictis igitur omnibus, ab alijs iam traditis, intra argumenti nostri limites nos continentes, quæ Oedipi propria sunt, prosequemur.

Boissardus. Bulengerus. Delrio. Pererius. Alassius.

Nihil humanæ naturæ tam insitum esse spectamus, quàm vt sciat, & in continua rerum cognitione versetur, earum maximè, quibus res rationesque suas contineri putat: siue eæ iam fuerint, siue sint, siue futuræ exspectentur. Vnde gens nulla fuit, siue illa humanitate & politicâ viuendi ratione probè instituta, siue immani quâdam barbarie, ferocissimorumque morum consuetudine prædita fuerit, quæ non sibi futura significari, eaque anxiè intelligi prædicique & cupiat & speret; vtrumque humanæ menti vnà cum hæreditariæ contagionis peccato primorum parentum culpa insitum, dum pruritu curiositatis stimulati fidem attribuerunt Serpenti veteri asserenti fore se sicuti Deos, scientes bonum & malum, si ex arboris vetitæ fructu comederent. Hâc curiositate itaque incitati, mandatum Domini transgressi, vnà secum totam posteritatem inextricabilibus malis inuoluerunt. Procedit autem summum huiusmodi futurorum cognoscendorum desiderium ex ipso amore, quo vnusquisque naturali instinctu, & summâ sollicitudine bonum sibi conueniens acquirere, malum verò sibi imminens veluti incongruum & violentum, quibusquibus modis repellere cupit; vnde Medicina nata est, quam Characteristicâ vocant. Quemadmodum verò bona à Numinibus bonis, ita ma-

Homo scire desiderat futura.

Protoplastus Adam futura scire cupiens præuaricatus est.

 la

Ægyptij singulis rebus attribuebant Genium bonum, & malum.

la à Numinibus malis dependere existimabant. Nam vt alibi fusè declarauimus, erat Ægyptiorum proprium dogma, non solùm singulos homines ab ortu duos Genios, bonum ac malum, à supremo Numinum Emeth sibi præstitutos habere; sed etiam singulas rerum naturalium species, eosdem sibi assignatos habere; quorum prior ad conferenda bona omnis generis charismata suaptè natura veluti suæ sibi tutelæ commissis succurreret; posterior verò ad inferenda omnis generis mala promptus semper paratusque existeret. Hinc Seruius illud sexti Æneid. *Quisque suos patimur manes*, commentans, *bonum*, inquit, *& malum Genium intelligit*. Et Orpheus in Εὐχῇ· Δαίμονα τ᾽ ἠγάθεον, καὶ δαίμονα πήμονα θνητῶν. Credebant enim, malignum Genium fato quodam, vt in Astrologia diximus, homini in primo illo momento, quo ex ventre matris secluditur, deputari; cumque talem esse, qualem stellæ natura profert; quæ si bona, bonus; si mala, malignæ pariter naturæ Genius credebatur. Hinc tota ipsorum Magia huic veluti cardini inniti videbatur, vt quemnam quisq; Genium in prima sua genitura nactus fuisset, cognoscerent; in hoc totum eorum studium versabatur, vt inclinationes, proprietates, & dona, quibus pollebat, intelligerent. Quod si cognoscerent, ita dictis Genijs esse naturalis inclinationis vi comparatum putabant, vt humanos honores & cultus præ omnibus alijs summè appeterent, & vnicè ambirent, tantòque quisque paratiori animo esset ad succurrendum, quantò intensiori cultu maiorique sollicitudine fuisset inuocatione accersitus. Hinc Ægyptij, teste Iamblicho, artem inuenerunt, quâ mundanarum rerum Genio cuique appropriatarum mistura, Genios in statuas compellerent, & concepta verborum, seu potiùs portentosorum nominum prolatione ad secreta prodenda cogerent. Atque hinc veluti ex equo quodam Troiano totius Idololatriæ & Magiæ, videlicet ex Astrologia & Oraculorum arte, origo descendit, quibus veluti binis columnis omnia superstitiosarum artium diuinationumque dogmata innituntur, vt in decursu huius tractatus patebit. Quæ omnia copioso ratiocinio describit Proclus libro de Sacrificio & Magia, dicens: *Sacerdotes veteres à rebus apparentibus superiorum virium cultum adinuenisse, dum alia miscerent, alia purificarent; miscuisse autem multa inuicem. Videbant enim*, ait, *nonnulla simplicia Numinis habere proprietatem, non tamen sigillatim sufficientem ad Numinis illius aduocationem: quamobrem ipsa multorum commistione supernos attrahebant influxus, atque quod ipsi componendo vnum ex multis conficiebant, ipsi vni assimilabant, quod est supra multa, statuasque ex multis diuersisque materijs commistas constituebant. Odores quoque compositos, queîs arte ipsis solitâ in vnum diuina symbola colligebant, reddebant vnum tale, quale diuinum existit, secundùm essentiam videlicet virtute plurimâ, imò omnia comprehendentem; quorum quidem diuisio vnamquamque debilitauit, mistio verò restituit in exemplaris ideam. Nonnunquam verò herba vna, vel lapis vnus ad diuinum sufficit opus; sufficit enim*, inquit Proclus, *Cnebison, id est, carduus ad subitam Numinis alicuius apparitionem; ad custodiam verò Laurus, Ricinus, Cæpa, Squilla, Corallus, Adamas, Iaspis; sed ad præsagium, cor Talpæ; ad purificationem verò sulphur &* aqua

Seruius.

Orpheus.

Magia Ægyptiorum in quo consistebat.

Iamblichus.

Magia & Idololatria ex Astrologia & Oraculis orta.

Proclus.

aqua marina. Sacerdotes ergo per mutuam rerum cognationem compassionemque conducebant in vnum, per repugnationem expellebant, purificantes, cùm oportebat, sulphure atque asphalto; id est, litamina aquâ aspergentes marinâ; purificat enim sulphur quidem propter odoris acumen, aqua verò marina propter igneam portionem; & animalia Dijs in Deorum cultu congrua adhibebant, cæteraque similiter. Quamobrem ab ijs atque similibus recipientes primùm potentias Dæmonum, cognouerunt videlicet eas esse proximas rebus actionibusque naturalibus; atque per hæc naturalia, quibus propinquant, in præsentiam conuocarunt; deinde à Dæmonibus ad ipsas Deorum vires actionesque processerunt, partim quidem ipsis docentibus Dæmonibus addiscentes, partim verò industriâ propriâ conuenientia symbola interpretantes, in propriam Deorum intelligentiam ascendentes, & denique posthabitis naturalibus rebus actionibusque ac magna ex parte Dæmonibus, in Deorum se consortiũ receperunt. Hæc Proclus. Hinc Σειραὶ mysticæ, hoc est, catenæ, ab infimis vsq; ad summas analogarum rerum catenas, de quibus in Medicinæ & Astrologiæ Classibus amplè dissertum est, originem inuenerunt; his enim summâ sollicitudine inuestigabant primò Deos, Genios, & Dæmones singulis catenis præsidentes; cui nomen ab effectu imponebant, atque ex singulis rebus sub ea catena comprehensis, in vnumque coniunctis, simulachrum adornabant ex materia dictis rebus analoga, adhibitis deinde conceptis verborum appropriatorum formulis, Numen, veriùs Dæmonem adiuratione horrenda veluti perculsum compellebant; compulsus autem dictâ ratione Dæmon, de rerum futurarum euentibus responsa dabat. Atque hæc erat propriè Ægyptiorum Magia. Verùm de singulis per sequentia Capita & Paragraphos discurramus.

Catenæ mysticæ vnde ortæ.

CAPVT II.

De herbis & lapidibus, quibus in operationibus suis Magicis vtebantur Aegyptij.

ÆGyptios vtplurimùm herbis in sacris vsos, frequens hieroglyphicarum herbarum passim in Obeliscis & Tabula Isiaca occurrentium multitudo ostendit. Putabant enim Ægyptij, singulas herbas suos sibi appropriatos Præsides Genios habere, qui cùm summâ curâ & amore erga res fidei suæ commissas ferri crederentur, eos huiusmodi rebus consequenter trahi, & ad arcana reuelanda præuijs sacrificijs sisti posse, atque hoc vi quâdam ipsis herbis insita effici putabant, cùm opinione eorum nihil aliud essent, quàm particulæ quædam diuinitatis. Verùm hæc doctrina, vti orthodoxæ doctrinæ è diametro repugnat, ita meritò veluti totius superstitionis radix iamdudum proscripta exulat; siquidem herbæ in vsu magico non tanquam virtutes naturales operantur, sed tantùm signa quædam sunt ex pacto implicito vel explicito ordinata, quibus positis Dæmon se sistit. Si enim per efficientiam naturalem Genios attraherent, necessariò in ijs vim aliquam imprimerent: sed cùm corporearum rerum ad spirituales substantias nulla intermediet proportio, neque

Herbis vtebantur Aegyptij in Sacris.

Herbis ac plantis non inest vis Physica, ad Spiritus fugandos vel attrahendos.

ſpiritualis ſubſtantia, ſubiectum eſſe poſſit impreſſionis virtutum qualitatumque naturalium; fieri quoque non poteſt, vt vi naturali attractus huiuſmodi producatur, ſed moralis cauſa ſolummodò interuenit; eò quòd Dæmon herbis veluti ſignis quibuſdam ex pacto compoſitis, ad condeſcendendum concitetur: vel ſi quandoque, vti in exorciſmis, herbis coërceatur, vel è corporibus abigatur; non id fit vi herbarum, ſed vel in virtute precium Eccleſiæ, vel ex characteriſmo quodam diuinitatis ſub dictis ſymbolis latente, quem odio habent Dæmones. Quòd itaque Ægyptij Aglaophotide herba, aut Cnebiſone, alijſque paulò antè recitatis, Deos euocare conſueuerint; Theongelide herba poti, futurarum rerum euentus prodiderint; id certò virtuti naturali dictarum herbarum minimè adſcribendum eſt, ſed vt dixi, pacto, quod per herbas veluti ſignum quoddam expreſſum pangebatur. Quæ omnia S. Auguſtinus l. 21. de ciu. c. 6. his verbis docet: *Illiciuntur Dæmones ad habitandum per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus condidit, delectabilibus pro ſua diuerſitate diuerſis, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus, ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum.* Ita Ægyptij Mentaſtro vtebantur, ad cognoſcendum in cuius planetæ tutela ſis. modum operandi vide apud Apuleium c. 9. de viribus herbarum. Vtebantur & moly, mithridatio, ſcordoti, & centaureo magicis herbis ſuis in Sacrificijs, Plinio teſte l. 25. c. 10. De Ornomi herba cum Lupi ſanguine mixta, quid præſtiterint Ægyptij Magi, Plutarchus de Oſiride & Iſide recitat, & nos fusè in Obeliſco Pamphilio expoſuimus. Huius quoque farinæ ſunt Æthiopis herba, quâ amnes ac ſtagna ſiccari coniectu, tactu omnia clauſa aperiri opinabantur; Achemenide coniecta in aciem hoſtium trepidare agmina, & terga vertere; Latacem plantam à Regibus Perſarum Legatis dari ſolitam, vt quocunque veniſſent, omnium rerum copiâ abundarent, Cteſias memorat. Circa herbam, quam Verbenacam appellant, teſte Plinio l. 26. c. 4. Magi mirum in modum inſaniunt, hâc perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. Dioſcorides l. 5. & Gal. lib. 2. Antidot. aliam plantæ genus eſſe, Creſſam dictam, vnde toxicum fiat, Ἔνιαι τῶν ἐπὶ τῷ προγινώσκειν τῆς τῶν ἱερῶν ἐπιτελουμένων δεῖ συγκομίζειν κρήσσαν βοτάνην: nonnullæ cœremoniæ ſacrorum, quæ fiunt ad vaticinia, poſtulantur; herba Creſſa conterenda eſt. καὶ πτερὸν Αἰγύπτιον, καὶ ὀστέον Ἰβηρικόν, & Ala Ægyptia, & Os Ibericum. Non multò ſaniora ſunt, quæ apud Plutarchum leges lib. de fluminibus: *In Chelydone Ætoliæ monte herba Myops naſcitur, quâ ſi quis in aquam iniecta, lauet vultum, excæcabitur; ſi Dianam placauerit, viſum recuperabit. Zaclus herba in vinum iniecta, illud in aquam conuertet.* Meminit & Calliſthenes de rebus Alex. Nectanebum Regem Ægypti herbam ex ſolitudine accepiſſe, quam efficacem ad ſomnia mouenda eſſe ſciebat, qui ex ea ſuccum exprimens fecit imagunculam ex cera muliebrem, eique nomen inſcripſit Olympiadis, accenſaque lucernâ ex herba, Dæmones execrationibus ad eam rem idoneos inuocabat, vt Olympias ſibi videretur Hammonis amplexibus frui: Verba Græca ſunt: καὶ λαμβάνει βοτάνην ἀπὸ τῆς ἐρήμου ἣν ἠπί-

Margin notes: Herbis varijs Ægyptij vtebantur ad vanos effectus. — S. Auguſtinus. — Apuleius. — Plinius. — Plutarchus. — Dioſcorides. — Plutarchus. — Calliſthenes. — Herbæ Magicæ Ægyptiorum.

περὶ ὀνειροπολίαν, καὶ ἅψας λύχνον ἀπὸ τῆς βοτάνης ἐπεκαλεῖτο ὅρκοις σοῦ περὶ τοῦτο πεποιημένους δαίμονας, ὥστε φαντασιῶδες τὴν Ὀλυμπιάδα, καὶ θεωρεῖν περιπλεκόμενον αὐτῇ τὸν Θεὸν Ἄμμωνα. Herba Osirite, quam diuinam non in viuos modò, sed etiam in mortuos habere potentiam rebantur, vmbras ad percunctandum vsos Ægyptios, Plinius testatur l. 30. c. 2. Ex quibus omnibus patet, herbas magicas nullâ virtute naturali ad dictos effectus, quos ipsi contingere putant, præditas esse, sed Dæmones ad illas veluti signis quibusdam, vt dixi, commotos, effectus præstare; quod ex circumstantijs facilè deprehendes, cùm sine superstitione, aut Astrologicis operationibus nihil hìc fieri videas; vnde ea non immeritò Theophrastus ἀνθρώπινα καὶ ἀπιθανώτερα inepta & incredibilia vocat. *Plinius.* *Theophrastus.*

Sed progrediamur ad lapides, in quibus eadem quæ in plantis consideranda occurrunt. Inter Ægyptios lapides erant hi cumprimis memorabiles, Ananchites, & Atizoci; per priorem, Plinio teste, Deorum euocabantur imagines, per alterum gestantes eum inuisibiles reddebantur. Verùm qui rationes nostras paulò antè allatas probè intellexerit, videbit hæc nullâ ratione consistere posse, neque ea vi naturali peragere, sed Dæmonis ope, qui lapidibus tantùm veluti signis quibusdam ex pacto positis vtebantur. Verùm cùm de lapidibus, vti & de animalibus, in Obelisco Pamphilio amplissimè tractatum sit, eò Lectorem remittimus. Nullum itaque sacrificium sine herba, nullum sine lapidibus, aut aromatibus libamen offerebatur; huiusmodi enim sola Numinis alicuius trahendi effectum præstare posse opinabantur. Sed hæc luculentiùs infrà. *Lapides Magici apud Aegyptios.* *Plinius.*

CAPVT III.

De Diuinationibus, & Oraculis Aegyptiorum.

HVmana mens vti perpetuò desideriorum æstu agitatur, ita bonorum quæ desiderat, perpetuâ spe viuit, & dum spirat, sine intermissione sperat, videlicet summum aliquod & præstantissimum bonum: quod cùm extra Deum Opt. Max. dari non possit; hinc perpetuâ anxietate, cura, doloribus, & laboribus inuoluitur, & veluti Oceanus quidam decumanis fluctibus agitatus, in perpetua inquietudine versatur. Est autem duplex boni ratio, circa quam omnes hominum machinationes, omnis veluti in cardine quodam voluitur industria; bona videlicet corporis, & animi. Bona corporis sunt, pulchritudo, & perfecta corporis sanitas, & voluptas, quæ cùm nec sine rerum ad vitam honestè instituendam necessariarum possessione, conseruari, neque hæc sine diuitijs haberi possint, mirum non est, tantam omnium mortalium auri famem esse, tantum in diuitijs acquirendis studium. Harum enim possessione mox omnium bonorum vbertate se repletum iri confidunt, omnium ærumnarum expertes. Quia tamen & hæc minimè hominem satiant, hinc bona animi corporeis coniuncta desiderant; cuiusmodi sunt scientiæ, honores, dignitates, potentia: quæ omnia cùm incertos in tam instabili *Mens humana semper appetit bonum summum.* *Bona corporis & bona animi.*

 for-

fortunæ rota exitus sortiantur, & vt plurimùm in impenetrabili futurorum rerum suarum statu incerti, & inter spem metumque fluctuantes, tanto studio futurorum scientiam appetunt, vt ex ea videlicet addiscant, quid de se futurum sit, & an de bonis illis recensitis solidum quiddam sibi promittere possint. Nouit id humani generis hostis Diabolus, & callidus dolorum architectus; hinc tam multiplices pedicas pandit, quam multiplices sunt humanarum machinationum appetitus; vt tandem sub spe scientiæ futurorum homines adoriatur, adortos irretiat, penitusque sui iuris faciat. Sunt autem duo potissimum retia; Astrologia, & Polyomantia. Priori docet sortem, quam quisque à primo natiuitatis suæ puncto nactus est, ad bonam vel iniquam fortunam; posteriori veluti sub quodam naturalium causarum velamento varias diuinationum species exhibet; quibus incauti, dum bonum prosequi, vitare malum inconsultiùs appetunt, æterni boni possessione meritò priuantur. Has itaque artes primus in Mundum, Magistro Diabolo, introduxit Cham Noëmides; quas Ægyptij à Chamo instructi veluti hæreditate quadam traditas in vniuersum Mundum transfuderunt. Atque de Astrologia eorum amplè suo loco dictum fuit; de Diuinationibus, earumque origine Oraculorumque rationibus porrò dicendum nobis restat.

Futurorum scientiam appetit homo.

Astrologia, & Polyomantia Dæmon homines decipit.

Cham primus introduxit Astrologiam, & Polyomantiam.

Ægyptij itaque, Doctore Mercurio, putabant, præter Deos cœlestes, naturas quasdam homines inter & illos medias reperiri, quas Angelos, Dæmones, vel Genios, aut terrenos Deos appellabant; quibus omnium Oraculorum ortus & interitus causam attribuebant, adeoque Oracula tam diu durare, quàm diu dicti Genij in statuis, quæ Oracula fundebant, morarentur; eademque perire, cùm simulachra à Genijs seu Dæmonibus destituerentur. Hosce verò Genios regionem inter cœlum & terram interiectam incolere, atque ex herbis, lapidibus, aromatibus, alijsque terrestribus materijs vim diuinitatis naturalem in se continentibus constare asserebant, & vti propè nos habitantes, nobis quasi amicâ cognatione iungi, ita amore singulari erga humanum genus affici, hominibusque, prout illorum natura fert, varijs diuersisque modis auxiliari putantur; sortibus futura prædicendo, aliaque ad nos pertinentia curando. Quocirca in statuas quoque ab ijs ritè instructas ingrediebantur, & ex illis responsa consulentibus dabant, multosque in annos in ijs morabantur tantò libentiùs, quantò statuæ ex materia ijs congruentiori factæ essent; & quantò eos sacrificijs, hymnis, laudibus, & harmonijs, quibus veluti vnicis Geniorum illecebris delectantur, peritiùs detinere sciebant. Quæ quidem ita se habere, copiosè docet Hermes in Pimandro, causamque assignat, cur tanta in Dæmones Geniosque potestate polleat homo, & cur eius dominio tam facilè se submittant: *Cùm enim*, inquit, *homo animal sit venerandum, magnumque Mundi miraculum, ex omni naturæ miscella constitutum, cœlesti, terrenâ, mortali, immortali, inferioribus superioribusque iunctum sit; parte quidem, quæ ex anima, sensu, spiritu, & ratione constat, diuinis; parte quæ ex igne, aëre, aqua, terraque conficitur, sublunaribus; fit vt cùm se ipsum ob earum rerum, quas mortalis portio appetit, cupiditatibus, animo à corpore*

Genios Ægyptij colebant.

Geniorum locus habitationis.

Genij statuas ingrediebantur.

Trismegistus

Genij afficiebantur hominibus.

pore veluti abstracta separat, veluti in diuinam quandam essentiam transformatus, vel cœlitibus præstantior, vel dignitate par euadat; eamque potestatis plenitudinem acquirat, vt quemadmodum Deus cœlestium Deorum effector est, ita homo Deos illos, qui terrenis affiguntur habitationibus, efficere possit, statuas videlicet animatas sensu & spiritu plenas præsciasque futurorum. Quæ quidem Mercurius in Pimandro fusiùs prosequitur. His subiungit quoque, proauos suos perfectam cœlestis Dei notitiam non habuisse; cognito enim Deo, Deos terrenos non curassent, sed vti incertos de illo, ita à diuina religione valde aberrantes artem, quâ Deos efficerent, excogitasse, statuasque exstruxisse, in easque cùm ipsi animas creare non possent, Dæmonum vel Angelorum animas euocasse; quæ quidem vocatæ aduenerunt, tùm, quia horum hominum magna vis erat, tùm quia Angeli & Dæmones tantam cognitionem cum hominibus habent, vt ab obsequium eorum propriâ naturâ traherentur. Atque hæc est Mercurij de Oraculis sententia; quam ex Pimandro excerptam paucis explicandam duximus; cœtera, quæ ampliùs prosequitur, in citato loco videat Lector; vbi & causas desitionis Oraculorum magnis tenebris inuolutus, impiè explicat; nam Oracula defutura pronunciat, quando homines religionis expertes, impijque euadent, neque enim tunc Idola colent, neque ea fabricabunt, neque in illis animas Dæmonum introducere valebunt, Dæmones verò cùm se neglectos viderint, ab antiquis etiam statuis decedent. Vbi Oraculorum defectum hominum vitijs, & Dæmonum indignationi potiùs, quàm diuinæ potentiæ adscribit. Rectiùs sanè, tametsi impij, Porphyrius & Plutarchus, quorum vterque causam desitionis Oraculorum in Christianam religionem conijcit. ille quoque verbis apertis fatetur, *Mortales ex quo IESVS colitur, nullam ex Dijs vtilitatem sensisse.* Non igitur humanæ industriæ defectu aut negligentiæ Oracula desierunt, sed vnigeniti Filij Dei in terram aduentus vnica causa fuit, quo dispulsâ tenebrarum potestate, viribusque quibus humanum genus fallere solebant Dæmones, ademptis, æterna Mundo Veritas illuxit. Quod & Pithius Apollo vel inuitus fateri coactus est: cùm enim, Nicephoro Callisto teste, is à Cæsare Augusto, quis in Imperio sibi successurus esset, interrogatus diu tacuisset, atque iterùm iterumque respondere, silentijque causam aperire rogaretur; in hæc tandem verba prorupit:

Trismegisti impia doctrina de Oraculorum desitione.

Porphyrius. Plutarchus

Oracula cur desierint.

Nicephorus Callistus.

Apollinis responsio de Oraculorum desitione.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum,
Aris ergo de hinc tacitus abscedito nostris.

Addit Lactantius Firmianus, tantam fuisse suis temporibus crucis virtutem, vt cùm Idololatræ Dijs immolare vellent, si quis fronte cruce signatus adessent, nec sacra litare, nec à Vatibus vllum responsum habere valerent.

Lactantius. S. Crucis virtus contra Oracula.

Sed vt ad institutum reuertamur, Erant Oracula memorata omnium diuinationum, & totius superstitionis radix & fundamentum. Neque

Oracula origo diuinationum.

que enim Dæmon semper sensibili voce responsa dabat, sed signis quibusdam, quid vellet, aperiebat; Hinc emerserunt primùm rituum & cœremoniarum variæ species, quibus, vt futurorum conscij fierent, veluti præuijs dispositionibus animum purgare solebant; deinde ad vanas obseruantias conuersi, omnia pro augurijs habebant obuiarum rerum ludibria. Verùm explicemus singula.

Oracula in omnibus ferè Ægyptiorum nomis.

In omnibus ferè Ægypti Nomis Oraculum fuisse reperio, in quo responsa de varijs euentibus acciperent consulentes: neque tamen singula Oracula de singulis sibi propositis respondebant; sed de ijs solummodò rebus naturæ eorum consentaneis.

Ægyptiorum Oracula celebriora.

Hoc pacto Serapidis Oraculum circa ea quæ terræ cultum concernebant; Anubidis circa ea, quæ scientias; Hori circa ea, quæ bona corporis & animæ; Isidis circa ea, quæ aut Nilum, aut fœcunditatem concernebant, consulebatur. Ammonis verò in Lybicis arenis constitutum Oraculum, vti celeberrimum omnium, ita de quibusuis rebus sibi propositis responsa dabat.

Græcorum Oracula celebriora.

Ab his Oraculis quatuor alia in Græcia magni nominis Oracula prodierunt, seu potiùs execranda ad hominum animos fascinandos suscitata sunt sacraria; Delphicum in Ionia; in Lebadico Triphonium; in Milesia Branchidicum, Sabæum in Phocide; Amphiarai in Attica, Sebanniticum Latonæ in Butho Ægypti, innumerisque alijs locis constituta, quæ omnia responsa dabant locis obscuris, obsessisque à malignis spiritibus, voce, somnis, gestu, nutuque statuarum, sonitu, tinnitu, vel alijs signis; edebanturque vel ab ipso Dæmone, vel à Pythonibus, Sacerdotibusque spiritu fatidico afflatis, qui à specubus, furnis obscuris & profundis horribili sono & strepitu irruebant in Enthusiastas specie ignis, quo circumquaque inuoluebantur, & in furorem acti, cùm palpitatione omnium artuum, inuersis oculis, & ore distorto effabantur ea, quæ Dæmon illis suggerebat.

Diabolus per Oracula docet superstitiones, & impias cœremonias.

Hoc pacto Sathan superstitionum architectus sese furtim per Idololatriam in animos hominum insinuans, illis variorum rituum & cœremoniarum deuotiones inculcare sategit, quibus suos commentitios Deos sub pietatis & virtutis prætextu colerent, vt sub his titulis per omne genus impietatis & nequitiæ illos inuolueret pollueretque, atque adeo debitum Deo honorem ad se deriuaret.

Cùm verò nihil adeo sensibus obuium esset, quod Dæmon non veluti signa quædam assumeret ad suam consulentibus voluntatem aut noluntatem commonstrandam; hinc multiplices ortæ Magiæ diuinatoriæ

Sortilegiorũ & Auguriorũ variæ species.

species, hinc omnis generis sortilegiorum auguriorumque portentosi fœtus pullularunt: quæ quidem nominis sui etymon non nisi à rebus, per quas diuinatio instituebatur, sumpserunt. Hinc diuinationes suas primò iuxta quatuor elementorum series auspicati sunt, suisque nominibus, videlicet Pyromantiam ab igne, Aëromantiam ab aëre, ab aqua Hydromantiam, à terra denique Geomantiam appellarunt. Putabant enim Genios voluntatem suam exhibere per signa quædam in dictis quatuor Elementis elucescentia; de quibus in sequentibus fusiùs. Neque hic steterunt, sed instigante Dæmone nihil non ad impiæ diuinationis fanaticas operationes ritè perficiendas assumpserunt. Hoc pacto quæ per fumum

fie-

fiebat diuinatio, Capnomantiam; quæ per peluim, λεκανομαντίαν; quæ per ceram, Ceromantiam; quæ per laurum, Daphnomantiam; quæ per pisces, herbas, ficus, oua, virgas, gallos, capras, thus, & somnia fiebat diuinatio, ἰχθυομαντίαν, βοτανομαντίαν, συκομαντίαν, ᾠομαντίαν, ῥαβδομαντίαν, ἀλεκτρυονομαντίαν, αἰγομαντίαν, λιβανομαντίαν, ὀνειρομαντίαν dicebant. Quando per mortuos diuinatio instituebatur, Necromantia; per manus, Chiromantia nuncupabatur. Erant autem Auguria, Auspicia, Extispicia, Omina, Salissatio, Sternutatio, Tripudium, Solistimum aut Soniuium; quæ omnia cùm à Bulengero, Boissando, Salisberiensi, Delrio, Pererio, & plerisque Canonistis amplissimè describantur, superuacaneum esse ratus sum, tempus in ijs repetendis perdere. Quare ad institutum nostrum reuertamur.

Bulengerus. Boissandus. Salisberiensis. Delrius. Pererius.

CAPVT IV.

De Statuis, Telesmatis, Amuletis, & Prophylacticis Aegyptiorum; item de execrandis, quæ dictis Sacris interueniebant, operationibus.

QVid Telesmata siue ἀποτελέσματα, Amuleta, quæ & φυλακτήρια, περιάμματα, περίαπτα, βρέβια dicuntur, sint, varijs in huius Operis locis abundè significatum fuit. Erant enim præseruatiua contra omnium malorum occursus remedia Dæmonis ope instituta, & ab Ægyptijs, varijs mirisque modis, ritibus, & cœremonijs consecrata. Vnde & Θεουργία Magiæ pars originem inuenit. Erant autem duplicis generis; maiora & minora. Maiora & immobili positu solidata, in publicis locis vrbium, templorum, cœmeteriorum, tùm regionum claustris ad hostium arcendos insultus, & ἀντιτεχνίας δαιμόνων κακούργων eludendos ponebantur, quæ apprimè exhibet præsens Schema, à doctissimo Nardio mihi communicatum, figura κεκρυμμένου velato ceruice & in conum inuersum habitu. Ammun est Numen ἀποτροπαίων, dextrâ lituum, alterâ flagellum gestat; quo dum aduersæ potestates dispelluntur, rerum temperies & harmonia consistit; sed vide quæ de Ammone Ægyptio vberrimè disceptauimus Tom. I. Syntag. III. Capite de Ammone, & in Astrologia Ægyptiorum de signo Arietis. Minora & portatilia in domibus, in collo, pectore, manibus hominum, animaliumque ad ma-

Telesmata, Amuleta, Phylacteria, Periapta quid.

Amuleta duplicis generis, maiora & minora.

malorum auerruncationem portata seruiebant. Quæ vt intelligantur, Sciendum est, hieroglyphica symbola non tantùm rerum altissimarum, sublimiumque de diuinitate mysteriorum significatiua, sed & effectiua fuisse mirandarum, quæ per ea fieri putabantur, operationum. Hieroglyphica itaque Obeliscis insculpta non tantùm, vti dictum est, abditam de Deo Numinibusque Theologiam, eorumque in mundana hac Monarchia officia & ministeria exhibebant; sed & præterea malorum Geniorum machinationes & ἀντιτυχίας, in virtute potentium Angelorum, supremique Numinis summâ potestate, quæ sub ijs exprimebatur, arcere credebantur. Vnde vt effectum suum sortirentur, priùs magno rituum cœremoniarumque apparatu per Sacerdotes consecrabantur. Quo peracto, nullam malignam potestatem, aut Ægyptiæ telluri infestam potentiam consistere posse, sibi pollicebantur. Imò symbola, vti in tertio Tomo demonstrabitur, ita apposite benignis Geniorum cœtibus applicata erant, vt similitudine naturæ, & amicâ quâdam cognatione, quam ad res per symbola expressas obtinebant, attracti vel inuiti Ægyptiacæ telluris contra contrarias potentias defendendæ tutelam arriperent. Cui verò Genio quælibet res subiecta esset, cuiue potentiæ Præsidi, inferioris Mundi Sidereique entia sympathicâ, id est, amicâ cognatione concordarent, ex mysticis rerum mundanarum catenis, quas σειρὰς vocabant, idealique Obeliscorum doctrina, de quibus in præcedentibus Astrologiæ & Medicinæ Classibus copiose disseruimus, discebant.

Hieroglyphica rerum mirandarum effectiua putabantur.

Dico itaque, omnia ferè symbola & hierogrammatismos, qui in Obeliscis, cœterisque Ægyptiacis monumentis hieroglyphicis, vti & in Isiaca tabula reperiuntur, præterquàm quòd arcanissima quæuis significarent, amuleta quoque fuisse separatim vsurpata, & passim ab Ægyptijs ex Obeliscis veluti archetypis codicibus decerpta, ceu sacra quædam phylacteria in collo, pectore, manibus, alijsque secretioribus corporis partibus, tùm contra diuersorum morborum violentiam fascinationesque, tùm ad animi bona acquirenda, fuisse portata; imò animalibus eandem ob causam veluti symbola sterilitatis auerruncatiua fuisse alligata. quod ipsum longâ & diuturnâ experientiâ sat superque docuit. Dum enim innumeros penè antiquitatum promos condos exploro, omnia ferè & principalia hieroglyphica symbola diuersis pretiosis lapidibus exsculpta cum ansula dorso annexa reperi; quod apertum signum est, illa filo suspensa vsibus hominum priuatis seruijsse; quæ omnia æri incisa in III. Tomo exhibebuntur. Neque in lapidibus tantùm exhibebantur, sed in tænijs, licijs, schedis, tabellis metallicis Dijs appropriatis exarabantur, vt suo loco dicetur; cum tanto superstitionis augmento, vt vix esset puer, homo, brutum, quod non huiusmodi fanatica deliramenta sibi appensa haberet. Quæ paulatim ad vicinas Ægypto gentes propagata, Arabiam, Græciam, Babyloniam, deinde totum infecit Latium. Hinc Festus, Ipsullices laminæ necessariæ sacris magicis specie virorum & mulierum characteribus quibusdam exarabantur; vnde Magi qui eas exararent & insculperent, à Græcis Stæchiomathici, ab Ægyptijs Hieromanthæ dicti fuerunt. Ce-

Hieroglyphica pleraque erant Amuleta apud Ægyptios.

Hieroglyphica Amuleta vtensilibus rebus insculpta.

Ægyptiorum superstitio ad alias trāsijt Nationes.

drenus in Claudio, Appollonium Thianæum arcanorum Ægypti apprimè peritum ait, Στοιχειῶσαι ὄφεις, καὶ σκορπίους μὴ πλήσσειν. Characteribus & sigillis deuinxisse Serpentes & Scorpios nè percuterent. Meminit & horum Eusebius l. 5. præparat. Euangel. *Lineas iubet deleri, vt abeat; has enim se retinere, & aliam figuram vestitus, qui fert simulachra Deorum.* Quidam Philosophus, teste Tzezze, Ξέσας ἐν πέτρᾳ πρόσωπον τοῦ Χάροντος, *exsculpto in lapide Charontis vultu*, dum pestis Antiochiæ grassaretur, & in vrbe posito simulachro, luem sedauit. Apollonius Ægyptiorum more Ciconiam exsculpens in marmore, Ciconias fontes & puteos iniectis serpentibus vitiantes Byzantio expulit, Herostrato teste. Idem pestilitatem, Dæmone, qui specie mendici grassabatur, lapidibus obruto sedauit. De eodem Cedrenus ait: *Apollonij hodieque in quibusdam locis ἐνεργοῦσι τὰ ἀποτελέσματα. τὰ ἱσταμένα opera perseuerant, & efficacia sunt, alia quadrupedibus & volucribus damnosis auertendis; alia εἰς ἐποχὴν ῥευμάτων ποταμῶν ἀτάκτως φερομένων, ad inordinatos amnium cursus inhibendos.* Ægyptijs nullus non angulus vrbium huiusmodi scatebat. Erant autem amuleta terrestria, ad fœcunditatem terræ ordinata, vt Serapis ex omnibus Mundi materiebus conflatus; erant & Nilotica, vt Canopus, ad Nili fertilitatem procurandam; erant aerea, vt Accipiter ἱερακόμορφος ad pestis contagionem arcendam; erant & ignea, vti Aspis ἀγαθοδαίμων ad ignis calorumque siccitatem auertendam; erant vrbium & priuatarum domuum Lares & Penates, infantes fascijs inuoluti, quibus malignæ potestates dispelli credebantur; erant cuique priuata quædam amuleta, quæ contra nociuam vim Typhoniam collo, pectore, manibus gestabantur; erant & animalium contra luem à contrarijs potestatibus ijs immissam, huiusmodi amuleta passim vsurpata. Verùm cùm de hisce passim in hoc Opere discurram, hìc longior esse nolui. Contra quæ rectè passim SS. Patres summo rigore inuehuntur. Lactantius l. 1. c. 14. *Insinuant se corporibus hominum Dæmones, & occultè in visceribus operti valetudinem vitiant, morbos cient, somnijs animos terrent, furoribus quatiunt, vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.* Tertullianus in Apolog. c. 22. *Dæmones lædunt primò, deinde remedia præcipiunt, ad miraculum noua siue contraria, quæ post desinunt lædere, & curasse creduntur.* Origenes contra Celsum: *Quid recenseam, ait Celsus, eos qui lustrationes docuerunt, & incantationes pellendis morbis, arcendisq; aut effigies formasq; Dæmonum varias, & præter hæc in vestibus, manicis, lapidibus, plantis, radicibus amuleta diuersorum generum?* Sed hæc de Amuletis in genere sufficiant.

Cedrenus. Appollonius Thyaneus. *Eusebius.* *Amuleta terrestria apud Ægyptios, & aerea, & Nilotica &c.* *SS. Patres inuehuntur in Amuleta.* *Lactantius.* *Tertullianus.* *Origenes.*

Verùm vt hæc Lector ἐν τῷ τύπῳ clariùs cognosceret, hìc amuleta nonnulla apponenda duxi, ex quibus reliquorum rationem faciliùs intelligat. Inter amuleta Ægyptia nil erat communius Harpocrate, Horo, Apide, Osiride & Iside, Canopo; quorum primus Cornucopiâ instructus sub forma pueri nudi digito silentia suadente conspiciebatur; alter itidem sub forma pueri, sed fascibus, aut reticulato amictu inuolutus; tertius sub forma bouini capitis; quartus sub varijs formis, nunc ἱερακόμορφος, nunc κυνόμορφος, modò leoniformis; quinta sub mulieris habitu, scuticâ & reti instructa, alijsque instrumentis, vti in sequenti figura apparet. Per

Amuleta varia explicata.



Harpocratis amuletum arcanorum per varias diuinationum species se conscios futuros sperabant, religiose gestatum; gestatum autem fuisse, ansulæ satis demonstrant. Per Hori amuletum naturæ mundanæ notitiam se habituros putabant; per Apidis amuletum, fœcunditatem; per Osiridis influxus superni abundantiam; per Isidis, quæ ad Terram & Nilum pertinent, bonorum omnium temporalium vbertatem se consecuturos sperabant.

Nihil præterea amuletis quæ Ibidem, Accipitrem, Bouem, Canem, Cynocephalum, Ælurum, similiaque referebant, frequentiùs erat; quibus omnibus priuata bona se consecuturos sperabant. Vt per Accipitrem, claritatem luminis tùm oculorum, tùm intellectus; per Bouem, domesticæ substantiæ amplitudinem; per Canem scientiarum & artium notitiam; per Cynocephalum & Ælurum Lunaris Numinis attractum.

Erat ex insectis quoque Scarabæus, certis & appropriatis lapidibus incisus, potentissimum amuletum, & passim vsurpatum, ad Solaris Numinis attractum, contra omnes tùm corporis, tùm animi morbos institutum, quorum ingentem copiam, ex omnibus antiquitatum penuarijs ad me transmissam, vnà cum alijs diuersarum formarum & characterum Schematismis, vide in Theatro hieroglyphico seu III. Tomo, vbi interpretationem singulorum adduximus.

Amuleta à Torquato de Alexandro exhibita explicantur.

Contulit non ita pridem ad me haud spernendam huius farinæ amuletorum copiam, Torquatus de Alexandro Capitaneus, quæ cùm insigni-



bus mysterijs polleant, ea hic opportunè explicanda duxi. Primò quidem

dem simulachrum occurrit BC tripertitum, quod BC facie antica, figuram pueri refert sedentis, ventre pedibusque tumidis, vtrâque manu scuticam gestantis, sub vtroque pede Crocodilum calcantis, in cuius humeris hinc inde duo sedent Accipitres, in capite tutulum gerit Scarabæi imagine insignitum, è cuius lateribus hinc inde duo idola brachijs pendulis manibusque contractis, vti in figura A (quæ est aspectus figuræ è latere scenographicus) apparet. In postica verò parte figura D spectatur, velo, cornibus, globoque, quem capite gestat, spectabilis, manibus expansis, ex toto corpore veluti radios dispergens. Sed quid hæc omnia significent, videamus. Primò totum simulachrum eius, quâ hìc spectatur, magnitudinis est, ex viridi lapide sculptum; amuletumque portatile fuisse, ansula seu foramen T, in figura A, per quod filum traijciebatur, sat ostendit; & significat Horum Osiridis filium. Horus enim, quemadmodum Tomo I. Syntag. III. innumeris authoritatibus comprobatum est, semper sub puerili forma referebatur, & mysticè, Plutarcho teste, nihil aliud est, quàm sensibilis Mundi machina, quam Sol seu Osiris per Scarabæum indicatus, continua Solarium Numinum per binos Accipitres, & terrestrium Geniorum per penates lateribus assistentes indicatorum ministerio, summâ sapientiâ gubernat & moderatur. Pueri forma pingitur, quia Mundus generabilium rerum innouatione continuò veluti reiuuenescit: tumido corpore pingitur, quia genitalium rerum fœtura & παναστερμία perpetuò turget: sub vtroque pede Crocodilum calcat, id est, Beboniam seu Typhoniam malignitatem Mundo adeo perniciosam, ne inualescat, cohibet; scuticaque, id est, virtutis suæ efficacia in officio continet; quam nisi cohiberet, totum Mundum perire necesse fore putabant. quæ omnia pulchrè per pugnas & certamina Hori & Typhonis symbolicè indicantur, de quibus lege Syntagma III. Tomi I. In postica verò parte per figuram D, Isis seu Luna exprimitur, quod cornua & velum, quibus semper exhibetur, ostendunt: vbere turget, quia mater omnium inuentionum est, & Hori à Typhone extincti vindicatrix & resuscitatrix; dum Mundum siccitate & adustiuâ quâdam vi oppressum, humido suo influxu, per radios aptè indicato, ad temperiem & vitam reuocat. Atque hæc est mystica & hieroglyphica dicti simulachri significatio; quod, propter magna sub eo recondita mysteria, summâ vi pollere arbitrantur tùm ad Genios attrahendos, tùm ad malignos propulsandos. Hinc in Isiacis adytis summâ cœremoniarum vi illud consecrabant; fieri enim non posse credebant, quin dicta Numina imagine hâc mysteriosâ, & omnes eorum virtutes & proprietates occultè indicante, veluti ad signum illis congruum attraherentur, & per illud gestantibus omnium bonorum copiam, & malorum auersionem promitterent. Atque hæc est amuleti assumpti vera & sincera interpretatio. Similia huic sunt alia duo amuleta sequentia, quorum prius signatum litera E sub fœminæ figura, quæ lyram sinistrâ, plectrum dextrâ tenet; secundum G, sinistrâ cucurbitam, dextrâ Syringem tenens, ventre tumido discooperto; H verò posticam partem figuræ G, indicat. Porrò cucurbitam humidum; Amuletorum aliorum explicatio.

Per pileum pyramidalem, ignea vis intelligitur, quorum harmonico temperamento Mundus impraegnatus rerum omnium copiam producit, ac

proinde ob mysteria sub eo abdita, in vsum amuleti adhibebantur. Tametsi duo posteriora amuleta non purè hieroglyphica sint, sed nescio quid Græcanicæ eruditionis sapiant.

Amuletum valde mysteriosum explicatur.

Amuletum verò signatum litera R, à suprà citato Capitaneo concessum, vti oppidò mysteriosum est, ita nonnullam explicationem seorsim meretur. Est id ex cupro constructum in forma perseæ linguiformis, intra cuius concauum puerulus latet digito labijs impresso silentia suadens, altera manu cornucopiæ tenens; & indicat Harpocratem Sapientiæ Numen inclusum Perseæ fructui; cuius folium vti linguæ, ita fructus cordis figuram exprimit teste Horo; quo indicatur, quod quicunque ad sapientiam aspirat, is quod per sapientis Magistri linguam didicit, id altè cordis penetralibus per frequentem contemplationem committere debet; eratque amuletum, quod Sacerdotes ad sapientiæ spiritum per Harpocratis fauorem acquirendum portare solebant. Verùm de his passim in hoc Opere, & in Obelisco Pamphilio tractatum reperies. Sequuntur alia amuleta literis K, L, S, signata, quorum prius statua est ἱερακόμορφος, id est, Accipitrinâ facie, & Osirin significat; secunda κριόμορφος, id est, Arietinâ facie, & Ammonem notat; & tùm ad Solaris Spiritus, tùm ad Ammoniæ fœcunditatis influxum participandum, gestabantur. Sequitur hæc amuletum F Cerberi tricipitis λυκο-λεοντο-κυνομόρφου, serpentibus inuoluti; quod ad Hecates siue Isidis subterraneæ, fauorem acquirendum ferebant; per Caninum caput diligentem Hecates custodiam, per Leoninum robur

Amuleta alia explicantur.



robur & soliditatem, quam rebus confert, per Lupinum, perfectam rerum in subterraneis locis digestionem denotant, ex quibus deinde vita omnibus communicatur, per serpentes indigitata. Amuletum M ex antica parte Scarabæum portat, ex postica Anubidis figuram geniculatam, cum sacra Tabula hieroglyphicis insignita, cui infraponitur figura Ichneumonis. Per Scarabæum sicuti Sol in Sidereo Mundo, sic in Politico Rex aut Princeps significatur. Per caniformem ingeniculatam figuram, Mercuriale Numen; per Ichneumonem infrà vis eiusdem Typhoniæ virtutis propulsatiua, indicatur; Ichneumon enim animal mirâ industriâ subiens ventrem Crocodili, qui Typhonem notat, eum interficit. Oualis verò figura, in qua Solis figura cum tetrapyrgo, sceptro, & Scarabæo, inserta spectatur, est sacra Tabula amuletoria, cuius dicta symbola indicant, vrbes & dominia mascula Anubidis Typhonis propulsatiuâ vi immunia fore, religiosâ ea portantium obseruantiâ; quæ omnia fusè in Obelisco Rameſſæo seu Lateranensi, vbi hic hierogrammatismus sæpè spectatur, exponentur.

Restat explicanda Manus hieroglyphica signata N & O, cuius anterior facies continet in medio faciem Iouis, è cuius collo sacrum periamma Isiacæ Crucis dependet, eo digitorum situ, quo vides; ad carpum verò intra hemicyclam figuram, Isidis iacentis habitu, & filium suum Horum lactantis figura cum assistente Columba spectatur; quo iuramenta Ioui Ægyptio per sacram Isidis Crucem fieri debere, antequam Isidis rerum mundanarum nutricis inuocatio & adiuratio peragatur, indigitatur. In posteriori verò manus parte, signata O litera, omnis generis reptilia, vti sunt Rana, Serpens, Lacerta, Testudo, Lituus cum Bilance, & vase Nilotico exprimuntur; per Ranam Elementum humidum, per Testudinem terrestre, per Lacertam aëreum, eò quòd aëre sicuti Chamæleon viuere videatur; & per Serpentem ignis Elementum denotatur; quæ omnia vitam & alimentum à magna Deorum matre Iside, per harmonicam Elementorum contemperationem, quam Bilanx & Lituus exprimit, hauriunt. Adiuratio sic instituebatur: Te, O Iuppiter Osiris, per sacram Isidis Crucem, per Ouum archetypum, per cultrum Arueris, per nutrimentum Isidis quod Horo præstat, per Columbam, in quam iram Typhonis fugiens, conuersa fuit, per Bilancem Omphta, per Serpentem Ophionium, per Ranam & Lacertam Momphta, per Vulcani Testudinem, per vasa Nilotica, per manum denique beneficam tuam omnia continentem, te adiuro, vt præstes quæ iubeo. Hanc deinde manum potentissimi amuleti loco gestabant. Sed & hæc alibi fusiùs exponentur. Est & aliud huic simile amuletum in Gazophylacio Cardinalis

Manus hieroglyphica explicatur.

Amuletum Musæi Barberinorum.

Crux ansata amuletum præcipuum.

Barberini, quod vti ijsdem ferè symbolis insignitum est, ita vsum quoque huic præsenti amuleto haud absimilem habebat. Denique inter amuleta omnium maximum frequentissimumque Crux erat ansata, siue character Hermeticus, quem cùm integro tractatu in Obelisco Pamphilio, & fusè etiam in Alchimia Ægyptiorum descripserimus, eò Lectorem remittimus. Atque hæc erant amuleta Ægyptiorum; non quod alia non habuerint; nam vt suprà diximus, quicquid in Obeliscis hieroglyphicorum continebatur, ijs pro amuletis seruiebat; sed nè immensa rerum farragine opus confunderem, vsu frequentiore trita hîc producenda duxi, reliquis in tertium Tomum reseruatis.

CAPVT V.

De horrendis cæremonijs, quibus in adytis Simulachra sua consecrabant Ægyptij.

Adyta Ægyptiorum in pluribus Nomis.

Clemens.

Adyta quomodo adornata, & quid in illis actum.

DE adytis Ægyptiorum, locis obscuris & subterraneis, copiosè egimus in I. Tomo. Syntagm. V, quare hoc loco tantùm, quid in ijs operati sint Magi, & quas cæremonias peregerint, explicandum restat. Erant autem complura in Ægypto huius generis latibula, & vt Clemens ait, pro numero Oraculorum, aut Nomorum, Diabolicarum artium sacraria; in quibus primò in muris depictæ spectabantur hieroglyphicæ doctrinæ documenta, ad spiritus attrahendos aptissima. Primarium Numen cum asseclis Genijs pro loci ratione diuersis, aræ impositum cernebatur, mirâ transformatione deturpatum; erat & vicina piscina sacra, in vsum rituum & expiationum destinata; totus locus obscurus, & non nisi luminibus illustrari poterat; intra hunc Sacerdotes statutis diebus conueniebant, eo vestium & ornamentorum habitu, quo tùm Numen primarium, tùm asseclæ adornati conspiciebantur; in silentio summo tenebras illas supremi atque immensi Numinis, quæ per loci caliginem indicabatur, attestabantur; deinde singularum figurarum mysteria parietibus depicta vim, & efficaciam docebant sacris initiandos, cuiusmodi fragmentum ad me non ita pridem misit eruditissimus Nardius, vt posteà videbitur. Quorum quidem ratio tanti apud Græcorum Philosophos, tametsi non nisi fama tantùm relata, fiebat, vt Clemente teste, Ὁ Πυθαγόρας περιτέμνεται, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν; *Pythagoras circumcisus est, vt in adyta ingressus mysticam ab Ægyptijs disceret philosophiam*; & Iustinus quæst. ad Orthodoxos cap. 25. Τίμια δὲ ἦν ποτὲ παρ' Αἰγυπτίοις μαθήματα τὰ ἱερογλυφικὰ καλούμενα τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις οὐ τοῖς τυχοῦσι· ἀλλὰ τοῖς ἐκκρίτοις παραδιδόμενα, ἀστρονομία δὲ καὶ ἀστρολογία παρ' αὐτοῖς τότε χυδαῖα τε καὶ πεζὰ καὶ ἀγοραῖα μαθήματα λέγονται. *Id temporis hieroglyphicæ disciplinæ in pretio erant apud Ægyptios, quæ in adytis dabantur lectissimis quibusuis, non hominibus de triuio, Astrologia verò abiecta circumforanea & vulgaris apud eos erat.* Quòd si de publico aliquo Regni aut vrbis negotio Numina consulenda forent, aut peculiare quidpiam à dæmonibus petendum foret, aut simulachra in

Clemens.

Iustinus Mar.

Quibus ritibus Sacerdotes petebant. Apuleius.

Ora-

Oraculorum vsum consecranda; tùm dictis præmissis, paulò antè cœremonijs, Sacerdos, qui, teste Apuleio in Apolog. ritè callere cœremoniarum leges, fas sacrorum, ius religionum debebat; & vt Libanius declamatione 43. Ἐπίσταται τοὺς Θεοὺς, καὶ τὰ ἐκείνων ἀπόρρητα, καὶ τίσι χαίρουσι, καὶ τισὶν ἕλκονται, καὶ τί λάβοντες ἀντιδοῖεν ἄν, *Scire Deos, eorumque arcana, & quibus gaudeant, quibus trahantur, & quid capientes reddant*; horrido murmure, imperiosisque verbis, teste Luciano in Necricis, Deos superos manesque torquet, noxiũ ære circumdatur carmen, tùm horrentibus verbis vrna opertanea præcluditur, ter nouies carmen magico demurmurat ore. Verùm & hoc cum magna differentia, neque enim semper minis, aut verborum portentosorum prolatione vtuntur. Cùm enim supremo Numini, choroque supremarum Potentiarum supplicabant, id non nisi hymnis, canticis, sacrificijs, & præuiâ animi corporisque ab omni terrenæ contagionis fœditate solutâ dispositione & expiatione efficiebant; quo quidem nihil aliud nisi θεοληψίαν, id est, in Deum transformationem intendebant, quam vbi adepti fuerant, iam Deorum consortio digni, nullam adeo magnam potentiam esse arbitrabantur, cui non imperare, eamque sui iuris facere possent. Minis tamen vtebantur in genus quoddam Dæmonum inferioris ordinis, quod imperiosis minacibusque verbis ad id, quod volebant, cogebant. ita Iamblichus. Verba eius sunt: *Narrat Porphyrius, Sacerdotes consueuisse violentis quibusdam minis aduersum Superos vti. Minæ hæ ferè erant: Nisi vos ita feceritis, vel contrà, si feceritis aliquid, cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo, aut Cistam barin, id est, nauim quandam apud Ægyptios sacram, aut membra Osiridis Typhoni dispergam, cæteraq; similia.* Quæ omnia Psellus l. de operat. Dæm. c. 21. confirmat, dum ait [Dæmoniorum omnia genera mirè audacia & timida esse. In primis autem, ea quæ ὑλικὰ seu materiæ affecta sunt. Siquidem aërea quibus plurima solertia inest, si quis increpuerit, increpantem discernere non possunt, nec alius ab eorum vexatione liberari potest, præterquàm is, qui sanctitate vitæ Deum colat, tremendumq; Dei verbi nomen diuina potentia fretus accinat. Hæc autem, nimirum materiæ affecta Dæmonia, verita nè in abyssos meatusque subterraneos relegentur, sibique ab Angelis eò relegantibus timentia, cùm quis illuc ea relegatum iri comminatur, Angelorumque nomina exprimit, quibus id prouinciæ demandatum est, dici vix potest, quanto metu, quibus perturbationibus concutiantur: ita enim animo percelluntur, vt nè comminantem quidem, quisnam ille sit, discernere valeant, sed siue anicula quædam, siue vetulus homuncio comminationes huiusmodi expresserit, tunc tantus ea metus inuadit, vt plerumque abscedant, ac si ea qui comminantur, ijdem & internecioni dare possint; vsque adeo timida sunt, nec quenquam discernere nôrunt. Proinde facillimè ab impuro illo Incantatorum genere excrementitijs cicurantur, saliuis inquam, vnguibus, & capillis, cerâ tenuique reuinctâ filo execrandis illis exorcismis & abiurationibus tragicas affectiones & turbas euitant.] Quid autem per huiusmodi

Lucianus.

Θεοληψίαν appetebant Aegyptiorũ Sacerdotes.

Porphyrius.

Sacerdotes Ægyptiorum Dijs minabantur.

Psellus.

Ægyptij putabant, Genios aliquos timere homines θεολήπτους.

di minas indicare voluerint, aut quomodo Dijs imperare potuerint, ex Ægyptiorum mente explicandum duxi.

Sciendum itaque est, in Mundo iuxta hieroglyphicam Sacerdotum doctrinam genus quoddam Potestatum, quod homines θεολήπτους, & per continuum sacrorum exercitium in diuinam quandam essentiam transformatos, reuereatur, timeat, eorumque verbis imperiosis obstupefactum obtemperet; non humanâ quidem virtute, sed diuinâ sacramentorum ineffabilium potestate. Nam vt rectè Iamblichus dicit, cùm Sacerdos huiusmodi in superiorum Deorum ordine constituatur, ideo grandioribus propria natura mandatis vtitur atque minis; neque tamen tanquam facturus, quæ tunc asseuerat, sed declarans quantam nactus fuerit potestatem propter ipsam ad Deos vnionem, ex notitia & ineffabilium symbolorum signaculorumque possessione. Aliam rationem quoque Iamblichus notat, obedientiæ Dæmonum ad minaces Sacerdotum voces: sunt enim nonnulli Dæmones, in prouincias Mundique partes diuisi, singulique ad continuam rerum suæ fidei commissarum custodiam destinati, qui quidem tantam rerum sibi commendatarum curam habent, vt nec verbum quidem illius ordini dispensationique contrarium valeant tolerare; non aliam ob causam, nisi quòd Deorum ordo constanti & inconcussa necessitatis lege omnis mutationis experte in ijs perseueret, quam illi pari Mundanorum perseuerantia obnixè custodiant. Itaque Dæmones huiusmodi circumterranei, vti in fidei suæ commissis rebus viuerent, & ex ijs esse suum traherent, ita eas ipsas res tantopere sibi cognatas & amicas similibus minarum tormentis vt inuadantur, non permittunt, imò nec eas audire possunt, eò quòd ordinem, atque adeo totius Vniuersi dispositionem potissimùm ijs sub mysterijs contineri intelligant, quæ sunt ipsa Numina allegoricè per verba indicata. Quando igitur dicunt, Cœlos confringam, vel occulta Isidis patefaciam, vel arcanum in abysso reconditum diuulgabo, aut Cistam barim, aut Osiridis membra Typhoni dispergam; cùm id ordini totius repugnet, consequenter ordini custodum contrarium, hinc perturbantur, & nè similia ampliùs moueant, voluntati eorum condescendunt; nam non alia de causa Mundi partes in ordine permanent, nisi quia benefica Osiridis potestas sincera & intacta, nullo contrario tumultu & errore misceri, & confundi potest; vita insuper omnium pura semper & incorrupta persistit, eò quòd viuificis harmonicisque rationibus, quæ in Iside reconditæ sunt, totus Mundus sempiternâ lege persistat; quis enim cursum Solis & Lunæ cohibeat? quis abyssos aperiat? quis barin, id est, vehiculum Mundanarum rationum retardet? Nè itaque ordo naturæ immutetur, sortemque contrariam subeat, hinc verbis minacibus ea profanari nolunt, quæ sempiternorum Deorum munere, perpetuæ instabilitatis omnis contrarietatis expertem sortem nacta sunt. Atque hæc ex mente Ægyptiorum dicta sufficiant. Subijciam hoc loco fragmentum à doctissimo Nardio transmissum, cuius suprà fol. 452. mentionem fecimus.

Iamblichus.

Minæ Demonibus intentatur ab Ægyptijs, quid significant.

Ex-

Expositio figurarum.

X Hæ figuræ eædem sunt cum figuris E F G H I K &c. sed

V meliùs expressæ hoc loco ad Lectoris instructionem.

POnebantur hæ figuræ in parietibus adytorum, & excerptæ sunt ex ipsis Obeliscis, vbi frequenter occurrunt, vti suo loco & tempore videbitur. Vnde patet, figuras Obeliscorum veluti prototypas quasdam, non adytorum duntaxat parietibus, sed & ipsis statuis, amuletis, cœterisque monumentis fuisse incisas. Sed explicemus singula. A Accipiter est motus Solaris symbolum, vti in Obelisco Pamphilio iherogrammatismo de Accipitre docuimus. B est Noctua cum flagello, & Dæmonem auerruncum notat, & Osiris Accipitrini ἀντίτεχνον. Figura C Sacerdotem notat vnà cum pyramide; & exprimit cœremonias, quibus ad Typhoniam vim propulsandam, & calori vitali inimicas Potestates dissipandas, vtebantur. D, binas vitreas phialas signat, intra quas aqua Nilotica per occultos Meandros penetrans in fontes exaltabatur, quæ mysticâ suâ significatione minimè carebnat; nam hoc ipso arcanè Momphtæi spiritus diffusam in omnia Mundi membra vbertatem aptè sanè indicabant. Reliqua verò symbola E F G H I K L M &c. cùm imperfectè expressa sint, ea paulò clariùs ponenda duxi, eo modo quo in margine Schematismi, qui

in signatis literis V X. Quorum significatio hæc est: Aqua superna per influxum superni Numinis deuehitur in piscinam sacram, & hinc in Nili humorem, virtute rituum sacrorum impetratum; & hinc demum in totam Ægyptiam telluram, ope Agathodæmonis Nilotici, summo emolumento deriuatur.

Sistri hieroglyphici descriptio.

In adytis itaque pro diuersa Numinum conditione, diuersos ritus & cœremonias obibant; quæ omnia pulchrè exhibentur in Sistro quodam

 mar-

marmoris albi hieroglyphico, quod non ita pridem mihi transmisit interpretandum eruditissimus vir Thomas Henschau Anglus. Lapis albus est, marmore longè mollior, haud dubiè ex subterraneis Ægypti Cryptis, vbi vt plurimùm in huiusmodi lapidibus mollioribus hieroglyphica insculpi solebant, veluti ab omni aëris iniuria ritè munitis. Altitudo lapidis est pedum trium minùs vno pollice; latitudo pedis vnius pollicum $2\frac{1}{4}$. Crassities circa 4 pollicum cum $\frac{1}{4}$. Figuræ superiores altæ sunt ped. 1. pol. 5. Inferiores verò poll. 8. singulæ continentes spacia poll. 2. Spacium quod infrà figuris vacuum est, continet pedem vnum, iuxta mensuras Anglicas. Lapis in vertice curuatus est, & referre videtur cum reliquo continente adytum; in quo globum alatum in vertice vides signatum literâ D, infra quem varij minuti characteres hieroglyphici (qui tamen temporis iniuriâ corrosi, quid referant, cognosci non potest) parietibus insculpti, infra quos figura hominis nudi A, cidari Ægyptia redimiti, sedentis habitu conspicitur, & dextrâ manu flagellum, alterâ baculum continet, à cuius tergo B simulachrum fœmineum, veste lineâ ad talos vsq; inuoluta, cuius è capite velo & tænijs ornato, globus serpentifer emergit, à figura A, aliquid veluti sollicitè quærens; ex altera verò parte figura C spectatur, ex parte superiori ab vmbilico vsque ad verticem nuda, virili habitu, brachijs extensis, eorumque digitis in serpentes veluti degenerantibus; inter figuram A & C ara posita est, vase turbinato, & binis globulis instructa. Quæ quid indicent, expono. Globus alatus supremi Numinis omnia peruadentis prouidentiam signat. Figura A Osirin notat, Numen Solare & ἀποξωπάϊον; quod flagellum, sceptrum, habitus sedentis, & cydaris, quæ sunt dominij & potestatis supremæ symbola, satis ostendunt: nudus fingitur, quia Numen ab omni terrenæ contagionis miscella immune est; cui Isis B coniungitur, indiuidua Osiris comes Luna, vti globus capiti insistens cornuta Lunæ facie adornatus, & velum tæniæque docent: inuoluta est veste linea, ad naturam eius inuestigatu difficilem indicandam: brachio eleuato, mandata Osiridis deposcere videtur, prompta ad exequendum, quod iusserit. Figura C sacrificulum seu Hieromantem notat, qui Osiridem adiurat: nudus est, ad significandum, neminem Deorum consortio aptum esse, qui non animum suum priùs ab omni humanarum rerum contagione abstraxerit; brachia eleuata habet, ad deprecandum composita; digitis in nescio quid serpentibus simile abeuntibus, quo symbolo sanè apposito notant, operationes Sacerdotum vitâ & spiritu plenas esse debere, vt Deorum muneribus participes fiant: caluus est, quia capilli corporearum fœcum excrementa sunt; & latibula animalium, à quibus expurgatus esse debet sacrorum mysta Deorum consors. Mensa vasis instructa indicat, sine ritibus & cœremonijs omnem Deorum attractionem & demulsionem irritam & euanidam esse; hæc enim sunt Deorum irritamenta, quibus præuiâ Vatum dispositione accedente, tandem votorum suorum compotes fiunt. Hieroglyphica verò Schemata infrà triplici ordine distincta significant, eas res, qui- Sistri interpretatio.

bus adhibitis Numina amicâ quâdam cognatione attrahuntur in rerum fidei ſuæ commiſſarum tutelam, cuiuſmodi ſunt vegetabilium conſeruatio, vrbium protectio, contrariarumque poteſtatum ab Ægypto abactio. Huius farinæ quoque eſt ſequens Schema, quod Sacerdotem Momphta refert, ſacra Nilo facientem in adytis. Hic comparebat lineâ veſte indutus, veſtitus pelle Leonis, cuius figura ita adaptabatur corpori, vt figura capitis Leonis cum pedibus, Sacerdotē Momphta exprimeret M Mem, dextrâ

gerebat phialam, superiùs in formâ Tautici characteris effigiatam, sinistrâ canaliculum, cui vas Niloticum impositum erat, tenebat; quo de futura incrementi aut decrementi Nilotici constitutione diuinabatur. Quorum quidem expositionem consultò & iustis de causis hoc loco omittendam existimaui. Quare hæc de operationibus Sacerdotum in adytis indigitasse veriùs, quàm explicasse sufficiat.

CAPVT VI.

De Gnosticorum Magia amuletaria, & literis Ephesijs, quæ sunt primus ramus Magiæ Aegyptiacæ.

Ramus primus Ægyptiacæ Magiæ. Gnosticorum Magia amuletaria.

NOtum est, plerosque Principes illorum Scholæ, qui nomine tenus Christiani, olim in Magistri Diaboli verba iurarunt, Ægyptios Natione fuisse. Atq; hosce imitatos Gnosticæ impietatis sectatores, abominabiles Ægyptiorum antiquorum superstitiones, ritus, cœremonias, ab inferis Diabolo mystagogo reuocasse, testantur abominanda eorum sacrificia, Magicæ artes, aliaque execranda scelera, quæ vide apud Epiphanium, Irenæum, Philastrium, Augustinum, Tertullianum, Theodoretum. Inter Gnosticos verò maximè hisce abominationibus infames memorantur, Marcus ille Ægyptius Magus, Basilides magister luxuriæ, & cœnosi dogmatis assertor Carpocrates, Valentinus quoque & Cherintus, Ægyptiacorum rituum ac superstitionum cultores atque sectatores. Gnostici verò ob excellentiã scientiæ quam iactabant, se appellari volebant; βορβοριταί quoq; dicebantur quasi cœnosi, ob nimiam vtiq; illam, quam suis in Sacris dicebantur exercere, fœditatem atque turpitudinem horrendam, & abominandam; quos ritus ad viuum Epiphanius l. 1. Tom. 2. describit, quem consule. Nicephorus quoque l. 4. c. 2. Ecclesiast. histor. in hæc verba de ijs scribit. *Atque equidem de Basilide Irenæus itidem agens, pudendum errorem eius in apertum deducit; æqualem eius idem fuisse refert Carpocratem, eorum, qui Gnostici vocantur, authorem & ducem; quem non puduit propalam vitam magicam exercere, quam pater eius Simon clam & subdolè professus erat; gloriam is aucupabatur, & sese efferebat artibus curiosis per eos, quos ipse conficiebat amores, per somniorum visiones, & per assessores Dæmones.* Hi itaque Ægyptiacas superstitiones, quarum se hæredes iactabant, ab inferis suscitantes, totum ijs Orientem infecerunt. Erroneis enim eorum dogmatis insistentes, nouam characteristicam artem condiderunt, quâ varia confecerũt amuleta, quæ in varijs lapidibus pro ratione & proprietate Numinis, quod per ea inuocabant, exsculpta, characteribus Ægyptiacis antiquis circumscripta, & nominibus potentium Angelorum insignita, iuxta legum hieroglyphicarum præscripta, ponebant; quibus mira se præstare posse gloriabantur. Ex horum numero inter innumera pauca sunt, quæ sequuntur, in quibus passim Harpocratem Loto insidentem, Isidem, Serapidem, Hecaten, aliaque Ægyptiorum Numina, veriùs monstra, deprehendes.

Gnosticorum Magistri Aegyptiacarũ impietatum sectatores.

Gnostici cur ita appellati.

Epiphanius. Nicephorus.

Amuleta Gnosticorum

In primo Amuleto, quod alibi damus, videbis hominem Sole redimitum, cœtera armatum, ſcuticâ vnâ manu, alterâ Idolo, ni fallor, inſtructũ; quêis celebrem illum Ægyptiorum ſeu Perſarum Mithram indicant; quem Solem eſſe Herodotus, Lucianus, Marcianus Capella teſtantur. Imò idipſum quoq; monſtrat nomen illud portentoſum ΑΒΡΑΞΑΣ, quod dorſo lapidis inſculptum eſt; eſt enim Abraxas per reſolutionem Arithmeticam κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν factam idem quod Mithras, quem Animam Solarem dicebant, virtute ſuâ totius anni decurſum moderantem; quod & numerus, qui ex vtroque nomine & Ἀβράξας & Μειθρὰς in numeros reſoluto, vti hîc à latere patet, ſat ſuperque conſtat. Vtriuſque enim numeri in vnam ſummam conflati efficiunt 365. tot nimirum, quot dies in anno ſunt. Quæ omnia S. Hieronymus in c. 3. Amos comprobat his verbis: *Baſilides, inquit, omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Ἀβράξας, & eundem ſecundum Græcas literas, & annui curſus numerum, dicit in Solis circulo contineri; quem Ethnici ſub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram.* Hæc Hieronymus. Ἀβράξας igitur nihil aliud eſt, quàm Genius Solis auerruncatiuus, quod radij capitis, & ſcutica ſatis oſtendunt in dicta ſculptura, quam lapidibus diuerſis incidebant, adiuncto eius nomine, eamque collo ſuſpenſam contra varios malorum euentus portabant. In Rubino enim hoc nomen inſcriptum cum figura Magica conueniente, contra omnes igneos morbos portabatur; in Criſtallo contra aqueos &c. in alijs contra alios morbos. hiſce quoque omnem ſibi fortunam & felicitatem ſpondebant. Certè vix dubito, quin Amuletum hoc ad hemitritæum ſanandum; in quo conſcribi debet ad Magorum præcepta Abracadabra, ab Abraxa primùm fluxerit; nominis enim veſtigia id luculenter oſtendunt: & hoc me pluſquam ſuadent tot ἀφιδρύματα, & gemmæ Elementis eiuſdem nonnunquam repetitis inſcripta, quorum copiam habes in Gallicis Scaligeri Epiſtolis ad Vazetum. Nec nuperum eſt inter Magos remedium, memorat enim Q. Serenus Sammonicus hoc carmine:

Herodotus. Lucianus. Marcianus Capella.

Ἀβράξας quid ſignificet.

Α	1	Μ	40
Β	2	Ε	5
Ρ	100	Ι	10
Α	1	Θ	9
Ξ	60	Ρ	100
Α	1	Α	1
Σ	200	Σ	200
	365		365

S. Hieronymus.

Abraxas Genius Solaris Auerruncus.

Abracadabra nomen.

Scaliger.

ABRACADABRA
ABRACADABR
ABRACADAB
ABRACADA
ABRACAD
ABRACA
ABRAC
ABRA
ABR
AB
A

Inſcribes chartæ, quod dicitur Abracadabra,
Sæpius & ſubter repetes, ſed detrahe ſummæ,
Vt magis atque magis deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cætera figes,
Donec in anguſtum redigatur littera conum,
His lino nexis collum redimire memento.

De hoc nomine multas nugas reperies apud Serenum Sammonicum, multos quoque hæc verba in formam triangularem, nè quicquam ſuperſtitioni deſit, adaptaſſe reperio; vt adeo certum ſit, aſtutos illos præſtigiatores iſthæc Magica & barbara, potiùs portenta, quàm nomina finxiſſe, & magno ſupercilio inculcaſſe, ad concitandos ſimplicium animos, vt cùm magno ſtupore auguſtio-

gustiora putarent, quæ non intelligerent, Dæmonesque istis pactis adsistentes, quæ postulabant Magi, præstarent, vt de præstigijs Marci refert Irenæus. *Irenæus.*

Alterum Amuletum seu Sigillum continet quatuor imagines Magicas Deorum; Isidis, quam Vrnâ seu Situlâ, Sistrum, spicatum caput; Serapidis, quem Serpens, & modius in capite; Martis, & Veneris, quos signa ijs apposita indicant. Amuletumque est contra venena & philtra, & fascinationes, vti ostendit Leonardus Pisaurus lib. de sculpturis lapidum, estque non secus ac alterum è Gnosticorum Schola profectum. Hunc Abraxan non tantùm Mithram, sed & nunc ΙΑω, nunc CEBAω, nunc alijs nominibus, vti in dictis Amuletis videre est, appellabant. Quæ quidem nomina quid significent, indicandum duxi. Gnostici natione Ægyptij, religione primùm Hebræi, dum virtutem Nominis Dei tetragrammati ex Veterum relatione cognoscerent, ad impietatis suæ complementum superstitiosa sua nomina passim nomine ΙΑω & CEBAω, quod idem est ac יהוה Iehoua & צבאות Sabaoth, summa tamen nominum corruptela indigitarunt. Quæ omnia confirmant sequentia Amuleta, in quorum primi 5 nu-

Amuletum aliud Gnosticorum.

Leonardus Pisaurus.

Ιάω Σεβάω quid.

Amuleta diuersa Gnosticorum explicata.

5



3



mero signati primâ facie homo spectatur Galli cristati facie, scuto & scuticâ probè instructus, qui tandem in pedes serpentinos abit, capite verò Martis statuam gestat; sub pedibus verò hoc nomen ΙΑω ponitur, quod tamen in plerisque huiusmodi Amuletis vitio sculptoris inuersum spectatur, vel quia Sigillum erat, cuius literæ necessariò inuersæ sunt; vt impressæ rectæ spectentur. Quo quidem potentiam per Iehoua, per Galli faciem cristamque Solaris Numinis potestatem, per scutum & scuticam omnium contrariorum abactionem, per statuam Martis operum Martiorum effectum denotabant. In posteriori facie habentur hæc nomina insculpta, ΙΑω ΑΒΡΑΞΑΣ, id est, Deus Abraxas. In figura verò numero 3 signata iterum occurrit in prima facie eadem Abraxis figura; in posteriori verò facie nomina potentium Angelorum, Michaël, Gabriël, Vriel, Raphaël, Ananaël, Proforæël, Chabsaël continentur, ad superstitiosos vsus

4



6

traducta. In quarto verò, eadem figura cum scuto cui nomen ΙΑω inuer-

sum

ſum inſcriptum eſt; in poſteriori verò parte hæc verba habentur Ægy-ptiaca, ΤΑΛΑ ΑΡΑΙω ωΑΡΛΟΡΟΝΤΟΚΟΝΒΑΙ, id eſt, *ſummo Marti omnia vincenti*. In ſexto, eadem figura cum inſcriptione partis poſterioris ΓΙΓΑΝΤΟΡΙΚΤΑ, id eſt, *fortitudinis Martiæ & Giganteæ*. In ſeptimo, eadem figu-

ra habetur, cum hac inſcriptione: ΙΟΥΙΟΥ ωΙΟΥΝΥ ΥΟΟΝω ωΝΙΟΥ, id eſt, *Domini fortitudo æterna*; & ſub pedibus nomen Angeli ΙΑωΛΗΛ Iaoliel, id eſt, *Angelus Domini*. In poſteriori facie Ibis pingitur habitu volantis ſerpente diuaricatis pedibus implicata, cui aſtat Anubis cum ſiſtro; quæ nihil aliud denotant, niſi vim Mercurialem nociuorum omnium abactiuam. Verùm hoc ſymbolum alibi expoſitum conſule. In figura 2, eadem figura quæ ſuprà expreſſa videtur, ſub cuius pedibus nomen ΙΑω, manum imponens ſtatuæ geniculatæ, quo influxus Martialis Numinis in geſtantem hoc Amuletum denotatur, religioſè portatum; in poſteriori verò parte Leo ſeptem ſtellis circumdatus, vnà cum figura Lunæ ſextilis conſpicitur, quo Sole in Leone exiſtente, vt effectum, ſeptem in vnum conſpirantibus Planetis, ſortiatur amuletum, confici debere indicatur. In decimo quarto ſchemate, eadem figura occurrit, cum hac inſcriptione, ωΦΕωΝ; quo Abraxam hunc vnum ex Ophioneis Numinibus, de quibus in Obeliſco Pamphilio ex Euſebio amplè tractauimus, eſſe deſignant. Sed de Abraxis ſeu Mythræ amuletis iam hæc dicta ſufficiant.

Nota literas inuerſas eſſe in ωΦΕωΝ.

Amuleta Harpocratica



Procedamus ad Harpocratica amuleta, quorum non minor varietas occurrit. Et primò quidem paſſim inuenitur loto inſidens, digito ſilentia ſuadens, alterâ manu flagello inſtructus, cum nominibus ΣΑΒΑω, id eſt, Sabaoth, vt in figura numero 10 ſignata patet, in cuius poſtica facie nomen ΙΑω inſcriptum videtur; quæ omnia Solare Numen ἀποτροπαῖον, & magnæ efficaciæ deſignant. Figura verò numero 11 ſignata in antica facie eundem nobis Harpocratem demonſtrat, ſymbolis priori ſimillimum; in poſtica verò parte ſtatua τρικέφαλος καὶ ἑξαβραχίων conſpicitur, binis gladijs, flagellis, facibuſque inſtructa, quam nos Hecatem, ſiue Dianam, aut Iſin tergeminam interpretamur.

Iſis tergemina, eadem quæ Hecate, vel Diana.

Tricipitem autem fuiſſe, Virgil. 4. Georg. docet: Figura ſequitur.

11

.. .. *Sacerdos* Virgilius.
Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Et Ouid. l. 7. Metamorph. Ouidius.
Ora vides Hecates in tres vergentia formas,
Seruet vt in ternas compita facta vias.

Orpheus eam vocat ἐνοδίαν, τριοδῖτιν, οὐρανίαν, χθονίαν τε, καὶ εἰναλίαν, τυμβιδίαν, vialem, triuiam, cœlestem, terrestrem, æquoream, sepulchralem, bacchantem cum manibus; eique tria capita attribuit, dextrum Equi, sinistrum Canis, medium Apri; Eusebius l. 3. præparat. c. 3. Hecate Luna est, propter varias corporis eius formas, & formarum virtutes; ideò virtus eius est triformis, Nouilunia ferens, albam vestem auro distinctam, & & lampades ardentes; calathum autem supernè fert, quia cùm est diuidua crescente lumine, fruges maturat; plenilunij signum est ferrugineum sandalium.

Orpheus. Hecatis nomina varia. Eusebius.

Sequitur Amuletum numero 12 signatum, in cuius prima facie Harpocrates Loto insidens flagellum sinistrâ tenet, dextrâ silentium indicit, ad radicem Loti Leo conspicitur currens cum hac inscriptione: ΑΒΡΑΞΑΣ



12



13

CICIPIM, id est, *Abraxas omnia ciens*. Per Leonem Momphta Nilotici incrementi Præsidem intelligunt, quod aptè per stellam Siothis seu caniculæ capiti Leonis impositam notant; ad ortum enim caniculæ Sole in Leonem intrante fit inundatio Nili, Solari Numine Harpocratico flagello omnem Beboniam vim adustiuam repellente. Nota hic CICIRIM retrogrado ordine lectum MIRICIC, idem esse ac Matrem Isidem siue Lunam, quæ in hoc Amuleto tacitè indigitatur, & Genius Nili, & cooperatrix Harpocratis Solaris Numinis. In postica verò parte Amuletum hæc nomina inscripta tenet: ΑΡΧΕΟΙΑω ΜΕRΜΕΝΝΗ, *principium* ΙΑω *omnis fæcunditatis*. Porrò in Amuleto numero 13 signato, alia est figura Harpocratis sine vllis literis; in postica tamen parte habetur hæc inscriptio Ægyptiaca, vbi inuersa hæc verba: ϯϩⲱⲩ ιαω quod idem est, ac *magnus* ιαω. Talia sunt quæ sequuntur ex culina Diaboli prolata Phylacteria signata numeris 1. 8. 9. 15. 16. Q & P. Figura 1 duas facies continet, in prima facie videtur figura nuda alata, modio in capite conspicua, quatuor baculis fulcita cum infrascripto nomine ΙΑω è literis inuersis ΜΝΗCΤΗΑ, quod

Gnostici ab Ægyptijs hauserunt sua deliramenta.

idem ac recordare ſignificat,vt figura IAω notat: nuda eſt,ad ſimplicitatem eius; alas habet, ad velocitatem; modium in capite gerit, ad abundan-

I.

8.

Ἱερακομόρφος,
Ἀγαθοδαίμων,
Ὀφιόνιος.

tiam, quam confert, indicandam. Quatuor baculis fulcitur, ad dominium in quatuor Mundi Elementa innuendum. Hoc igitur Numen memor eſſe poſtulant eorum, qui id inuocauerint. Altera facies continet figuram humanam duobus capitibus caninis, palmam in manu dextra tenentem, ſtellis circundatam, infra quam veluti homo è tumulo ſurgens, conſpicitur; quo quidem nihil aliud indigitatur, niſi Anubis ſeu Mercurius; teſte Plutarcho, vtriuſque Horizontis inferi & ſuperi cuſtos, ac proinde duobus capitibus caninis pingitur; hic idem animarum ex inferis reductor, à Diodoro deſcribitur, vti alibi expoſuimus; hinc palmam, victoriæ ſymbolum geſtat, & flammam, quâ indicatur, animas à pœnis perſolutis apud inferos, ſingulas ſphœris & ſtellis mox inuehendas. Figura 8 numero ſignata, Serpens ſeu Aſpis eſt κυνόμορφος, cuius caput radioſo nimbo circundatum, monſtrat Numen Mercuriale, vti ex inuerſis literis apparet, vbi legitur; ANOYBEI Anubis. XNOYMICPI verò nomen eſt, quod κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν reſolutum in numeros facit 1480, & totidem nomen Χριστὸς facit. Vides igitur quàm peruerſè, quàm impiè barbaris huiuſmodi nominibus diuinum Chriſti nomen Hæretico-magi profanent.

X	600	X	600
P	100	N	50
I	10	O	70
Σ	200	Y	400
T	300	M	40
O	70	I	10
Σ	200	Σ	200
		P	100
		I	10
	1480		1480

Innumera ſuperſunt huius farinæ myſteria exponenda quæ tamen ſingula adducere, nihil aliud foret, quàm librum hunc impijs nugamentis refarcire. 9 Amuletum

9

15

16



eſt ſimile numero 1 ſignato: in hoc Mercurius κυνόμορφος, biceps cum duobus Genijs ſupra canales binos vaſis Nilotici ſtantibus; cuius hiſtoriam vide in III. Tomo, Syntagm. de Canopis. 15 Amuletum eſt, in quo Accipiter ſupra florem Loti ſedet, binis cornibus copiæ ſtipatus, & beneficium fertilitatis & abundantiæ, quæ à Sole promanat, indicat. 16 Mars ſupra florem ſtans haſtâ ſcutoque munitus, flore radices ſuas in cymbæ medio firmante; quo indicatur igneam vim miſtam humido, omnium generationē promouere. In prima facie figuræ Q eſt Harpocrates Martio

habi-

habitu indutus ſupra Lotum ſedet, ad inſtar cymbæ efformatum, flagel-

Q

P

lo & Cruce Tautica caſſideque formidabilis. In ſecunda facie παντόμορφος Dæmon, quaternis alis inſtructus, in cuius vtraque manu baculus, ſub pedibus Canem habet poſitum, ad cuius caudam ſtella, & indicat Mercuriale Numen quod Ægyptij Σιώθ appellant. Figura P alibi exponetur.

17

18

19



20

S



21

22



7

Figura numero 17 signata est Aspis ἱερακόμορφος, qualis in Tabula Bembina sæpe occurrit, estque figmentum Romanum ad similitudinem Ægyptiorum efformatum, vt literæ Latinæ L I, S docent, & idem significant ac *Libertatem saluam*, vel *Liberorum salutem*. 18 Est Osiris ἱερακόμορφος, calathum in capite portans, manu dextrâ baculum Cucucomorphū cum lituo & gnomone, sinistrâ Crucem ansatam in formam bifurcatam gestans; & notat Solare Numen, per Accipitrinum caput significatum, vt iam sæpiùs ex Eusebio docuimus; calathum in capite portat, abundantiæ quam confert, symbolum; sceptrum Cucuphæ capite insignitum notat varietatem, quam producit, rerum; Lituus harmoniam; gnomon symmetriam, quam in Mundo conficit, rerum; Crux ansata, quam sinistrâ gerit, spiritus Solaris per omnia diffusionem. 19 Serpens contortus, duobus cornibus insignis, idem quod 17 notat. 20 & 5 Amuleta sunt Osiridis ἱερακομόρφου; quibus intermediat Numus Leone insignitus ab vna parte, ab altera abaco numerico; monstratque cusum esse Sole in Leonem intrante, ad Solare Numen HELOY attrahendum, vt ipse Solis Leonisque character docet. Numericus abacus Soli dedicatus est, cuius Intelligentiam Raphaëlem dicunt, & nihil aliud est, quàm quadratum Senarij numeri, ita artificiosè dispositi, vt singulæ numerorum series perpendiculares, transuersæ, diagonales simul iunctæ eundem producant numerum. Verùm cùm hæc figura amplissimè exposita sit in Arithmetica nostra hieroglyphica, eò Lectorem remittimus. ΥΩσ notat trigonum igneum. Nota Lector, hunc Numum non esse antiquum, sed à posterioribus Astrologis confictum. Sequitur alius Numus synchronus, in cuius priori facie Iuppiter sedens fulmine formidabilis, prope quem Aquila Iouialis, & character eius ♃, cuius nomen in Cabala est Zadkiel צדקיאל, Hebræi enim Iouem vocant צדק, id est, *iustitiæ arbitrum*; hic pro Zadkiel corruptè ponitur Satquiel. Supra Iouem figura Sagittarij ponitur, quod indicat hunc Iouis fulminantis Numum Sole in Sagittario constituto, cusum esse; posterior pars Abacum ponit ex literis Hebraicis constitutum, & nihil aliud indicat, nisi 16 quadratum quaternarij eo artificio dispositum, vt singuli numeri, quos literæ indicant, qualibet serie iuncti simul, idem producant; quadratum autem quaternarij sacrum fuisse Ioui, in Arithmetica docuimus, vbi fusè omnia exposita reperies. Literæ Hebraicæ hos numeros exprimunt, vt è latere apparet.

4	14	15	1
9	7	6	12
5	11	10	8
16	2	3	13

Idem prorsùs est quod sequitur; cuius prima facies septem Planetarum figuras continet, & piscium figuras in medio; quod ostendit Numen cusum esse in magna coniunctione Planetarum in Piscibus, & Ioui consecratum, Ioue & Luna constitutis, in Leone, quod quaternarij quadratum luculenter docet. 21 & 22 Amuleta Ægyptiaca sunt Harpocratis & Arueris, quorum cùm alibi expositio data sit, hîc ijs non immorabimur. 7 notant tres gratias, quæ ante portam Templi Ephesini positæ feruntur.

Alia nonnulla Amuletorum Schemata, ex varijs Musæis collecta, & hoc loco exposita.

23 Numero signata Isis est cum Aspide ἱερακομόρφῳ, Lituo & Baculo; quæ omnia alibi fusè exposita sunt. 24 Numen ἀντίτεχνον Typhonis exhibet, hinc Crocodilo insistit, & Piscem in capite portat; quorum vtrumque Typhonias indicat operationes. 25 Isis turrita, seu Cybeles

Ægyptia, duobus stipata Accipitribus, Solarium Numinum symbolis, & ad pedes Seriphio, id est, planta Absynthij marini, quam Isi sacram fuisse Plato docet, brachijs in decussim compositis, quo indicatur, nihil in natura rerum reconditum esse, quod ipsa non complectatur. 26 Numus tres figuras continet: prima est Isis cum situla in manu dextra, & sistro in manu sinistra, & modio in capite; quæ omnia fusè exposita sunt in primo Tomo

mo Syntagm. III. Cap. de Iside: altera est Numen Niloticum siue Serapis, cum modio in capite, & radio mensorio in sinistra, altera imperioso gestu, nescio quid imperans. In medio puer alatus conspicitur, & notat, vtrumque & Isin & Nilum Genios totius Ægypti esse. 27 Numus continet figuram sedentis Anubidis, cum figura fulminis tricuspidis, & hominem nudum ante eum prostratum, cum Cancro; & est Talisma Astrologicum Sole in Cancro constituto incisum, hora Iouis; quo subtilitatem intellectus & honores, gestantes illud se impetrare à Mercurio & Ioue putabant. 28 Talisma seu Camæa est Anubidis, dextrâ baculum κειόμη-φον, sinistrâ ensem portans, & Mercurio dedicatum est; quo & fœcunditatem, & malorum profligationem sibi spondebant. 29 Camæa siue Talisma Canopicum est, tutulo insigne, de quo vide copiosè tractatum Tom. I. Syntagm. III. Cap. de Canopis. 30 Isin Memphiticam continet, & quæ litera H signatur sequens, Isidem bari vectam; de qua vide quæ in Mystagogia Ægyptia ex Plutarcho variè adduximus, quæ hanc eruditionem concernunt. 31 Amuletum Ibidis est contra morbos capitis institutum. Media figura nuda, inferiùs trunca, brachijs decussatis, & velo spectabilis, in cuius pectore volucris virgineâ facie, & loco alarum ramos vtrinque distendens, manu dextrâ A tenens; eandem prorsùs refert, quam Zoroastræi Iyngem vocant, Agathodæmonem superioris ordinis. Nuda est, quia solâ mente comprehensibilis est, vti Zoroaster docet; vnde & ob eandem causam inferiùs truncata spectatur, quia nulla eius sensibilia in inferiori Mundo vestigia sunt; velo variegato gaudet, quia varietas eius in superiori Mundo solùm elucescit; brachia decussata habet, quia decussim totius naturæ, cui præest, designat; A vnâ manu gerit, quod eam Agathodæmonem esse notat: pectori apponitur volucris humanæ faciei, & ramosas alas hinc inde extendens, indicatq; supremam Intelligentiam idæis fœtam, quam inferioribus Mundis communicat. Quæ omnia fusè allegata vide in Sphynge Mystagoga.

Ex quibus iam dictis apertè elucescit, Gnosticos omnia hæc fanatica deliramenta ab Ægyptijs didicisse, si Lector ea cum paulò antè positis Ægyptiorum Amuletis rectè contulerit; sed & nomina ex Ægyptiaca & Hebræa lingua confusa & corrupta id sat manifestant: cùm proprium huiusmodi nebulonum sit, ad aures suis adsistentium sacris nefandis obtundendas isthæc barbara, quæ stridorem fremitumque resonant, nomina ad horrorem simul & authoritatem sacris conciliandum, vsurpare, vti pulchrè docet Irenæus l. 1. de erroribus Gnosticorum; & Nicetus ex Irenæo fusè deducit. *Quò maiorem*, inquit Nicetus ex Irenæo, *ei qui baptizatur, stuporem inyciant, hæc Hebraica nomina superaddunt, [Besama, camosi, bne, anoora, mystadia, rhuda, custaba, phogor, calathi,] quorum interpretatio hæc est, O qui es supra omnem virtutem patris, te inuocamus, qui lumen & spiritus bonus, & vita nominaris, quoniam in corpore regnasti.* Hæc Nicetus. Difficillimum est, vt quod res est, fatear, verborum istorum fontes indicare; neque enim vllum sub ijs, nisi admodum corrupti, vt in *besama* בשמא, *camosi* במוסי, *phogor* פגור, vestigium Hebræi sermonis patefit, neque Chal-

Irenæus; Nicetus, Verba Hebraica à Gnosticis corrupta, eorumque interpretatio.

dai-

daica, multò minùs Arabica esse comperio. Existimo igitur ex pacto Dæmonis ad stuporem audientibus incutiendum conficta esse. Magos enim monstrosa, ipsoque stridore pronunciationis etiam horrenda vocabula & carmina ope Cacodæmonum inuenisse & susurrasse, quibus ad præstigias suas mirabilem energiam inesse asserebant, ex sacris profanisque Scriptoribus cunctis est in confesso. Huius farinæ fuit quoque quæ l. 2. c. 13. Irenæus de Gnosticorum impietatibus refert, vbi nomen abscondi- tum Redemptoris sic profantur. *Messianfromagno in scenchaldin mosomeda ecachasaronepseba Iesu Nazarene*; quorum interpretationem hanc esse dicunt: *Christi non diuido spiritum, cor & supracœlestem virtutem misericordem fruar nomine tuo Saluator veritatis*: confirmatus autem & redemptus respondet: *Ego redimo animam meam ab hoc æone, & omnium quæ ab eo sunt, in nomine IAO, qui redemit animam meam*: quæ tametsi nescio quid Hebraicum oleant, ita tamen corrupta sunt, vt pro barbaris & portentosis nominibus nihil significantibus, & ad circumstantes decipiendos confictis, vsos esse certissimum sit. Huius quoque impietatis censenda sunt pleraque lapidibus, gemmis, laminisque metallicis insculpta sinenumero nomina: ex quibus numerum eliciebant, alicui ex Æonibus, aut Priapis, aut Pompis, aut Paredris correspondentem; omnia enim numeris attribuebant Gnostici, & omnia fidei mysteria solâ numerorum analogiâ se demonstrare posse superstitiosiùs credebant. Vnde Monadis illius & dyadis, triadis & tetradis, pentadis & octoadis prodigiosa & fanatica in Deastris fingendis, fœtura; quæ omnia amplissimè deducta videas apud Irenæum citato loco; quæ quidem congrua sunt ijs, quæ de Ephesijs literis narrantur ab Authoribus.

Irenæus. Verba aliàs Hebraica corrupta à Gnosticis.

Gnostici omnia attribuunt numeris.

Ephesiæ Literæ.

ERant autem Ephesiæ literæ μαγανεύματα seu incantamenta, quibus nonnullis prolatis barbaris & portentosis nominibus vel expiabant loca infesta, vel morbos abigebant, vel Dæmones adiurabant. Dicunturque Ephesiæ, eò quòd Ephesi primùm ab Ideis dactylis sint inuentæ, & Dianæ Ephesiæ simulachro insculptæ. ita Clemens lib. 1. Strom. & Plutarchus in Sympos: earum his verbis meminit: τοὺς δαιμονιζομένους μάγοι κελεύουσι τὰ Ἐφέσια γράμματα πρὸς αὑτοὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν. *Super obsessos à Dæmonibus Magi Ephesia grammata recitare & nominare iubebant.* Etymon verò eorum assignat Eustathius his verbis: Ἐφέσια γράμματα ἐπῳδαί, δι' ὧν τινες ἐκ μεγάλων κινδύνων ἐσώθησαν, καὶ ἀγῶνας ἐνίκησαν· φωναὶ τινες ἦσαν ἐπὶ τῆς στεφάνης, καὶ ζώνης, καὶ τῶν ποδῶν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος αἰνιγματωδῶς γεγραμμέναι, ὅθεν τὰς ἀσαφῶς λαλουμένας λέγεται, Ἐφέσια γράμματα. *Ephesiæ literæ incantationes sunt, per quas aliqui ex magnis periculis seruati sunt, & victorias reportarunt. Erant autem quædam voces in corona, zona, & pedibus Deæ Ephesiæ Dianæ ænigmaticæ, vnde & ijs, qui parum disertè loquuntur, dicuntur Ephesiæ literæ.* Suidas ait, Ephesias literas incantationes quasdam esse difficiles, quas Cræsum in pyra dixisse ferunt: & ludis Olympicis cùm Ephesius & Milesius luctarentur, & Milesius luctari

Ephesiæ literæ quæ, & quales.

Clemens. *Plutarchus.*

Eustathius.

Suidas.

non posset, eò quòd Ephesius literas Ephesias talo alligatas haberet, cùm res innotuisset, victorem à quo triginta victi fuerant, detractis literis succubuisse. Cui astipulatur Diogenianus: Ἐφέσια γράμματα, inquit, ἐπῳδαί τινες ἦσαν, ἅσπερ οἱ φωνοῦντες ἐνίκων ἐν παντί. *Ephesiæ literæ sunt incantationes quædam, quas recitantes victores in omnibus erant.* Qualia autem nomina ex Ephesijs literis composita fuerint, Hesychius quidem tradit fuisse sequentia: Ἄσκι, κατάσκι. αἴξ, τέτραξ, δαμναμενεὺς αἴσιον. δηλοῖ δὲ τὸ μὲν ἄσκι σκότος, καὶ τὸ κατάσκι φῶς, τό τε αἴξ αὐτός, δαμναμενεὺς δὲ ἥλιος, αἴσιον δὲ ἀληθές. *Aski Cataski hex, tetrax damnameneus, æsion. & Aski quidem significat idem quod tenebras, Cataski idem quod lucem, hex idem quod ipsum, damnameneus quod Sol, æsion quod verum.* Hisce, vt refert Zonaras in Constantino Magno, Zambres Hebræus in aurem tauri insusurratis, statim reddidit mortuum; quem deinde Syluester Papa in nomine Christi resuscitauit. Clemens Alexandrinus prædicta verba paulò aliter refert; sic enim l. 5. Strom: loquitur: *Androcides certè Pythagoricus literas quæ vocantur Ephesiæ, locum dicit tenere symbolorum; significare autem* ἄσκιον *quidem tenebras, eò quòd non habeant vmbram;* κατάσκιον *autem lucem, quoniam illustrat vmbram;* λίξ *autem priscâ appellatione est terra; &* τετράς, *id est, quaternio, annus, propter horas;* δαμναμενεὺς *autem est Sol, quia omnia domat; &* αἴσια *vox vera. Significat autem symbolum, rerum diuinarum eum esse ornatum, qui est tenebrarum si conferatur cum luce, & Sol cum anno, & terra cum omnis generis naturæ generatione.* Ex hoc quoque penu processerunt nomina barbara, quibus Branchus Vates Milesios à fame expiasse dicitur; ille enim multitudinem ramis lauri aspergens hymnum dicendo præiuit hoc modo.

Hesychius.

Zonaras.

Clemens.

Verba barbara quibus Branchus vates Milesios expiauit.

Cantetis pueri hens, hecaergon, atque hecaergam.

Ita autem exclamauit populus, *Bedy, Zaps, Chton, Plectrum, Sphynx, Cnachzbi, Chrypotes, Phlegmo, Drops. Et Bedy quidem*, teste Clemente, *aquam, Zaps mare, Chton terram, Plectrum Solem, Sphynx ætherem Mundi compagem, Cnachzbi lacteum nutrimentum, Drops denique verbum efficax significat.* Ad Ephesias literas omnia illa portentosa nomina à Magis prolata reuocari possunt; quæ vti in tenebris nata, & in tenebris à tenebrionibus prolata sunt, ita tanquam luce indigna in tenebris æternùm sepulta relinquimus.

CAPVT VII.

II. Ramus Magiæ Aegyptiacæ.

Ramus secundus Ægyptiacæ Magiæ.

§. I.

De Magia Hebræorum, Arabum, aliorumque populorum, & continet varias diuinandi species, Geomantiam, Alectryomantiam, & Arithmomantiam, Cabalam Pythagoricam, in quibus summi Sathanæ in intricandis mortalium animis astus & doli aperiuntur.

CVm Hebræis vi legis minimè licitum esset à sculptilibus Oraculis responsa petere, id alio modo summo studio procurare contenderunt; mutatis videlicet simulachris sensibilibus in Elementa literarum, & nè fraus detegeretur, vt plurimùm ex Sacris libris descripta; quibus quidem incredibile est, quot animas sub prætextu religionis perdiderint. Hinc enim meritò tota Magia characteristica, Grammatomantia, vti & Cabala Pythagorica originem inuenerunt, vti postea dicetur. Et vti Diabolus in omnibus Dei Simiam agit, ita vel ex ipsa sacra Scriptura argumentum sumpsit peruertendarum per nouas superstitiones animarum. Nam vti in Cabala Hebræorum exposuimus, ex Sacris literis Angelorum peregrinorum nomina, virtutes, & effectus scrutabantur, quos Dei nomine insignitos, magnas vires ad homines à quibuscunque malis eruendos, possidere existimabant. Verùm de hisce vide citatam Cabalæ Classem. Porrò cùm literis Hebraicis ita comparatum viderent, vt quomodocunque coniunctæ, aut quâcunque combinatione transpositæ fuerint, semper nonnullum sensum exhiberent; hinc rotam diuinatoriam ordinabant, cuius circumuolutione innumeras superstitiones exercent. Hoc autem pacto, teste Pardes, perficiebatur. Quatuor ex pergameno mundissimo orbes exscindebant diuersæ magnitudinis, omnes in centro supra axis polum facili negotio versatiles; horum singuli in viginti duas partes diuidebantur, atque ex centro ad circumferentiam ductis lineis, in singulis spacijs quatuor circumferentiarum, totidem in limbo eorum Alphabeta describebantur Hebraica. Erat autem in extremo limbo immobili manus extensa, in cuius digito indice nomen Dei tetragrammaton inscriptum videbatur; atque adeo instrumentum paratum habebatur. De dubijs itaque consulturi primò præuijs actionibus, quas hîc consultò omitto, Intelligentiam ibidem absconditam, ad operi diuinatorio impensiùs fauendum, deprecari videbantur. Quibus peractis, omnes circulum per manubria vtraque manu apprehensum, oculis in cœlum sublatis, quò data sors tulisset, circumagebant; finitoque motu, literas quaternas, quas in spacio à centro ad circumferentiam vltimam ducto, manus ostendebant, obseruabant; hæ enim quatuor literæ combinatæ inter se, respon-

Magiæ characteristicæ origo.

Rota diuinatoria Hebræorum ex literis Hebraicis.

Pardes.

ſum de re quæſita, ex virtute diuina, & Intelligentia directrice, dare cre- debantur. Quod fanaticum inſtrumentum ita multorum animos dementauit, vt huius ſortilegij ope nihil non ſcire ſe poſſe crediderint. Imò non defuerunt ex Rabbinis & Cabaliſtis, qui aſſeruerint, celebrem illam diuinandi rationem, quam Sacræ literæ אורים ותמים *Vrim vethumim* dicunt, non aliter quàm dicto modo per huiuſmodi rotas fuiſſe peractam. Similis huic veterum Ægyptiorum diuinatoria rota erat, quâ in templis vtebantur de rebus dubijs euentibuſque conſulturi. Sic autem procedebant

Rota diuinatoria Ægyptiorum.



In circumferentia rotæ in circulo quodam varia hieroglyphica animalia effigiabant cum indice immobili; quam rotam adiuratione & inuocatione Numinum peracta vertebant, & ſymbolum quod ſub hoc indice quieſcebat, illud Numen eſſe credebant, quod ad obtinendum quod deſiderabant, inuocare deberent. Et ſi quidem ſub Ibide, Mercurium; ſi ſub Scarabæo, Oſiridem; ſi ſub Cynocephalo, Lunare Dæmonium; ſi ſub Arietino capite, Ammonem; ſi ſub Siſtro, Iſidem; ſi ſub Canino capite, Anubidem; ſi ſub capite pueri, Horum; & ſic de cœteris. Atque hinc ſolennis illa Græcorum Alectryomantia emanaſſe videtur. Scribebant illi circulum in puluere, & poſtquàm eidem 24 literas ordine in totidem ſpacijs impreſſiſſent, in more poſitum erat ſortilegis iſtius temporis, circulum in puluere deſcriptum in 24 ſpacia diuidere, quorum ſingulis vnam ex Alphabeti literis apponebant; quo facto, ſingulis Alphabeti literis granum frumenti apponebant; deinde Gallo gallinaceo intra circulum poſito, obſeruabant quænam grana acciperet, & ſingulas literas granis

Alectryomantia Græcorũ.

acce-

acceptis adſcriptas in vnum coniunctas conſiderabant, quodnam verbum exhiberent, & ex hoc deinde de re quæſita diuinabant. Hoc ſortilegio vſum legimus Libanium Sophiſtam, & Iamblichum, dum quis poſt Valentem Imperatorem coronæ Imperialis ſucceſſor futurus eſſet, diuinabant; Gallus enim intra circulum dictum poſitus quatuor granis acceptis, reliquit ſpacia literarum θ, ε, ο, δ, granis vacua, vnde collegerunt, Theodorum Imperio Valentis ſucceſſurum; ſed à Dæmone decepti fuêre, aliud enim paulò poſt euentus docuit, non Theodoro, ſed Theodoſio ſedem Imperialem occupante. Meminit huius ſortilegij Zonaras in Valente his verbis: Ἐν κόνει τέσσαρα εἴκοσι γράμματα γράφονται, καὶ τούτων ἑκάστῳ σίτου κόκκος ἐπιτίθεται, εἶτα ἀλεκτρυὼν ἀφίεται, ἐπᾳδομένων ἐπὶ τούτοις τινῶν ἐπῳδῶν, καὶ κατασκοπεῖται ἐκ τίνων στοιχείων λαμβάνει κόκκους, καὶ ταῦτα συντιθέμενα δήλωσιν ποιεῖσθαι τοῦ ζητουμένου δοξάζεται. *In puluere 24 literæ ſcribuntur, & ſingulis apponitur granum tritici, deinde Gallus in medio ſtatuitur, cùm carmina quædam præcantata fuerint, & obſeruant, ex quibus elementis grana Gallus capiat, quæ coniuncta putantur, id quod quæritur, indicare*; & poſtea: Εἶδον λαβόντα τὸν ἀλέκτορα τὸν ἐν τῷ Θ κόκκον, τὸν ἐν τῷ Ε, τὸν ἐν τῷ Ο, καὶ τὸν ἐν τῷ Δ. *Viderunt Gallum ſumentem granum ex litera Th, & ex literis E, O, D.* Meminit & huius Alectryomantiæ Cedrenus Author inſignis his verbis: Γράψαντες, inquit, τὰ κδʹ γράμματα ἐπὶ κόνεως, καὶ ἐπιθέντες καθ' ἕκαστον γράμμα κόκκον σίτου ἀπέλυσαν ἀλέκτορα ἐπὶ τὰ γράμματα, καὶ ἔλαβεν ὁ ἀλέκτωρ τὸν ἐν τῷ Θ κόκκον, ἔπειτα τὸν ἐν τῷ Ε, καὶ Ο, καὶ τὸν ἐν τῷ Δ, καὶ ἐγένετο ἡ τούτου μαντεία ἀμφίβολος. *In puluere ſcribentes 24 literas, vnicuique literæ granum tritici apponebant, deinde ſoluebant Gallum, literis admouentes, & accepit Gallus granum ex Th; deinde granum ex E, & O, & denique granum ex D. & fuit tota diuinatio anceps & ambigua.* Confirmat hæc Sozomenus lib. 6. Eccleſ. hiſt. *Tripodem*, ait, *è lauro adornarunt, & inuocationibus & verbis quibus ſolebant vti, effecerunt, vt collectis literis, quæ ſecundùm ſingula elementa, artificio tripodis & diuinationis rotata extiterunt, apparuerit nomen Imperatoris futuri; cùm autem omnes in Theodorum inhiarent, elementorum compoſitio, quæ in eius nomine vſque ad literam D peruenerat, decepit Philoſophos.* Socrates lib. 4. c. 19. *Dæmon*, inquit, *perſuaſit quibuſdam curioſis Magis, inquirere per magicas artes, qui poſt Valentem rerum potiturus eſſet: quibus magicâ arte vſis reſpondit Dæmon, non aperta, ſed ex more ambigua, oſtendens quatuor literas θ, ε, ο, δ, dicens nomen eius, qui Imperator futurus erat, ab his literis incipere.*

Zonaras. Cedrenus. Sozomenus. Socrates.

Ægyptios verò Canes, Feles, & ſimilia animalia ad diuinationes rerum futurarum adhibuiſſe reperio. Nam præuiâ inuocatione, Dæmonem animal ad id oſtendendum, quod quærebatur, incitare, & quodammodo determinare opinabantur; cùm tamen Dæmon naturâ ſuâ fallax & mendax ſemper ſub ſolitis ſuis amphibologicis ſymbolis, coniectoribus miſerè illuderet, imponeretque.

§ II.

Amuleta Cabalistica.

De Amuletis Cabalisticis passim hoc tempore vsurpatis.

HEbræi recentiores Mundo iam dudum vendiderunt nouum quod-dam Amuletorum genus, quo sub prætextu sacrorum verborum nihil non idiotis & plebeis hominibus bonorum promittunt, tantò sanè periculosiùs, quantò sanctiùs primâ fronte apparet. Et quoniam difficile est non eâ arte exercitatis, in ijs falsum à vero dignoscere, visum fuit ad honorem diuini Numinis, & Sanctæ Matris Ecclesiæ emolumentum, subtilissimos Impostorum fucos hoc loco ostendere, vt si quando in manus simpliciorum inciderint, vt non infrequenter incidunt, vtrum ijs securâ conscientiâ vti possint, dignoscere possint; quod tantò quidem libentiùs facio, quantò instantiùs iam dudum à Sacræ Inquisitionis tribunali ad id faciendum incitatus fui.

Libellus perniciosus qui inticulatur vsus practicus Psalmorum.

Sciendum itaque, passim manibus curiosorum teri libellum quendam è Sathanica Hebræorum Schola profectum, qui inticulatur שמוש תהלים *Schimmusch hathehilim*, id est, *vsus practicus Psalmorum*; ex quo veluti ex lethæo quodam fonte omnium superstitiosarum artium riui dimanant. Huic veluti basi cuidam tota amuletorum Cabalisticorum fabrica & structura innititur. In hoc enim ex singulis Psalmis literas quasdam diuinorum nominum eruunt, quas varijs rebus, lapidibus, metallis, radicibus, pergamenis sortilegâ arte præparatis, tænijs Isiacis inscribunt. Et hæc Amuleta partim in diuersis corporis membris portant, partim etiam animalibus deuoranda præbent, partim contra ignis, aquarum, aëris contagiosi, terræ sterilis sæuitiem, ijsdem Elementis proijciunt; quibus quidem vti nihil superstitionis deest, ita meritò à Sancta Matre Ecclesia prohibita, tanquam animabus perniciosa & Satanica machinamenta, queîs Satan in Angelum lucis se transformans decipit, varijsque modis illudit mortalibus. Verùm qui huiusmodi deliramenta luculentiùs scire desiderat, is adeat citatum paulò antè libellum Schimmusch hathehilim, vbi innumeras huiusmodi maleferiatorum Rabbinorum imposturas deprehendet.

Cabalisticæ Magiæ exempla.

Cruces Hebraicis characteribus insignitæ.

Huius farinæ sunt nonnullæ Cruces, quæ ex Hispania adferuntur, varijs Hebraicis characteribus nominibusque insignitæ. Et sanè satis mirari non possum, friuolam illam etiam opinione hominum sapientissimorum persuasionem, quâ sub huiusmodi characteribus nescio quid magnum latere putant: quid enim Cruci cum charácteribus? si enim Crux Dominici corporis attactu sanctificata, magnam efficaciam habet contra Satanicas tentationes, & ad propulsandas malorum omnium aduersitates; certè superuacanea prorsùs literarum characterumque superadditio videtur, cùm hi ex sua natura, vti passim in hoc Opere ostensum fuit, nullam prorsùs efficaciam habeant. Huius quoque generis est Numisma illud cupreum pentagonâ figurâ, & sacris Dei nominibus insignitum, quo nihil ferè hoc tempore frequentiùs est; & si exteriorem corticem inspicias, nil nisi san-

Numisma pentagona figura insignitum.

ſanctum & diuinum referre videtur; ſi medullam diſcutias, tunc apertè ſub lucido corpore caudam nigram deprehendes, quâ Scorpionum more animos plùs æquo credulorum hominum transfigunt. Verùm vt bonum à malo faciliùs diſcernatur, & multi à ſcrupulo, quo id portantes agitantur, liberentur; hoc loco ſanè opportuno explicationem eius adoriri viſum fuit.

§. III.

Numi Cabaliſtici Interpretatio.

Cabaliſtici Numi interpretatio.

QVàm humanæ perditionis ſitientiſſimus Dæmon ſollicitè ad homines pedicis ſuis illaqueandos allaboret, neminem eſſe arbitror, qui è varijs artibus medijſque, quibus in machinationibus ſuis paſſim vtitur, id non facilè colligat; dum hos proprio veluti deprauatæ naturæ pondere preſſos; illos concupiſcentiarum paſſionumque indomitâ violentiâ ceu turbine quodam circumactos; quoſdam verò, quos vel virtutis, aut honeſtatis amor ad vitam & ſanctam & illibatam inuitat, medijs quoque eorum inſtituto aptis; alios denique ſimpliciores, quibus ad illuſiones diſcernendas deeſt prudens rerum æſtimatio, cognitione, in Angelum lucis ſeſe transfigurando, ſub mentita diuinitatis veſte impia pro ſanctis, præſtigias pro miraculis, pro diuinis denique inuocationibus magicas incantationes obtrudendo, miſerè irretire ſatagit. Quæ quidem vltima tentandi ratio tantò cœteris periculoſior cenſeri debet, quantò occultior, & ſimplicioribus animis incompertior.

Diaboli artes in decipiendis incautis.

Obtinent autem inter hæc Diaboli irritamenta præcipuum penè locum Philacteria illa Cabaliſtica, ſeu ſchædæ magicæ, quas Hebræi Scuta Dauidis, vel etiam Sigilla Salomonis vocant, Hebraicis nominibus tùm Dei, tùm Angelorum inſignitæ; quæ omnes ex Plutonis officina prodeuntes magnam paſſim imperitæ plebi oggerunt errorum & ſuperſtitionum materiam; potiſſimùm verò præſens hic Numus Magicus, in quo ſi corticem conſideraueris, nihil non ſanctum & diuinum prima fronte reperies; ſi medullam diſcuſſeris, omnia putrida, execranda omnia. Numus ſatis frequens eſt, præſertim in Germania, Gallia, Italia, figuræ, quantitatiſque, quæ ſequitur.



Ha-

Numi Cabalistici interpretatio.

Habet Numus hic Cabalisticus duas facies figuratas: prima pentagoni circulo inscripti figuram continet; circulo ambienti inscripta sunt hæc verba:

Prima Numi facies.

ויקרא שמו פלא יועץ אל גבור אבי עד שר שלום וזה שמי אשר יקראו יהוה צדקנו יהי שמו לעולם לפני שמש ימן שמו :

Hoc est. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, & hoc nomen meum vocabit ipsum Deus iustus noster, sit nomen eius in æternum, ante faciem Solis huius deleatur nomen illius.* In ipsis verò quinque triangulis pentagono contentis, quinque synonima nomina Christo attributa tribus quadripartitis circulis inclusa continentur; atque in primo circulo hæc nomina occurrunt:

5 4 3 2 1

ישו ישוע ישוה יהושוע יהושעה :

quæ sunt synonima nomina (IESVS) Hebræis vsitata. quibus immediatè subijciuntur hæc verba:

5 4 3 2 1

זה שמו לעולם וזה זכרי :

1 2 3 4 5

Ze, Schemo, Lengholam, Vaze, Zichri;

Hoc nomen eius in æternum, & hoc memoriale meum. In altero circulo circumsecus hæc synonima inscripta videntur.

5 4 3 2 1

בן בר ילד ביר שול :

1 2 3 4 5

Ben, Bar, Ieled, Bin, Schul.

quæ omnia Filium significant. In tertio verò nomina synonima inscripta omnia Ouem aut Agnum significant, suntque:

5 4 3 2 1

כבש כשב שה זון רחל :

1 2 3 4 5

Kebesch, Kescheb, Se, Zon, Rachel.

In centro denique vultus Saluatoris ponitur hac cum hypographe: : לחם פנים *lechem panim*, hoc est, *panis facierum* siue *propositionis*.

Secunda Numi facies.

Altera Numi facies constat tetragono in duodecim cellulas subdiuiso, circulo ambienti inscripto. Costas quadrati cingunt potentium Angelorum nomina, veluti Vrielis, Gabrielis, Raphaëlis, Michaëlis; duodecim anagrammata nominis Dei Tetragrammati יהוה, quas duodecim reuolutiones nominant.

Explicatio.

Est itaque hic Numus nihil aliud nisi Magicum Amuletum, ab improbis Iudæis ad eo Christianis imponendum effigiatus; in quo sub forma

ma sacrorum Nominum Christo appropriatorum execrandæ latent blasphemiæ, hæreses, corruptelæ sacri textus; est enim hoc proprium Magorum, ex pacto cum Dæmone inito, sub velo sacrorum Nominum & figurarum in contumeliam Christi & Sanctorum, execranda quæuis occultare. Nôrunt enim Dæmonem vulpino callidum astu ad aliquem effectum producendum non nisi sub hac conditione concurrere. Atque ob eam causam Iudæi Incantatores nullum Amuletum fabricantur sine hisce blasphemijs in Christum latenter insertis; sicut olim apud Ethnicos nullum propè sacrificium sine humano sanguine, aut propudiosis luxuriæ actibus peragebatur: gaudet enim Diabolus contemptu Dei huiusmodi actibus implicato; his factis quælibet se daturum spondet. Sed de his in Cabala, quam vide: quare ijs dimissis nostram explicationem prosequamur.

Ac primò quidem, vt maiora apparerent huius Numi mysteria, & vt Phylacterium in improbum vsum faciliùs à superstitiosis assumeretur; commune illud in Magorum Schola vsitatum signum selegêre, πεντάγραμμον inquam illud salutis symbolum, quam alij pentalpham quoque vocant; quo Antiochum vexillo imposito iussu Alexandri in somno sibi apparentis, mox admirabilem à Galatis victoriam reportasse memorat Agrippa l. 1. de occulta Philosophia. Quemadmodum igitur Græci olim illi symbolo salutis nomen ὑγιεία, additis singulis per angulorum interualla literis Υ, Γ, Ε, Ι, Α, inscriptum Amuleti loco gestarunt; ita Hebræi in eodem pentagono varia nomina Saluatori appropriata inscripserunt, vt ad pentalpham illud Græcorum symbolum, eiusque mysteria, sub splendido vestimento nigram caudam celantes, respexisse viderentur. *Pentagrãma figura Numi Cabalistici, dicti Salomonis Sigilli.*

Ac primo quidem circuli loco nomen ישו posuêre, quasi synonimum cœteris ישוע, יהושע &c. cùm tamen tantum absit vt synonimum sit nomini IESV, vt potiùs nihil ei magis contrarium esse possit: neque enim ישו à ישע, quod salutem significat, deriuatur, nec nomen propriè Hebraicum est, sed ab Hebræis in contumeliam Christi ex certæ alicuius sententiæ literis capitalibus, quas ראשי תבות appellant, confictum. Sententia, seu verba quibus pessimis quibusuis hominibus malè imprecari solent, & è cuius capitalibus literis nomen ישו resultat, hæc sunt: *Blasphemiæ Numi Cabalistici dicti Salomonis Sigillum.*

:ימח שמו וזכרו hoc est: *Deleatur nomen eius, & memoria eius*. Atque sic Christo imprecari solent, cùm nomen ישו Yschù pronunciant; quæ quàm execranda blasphemia sit, quis non videt? Pari ratione cœtera sacrosancta fidei nostræ mysteria, dum eorum meminisse volunt, certis quibusdam nominibus dictâ ratione confictis, aut æquiuocè prolatis, in contemptum eorum vtuntur. ita Euangelium sanctum Hebraicè vocant per contemptum, און גליון *Auengilion*, hoc est, *Volumen iniquitatis*. Similiter præterquam quòd Christum תלוי *Thalui*, *suspensum* vocant, B. Virginem Mariam תלויה *Thaluia* quoque nominant, hoc est, *suspensam*: vbi verò metu Christianorum expressè sic appellare verentur, circumscribunt *Rabbinorum blasphemiæ in Christum Iesum & Mariam.*

bunt

bunt id metaphoricè, ac vocabulis è textrina petitis, Crucem eius vocant שתי וערב, *Sethi vereb*, hoc est, *tegmen & subtegmen*, à figura decussata, quam in pannis habent fila; & hoc ipsum vt occultiùs faciant, præsertim in libris, vbi nostrum aliquis, aut linguæ peritus id facile olfacere posset; per initiales literas ו״ש notant. Pari ratione sub nomine שרי Christum vocant.

שמו של רשע ירקב:

R. Liponan. Hoc est, *Nomen illius improbi putrescat*; quemadmodum abominandus ille R. Liponan infelicis memoriæ, in execrabili libro נן חזן facit; quo nunquam lectum esse à quoquam arbitror peiorem. Verùm tempus me deficeret, si omnes blasphemias in Christum, eiusque sacrosanctam legem, in ipsorum libris passim sub confictis malignè vocabulis occurrentes, hic recensere vellem. Quare ad institutum nostrum reuertamur. Scribitur igitur blasphemum illud nomen ישו primo loco supra caput Saluatoris; vt quem petant, tacitè indigitent; reliqua verò nomina tantùm posita sunt ad blasphemi nominis energiam faciliùs tegendam. Porrò iuxta Saluatoris vultum hæc verba ponuntur: לחם פנים *lechem panim*, hoc est, *panis facierum*, quo nomine panes propositionis appellare solent: ponunt autem hæc verba non nisi per ironiam tantùm, & in contemptum videlicet Sacrosanctæ Eucharistiæ, quasi dicerent, non magis Christum in Eucharistia, quàm in panibus propositionis esse. Prætcrea non desunt in hoc Numo falsæ sacri textus interpretationes; veluti in illo quem vltimo circulo ambiente pentagonum inscriptum videmus, vbi verba quæ nos interpretamur de Christi diuinitate, isti sic explicant:

Rabbinorum blasphemiæ in Eucharistiam.

Esai. 9. 6. ויקרא שמו פלא: &c. יועץ אל גבור אבי עד שר שלום:

Ille qui nomen dabit Messiæ, erit Deus admirabilis, Consiliarius &c. queîs verbis diuinitatem Christi tollunt. Et paulò post:

Ierem. 23. 6. וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו:

Hoc est: *Et hoc nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*; illi sic interpretantur: *& illud nomen eius quo vocabunt Iehoua iustum nostrum, & nomen eius in æternum; nomen verò illius à facie Solis deleatur*, vt vltima verba citatæ sententiæ:

לפני שמש ימח שמו:

Sed transeo ad alteram partem, nè execranda sacramenta Christianas aures offendant: in qua occurrit quadratum illud Cabalisticum Hebræis superstitiosis vsitatissimum, quo gestato omnem sibi felicitatem in hoc & altero Mundo promittunt. Nomina verò quæ singulis cellulis inseruntur, nihil aliud sunt quàm duodecim reuolutiones seu combinationes ex nomine Dei יהוה resultantes, quas הויות appellant; à quibus omnia quæ in Mundo sunt, influxum accipere fabulantur; ac proinde hæc in rationali seu Sacerdotali Ephod, & in Vrim & Thummim incisa Sacerdotem summum in consultationibus capessendis illuminasse aiunt & perfecisse; hoc morbos omnes, omnes euentus malignos euitari, incendia

extin-

extingui, similiaque nimis superstitiosè credunt. Verùm de his & similibus, & quomodo illa in duodecim signa Zodiaci influant, & his mediantibus in inferiorem Mundum, qui plura desiderat, consulat R. Ioseph Ben Carnitol in Cabala sua. Sententijs autem quatuor costis inscriptis, quas ex diuersis sacræ Scripturæ locis deprompserunt, ostendunt omnia nomina Dei ab effectu illi esse imposita, præter mysteriosum hoc nomen Dei יהוה, quod essentiale Dei nomen est, ac proinde id si quis perfectè cognôrit, eum omnipotentem in hoc Mundo futurum asserunt; nec quicquam esse, quod eius virtute facilè impetrari non possit. Asserunt autem posse in huiusmodi mysteriorum cognitionem peruenire homines ope Angelorum, quos à quatuor tetragoni cornibus posuerunt; videlicet, Vrielis, Gabrielis, Michaëlis, Raphaëlis, quos Præsides Mundi aiunt esse, & Patriarcharum Præceptores, quibus mediantibus omnia bona à nomine יהוה promanent in Mundum; quorum nomina quoque magnam virtutem obtinere aiunt contra omnes occursus malignos, præcipuumque semper eam ob causam in Amuletis locum obtinent.

R. Ioseph Ben Carnitol.

Nominis Dei יהוה efficacia secundum Hebræos.

Atque hæc sunt quæ de hoc Numo Magico explicanda occurrebant; quæ omnia Sacræ Inquisitioni indicare volui, nè huiusmodi Sacræ Scripturæ abusum ferret; nec permitteret superstitiosum huiusmodi Cabalisticorum Amuletorum vsum, quo nihil fermè hoc tempore communius, vlteriùs serpere; memor istius D. Thomæ, omnes benedictiones per sacrorum etiam verborum prolationes factas, schedasque sanctis verbis insignitas, si non ab Ecclesia approbatæ fuerint, meritò veluti suspectas remis velisque fugiendas esse.

S. Thomas.

§ IV.

Amuleti alterius Cabalistici heptagoni Interpretatio.

Amuleti Cabalistici heptagoni interpretatio.

HOc amuletum heptagonum circulo inclusum Veneri dicatum est, vti in Arithmetica hieroglyphica ostendimus. In circuitu signatæ sunt 72 literæ ex Cabala extractæ, quarum vnaquæque Angelum ex 72 indicat; de quibus vide Cabalam Hebræorum fol. 275. Quis hîc prima fronte non rideat maleferiatorum hominum stoliditatem, dum ineptijs huiusmodi Cabalisticis pessimè in Latinas literas transformatis, tantam tamen fidem habent, vt earum ope montes etiam se transferre posse, sibi persuadeant? Sed quoniam Diabolus humani generis hostis nihil agit, nisi quòd in contumeliam Christi hominumque perniciem cedat; hinc ad Satanicam nequitiam tegendam, data opera, attributa Christi in cornibus heptagoni ponunt, id est, Angelus tenebrarum sub forma lucis sese exhibet; sunt autem sequentia attributa. Intra cornu A B, intra quadratum singulis Crucis angulis quatuor literæ insertæ spectantur *a.g.l.a.* quod Hebraicum nomen est, & in Cabala celeberrimum אגלא, quod expansè idem significat ac, אתה גבור לעולם אדני *Tu fortis in æternũ Domine:* Si enim

capitales singularum vocum literas in vnum iunxeris, prodibit nomen אגלא *Agla*, vti quadratum ostendit. Intra cornu B C ponitur אלי *Eli*, id est, *Deus meus*. Intra cornu C D ponitur אלהי *Eloi*, quod tametsi idem



prorsus cum præcedente significet, tanquam diuersum tamen quidpiam posuerunt; vt vel hinc horum nebulonum supinam ignorantiam & inscitiam colligas. Intra D E *Christus*, deinde *Sother*, quod Græcè *Saluatorem* significat, nè verminosum machinamentum Græcâ voce careret. Sequuntur postea *Adonay* & *Sadai*; illud *Dominum*, hoc *Omnipotentem* notat. Atque hæc sunt septem attributa Christi, quibus subiungunt septem Veneris Intelligentias, quæ sunt Cafziel, Satquiel, Samaël, Raphaël, Mahel, Michaël, Gabriel; quæ vocabula Hebraica passim translata sunt; vt vel ex hoc ipso appareat, à Deo bonisque Angelis emanare minimè posse, quod tam turpiter, non nisi ab omnis turpitudinis Cacodæmone, transformatum est: talia sunt in heptagoni lateribus inscripta, veriùs ex culina Diaboli, quàm ex Cabala translata vocabula. Inscribunt tandem huic heptagono pentagonum, in cuius centro litera T symbolum salutis; circa quod cùm has literas *υγιεια* scribere debuissent, bestijs tamen inscitiores has supposuerunt *e ee ey*. Intra triangula verò ex Arabum amuletaria officina ponuntur *yl, al, le, al, um*, corruptissimè vti omnia alia; volebant enim illud Arabicum exprimere لا اله الا الله *la alla ella alla*, *non est Deus nisi Deus*, quod dum pronunciare nequirent, illorum loco dicta inconcinnissima verba posuerunt, *yl, al, le, al, um*: sed quid sibi velint duo verba, *um*, explico. In dicto Arabum pronunciato لا اله الا الله semper hæ voces sequuntur, محمد رسول الله *Mahumet rassulalla*; atque harum capitales literas referunt *um*. vt vel ex hoc colligas, quantis modis illudat Dæmon incautis hominibus, vt dum Christiani esse volunt, occultè Mahume-

humetanismum profiteantur; in hoc enim vnico Amuleto quatuor se-ctarum, Iudaicæ, Christianæ, Mahumetanæ, Paganæ, ab ijs, qui illud portant, fit professio; idque occulto pacto Dæmonis, ad Christianæ religionis contumeliam ea de causa instituto. Sed quid pentagonum sibi velit, expono. Pentagonum Veteres, vti in Arithmetica docuimus, Marti, vti & heptagonum Veneri dedicarunt; quo quidem indicabant, neminem Venerem possidere, qui priùs Martem non attraxisset; de quibus in Astrologia Ægyptiaca fusiùs; hoc enim pentagono victoriam in omnibus sibi spondebant. Porrò finis huius Amuleti erat, amorem & beneuolentiam omnium, & consequenter carnalium desideriorum plenam fruitionem, victoriamque contra omnia aduersa eius gestatione obtinere; quod ex adiuratione quam pronunciare solent, quâ & Deum, & Angelos, veriùs Cacodæmones cum inuocatione Veneris aut Martis sacrilego & impio ritu sollicitare solent, patet, quam &, nè Christianæ aures vulnerentur, consultò omitto. Quicunque itaque huiusmodi possederit farinæ Amuletum, illud non naturale, non Diuinum aut Angelicum, sed immediatum Diabolicæ machinationis opus se possidere sibi persuadeat, non nisi cum æterna animæ ruina vsurpandum.

§ V.

Alterius Magici Apotelesmatis explicatio.

Apotelesmatis Magici à P. Thoma de Leon transmissi interpretatio.

PAter Thomas de Leon ex Soc. nostra Hispali Philosophiæ & Theologiæ Professor, linguarum Orientalium, & abstrusioris doctrinæ Veterum explorator eximius, hoc præsens Apotelesma Magicum pro sua erga mea studia affectu, mihi primus communicauit. Verùm vti illud in literis suis ad me datis diligenter & peritè describit, ita operæ pretium esse duxi, verba amici hoc loco apponere: *Imprimis mitto hic ad Reuerentiam Vestram exemplar Sigilli Magici, quod dudum Neapoli excudi fecerat Ferdinandus Dux de Alcalà Prorex Neapolitanus, nobile eruditionis decus; cum descriptione quam subijcere curaui in Scheda pellucentis papyri. Triennium iam est, cùm Hispali Philosophiam in nostro Collegio docebam, & quando primùm capsulam hanc æream (formata enim est ad instar thecarum quibus hostiæ pro sacrificijs apud nos custodiuntur) cum admiratione vidi, deinde illam repetitò considerui aliquoties: intus tota vacua est, vt experimento comprobauit ipse Dux illâ reseratâ, pendetque à funiculo inserto per cœleste signum, in quo visitur homo Arietem sistens: quatuor magni serpentes, qui imaginariam & superiorem faciem distribuunt, fusiles sunt, reliqua omnia celte sculpta. Ad quemcunque pulsum, qui in superiori parte contingat, resonat intùs sonitus acutulus, quasi campanulæ; cuius ictus distingui & numerari possunt, imò & tinnitus post ictum percipi. Ego sæpe manum ita moderatus sum, vt æquali vi pulsauerim; sed nunquam respondit ambiguus ille sonus æquali pulsationum, seu ictuum Campanulæ numero. Sæpe etiam in eodem loco & eâdem vi verberaui, sed tinnitus nunquam con-*

Thomas de Leon.

Apotelesmatis structura.

stans fuit. Id vnum obseruaui, tricesimum numerum pulsationem nunquam excedere. Vnde hoc monumentum antiquitatis habuerit Dux, obscurum est; alij ab auo suo Marchione de Tarifa, qui peregrinationem in Palæstinam suscepit, relictum autumant; alij superfuisse de suppellectile Henrici Marchionis de Villena, qui ante ducentos annos maximâ Magicæ doctrinæ opinione vixisse dicitur in Hispania, de quo Mariana l. 19. c. 8. Hoc ego libentiùs audio, quia scio Villenam Magiam Hebraicam & Cabalicam tractasse, & habuisse Raziel, aliosque Magicos ex ea gente libros, qui Matriti combusti sunt iussu Regis Ioannis Secundi Castellæ, è quibus hausta est, ni fallor, totius huius Sigilli structura. Contuli exemplar Neapolitanum cum Archetypo, & aliqua magis eleganter, quàm fideliter expressa deprehendi. Curaui vt secundis curis à Pictore delinearetur; quod si non artificiosè, certè quâ potuit μετ' ἀκριβείας πράξιν exsecutus est. Aggressus ipse fueram (nè quid dissimulem) explicationem characterum; sed statim atque perlegi Prodromum Reuerentiæ Vestræ, integram rem totam malui reseruare ei, quem ingenio & eruditione, quâ in reliquis excellit, credendum est hac in parte sibi non defuturum. Ego mihi persuadebam esse spiritus Arietis vinculum (scis ita loqui malè feriatæ doctrinæ Magistros, δέσμους καταδέσμους nobis dicunt, Lucanus obstringi dicit) explicabam præcepta quibus illi vtuntur ad istas obstrictiones, per typos, characteres, corollas, fabricas imaginum cœlestium, quas hìc omnes ferè expressas docebam. Cabalicas literas quibus circumdatæ imagines, in meum sensum trahebam, sed in his mihi parum satisfaciebam, licet non adeo istarum rerum gnaris placebam; quia parum admodum in Hebræorum Cabalicis versatus, nec præter ea, quæ occurrunt in Reuchlino, Agrippa, & alijs, ζηλωτῶς τεχνομένων, quidpiam delibaui; vnde opus erat, vt ieiunè & exsuctè ratiocinaremur. Hæc refero, vt videat & rideat Reuerentia Vestra, quomodo aberrauerim, quomodo onere ingenti leuatus sim.

Atque hæc est structura Magica, ab amico sanè affabrè depicta, & tametsi P. Thomas de Leon rem acu, vt dici solet, attigerit eruditis suis commentationibus; visum tamen fuit, hâc tam opportunâ occasione & meam interponere sententiam, vt quid de hoc Magico Sigillo iudicem, posteritati constet.

Explicatio Apotelesmatis.

Structura haud dubiè, vti primâ fronte apparet, Magica est, neque Ægyptiacum quicquam olet, sed posteriorum temporum à Magis, seu potiùs Satana adinuentum artificium est. Figuram data opera non appono, tùm quia tam inuisam & monstruosam Magorum delineationem luce indignam iudicabam, tùm nè sumptus inutiles in tam damnoso opere, æternis tenebris, quibus cusum est, quàm luce publicâ digniori, expenderem. Innumeræ hîc spectantur figurarum exoticâ quâdam metamorphosi transformatarum effigies Magicæ, &, nè quicquam superstitionum desit, signis Zodiaci interstinctæ, cui passim interseruntur literæ Hebraicæ miro modo transformatæ, sub quibus potentium Dæmonum nomina continentur, ad eos è cauernis inferorum imperiosis verbis eliciendos aptissima. Circa Dæmonicarum figurarum Chorum, inscriptio Hebraicis quidem characteribus, sed mirè corruptis fusâ gyratione spectatur; sub qua tamen neque Hebraici, neque Chaldaici, nec Arabici sermonis

vllum

vllum latet vestigium, vt mihi combinatoriæ artis ope, summo studio tandem exploranti innotuit; sed omnia & singula portentosis, barbaris, ἀσήμοις ᾗ αἰσχρεμφάτοις murmuribus potiùs, quàm vocibus quicquam significantibus referta reperi. quæ, vti dixi, cùm indigna sint luce, in tenebris lubens volens relinquo. Dracones quaterni deformati, & mira ratione transformati, nihil aliud notant, quàm latibula & nidulationes Dæmonum in quatuor Mundi partes distributorum, hoc est, Dæmones Boreales, Australes, Orientales, Occidentales, cum asseclis suis circumstantibus sub formis varijs deturpatis. Perigraphe verò circumscripta, Hebraicis, vt dixi, characteribus mutilatis, toti Dæmonum exercitui exhibet adiurationes, incantationes, & similes impietatis operationes, quibus Dæmones inuocati ad vota illorum complenda, comparerent, & vel per figuram sensibilem, vel per signa sensibilia consulentibus responsa darent; signum erat numerus, numerum referebat tinnitus Sigilli, ex tinnitu verò id, de quo consulebant, colligebant; hunc enim tinnitum Magicum esse, non Physicum, ipsa structura Sigilli monstrat, quod intùs concauum erat, ad recipiendum πάρεδρον Dæmonem vi Magicæ adiurationis ibidem inclusum; qui suos sibi deuotos per tinnitus admonebat de rebus quæsitis. Quod si Orientales, verbi gratia, Dæmones consulturi essent, certâ horâ Astrologicâ competente, & tali signo ascendente, Satanicum instrumentum versus Orientem dirigebant liberè suspensum, atq; adiuratione peractâ, per dicta signa expectabant responsa. Si Boreales Dæmones, versus Boream illud liberè suspendebant, & deinde operabantur vt priùs; & sic de cœteris; quæ omnia patent ex ijs, quæ suprà de varijs diuinationum speciebus diximus; Oracula siquidem vtplurimùm per tinnitum quendam occultum responsa consulentibus dedisse, suprà de Oraculis patuit. Quisnam verò huius Author fuerit, rectè sentit P. Thomas de Leon à Villena famosissimo Hispaniæ Mago cusum fuisse, cùm nihil antiquarum superstitionum hæ imagines & characteres oleant, æsque recentius appareat, quàm vt ante ducentos annos fusum dici possit. Consulam itaque omnibus, qui figuram huius Magici Oraculi domi tenent, Vulcanô tradant; dici enim vix potest, quantum inde sæpe sæpius calamitatis obueniat vel integris familijs, ob detentam rem Dæmonibus consecratam, & in quam semper tanquam in rem propriam ferantur, miris illusionibus, & horrendis imposturis homines infestando. Atque hæc inter cœteras causas vnica quoque fuit, cur nè quidem typis dandum putauerim: sunt enim Diaboli mille artes, mille ad nocendum machinationes, quibus iusto Dei iudicio & permissione mortalium pectora exagitat. Et certè si vnquam Magicum Sigillum pernitiosum vidi, illud iure testari possum omnium esse pernitiosissimum; quare hæc ad cautelam Lectoris sufficiant.

Characteres atque inscriptio Apotelesmatis.

Author Apotelesmatis.

Idem P. Thomas Leo non ita pridem ad me Granatâ Romam misit Idola duo Ægyptiaca, similibus characteribus insignita, quibus adiunxit inscriptiones Carauacenses, in quarum interpretatione fucum fecisse Hispanis suis Michaëlem de Luna peritissimum rerum & literarum Arabica-

Idola duo Ægyptiaca.

rum, vehementer ſuſpicatur. Verum vt hæc maiori fide tractentur, ijſdem Authoris verbis adducere placuit.

Primum Idolum.

Idolum primum ex lapide nigro, & maculis liuentibus, pileum geſtans turbinatum, ex cuius vertice fila ad collum vſque deſcendunt verſicoloria. Characteres Ægyptiaci in pectore depicti ſunt minio, quorum poſtremus anguſtiori formâ hic expreſſus eſt; laxiùs enim in Archetypo viſuntur formati, neque penultimus vltimum tangit: reliqua omnia ſatis verè expreſſa ſunt. Seruatur in domo Ioannis Antonij de Herrera Hiſpali, qui à ſecretis fuit Duci de Alcalà dum Proregem ageret Neapolitanum; & hunc Principem ad ſua κειμήλια antiquitatis alicunde contraxiſſe credimus; erat enim iſtarum rerum auidiſſimus. Deſcripſi 4. die Aprilis anno 1641. Idolum vide in ſequenti pagina.

Secundi Idoli poſterior pars.

Idolum ſecundum ex lapide ſubalbido, pileo turbinato, & verſicoloribus à vertice dependentibus filis; in cuius tergo linea characterum deſcripta eſt, vt vides; per ὀρθὸν ſτρμμὸν à ſummo deorſum vſque, quomodo Sinas ſcribere ferunt; characteres aliquot apertè ſunt Coptici, vel Græci; ſed alij valde à figura deuiant. Faciem in appoſita figura cum characteribus, quos in pectore geſtat, propono fideliter expreſſam. Atque hi ſunt ijdem characteres, quos in præcedenti Idolo exponemus, vti vnum cum altero comparanti patebit.



Secundi Idoli facies.

Secundum Idolum primo maius eſt, ſed pileum ſimiliter atque illud geſtat, vultum fert in latum obtortum, characteres quos hic vides, depictos atramento, habet in pectore: ſubalbenti lapide, valde conſpicui ſunt. Atramentum in hoc Idolo, & minium quo depicti primi Idoli characteres, materiâ ita tenaci confectum, aut ſaltem miſtum κόλλᾳ ſeu bitumine talis naturæ, vt etiamſi defodiatur, videatur in multa ſecula poſſe ſcripturam illæſam conſeruare. Habet hoc qui & primum Ioann. Anton. Herrera Hiſpali; ego deſcribere curaui eâdem die & anno. Hactenus Thomas de Leon. Nunc idolorum interpretationem adferemus.

Prima Statua verè Ægyptiaca eſt,& refert tutelarem ſacræ Ciſternæ Genium, vti hieroglyphica docent, quæ cùm peſſimam manum ſortitæ ſint, & vix primâ fronte pro hieroglyphicis dignoſci poſſint, ideo ea in meliorem formam adaptauimus, vt ſequitur, & hunc ſenſum efficiunt.

Idolum *primum.*



Vitæ dominatoris, prouidentiæ omnium Oſiridis miniſter Hermanubis, ſacræ Ciſternæ cuſtos. Ex quo patet, hæc hieroglyphica currentibus characteribus ſimulachro inſculpta fuiſſe, vti paſſim facere conſueuerant; de quibus peculiari Capite ſuo loco tractabimus. Secundum Idolum duodecim Zodiaci characteres dorſo inſcriptos habet; quibus duodecim Zodiaci Numina indicantur. Quos verò pectori inſcriptos habet ſeptem characteres, ijs ſeptem Planetarum Numina indicantur. Hoc autem ita eſſe, indicant alterius Statuæ, quam non ita pridem doctiſſimus Nihuſius ad me transmiſit, ex Muſæo Illuſtris viri Gerardi Reinſtij Senatoris & Scabini Ambſterodamenſis depromptam; characteres, quam in ſequenti pagina apponendam duxi; in qua poſtica pars Statuæ duodecim characteres prorſùs ſimiles habet ijs, quos dorſo Idolum ex Hiſpania allatum tenet, ordine tamen interrupto; non enim in hoc eodem ordine procedunt, quo in Idolo Ambſterodamenſi, tametſi characteres prorſùs ijdem ſint; quod idem dicendum eſt de ſeptem characteribus pectori impreſſis. Quod autem quælibet litera Numen indicet, nomina ſingulis literis appoſita docent; quæ cùm in Aſtrologia fuſè expoſita ſint, eò Lectorem remitto. Idem in ſeptem Planetarum Numinibus exprimendis nomina appoſita docebunt. Statua itaque eſt tutelaris, quâ poſitâ omnes reliquos totius anni tutelares, & Zodiaci dominatores, vti & ſeptem Planetas, attractum iri confidunt. Rete loro affixum humeris appenſum habet cum cauda Leonis. Reti alludunt ad illud rete, quo Oſiris à Typhone in Nilum projectus, eductus fuit; & eſt auerruncationis inſtrumentum horrendum contra aduerſas poteſtates. Idem de cauda Leonis ſentiendum, vt alibi docuimus. Figura ſequitur.

In-



Inscriptiones Carauaccenses,

Carauaccenses inscriptiones.

CVm interpretationibus quas adhibuit Michaël de Luna Medicus Granatensis, linguæ Arabicæ peritissimus, persuadere volens esse Arabicas, & Arabum occultioribus cyfris conscriptas. Sub pictura antiqua Regis cuiusdam Mahumetani (vt ex cultu colligitur & ornamentis) qui magno stipatus comitatu ad baptismum procedere videtur (nam Sacerdos & reliqua omnia ad id sacrum ministerium parata visuntur) leguntur sequentes characteres vnica linea continenter exarati, in interiori Sacello S. Crucis Carauaccensis.

Sic



Sic ante hos quinquaginta annos interpretatus est dictus Luna ex breuiaturis, & contracto scribendi Arabum modo, vt dicebat. *Anno 594, Arabum Mahomat Abuzeit Rex potentissimus, & triginta homines in hoc habitaculo conuersi fuerunt ad veram legem Saluatoris, & hoc Dei gratia, Cruce duplicata fauente, quam Angeli Dei attulerunt, & alij multi eos iuuantes ad celebrationem, ad quorum memoriam hæ literæ fuerunt celatæ.* Sub ipso Rege ceruleâ chlamyde ornato, quam vulgò Alquisel dicunt, conspiciuntur sequentes literæ.

Luna ita interpretatus est: *In memoriam meæ conuersionis, & ad gloriam Dei, Regiam hanc vestem ei obtuli, vt illa vtar in die S. Crucis solemnitatis eius causa.* In Ephippio aut sella equi Regij leguntur sequentes characteres:

Luna ita illos interpretatur: *In hoc equo exaltaui legem Dei, cuius hostes sæpius in pugna deuici.* Iuxta baptisterium conspicitur Regina flexis genibus, & opulentissimo amictu vestita, in fimbria vestis sequentes characteres notatos habet:

Quos ita interpretatur Luna. *Ego Regina Hayla, nunc Helena, vxor Regis Abuzeit, & duo filij mei, conuersi fuimus per gratiam Dei ad fidem sanctam, cuius memoriæ causa hic sum depicta.*

Optimè P. Thomas de Leon de impostura à Luna facta suspicatur; siquidem hi characteres minimè Arabici sunt, nec quidem à longè vllum vestigium Arabicæ scripturæ cuiuscunquè obtinent; sed sunt characteres Punici antiqui à Gothis corrupti, inter quos multi quoque characteres Latini reperiuntur. Quinam autem horum sensus sit, cùm huius loci non sit, forsan alibi eorundem interpretationem exhibebimus, quod me in Turre Babel, si Deus vitam largitus fuerit, præstiturum polliceor.

Innumera hoc loco apponere possem superstitiosorum hominum Phylacteria; verùm cùm ea partim in Astrologia, partim in Cabala adducta sint, ijs repetendis nec tempus, nec chartam terere volui: quare ad alia.

CAPVT VIII.

De Cabala Pythagorica.

Cabala Pythagorica.

ITa comparatum eſt, vltra limites naturæ, curioſorum hominum ingenijs, vt omnia quæ ſenſibus obijciuntur, diuinis myſterijs & ſacramentis referta eſſe imperitè ſibi perſuadeant, ſuamque credulitatem verbis è Sacra ſcriptura depromptis ſolident, dum Deum aiunt omnia in numero, pondere, & menſura creaſſe. Numerum itaque præ omnibus alijs rebus ſacerrimum eſſe aſſerunt; numerum autem in ſingulis Alphabeti literis inſitum eſſe, myſterijs pariter plenum; ex literis deinde nomina formari, quorum numeri κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν reſoluti omnes bonæ malæuè fortunæ euentus contineant, ſuperſtitioſiùs opinantur. Hinc ars illa emerſit notoria, quâ nomine & cognomine alicuius in numeros reſoluto, de totius vitæ ratione ſe iudicare poſſe exiſtimant; & hanc artem Cabalam Pythagoricam nominant, cuius Authorem Pythagoram faciunt, more huiuſmodi nebulonum ſolito, ad nonnullam impoſturæ ſuæ authoritatem magni & famoſi Viri nomine conciliandam. Fateor tamen, inter omnia huius farinæ molimina nihil vnquam aut inſulſius, aut magis ridiculum, putridiorique fundamento nixum me comperiſſe. Vt proinde ſatis mirari non poſſim, quânam ratione fieri poſſit, vt multi, etiam qui oculis hominum prudentes & ſenſati videri volunt, huic tamen maleferiatæ arti, & prorſùs aſininæ Philoſophiæ aut fidem habeant, aut in mentem inducere poſſint, vt aliquid eius ope in futurorum euentuum coniecturis certum conſequi ſe poſſe putent. Verùm nè fanaticas has affanias fruſtra cauillati videri poſſimus, exemplo vno atque altero verminoſas huius Satanici dogmatis ſubſtructiones ob oculos ponamus curioſi Lectoris.

Ars notoria.

Supponunt imprimis Pythagorici iſti myſtæ, ſeu potiùs nebulones, Alphabetum literis Latinis exaratum pro Latinis, pro Italis Italicum, pro Græcis Græcum, pro Arabibus Arabicum. Sunt itaque Alphabeta varia, quibus abutuntur. Cattanus Magus in ſua ridicula Geomantia hoc ponit:

Alphabeta varia Cabaliſtarum Pythagoricorum Cattanus.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
1. 3. 22. 24. 22. 3. 7. 6. 20. 1. 10. 23. 12. 8. 13. 27. 13. 9. 8. 2. 6. 3. 4.

In hoc Alphabeto ſingularum literarum valorem habes numericum, quem ſine ratione vel homines, vel Dæmonem inueniſſe, certum eſt; quorſum enim literæ K ſupponitur vnitas, & eadem literæ A? cur literæ O 8, literæ N 12, & ſic de cœteris? Hanc inſaniam cùm aduerteret Cornelius Agrippa, aliquid veriſimilius conſtituendum duxit, dum Alphabetum ſuum onomatomanticum, veriùs onomanticum, aliter diſpoſuit, eſtque quod ſequitur:

Cornelius Agrippa.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90. 100. 200. 300. 400. 500

Atque hoc diuinum illud Pythagoricum inuentum aſſerit, laudatque Alexandrum Philoſophum, quòd docuerit rationem, qua ex literarum numeris Horoſcopi ſtellæque diuinatrices inueniri poſſint; quiſque inter

mari-

maritum & vxorem prior moriturus ſit, aut ſuperuicturus: quæ omnia vt nullum prorſus rationis fundamentum habent, dignaque ſunt, quæ vel ab ipſis pueris rideantur; ita meritò tanquam inſulſa, inepta, ſacrilega, Satanica opera ab omni verè Chriſtiano homine vitanda ſunt. Verum operationem ſtultitiâ & inſaniâ plenam apponamus.

Alphabetorũ Cabaliſticorũ vſus ineptus.

Si ſcire deſideras, inquiunt, nati alicuius dominatricem ſtellam, computa nomen eius, & vtriuſque parentis per ſingulas literas iuxta numerum præſcriptum, collectamque totius ſummam diuide per nouenarium, ſubtrahendo illum quoties potueris; & ſi remanſerit vnitas, aut quaternarius, vterque Solem indicat: ſi verò binarius, aut ſeptenarius, vterque Lunam deſignat; ſicuti ternarius Iouem; quinarius Mercurium; ſenarius Venerem: octonarius Saturnum; nouenarius Martem. Quibus ſubiungunt perfrictæ frontis homines, nati alicuius Horoſcopum ita reperiri poſſe. Computetur nomen tam matris quàm patris, natique, atque ſumma collecta per 12 diuidatur: nam reliqua vnitas ♌; 2, ♒; 3, ♄; 4, ♃; 5, ♋; 6, ♉; 7, ♈; 8, ♎; 9, ♍; 10, ♏; 11, ♓; 12, ♊; notant. Atque hæc ſunt occulta & non pandenda omnis nequitiæ architectorum arcana. **Confutatio.** Quis autem, rogo, has ineptias credat? Quis nænijs huiuſmodi fidem habeat ſanè pudentiſſimis? Hinc enim ſequeretur, omnes Petros, Iacobos, Paulos &c. vti reſoluti in numeros, eundem numerum exhibent, ita omnes vni & eidem conſtellationi ſubiectos eſſe, & conſequenter eandem fortunam experturos. Reſpondent hi non rationibus, ſed phantaſticis & dæmoniacis ludibrijs mente emoti, 1. Soli competere, quòd Sol vnus & ſolus eſt; 2. Lunæ, quam vtroque ſexu præditam, & animam Mundi aiunt, cui & 4, ob quatuor Mundi cardines, & quatuor anni tempora, quæ diſcernit, tribuunt; 5. cùm ex primo pari & impari componatur, Mercurio competere, ſicuti ex fœmina & maſculo; 6. Veneri, quia ex 2 & 3 cõſtituitur, volunt. Quis non hîc tam inſulſa commenta rideat? O beatos parentes, quorum ex arbitrio penderet, vt filius ſolius nominis impoſitione per planetæ nomini dominantis fauorem omni mox fortunæ felicitate compleretur.

Alphabetum aliud Cabaliſticorum Pythagoricorum.

Huic Alphabeto aliud ſupponimus paſſim vſitatum, quo tenebriones huiuſmodi ſibi perſuadent, de vita & virtute natorum, de omnibus bonæ aut malæ fortunæ ſortibus, perfectum ſe iudicium dare poſſe, ineptè gloriantur. Alphabetum ſequitur.

A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z
3.	3.	22.	24.	22.	3.	8.	6.	29.	10.	12.	23.	12.	8.	13.	23.	13.	9.	8.	2.	6.	3.	4.

Confutatio.

Hic primùm quæram, cur ternarium adſcribant A, aut eundem ternarium B, & F, & Y? Cur 22 C & E? cur quoque P & R, 13? M denique & Q 23 aſſignent? mirè ſe hoc loco torquent mendaciſſimi coniectores; neque aliud nobis aſſignare poſſunt rationis fundamentum, quam vel Dæmonis, quo cum pacto inito id concluſerunt, concurſum; vel ſtolidiſſimi cerebri à Dæmone dementati phantaſma. Quod vt apertiùs oſtendam, exemplis id aperiam. Imprimis ex ſumma numerica toties in nominibus aſſumptis 9 auferunt, quoties fieri poteſt, atque reſiduum apud ſe retinent; deinde contemplantur illa reſidua; quibus ſimul collatis, reſpon-

dent, hunc vel illum superfuturum, hunc vel illum priùs moriturum, & diutiùs victurum, & si quæ sunt similia. At non illud ita assequuntur, vt si residuum aliquod altero maius fuerit, statim victoriam suggerat; sed sæpe ex minori, sicuti aliàs ex maiori, palmam & diuturniorem vitam pollicentur. Exempli gratia 1 & 2 significant illum hominem victorem futurum, qui in suo nomine residuum habuerit binarium; alium verò qui 1 habuerit, occisum iri. pariter in 1 & 3, 1 significat eum superaturum, qui residuum habuerit 1, quando aduersarius ternarium habuerit residuum; & sic de cœteris. Quæ tamen ita stolidè congesta sunt, vt cuicunque Alphabeto applices, toto cœlo discrepent. Exempli gratia, cùm superest quaternarius & ternarius in duobus hominibus, quaternarius vincere debet; quod falsum est in nominibus Cain & Abel, quorum ille pro residuo ternarium habet, hic quaternarium; & tamen si veræ sunt regulæ Onomatomantarũ, Abel Cain superare debebat, cuius tamen contrarium Sacra scriptura asserit. Idem apparet in Absolon & Ioab, quorum hic septenarium residuum habet, ille quinarium, ac proinde ille Ioabum vincere debuisset; cuius tamen contrarium nobis referunt Sacræ literæ. Sequeretur pariter ex fanaticis huiusmodi onomatomantiæ regulis, quòd is qui Latinè superatur, Gallicè vinceret; quod quàm absurdum sit, quis non videt? Nam si consulas, vti acutè demonstrat Mersennus in Opere suo in Genesin, Onomatomantem Latinæ linguæ gnarum, statim affirmabit Mariam superaturam esse Stephanum, eoq; diutiùs victuram, eò quòd Mariæ post subductos nominis numeros per 9, restat 8, Stephano verò ternarius; volunt enim hi nugatores, ternarium ab octonario superari. Sed exemplum ponamus. Scribantur dicta nomina, vti è latere patet, quorum singulis literis numerum ex Alphabeto correspondentem apponas; numeris verò in vnam summam collectis, videbis in Stephano summam 84; in Maria 71. ex quibus subduc quoties potueris 9, in Mariæ nomine 8, in Stephani nomine ternarius remanebit; hinc deducunt, Mariam esse victricem, atque diutiùs viuere debere quàm Stephanum. Verùm hoc falsissimum esse ex Gallicis nominibus apparebit, ex quibus totum contrarium resultat, vt videre est in Gallicis nominibus *Marie* & *Estienne*; quæ si in numeros resolueris, summam huius habebis 136; alterius 90. à quibus nouenarius quoties fieri poterit, reiectus, in priori relinquit 1, in posteriori 9, atque adeo contra regulas arithmomanticas, *Marie* quæ sub Latino nomine victrix steterat, sub Gallico nomine superabitur. Sed in more positum est huiusmodi impostoribus, vt vbi vident, rem non benè cessisse, miras excusationes prætendant, aut non legitimè processum esse, aut omissum

S	9		
T	8		
E	22		
P	13		
H	6	M	23
A	3	A	3
N	12	R	13
V	2	I	29
S	9	A	3
	84		71
3 resid:		8 resid:	

E	22		
S	9		
T	8		
I	29	M	23
E	22	A	3
N	12	R	22
N	12	I	29
E	22	E	22
	136		90
1 resid:		9 resid.	

sum

sum aliquid necessariò requisitum; quod tamen illi, quid sit, demonstrare non possunt. Nonnulli quoque cùm eos erroris commissi pudeat, nomina miris modis vitiant. Ita in nomine *Estienne*, teste Mersenno, nè Maria à Stephano superata dici possit, ex dicto nomine S & N eximunt, atque sic ex mutilato nomine *Etiene* Mariæ desideratam promittunt victoriam. Sed apage cum hisce maleferiatorum hominum stolidis machinationibus, quæ vti indigna sunt, quæ commemorentur, ita eadem æternis tenebris sepulta, nè chartam tam absonis rebus maculare videar, omitto. Qui plura desiderat, is legat Mersennum in Genesin fol. 1398. *Mersennus.*

CAPVT IX.

De Rota Vitæ & Mortis.

Rota vitæ & mortis.

EX Satanico hoc Magisterio nata videtur celebris illa rota, quam quidam rotam vitæ & mortis, nonnulli Sphœram Biantis appellant. Verùm vt mortalium in tam ridiculis rebus fingendis stultitia luculentiùs patefiat, rotam, eiusque structuram hoc loco apponere, & examinare visum fuit.



Intra duos extremos circulos Alphabetum onomatomanticum cum numeris, singulis literis correspondentibus spectatur; infra quos duo alia circularia spacia delineata vides, intra quæ characteres septem Planetarum, & sub singulis numeri appropriati ponuntur; sequuntur deinde in- *Rotæ structura.*

tra

tra concauitatem centralem tres columnæ diametro A B interstinctæ, numeris refertæ, quorum ij, qui supra diametrum A B continentur, felices & numeri vitæ vocantur; qui infra diametrum A B continentur, infelices & numeri mortis nuncupantur; hinc illi rubro, hi nigro colore vt plurimùm pinguntur. Atque hæc est rotæ illius infelicissimæ systasis, quam equidem miror, etiam inter opera Venerabilis Bedæ nescio quo fuco irrepsisse. Sed vsum exponamus.

Rotæ vsus. Primò itaque Archimystæ Satanici de re vera vel falsa consulturi, accipiunt numerum literarum vtriusque inter quos negotium versatur; numerum quoque horæ & diei quo colloquium instituitur; Mensis quoque & signi Zodiaci numerum; omnes in vnam summam colligunt, summamque diuidunt per 30, & reliquum quærunt in rota: & si quidem residuum reperiatur supra diametrum A B inter rubros numeros, veritas rei ipsis promittitur; si verò infra diametrum A B reperiatur dictum residuum, res falsitatis conuincitur. Aliud exemplum apponamus. Consulturi, vtrum quis in remota regione viuus sit, an mortuus, ita procedunt: Accipiunt numerum nominis absentis, quem ex Alphabeto numerico in extremis duobus circulis eruunt; deinde numerum Mensis, vna cum numero dierum Mensis, quo discessit; & simul in vnam summam colligunt; quibus addunt numerum currentis anni; quam totam numerorum summam diuidunt per 30, & residuum, si quidem supra diametrum A B inueniatur, certè eum viuum esse pronunciant; si infra diametrum A B idem reperiatur, mortuum eum esse asseuerant.

Quòd si scire velint, vtrum quispiam è carceribus exiturus sit, vtrum non; accipiunt numerum nominis captiui, & anni, mensis, diei, quo captiuus factus est; quibus collectis adiungunt nomen ciuitatis, patriæ; & summam totalem diuidunt per 30; quod si residuum reperiatur inter rubros numeros supra diametrum A B, liberabitur; si inter nigros, mortem, vt putant, subibit.

Confutatio Rotæ vitæ & mortis. Hoc loco sanè multum Hellebori ad insana stolidissimorum huiusmodi Philosophastrorum cerebra purganda, quo rationabiliùs Philosophari discerent, opus foret: quid enim in hoc ridiculo machinamento aut virtutis, aut subtilitatis lateat, dispicere nulla ratione possum, nisi fortè dicant, Alphabetũ Onomatomanticũ, quod superiùs rectà scriptũ erat, iam in circularem formam adaptatum, peculiarem vim habere; quod quàm insulsum sit, quis non videt? Sed & quid mysterij septem Characteres planetarij cum suis subscriptis numeris plùs virtutis in circulum quàm in rectum scripti possideant, penetrare multò minùs possum; quid denique rubri supra diametrum numeri normaliter iam, non circulariter scripti, plùs virtutis ad vitæ, quàm inferiores nigri ad mortem obtineant, non capio. Ego fustem, siue sursum, siue deorsum versum, sanè idem semper robur ad eleuandum possidere noui; quo optandum esset tam insana malè auguratorum capita, verberibus quàm verbis tractabiliora, probè tunderentur, vt ad mentem tandem excolerentur. Sed quid confusa illa horæ, diei, mensis, nominum, signi, planetæ, numerorum collecto-

rum

rum farrago ad rem faciat, diſcutiat cui plus otij eſt & temporis; ego ſanè in tam malè ſana doctrina aut perſcrutanda vlteriùs, aut refutanda acriùs, bonas horas non impendam; nugæ ſunt, affaniæ, & næniæ aniles, & digni qui talia tractant, tenebris carcerum, & Vulcano.

CAPVT X.

De Geomantia Arabum.

Geomantia Arabum.

ALtera deceptio ex ſuperſtitioſa Arabum doctrina prodit, & eſt Geomantia, quam illi حساب الرمل *Haſab elrammel* vocant; quâ incantatione præuiâ, precatoria quædam puncta in chartam temerè proijciunt, Intelligentiâ occultâ, vti putant (veriùs Cacodæmone,) manum proijcientis, vt ipſi ſtolidè ſibi perſuadent, dirigente; & ex punctis hoc pacto omnem fortunæ ſtatum conſulentes colligere ſe poſſe arbitrantur ſtolidi machinatores. Nonnulli puncta in terra imprimunt, ex quibus certæ figuræ ducuntur pari numero, vel impari, quæ ad cœli ſigna reuocantur, eorumque vim & naturam aſſumunt. Puncta verò fieri oportet in terra digito indice, quia manum pingentis per terreſtres ſpiritus moueri putant. Author Geomantiæ Arabicæ primùm literis certos punctorum ordines tribuit, quibus in ſortilegijs ſuis vtuntur; vt ſequitur.

اب بص فج در شره تو زث حخ

طن يض كط لغ م ع ت س

واما مراكز تسكين البروج على ما ذكروا اصحاب النجوم وهذه صورته

Habes hic 16 ſeries Schematiſmorum Geomanticorum, quibus in Onomatomantia vtplurimùm vtuntur; ex quibus deinde conficiunt alias Geomanticas punctorum ſyſtaſes, quas duodecim ſignis Zodiaci applicant: harum nomina ſunt ſequentia:

كونان تشمير اميشكران المتراون اجلين ازار

Azar Achlid Amtaraun Amiſcaran Teſmir Kaunan

♍ ♌ ♋ ♊ ♉ ♈

حمل ثور جوزه سرطان اسد سنبلة

Virgo Leo Cancer Gemini Taurus Aries

Au-

أوراغ امطروس الصامد تمككت منكوس ركيزه داخلة

Dachble Rakize Menkaus Tamakket Alsamed Amtarus Aurach

♓ ♒ ♑ ♐ ♏ ♎

ميزان عقرب قوس جدي دلو حوت

Pisces Aqu. Capric. Sagittarius Scorpius Libra

Arbor Cabalistica.

Ex hisce deinde arborem formant, in qua 24 rami, sunt totidem damnatæ artis systases, omnium ad fortunæ sortem spectantium rerum manifestatrices; atque hac in parte imitantur arborem illam Cabalistarum celebrem, quam Sephiroth vocant. Figura sequitur.

Ex his aliæ punctorum systases attribuuntur quatuor Elementis, aliæ septem Planetis, metallisque, aliæ duodecim signis Zodiaci, aliæ 28 mansioni-

sionibus Lunæ, aliæ denique (nè quicquam superstitionis Astrologicæ desit) in duodecim Cœli domicilia distribuuntur; Domus autem eâ prorsus ratione cum suis significatis, quâ Astrologi, ordinant ac disponunt: Verùm tempus perdam, si huiusmodi quisquilijs recensendis diutiùs immorer. Qui Astrologiam Ægyptiorum Classe sexta traditam rectè intellexerit, facilè, quid de Geomantia existimandum sit, colliget; & apertè videbit, eam nihil aliud esse, quàm Astrologiam quandam terrestrem, in qua puncta stellas; systases punctorum, asterismos; variæ Classes, tùm septem Planetarum, tùm dodecamoriorum, mansionumque lunarium spacia notant. Verùm cùm hæc Geomantia Arabum commentum sit, & Ægyptijs mysterijs non admodum affine, ideo paucis quoque eam explicandam duxi.

Geomantia Arabum Astrologia terrestris.

Ex Geomantia nata alia filia, ex malo videlicet ouo malus coruus; quam tamen Turcæ magni æstimant, atque de ea librum satis celebrem habent; quem passim vocant قرعة جعفر الصادق *Sors Giafari Sadeki nempe veracis*. Exemplar huiusmodi penes me sic incipit:

Liber Turcicus diuinatorius.

قرعة جعفر الصادق يوخذ عود مربع ويكتب هو الى الاربعة احرف ا ب د ج
وارميه ثلثة مرات واطلب الاحرف التي تخرج في مواضعها تجد تحتها ما تطلب ۞

Id est; *Sors Giafari Elsadek, accipiatur lignum quadratum, & scribantur istæ quatuor literæ* ا ب د ج *& proijce illud tribus vicibus, & quære literas quæ exeunt, in locis suis, & inuenies sub ipsis quod quæris.* Per hanc igitur Diabolicam artem diuinatio per quatuor Characteres ا ب د ج instituitur, hoc pacto. Tesseræ cubicæ inscribunt quatuor hosce Arabicos Characteres, singulis lateribus vnum: hanc tesseram præuiâ oratione ter proijciunt, & ternas literas singulis proiectionibus collectas reseruant. Sit v. g. prima proiectione litera ب secunda ج & tertia ج. quærunt itaque in dicto libro has tres literas inuentas بجج textuque Arabico lecto in notitiam sortis fortunæ deueniunt: nam hoc tibi euenturum simpliciter credunt, quod ibi traditur. Verùm has formulas & artes, nihil prorsus eruditionis in se continentes, tanquã scopo nostro minimè congruas relinquamus. Veruntamen hoc loco de reliquis artibus, vti Chiromantia, Metaposcopia, Necromantia, cœterisque superstitionum monstris dicenda forent; sed quoniam hoc loco ea tantùm nobis proponere libuit, quæ originem suam immediatè ab Ægyptijs duxerunt, & à nullo alio, quod sciam, tacta sunt; consultò alia omittenda rati sumus.

Conclusio.

Ex his apertè & luculenter patet, quomodo semper gliscat

Dæmon atrox odijs, animisque furentibus iram
Gestet, quæ damnis nunquam exsaturata quiescit.

Inueteratus malorum Orbem ijsdem semper premit machinationibus:

nullæ sunt induciæ, nulla pax, vti nec odij, nec insidiæ modus vllus; hostis Dei superbia ascendit semper, crescit malitia, crudelitas inualescit; antiquus scelerum architectus eadem semper molitur; nihil inaccessum sinit, nil intentatum relinquit, præcipuum omni ætate de eadem pharetra facit illicium quàm curiosarum, tam superstitiosarum artium, quàm multa, tam stolida Dæmonum commenta mortalium mentes dementantia; quæ omnia sub Magiæ nomine comprehenduntur. Nihil præteritis temporibus ab Ægyptijs, eorumque hæredibus diuino vnquam honore cultum nouimus, quod moderno quoque tempore non coli videatur, vti fusè in vltimo Primi Tomi Syntagmate ostensum fuit: nihil circa characteristicam Magiam Ægyptus vnquam machinata est, quod hoc potissimùm tempore, improborum hominum ausu, non completum spectamus. Vnde quicunque Christiani nominis dignitate gloriatur, hic cumprimis spectare debet, vt philosophando vltra sacrosanctorum nobis præscriptorum Canonum terminos non sapiat; sed in rebus dubijs, & periculo Satanicæ illusionis expositis, cautè & circumspectè, quid amplectendum, quid fugiendum, decernat; nè dum temporaneæ & caducæ prosperitati, per illicitorum mediorum ductus inconsultius inhiat, æternæ felicitatis iacturam patiatur.

CLAS

CLASSIS XII. THEOSOPHIA METAPHYSICA, SEV THEOLOGIA HIEROGLYPHICA.

EMINENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FABIO S. R. E. CARDINALI

Chisio, Episcopo Imolensi.

E*MINENTISSIMAS animi* Tui *virtutes, quibus non nisi ad sublimia diuinâ prouidentiâ destinaris, à multis iam annis probè mihi cognitas, altiùs ponderanti, tria potissimùm, quæ de laudum* Tuarum *Principatu inter se contendere possent, occurrebant. Hinc enim bonarum artium doctrina primum sibi locum asserebat: inde ea morum suauitas, quam & summa benignitas, & singularis humanitas temperabat, doctrinam sequi imperabat; vrgebat etiam spectata pietas, vitæ moderatione conspicua, diuinarum rerum studio efferuescens, quæ vt ab omni ambitionis vmbra quàm alienissima, ita suâ se virtute inuoluens, admirabilior accidebat. Qui quidem virtutum consensus tantò nunc visus illustrior, quantò vel ipse Summus Pont.* Innocentius X. *earum splendore delectatus, eminentiorem* Tibi *in Sacrosancti Senatus Collegium, nihil tale cogitanti, adscito locum contulit, non vt virtutem* Tuam *ornaret solùm; sed vt* Tu *quoque non exiguo esses Purpuratorum Patrum Senatui ornamento. Cùm itaque* Tuum, *id est, Principis Ecclesiastici sit, sacra dogmata expendere, atq; heterodoxum ab orthodoxo secernere, sacrarumque Institutionum studijs mortalium mentes ad omnem sanctimoniam conformare; certè cui meliori iure, quàm* Tibi *sapientissimo rerum diuinarum Iudici, hoc meum de Theologia Ægyptiorum argumentum dicarem, inueni neminem; hoc vel maximè persuasus, multùm me acquisiturum,* Tibique *plurimùm debiturum, si diatriben hanc meam qualem qualem suscipere dignatus fueris. Non enim is es, qui* Te *solis Philosophiæ, Theologiæque limitibus contineris, sed longè etiam exspatiatus vlteriùs per Poëtas, Historicos, Polyhistoresque, id demùm consecutus es, vt de quolibet in medium prolato & rectè sentias, & eruditè loquaris. Quare nihil, aut parum legendis meis profeceris, nisi quantum clientis virtutibus* Tuis *deditissimi nugas amans, ea apud* Te *aliquid esse patiaris, atque adeò idem de scriptis meis sentias, quod ille de similibus:*

In facie næuus caussa decoris erat.

Vale Ecclesiasticæ dignitatis honor, & decus verè ἀθάνατον.

CLASSIS XII.

Theoſophia Metaphyſica, ſeu Theologia Hieroglyphica.

PRAEFATIO.

Theologia Ægyptiaca.

AGGREDIMVR tandem arcanam illam Ægyptiacæ Theologiæ Arcem, totius hieroglyphicæ doctrinæ finem & ſcopum; quam qui ritè penetrârit, miram illam in primis iſtis myſtagogis ingenij ſublimitatem & excellentiam non tantùm ſuſpiciet, ſed ſummè quoque mirabitur, quâ ratione tandem fieri potuerit, vt ad tantam diuinorum myſteriorum altitudinem ſolius luminis naturæ fulti ſubſidio pertingere potuerint; adeoque fateri cogetur, Deum Opt: Max. in profundis illis Ethniciſmi tenebris, nè tota de Deo notitia à primæuis Patribus tradita prorſus periret, præcelſos quorundam hominum ſapientiæ ſtudio deditorum conatus ſubinde extraordinariâ quâdam & ſupernaturali illuſtratione imbuiſſe, qua Sybillarum more, quæ ipſi neſcirent, eloquerentur. Inter cœteros tamen priſcæ ſapientiæ Hieromantas potiſſimum locum obtinet, Mercurius ille Triſmegiſtus, qui ab Ægyptijs Theut, à Græcis Triſmegiſtus eſt appellatus, ſiue ob tres potentias in diuina natura primùm ab ipſo obſeruatas, vt Suidas vult; ſiue ob triplicem vitæ conditionem: erat enim, omnium Scriptorum traditione, Philoſophus maximus, Sacerdos maximus, & Rex maximus, vt fusè in Obeliſco Pamphilio l. 1. demonſtrauimus. Vti enim is ingenij acumine, & doctrinæ excellentia omnes retrò Philoſophos ſuperabat, ſic dignitate & amplitudine, diuinorumq́ cultu vniuerſis Sacerdotibus præſtitit; qui regiam adeptus dignitatem, adminiſtratione legum, iuſtitiæ, & æquitatis conſtanti tenore, rerumque geſtarum gloria omnem ſuperiorum Ægypti Regum gloriam obſcurauit. Qui quidem inter Philoſophos à Phyſicis & Mathematicis ad diuinorum contemplationem primus ſe contulit, primus de Dei maieſtate, Dæmonum ordine, animarum mutationibus ſapientiſſimè diſputauit, primus meritò Theologiæ Author. Eum ſecutus Orpheus ſecundas antiquæ Theologiæ partes obtinuit; Orphei ſacris initiatus eſt Aglaophemus, Aglaophemo ſucceſſit in Theologia Pythagoras, quem Philolaus Platonis præceptor ſectatus eſt. Itaque veræ priſcæ Theologiæ vndique ſibi conſona ſecta, ex Theologis ſex miro quodam ordine conflata, exordium duxit à Mercurio, à Platone penitus abſoluta fuit. Scripſit autem, Iamblicho teſte, primò Mercurius libros quamplurimos ad diuinarum rerum contemplationem pertinentes, quos & literis hieroglyphicis exhibuit; arcanis myſterijs & oraculis ita refertos, vt non Philoſophi tantùm, ſed & Prophetæ nomen inde obtinuerit. Hic priſcæ religionis ruinam, hic ortum nouæ fidei, hic aduentum Chriſti, hic futurum iudicium, reſurrectionem ſæculi, beatorum gloriam, ſupplicia peccatorum apertis verbis oſtendiſſe viſus eſt; ita vt S. Auguſtinus dubitauerit, peritiane ſiderum, an reuelatione Dæmonum multa præſtiterit; Lactantius verò illum inter Sybillas & Prophetas

Triſmegiſtus Princeps Ægyptiorum Theologus.

Suidas.

Triſmegiſtus cur ita dicatur.

Orpheus, & alij antiquorum Theologi

Iamblichus. Triſmegiſti libri Theologici.

S. Auguſtinus

non

non dubitat numerare. Hanc itaque hieroglyphicam Mercurij Theologiam hoc loco, quantum ingenij mei debilitas permiserit, tractandam suscepi. Quod dum facio, nihil hic dictum, factum, expositum velim, nisi ex Authorum veterum mente & sententia; omnes proinde fidelis Oedipi partes expleturus. Nam quæcunque de SS. Triade, de anima & spiritu Mundi, de Deorum, Dæmonum, & animarum origine, de Idearum diuinarum in inferiorem Mundum influxibus, de transmigratione animarum, de sacrificijs, eorundemque ratione, ac similibus tandem adducturi sumus; ea omnia cautè legenda nouerit Lector: sunt enim pleraque Orthodoxæ fidei prorsus contraria, primisque Hæresiarchis opportunam turpissimorum dogmatum fundandorum materiam & occasionem præbuerunt, vti fusè probat Liu. Galantes in concordia Platonicæ & Orthodoxæ doctrinæ. Quare si aliqua veritatis lux in ijs eluceat, illam non tam veram expositionem, quàm Orthodoxæ doctrinæ adumbrationem quandam, luminis naturalis, quo pollebant, sublimitate & ingenij præstantiâ prolatam, putabimus; vel si præclarè de Dei natura subinde ratiocinantur, illud præternaturali concursu Numinis potiùs eructasse, quàm comprehendisse, vti de Sybillis diximus, censebimus. Quare omnia in tantum dicta, expositaque velim, in quantum hieroglyphicæ doctrinæ seruiunt, dum non tam quod docuerint, quàm quod docere debuerint, ostendimus.

Authoris protestatio in exponenda Theologia Ægyptiorum.

Liuius.

CAPVT I.

De Theologiæ Ethnicæ origine, & propagatione.

RECTE & sapienter Statius: *Primus in Orbe Deos fecit timor*; siquidem primæui illi mortales, legis naturæ arbitrio victitantes, dum à primæuis Mundi Patriarchis multa de summa Dei maiestate, de summo rigore iustitiæ in Adamo & posteris demonstrato, de peccatorum supplicijs, cœterisque castigationibus & vindictis eiusdem inaudissent; timore quodam panico perculsi, dum omnia ad latentem Numinis præsentiam suspecta haberent, paulatim ad Numen placandum sacrificia, variosque ritus instituerunt. Verùm cùm indiscretâ quâdam notitiâ, Deum omnibus rebus inesse percepissent; diuinâ vnione paulatim pro subiectorum naturalium ratione & numero discissâ & diuisâ, tot in Orbe Numina finxerunt, quot entium gradus esse cognoscebant. Vnde factum est, vt primò Solem, deinde Lunam, cœterasque tùm fixas tùm erraticas stellas tanquam diuini Numinis habitacula singulari cultu prosecuti sint: postmodùm ad elementarem sphœram conuersi, nonnulli quidem ignem, alij aërem, quidam aquam, plerique terram inter Numina reposuerunt. Superstitione itaque superstitionem trudente breui factum est, vt tot, quot creaturæ spectarentur, Numina statuerent, ac tandem totum Orbem futili hâc Idolomaniâ replerent. Quæ cùm fusè in hoc Opere passim declarata sint, ijs immorari diutiùs nolo. Hinc Diabolo se operationibus eorum occultè insinuante, animalium paulatim motus, auium volatus directos, obliquos, superos, inferos obseruantes, demonstratione boni aut mali euentus exciti, vti ex illis extorùm

Statius. Theologiæ Ethnicæ origo timor.

Idololatriæ origo.

Auguriorum origo.

torum inspiciendorum, ita ex his augurioruin artem inuenerunt. Cùm præterea ortus & occasus siderum veluti Numinum motus curiosiùs scrutarentur, inde Astrologia totius Idololatriæ, superstitionis, & diuinatoriarum artium basis & fundamentum emanauit; adeoque nihil non sensibus obuium in diuinationum suarum instrumenta, vti in præcedente Classe traditum fuit, assumpserunt. Hâc igitur conclamatâ ferè cæcitate & ignorantiâ Mundus imbutus cùm esset; Mercurius Trismegistus, diuiniora primorum Patriarcharum dogmata edoctus, nè Mundus tot inanium Deorum figmentis in vltimum caliginis barathrum præcipitaretur, nouam de Deo vno, vero, bono, Angelorumque ac Dæmonum dispositione & ordine Theologiam exorsus, studio ad id excogitatis argutis quibusdam symbolis obuelatam, solis Sacerdotibus sapientiâ & diuturno rerum vsu conspicuis cognitam, idiotis verò & plebi superstitiosæ prorsùs imperuiam, saxis contra omnes temporum iniurias insculpsit. Atque hi sunt famosi illi Theologici libri ab Hermete, teste Iamblicho, in Obeliscis conscripti; ex quibus Pythagoras & Plato prima suæ doctrinæ fundamenta hauserunt; quosque in hodiernum vsque diem Roma superstites veluti antiquæ sapientiæ documentum admiratur, quarum arcana sensa hac in Classe non nisi summatim recensebo, minutiorem interpretationem Tomo III. reseruaturus.

Astrologia origo.

Trismegistus nouam Ægyptijs Theologiam tradit.

CAPVT II.

De natura Dei vti abstractè & ad intra considerari potest, & de definitione Dei, & eiusdem varijs attributis hieroglyphicè exhibitis, ex mente Aegyptiorum.

Platonicum de Dei cognitione effatum

PLatonicum, idque celeberrimum Epiphonema est, Deum inuentu & cognitu difficilem; ita enim in Timæo asserit; *Opificem quidem & Mundi Patrem inuenire difficile, & cùm iam inueneris, prædicare, eloqui vulgò impossibile est.* Quod cùm verissimum sit, ideo Ægyptij Deum solo silentio & cultu intrinseco venerandum pulchrè per Sigalionem Harpocratem signabant, quem nunc nudum, nunc reticulatâ veste indutum, digito labris impresso silentia suadentem exprimebant, vti varijs locis huius Operis ostensum fuit. Puer nudus pingitur, quia Deus ab omni materiæ contagione longè remotissimus in perpetuo iuuentutis flore permanet inalterabilis, silentio potiùs colendus, quàm multis verborum ampullis describendus est. Cornucopiæ sinistrâ tenet, quia bonorum omnium in se

Harpocratē cur Ægyptij pinxerint & sculpserint.



se vbertatem continet. Dum baculo, Vpupæ capite insignito, cum lituo & gnomone pingitur, ostenditur eum totius varietatis, harmoniæ, & ordinis Mundani Authorem esse. Verùm hæc, vt diximus, varijs locis copiosè pertractata consulas velim. Per Crocodilum quoque elingue animal, quod sub aquarum gurgitibus latitans acutè videt, à nemine visum, ostenditur, nullius linguæ facundia eum, prout natura eius fert, satis describi aut exprimi posse; qui inuisibilis cùm sit, & in diuinæ essentiæ suæ caligine latitans, omnia tamen videt, omnia intuetur, & moderatur. Vnde eandem ob causam Ægyptij Deum inducunt symbolo sanè maximè appropriato, sedentem supra lotum aquaticam, scilicet arborem, teste Iamblicho, lib. de mysterijs; quo significant, Deum principatu suo Mundanum excedere lutum, nec attingere gubernando, sed principatum gerere intellectualem penitus & empyreum; omnia enim in Loto rotunda sunt, tùm poma, tùm folia; ex quo significatur diuinæ mentis semper eodem pacto se habentis, circularis actio. Deus igitur ipse supra hanc actionem in seipso consistit, superans eiusmodi principatum, sanctus, & venerandus, & in seipso penitùs conquiescens; quod quidem ex actu sedendi significatur. Verùm vt hæc omnia fusiùs explicentur.

Harpocrates Loto insidens. Iamblichus.

Notandum est, Deum duplici ratione considerari posse, vel ab intra, & in quantum ab omni creatarum rerum consortio longè remotus, solo inaccessibili essentiæ suæ infinitæ latibulo tegitur; vel in quantum respectum ad creaturas dicit, siue quod idem est, in quantum è caliginis suæ penetralibus euolutus, in creatis rebus se considerandum præbet: de vtroque considerandi modo quid Ægyptij senserint, modò explicandum est.

Deus considerari potest secundùm ea quæ conueniunt ipsi ab intra, & ab extra.

§. I.

Definitio DEI.

QVæritur itaque primò, quid secundùm Ægyptios Deus sit? Respondet Trismegistus apposite his eum verbis describens: *Deus circulus est, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.* Circulus itaque Deus est, omni principio & fine carens. Deus circulus est, omnem Mathematicam circuli peripheriam infinitâ intercapedine excedens. Deus circulus est, cuius centrum peripheriæ, id est, interna eius essentia immensitati æquatur, cuius diameter cum centro & circumferentia in vnum recidit. Deus circulus est, cuius centrum nullos immensitatis

Deus quid sit secundùm Ægyptios.

Deus Circulus est secundùm Trismegistum.

tis

tis suæ terminos habet; circumferentia verò vel infinitorum Mundorum limites excedit. In hoc circulo quidquid contentum, continenti prorsùs æquale est; & vt Ægyptiaca Aristotelis Theologia habet; quidquid angulorum, costarum, linearum, & superficierum, aliorumque imaginabilium in alijs circulis ac figuris est, huic inest; ipse verò indiuisibilis ac indimensus est, à quo omnes lineæ, id est, essentiæ & formæ rerum vti oriuntur, ita in eundem veluti totius naturæ centrum reuertuntur. Verùm hæc paulò dilucidiùs explicemus.

Aristoteles.

Sphœræ & Circuli proprietas.

Sciendum in sphœra infinita tres maximas lineas, longitudinis, latitudinis, & profunditatis in centro concurrere, sed centrum sphœræ omnium maximæ, vti in Geometria hieroglyphica docuimus, æquatur & diametro, & circumferentiæ. Tribus itaque lineis (cùm tres illæ maximæ lineæ, longitudinis, latitudinis, & profunditatis nihil aliud quàm diametri in sphœra sint,) centrum æquari necesse est; imò centrum omnes hæ tres, nostro concipiendi modo, dimensiones sunt, longitudo, latitudo, & profunditas. Maximum itaque, simplicissimum, & infinitum, vt coexistant necesse est: est enim longitudo, latitudo, & profunditas, quæ in Deo sunt, & vnum sunt, simplicissimum, & maximum, vti centrum est indiuisibile, omnemque longitudinem, latitudinem, & profunditatem præcedit: est finis omnium illorum, atque medium; sunt enim in sphœra infinita soliditas, & circumferentia prorsùs idem. Porrò sicuti sphœra infinita penitùs est in actu, & simplicissima; ita maximum est penitùs in actu simplicissimè: & sicuti sphœra, vti in Geometria dictum, est actus lineæ, trianguli, & circuli; ita maximum est omnium actus; quare omnis actualis existentia ab ipso habet quicquid actualitatis existit, & omnis actualis existentia in tantum existit actu, in quantum in ipso infinito actu est, & hinc maximum est, & forma formarum, & forma essendi, siue maximè actualis entitas. Vnde Parmenides hæc considerans, rectè & subtiliter inferebat, *Deum esse, cui esse quodlibet quod est, est esse omne id quod est.* Sicuti igitur sphœra est vltima perfectio figurarum, quâ maior non est; ita maximum est perfectio omnium perfectissima; adeoque omne imperfectum in ipso est perfectissimum, vti linea infinita sphœra est, & in ea curuitas est rectitudo, & cõpositio simplicitas, & diuersitas est identitas, & alteritas vnitas est: quomodo enim in Deo quidpiam imperfectionis esse possit, capi non potest, cùm in eo imperfectio nihil aliud quàm infinita perfectio, & possibilitas infinitus actus existat. Patet itaque quomodo hæc diuinæ essentiæ sphœra totius Vniuersi, & omnium in Vniuerso existentium vnica sit simplicissima & adæquatissima mensura; quoniam in eo totum non est maius suâ parte, sicut sphœra infinita; non est linea infinita maior. Deus itaque est vna simplicissima totius Vniuersi ratio. Et quemadmodum post infinitas circulationes, sphœrica tandem soliditas emergit, ita Deus omnium circulationum vti sphœra maxima & simplicissima mensura; omnis enim viuificatio, motus, & intelligentia ex ipso, in ipso, & per ipsum, apud quem vna octaua sphœra non est minor, quàm infinitæ, quia finis est omnium motuum, in quo omnis motus vt in

Deus sphœræ & circulo comparatur.

Deus quid sit secundùm Parmenidem.

Sphœra diuinæ essentiæ omnium mensura.

fine

fine quiescit: est enim quies maxima, in qua omnis motus quies est; ità maxima quies, omnium motuum mensura est, sicuti maxima rectitudo omnium circumferentiarum; & maxima præsentia siue æternitas omnium temporum: in ipsq enim omnes motus naturales vt in fine quiescunt, & omnis potentia in ipso perficitur, vt in actu infinito; & quia ipse est entitas omnis esse, & omnis motus est ad esse. Ergo quies motus est, qui est finis totius motus, scilicet forma & actus essendi. Entia igitur omnia ad ipsum tendunt. Et quoniam finita sunt, & non possunt æqualiter participare finem in comparatione ad se inuicem, hinc aliqua participant hunc finem per medium aliorum, sicuti linea per medium trianguli & circuli in sphœram ducitur, & triangulus per medium circuli, & circulus in sphœram per seipsum. Ex his, ni fallor, apertè patet, quàm aptè Hermetica illa definitio Deo quadret, & quàm aptè diuinam essentiam & naturam, quoad ingenio humano comprehendi potest, expresserit. Hinc non sine ratione, circularem figuram tanto in honore habuerunt, vt vix sit hieroglyphicum aliquid diuinum repræsentans, quod hâc circulari figurâ non sit præfiguratum. Hinc passim Deorum & Numinum capitibus insertam videas; vtebantur enim libenter ad diuinam naturam exprimendam figuris huiusmodi Mathematicis, mirâ quâdam proprietate præditis, & simplicissimis Schematis ab omni mortalium rerum mistura semotis, ad omnium simplicissimam & abstractissimam rem, cuiusmodi Deus est, repræsentandam aptis. Verùm his ità ritè propositis, nunc attributa, quibus Deum describebant, videamus & examinemus.

Dei proprietates & attributa.

Circulus in honore apud Ægyptios.

§ II.

Attributa DEI.

DEVS primò Mens dicitur à Trismegisto: *Mens* (inquam, vt verbis eius vtar) *ac ratio sese complectens, libera ab omni corporis mole, ab errore aliena, impassibilis, intangibilis, ipsa sibi assistens, purgans, atque seruans omnia, cuius radij sunt bonum, veritas, principale lumen, primaque animarum forma.* Hinc Æsculapio, quid Deus esset interroganti, respondet: *Quod nullum ex ijs est, horum tamen omnium sit causa, præsens quidem cunctis, præsens etiam vnicuique, nec quicquam permittit non esse; omnia ex his quæ sunt, producta sunt; de nihilo autem nihil prouenit: nam quæ minimè sunt, nullam naturam habent, quâ fieri valeant; contrà ea quæ sunt, naturam non habent, per quam aliquando non existant.* Sed quibus hieroglyphicis diuinam naturam, eiusdemque attributa exhibuerit Trismegistus, videamus. Simulachra Ægyptia, vti Obelisci & Isiaca mensa demonstrant, passim pinguntur tutulis magnâ rerum varietate refertis; à quibus tamen nunquam circularis absit figura. Videas illa varijs animantium formis transformata varijs sceptris, ijsque πολυμόρφοις instructa; quæ quidem omnia nihil aliud nisi diuersa Dei Opt. Max. attributa significant, vt fusissimè in ipsa actuali

Deus dicitur à Trismegisto Mens.

Hieroglyphica quibus Deum Trismegistus adumbrat.

hieroglyphicorum interpretatione exponemus, quod in III. Tomo fiet.

Trismegistus. Nam quæcunque Trismegistus in Pimandro & Asclepio de Deo refert, nihil aliud sunt, quàm quod in principio Obeliscorum, & in memorata tabula Bembina seu mensa Isiaca habetur, miranda simulachrorum metamorphosi effigiatum. Nam in Trismegisto quinque modis Deum descriptum inuenimus; primò per attributa quædam absolutè conuenientia; secundò per negationem; tertiò per analogiam & metaphoram; quartò per contradictoria; quintò per relationem. Hunc quotquot ex Pythagoræis & Platonicis secuti sunt, idem sanctè confirmarunt. Primò enim in Pimandro dicit, Deum ante omnia, Deum omnia entia, & non entia; Deum in se habere omnia, Deum omnia potuisse facere, omnia in se habere, omnia conseruare, omnia ad se conuertere. Deus est itaque primus omnium; sic enim in libello [quod nihil pereat,] dicit: *Deus primus est omnium reuera, est ingenitus, & opifex vniuersorum.* Rationem affert dicti, quod primum absolutè id dicitur, ante quod aliud non est; ante Deum nihil aliud est, est ergo primus omnium. Hinc per Phœnicem, teste Horo, non malè expresserunt, utpote cuius originem nemo nouerit, solus sibi & vitæ author, & sui generator. Quod autem ante Deum nihil aliud, sic probat. Si ante Deum aliud est, vel potentius ipso Deo est, vel par, vel debilius: sed nihil horum; ergo. Minor probatur. Non potentius: si enim potentius quidpiam ante Deum, iam Dei naturam cessare necessarium est, cùm aliquid ipsi desit, quo non sit potentissimus. Non par; quia si pares sunt, ambo erunt prima entia; at hoc est impossibile, cùm in vnoquoque genere vnum solummodò maximum sit. Non debilius, cùm non dici possit primum; qui enim primum dicit, ponit & ante secundum, & tertium. Quæ omnia pulchrè in Theologia Aristotelis iuxta mentem Ægyptiorum demonstrantur, & ex Platonis mente sunt. Pari ratione probat, Deum esse primam causam, imò causam causarum, & primum motorem; quod Mercurium secuti Plato, Aristoteles, & reliqui Theologi Platonici asseruerunt. Verùm audiamus ipsa Mercurij verba, qui in Pimandro per negationem Deum describit: *Vniuersum Mundum verbo, non manibus, fabricatus est Opifex; ipsa verò sic cogita illum præsentem semper, omnia agentem, Deum vnicum voluntate sua omnia constituentem; id enim eius corpus est, non tangibile, non visibile, nec alteri cuipiam simile; nam neque ignis, neque aqua, neque aër, neque etiam spiritus, verùm ab eo pendent omnia, bonum verò ita est, vt sibiipsi id competat.* Et paulò post, inuisibilem eius omnibus rebus præsentiam ita depingit: *Ne præcipuum tibi Dei nomen desit, neque ignores id, quod plurimis occultum videtur, esse perspicuum; nam si nusquam pateat, nihil vtique erit. Quodcunque se offert aspectui, genitum; quod verò latet, sempiternum; neque opus est vt appareat, cùm nunquam esse desinat; ante oculos quidem id reliqua ponit, ipsum verò secretum manet, vtpote quod vitâ perfruatur sempiternâ; in lucem planè educit omnia, in adytis delitescit, vnicum enim id ingenitum, incomprehensibile phantasia, cùm verò cuncta per eum clarescant, per omnia, atque in omnibus fulget; iisque præsertim apparet, quibus nomen suum communicare voluit.* Et paulò post: *Nihil enim est in omni natura, quod ipse*

Deum quinque modis describit Trismegistus.

Deus Phœnici cōparatur.

Trismegistus de Deo altissimè sensit.

ipse non sit; est ille quidem omnia, quæ sunt; est etiam, quæ minimè sunt; quæ quidem sunt, deduxit in lucem; quæ verò non sunt, occuluit in seipso. Quemadmodum verò sine factore fieri quicquam nequit; ita Deum existima, nisi semper agat omnia, impossibile existere quicquam posse in cœlo, aëre, terra, mari, in toto Mundo, in qualibet Mundi particula tota, tùm in eo quod est, tùm in eo quod non exstat. Hic Deus nomine melior, hic rursus omnium potentissimus, hic menti conspicuus, hic præsens oculis, hic incorporeus, hic, vt ita dixerim, multicorporeus; nam nihil in corporibus est, quod ipse non sit; omnia enim ipse solus existit; nomina insuper habet omnia, quoniam vnus est Pater; nomen quoque nullum habens, quoniam Pater est omnium; quid ergo te laudabit? supra te, an infra te positum? Quo vertam oculos vt te laudem? supernè an infra? intus an extra? non motus, non locus circa te, non aliud quicquam ex omnibus; in te autem omnia, à te omnia, præbes omnia, nil denique suscipis, omnia autem habes; quod autem non habes, idipsum nihil; quando autem te Pater laudabo? Tempus & momentum tuum capere non valemus; qua potissimùm in re laudes tuas cantabo? Num in his, quæ creaueris? an in ijs quæ non creaueris potiùs? num in his fortè quæ in lucem eruisti è tenebris? an in his, quæ adhuc latent arcano situ recondita? per quid tandem hymnos tuo cantabo Numini? nunquid in laudatione tali ego ipse mei iuris existam, an potiùs alter efficiar? Ipse profectò es, quicquid ego sum; ipse es, quicquid agam; ipse es, quicquid denique dicam; ipse enim es omnia, neque aliud præter te quicquam. Quod sanè non est, es ipse; ipse omne quodcunque genitum, ipse omne quod nunquam genitum: Mens quidem intelligens, Pater fabricans, Deus efficiens, bonum, bona faciens omnia. Hæc Mercur.

Quis, rogo, Christianum nobis inueniat, qui de Deo altiora & rectiora proferre possit? quis Theologum, qui profundiùs de diuinitate sentire possit? Certè expressa reperiuntur hæc omnia quàm appositissimè in hieroglyphicis per simulachrũ Ibidis facie conspicuum, in throno variè adornato, tutulo varijs symbolis exornato, & sceptro Isimorpho. Per Ibidis enim viuacissimi, perspicacissimi, & velocissimi animalis figuram, quid aliud notant, nisi viuacitatem, imò ipsam rerum omnium vitam, velocitatemque Dei omnis motûs expertem, quia omnia vt præsentia peruidet, omnia scrutatur & penetrat; cuius oculos nil latet rerum in Vniuerso absconditarum? quid per sedem, nisi potestatem in omnia, & quietem æternam? quid per baculum Isimorphum, nisi potentiam dominiumque in omnia absolutissimum? vti enim Osiris actiuum, ita Isis passiuũ rerum omnium principium est. quid per tutulum φλογο-κυκλο-πτερόμορφον, igne, circulo, serpentibus, pennis instructum, nisi æternitatem per circulum; per ignem lucem luciùm; per serpentes vitam vitarum; per pennas velocitatem operationum, qui solâ voluntate omnia causauit? Verùm hæc omnia ampliùs tùm in Obe-

Hieroglyphicum Dei naturam & proprietatem explicans.

Sacerdotes Aegyptij Deo supplices inuocabant tenebras.

lisco Pamphilio, tùm in III. Tomo, suo loco explicata reperies. Hinc Sacerdotes in mysticis sacrorum adytis, Deo supplicaturi ter tenebras inuocantes, id est, impenetrabilem diuinitatis caliginem, in medium iisdem ornamentis & schematis hieroglyphicis, quibus Dei simulachrum expresserant, prodire solebant, hoc ipso suboscurè indigitantes, occultis eum se symbolis, mysticisque rerum inuolucris, quem nullo sermonis eloquio pronunciare possent, exhibere; plùs enim huiusmodi symbola, soli Deo nota, & suæ diuinæ naturæ & essentiæ veluti specula quædam, valere putabant, quàm multas verborum ambages: intimiùs quoque Deo se adhæsuros credebant per abditam huiusmodi symbolorum exhibitionem, quàm vocum verborumque mox interiturorum prolatione. Quæ omnia verbotenus Platonicos ab Hermete accepisse, is nouerit, qui singula cum singulis aptè combinauerit. Verùm de his passim toto hoc Opere. His præmissis, iam quomodo relationem, trinamque Dei essentiam exhibuerint Ægyptij, videamus.

CAPVT III.

De Attributis DEI relatiuis.

Dei attributa relatiua.

Aegyptij subobscuram Trinitatis cognitionem habuerunt.

ÆGyptios subobscuram aliquam SS. Triadis notitiam habuisse, ex ijs, quæ paulò pòst adducemus, patefiet. Quam quidem aliunde non profluxisse arbitror, nisi ex primorum Patriarcharum successiuæ traditionis propagine; quâ dum multorum annorum spacio fruitur curiosissimus rerum diuinarum scrutator Hermes, mirum non est, multa ex ijs eum expiscatum fuisse diuinæ scientiæ documenta, posterisque veluti summa & inaccessa sacramenta, hieroglyphicis contra profanorum temeritatem munita, saxis veluti æternùm duratura, vt in Obelisco Pamphilio, & in hoc Tomo Classe II. copiosè probatum fuit, exsculpsisse. Quoniam verò intellectus humanus tantùm ac tam impenetrabile diuinæ naturæ lumen ferre minimè potest, nisi veræ fidei lumine fulciatur; mirum quoque non est, Hermetem hoc destitutum lumine mysterium in nonnullis locis non rectè explicasse; dum subinde tres existendi formas in Deo, nunc τρεῖς δυνάμεις, id est, tres potentias, teste Suida (ob quam rem & Trismegistus dictus fuit) Deo affingit. Negari tamen non potest, eum de hoc vti primo, ita omnium altissimo mysterio assumpto ratiocinio, omnes meritò posteros Philosophos & Theologos Gentiles multis parasangis superasse. Nam adeo clarè & distinctè tres in diuinis hypostases describit, vt multi dubitent, num à Christiano quopiam primi seculi Philosopho, an à Gentili eiusdem seculi à Christianis instructo talia prolata sint. Certè S. Augustinus scripta huius Authoris obstupescens, apertè fatetur, non humano ingenio tantùm, sed diuini Spiritus afflatu correptum tot ac tanta vel ipsis Hebræis ignota, solisque Patriarchis nota protulisse. Est itaque primo Pater per ipsum; quem alibi Mentem vocat; alibi, vti suprà

Trismegistus non benè explicat mysterium Trinitatis.

Trismegistus tres hypostases agnoscit in diuinis.

S. Augustinus

vidi-

vidimus, & Dominum & Patrem, Deum, Fontem, Vitam, Potentiam, Lucem, Mentem, & Spiritum; in quibus verbis non modò fit mentio ipsius Patris, sed & Filij, & ipsius Spiritus sancti. Πάντων γὰρ, inquit, κύριος, καὶ θεὸς, καὶ πηγὴ, καὶ ζωὴ, καὶ δύναμις, καὶ φῶς, καὶ νοῦς, καὶ πνεῦμα. Sed quid admirabilius hâc descriptione? *Monas Monadem genuit, & in seipsum reflexit amorem.* Vbi per Monadem generantem haud dubiè Patrem, per generatam Monadem Filium, per Amorem ab vtroque procedentem, Spiritum sanctum exhiberi voluit. Quam doctrinam confirmat in Pimandro his verbis: *Vna sola lux fuit intellectualis, scilicet Pater ante lucem intellectualem; nihil aliud fuit huius vnio, quam Spiritus omnia continens.* Quis sub his non videt, per lucem intellectualem primam intelligi Patrem; per secundam Filium, per vnionem Spiritum sanctum? Verba Græca sunt: Ἓν μόνον ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν ἢ ἡ τούτου ἑνότης, καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον. Secundam personam quoque Filium Dei, & Verbum lucidum vocat. Ὁ δὲ νοῦς φωτεινὸς λόγος, υἱὸς Θεοῦ. *Mens enim lucidum Verbum, Filius Dei.* Μὴ γὰρ διΐστανται ἀπ' ἀλλήλων, ἕνωσις γὰρ τούτων ἡ ζωή. *Non enim distant hæc ab inuicem, sed vnio omnium vita.* Atque ex his patet, Mercurium hoc loco non hypostases tantùm diuinas adumbrasse, sed & quomodo hæ tres hypostases omnia opera ad extra ex nihilo in lucem produxerint, sequentibus verbis ostendisse; Ἐπήδησεν εὐθὺς ἐκ τῶν κατωφερῶν στοιχείων ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, εἰς τὸ καθαρὸν τῆς φύσεως δημιούργημα, καὶ ἡνώθη τῷ δημιουργῷ, ὁμοούσιος γὰρ ἦν. *Exilijt statim ex deorsum latis elementis Dei Verbum, in purum Dei opificium, & vnit se Opifici Menti, consubstantialis enim erat.* Hic exhibet apertis verbis Patrem per Opificem Mentem, Filium per Dei Verbum, Spiritum per vnionem, quâ Opifici Menti Dei Verbum vnitur; & nè quis credat, accidentali quâdam vnione fieri, addit verba ὁμοούσιος γὰρ ἦν: est enim consubstantiale Opifici Menti Verbum Dei, eiusdem naturæ, essentiæ & substantiæ; cùm verò Verbum à Mente Opifice non distet, vt suprà asserit, sed ipsi vnitum sit, certè & vnio vnionis hæc, quæ est Spiritus sanctus, cum Patre & Filio idem quoad naturam & substantiam esse necesse est. Porrò Mentem hanc primam generatricem esse & conditricem, non manu, sed verbo, apertè docet his verbis: Φύσις τοῦ νοεροῦ αὐτοῦ λόγου, φύσις ἐστὶ γεννητικὴ καὶ δημιουργική· τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς ὁ Πατὴρ, οὐ χερσὶν, ἀλλὰ λόγῳ. *Natura intellectualis Verbi, natura est genitrix & conditrix, totumque Mundum fecit Opifex Pater, non manibus, sed Verbo.* Atque hæc sunt pronunciata Mercurij de SS. Triade, à quo omnes posteri, Orpheus, Pythagoras, Plato, Zoroaster sua pleraque desumpserunt, vti in Sphynge mystagoga demonstrauimus. Nam & Zoroaster Deum πατρικὴν μονάδα, *paternam Monadem* vocat, & Monadem duo generantem; Ταναὴ ἐστὶ μονὰς, ἣ δύο γεννᾷ· *protensa est Monas, quæ duo generat;* Δυὰς γὰρ παρὰ τῷδε κάθηται; *Dyas enim apud hunc sedet.* Prima itaque generatio protensæ Monadis, est Dyadis, quæ Dyas cum Monade facit Triadem, vti his verbis indicat: Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριὰς, ἧς μονὰς ἄρχει: *Toto enim in Mundo fulget trias, cuius Princeps Monas est.* Ταῖσδ' ἀρχαῖς τρισὶ δουλεύουσιν ἅπαντα: *Nam tribus hisce principijs seruiunt omnia.* Nam πάντα ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ; *Omnia perfecit Pater, & Menti tradidit secundæ,* quæ est Filius. Tertium verò principium vocat terminum paterni profundi, vt sequi-

Trismegistus mentionem facit Patris, & Filij & Spiritus sancti.

Trismegisti doctrina de Trinitate.

Ethnicorum Theologi à Trismegisto didicerunt Theologiam.

Zoroastri de Trinitate sententia.

quitur: Ἐστὶ γὰρ πέρας πατρικοῦ βυθοῦ, καὶ πηγὴ τῶν νοερῶν. *Est enim terminus paterni profundi, & fons intellectualium*, hoc est, totius SS. Triadis. Sed vide suprà in Classe III. de Zoroastræis effatis hæc omnia vberius exposita.

Symbola quibus Trismegistus expressit diuinitatis Sacramenta.

Sed vt doctrina tradita hieroglyphicis consentiat, queîs memorata diuinitatis Sacramenta symbolis expresserit Hermes, videamus. Primò enim cùm tres in Deo formæ, vt Ægyptij loquuntur, quas Orthodoxi hypostases vocant, sub vnitate naturæ notescant; circulum alatum & serpente foetum posuit, huius tam arcani mysterij symbo-

Circulus alatus diuinitatis symbolum.

lum, vt patet ex Obelisco Pamphilio, & ex tabula seu mensa Isiaca, vbi nulli non simulachro suprapositus spectatur; vti suo loco videbitur. Per circulum, puram diuinitatis formam, Numen æternum, immensum, ab omni materiæ illuuie abstractum significauit; per serpentem, secundam diuinitatis formam (est enim serpens animal viuacissimum, & nullo membro, teste Horo, præter os constans) seu Verbum Dei, & secundam Mentem Opificem, apposité notauit; per alas globo affixas, tertiam diuinitatis formam, Spiritum omnia peruadentem, apte expressit; atque hoc pacto per totum, ex tribus coalitum per modum vnius cuiuspiam consideratum, diuinam naturam, tribus distinctis potestatibus constantem, indicauit. Verùm vberiorem horum omnium expositionem, innumeris authoritatibus stabilitam, in Obelisco Pamphilio lib. 3. fol. 400. Lector curiosus expendat velim.

Triangulum æquilaterum Deitatis symbolum.



Iterum per triangulum æquilaterum hæc omnia, pari ratione expressit Hermes, hâc tamē differentiâ, quòd in circulo diuinam naturam trinam, absque omni ad creaturas respectu, in triangulo verò diuinitatis naturam trinam prout relationem quandam ad creaturas dicit, mirâ ingenij vi, indicauit; tametsi & circulus, & triangulum in diuinæ naturæ consideratione idem prorsus & vnum sint; quod iam paulò fusiùs explicandum duxi, vt admirabilis ille in Hermete ingenij & intellectus vigor luculentiùs innotescat.

Circuli & trianguli Deitatis symbolorum explicatio.

Circulus est figura vnionis & simplicitatis perfectæ, vti suprà ostensum fuit, & triangulū in Deo est circulus, vt in Geometria hieroglyphica diximus; & ita Trinitas est Vnitas. Sicuti autem circulus infinitus est, ita & vnitas pariter infinita vt sit, necesse est: vnde & omni expressibili vnitate magis vna & identica est, ita vt omnes etiam relatiuas oppositiones antecedat, quoniam ibi aliud & diuersum identitati non opponuntur;

atque

atque adeo omnia quæ sunt, eique conueniunt, absque diuersitate & alietate sunt ipsum, vt non sit alia bonitas, non alia sapientia eius, sed idem; tanta siquidem est eius duratio, vt præteritum non sit aliud in eo à futuro, & futurum non aliud à præsenti, sed sunt vna duratio, & æternitas, omnis principij & finis expers; nam tantum est in ipso principium, vt finis in eo sit idem principium. Quæ omnia clarè patent ex circulo infinito, qui cùm maximus sit, eius diameter maxima quoque sit necesse est, & consequenter circumferentia diametro æquabitur; infinita verò diameter infinitum medium habet, medium hoc centrum est, centrum ergo, diameter, & circumferentia idem sunt; vt proinde ex hoc pateat sensus definitionis Hermeticæ suprà adductæ, *Deus circulus est, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam.* Est itaque omnium maximum istud, cui minimum non opponitur, sed centrum est in eo circumferentia. Ex hisce patet, quomodo omnium maximum perfectissimè est intra omne simplex & indiuisibile, quia centrum infinitum; & extra omnia quæ Mundi ambitu continentur, quia circumferentia est infinita; & quia omnia penetrat, dicitur diameter infinita; quia verò principium omnium, centrum dicitur. Vides itaque, quomodo maximum cum nullo idem est, neque diuersum, & quomodo omnia in ipso, ex ipso, & per ipsum; nam non esse in ipso est maximum esse, sicut minimum est maximum, & de mensura omnis ἀνακυκλώσεως, quæ est de potentia in actum, & redeundo de actu in potentiam mensura est compositionis à principijs ad indiuiduas & resolutionis indiuiduorum ad principia, & formarum perfectarum circularium operationum, motuum quoq; super se & ad principium redeuntium, similiumque, quorum vnitas in quadam circulari perpetuitate consistit. Imò tota trias in ipso perfectissima vnitas est, quemadmodum in centro infinito, centrum, diameter, & circumferentia vnio est consumatissima; ita vt per centrum quidem principium circuli, prima hypostasis Pater; per diametrum, secunda hypostasis, Filius; per circumferentiam omnia vnientem, tertia hypostasis, Spiritus sanctus apposite exprimatur. Ex dictis quoque patet, quomodo tota Theologia per circuli proprietates aptè exprimatur, ita vt omnia diuinæ essentiæ attributa ad inuicem circulari quodam intellectus motu verificentur, ita vt summa iustitia sit summa veritas, & summa veritas sit summa iustitia, & sic de cœteris attributis. Sed ad institutum reuertamur.

Circulus infinitus Dei symbolum potissimum.

Circuli proprietates totam Theologiam exprimunt.

Triangulum itaque æquilaterum Ægyptij assumebant ad triformem Dei naturam, vt ipsi loquuntur, indicandam, quæ cùm in Deo infinita sit, tres angulos pariter infinitos vt habeat necesse est; vnde personarum diuinarum æqualitas ex infinito rectè colligitur. Cùm verò plura infinita esse non possint, sequitur necessario, in magno illo diuinitatis trigono tres hosce infinitos angulos, vti & cœtera, prorsus vnum esse; imò & hoc triangulum circulum esse, & circulum triangulum, & angulum latus, & latus angulum esse, quemadmodum circumferentia diameter, & diameter circumferentia, & duo hæc vnum & idem centrum sunt in diuinis. Quoniam tamen in triangulo nescio quæ alteritas, nostro concipiendi modo,

Trianguli proprietates Dei proprietates exprimunt.

modo, ob angulorum resultantiam, quæ minimè in circulo est, conside-ratur; hinc apposite sanè circulum veluti diuinæ naturæ triformis, vt loquuntur, ab omni rerum creatarum consortio remotæ prototypon as-sumpserunt; triangulum verò diuinæ naturæ triformis, in quantum ad extra procedit. quæ omnia sanè pulcherrimo hieroglyphico innuerunt, vt sequitur; vbi Horus Mundus sensibilis, affixum dorso gerit triangulum, cui globus annexus est, quo indicare voluerunt, ex trigono archetypo Mundum hunc sensibilem ad diuinæ essentiæ similitudinem sphœricum profluxisse, siue quod idem est, ex sphœra archetypa Mundum hunc sensibilem ad essentiæ diuinæ exemplar trigonum profluxisse; omnia siquidem triadis signaculo fuisse insignita, mirabili quâdam ingenij perspicacitate notabant. quod quidem mysterium pulcherrimè per sequens symbolum passim in Obeliscis obuium, exprimendum censuerunt. Sphœra est, ex qua tres triangulorum catenæ deducuntur: & per sphœram quidem diuinæ essentiæ prototypon; per trigonum triformis Dei natura indicatur; per tres catenas triangulorum, tres Mundi, Intellectualis, Sidereus, & Elementaris; qui omnes trigoni characteris signaculo ad diuinæ mentis similitudinem notati sunt, exhibentque omnium rerum in Deo existentes ideas, vt alibi fusè ostendimus, & in III. Tomo ex professo declarabitur; quare ea hoc loco tantùm indicasse sufficiat.

Hori hieroglyphicum Dei symbolum.

Nota Lector, triangulo figuræ dorso annexe deesse globum.

CAPVT IV.

De Mundi intelligibilis, & intellectualis ordine & dispositione.

Plato.

Triplex Mundus ex vnitate archetypa prodijt.

Trismegistus.

TRiplicem Mundum ex vnitate archetypa prodijsse, Plato Author est, vtique ab Ægyptijs id edoctus. Vel vt Zoroastres, Mundus ex paterno fundo tribus triadibus compositus processit. Quomodo autem id factum sit, Hermes in suo Pimandro ostendit. *Cernebam enim immensum quoddam spectaculum, omnia videlicet in lumen conuersa, suaue nimium atque iucundum, quod intuentem me mirificè oblectabat. Paulò post vmbra quædam horrenda, obliquâ reuolutione subter labebatur, in humidamque naturam migrabat, ineffabili tumultu exagitatam. Inde fumus quidam magnus in sonitum erumpebat; ex sonitu vox egrediebatur, quam ego luminis vocem existimabam;*

bam; ex hac luminis voce, Verbum factum prodijt. Verbum hoc naturæ humidæ adstans, eam fouebat; ex humidæ autem naturæ visceribus, sincerus & leuis ignis protinus euolans, alta petijt. Aër quoque leuis spiritui parens, mediam regionem inter ignem & aquam sortiebatur. Terra verò & aqua sibi inuicem commixtæ iacebant, vt terræ facies aquis obruta nusquam pateret. Hæc duo deinde commota sunt à spiritali verbo, quod eis superferebatur, aures eorum circumsonans. Tunc Pimander ait: Aduertis quid hæc sibi visio velit? Cognoscam inquam. Ait ergo Pimander: Lumen illud ego sum; Mens, Deus tuus, antiquior quàm natura humida, quæ ex vmbra effluxit. Mentis verò germen, Verbum lucens, Dei Filius. Quid ergo inquam? Sic, inquit, cogita, quod in te videt & audit, est Verbum Domini, Mens autem Pater Deus; neque enim distant ad inuicem: horum Vnio vita est. Quæ omnia tam aptè dicuntur, vt ea ex Genesi excerpsisse videatur. Pergit deinde. *Elementa naturæ vnde manarunt? Pimander. Ex voluntate Dei, quæ Verbum complexa, pulchrumq; intuita Mundum, ad eius exemplar reliqua suiipsius elementis vitalibusque seminibus exornauit. Mens autem Deus, vtriusque sexus fœcunditate plenissimus, vita & lux, cum Verbo suo Mentem alteram Opificem peperit; qui quidem Deus ignis atque Spiritus Numen, septem deinceps fabricauit gubernatores, qui circulis Mundum sensibilem complectuntur; eorumque dispositio Fatum vocatur. Connexuit inde Dei Verbum, ex elementis deorsum tendentibus, purum naturæ artificium, vnitumque est Opifici Menti. Consubstantiale enim erat: Relictaque sunt Elementa naturæ deorsum cadentia sine ratione, vt sint tanquam sola materies. Mens quidem Opifex vnà cum Verbo circulos continens, ac celeri rapacitate conuertens, suam ad se machinam flexit, eamque volui à principio sine principio ad finem absque fine præcepit. Incipit enim illic semper vbi desinit. Horum profectò cunctorum circuitus, quemadmodum ipsa Mens voluit, ex elementis inferioribus animalia conflauit rationis expertia; neque enim præbuit rationem. Aër volatilia protulit, aqua verò natantia. Distincta quoque inter se sunt aqua & terra eum in modum, qui Menti placuerat. Terra postmodum animantia, quæ intus habuerat, peperit, quadrupedia videlicet, serpentia, feras, agrestia pariter atque domestica. At Pater omnium intellectus, vita & fulgor existens, hominem sibi similem procreauit, atque ei tanquam filio suo congratulatus est: pulcher enim erat, Patrisque sui ferebat imaginem. Deus enim re vera propria forma nimirum delectatus, opera eius omnia vsui concessit humano. Homo autem cùm considerasset in Patre suo rerum omnium procreationem, ipse quoque fabricare voluit. Vnde à contemplatione Patris ad sphœram generationis delapsus est.* Verbo itaque Dei iuxta Hermetem Mundus constitutus est, quod & Orthodoxæ fidei congruit, iuxta illud: *Verbo Dei cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Huc alludit illud Zoroastræum, vti suprà in effatis Classe III. patuit: *Pater omnia compleuit, & Menti tradidit secundæ.* Verùm vt hæc luculentiùs pateſiant, paulò altiùs ordiri visum est.

Trismegisti de Mundi productione sententia.

Verbo Dei factus Mundus secundū Hermetem.

Zoroaster.

Mundus itaque ex Paterno fundo tribus triadibus composito emanauit, iuxta Chaldæorum, Ægypriorumque mentem. Quomodo? Fundum Paternum, vt suprà in Classe III. in Effatis Zoroastræis docuimus, nihil aliud est, quàm Verbum Paternum; Pater enim omnia confecit, &

Fundum Paternum quid.

Menti tradidit secundæ, qui est Filius; quicquid itaque in Patre, hoc ipsum transfudit in Filium, id est, in profundum suum. His positis, triplicem Chaldæi asserunt rerum multitudinem; primam in Patre, quæ ingenita & improducta est, & est virtualis quædam multitudo summè vna, neque ab eo prodijt vnquam. Alia est in profundo Paterno, id est, Filio, quæ vti à Patre emanauit, ita prorsus est ab eodem indistincta, indiuisa, & increata; non enim ex nihilo, sed ex omnium maximo est producta; nam si in Patre prius erat, & ex eo in totum profundum suum fuit diffusa, Pater autem est omnia, omnia non sunt nihilum; ergo non sunt ex nihilo; non sunt ergo creata; ergo omnia ea, quæ extra profundum sunt, propriè creata esse dicuntur, Mundus videlicet Angelicus, Sidereus, & Elementaris; suntque entia vel corporea, vel incorporea, vel corporea simul & incorporea; nam quæ in profundo existere dicuntur, tametsi incorporea sint, ineffabili tamen modo, vtpote increata, dictis super eminent. Quomodo autem hæc vniuersa Mundi machina tribus partialibus Mundis comprehensa, à profundo profluxerit, adeo inuestigatu difficile est, vt omnes in eo inquirendo humanæ mentis conatus hebescant; si enim illinc prodierunt, quomodo dicentur creata? in ipso enim vniuersa condita sunt, in cœlis & in terra, visibilia & inuisibilia, omniaque per ipsum, & in ipso creata sunt, iterumque ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Si itaque in ipso fuerunt, quomodo ex nihilo prodierunt? Sed nodum hunc adeo difficilem, quantum ingenij mei nullitas permittit, explicemus. Ex nihilo creare est, ex nulla præcedente materia rem conficere, hæc enim omni factioni, fabricationi, generationi, opificio, artificioque necessariò vel subijcitur, vel prærequiritur: sed in creatione Mundi nulla opus habuit Deus materia, ex qua, aut ex quibus ea faceret, aut in quibus ea efformaret; ex nihilo igitur rectè Deus omnia fecisse dicitur. *Omnia itaque Pater perfecit, & Menti tradidit secundæ*; non enim emanatio diuina per saltum à Patre in profundum suum facta fuit; sed à Patre in vltimum profundi sui terminum facta fuit actione sempiternâ, immutabili, indiuisâ, indistinctâ. Quæcunque itaque extra profundum creata sunt, ab Vnitrino principio creata sunt, Pater voluit, Verbum dixit, & facta sunt; simul ac ergo Verbum ea protulit, facta sunt, sed non ampliùs talia, qualia quæ in eo remanserunt; si quidem ab Vnitate essentiali secreta non ampliùs simpliciter vnum sunt, sed multitudo, eaque varia in multos gradus, latitudines, series, & catenas diffusa; cuius multitudinis per omnigenam suam simplicitatem ipse Vnitrinus Deus principium fuit, & causa, & effector, & conditor, & factor; & dum ea de se, & extra se profert, illa subitò ab vno quasi decedentia in multitudinem diffunduntur, non quidem imperfecta, οὐ γὰρ ἀπὸ πατρικῆς ἀρχῆς ἀτελές τι τροχάζει. *Non enim à Paterno principio imperfectum quid rotatur*, vt Zoroastres ait; neque confusa prodeunt, confusio enim maxima quædam imperfectio est, sed ordine quæque suo. Itaque primò Mundum Angelicum, vtpote immediatum Dei opus, eique proximum; deinde Sidereum, & Elementarem Mundum, cum omnibus, quæ in ijs

con-

Chaldæi triplicem rerum multitudinē asserunt.

Triplex Mundus quomodo ex nihilo creatus.

Zoroaster.

continentur, produxit. Porrò causa productionis alia non fuit, nisi infinita Dei bonitas; quia enim bonus est, Pater est; quia verò Pater est, principium est; quia principium, ideo causa est; & quia rerum causa est, Deus est; & quia omnium rerum causa est, omnipotens est; hæc enim, teste Hermete, duo nomina, *Bonum*, & *Deus*, soli ipsi competunt. Vidimus productionem rerum, iam singula opera distinctè examinemus secundùm mentem Veterum.

§. I.

De Mundo Angelico seu Intellectuali.

VIdebant veteres omnium eorum, quæ producta sunt, alia esse αὐτοϋπόστατα, id est, quæ propria sua hyparxi & essentia, proprijsque viribus innixa, vt sint, nullo egerent alterius vllius adminiculo, nisi Deo productore & Creatore, quia ea, vti produxit, ita conseruat semper, & continet ne in nihilum abeant, & ad se conuertit, & pro illorum viribus & dignitate ad se reuocat. Atque hæc sunt incorporea, quæ in Mundo archetypo existere putabant, ideæ, vnitates, essentiæ, vitæ, intellectus, & animæ. Alia verò ἑτεροϋπόστατα sunt, id est, in alio & per aliud subsistentia & existentia; cuiusmodi sunt corpora; & corporea vniuersa: corporea sunt, quantitates, qualitates, harùmque operationes & passiones, quæ corpore egent tanquam fulcimento, sine quo nec existerent, neque subsisterent, iuxta accidentium definitionem; corpora verò ipsa & loco egent in quo sint, & materiâ in quam formæ introducantur. Cùm itaque αὐτοϋπόστατα & ἑτεροϋπόστατα veluti duo quædam extrema cognoscerent, necessaria esse inferebant media quædam, quæ inter extrema ponerentur. Atque talia media dicebant esse primùm Intelligentias, mundani opificij conseruatrices; deinde ipsam naturam rerum; tertiùm totam animæ latitudinem. Cùmque singula recensitorum necessariò habeant essentiam, potentiam, & operationem propriam; primò ἑτεροϋπόστατα corpora vti in ipsa natura subsistunt, ita quoque potentiam & operationem suam habebunt in alio, ita vt quicquid vel posse, vel operari videntur, per naturam in illa infusam & possint, & operentur; vnde consequenter neque in se, neque in aliud possunt agere & aguntur; quod si neque in se, neque in aliud agere possunt, neque etiam se conseruare poterunt: & si sese conseruare non possunt, neque etiam seipsa viribus suis continent; ergo ab alio continentur & conseruantur: verùm hoc conseruans minimè corpus esse poterit; necessariò ergo ab incorporeo, eoque quidem toto sibi coextenso, quam naturam dicebant. Ad hoc pulchrè sanè alludit Virgilius:

Mundus Angelicus seu Intellectualis

Spiritus intus alens, totamque infusam per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscens.

Virgilius.

Et Zoroastres apertè indicat sequentibus verbis oppidò mysteriosis:

Zoroaster.

Νώτοις δ' ἀμφὶ θεᾶς φύσις ἄπλετος ἠώρηται,
Ἄρχει δ' αὖ φύσις ἀκαμάτη κόσμων τε, καὶ ἔργων.

Supra dorsum Deæ natura indefessa attollitur,
Imperatque natura indefessa Mundisque, operibusque.

Anima Mundi.

Per Deam hoc loco nihil aliud nisi animam Mundi intelligunt; per Naturam verò indigitantur Mundi hylæi, ætherei, & empyrei, quorum dorso Dea insidet indefessa, ad operationes singulis consentaneas sollicitans, & vt Zoroaster ait, ἄρδην ἐμψυχοῦσα φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους, *affatim animans lumen, ignem, æthera, Mundos*. Quæ omnia fusiùs pertractata vide suprà in Classe VI. *Anima* enim *est*, vt Zoroaster ait, *quæ ornauit magnum cælum*, Ψυχὴ γὰρ, ἣ κοσμήσασα τὸν μέγαν οὐρανὸν, καὶ κοσμοῦσα μετὰ τοῦ πατρὸς, & *ornat simul cum Patre*. Ψυχὴ γὰρ δυνάμει πατρὸς οὖσα φαεινὸς, ἀθάνατος τε μένει, καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστὶ, καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων. *Anima siquidem*, inquit Zoroaster, *ignis potentiâ Patris est relucens, immortalisque manens, & vitæ domina est, & habet Mundi multas plenitudines sinuum*. Quæ quidem cùm intellectualis sit, mente quidem continet intelligibilia, sensumque inducit Mundis, Νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, αἴσθησιν δ' ἐπάγει κόσμοις. Mente enim imitamen est, partem verò habet quid corporis, mistisque canalibus, ignis incorrupti opera efficit; id est, anima mente suâ participata continet intelligibilia, sed Mundis sensum indit, eósque sensibiles facit; quoniam, vt Zoroaster putat, intellectu Patrem imitatur, producendo corpora quidem per radium suum, quæ est natura corporibus infusa, varijs quidem vijs, quas canales appellat, sicuti Cabalici, vti suo loco visum est, Sephiroticas Mundi semitas, canales vocant; instrumento caloris æterni omnia operans & perficiens. Porrò supra animam sunt Intellectus, qui Mundorum curam habent, Κόσμος γὰρ ἔχει νοερὰς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς, ἀλλὰ καὶ φρουροὶ τῶν ἔργων εἰσὶ τοῦ πατρὸς, *Mundus enim habet intellectuales sustentatores inflexiles, quem sustinendo custodiunt; sed & custodes operum sunt Patris*. Catena itaque hæc, seu Σειρὰ, vt Ægyptij loquuntur, verè aurea, Patris, mentis, mentium, animæ, naturæ, ea corpora, quæ seipsis sustentari, conseruari, aut custodiri non possunt, à Patre primò eorundem factore, tùm ab intellectibus, animabus, naturisque continuò & sustentari, & conseruari necessarium erat, eo modo quo Aristoteles cœlos à mentibus moueri, eo in motu conseruari, ab ijs omnem inferioris Mundi œconomiam regi, & ab ijs denique, quæ supra cœlos sunt, omnibus & esse & viuere, promanare tradidit. Sed iam paulò fusiùs Angelici Mundi arcanum rimemur.

Ethnicorum Theologorũ de Dei fœcunditate opinio.

Mens itaque Opifex, iuxta Ægyptiorum, Chaldæorum, Platonicorumque dogmata, Verbi & boni supernis influxibus grauida facta, sterilis minimè esse potest, sed parere aiunt continuò, partaque continere, custodire, seruare, tùm prima quæ à se prodierunt, tùm quæ à se longiùs profluxerunt. Profluxisse autem à se aiunt entia prima, à primis secunda, à secundis tertia, à tertijs quarta, à quartis quinta, à quintis sexta, à sextis septima, à septimis octaua, ab octauis nona, à nonis decima. Quem quidem profluxum si virtutem quandam creatiuam intelligunt, falsò &

Pater Mens prima.

contra

contra orthodoxæ doctrinæ leges perperam ſumunt; à prima ſiquidem & mentium omnium ſupremarum Mente omnia facta ſunt, & ſine ea factum eſt nihil: ſi verò vim influxiuam & conſeruatiuam intelligunt, rectè opinantur; *Pater ſiquidem omnia perfecit, & Menti tradidit ſecundæ*, id eſt, omnia Pater proximus rerum omnium Opifex, de ſe prima Mente, vt Platonici loquuntur, deprompſit, & ea ſecundæ Menti, quæ & ipſa, vti Hermes teſtatur, & Verbo & Patri erat ὁμούσιος, id eſt, *conſubſtantialis*, tradidit; ſi itaque ὁμούσιος, ergo & ὁμοδύναμος, καὶ ἰσοδύναμος, ὁμόεργος καὶ ἰσόεργος, id eſt, *compotens & æquipotens, cooperator & æquioperator*, verbo, omnipotens vt eſſet, neceſſarium erat, eiuſdem videlicet eſſentiæ, potentiæ, & operationis; quarum trium huiuſmodi nulla ab alia ſeparari poteſt. Quæ quidem pulchrè triplici productorum Mundorum ordini correſpondent, & totius Ægyptiacæ & Chaldaicæ Theologiæ ſumma eſt, quam paucis quidem verbis, ſed abditis ſacramentis plenis, Zoroaſter indicat: Μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσι, καὶ ἓν αὐτὸν καὶ ἀγαθὸν ἀποφαίνουσι. εἶτα πατρικόν τινα βυθὸν σέβονται ἐκ τριῶν τριάδων συγκείμενον, ἑκάστη δὲ τριὰς ἔχει πατέρα, δύναμιν, καὶ νοῦν. Id eſt, *Vnum principium rerum omnium conſtituunt, & id vnum & bonum concelebrant; deinde Paternum quoddam profundum venerantur ex tribus triadibus compoſitum; vnaquæque verò trias Patrem habet, Potentiam, & Mentem*. Sed explico. Prima trias ab Opifice Mundi producta, eſt Mundus Intellectualis; ſecunda trias eſt Mundus Sidereus; tertia Elementaris; in quibus omnibus Deus Opifex operatur omnia in omnibus; immediatè quidem per ſe omnia conſeruando, & Verbo virtutis ſuæ ſuſtentando; ſecudariò per Intelligentias veluti præſides & cuſtodes ſingulorum Mundorum ἐπιστάτων, vti dictum eſt; adeoque aptè per tres haſce triades indigitantur nouem Angelici Chori, iuxta orthodoxorum ſententiam Theologorum. Et quemadmodum in Ideali ſeu Archetypo Mundo trias eſt, Pater, Potentia, & Mens, id eſt, Pater, Verbum ſeu Filius, & Spiritus; ita in ſingulis reliquis Mundorum triadibus ſit Paternus quidam ordo, Potentialis, & Mentalis ordo, vt Ideatum ideæ ſuæ exemplarique vndequaque reſpondeat, & penitùs aſſimiletur, neceſſe eſt; adeoque primus in ſingulis triadibus ordo in ſecundum, hic in tertium, mirâ quâdam virtute influat, non contrà. Et intelligibilium quidem primus ordo is dicitur, qui tantùm intelligitur, & hic eſt ſupremus; ſecundus, qui & medius, intelligibilium ſimul & intellectualium eſt, hoc eſt, eorum, qui intelliguntur & intelligunt, vti Zoroaſtres dicit, & nos ſuprà in Claſſe III. amplè expoſuimus; tertius verò ordo intellectualium eſt, qui tantùm intelligit. Vnde facilè colligitur, ſupremum ordinem triadum ſupra intellectum eſſe, & à medio ordine tantùm intelligi; tertium verò à medijs illuminari, intelligereque & ſe & ſuperiora inferioraque, vti Pſellus ait. Ad hos tres ordines facilè accommodari poſſunt Hierarcharum ordines à S. Dionyſio recenſiti. Nam S. Dionyſium huius Angelicæ diſpoſitionis notitiam aliquam habuiſſe patet, quod iiſdem ferè nominibus vtatur, quibus vſus eſt Zoroaſter: meminit enim Teletarcharum & Amilictorum, de quibus poſtea. Sed cùm hoc myſteriorum profundum nemo hucuſque rectè interpre-

Pater omnia perfecit, & tradidit Menti ſecundæ.

Zoroaſter.

Fundum Paternum ex tribus Triadibus compoſitum.

Tres Triades quæ.

Intelligibiliū tres ordines ex Zoroaſtro.

Pſellus. S. Dionyſius. Zoroaſter.

pretatus sit, mearum partium esse ratus sum, totius huius Ægyptiaco-Chaldaicæ Theologiæ tenorem, quantum ingenij vires permittent, hoc loco exponere. Quod antequam fiat, primò textum ipsum ex Plethone adducere visum est; sic autem dicit in Oraculorum Chaldaicorum expositione: *Chaldæi septem Mundos statuunt corporeos, igneum vnum eumque primum, post hunc tres æthereos, deinde tres materiales, è quibus vltimus terrestris dicitur, & lucis osor, qui locus est subter Lunam, in se etiam materiam complectens, quem fundum nominant. Vnicum arbitrantur esse rerum omnium principium, idque profitentur vnum esse, & bonum; deinde colunt* πατρικὸν βυθὸν *id est, Paternum quoddam fundum ex tribus trinitatibus compositum, quælibet autem trinitas habet Patrem, Potentiam, & Mentem. Postea sequitur Iynx mente comprehensibilis. Huic proximi sunt* συνοχεῖς, *id est, Mundorum Rectores,* ὁ ἐμπύριος, ὁ αἰθέριος, καὶ ὁ ὑλαῖος, *id est, igneus, æthereus, & materialis; post Rectores,* τελετάρχαι, *id est, cæremoniarum Principes. His succedunt perennium fontium Patres, qui & Mundi Ductores nominantur,* πηγαῖοι πατέρες, οἳ καλούμενοι κοσμαγωγοὶ, ὧν ὁ πρῶτος ὁ ἅπαξ ἐπέκεινα λεγόμενος· μεθ' ὃν ἡ Ἑκάτη· εἶτα ὁ δὶς ἐπέκεινα· μεθ' ὃν τρεῖς ἀμείλικτοι, καὶ τελευταῖος ὁ ὑπεζωκώς. *id est, quorum primus semel suprà dictus est, post quem Hecate, deinde is, quem bis suprà nominauimus, ab hoc sunt tres implacabiles, & omnium vltimus* ὑπεζωκὼς, *id est, Succinctor. Venerantur quoque fontanam triadem fidei, veritatis, & amoris dicunt; etiam archicum Solem à Solari fonte, & Archangelicum, & fontem sensus, & fontanum iudicium, & fulmineum fontem, & fontem dioptrarum, & characterum fontem insidentem incognitis synthematis, fontanasque summitates Apollinis, Osiridis, Mercurij, Martiales verò fontes dicuntur centrorum, & elementorum, & somniorum zonam & fontanam animam. Post fontes dicunt esse principia, sunt enim fontes principijs principaliores. Zoogonorum principiorum summitas Hecate vocatur; Medietas anima archica; Finis virtus archica. Azonæ præterea apud ipsos sunt Hecatæ, vti Triecdotis, Comes & Ecclistica. Azonici verò apud ipsos Dij sunt Serapis, Dionysius, & Osiridis Apollinisque catenæ. Azonici vocantur, quia in libertate viuunt, potestatem exercentes in zonain, supersedentes manifestis Dijs. Zonæi verò vocantur, quia cœlestes zonas separatim circumuoluentes, ea quæ hic sunt, administrant; diuinum enim genus apud ipsos est zonæum, cui distributæ sunt Mundi sensibilis regiones, quas circa materialem locum sorte distributas cingit. Post zonas verò est inerrans circulus continens septem sphæras, in quibus sunt astra.* Atque hæc est Theologiæ Ægyptiaco-Chaldaicæ anacephalæosis: in qua explicanda cùm nemo, quod sciam, industriam suam hucusque contulerit, quid tot Deorum triades, tot nominum concatenatæ series sibi velint, & quomodo verè & propriè intelligendæ sint, Deo dante interpretandum duximus.

Theologiæ Ægyptiacæ Chaldaicæ anacephalæosis.

Sciendum itaque primo non Ægyptios tantùm & Chaldæos, sed & omnes Orphei, Pythagoræ, & Platonis sectatores, aliquam in diuina natura triadem agnouisse; quod vti in præcedentibus amplè demostratum, ita superuacaneum quoque esse ratus sum, hîc denuò repetere. Atque adeo iuxta ineffabile illud & incomprehensum vnitrinum archetypon exemplar omnia reliqua Mundorum, tam sensibilium, quàm insensibilium syste-

Antiquorum Theologi aliquam in Deo Trinitatem agnouerunt.

systemata, veluti signaculo quodã insignita, quodam modo vnitrina emerserunt; id quod Chaldæi hoc loco innuere voluerunt. Hinc paternum profundum tribus triadibus compositum asserunt, quarum vnaquæque trias habet Patrem, Potentiam, & Mentem. Compositum dicunt profundum, non formaliter, quemadmodum anima & corpus in vnum hominem coalescunt, seu quod idem est, non intrinsecè, sed extrinsecè per vim creatiuam. Atque hi nihil aliud sunt quàm nouem Angelorum ordines, in tres triades, iuxta diuinæ Triadis ideam distincti. Hinc dupliciter profundum Paternum sumi potest: primò intrinsecè, in quantum tota paterna cognitio & perfecta suiipsius comprehensio, in profundo; id est, Verbo seu Filio suo solo terminatur; est enim, vt Zoroaster ait, finis paterni fundi, & fons mentalium, neque progressus est, sed mansit in paterno profundo, & in adyto per Deo nutriens silentium. Secundò extrinsecè, in quantum opera ad extra respicit; & sic profundum hoc Angelicum ex tribus triadibus compositum rectè dici potest. Profundum autem paternum tribus constat, quæ sunt Pater, Potentia, & Mens; & respondent Patri, Verbo seu Filio, & Spiritui sancto, apud Catholicos; apud Ægyptios Hemphtæ, Ammoni, Ichtoni; apud Cabalistas כתר, חכמה, בינה Coronæ, Sapientiæ, Intelligentiæ; apud Orpheum & Græcos Cœlo, Saturno, & Ioui. Atque hæc est Sacrosancta illa Trias, vnus Deus, sub mysticis verborum inuolucris indigitatus, vel potiùs adumbratus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, trias sub vnitate naturæ perfecta, quæ omnia permeans, ab omnibus segregata, in suæ dignitatis & supereminentiæ abysso sese à nostris sensibus, & à nostris cogitationibus in altum rapuit.

Explicatio Theologiæ Antiquorum de Trinitate in Diuinis.

Profundum paternum dupliciter sumi potest.

Profundum Paternum tribus constat.

Iuxta hanc itaque triadem omnes creaturarum ordines & gradus signatos esse, Veteres crediderunt. Prima quidem Trias Intelligibilium tantùm ordinem continet; secunda intelligibilium simul & intellectualium; tertia denique intellectualium tantùm, vti diximus, ordinem continet. Primus ordo dicitur Iyngæus, quæ sunt primigeniæ Dei creaturæ, sublimes, arduæ, ab omnibus non dicam sensibus, sed & cogitationibus abstractæ Mentes; quæ non incongruè Seraphim, Cherubim, & Thronis æquiparantur: nam vt rectè Zoroaster docet. Νοούμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοοῦσαι καὶ αὐταὶ, *intellectæ Iynges à Patre, intelligunt & ipsæ;* καὶ βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι; *Consilijs ineffabilibus mouentur vt intelligant.* hæ lucidos Mundos scandunt, Patrisque opera intelligentes sensibilibus operibus & corporibus ea reuelarunt. Hinc non malè ab Ægyptijs depinguntur humanâ facie, reliquo corpore pennarum alarumque multiplici amictu vestitæ, vt in sequentibus 3 figuris apparet. Sequitur hanc Iyngæam triadem, Trias Synochorum, id est, Mundi Rectorum, quorum primus ordo Patrum est empyreus, secundus æthereus, tertius hylæus; primus in empyreas Mentes influit, secundus in æthereas, tertius in hylæas, quibuscum numerantur Telutarchæ, id est, Principes cœremoniarum. Tertia Trias continet Fontanos Patres, qui & Mundi ductores dicuntur; huius triadis primus ordo continet eos, qui semel dicuntur, id est, ob summam eorum excellentiam & naturæ sublimitatem intelligibiles tantùm sunt,

Ordines tres Creaturarum

Iyngæorum trias & ordines tres.

Zoroaster.

Synochorum trias, & ordines tres.

Mundi ductorum trias, & ordines tres.



ſunt, & vix mente humana attingi poſſunt; ſecundus ordo continet Hecates, id eſt, innumerabili idearum fœtura prægnantes; tertius ordo Amilictorum eſt, quæ ſunt potentiæ inflexiles, rigore ſummo diuinum vindicantes honorem, quorum pediſſequi ſunt Hypozoci, id eſt, Succinctores, ad Præſidum ſibi ſuperiorum mandata in executionem deducenda, parati; de quibus ita Zoroaſter; *Ex ipſo enim omnes exiliunt, Amilictique fulmina & preſtero capaces ſinus, omnilucidæ vigoris patrogenij Hecates, & Hypozocus ignis flos & fortis; immiſcens vigoris proprium robur in Synochis, & quo Mundus habet mentales ſuſtentatores, inflexiles.*

Intelligibilis Mundi nouē ordines. Atque hi ſunt nouem Intelligibilis Mundi ordines, quibus veluti tribus triadibus Paternum fundum compoſitum eſſe Zoroaſter docet. Quæ omnia ampliùs explicata ſunt in Sphynge myſtagoga, in expoſitione effatorum Zoroaſtris. Vidimus Intelligibilis Mundi triades, nunc triades Siderei Mundi parumper contemplemur.

Trias fontana intelligentiarum Mundi Præſidum. Venerabantur Chaldæi, vt textus docet, inter alia quoque triadem fontanam fidei (id eſt, curæ fidelis rerum ſibi commiſſarum,) veritatis, & amoris; quæ trias erat Intelligentiarum Mundi Siderei præſidum; vocabaturque trias fidei, id eſt, curæ fidelis; veritatis, id eſt, conſtantis in operationibus eorum virtutis; amoris, id eſt, inclinationis ſummæ, & ſympathiæ cuiuſdam in procuranda ſalute & conſeruatione rerum ſibi commiſſarum. *Fontes ſeptē Planetarum.* Fontes autem fingebant ſeptem, qui appoſitè ſanè miro quodam modo in Mundo Intelligibili & Intellectuali reſpondebant ſeptem corporeis ſiue materialibus fontibus Planetarum. Primus fons vocatur Archicus, id eſt, Imperatorius, & à fonte materiali Archangelicus, quem & Mundum Solarem aliàs vocant, quia hic tanquam Princeps & Dux Chorum reliquorum agebat. Secundus fons erat fons ſenſus, ſiue ſenſitiuæ naturæ, ex quo veluti ex Oceano quodam omnia ſenſitiuæ naturæ conſentanea profluebant, & correſpondebat Saturno præſidi ſenſus. Tertius fons erat fontanum iudicium, & competebat Ioui, veluti totius iudicij, rerumque ad œconomiam Sideream, Mundumque politicum rectè adminiſtrandum neceſſariarum copiam ſuppetebat. Quartus fons dicebatur fulmineus, & Marti rectè competebat, cui proprium eſt, fulminibus, bellorum terriculamentis, cædibus, peſte, ſimilibuſque malorum immiſ-

immissionibus, Mundum sceleribus immersum infestare. Quintus fons speculorum dicitur, & Lunæ apprimè competit, quæ est veluti Solaris Mundi speculum. Sextus fons amoris dicitur, & conuenit Veneri, ex quo omnes gratiæ & charismata in Vniuersi ornamentũ procedunt. Septimus fons est characterũ, & continet summitates fontanas Apollinis, Osiridis, & Mercurij. Characterum fons dicitur incognitis signis & symbolis incumbere, quia ex hoc fonte omnis sapientiæ & diuinationis occultæ circa rerũ euentus, quæ non nisi per abditos naturæ characterismos cognoscebantur, fœturam procedere credebant. Atq; horum nonnullos Azonos, id est, sine zonis, *Zonæi & Azoni.* alios Zonæos asseruerunt: illi ob summum quod obtinebant in Mundum præsidium, nulli certæ zonæ alligebantur; hi contrà liberè circa cœli zonas voluuntur, & immediatũ gubernãdi munus obeunt. Sequuntur hos fontiũ *Fontes materiales, & eorũ trias.* materialium triades, & est Mundus Elementaris, triplici symbolorum triade insignitus. Prima trias principiorum animalia procreantium, summitas Hecate vocatur; media summitas, anima archica siue principalis; extrema summitas, virtus archica appellatur: prior animalium procreationi, secunda animarum introductioni, tertia virtutum vnicuique rei ad operandum necessariarum distributioni præsidebat. Secunda trias æonia Chaldæorum, Ægyptiorumque trias Hecatica, continebat τρισκιδότιν, κωμὰς, & ἐκκλυστικὴν. Τρισκιδότις triplici Mundo omnia confert: κωμὰς in omnibus triplicis Mundi vicis & compitis habitat: Ecclystice spiritu suo omnia concludit. quæ omnia fusiùs explicata sunt in Obelisco Pamphilio fol. 518. Post has Zonas circulus tandem Zodiacus occurrit, septem orbes Planetarum complectens, quorum dicti Intelligentiarum ordines præsideré credebantur. Tertia trias Deorum erat Azoniorum, id est, Serapidis, Dionysij seu Bacchi, & Osiridis & Apollinis Geniorum Siræ in catenæ morem connexæ, quibus omnia & singula trium Mundorum membra mirâ quâdam ratione ad totius conspirationem connectuntur.

Atque hæc fuit Philosophia, seu potiùs Theologia veterum Chaldæorum Zoroastris: quæ quidem si cum Ægyptijs ritè conferatur, prorsùs eandem esse reperies, terminis tantùm immutatis. *Theologia Chaldæorum Ægyptiorum eadem.* Nam in Pimandro & Asclepio Hermes varios Deorum ordines, vti sunt Vsiarchæ, Horoscopi, Decani, Pantomorphi; Dæmonum præterea, Heroum, atque animarum varios choros assignat; *Deorum varij ordines ex Hermete.* septem quoque Zonarum meminit; quæ omnia cùm in Systematica Mundorum, in Astrologia Ægyptiorum, & Sphynge mystagoga exposita sint, illuc Lectorem remitto. Hos autem diuinorum ordines, amplè, subtiliter, & disertè ex mente Ægyptiorum describit Iamblichus libro de mysterijs, vbi *Iamblichus.* & nomina singulorum ordinum, eorumque officia, proprieattes, operationesque ad longùm exhibet, vt paulò post videbimus, in tres triades diuisas. Quorum primus ordo est principium, Deus Deorum. vnitas ex *Deorum ordines, & triades ordinum ex Iamblico.* vno super essentiam, essentiæ omnis principium, imò totius essentiæ Pater; ipse enim est Ens supereminens, intelligibilium principium. Secundus *Prima trias Deorum principium Hemphta, Ichton* verò ordo est Hemphta, cœlestium Deorum Dux, estque intellectus seipsum intelligens, intelligentiasque in se conuertens. Tertio ordini præfici-

ficitur Ichton; in quo est primum intelligens & primum intelligibile, quod solo silentio colitur, manetque in Paterno fundo, & in adyto per Deo nutriens silentium, vt Zoroaster loquitur, colitur. Horum asseclæ sunt Amun occultam latentium rationum potentiam in lucem educens; & Phta, qui sine mendacio omnia & artificiose simul cum vnitate peragit; & Osiris, bonorum omnium effector. Alteram triadem constituunt Archangeli, Angeli, Dæmones; tertiam triadem Heroes, Principatus, Principes, & animæ. Verum vt omnium responsum Lector curiosus luculentius peruideat, hic verba Iamblichi ad longum adducenda putaui; ex quibus patebit, Zoroastræam & Hermeticam Theosophiam prorsus eandem fuisse; sic autem loquitur: *Deorum pulchritudo occurrit inæstimabilis, incomparabilis, admiranda, supra modum delectans, Archangelorum, Angelorumque consimilis, sed gradatim inæqualis. Dæmon, & Heroum spiritus per se apparentes, pulchritudinem in speciebus determinatis habent: sed illi secundum rationes essentiæ, hi secundum fortitudinis actum. Principatuum pulchritudo principalis est & natiua, Principum ficta; adornata, elaborata. Animarum pulchritudo in rationibus consistit determinatis quidem, sed diuisis magis, quàm in Heroum forma, sub vna tamen specie comprehensis. Deorum actiones effectusque velociores sunt quàm intelligentia deprehendere possit, sed interea penitus stabiles. Archangelorum celeritas mixta est quodammodo efficacibus actionibus: Angelorum cum motu: neque pariter habent, vt vnà cum dicto perficiant. Dæmonum actiones celeriores apparent, quàm sint effectu & veritate. Heroes magnificè quidem incedunt ad actionem, tardius tamen quàm Dæmones peragunt. Principatus cum authoritate & imperio veniunt ad agendum. Principum conatus plurimam quidem habet emphasim, sed deficit ab effectu. Animarum actiones mobiliores sunt, quàm Heroum, sed debiliores. Deorum apparentium magnitudo totum Cœlum occupare videtur: quam intedentem, nec terra putatur sustinere posse. Archangelis apparentibus, partes Mundi quædam commouentur, & lumen præcedit in se diuisum; ipsi verò pro magnitudine dominationis suæ, magnitudinem lucis & figuræ præferunt. Angelica forma & lux & minor est, & diuisa magis. Dæmonum magnitudo formaque diuisa magis & minor. Heroica rursus angustior, aspectusque magnanimus. Principatus prægrandes & vasti. Principes inflati superbique insolentes apparent. Animarum effigies inæquales, Heroibusque minores. Denique quilibet pro magnitudine potentiæ suæ & Imperij latitudine, magnitudinem formæ lucisque præfert. Deorum spectacula prælucida nobis occurrunt, fulgentiaque ad summum, & splendore dearticulata mirificè, & lucidiora quàm sint in vera. Archangelorum vera, perfectaque. Angelorum effigies speciem eandem seruant, præterquàm quòd à notitiæ plenitudine, agnitionis discretione deficiunt. Dæmonum exilia, & quasi caduca. Heroum exiliora. Principatuum perspicua. Principum obscura, sed vtraque imperiosa. Animarum vmbrosa. Deorum imagines quàm plurimo splendore coruscant. Archangelorum quoque præfulgidæ; fulgidæ insuper Angelorum: Dæmones vt turbidus ignis apparent. Heroes mistum lumen ex pluribus habent. Principatus quidem purius: Principes autem ex dissimilibus contrarijsque confusum ostendunt. Animæ ignem reddunt planum ex multis generationis admistionibus, atque diuisum. Deorum imagines occurrunt*

Altera trias. Tertia trias.

Iamblichus Zoroastri & Hermetis Theologiam fusè describit.

tan-

tanquam ignis indiuiduus, ineffabilisque, implens vniversum Mundi profundum. Archangelorum ignis etiam indiuisus, habens circa se, vel ante, vel retrò, quàm plurimam multitudinem. Angelorum diuisus ignis, sed in ideis absolutissimis. Dæmonum magis quoque diuisus, sed angustiùs circumscriptus facile exprimendus, & apud illos qui superiora viderunt, facilè contemnendus. Heroicus ignis habet quod horum consimilia, sed non æqualia. Principatuum ignis apprimè lucidus; Principum aliquid habet opaci; animarum valde diuisus & multiformis, atque ex multis Mundi naturis admistus. Deorum ignis omninò stabilis est aspectu: Archangelorum stabilitatis particeps; Angelorum stabiliter mouetur: Dæmonum instabilis; Heroum properantior; Principatuum quietus aduenit; Principum verò tumultuosus; Animarum ignis multis motibus transmutatur. Dij animas perfectissimè purgant; Archangeli sursum reuocant; Angeli tantùm soluunt à materiæ vinculis; Dæmones ad naturam trahunt; Heroës ad curam sensibilium operum deducunt; Principatus quidem præsidentiam Mundanorum; Principes verò materialium studium exhibent; Animæ cùm apparent, contendunt, trahuntque in generationem. Quicquid purum firmumque est, in imagine nobis occurrente, superioribus attribuito generibus. Iam verò præfulgidum eius, quodue in seipso firmiter permaneat, Dijs attribue; quod verò fulget atque permanet quidem, sed quasi in alio, Archangelis; quod in alio permanens, Angelis. Item quod mobile est & vagabundum, & alienis plenum naturis, vbique inferioribus ordinibus attribuito. Dæmones mixtos in se habent Mundi vapores, feruntur que instabiliter præter vel iuxta Mundi motum. Heroibus generatiuæ spirituum compositiones admiscentur, circa quas & ipsi commouentur. Principatus eodem modo permanent, Mundanum quod habent, ostendentes: Principes materialibus liquoribus pleni sunt. Animæ superfluis maculis & alienis spiritibus sunt repletæ; quibuscum quoties apparent, vnumquodque horum generum se ostendit. Dij materiam repentè consumunt; Archangeli paulatim; Angeli soluunt ab ea, & ad sublima reuocant: Dæmones diligenter exornant eam; Heroes coaptant ad eam, competentibus vbique mensuris eam strenuè commodèque curantes. Principatus adstant ei supereminentes, & hoc pacto seipsos ostendunt. Principes impletos se penitùs materia monstrant. Animæ puræ quidem seorsum à materia veniunt; impuræ verò materia inuolutæ se nobis ostendunt. Exhibent insuper alijs nobis alia. Dij præsentes dant corpori sanitatem, virtutem animæ, menti sinceritatem; omnia nostra in propria principia reuocant. Quod in nobis est frigidum lethiferumque, delent; calorem fouent, efficacioremque reddunt ad vitam. Faciunt quoque vt omnia animæ mentique congruant, & mensurentur eisdem, harmoniâque intelligibili lumen effundunt. Quodque non est corpus, ostendunt tanquam corpus ipsis animæ oculis, per corporis oculos. Archangeli eadem agunt, sed non adeo sufficientia, vel permanentia, vel extra proportionem nostram. Angeli bona etiam magis particularia diuisè distribuunt, effectumque agunt valde ab intimo eorum vigore deficientem. Dæmones præsentiâ suâ corpus grauant, morbis affligunt, aliter puniunt, animas quoque ad naturam trahunt, & à corporibus cognatoque eorum sensu non discedunt; atque eos, qui ad ignem cœlestem diuinumue contendunt, circa locum inferiorem detinent, nec à fati vinculis soluunt. Heroës alia Dæmonibus similia faciunt; proprium verò id habent, quod ad

opera quædam generosa magnaque nos suscitant. Principatus apparentes bona largiuntur mundana, resque vitæ huius omnes suppeditant: Principes materialia terrenaque bona. Animæ cùm apparent, si animæ sunt puræ in ordine Angelico constitutæ, sursum reuocant, salutem animo præbent, spemque sacram, sacraque dona quæ sperantur. Animæ impuræ ad generationem detorquent, spem frustrantur, eius fructus auferentes, passionibusque intuentes implent, animam corpori copulantibus. Ordinem quoque, quem vnusquisque obtinet in apparendo, designat. Dij ostendunt Deos, vel Angelos circa se adstantes: Archangeli Angelos præferunt vel præcurrentes, vel circumstantes, vel sequentes, siue aliam quandam turbam Angelorum quasi stipatorum circumuallantium: Angeli opera ordini suo congrua præferunt; Boni Dæmones opificia sua & bona quæ tribuunt, in conspectum adducunt: Dæmones vltores ostendunt suppliciorum species: Dæmones alij quomodocunque praui occurrunt circundati feris lethiferis voracibusque: Principatus Prouincias Mundi quasdam secum demonstrant: Principes conditionem materiæ ordine carentem, errantemque secum afferunt in conspectum. Anima quidem tota in nulla particularium specie detenta, ignem ostendit sine certa specie circa Mundum totum: quo animæ Mundanæ natura significatur indiuisa, & vna, & nulli addicta speciei. Anima purificata igneam ostendit figuram, ignem purum, & lumen micans, simulque stabile, & ipsa vnà cum duce sublimi sequitur bonâ voluntate gaudens, atque ita in operibus suis ordinem, quem obtinet patefaciens. Anima verò quæ deorsum labitur, occurrit trahens secum signa vinculorum atque pœnarum, materialiumque spirituum compositione se grauatam ostendit, turbationibusque materiæ dissimilibus occupatam; seque subdentem imperio Dæmonum generationi fauentium. Singuli cùm apparent, ostendunt prouincias sortesque, quas sortiti inhabitant: aërei quidem ignem aëreum, terreni verò terrenum atque nigrum; cœlestes autem ignem splendidiorem: atque in his tribus terminis, omnes distributi sunt eorum ordines. Dij demonstrant omnium ordinum principia in se cùm apparent: Angeli declarant se ab Archangelis dependere; Dæmones Heroësque patefaciunt se superioribus ministrare; quamuis aliter hi quàm illi. Principatus Principesque præfecturam ostendunt; illi circa Mundum, hi circa materiam. Animæ declarant se superiorum postrema tenere, vndè vnâ cum seipsis primi quidem prima loca designant, secundi secunda, tertij tertia, cæterique deinceps eodem ordine. Hæc Iamblichus.

Ex quibus apertè patet, quæcunque suprà ex Zoroastre de ordinibus Mundi Intelligibilis dicta sunt, Ægyptiorum dogmatis prorsus congrua esse; quæ omnia ijsdem penè verbis recitat Proclus ex mente Platonis libro de anima & Dæmone, quemadmodum vnum cum altero comparanti patebit. *Proclus.* Catenæ quoque Deorum Dearumque, quas Orpheus sub Poëticis figmentis & inuolucris pertexit, non aliò nisi ad has mundanorum Numinum σειρὰς alludere videntur. *Catenæ Deorum.* Huc reuocari quoque possunt omnia illa, quæ in Cabala Hebræorum de Sephirothicis influxibus & canalibus fusè ex mente Cabalistarum recitauimus. *Canales Cabalistarum Plotinus.* Huc Plotinus lib. de tribus mundanorum Ductorum triadibus respicit; Damascius autem Platonicus Philosophus ea ad mentem Ægyptiorũ pulchrè explicat. Verùm cùm hæc omnia in Bembinæ tabulæ interpretationem distulerimus, hîc consultò breuiores esse voluimus.

C A P V T V.

De Ideis, & quid per eas Veteres Theologi, Zoroaster, Hermes, Orpheus, Pythagoras, & Platonica denique schola intellexerint.

CEleberrima illa de Ideis doctrina primò ab Ægyptijs & Chaldæis originem inuenit; à quibus Orpheus, Aglapphemus, & ab his Pythagoras haustam eã Græciæ intulerunt, quam summo studio cultam Plato denique ad posteros transuexit; vt proinde falsissimè primò hanc doctrinam Socrati adscribat Aristoteles: dicit enim Socratem, dum definitiones venaretur, in vniuersalis speciei notitiam venisse, atque ita speciem formamque quandam in sua mente collegisse, & constituisse, quam postea altiùs Plato euexerit, & in abstractum sustulerit, ideamque vocârit, eamque primus coluerit, & in Philosophiam introduxerit; figmentum Aristotelicum falsò Socrati & Platoni affictum, cùm omnia penè Veterum Ægyptiorum Chaldæorumque monumenta plena sint de Idearum doctrina; imò tota hieroglyphicorum doctrina nihil aliud quàm idealium mysteriorum continuus quidam contextus sit, vt suo loco videbitur. Certè Mercurius Trismegistus in omnibus ferè suis posteritati relictis monumentis, creberrimam de Ideis mentionem facit, vti in Pimandro, Asclepio, Mineruа Mundi, alijsque patet; siquidem hic initio Pimandri fatetur, per conuersam Dei Patris Ideam, se in mente sensisse lucem viribus innumeris præditam. Et eodem dialogo ad finem sermonis primi, cùm vniuersam naturam Dei imaginem nominat, agnoscit, (quod postea ex Platone ostendere conabimur) in eodem rerum Opifice, vel in eius Filio, omnium quæ naturâ constant, exemplar inesse & Ideam; & sermone secundo, Deum vnicum appellat ipsum bonum, boniqùe Ideam; & sermone octauo, *Plenus*, inquit, *Deus Pater ideis omnibus qualitates inferens in sphæram veluti in gyrum omni qualitate circumscriptis*. Et sermone duodecimo, non solùm in Deo rerum omnium Ideam agnoscit, sed apertè vult, præter hunc Mundum Sensibilem, alterum exemplarem esse atque Intelligibilem, in quo huius Idea consistit. Zoroaster verò tùm in Oraculis suis; tùm vt est apud Proclum in 3. Commentario in Parmenidem, passim earum meminit; quomodo videlicet ex hoc idearum fonte multitudo emanârit, & quomodo iuxta illas Mundus factus sit; quòdque eæ omnium Mundanorum Systematum motrices sint, & quòd omnes per essentiam intellectuales sint, conceptus Patris, typus & exemplar Mundi. Sed audiamus mentem Zoroastris apud Proclum, sic de Ideis ratiocinantem: *Paterna Mens summo consilio intelligens produxit omniformes Ideas, quæ fonte ab vno euolantes exilierunt; à Patre enim erat consilium finisque; sed sunt diuisæ, intellectuali igni partitæ in alias intellectuales. Rex siquidem Mundo multiformi præposuit typum intellectualem, typum incorruptum; cuius ad ornatum vestigium induxit formis, per quas Mundus omnigeneis Ideis gratiosus apparuit;*

Idearum doctrinæ origo ab Ægyptijs & Chaldæis.

Idearum doctrina falsò ab Arist. adscribitur Socrati.

Hieroglyphicorum doctrina Idearum contextus.

Trismegisti monumenta de Ideis loquuntur.

Proclus Zoroastrum de Ideis loquentē introducit.

quarum vnus fons, ex quo prodeunt, diuisæ aliæ sine latitudine per Mundi corpora fluentes; quæ circa formas ingentes examinibus similes feruntur mutatæ, circaque aliunde alia; conceptus intellectuales à fonte Paterno, multùm decerpentes ignis florem in somnis temporis; summitas primigeniæ Ideæ prima à Patre scaturijt, huius per se florens fons. Vbi apertè patet, Ideas diuinæ Mentis exemplaria quædam esse, quæ ab vnitate superessentiali, per actum creatiuum, foras ῥοιζούμεναι emergant exiliantque; quæ quidem in diuino intellectu vnitæ, extra eum verò diuiduam naturam adipiscuntur. & cætera, quæ ex citati loci contextu perspicua sunt. Quonam igitur ratiocinio Veteres in tam sublimium rerum contemplationem peruenerint, dicendum est.

Veteres quomodo in Idearum cognitionem venerint.

Primò enim Mundum hunc nequaquam à se esse posse, multò minùs reliqua Mundanæ machinæ membra & partes, sed ab alio necessariò omnia hæc esse cognoscebant; non quidem à natura particulari, neque ab vniuersali, non ab vniuersali vita corporea, non ab anima irrationali, neque ab intellectu participato; ergò necessariò ab intellectu imparticipato & independente, intellectu absoluto & essentiali, qui Vita vitarum, Ens entium, Vnitas omnium vnitatum est. Atque ex hac vnitate, quam vnitatem appositè ἀρχέγονον ἰδέαν Zoroastres vocat, omnes reliquæ vnitates veluti ex perenni quodam fonte promanabant. Deus itaque Mundum conditurus seipsum cognoscens, & veluti causam rerum omnium planè comprehendens, illa omnia pariter, quorum causa futurus erat, vitas videlicet rerum, essentias, & vnitates, tanquam in æterno diuinæ essentiæ sinu contentas, necessariò cognoscebat; quæ cùm causæ sint in immobili illa causa causarum, omnium ad extra productorum causas quoque esse necesse est; vt qui in suo esse omnibus ordinem statuat, & suum esse est ipsum intelligere. Seipsum itaque intelligendo omnium factor erit & conditor. Ergo quæ extra se producit, similia esse necesse est ijs, quæ intra se continet; omnis enim in essentia actio talis est, vt ea quæ ex essentia prodit, ab ea dependeat; atque hinc est, quòd omnis causa similem sibi producit effectum. Interiores itaque illæ causæ, Ideæ sunt rerum, quæ similes ad extra ab essentia proferuntur: cùm enim omnia entia varietate inter se distincta, intellectus conditor intra se habeat, & per eam actionem quæ essentiæ est, proferat actionem secundam, quæ est ex essentia; vtique omnia per hanc fiunt, & ab eis dependent; varietas autem rerum in Mundo ab vnitatum, quæ intra intellectum conditorem sunt, varietate prouenit: Deus itaque aut simplicissima Mens est habens suam in perpetuo intelligendi actu essentiam, aut substantia quædam, cui hic intelligendi actus inesse dicatur: quodcunque Deo attribuerimus, non potest esse sine perpetuo intelligendi munere; nullum verò intelligendi munus sine intelligibili, quoniam hoc illius obiectum est; ergo apud Deum semper & ab æterno intelligentem sempiterna quædam intelligibilia esse oportet, eademque iuxta diuinæ naturæ conditionem æterna & immobilia. Atque hæ sunt iuxta Veteres Ideæ seu Iynges in mente diuina existentes, conceptus, & rerum faciendarum exemplaria quædam, iuxta quæ & Mundus, & omnia quæ in Mundo sunt, creata sunt. Quam

nam non Veteres tantùm Ægyptij summo studio coluerunt, sed & Platonici omnes ambobus brachijs, vt dici solet, amplexati sunt. Quin & SS. Patres eam magni fecerunt, vt patet ex S. Augustino l. 5. c. 15. de Genesi ad literam, vbi explicans illud D. Ioannis: *Quod factum est, in ipso vita erat*; de Ideis Platonicis sic philosophatur. *Id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur; in qua vita vidit omnia, quando fecit; & sicut vidit ea, sic fecit, non propter seipsum videns, sed in seipso ita enumerauit omnia, quæ fecit; nec alia visio ipsius & Patris; sed vna, sicuti vna substantia; nam & in libro Iob, ipsa Sapientia, per quem facta sunt omnia, sic prædicatur; Sapientia vnde inuenta est, vel quis locus Scientiæ? ignorat mortalis viam eius, nec inuenietur in hominibus*; & paulo post: *Audiuimus eius gloriam, Dominus commendauit viam eius. ipse enim omne quòd est sub cœlo, perfecit, & nouit quæ sunt in terra, omniaque fecit; ventorum libramenta atque mensuras quando fecit; sicuti vidit, enumerauit*. Quibus omnibus, inquit Augustinus, probatur; *quòd hæc omnia priusquàm fierent, erant in notitia facientis, & & vtique ibi meliora, vbi veriora, vbi æterna & incommutabilia; quanquam sufficere debeat, vt quisque nouerit & inconcussè credat, quòd Deus hæc omnia fecerit; non opinor quenquam esse tam excordem, vt Deum quæ non nouerat, fecisse arbitretur. Porrò si nouerat ea priusquàm fierent; apud eum erant eo modo nota, quo sempiternè atque immutabiliter viuunt & vita sunt; facta autem eo modo, quo vnaquæque creatura in genere suo est*. Idem Augustinus, cùm alijs locis multis hanc Platonicorum sententiam approbat, tùm c. 28. l. 7. de Ciuit. Dei, scribit Varronem voluisse Ideam Mineruæ nomine à Poëtis Philosophiam suo more inuoluentibus significatam, quòd hæc Iouis Sapientia sit, ex eius cerebro nata. Atque in quæst. 83. quæst. 46. postquàm distinxit Ideas in Deo, & in humana mente valde repurgata, hæc subijcit: *Quis Religiosus, aut vera præditus religione tales Ideas negabit? certè nullus, nisi dicere velit, quæ sunt à Deo, non habere vt sint, aut ab illo non regi, neque gubernari; aut si hoc dederit, affirmare velit, id sine cognitione & ratione fieri; quod esset velle Deum agere, quæ agit, temerè; quæ cùm omnia sunt absurdissima, necesse est, vt Ideas ponamus*. Quæ quidem omnia eò pertinent, vt intelligamus, ad rerum procreationem, nè temeraria & fortuita videretur, Ideas veluti prima quædam Opificis exemplaria ponendas esse; quæ quidem vt ἄτακτα sint, & rerum inferiorum mutationes haudquaquam indeterminatæ sint, in naturæ & Opificis huius rationibus ordinem quendam præexistere necesse est; de quo fusè tractantem vide Platonem, vbi Socratem cum Hippia disputantem introducit: cùm enim effectus Dei in seipsis substantiæ sint, nullo modo in eo tanquam accidentia quædam & multæ substantiæ concipi possunt aut debent; sunt itaque ibi vna quædam, id est, ipsamet Dei substantia; oportet itaque in Deo cuncta modo quàm perfectissimo inueniri, atque vniri illi, sibique inuicem perfectissimè; nequeunt autem sublimiori modo in Deo esse, quàm si sublimissimè tùm Deo, tùm sibiipsis, ac si in Deo sint ipse Deus, vniantur; neque tamen absolutè Idea diuina est substantia, sed quatenus huius vel illius speciei quoddam veluti exemplar est & παράδειγμα.

Platonici Idearum doctrinam amplectuntur

SS. Patres Idearum mentionem faciunt. S. Augustinus

Ideæ in creatione Mundi rerum exemplaria.

Plato.

Quo-

Quocirca vt rationes ex vna essentia plures intelliguntur, sic plures dicuntur Ideæ; respectusque eiusmodi, quibus Ideæ multiplicantur, non à rebus ipsis efficiuntur, sed ab intellectu diuino suam cum rebus essentiam, si ita loqui liceat, comparante; suntque hæc prima omnium Theologia; quam Ægyptij siue à Zoroastre, siue Hermete haustam, & tanquam arcanorum omnium arcanissimum hieroglyphicis symbolis tectam, posteritati tradiderunt, animamque ritè perpurgatam, earum continuâ consideratione, ad Ideam suam, ex qua profluxit, redire posse autumabant. Verùm hæc omnia hieroglyphica in tabulæ Bembinæ interpretatione curiosi Lectoris oculis exhibita, contemplare. Nam vti omnia, quæ in Mundo sunt entia, à Paterna Mente primùm emanasse opinabantur, ita omnia veluti, diuinæ essentiæ quasdam particulas sanctè venerabantur; in hoc vnico delusi, quòd diuinitatem in dictas particulas quasi sectam dum opinarentur, πολυθεότητ☉ seu Idololatriæ prima fundamenta iecerint, vt suo loco & dictum est, & fusè dicetur citato loco, & suprà Classe VI. Cap. II.

CAPVT VI.

De Anima seu forma Vniuersi, iuxta mentem Ægyptiorum, & Platonicorum.

Anima Mundi iuxta Veteres.

VEteres Hieromystæ in hoc vnicum concordare videntur, quòd essentia possibilis ad actualem existentiam deduci minimè possit, nisi per essentiam quandam actu existentem, cùm nihil seipsum producere possit, neque causa suiipsius esse possit, esset siquidem antequam esset. Consequens itaque est, vt quod aliud ad actualem existentiam producit, summo consilio & intentione, vt Zoroaster loquitur, agat; vt sic dispositione rationabili ad actualem existentiam non fortuitò aut casu perueniret. Atque hanc sublimem naturam, alij Mentem, alij Intelligentiam, Mundi Animam alij, alij fatum in substantia, alij, vt Platonici, complexionis necessitatem nominârunt; nam sic existimabant possibilitatem (verba sunt Cusani Cardinalis) necessitate per ipsam determinari, vt sit nunc actu, quod priùs esse potuit; siquidem in illa mente rerum formas actu intelligibiles esse aiebant, sicuti in materia aptitudine quadam potentiali; ita vt ipsa complexionis necessitas in se veritatem formarum continens, vnà cum ijs, quæ ipsas concomitantur, cœlum moueret; vt mediante motu tanquam instrumento potentialem aptitudinem ad actum, & quantò conformiùs posset, conceptui veritatis intelligibili æqualem, formâ concessâ vt in materia est, deduceret. Formas itaque veras in anima Mundi, natura priùs esse, quàm in rebus. Placuit autem Platonicis talia distincta ideata plura quidem esse, sed illa cum naturali quodam ordine ab infinita vnitate, in qua omnia vnum sint, procedere, eo pacto, vt Deum asserentes, animam simul Mundi statuerent, atque eam diuinæ mentis quandam veluti explicationem innuerent, ita vt omnia, quæ in Deo concipiuntur esse per modum vnius exemplaris, sint in Mundi anima

Cusanus.

Platonicorum de Anima Mundi sententia.

ma

ma veluti per modum plurium & distinctorum, Deumque naturaliter hanc necessitatis complexionem, animam verò Mundi naturaliter motum, motum verò temporalem rerum explicationem præcedere: atque hæc temporalis explicatio ordinem naturalem, qui est in anima Mundi, sequitur, diciturque à Platonicis fatum in substantia, ab ea enim fatum descendere arbitrabantur. Porrò ab anima Mundi omnem motum descendere aiebant, quamque totam in tota & in qualibet Mundi parte existere dicebant, tametsi non easdem virtutes in omnibus partibus exerceat; sicuti anima rationalis in homine licet tota in toto, & tota in qualibet parte, tamen in capillis & corde non eandem exercet operationem; vnde in ipsa anima Mundi omnes animas siue in corporibus, siue extra ea sint, complicari voluerunt, vtpote quam totam in Vniuersum, non per partes, quia illam simplicem & indiuisibilem ponebant, sed totam in terra, vbi terram connectit; totam in lapide, vbi partium tenacitatem operatur, totam in aqua, totam in aëre, igne, arboribus diffusam credebant. Hinc Ægyptios hanc per circulum ex diuinæ Mentis centro euolutam exhibuisse, numerumque seipsum mouentem ex eodem & diuerso constantem dixisse, alibi dictum fuit, solo numero ab anima rationali distinctam, vt sicuti homo in anima ad hominem se habet, sic ipsam ad Vniuersum, omnesque animas ab ipsa, & in ipsam finaliter resolui, si demerita non obstarent, credebant: Atque hæc est sententia Platonicorum de anima Mundi; quam Orthodoxi negant; nam tametsi animam Mundi tanquam formam quandam vniuersalem omnem in se formarum multitudinem complicantem concipiant, non tamen eam tanquam formam quandam separatam, sed actu in rebus contractè existentem dicunt; est enim in qualibet re contracta rei forma; neq; vllum inter contractum & absolutum medium intercedit, vti illi sibi imaginati sunt, qui animam Mundi Mentem dixerunt. Solus enim Deus anima & mens Mundi est eo modo, quo anima quasi quid absolutum, in qua omnes rerum formæ actu existunt, consideratur, diciturque Verbum Patris; quod dum Veteres non intelligerent, eius loco animam Mundi substituerunt: cuius hieroglyphicam exhibitionem vide in tabulæ Bembinæ explicatione.

Anima Mundi causa omnis motus secundùm Platonicos.

Anima Mundi omnia implet.

Platonicorũ doctrina de Anima Mundi contraria orthodoxæ doctrinæ.

Porrò Veteres motum, per quem formæ & materiæ connexio fit, Spiritum quendam esse inter formam & materiam medium opinati sunt, huncque potissimùm in Aplane, Planetis, & terrenis rebus residere senserunt, quem & Græci postmodum Platonici sub verborum velamento non ineptè Atropon, Clothon, & Lachesin indigitarunt. Latent enim in rebus quædam euentuum causæ, vt seges in semine, quæ in anima Mundi ceu in glomo quodam complicatæ, per motuum vim & efficaciam explicentur & extendantur. Atque hunc Spiritum dixerunt Vniuersi, varioque, vt in Tomo III. videbitur, hieroglyphicorum ornatu exhibuerunt, per vniuersas Mundi semitas, & singulas eius partes diffusum contractumque, quam naturam dixerunt; vnde naturam omnium eorum, quæ per motum fiunt, quandam veluti explicationem definiuerunt. Verùm hunc Spiritum nonnulli increatum, alij meliùs, & orthodoxæ doctri-

Spiritus Vniuersi secundùm Veteres.

næ conuenientiùs, creatum esse, sine quo nihil vnum sit, neque subsistere possit, tenuerunt: quinimò totus hic Mundus, & omnia quæ in naturæ maiestate refulgent, per hunc Spiritum naturaliter per necessariam quandam connexionem id sunt, quod sunt, vt videlicet, potentia per eius medium sit in actu, & actus eius medio sit in potentia. Atque hæc est amorosæ connexionis ad vnitatem motus, vt sit omnium vnum Vniuersum: nam dum mouentur singulariter, vt sint hoc, quod sunt meliori modo, & nullum sicuti aliud æqualiter, motum tamen cuiuslibet quodlibet suo modo contrahit, & mediatè vel immediatè vt sunt vniuersum, participat, & per hunc motum res sunt meliori modo, quo possunt, & ad hoc mouentur, vt in se, aut in specie per naturalem diuersorum sexuum connexionem, (qui naturâ complicante motum vti vniti sunt, ita per diuisionem contracti sunt in indiuiduis) conseruentur. Nemo tamen hîc putet, naturam siue motum explicari per motum simpliciter maximum & absolutè, siquidem hîc vti cum quiete incidit, ita alius esse non potest, quàm ipse Deus Conditor & Motor rerum omnium immobilis: Quemadmodum enim omnis potentia est in potentia absoluta, qui est æternus, & omnium Conditor Deus; & omnis forma & actus in absoluta forma, quod est Verbum Patris, & Filius in diuinis; ita omnis connexionis motus, proportionumque harmonica ratio est in absoluta connexione diuini Spiritus, vt sit vnum omnium principium Deus; in quo omnia, & per quem omnia sunt in quadam triadis vnitate, vmbratili quâdam similitudine secundùm magis & minùs contracta secundùm gradus suos, vt alius gradus potentiæ & actus, connexionisque motuum in Intelligentijs, vbi intelligere propriè est mouere; & alius materiæ & formæ nexusque in corporeis, vbi esse est mouere. Quæ omnia admirando ingenij ausu Ægyptij sub hieromanticis symbolis obuelata posteritati consignarunt, vt suo loco amplè ostendetur.

Spiritus Vniuersali quid.

Consectarium.

Quodlibet est in quolibet quomodo intelligendum.

Atque ex dictis patet, quomodo illud Veterum, *quodlibet est in quolibet*, intelligendum sit. Cùm enim Deus ita sit in omnibus, vt omnia sint in ipso, certè omnia in omnibus, & quodlibet in quolibet esse, vel hoc ipso liquet. Vt enim quodlibet in quolibet esse posset, vniuersum naturæ ordinem vti perfectissimum præcessit omnia, atque adeo in qualibet creatura vniuersim ipsa creatura & existit, & recipit omnia, vt in ipso sint ipsum contractè; non est autem vniuersum nisi contractè in rebus; & omnis res actu existens contrahit vniuersa, vt sit actu id quod est; omne autem actu existens in Deo, est actu omnia; actus autem est perfectio & finis potentiæ; vnde cùm vniuersum in quolibet actu existat, sicut immediatè in Deo vniuersum, sequitur non esse aliud dicere, quodlibet esse in quolibet, quàm Deum per omnia esse in omnibus, & omnia per omnia esse in Deo; qui quidem absque diuersitate in omnibus est, quia quodlibet in quolibet; & omnia in Deo, quia omnia in omnibus; sed

cùm

cùm vniuersum ita sit in quolibet, vt quodlibet in ipso, & in quolibet contractè id quod ipsum est contractè; consequitur, quodlibet in vniuerso esse ipsum vniuersum, quamuis vniuersum in quolibet sit diuersæ rationis, sicuti & quodlibet in vniuerso. Hoc pacto omnia in linea sunt linea, in lapide lapis, in vegetabili anima, in vita vita, in sensu sensus, in visu visus, in auditu auditus, in imaginatione imaginatio, in ratione ratio, in intellectu intellectus, in Deo Deus. Vides igitur quomodo rerum vnitas siue vniuersum est in pluralitate, & è conuerso in vnitate pluralitas; & quomodo quælibet res actu existens ex eo quiescit, quia omnia in ipso sunt omnia, & ipsa in Deo Deus. Miranda sanè est rerum vnitas, ineffabilis æqualitas, obstupescenda, vt omnia sint in omnibus, connexio. Quiescunt itaque omnia in quolibet, cùm vnus gradus sine alio esse nequeat, non secùs ac in membris corporis, quodlibet confert cuilibet, & quodlibet membrum per quodlibet immediatè est in homine, & homo per quodlibet membrum est in quolibet; sicuti totum in partibus per quamlibet in qualibet: iterum sicuti absoluta humanitas impermiscibilis & incontrahibilis, nil aliud, nisi ipse Deus est; ita contracta humanitas in homine totus homo, & contractè in singulis eius partibus, vti in oculo est oculus, in corde cor, in cerebro cerebrum, & sic de reliquis. Ex quibus quidem, ni fallor, facilè colliges, quomodo Veterum hoc epiphonema, *quodlibet esse in quolibet*, intelligendum sit. Sed de his suo loco, vti promisimus plura.

CAPVT VII.

De descensu ascensuque animarum, & metempsychosi, ex mente Ægyptiorum.

SCitum Platonicum est, Timæo teste, Mundi Opificem in stellas seu sphœras cœlestes, animas seminare; quod ita explicandum est, vt non singulæ animæ, sed animarum legiones singlis stellis accomodatas intelligi velint. Addit autem, Deum animas suis imposuisse vehiculis, ac vniuersam naturam legesque fatales edocuisse; adeoque iuxta Platonicos omnes sphœræ animarum copijs refertæ sunt; quod & Ægyptios existimasse Proclus & Iamblichus apertè docent. Descendunt verò animæ appetitu quodam in generationis sphœram tractæ. Nam vt Hermes in Pimandro ait, *Homo cùm considerasset in Patre suo rerum omnium procreationem, ipse quoque fabricari voluit, Vnde à contemplatione Patris ad sphœram generationis lapsus est.* Descensus itaque animarum in corruptionis sphœram nihil aliud est, quàm intellectus à diuina Patris contemplatione ad sensibilem & elementarem Mundum conuersio, ex qua mox animæ cum terreno corpore copulationem sequi putabant; & vt Ægyptij loquuntur, animam in ipso descensu alas perdere; tantò autem deteriorem sortem experiri, quantò vehementiori appetitu in inferiora agitata fuerint; adeò vt non hominem tantùm, sed & quorumcunque animalium corpora subeant. Vnde celeberrima illa metempsychosis ab Hermete & Zoroa-

Metempsychosis Ægyptiorum.

Platonicorũ dogmata de sphœrarũ cœlestium Animabus.

Animarum descensus & ascensus secũdùm Platonicos.

Metempsychosis origo.

ftre primum, vti in Pimandro eſt, Aegyptijs tradita, maximum huius peruerſi dogmatis fautorem aſſertoremque Pythagoram inuenit. Sic autem Hermes: *Num in his, quæ generatim diximus, audiſti quemadmodum ab vna totius Mundi anima vniuerſæ profluunt animæ per omnem Mundum tanquam distributæ circumcurrentes? Harum autem animarum mutationes permultæ; partim ſanè in melius feliciuſque, partim autem in contrarium. Nam animæ quidem reptilium in aquatilia transmutantur; aquatilium in terreſtria migrant, terrenorum volatilia ſubeunt; aëreorum vertuntur in homines; hominum denique immortales animæ in Dæmones tranſeunt; demum in Deorum choros feliciter reuolant; anima verò in humanum corpus lapſa, ſiquidem mala perſeuerauerit, non geſtat immortalitatis quicquam, neque bono etiam fruitur; reuoluto autem itinere in reptilia præcipitatur; hæc vtique adiudicatio pœnaque eſt animæ malæ, prauitas animæ ignorantia; anima naturæ rerum boniquè inſcia, orbata oculis, corporis ſeſe paſſionibus implicat.* Hæc Mercurius. Quamuis paulò poſt animam humanam aliud præter humanum corpus non ingredi aſſerat his verbis: *Humana ſanè anima non omnis quidem, ſed pia, beata eſt atque diuina; poſtquam verò huiuſcemodi anima per mortem à corporis carcere eſt exempta, cùm omne ſubierit virtutis pietatiſque certamen, aut Mens, aut Deus efficitur; certamen autem religioſæ pietatis hoc eſt, recognoſcere Deum, iniuriam nemini inferre: Anima tamen impia in natura propria remanet, à ſe ipſa nimium cruciatur, corpus quærit quod ingrediatur terrenum & humanum, aliud quippe corpus quàm humanum animam non capit humanam, neque fas eſt in corpus animæ ratione carentis, animam rationalem corruere; lex enim diuina tam nefariam degenerationem probibet.* Plato verò in Phœdro totam deſcendentium animarum ſortem, & de animæ alis, quibus per multos circuitus & reuolutiones illa tandem in cœlum, vnde venerat, euolet, hiſce verbis deſcribit. *Regula Adraſtiæ Deæ, id eſt, ineuitabilis Numinis, hæc eſt, vt quæcunque anima Deum comitata, aliquod verorum inſpexerit, ea vſque ad alium circuitum ſit indemnis, & ſi ſemper hoc facere queat, ſit ſemper illæſa; ſi verò impotens aſſequendi non inſpexerit, & caſu aliquo vſa, opinione ad hæc prauitateq; repleta grauetur, grauata autem pennas confregerit, in terramque reciderit; tunc prohibet lex hanc in prima generatione in aliquam belluinam naturam ire, ſed iubet eam quæ plurima viderit, in Philoſophi viri, aut pulchritudinis cupidi, atque amatorij ire genituram; eam verò quæ ſecundo loco, in Regem legitimum, aut bellicoſum virum, aut imperatorium deſcendere: tertio in gubernatorem Reipublicæ, aut rei familiaris diſpenſatorem, vel quæſtuarium; quarto in laborioſum, gymnaſticum, aut circa medelam curamque corporis verſaturum; quinto in eos qui Vates ſunt futuri, & circa myſteria quædam; ſexto in Poëtam, vel alium quendam, qui aptè in imitatione verſantur; ſeptimo in artificem, vel agricolam; octauo in Sophiſtam & popularem; nono in tyrannicum. In his omnibus quicunque iuſtè vitam egerit, ſortem poſtea nanciſcetur meliorem; qui verò iniuſtè, deteriorem: in idem enim vnde profecta eſt cuiuſque anima, annorum decem millibus non reuertitur; alas enim ante hoc ſpatium non recuperat, præter illius animam qui philoſophatus eſt ſine dolo, & vnà cum ſapientiæ ſtudio pulchritudinem adamauit.* Ex quibus patet, animæ alam nihil aliud eſſe, quàm inſitum quendam ani-

Triſmegiſtus.

Triſmegiſti de Animæ humanæ Metempſychoſi opinio.

Plato de Animarũ deſcenſu & aſcenſu.

mo igniculum, per quem tùm veri contemplatione, tùm ipsius boni amore ad cœlestia rapiatur. Quæ omnia Proclus de anima & Dæmone his verbis confirmat: *Animæ nostræ hic peruagantur circa imagines eorum, quæ in patria viderant, & ad eas imagines magis afficiuntur, quorum exemplaria illic attentiùs contemplatæ fuerant; aliæ namque animæ alijs sunt accommodatæ spectaculis, ideo aliæ alijs imaginibus incumbunt; eorum enim quæ illinc inspexerant, similitudines amant. Quæcunque verò magni Iouis insuper pedissequæ fuerunt, vnàque cum illo circuiuerunt, ordinem habentes ducalem inter duodecim Principes totius vniuersi, hæ perfectæ iuxta speciem sui Dei, etiam huc profectæ, imperiosam vitæ speciem appetunt, & si quod reuera imperiale est, ignorent, apparentem verò Principatum inter imagines prosequuntur, atque si Sapientes nactæ sint præceptores, effectus eiusmodi eis peruenit ad salutem per quendam ad cœlestia reditum. Sin autem inter imagines moras traxerint, desinunt in tyrannidem. Hinc ait in Rep. Socrates, animas nuper è Cœlo profectas imperiosas vtplurimùm eligere vitas. Cùm enim paulò antè vnà cum cœlestibus Dijs circumiuerint, inspexerintque vires eorum omnibus dominantes, affectant ipsæ quoque circa similem cæteris imperantem, & plurimo quidem affectu huiusmodi abutuntur, rectè verò vtuntur admodum paucæ.* Porrò singulis stellis quæ sunt in extremo orbe, Plato respondere putauit in Mundo inferiori singulorum hominum animas, illarumque virtutibus has quodammodo regi; dicit enim Plato in Timæo, cùm Vniuersum Deus constituisset, astris parem numerum distribuisse animarum, singulis singulas adhibentem, eisque tanquam vehiculis impositis monstrasse vniuersam naturam, ac leges fatales edixisse. Has animas deinde suis temporibus corporibus humanis alligatas, varijs desiderijs, affectibusque voluptatis, doloris, mixtique amoris, metus ad hæc atque iræ contrarijs pathematis agitatas implicari; quæ quidem pathemata qui superauerint, eos iustè victuros, iniustè qui ab ijs fuerint superati subiugatique: qui verò rectè à natura sibi datum curriculum confecerit, ad illud astrum, cui accommodatus fuerit, reuersurum, beatamque vitam acturum. Contra verò agentem in ortu secundo mutato sexu fieri mulierem cogi; & qui nè quidem peccandi finem fecerit, eum immobili consuetudine deprauatum naturam belluinam suis moribus similem intraturum; neque à mutationibus cessaturum, vsque dum affectibus belluinis extinctis, pristinæ suæ naturæ fuerit restitutus. Et in Phedone sic ait. *Itaque animæ malorum circa simulachra tam diu oberrare coguntur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante rursus induant corpus; induunt autem, vt decet, eiusmodi mores, quales in vita exercuerunt; eos quidem qui ventri dediti per inertiam atque lasciuiam vitam egerunt, neque quicquam pensi pudorisque habuerunt, decet asinos similiaque subire; qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris secuti sunt, in Luporum, Accipitrum, Miluorum genera par est transire; singulis in eas animalium species, quibus in vita similes fuerunt, transmigrantibus.* Hanc Platonis sententiam cùm multi rationi repugnare viderent, eam nihil aliud esse dixerunt, quàm allegoriam quandam, quâ Plato diuersos vitiososque mores, quibus imbuti homines animalibus similes fierent, innueret. Plotinus tamen sine vlla allegoria ea intelligenda, ridiculo

Alæ Animæ quid. Proclus.

Plato putat singulis stellis attributas esse animas.

Animæ malorum secundùm Platonem.

Plotinus.

culo

culo sane discursu asseuerat libro de proprio cuiusque Dæmone, quem vide. *Anima tandem è corpore migrans*, inquit, *in idipsum quo abundauit, euadit. Itaque ad superiora confugiendum, nè in sensualem speciem delabamur, simulacbris videlicet sensibilibus obsequuti; Neuè in vegetalem animam præcipitemur, mancipati libidini generandi, & irretiti suauitate saporum; Sed ad intellectuale, ad intellectum, ad Deum totis viribus assurgendum. Quicunque igitur proprietatem seruauerunt humanam, homines iterum renascuntur: Quicunque verò solo vsi sunt sensu, bruta animalia redeunt. Ita tamen, vt qui sensu præcipuè vnà cum ira, animalia fera exoriantur, atque in ijs differentiam quoque talium afferant; Qui verò sensu per concupiscentiam voluptatemque vsi sunt, salacia & ingluuiosa animalia reuertantur. Verùm si non tam sensu vnà cum ijs, quàm sensus degeneratione vixerint, vnà cum ipsis plantis repullulant. Solum namque, vel maximè in ijs viguit vegetale: omnisque illis cura fuit vt in plantas commutarentur. Proinde qui Musicis modulis nimiùm deliniti vixerunt, in cæteris non deprauati, animalia musica renascuntur. Et qui sine ratione regnarunt, fiunt Aquilæ, nisi prauitate aliâ sint infecti. Qui absque sapientia confidentius sublimia tractant, in cœlum sæpe suspicientes: mutantur in aues, altiora semper volatu petentes. Qui ciuilem virtutem consecutus est, reuertitur homo. Sed qui ciuilem virtutem haud satis est assecutus, in ciuile animal, vt in Apem, vel similia se transformat.* Idem c. 13. lib. 1. de diu. prouid. hac in parte adhærens doctrinæ Platonicæ, admirandam esse vult rerum omnium iustissimam vicissitudinem. *Spernendum præterea non est*, inquit, *quod dici solet, non decere semper spectare præsentia, sed præteritos quoque circuitus, & futuros. Inde namque pro dignitate iustè rependitur, dum commutatio fit ex dominis in priori vita, in seruos in vita sequenti, si modò improbi fuère Domini. Et profectò ita mutari his hominibus expedit. Præterea si diuitijs abusi sunt, in pauperes transferuntur. Vbi bonis quidem esse pauperes, non est inutile. Item qui iniustè quempiam occiderunt, iniustè similiter occidentur. Iniustè quidem quo ad eum spectat qui interficit; iustè verò quo ad eum pertinet qui necatur. Sanè qui patietur, ita in idem conducet vnà cum illo qui ad hæc perpetranda sit promptus, quæ illum pati dicebat. Nemo putet quempiam temeraria sorte fieri seruum: neque casu quodam fieri captiuum, neque absque ratione violari corpus. Sed quondam ille perpetrauit, quæ in præsentia patitur: Et qui olim extinxit matrem, in posterum extinguetur à filio, aliquando natus fœmina. Et qui vitiauerit mulierem, ortus deinde mulier, vitiabitur.* Sed audiamus de hisce deliramentis non doctè minùs, quàm eleganter disceptantem Gregorium Nyssenum libro de Anima & resurrectione; sic enim ait. *Audiui*, inquit, *ex ijs qui talia tradunt, quòd nationes quasdam animarum esse ponant, in peculiari quadam ciuitate, antequam ad corpoream vitam deueniant, viuentes: quæ intenui atque agili sua natura vnà cum reuolutione atque conseruatione vniuersitatis vagentur & oberrent. Propensione verò quâdam ad vitium atque nequitiam, quasi defluentibus pennis, animas intra corpora redigi, primùm quidem humana, deinde eodem modo propter consuetudinem ratione carentium affectuum ac perturbationum, postquam è vita excesserint, in pecora degenerare, atq; deinde vsque ad hanc plantarum sensuque carentem vitam delabi: adeo vt natura tenue atque agile, sicut anima est, primùm*

Gregorius Nyssenus.

mum quidem ponderosum ac deorsum vergens efficiatur, in corpora humana propter vitium atque nequitiam immigrans: deinde ratione prædita vi extincta, in ratione carentibus vitam degere: sensuum quoque dono adempto, hanc plantarum vitam, quæ sensus expers est, inuicem suscipere, ac postea rursus per eosdem gradus ascendere & restitui in locum cœlestem. Atque eiusmodi doctrina ab ijs qui vel mediocriter exercitato iudicio fuerint, ex se ipsa facilè deprehenditur nullum in sese stabile firmamentum habere. Nam si à cœlesti vita propter vitium & nequitiam ad ligneam vitam anima detrahitur, ab ea verò rursum propter virtutem ad cœlestem recurrit, reperitur eorum ratio dubitare, quid præstabilius magisque præferendum putet, ligneam nè, an cœlestem vitam. Circuitus enim & quasi orbis quidam est, qui per similia peragitur atque conficitur, anima semper, vbicumque fuerit, nullum firmum certumque consistendi locum habente. Nam si ex incorporea vita ad corpoream delabitur, & ex hac ad ea quæ sensu carent, itemque illinc rursum ad incorpoream incurrit, nihil aliud nisi indistincta atque indiscreta tum malorum, tum bonorum confusio ab ijs qui hæc tradunt, fingitur & existimatur. Neque enim cœlestis vita in beatitudine permanebit: siquidem vitiositas illic viuentis inuadit: neque ligna & stipites virtutis expertes erunt: si quidem hinc ad bonum recurrere, illinc verò vitiosæ vitæ initium sumere animam putant. Nam si anima quæ vnà cum cœlo versatur, cum vitio atque nequitia conflictatur, ac propter vitiositatem ad materialem ac syluestrem vitam detrusa, rursus hinc subuehitur, vt vitam ducat in sublimi; res nimirùm inuersa ab illis asseritur atque affirmatur: nempe quòd materialis quidem vita vitiositatis expiatricem vim contineat, stellarum verò inerrantium cœloque inhærentium conuersio atque reuolutio, malorum causa atque principium animabus existat; si quidem hinc per virtutem alas adeptæ, sublimes abeunt atque cœlestia contemplantur; illinc verò per vitium atque nequitiam quasi alis amissis, humiles & abiectæ fiunt, & terram depressæ cum crassitudine materialis naturæ commiscentur. Marsilius Ficinus omnibus modis laborat, tùm Veteres, tùm potissimùm Platonem ab huius notæ infamia liberare, nihilque aliud eos voluisse asserit, quàm vitiorum turpitudinem, quorum contagione homines obtenebrata ratione veluti in belluinam quandam naturam degenerent, talem quidem, qualem vitium expresserit. Verba eius sunt: *Soli Plotino visum est*, inquit, *animam hominis fieri aliquando animam belluæ: cæteris Platonicis hoc displicuit. Consentiunt tamen eam vicissim in homines alios transmigrare. Quod quidem etsi Plato non habet certum, habet tamen valde probabile. Quòd verò migret in bestias, sæpe quidem recenset, sed dedita opera adeo præter solitam grauitatem ridiculè narrat, vt planè demonstret neguandam quidem esse rem ipsam: allegoriam verò esse quærendam. Scilicet vt transire in brutum duobus modis accipias: primò quidem in affectum, imaginationem, habitumque bruto conuenientem: deinde in habitationem consuetudinemque inter feras ad tempus, supplicij gratia. Nono verò de Repub. bellu arum, in quas transitus fieri dicitur, varietatem refert ad ipsius concupiscentiæ varietatem in nobis. Idemque sequitur in Phædone. Commentario autem in Plotinum cap. 2. lib. de dæmone proprio. Quanquam hominis anima, inquit, quodammodo in seipsa mutetur, nunquam tamen vltra certos humanæ speciei terminos transmutatur. Quod etiam videtur placuisse Iamblicho,* Marsilius Ficinus.

Iamblichus. *cho, cùm dixit animam in qualibet transmutatione suam speciem seruare. Quoniam eius motus exordium habet ab ipsa, & agitur intra seipsam. Quæ vbi dicitur esse omnia, intelligenda est esse omnia, non quolibet modo, sed suo, id est, speciei propriæ proprio. Noli itaque dicere animam si est omnia per potentiam naturalem, ergo quandoque fit omnia. Nunquam enim anima ipsa fit forma corporea, siue corpus: quia videlicet anima non est quomodolibet eiusmodi forma vel corpus, sed propriè secundùm ipsius vitæ modum. Ita neque fit bestia: quoniam anima non est simpliciter animal, sed modo duntaxat humano. Et eodem loco, Proclus vnà cum omni Platonicorum schola, inquit, intellectualem animam negat ferino corpori admodum alieno sic accommodari posse, vt ei quandoque in vita communicet. Communicare verò cum brutis aliquando illi putant in quadam similitudine vitæ,*

Io. Reuchlin. *idque sensisse Platonem.* In quam sententiam Io. Reuchlin lib. 2. artis Cabalisticæ, scripsit Metempsychosin Pythagoricam nihil aliud verè doctis viris significare, quam similitudinem motuum & studiorum (quæ in aliquo iam mortuo antea extiterunt) in alio nunc viuo renasci. Sicque olim dictum, in Pythagora renatum Euphorbum: quòd quæ virtus bellica in Euphorbo Troiano claruerat, ea in Pythagora quodammodo appareret, propter amorem quo athletas prosequebatur. Quare admirantibus ipsis athletis, quod in Philosopho literarum studioso tantus esset amor pugnæ, hic respondisse dicitur, hoc minimè mirum videri debere, quòd in se vigeret anima Euphorbi, hoc est, ingenium, studium, motum, & voluntatem Euphorbi apud se residere: qui tametsi esset pacis præceptor, & quietæ contemplationis Author, tamen in seipso sentiret quasi belli Troiani quoddam desiderium. Quo audito, vel ignorantiâ mysteriorum Pythagoricorum, vel peruersitate inuidorum, qui semper optima quæque peruertunt, & aliena dicta recitando immutant, fama percrebuit animum Euphorbi in bello Troiano perempti, transmigrauisse in Pythagoram. Quæ opinio Poëtarum fabulis, & aliorum Scriptorum additionibus postea aucta est. Cùm tamen nihil eiusmodi reperiatur in operibus Pythagoræ: in quibus commemorantur παιδευτικὸν, πολιτικὸν, φυσικὸν, & eiusdem aurea carmina.

Tertullianus de Metempsychosi. Et tamen Tertullianus libro de anima, scribit Samium Sophistam (sic enim Pythagoram nominat) huius opinionis authorem Platoni extitisse. Illum verò vt hoc persuaderet, mortem simulasse: sub terra septennio latitasse: se illic patientia damnasse: deinde quasi ab inferis excitatum, hæc de mortuis & inferis alijs narrasse: dixisse olim se Euphorbum fuisse: hocque eo probare voluisse, quòd recognosceret clypeum quem Delphis Euphorbus aliquando consecrauerat.

Hebræi metempsychosin crediderunt. Certè Hebræos hanc opinionem præ cœteris coluisse, suprà in IV. Classe de Cabala dictum est, vocantque hanc metamorphosin גלגולות, id est, *reuolutiones animarum*; & Cabalisticâ resolutione stolidè se demonstrare posse credunt ex voce אדם, Adami animam per א significatam, transisse in corpus Dauidis, quod ד significare putant; animam autem Dauidis migraturam in corpus Messiæ per ם indicati.

Sed ad Aegyptios reuertamur, ex quorum mortiferæ doctrinæ pe- nua-

nuario totum hoc metempsychoseos figmentum emanauit. Cùm enim omnes animas ex diuina mente excerptas, & ex sempiternis stellarum ignibus in terram demissas, teste Cicerone l. 1. de natura Deorum, crederent; præterea animas hasce omnia huius Mundi corpora per varias descensuum reuolutiones subire; in eam opinionem venerunt, omnia plena Dijs, omnia Intelligentijs animata esse; vt proinde mirum non sit, Aegyptios tam intenso cultu non animalia tantùm omnis generis, sed & vel ipsas plantas, cæpas, allia, vti in secundo Systemate Tomi primi fusè probatum est, prosecutos esse. Quæ sanè insania aliunde non profluxisse videtur, nisi à malè intellecto Hermeticæ doctrinæ sensu, vt tùm alibi passim, tùm in hieroglyphicorum expositione fusè ostendimus. Porrò quâ parte cœli animarum fieret descensus, Plato ab Aegyptijs edoctus asserit; ex præcelso superioris Mundi, & astriferæ sphœræ habitaculo animarum descendentium initium fieri in domo Cancri, quem Aegyptij domum Sothis siue Caniculæ dicebant; at ex Capricorno ascendentium denuò animarum initium statui; hinc illam hominum, hanc Deorum portam appellant. Nemo tamen putet, hunc animarum descensum ascensumque secundùm situm accipiendum esse; sed hoc ita intelligendum, quòd cùm Luna Cancri domina (est enim Cancer in huc vsque diem, mansio & domicilium Lunæ) sit sphœræ geneticæ omnium cœlestiũ corporum proxima; Saturnus verò Capricorni οἰκοδεσπότης seu domus huius dodecamorij dominus, ab eadem generationis sphœra remotissimus; ideo animæ per Cancrum, id est, Lunarem vegetabilemque instinctum, rerumque caducarum, quibus turbantur, affectibus & desiderijs pressæ descendant; per Capricornum verò, Saturninum scilicet intellectualemque instinctum, id est, nouâ igniculorum idealium resuscitatione, continuâ contemplationis assiduitate, virtutumque studio factâ, ad eundem, vnde exciderant, gradum ascendant. Est autem Saturnus nil aliud in mystica Veterum Theologia, vti in tertia Classe demonstrauimus, nisi Mens, cuius solius ope superiora petuntur; nam cùm Saturnus & Capricornus siccæ naturæ sint, maxime homines ad intellectualium rerum exercitium, spiritu ad intima contrahente atque colligente, aptos faciunt, & ad contemplandum incitant, prouocantque. Luna verò & Cancer vti humidæ naturæ sunt, ita maximè dispersiuâ ac dilatatiuâ virtute pollet, atque adeo in sensibilium spectaculorum, ac geneticæ sphœræ gurgitem suapte vi animas incitat ac propellit; in ipsò verò descensu anima & à Saturni Numine, vt loquuntur Platonici, per se, & à Saturni lumine per corpus æthereum, amictum quendam, quem Zoroastres vehiculum animæ, Hebræi, vt in Cabala docuimus, indumentum cœleste vocant, veluti incitamentum quoddam, ad contemplationem aptiùs exequendam suscipit; à Iouis verò Numine & lumine ad politicæ vitæ gubernationem; à Marte ad iniurias propulsandas magnanimitatem; à Sole ad phantasiæ, sensuumq; claritatem; à Venere ad amorem; à Mercurio ad scientiam, rerumque interpretationem, atque facundiam Rhetoricam: à Luna denique ad generandum sua accipit subsidia; & tametsi omnia dentur bona,

Cicero.

Ægyptiorum error de animarum transmigratione fluxit ex malè intellecta doctrina Hermetis.

Animarum descensus vbi initium sumat in Cœlo iuxta Veteres.

Saturnus quid sit ex Veterum Theologia. Cæteri Planetæ quid significent.

possunt tamen in terrenæ mistionis contagione ad malum degenerare, fierique putant huiusmodi descensum non secùs ac radiorum Solarium, momentaneam quandam diffusionem. Alij ex Platonicis putant, animas in qualibet sphœra ad certum tempus vitam agere, iuxta rationem ipsius conuenientem, à singulis propria vehicula sortitas; ac tandem, post multa sæcula ad elementarem sphœram descendere; atque in igne quidem & aëre dæmoniacam; in terra humanam brutalemque vitam agere; similibusque tandem reuolutionum gradibus ad supernas Deorum choreas reuerti. Hactenus Platonici. Quæ omnia optimè quadrant ijs, quæ de animarum per decem Sephiroth reuolutione in quarta Classe tractata de Astrologia Cabalistica proposuimus. Quæ tamen omnia orthodoxæ doctrinæ repugnant, vt citato loco ostendimus; neque ea dicta volumus, nisi in quantum ad Aegyptiacæ Philosophiæ expositionem conferunt, vtpote sine quibus, omnis interpretatio & Oedipi conatus superuacaneus irritusque foret.

Platonicorũ aliquorum explicatio de descensu animarum.

Animarum descensus repugnat orthodoxæ doctrinæ.

C A P V T VIII.

De sacrificijs, ritibus, & cœremonijs, quas Veteres tùm ad animam expiandam, tùm ad Numina attrahenda usurpare solebant; qui finis erat Theologiæ mysticæ.

Theurgia Ægyptiorum.

ÆGyptijs præ omnibus Mundi nationibus hanc Theurgiæ partem, quæ in sacrificijs, ritibus, & cœremonijs, Deorumque inuocationibus ritè peragendis consistebat, vsitatam fuisse legimus, quam & artem Sacerdotalem vocabant; hanc enim si legitimè perficerent, omnibus se bonis repleri, Deorumque consortio beari credebant; vnde magna hieroglyphicorum pars huic Theurgiæ innititur, vti in tertio Tomo ostendetur; imò quicquid in toto de mysterijs Ægyptiorum mirifico opere tradit Iamblichus, verus & maximè genuinus Ægyptiorum Interpres, huc alludere videtur. Et tametsi pleraque orthodoxæ doctrinæ contraria sint, mirum tamen videri debet, Ægyptios in summis infidelitatis tenebris constitutos, tantam animarum ritè expiandarum cultûs rationem habuisse, tantòque desiderio ad Deorum consortium, vitæque cœlestis beatitudinem aspirasse. Et quamuis Diabolus humani generis hostis sub laruato fuco diuinitatis Simiam agens, in omnibus eorum operationibus sese vtplurimùm immiscuerit; habuit tamen eorum, præsertim qui Philosophiæ & Theurgiæ operam dabant, vita, nescio quid suprahumanum admixtum, vti ex Hermeticis operibus abundè patet; quod & SS. Patres Iustinus Martyr, Clemens Alexandr. & Augustinus mirati sunt, & ex sequentibus luculenter patebit.

Hieroglyphicorum magna pars Theurgiæ Ægyptiorum innititur.

Animarum expiandarum cura apud Ægyptios.

Quæritur itaque primò, quid sint Sacramenta, quæque sit vis eorum, quâ tanta miracula Ægyptios se patrare opinabantur. Iamblichus putat quòd Deificam vnionem, quam θεολη[illegible]ίαν, aut θεομόρφωσιν vocant, solum præ-

Sacramenta quibus θεοληψία perficiebatur apud Ægyptios, quæ.

præstet tùm præceptorum operumque diuinorum quæ omnem intellectum excedunt, decens obseruantia, tùm symbolorum sacramentorumque mira solis deuota Numinibus potestas. Putabant enim Sacerdotes, hoc ipso quòd sacramenta peragerentur, ijs etiam non intelligentibus, aut aliud agentibus, nihilominus effectum suum sortiri; Deorum potestate, quò hæc referantur, ineffabiles ex seipsa proprias agnoscente imagines, non à nostro intellectu excitatam. Vniuersales enim, vt aiunt, causæ à particularibus effectibus non mouentur, vnde nec ab intellectu nostro diuiniores essentiæ principaliter ad operandum mouentur; sed intellectum, & bonæ voluntatis affectum, puritatemque tanquam dispositiones & concausas quasdam, vt Iamblichus ait, præcedere necessarium est. Quæ verò maximè diuinam prouocant voluntatem, ipsa sacramenta esse putant; atque ita diuina à seipsis incitantur, neque ab vllo subdito principium actionis accipiunt. Sicuti enim, aiunt Ægyptij, & Chaldæi, in agricultura, medicina, arte imaginum, humano coitu, homo materiam opportunè adaptat disponitque, causa verò superior atque vniuersalis adhibet formam; sic in sacrificio quando sunt symbola atque synthemata, id est, signacula & sacramenta, Sacerdos adhibet materialia quidem, Deus autem sacramentis suam imprimit efficaciam. An non hîc aliquo modo, sub obscuro tamen verborum inuolucro, idem indicatur, quod orthodoxi Theologi docent, dum sacramenta ex opere operato gratiam conferre asserunt, non opere operantis? *Iamblichus.*

Cura Ægyptiorum ritè peragendi suos ritus & cæremonias.

Magnam itaque efficaciam in sacrificijs suis ritus, cæremonias, & sacramenta ritè & religiosè peracta obtinere putabant Ægyptij. Dixi, ritè & religiosè peracta, quia si vel vnicam circumstantiam omitterent, totum opus irritum fore existimabant. Summo itaque studio, intensa cura in id vnicum incumbebant, vt quàm integerrimè & sincerissimè omnia & singula administrarent. Primo enim locus, quod adytum vocabant, ab omni hominum consortio remotus requirebatur. Hinc antequam intrarent, multorum dierum abstinentia, vigilijs, corporis maceratione, rerumque terrenarum concupiscentijs domandis ad Deorum influxus aptiùs recipiendos se disponere summo studio contendebant: adytum ingressi habitu vtebantur sacro, Deorumque operationibus prorsùs analogo; siquidem maximè Dijs mysticos & symbolicos corporum ornatus placere, ijsque veluti escâ quâdam allectos, tanquam ad res naturæ eorum maximè congeneas congruasque allectos sese sistere opinabantur: hisce gestis, variasque corporis in nomen Numinis, quod inuocabant, transformationes adiungebant, ijsq; Numina mirificè trahi putabant; quibus accedebat hymnorum singulis Dijs appropriatorum recitatio, diuinorumque nominum sub incognitis vocibus inuocatio; denique suffumigiorum exacta singulis congruorum selectio. Quibus omnibus mysticè peractis, fieri non posse credebant, quin Numina vltrò sese sisterent, & postulata à Sacerdotibus exequerentur. Primò enim hisce ritè peractis animam expiatam ad supremas illustrationes consequendas perfectè disponi; Vaticinij & Prophetiæ donum Deorum immortalium munere concedi;

Adyta qua præparatione intrabant Ægyptij Sacerdotes.

In Adytis quid fecerint Ægyptij Sacerdotes.

quo obtento, iam à fato liberos, ab omni necessitatis vinculo exolutos, Deorum consortio beatos se, θεολήπτους καὶ θεομόρφους credebant, qui vnicus erat totius Theurgiæ finis & scopus. Quomodo autem in huiusmodi ritibus & cœremonijs procedendũ esset, tùm passim in hoc & alijs operibus dictum est, tùm ex professo Iamblichus in suo de mysterijs Ægyptiorum libro explicat, ad quem Lectorem remitto. Orpheus sanè maximam suffumigijs & odoribus in sacrificijs vim attribuit, vnde hoc loco opportunè ea describenda esse duxi.

§ Vnicus.

De suffumigijs in sacrificijs vsurpatis ex Orphei Hymnis.

Suffumigia in sacrificijs vsurpata apud Antiquos.

Diximus passim in hoc Opere, Ægyptios magnam in sacrificijs, Deorumq; inuocationibus thymiamatum siue suffimigiorum rationem habuisse; nihil enim Dijs gratiùs exhiberi posse putabant, quàm appropriatas singulis aromatum species vel simplices, vel compositas exhibere. Hinc Orpheus Ægyptiorum discipulus, hoc vnicum in mysticis Deorum hymnis intendit, vt vnicuique suum illi conueniens, congruumque promat in sacrificijs suffumentum. Sed quoniam hæc omnia passim hieroglyphicis symbolis exhibita spectantur, hoc loco sanè opportunè singulorum Deorum suffumenta, quæ ad Deos quà placandos, qua attrahendos adhibebantur, apponenda duxi.

Deorum singulorum suffimigia.

Primò quidem parturientium Deæ, Lithyæ, quam Prothyræam vocant, styriacis thymiama, in sacrificijs adhibendum præscribit, quo Empusas, Lamias, & Lilithas, à malis parturientibus inferendis propulsari credebant. Hoc pacto Deæ nocti, quam & Cyprim vocat, lampades, id est, ignium splendores, ad tetras caligines dissipandas, exhibet. Cœlo verò, quem Mundi patrem, & præstantem Dæmonem vocat, thus exhibet; Ætheri crocum; Saturno, quem & primogenitum Phanetam, & Priapum vocat, smyrnam offert, putans hoc eum tractum iri. Hunc hymnum hoc versu concludit,

- - - - - - - - βαίνε γεννηθωὶ,
Καὶ τελετὴν ἁγίαν πολυποίκιλον ὀργιοφάνταις.

Lætus descende ad sacrificium sanctum, varium orgia discentibus.

Naturæ, Astris, & Lunæ aromata; Soli Libanomannam, ad beatam vitam obtinendam offert; sic enim hymnum condidit.

Κλῦθι λόγων ἡδὺν δὲ βίον μύστῃσι πρόφαινε.
Audi sermonem, iucundamque vitam sacra discentibus aperi.

Pani varia suffimenta exhibet, ad bonum vitæ finem obtinendum, vti ex fine hymni patet. Herculi thus ad mala damna propulsanda præbet. Rheæ aromata ad pacem adducendam cum opulentis possessionibus, & ad Parcas ad fines terræ amandandas, apponit. Ioui styracem ad sanitatem inculpatam, pacem, & diuitiarum gloriam consequendam. Iunoni aromata; Neptuno & Nereo smyrnam, ad prosperum per mare iter obtinendum, & ad pacem & diuitias impetrandas. Protheo styracem, vt sacra discentibus piâ prouidentiâ mittat beatitudinem vitæ, operibusque finem prosperum concedat. Terræ omne semen, præter fabas & aromata, concedit, tùm ad fructus augendos, tùm ad beata tempora impetranda institutum. Matri Deorum Cybeli vxori Saturni, ex varijs composita suffimenta instituit ad varia terræ munera suscipienda. Mercurio Deorum Nuncio thus tribuit, vt bonum vitæ finem præbeat, sermonis in operationibus gratiam, & ad perficiendam memoriam. Dionysio seu Baccho styrax offertur, vt ea quibus ipse dominatur, læto prouentu obtinere contingat. Mineruæ seu Palladi Persæa folia, ad sapientiam obtinendam consecrat & adolet. Appollini manna ad quieta & tranquilla tempora impetranda offert. Veneri odorifera quæuis magnæ efficaciæ, ad amores sibi mortalium conciliandos. Adonidi & Amori aromata ad δυσβουλίας siue perniciosa & absurda consilia profliganda exhibet. Nemesi è varijs composita suffimenta ad bonas cogitationes obtinendas, & ad sedandas opiniones iniustas, instituit. Æsculapio manna ad sanitatem prosperam, & ad felices medicinalium effectus obtinendos præbet. Ex quibus apertè constat, nihil Ægyptios sine suffumigijs in sacrificijs egisse; sed pro conditione Numinis suffumigia sua exhibuisse. Hinc celebre illud Kyphi Ægyptiorum, de quo, Suida teste, Iulianus Philosophus integrum librum scripsit, ex sexdecim speciebus compositum: quod & Plutarchus libro de Osiride & Iside his verbis describit: *Id quoque ad rationem causæ reddendæ nonnullum affert testimonium, quòd Myrrham Ægyptij Bal nominant, quæ vox, si interpreteris, deliratioms significat amolitionem. Kyphi porrò mixtura est sexdecim rerum in vnum compositarum, mellis, vini, vuæ passæ, cyperi, resinæ, myrrhæ, asphalti, seselis, iunci odorati, bituminis, folij ficulnei, rumicis, iuniperi vtriusque* (duas enim nominant, maiorem & minorem) *cardamomi, & calami. Has autem species non temerè componunt, sed seplasiarijs dum isthæc miscent, sacræ recitantur literæ. Ipse numerus aliquid videtur habere, quòd nimirum quadratus est à quadrato procreatus, solus talium pariter par, & areæ quantitatem cum ambitus numero eandem, sed ad hoc conducunt plurima eorum, quæ miscentur aromaticis prædita facultatibus. Itaque Kyphi suauem emittit vtilemque exhalationem, qua aër mutatus spiritu suo etiam corpus afficit, temperiemque blandam adipiscitur, & molestiam ac vehementiam diuinarum curarum quasi vincula quædam animi citra ebrietatem relaxat: facultatemq; animi imaginatricem & somniorum capacem læuigat instar speculi, purioremque reddit; non minùs id quidem efficaciter quàm lyræ strepitus, quibus ante somnum Pythagoræi vtebantur, brutam motibusque subitis obnoxiam animæ partem ex ratione excantantes atque sedantes:*

Ægyptiorum Sacra non fiebant sine suffumigijs.

Plutarchus.

tes; odores enim ſenſum deficientem reuocant, ſæpè etiam contrà hebetant ac ſapiunt, diffuſis ob læuitatem per corpus exhalationibus, ſicut medicorum nonnulli ſomnum obiri aiunt, quando alimenti vapor veluti ſerpens leniter circum inteſtina, & ea contrectans titillationem quandam inducit. Kyphi porrò Ægyptijs etiam ad bibendum temperatur, potum enim videtur ob vim molliendi ſuam interiora purgare. Præter hæc reſina Solis eſt opus, & myrrhæ lachryma eſt ad Lunam à ſtirpibus edita. Eorum porrò quæ in Kyphi componuntur, ſunt quæ nocte magis gaudent, vt quæ ſpiritibus frigidis, vmbris, rore, & humoribus aluntur; nam diei lux vna eſt & ſimplex, & Solem Pindarus cerni ait per vacuum ætherem; nocturnus autem aër mixtus temperatuſque eſt è varijs luminibus atque facultatibus, quæ veluti ſemen in vnum ab omnibus ſtellis confluunt. Ergo non abs re illa vt ſimplicia & à Sole procreata interdiu; hæc vt mixta, & omnigenis qualitatibus prædita, ineunte nocte adolent. Cùm autem Veteres tantum tribuerint virtutis ad aduocanda per ſuffimenta Numina, iſtius rationem Iamblichus docet his verbis: *Superi namque ſunt paſſionis expertes, quandoquidem placet eis per ignem diſcuti materiam atque conſumi, noſque reddunt à paſſionibus alienos, & quæcunque ſunt in nobis, Dijs ſimilia faciunt: quemadmodum ignis dura omnia & opaca corporibus ſubtilibus lucidiſque ſimilia reddit, noſque ſurſum eleuat per ſacrificia, eorumque ad ignem conſumptionem ad Deorum ignem, ſicuti & ignis ad ignem eleuat reducitque grauia ſimul & dura ad diuina ſurſum atque cœleſtia. Vehiculum corporale dæmonibus ſubminiſtrans, neque à materia, neque ab elementis, neque ab aliquo corpore noto nobis exiſtit. Non poteſt igitur ab elementali eſſentia tanquam aleniſſima fieri Dæmonibus nutrimentum, ſed quemadmodum Dij igne fulmineo materiam diuidunt, ac ſeparant à materia, quæcunque ſunt immaterialia quidem per eſſentiam, ſed alligata materiæ, atque ex paſſibilibus impaſſibilia reddunt: ſic & noſter ignis, actionem diuini ignis imitans, quicquid materiale reperit, in ſacrificio deſtruit, & adnota purificat, & à vinculis materiæ ſoluit, ac propter naturæ puritatem ad Deorum communionem idonea facit, atque nos eodem pacto à vinculis generationis abſoluit, Dijſque aſſimilat, & facit ad Deorum amicitiam aptos, noſtramque naturam materialem ad immaterialem attollit naturam.* Quia tamen Iamblichus duplicem ordinem ſtatuit Deorum, partim materialium, partim immaterialium; hinc diuerſo quoque cultu, diuerſæque rationis ſacrificijs honorandos eſſe conſtituit. Verùm cùm ibi mentem Sacerdotum Ægyptiorum, & dogmata Hermetica hieroglyphica aptiſſimè innuat, diſcurſum eis forſan obſcuriorem καὶ τὴν παράφρασιν, dilucidandum duxi.

Suffimigijs quomodo Deos attraxerint Veteres, Iamblichus.

Principium verò ad hæc omnia optimum eſt, quod contextum ſacrificiorum declarat, Deorum ordini conſequenter annexum. Deos alios quidem materiales, alios immateriales ponimus. Materiales, qui materiam in ſe comprehendunt atque exorant; Immateriales autem, qui à materia penitùs ſegregati ſunt. Secundùm igitur Sacerdotiam artem incipere ſacrificia decet à Dijs materialibus; non enim aliter ad imateriales Deos patet aſcenſus. Hi igitur communionem quandam ad materiam habent, quatenus ei præſident atque incubant; ijdem in ijs quæ fiunt circa materiam, dominantur, vt diuiſioni, percuſſioni, repercuſſioni,

Iamblichi doctrina de Deorum apud Veteres duplici ordine, modoque, eos colendi.

tis, mutationi, generationi, corruptioni corporibus materialibus omnibus. Si quis igitur hos ritè vult colere, nimirum pro natura eorum atq; Principatu cultũ adhibere debet; materialibus inquam materialem: sic enim ad eos totos per tota nos toti in familiaritatem propriam perducemur, cognationemque ipsis in cultu congruam adhibebimus. Corpora itaque vita priuata, & animalium cædes, destructio corporum, mutatioque multiformis atque corruptio, & omninò proiectio materiæ præcedentis, materialibus Dijs congruit: non quidem ipsis propter seipsos, sed propter materiam, cui præsunt. Etsi enim ab hac maximè separati sint, simul tamen huic adsunt; ac si materiam in potestate immateriali continent, attamen vnà cum hac existunt. Iam verò gubernata gubernatoribus non sunt aliena, similiter exornatoribus exornata. Quin etiam vtentibus quæ subministrant tanquam instrumenta facilè proportionibus coaptantur. Quapropter immaterialibus quidem Dijs, materiam in sacrificijs adhibere est alienũ; materialibus autem omnibus est admodum consentaneum. Operæ pretium est ad hæc insuper geminum vitæ nostræ habitum cogitare. Aliquando quidem animis toti nos efficimur positi extra corpus & eleuati mente, vnà cum totis immaterialibus Dijs, per sublimia nos attollimus; aliquando verò terreno corpore colligamur, sumusque corporei, materia videlicet comprehensi. Similiter duplex erit cultus diuini ratio: vna quidem erit simplex, incorporea, ab omni generatione sincera, sinceris competens animalibus: altera verò plena corporibus & actione prorsus materiali, conueniens animalibus nondum puris, necdum ab omni generatione purgatis. Sacrificiorum ergo species duæ sunt: purissima quidem sacrificia hominum sunt summopere purgatorum. Quod quidem rarò cónuenit vni, vel admodum paucissimis, vt inquit Heraclitus. Sacrificia verò materialia, & quæ in mutatione versantur, animalibus adhuc occupatis corpore competunt: Ciuitatibus ergo nondum purgatis genitali sorte contubernioque corporeo, nisi eiusmodi sacrificia dederis, ab vtrisque pariter aberrabis ab immaterialibus simul atque materialibus bonis. Illa quidem non possunt accipere, ijs autem proprium consentaneumque non offerunt. Accedit ad hæc, quòd vnusquisque quâ ratione est, non qua non est, agere debet essentiæ curam. Non oportet igitur hanc præuaricari propriam colentis mensuram atque naturam: complexionem quoque propriè coaptatam inter curantes homines potentiasque curatas, electuram iudico conuenientem sibi culturæ modum; nam complexio eiusmodi immaterialiter temperata immaterialem eligit, quatenus ipsa videlicet potentijs purè incorporeis ad ipsa purè incorporea copulantur. Complexio illiusmodi corporaliter coaptata corporibus, eligit culturam similem ad essentias corporibus præsidentes. Sæpè pro necessario corporis vsu vouemus operamurq; aliquid erga Deos gubernatores corporis, Dæmonesq; bonos, dum videlicet studemus purgare corpus à maculis quibusdam sordibusq; Veteribus, vel morbis absoluere, sanitatemq; adhibere, vel grauedinem torporemq; remouere, & leuitatem

Duplex cultus diuinus ex doctrina Iamblichi.

Expiationis modus iuxta Iamblichum.

efficaciamq; adhibere, vel aliud quoddam bonũ corpori comparare. Tunc igitur non intellectuali quâdam & incorporeâ ratione corpus ritè tractabimus; non enim ita natum est vt his modis curari queat, sed cùm cognata sibi nanciscitur, tunc corporibus curatur corpus, atque purgatur. Erit igitur & sacrificandi ritus ad vsum eiusmodi necessariò corporalis; atque ita superflua corporis expurgabit, supplebitque pro necessitate quæ desunt, & quæcunque distributa sunt, ad proportionem ordinemque reducet. Sacrificamus sæpè poscentes à superis aliqua ad vitam humanam accommodata, scilicet quæ vel victui necessaria sunt, vel ad illa pertinent, quæ gratia corporis affectamus. Quidnam tunc continget nobis à Dijs ipsis, qui ab omni humana generatione sunt penitùs segregati, quòd ad penuriam sterilitatemue fugandam, vel copiam adducendam nobis conferat, vel ad alia necessaria vitæ conducat? nihil sanè: qui enim sunt ab omnibus absoluti, eiusmodi dona non tractant; si quis verò dicat, Deos illos immateriales omninò materiales in se comprehendere Deos, horumque dona secundùm vnam causam primam in se complecti; dicet vtique copiam quandam ita diuini muneris illinc inferiùs descendentem. Verùm quod illi hæc tractantes proximè humanam vitam, actionesque peragant, nulli dicere concedendum est; eiusmodi enim rerum, quæ hic sunt, dispensatio diuisa est atque particularis, & cum quadam ad hæc conuersione peragitur, neque omninò est à corporibus segregata, neque puram sinceramque gubernationem præfecturamque admittere potest. Modus igitur sacrificandi pro rebus eiusmodi congruus est, qui cum corporibus habet & generatione commercium, non qui est à materia & corpore penitùs separatus. Qui enim purus est omninò, talia supergreditur, neque ad hæc proportionem habet; qui verò corporibus horumque viribus vtitur, est rebus eiusmodi omnium cognatissimus, potens prospera quædam vitæ suppeditare, & aduersa nobis imminentia deuitare, ac temperiem comparare humano generi moderatam. Plurima hominum turba naturæ subijcitur vniuersali, eaque viribus naturalibus gubernatur, atque inferiùs ad naturæ opera vergit, completque dispensationem fati, & fatalium operum suspicit ordinem, rationemque practicam circa naturalia solum exercet. Paucissimi supernaturali mentis potentia freti à natura discedunt, atque ad separatum immistumque se conferunt intellectum; vndè naturalibus potentijs superiores euadunt. Nonnulli verò medium tenent inter purum intellectum atque naturam, & horum alij quidem vicissim sequuntur vtrumque, alij mistam ex illis vtrisque vitam agunt, alij soluuntur quidem à deterioribus, & ad potiora se transferunt. Qui ergò natura gubernantur vniuersali, & ipsi vitam degunt naturæ propriæ mancipatam, potentijsque naturæ fruuntur, cultum exercebunt naturæ conuenientem, corporibusque naturà motis congruum: eligentes ad hoc loca, qualitates, aëris materiam, materiæ vires, corpora, corporum qualitates, & habitus, motus conuenientes, mutationesque eorum quæ in generatione versantur atq; similia, tùm in cœteris cultus diuini partibus, tùm in ritu sacri-

ficandi. Qui verò solâ mente viuunt, vinculis naturæ soluti, intellectualem corporumque expertem culturæ normam in omni religionis parte meditabuntur. Qui mediam vitam degunt inter intellectum atque naturam, mediam quoque sequentur religionem, atque pro vitæ mediæ differentijs differentes sectabuntur colendi per media modos; aut enim tractabunt vtrumque vicissim, aut ab altero ad alterum declinabunt, aut deteriora tangent, vt per ea consequantur & potiora, existimantes non aliter sublimiora se consequi posse. In genere essentiarum potestatumque diuinarum aliæ quidem subiectam sibi animam habent atque naturam, subministrantem videlicet eorum opificijs, quatenus ipsæ volunt; aliæ verò ab anima & natura sunt penitùs separatæ, non inquam ab anima tantùm mundana prorsùs atque genitali, verùm etiam ab anima diuina eiusque natura. Aliæ denique medium tenent, communionemque inter extrema conciliant, vel secundùm vnum indissolubile vinculum, vel secundùm exuberantem maiorum traditionem, vel secundùm minorum susceptionem non impeditam, vel secundùm colligatam amborum consensionem. Quando Deos colimus animæ naturæque dominantes, non alienum est & naturales his vires offerre, & corpora quæ natura reguntur, Dijs eiusmodi consecrare. Omnia enim naturæ opera & obtemperant eis, & ad eorum dispensationem aliquid conferunt. Sed quando Deos longè secretos, & in sua vnitate collectos cupimus venerari, honoribus à materia penitùs absolutis eos venerari debemus. Intellectualia enim his dona debentur, incorporea vita, virtus perfecta, sapientia consummata, eorumque officia. Medijs autem Dijs, mediorumque bonorum Ducibus, sicut diximus, media competunt. Ab alio igitur principio exordientes, scilicet à Mundo, Dijs mundanis, distributione quatuor in Mundo Elementorum à communi sortitione secundùm mensuras Elementorum facta, à circumferentia circa centra in ordine reuoluta, ad veritatem sacrificiorum facilem habemus accessum. Si enim nos in Mundo sumus, & vt partes continemur in eo, primumque generamur ab eo, atque à totis potentijs eius perficimur, & ex quatuor eius componimur Elementis, ac portionem quandam vitæ naturæque ab eo nacti tenemus; profectò non debemus in cultu diuino Mundum mundanosque ordines prætermittere. Ponamus igitur circa quamlibet Mundi partem esse quidem corpus aliquod vt videmus, inesse prætereà vires corporibus incorporeas ordine distributas: sacrorum itaque lex similia similibus ritè distribuit, & à summis ad ima per media tota progreditur: corpora quidem corporeis adhibens, incorporeis incorporea, propria videlicet vnicuique reddens. Verùntamen si quis religiosus supermundanum Numen assequitur (rarissimè verò id accidit) hic vtique solus seorsum à corporibus & materia positus, nimirum & talem prosequitur cultum, supermundanâ potentiâ Dijs supramundanis vnitus. Quod autem vni vix tandem in Sacerdotij fine contingit, non expedit pro communi lege omnibus & in principio, & in medio religionis statuere. Hi namque corporeum quocunque modo cultum agunt. Quilibet igitur peritus in Sacerdotio confitebitur, oportere cul-

Pro ratione naturæ Deorum sacrificia instituenda ex mente Iamblichi.

tum superis nec ex parte, nec imperfectum, sed conuenienter & integrum adhibere. Quoniam igitur antequam adsint Dij descendantque ad terram, omnes præsubiacentes illis potentiæ mouentur, & vt præcursores pompæque præcedunt; nimirum qui non distribuit omnibus quod cuique congruit, nec vnumquemque proprio quodam honore prosequitur, ipsam Deorum præsentiam non assequitur. Qui verò omnia Numina sibi propitia reddit, grata offerens vnicuique, donaque similia, hunc sanè non frustratur euentus, sed diuinum Chorum integrâ plenâque præsentiâ suscipit. Cùm igitur hæc ita se habeant, non oportet ritum religionis esse simplicem ex paucisque compositum, sed multiformem, & ex omni harmonia constantem ex cunctis vbiq; mundanis (vt ita dixerimus) constitutum. Si enim simplex aliquid & vnius duntaxat ordinis esset id ipsum quod in Sacerdotio aduocatur, & ad nos mouetur, simplex vtique modus sacrificandi sufficeret. At verò nullis notum est, quanta virium multitudo suscitari solet, quando descendunt Dij atque mouentur, nisi Sacerdotibus illis, qui opere ipso id experti iam fuerint. Soli igitur hi cognoscunt, quæ potissimùm sit perfecta plenitudo colendi, & quàm paucis prætermissis, quantum nos frustretur euentus. Quemadmodum in harmonia, si vna chorda frangatur, tota subitò dissonat: sic vno prætermisso Numine sine ritu, communis ipsa religio finem non habet optatum, dum hoc vno deficiente sacrum opus structuram suam integritatemque non habet. Quando diuinæ potestates palàm ad sensum descensuræ sunt, manifestum nobis prouenit damnum, si quem ex superis prætermittimus non honoratum. Similiter quandò clàm veniunt in opere sacro, periculosum est, si hunc quidem honores, alium verò pro sua dignitate & ordine non honores. Qui enim aliquem proprio fraudant honore, totum confundit religionis opus, dum vnam totamque dispositionem dissipat: neque vt aliquis putaret, tunc opus suscipiendi tantum est imperfectum, sed totius structuræ perit. Quid verò? Nonnè ipsa sanctimoniæ summitas, ad summum ipsum totius Numinum multitudinis principium vnumque recurrit, atque in eo diuinas omnes simul essentias dominationesque colit? Procul dubio, verum eiusmodi summitas serò admodum aduenit, & quàm paucissimis: atque optimè nobiscum agi putandum est, si talibus in vitæ calce contigerit. Disputatio verò præsens non eiusmodi Deo leges ponit: hic enim est lege superior: sed lege aliqua indigentibus, has sacrorum leges in præsentia sancit. Numinum multitudo est quasi Mundus aliquis, habens multos ordines, in vnum ordinem conspirantes. Similiter sacrificia debent habere Numinum ordinem, pariter in vnum ordinem conspirantem, ita vt singuli singulis Numinibus ritè respondeant: similiter quæ circa nos sunt & in nobis, multiplicia sunt, neque debent ex aliqua parte tantùm, sed ex cunctis congruè diuinis nostrarum rerum causis respondere, atque ita ad supremos ascendere duces. Religiosa igitur obseruantia circa nos & in nobis, agit varia. Aut enim quasi propagando perficit, aut amputat, aut emundat, aut expertia ordinis ordinat, aut segregat longiùs ab errore mortali: cuncta denique totis supernis fa-

Effectus comparentium Deorum ex mente Iamblichi.

milia-

miliaritate conciliat. Atqui quando vtrinque congrediuntur in vnum, illinc quidem diuinæ causæ, hinc autem ex æquo præparationes humanæ, tunc absoluta religio peragit omnia, & ingentia ex sacrificijs bona reportat. Profectò exuberantia potestatis in causis Vniuersi summis, id habet; vt quemadmodum in cæteris inferiora superat, ita & in hoc admodum superet, videlicet in ipsa præsentiæ amplitudine, vt maximæ omnium causæ, maximè omnium omnibus sint præsentes, adeò vt eadem ipsa causæ vniuscuiusque potestas, seorsum ab impedimento vbique tota semperque sit præsens. Hâc igitur ratione ipsa omnium prima, vltimis quoque subrutilant; immaterialiaque principia immaterialiter materialibus adsunt. Nemo miretur si quam materiam esse dicimus puram atque diuinam; nam ipsa quoque materia cùm ab Opifice Patreque omnium facta sit, meritò perfectionem sui quandam acquisisse potest aptam ad Deos suscipiendos. Hæc Iamblichus.

In quibus quidem primariò ostendere nititur, summam Deorum prouidentiam, quam non meliùs quàm per sacros religionis ritus se sibi conciliari posse existimabat; est enim prouidentia certè omnia, quæ Mundi ambitu continentur. Verùm de hisce audiamus Proclum de anima & dæmone, vbi appositè sanè, quæ hucusque recensuimus, summatim indigitat sequentibus verbis: *Qui diligentiores sunt in rerum rationibus assignandis, duo hæc elementa potissima diuinæ Dæmoniacæq; prouidentiæ tradunt. Primum, per omnia desuper prouidentiam ad vltimum vsque procedere, ac nè minimum quidem sui expers alicubi prætermittere. Secundum nihil omninò eam ex gubernatis accipere, nec eorum natura repleri, nec eis alicubi commisceri. Non enim ex eo quòd omnia seruet atq; disponat, admiscetur proptereà gubernatis: nam diuinam atque Dæmonum naturam habet, passionibus animarum particularium non subiectam. Neque tamen dum separatim sequentia supereminet, propterea ex deterioribus aliquid inordinatum incultumque relinquit. Imò verò ob hanc ipsam causam omnia decenter exornat, atq; à dispensatis absoluitur. Est enim benefica pariter atq; sincera, exornatrix omnium, atq; ab excultis interim expedita. Per omnia currens, præsertim quia cohibita nusquam. Viri quinetiam diuini, inferioribus diligentissimè prouident simul atq; tranquillè. Quid ergo de Dijs ipsis bonisq; Dæmonibus est dicendum? Nonnè præsentes omnibus liberi sunt ab omnibus? Implentes seipsis omnia, nullis alicubi permiscent. Discurrentes per vniuersum, nusquam vitam propriam addixerunt. Nonnè confitebimur Deos suas proles amare? quemadmodum Poëtæ fingunt, Iouem amare puellam, ipsamq; Venerem. Nempe quoniam amor eiusmodi prouisor est, & seruator perfectorque, & contentor rerum diuinitùs amatarum. Interea & beneficus & sincerus immixtusq;, habitudine nulla ad res affectus externas. Dic amabo, vndenam diuinis interdum hominum animabus, amatorium eiusmodi priuilegium obtigisset, nisi priùs Dijs ipsis inesset? Quicquid enim bonum & salutare competit animabus, causam à Dijs definitam habet. Quamobrem & virtutum omnium, corporaliumque bonorum, velut sanitatis, roboris, iustitiæ, temperantiæ exemplaria Plato probat præcedere penes Deum. Quantò itaque magis amatorij muneris causam principalem apud Deos esse fatebimur? quippe cùm amatorius hic affectus, vt Socrates in Phædro ait, diuino* Dij amant suas res.

quo-

quodam munere sit tributus. Dij igitur Deos amant, antiquiores quidem minores: sed prouidentiæ munere; minores vicissim maiores diligunt, quodam videlicet conuersionis officio. Perficere quidem deteriora, & inferioribus prouidere, animabus quoque qua ratione sunt animæ, competit. Nam & ob hoc ipsum descendunt, propter rerum generabilium prouidentiam curamque mortalium. Ita verò prouidere, vt prouidens gubernatis nec misceatur, nec velut addictus afficiatur, nec inde recipiat quicquam, Deorum proprium est, Dæmonumq; bonorum: & quoties contingit animabus humanis, diuina vel Dæmoniaca largitate contingit. Solent Sacerdotes in sanctissimis sacrificijs, vel per verba, vel per ea quæ oculis ostenduntur, in admirationem stuporemque præsentes adducere. Stupor enim Deo animam exponere consueuit. Socrates nunquam amatoriam vitam vsq; adeò rectam peregisset, nisi afflatu quodam Dæmonis elegisset eam, & tenuisset electam.

Amor omnibus inest.

Sacerdotum sacrificia.

Atque hæc sunt, quæ de Theologia Veterum, quantum ad hieroglyphicum negotium attinet, adducenda ratus sum. Innumera sanè alia de Hermeticis, Pythagoricis, atque Platonicis dogmatis dici poterant. Verùm cùm eorum in toto hoc Opere passim fiat mentio, eademque in tertio Tomo opportunè hieroglyphicorum expositioni reseruauerim, vt ea toties repeterentur, superuacaneum esse ratus sum.

Conclusio Operis.

Ecce Lector beneuole, per incognitas hucusque Oceani Ægyptiaci semitas longè latèque diuagati Cymbam nostram portui tandem, vnde digressi sumus, statuimus. Merces exposuimus, in quibus si quicquam laude dignum attulimus, soli bonorum omnium largitori Deo Opt. Max. acceptum feras; sin, laudem in conatu reponas velim.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

CATALOGVS AVTHORVM.

Quorum authoritatibus vtimur.

A

Abenephius
Aben Morgun
Aben Pharagi
Abenragel
Aben Rahhman
Aben Rais
Aben Sina
Abenuaschia
Abnhali
Abn Rhodam
Abraham Ecchellensis
Abulfeda Geographus Arabs
Achilles Statius
Achmed
Ælianus
Agathias
Agazaël Arabs
Agricola
Alassius Ord. Præd.
Albertus Magnus
Alcinous
Alsamenudi
Ammianus Marcellinus
Appion Historicus
Apollonius Thyan.
Apuleius
Arazaël
Aristoteles
Artephius
Athenæus
Auctor Ialkuth
Auctor Scalæ
Auenaris
S. Augustinus

B

Baal Aruch
Balsam
Baroldonus
Beneka Indus
Ben Salamas
Boissardus
Brissonus
Bulengerus

C

Callimachus
Callisthenes
Cassianus
Cassiodorus
Cedrenus
Censorinus
Chronicon Alexandrinum
Cicero
Clemens Alexandrinus
Coclenius
Columella
Cornelius Agrippa
Cornelius Nepos
Cusanus

D

Dauid Riualdus
Del Rio
Democritus Abderita
Diodorus Siculus
Dionysius Areopagita
Dionysius Interpres Hom.
Dioscorides
Dominicus Fontana

E

ELluchasen
Epiphanius
Esaias Propheta
Euripides
Eusebius
Eustathius
Exodus Liber

F

FAber
Fannius
Fuluius Vrsinus

G

GAffarellus
Galenus
Geber
Gelaldinus Arabs
Geminus
Gregorius Nyssenus
Grunderus

H

HAled Arabs
Haly
Hamuel Sadid
Heliodorus
Hero Alexandrinus
Hero Mechanicus
Herodotus
Hesiodus
Hesychius
D. Hieronymus
Hieronymus Aleander
Hierotheus
Homerus
Horatius
Horus

IAmblichus
Ieremias Propheta
70 Interpretes
Ioannes Reuchlin
Ioseph Ben Altiphasi
Iosephus Flauius
Irenæus
Iulius Pollux
Iulius Firmicus
Iustinus Martyr

L

LActantius Firmianus
Laërtius
Langius
Laurentius Pignorius
Leonardus Pisaurus
Liuius Galanteus
Lucianus

M

MAcrobius
Mahumed Ben Ioseph
Maierus
Manethon Sybennita
Manilius
Marcus Grimanus
Marcus Marci
Mariana Soc. IESV
Marsilius Ficinus
Martianus Capella
S. Matthæus
Mersennus
Morgam Ebnasa
Morgum
Mor Isaac

N

NIcephorus Callistus
Nicetas
Nomenclator Coptus

Ora-

O

ORacula Apollinis
Origenes
Orpheus
Ouidius

P

PAppus
Paracelsus
Lib. Paralipomenon
Pardes
Paruta
Pausanias
Pererius Soc. IESV
Petauius Soc. IESV
Petrus Bellonius
Petrus Comestor
Petrus de Valle
Philastrius
Philo Byzantinus
Philostratus
Picus Mirandulanus
Pierius Valerianus
Plato
Platonici
Plautus
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Pollux
Porphyrius
Postellus
Proclus
Prosper Alpinus
Psellus
Ptolomæus
Pythagoras

Q

QVercetanus

R

RAbbi Abenezra
Rabbi Iona
Rabbi Ioseph Ben Carnitol
R. Lippoman
R. Moyses Ben Maymon
Radack, siue R. Dauid Kimchi
Radziuilius
Ralbag, siue R. Leui Ben Gerson
Rassi, siue R. Salomon Iarrhi
R. Sola
Raymundus Lullus
Reuelatio Adæ
Riuiera
Rhodiginus
Robertus de fluct.

S

SAbellius
Scaliger
Schiangia Arabs
Serapion Arabs
Seruius
Sextus Empiricus
Sidonius
Simplicius
Socrates Historicus
Solinus
Sozomenus
Statius
Strabo
Suetonius
Suidas
Synesius

T

TErtullianus
Theon Alexandrinus
Theophrastus
S. Thomas Aquinas
Thomas Gastaldus. *vide* Alassius

Thomas de Leon Soc. IESV
Thomas Torquemade
Tibullus
Trismegistus
Trithemius

V

Vaab Chronista
Villalpandus Soc. IESV
Virgilius
Vitruuius

Z

Zonaras
Zoroaster

INDEX

Classium, Capitum, & Paragraphorum Partis Secundæ Tomi Secundi.

CLASSIS VII. MATHEMATICA HIEROGLYPHICA.

PROOEMIUM. 3

Sectio I. De Mathematica Hieroglyphica. 5

Caput I. *De Vnitate, eiusq; multiplici fœtu.* 6

§. I. *Quomodo maximum absolutum cum minimo absoluto coincidat.* 7

§. II. *Quomodo maximum & minimum Vnitas absoluta sint.* 8

§. III. *Vnitas absoluta actu existit, & pernecessaria est.* 9

§. IV. *Quomodo Pythagoras Vnitatem hanc trinam dixerit.* Ibid.

Caput II. *De Monadis in quatuor mundos, siue ad extra effusione.* 11

Quatuor dictarum Monadum schematica explicatio. 14

Caput III. *De hieroglyphica expressione numerorum Ægyptijs potissimum vsitata.* 21

§. I. *De Kyriologica ratione, repræsentandi numeros Ægyptijs vsitata.* Ibid.

§. II. *De hierogrammatica numerandi ratione ac primò de Vnitate, Duitade, ac Triade.* 22

§. III. *De Quaternario hieroglyphico.* 26

§. IV. *De Pentade hieroglyphica.* 30

§. V. *Senarius hieroglyphicus.* 33

§. VI. *Septenarius hieroglyphicus.* 35

§. VII. *De Octonario, Nouenario, & Denario hieroglyphico.* 37

§. VIII. *Anacephalæosis dictorum in Obelisci figura exhibitorum.* 40

§. IX. *Numeri hieroglyphici Kiriologici, partim ex tabula Bembina, partim ex Obeliscis extracti.* 41

Caput IV. *De miris numerorum effectibus.* 43

Caput V. *De Mathematico fabricæ & constructionis dictorum sigillorum ratiocinio.* 50

§. I.

INDEX.

§. I. *Quadrati constructio, quod ex ternario in seipsum ducto constituitur, estque Sigillum Saturni.* 51

§. II. *Secundi quadrati, quod ex quatuor in se ductis emergit, constructio Mathematica, atque Sigillum Iouis nuncupatur.* 55

§. III. *Quadrati tertij constructio Mathematica, quod & Sigillum Martis dicitur.* 58

§. IV. *De constructione Mathematica quadrati quarti Sigilli Solis.* 60

§. V. *Constructio quadrati seu Sigilli Veneris Mathematica.* 62

§. VI. *Constructio Sigilli Mercurij.* 64

§. VII. *Constructio Sigilli Lunæ.* 66

§. III. *De quadratis cubicis.* 67

Caput VI. *De vsu, effectibus, mysterijsque, quæ sub dictis Sigillis latere Veteres opinabantur, vna cum eorum confutatione.* 70

Sectio II. De Geometria Hieroglyphica. 83

PRÆFATIO. 84

Caput I. *De Circulo, seu sphæra hieroglyphica, vt est imago Dei ex Monade rerum omnium ambitus euoluentis.* 85

§. I. *Circulus apud Ægyptios in magna fuit admiratione & bonore.* Ib.

§. II. *Quomodo Ægyptij per Circuli considerationem in diuinitatis maxima arcana deuenerint.* 88

§. III. *Quomodo Deum omnia in omnibus, & omnia in ipso esse, ex dictis colligi possit.* 92

§. IV. *Circulus demonstrat, quomodo in Deo omnia identificantur; & sphæra actualem eius in omnibus existentiam signat.* 95

Caput II. *De Circulo, Decussi, cœterisque angularibus figuris; & quomodo ea ad sensibilis Mundi arcana indicanda adhibuerint Ægyptij.* 97

§. I. *Quomodo Mundus ex trigono archetypo profluxisse intelligatur ab Ægyptijs.* 101

§. II. *De Triangulo, Quadrato, cœterisque angularibus figuris hieroglyphicè exhibitis.* 102

Caput III. *De Pyramidis mysterijs hieroglyphicis.* 109

Caput IV. *De sphæra hieroglyphica amoris omnia connectentis.* 115

Sectio III. Musica Hieroglyphica. 119

Caput I. *De inuentione & etymologia Musicæ.* 120

II. *Quod hieroglyphica Musica nihil aliud fuerit, quam scientia ordinis rerum Vniuersi.* 123

III. *Quomodo quibusque hieroglyphicis Musicam mundanam expresserint Ægyptij.* 128

IV. *Quòd omnes hymni Veterum ad Musicam mundanam alluserint.* 135

Se-

Sectio IV. Astrologia Ægyptiorum, & Chaldæorum hieroglyphica. 139
PROOEMIVM. 140
Astrologiæ Ægyptiorum Pars Prima. 141
Caput I. *De Astrologiæ origine, & progressu apud Ægyptios.* Ibid.
II. *De diuisione signorum, characterumq; cælestium signorum inuentione.* 151
III. *De characteribus signorum, eorundemque origine.* 164
IV. *De septem Planetarum origine, nominibus, officijs, & characteribus.* 168
V. *De signorum Zodiaci Genijs, viribus, qualitatibus; & quomodo ijs omnium rerum complexum exhibuerint Ægyptij.* 174
VI. *De 48. Asterismis, siue Mansionibus Deorum* αἰτιτέχων. 195
VII. *Quomodo, & cur Ægyptij Cœlum in 48. Asterismos diuiserint.* 200
Digressio. *Num Cœlum Liber quidam sit, & num variæ stellarum combinationes scripturam quandam conficiant.* 215
VIII. *De Horologijs, seu Sciathericis Veterum; vbi de Horologio Achaz, & Ægyptiorum horologijs, per quinque Paragraphos.* 224
IX. *De horis Planetarijs, Geniorumque singulorum Præsidibus.* 232
X. *De viginti octo Mansionibus Lunæ.* 241

Astrologiæ Ægyptiorum Pars Secunda. 248
Caput I. *De origine diuisionis temporum in annos, dies, horas.* Ibid.
II. *De Lustro Sothiaco, seu Caniculari.* 249
Rota Chronica ex mente Ægyptiorum. 265
III. *De Computu Coptitarum.* 267

CLASSIS VIII. MECHANICA ÆGYPTIORVM. 279

Prælusio I. *De Mensuris Ægyptiacis.* 286
Prælusio II. *De Mensuris aridorum, & liquidorum, Ægypto vsitatis.* 285
Prælusio III. *De Ponderibus Ægyptiorum.* 290
Caput I. *De Architectonica Ægyptiorum; vbi de Pyramidibus, Fanis, ac Delubris, Labyrinthis, & Sepulchris Regum.* 291
Caput II. *De Mechanica Ægyptiorum.* 311
§. I. *De ratione trahendi pondera.* 312
§. II. *De Machinis, quibus terrâ ingentes moles vehebantur.* 313
§. III. *De Machinis, quibus dictæ moles terrâ marique deuehebantur.* 314
§. IV. *De Vecte, Axe in Peritrochio, Cuneo, Polyspasto.* 316
Caput III. *De Machinis Thaumaturgis Aegyptiorum; vbi de statua & auibus Memnonis, de Sphynge Memphitica, de Echo tonante, de Serapidis statua, alijsque multis Machinis.* 323
§. I. *Statuæ Memnonis modus & ratio.* 324

CLAS-

CLASSIS IX. MEDICINA HIEROGLYPHICA. 345

Caput I. *De origine, inuentione, & conditione Medicinæ Veterum Ægyptiorum.* 345
Caput II. *De characterismis rerum Medicinalium.* 348
Caput III. *De ratione qua Ægyptij in notitiam virium rerum peruenerint per characteres rebus impressos.* 351
§. I. *De cognoscendis herbarum viribus per qualitates elementares.* Ib.
§. II. *De qualitatum specificarum in herbis, cæterisque rebus latentium inuestigandarum methodo per characteres.* 352
§. III. *De Philosophia astræa, qua in morborum cura vtebantur Ægyptij.* 356
§. IV. *Characterismi plantarum ad duodecim signorum Zodiaci characterismos, & humani corporis membra comparati.* 359
§. V. *Characterismi plantarum ad septem Planetas comparati.* 366
Caput IV. *De Medicina Aegyptiorum applicata.* 369
Caput V. *De Medicina sympathica, vti de Panacea.* 370
Caput VI. *De Medicina hyperphysica & Astræa, seu Characteristica & Amuletaria.* 374

CLASSIS X. ALCHIMIA HIEROGLYPHICA. 387

PRAEFATIO. 388
Caput I. *De origine Alchimiæ Aegyptiorum.* 389
II. *De hieroglyphicis, quibus aurifera ars à Trismegisto fuit exhibita.* 393
III. *De symbolis hieroglyphicis, quibus Chimica arcana exprimuntur.* 394
IV. *De Cruce Hermetica, eiusque arcana significatione in opere Hermetico.* 399
V. *Quomodo, quæ in characterismo Hermetico theoricè continentur, in praxin deduci possint.* 406
VI. *Nonnullorum hieroglyphicorum expositiones, Hermeticæ artis praxin concernentes.* 417
VII. *Quamnam artem auriferam Aegyptij propriè professi sint, & vtrum Smaragdina tabula fuerit Trismegisti.* 425

CLASSIS XI. MAGIA HIEROGLYPHICA. 435
PRAEFATIO. 436
Caput I. *Quænam fuerit Magia hieroglyphica Aegyptiorum.* 437
II. *De herbis, & lapidibus, quibus vtebantur Aegyptij in operationibus Magicis.* 439
III. *De Diuinationibus, & Oraculis Aegyptiorum.* 441
IV. *De Statuis, Telesmatis, Amuletis, & Prophylacticis Aegyptiorum.* 441

Caput V. *De horrendis cæremonijs, quibus in adytis simulachra sua consecrabant Aegyptij.* 452
VI. *De Gnosticorum Magia Amuletaria; & de Literis Ephesijs.* 459
VII. *De Magia Hebræorum, Arabum, aliorumque populorum, continetque varias diuinandi species.* 471
VIII. *De Cabala Pythagorica.* 488
IX. *De Rota vitæ & mortis.* 491
X. *De Geomantia Arabum.* 493

CLASSIS XII. THEOLOGIA HIEROGLYPHICA. 497

PRAEFATIO. 498
Caput I. *De Theologiæ Ethnicæ origine, & propagatione.* 499
II. *De natura Dei ad intra considerati; & de definitione eius.* 500
III. *De Attributis Dei relatiuis.* 506
IV. *De Mundi intelligibilis & intellectualis ordine ac dispositione.* 510
V. *De Ideis, & quid per eas Veteres intellexerint.* 523
VI. *De Anima seu forma Vniuersi, iuxta mentem Aegyptiorum, & Platonicorum.* 526
VII. *De descensu ascensuque animarum, & metempsychosi, ex mente Aegyptiorum.* 529
VIII. *De sacrificijs, ritibus, & cæremonijs quas Veteres vsurpabant ad expiandas animas, & Numina attrahenda.* 536

INDEX
Rerum & verborum Partis II. Tomi II.
ORDINE ALPHABETICO.

A

ABelis liber ab Hermete post diluuium inuentus. 144
Adam futura scire desiderans praeuaricatus est. 437
Adyta Ægyptiorum in pluribus Nomis. 452
quomodo adornata. Ibid.
Adyta quâ praeparatione intrârint Ægyptij. 537
in illis quid fecerint. Ibid.
Ægyptij duobus modis mysteria symbolica significabant. 170
Ægyptijs omnia mysteriosa. 109
Ægyptij Sapientes perfectissimi Mathematici. 3
Ægyptij & Chaldaei post diluuium Matheseos inuentores. Ibid.
Ægyptiorum Sapientia in Alchimia hieroglyphicè tradenda. 418
Ægyptij putabant Genios inhabitare astra. 200
Ægyptiorum & Chaldaeorum diuinatio ex Iconismis 48 constellationum. 213
Ægyptij fingunt Mundo praeesse septem Intelligentias. 234
Aegyptij singulis diei horis singulos planetas dominantes attribuebant. 237
Aenigmata. 398
Aenigmata Chimica. 418. & seqq.
Aera Samaritanorum. 269
Hebraeorum. Ibid.
Alabastrum mensura. 288
Alae animae quae? 531
Alchimia Aegyptiorum. 388
cur de illa tractet Author. Ibid.
quam ardenter à multis colatur. Ib.
ab alijs damnatur, ab alijs commendatur. Ibid.
apud Aegyptios in pretio. 389
nomina, definitio, origo. Ibid.
quibus symbolis hieroglyphicis exprimantur eius arcana. 394. 397
masculus & foemina in ea quid? 395
Vulcanus? Ibid.
allegoria. Ibid.
in ea parallelismus Deorum Aegyptiorum & Graecorum. 396
fabulae. 397
aenigmata. 398
Alchimiae secretum ex Haled. 408
axioma. Ibid.
praxis Aegyptiorum. 409. 432
Alectriomantia Graecorum. 472
Alphabetum coeleste vanum. 220. 221
Alteritas & inaequalitas simul sunt naturâ. 10
Amatoriae artis principium. 175
Amatorius ordo causa rerum. 116
Amor omnibus inest. 546
Amor quid sit secundùm S. Dionysium. 116
eius definitio. 117
vis in Vniuerso. 118
Amuleta quid? 445
duplicis generis. Ibid.
vtensilibus insculpta. 446
varia apud Aegyptios. 447
in ea inuebuntur SS. Patres. Ibid.

Va-

varia explicantur. Ibid. & 448
449. 450. 451. 452
Amuleta Harpocratica. 462
Cabalistica. 474. 479. 480
Angelica natura. 133
Angeli Solares. 127
Angelorum septem planetis præsidentium nomina ficta. 234
Coptica. 237
Anima alata. 113
Animæ compositio ex Platone. Ibid.
Anima mundi per Solem virtutes suas exerit. 371
Anima mundi. 514. 526
causa omnis motus. 527
omnia implet. Ibid.
Platonicorum doctrina de illa. Ibid.
Animarum descensus vbi initium sumat in cœlo iuxta Veteres. 535
repugnat orthodoxæ doctrinæ. 536.
Animarum expiandarum cura apud Aegyptios. Ibid.
Annum in tot dies diuiserunt Aegyptij, quot annis vixit Henoch. 248
Annus ciuilis Aegyptiorum duplex, fixus & vagus. 249
vniformis semper. Ibid.
Annus Dei apud Aegyptios. 250. 253
& 256
Annus aliquorum Aegyptiorum Lunaris, bimestris, trimestris. 252
aliorum Solaris, aliorum Lunaris. Ibid.
Annus communis per quartam arui partem cur significatus apud Aegyptios. 253
Annus fixus & vagus Sacerdotum Aegyptiorum. 254
Annus hieroglyphicus. 258
Annuli & laminæ medicæ Aegyptiorum. 384
Annui reditus Simendis Regis. 392
Annum quomodo expresserint Aegyptij. 104
Annus magnus Hermeticus. 113
Annum in tres partes diuidebant Aegyptij. 132
Antiqui ab vno ad vnum omnia referebant. 23
Antiqui putabant, omnia esse producta iuxta numeros in Dei mente latentes. 70
Anubis hieroglyphicum Capricornus. 153
Apotelesma Magicum. 481. 482. 483
eius Author. Ibid.
Aquæ Mercurialis, seu Aceti Philosophorum finis. 413
Aqua viua simul ac soluitur, congelatur. 414
ex auro & argento soluto oleum facit incombustibile. Ibid.
Ara Aspide sibilante adornata. 333
Ara Deorum imagines tripudiantes exhibens. 337
Arabes Ægyptiorum superstitiones ad posteros transmiserunt. 71
eorundem deliramenta circa sigillum Saturni. Ibid.
circa sigillum Iouis. 72
circa sigillum Martis. 73
circa sigillum Solis. 74
circa sigillum Veneris. 75
circa sigillum Mercurij. 76
circa sigillum Lunæ. 77
Arbor Cabalistica. 494
Arbor rationalis quæ? 106
Arces Deorum signa Zodiaci. 152
Architectonica Ægyptiorum præstans. 291. 311
Arietis cornua Hermeticæ Cruci affixa significant ignem elementarem & mineralem. 415
Arithmetica hieroglyphica in quo consistat. 6
Arithmeticæ mysticæ specimen in numeris, 1, 2, 3, 4. 14
Arithmeticæ mysticæ peritus omnia arcana penetrare potest. 14
Arithmeticæ progressionis mira proprietas. 19. & 20

Artaba. 288. 289
Artephij longæuitas fabulosa. 417
Asterismorum cœlestium dispositio ex mente Auenaris. 200
ex mente Ægyptiorum. 208. & seqq.
Asterismus Apidis siue Tauri, Geminorum, &c. 202
Astrologia hieroglyphica Ægyptiorum. 136
in eius interpretatione Authoris protestatio. 140
Astrologia vana & perniciosa. 140. & 176
eius origo, & propagatio apud Ægyptios. 141. 500
Astrologiam à multis illicitis expurgauit Trismegistus. 145
eam hausit ab Henoch. Ibid.
eam legibus adstrinxit. Ibid.
Astrologiâ & Polymantiâ Dæmon decipit homines. 422
eas introduxit Cham. Ibid.
Astrologi quanti faciant septem sigilla planetarum. 89
Astronomicæ obseruationes antiquissimæ apud Ægyptios & Chaldæos. 146
Auguriorum variæ species. 444
Auri confectio phantastica. 144
Aurifera Ægyptiorum ars, qualis fuerit. 425. 430
explicatur. Ibid.
Aurifera ars solis Regibus familiaris apud Ægyptios. 393
Auriferæ artis notitiam habuit Salomon. 391
Auri copia in Ægypto reperta à Persis. 392
Auri sumptus in tabernaculi fœderis structura. 390
Auri copia ingens tempore Salomonis. 391
Auri tinctura. 407
Aureus circulus in Simendis monumento. 392
Aurum ex omnibus materijs extrahebant Ægyptij. Ibid. & 430
Aurum Sol terrestris. 394
Aurum ex qua materia extraxerint Ægyptij. 430. 431
modus id extrahendi ex saxifodinis. Ibid.
conficiendi ratio. 432
auri acquisitio laboriosa. 433
Authbor dierum intercalarium quis. 248
Axis in peritrochio. 317

B

Bathus Ægyptius. 286
Bestijs superiora insunt. 124
exempla aliquot huius rei. 125
Bona corporis, & bona animi. 441
Bonum summum semper appetit mens humana. Ibid.

C

Cabala Pythagorica. 488
eius varia Alphabeta. Ibid. & 489
eorum vsus ineptus. Ibid.
confutatio. Ibid.
Cabalistica arbor. 494
Cabalistica Magia. 474
Cabalistici Numi interpretatio. 475 476. 477
Cabalistici amuleti heptagoni explicatio. 479
Cabalistæ ad decem omnia reuocant. 30
Cæpas cur non comederint Ægyptij. 125
Calcinatio principium operis Chimici. 409
singulorum planetarum metallicorum. Ibid. & 410
Calculus totius Architecturæ pyramidum 301. 302
Caloris temperies in Chimia maximè necessaria. 416

Ca-

Calores quatuor in opere Hermetico. 416
Canales Cabalistarum. 552
Cancri figuram loco Ibidis posuerunt Græci. 155
Canis Sothis quando oriatur. Ibid.
Canones computus Coptitarum. 272 & seqq.
Capricornus cur primum Zodiaci signum ab Ægyptijs positum. 164
Carauacenses inscriptiones. 486
Catenæ sympathicæ apud Ægyptios. 394 & 350
Catenæ mysticæ vnde ortæ. 439
Catena Deorum. 522
Catena Heracleotica. 18
Catenæ rerum. 175. 177
Catenas rerum mundialium scrutabantur Ægyptij. 349
earum origo. 394
Census. 291
Chaldæi triplicem rerum multitudinem asserunt. 512
Cham impius res piè traditas ad vsum profanum conuertit. 142
erigit columnas. 143
in quibus doctrinam suam exhibet. 143
doctrinam sacram propagat. 149
Character Tauticus, eiusque explicatio. 29
Characteres signorum Zodiaci iuxta Arabes. 79
item septem planetarum. 80
Characterum signorum Zodiaci explicatio. 164
Characterum planetarum fabrica & significatio. 171
compositio Astronomica. 172
Characterismi rerum medicinalium. 348. 352. & seqq.
Characterismi Planetarum ad signa Zodiaci & membra humani corporis comparati. 359. & seqq.
item ad septem Planetas. 366. & seq.
Chelon quid? 320
Chemmin Architectus Ægyptius. 312
Chimiastrorum aliquorum imperitia 417
eorundem mendacia. Ibid.
Chomer Aegyptiacus. 287
Circuli mirabilia ex Aristotele. 85
eius definitio, proprietasque mirabilis. Ibid.
apud Aegyptios in honore. 86. 87 & 503
Deorum capitibus cur additus. Ibid.
quid significet apud varias gentes. Ibid.
Circulum affectant omnia. 89
Circulus abstractè consideratus est linea, triangulum, quadratum, & punctum. Ibid.
Circulus demonstrat quomodo in Deo omnia identificentur. 95
Circulus Hermeticus qualis. Ibid.
Circuli idealis infiniti cum circulo Mathematico analogia. 97
Circuli dominantium mundi spirituum planetariorum secundùm Veteres. 235
Circuli proprietates totam Theologiam exprimunt. 509
Circulus alatus diuinitatis symbolum. 508
Circulus infinitus Dei symbolum potissimum. 509
Clepsydræ Aegyptiorum. 338. & seqq.
Cœli diuisio prima in duodecim partes. 147
Cœlo sphærica figura competit. 86
Cœlum esse librum, in quo futura leguntur, asserunt Hebræi & Arabes. 215
huius sententiæ authores. 216
Columbæ cum aëre affinitas. 130
Computus Coptitarum. 267
Computus temporum Aegyptiorum. 248
duplicem computus rationem habuerunt. 250
Cardiacis morbis medendi ratio per cha-

characteristicam. 378
item capitis morbis. Ibid.
Corus. 285
Chœnix. 286
Catus. Ibid.
Creaturarum tres ordines. 517
Crux Hermetica, Isiaca, ansata. 399
eius structura. 400
mysteria. 401
ex ea originem habent planetarum characteres. 402
in ea latet denarius numerus. Ibid.
eius character inuersus. 403
Ctesiphon quomodo columnas in locum suum deportauerit. 314
Cubitus apud Aegyptios varius. 282
Cubus terræ symbolum, quomodo constituatur ex triangulis. 106
totius Vniuersi harmoniam continet. Ibid.
Cultus Deorum duplex ex Iamblicho. 541. 542
Cuneus quid? 318
eius vsus in lapidibus findendis. Ibid. & 319
Currus ad deuehendas saxorum moles ingentes. 313
Cynocephalus symbolum æquinoctij. 151
Cynocephalus vrinando metiebatur tempora horaria apud Aegyptios. 230
Cynocephalus hydrologicus. 339

D

DÆdali statuæ. 323
Decani signorum. 152. 156 & 201
Decussis seu Chiasma quid. 98
Denario omnis numerus comprehenditur. 16
Deorum varij ordines. 519
variæ triades. Ibid. & 520
Deorum arces, & ascensus. 152
Deus cur dicatur ens & non ens à Sancto Dionysio. 9
Deus Circulus est. 86. 88
Centro circuli comparatur. Ibid.
corporis circumactu colendus secundùm Pythagoram. Ibid.
Deus quo sensu dici possit circulus, linea, triangulum, quadratum, &c. 89
Deus quo sensu admittat contradictoria. 90
Deus est omnia in omnibus. 93
& omnia in ipso. Ibid.
Deus quid sit secundùm Aegyptios. 501
Circulus est secundùm Trismegistum. Ibid. & 502
quid sit secundùm Parmenidem. Ib.
Dei attributa. 503
dicitur à Trismegisto Mens. Ibid.
hieroglyphicè adumbratur. Ibid.
eum quinque modis describit Trismegistus. 504
Phœnici comparatur. Ibid.
de eo altissimè sensit Trismegistus. 505
Dei attributa relatiua. 506
eius symbolum triangulum æquilaterum. 508
& circulus alatus. Ibid.
& circulus infinitus. 509
Dei hieroglyphicum. 510
Diadema ex sagittis. 88
Dies quinque intercalares. 163
Dij cœlestes stationes mutant in circulo magno secundùm Aegyptios. 150
Dij in varia materia incisi ab Aegyptijs. 385
Dij amant suas res. 545
Dionysia auris Syracusis. 329
Distillatione tria eliciuntur. 372
Diuina natura. 133
Dodecaëdron quomodo fiat. 107
notat Vniuersum. Ibid.
Dogma Aegyptiorum de Anima mundi. 371
Domus cœlestes duodecim. 186. 187

Do-

Domus Deorum cœlestium. 152. & seqq.
Domus planetarum. 189
Drachma. 290

E

Echo tonitru exhibens. 329
Eclypsin primus prædixit Romæ Sulpitius Gallus; in Græcia Thales. 151
Effectus comparentium Deorum ex Iamblicho. 544
Elementa per quatuor Obelisci latera significantur. 110
Elementaris ignis qualis debeat esse in Chimia. 416
Elixir Philosophorum ex Haled & Artephio. 413
Elixir extrahebant Aegyptij ex præstantissimis herbis. 430
Elixir est lapis Philosophorum Aegyptiorum. Ibid.
Ephi mensura. 286
Ephesia literæ. 469. 470
Ethnicorum Theologi à Trismegisto didicerunt Theologiam. 507
eorum opinio de Dei fœcunditate. 514
aliquam in Deo trinitatem agnouerunt. 516. 517
Eudoxus accepit ab Aegyptijs rationem intercalandi. 255
Exaltatio Solis & Lunæ in domibus Martis & Veneris. 407
Expiationis modus ex Iamblicho. 541

F

Fana Ægyptiorum. 305
Fatum quid? 96
Ferri temperandi notitia apud Ægyptios 312
Festa Ægyptiorum per omnes anni dies vagabantur.
Figuræ cœlestes ab antiquis positæ. 358
Figuræ cœli lapidibus & amuletis incisæ ab Ægyptijs & Arabibus. 377
Fistularum prima rudimenta ex arundinibus. 120
Fontana trias. 518
Fontes septem Planetarum. 518
Fontes materiales, & eorum ordines. 519
Fundum paternum quid? 511
ex tribus triadibus compositum. 515
dupliciter sumi potest. 517
Futurorum scientiam appetit homo. 442

G

Genius polymorphus. 156
Leontomorphus, & reliqui. 162
Geniorum quinque explicatio. 163
Genij aduersi. Ibid.
Genij horis singulis diei ac noctis dominantes secundùm aliquos. 238. 239
Genios proprios in singulis præfecturis colebant Ægyptij. 358. 442
eorum locus. Ibid.
afficiebantur hominibus. Ibid.
Genium bonum & malum singulis rebus attribuebant Ægyptij. 438
Geomantia Arabum. 493. 495
Geometriæ scientia ducit ad cognitionem inuisibilium. 84
Gnomonica ab antiquis temporibus fuit. 224
Gnostici ab Ægyptijs hauserunt sua deliramenta. 463
verba Hebraica corruperunt. 468 469
omnia attribuunt numeris. Ibid.
Gnosticorum Magia Amuletaria. 459
eorum Amuleta. Ibid. & 460. 461 462. & seqq.

Har-

H

Harmonia Chororum Angelicorum cum mundo. 18
Harmonicis proportionibus Deus vsus est in creatione mundi. 120
Harpocratis imago. 500. 501
Harpocratica amuleta. 462
Hecatis varia nomina. Ibid.
Henoch primus Sapientiæ Ægyptiacæ conditor. 149
tot annos vixit, quot dies in anno. 150
Hemisphæria cœli ex mente Ægyptiorum. 206
Herba Solisequa. 125
Herbæ medentur illis membris, quorum similitudinem habent. 353
succi illarum medentur illis humoribus, quorum colorem referunt. 355
Herbarum & animalium in medendo vis. 355. & 357
Herbis in Ægypto natis vtebantur tantùm Ægyptij in medendo. 351
earum virtutes discebant ministerio quinque sensuum. Ibid.
& alijs etiam modis. 352. & seqq.
per somnia. 375
Herbis vtebantur Ægyptij in sacris. 439
Herbis non inest vis physica ad fugandos spiritus. Ibid.
varijs vtebantur Ægyptij ad varios effectus. 440
Herbæ Magicæ Ægyptiorum. Ibid.
Hermes secundus Idris. 145
eius ingenium immensum. 146
quomodo hieroglyphicè exhibeatur.
Hermes primus obseruator planetarum. 168
Hermes sub specie Canis pingitur. 254
Hermeticus character Chimicæ artis clauis. 405
eiusq; praxin docet. 406. 408. 409
Hermetis sententia de essentia in omni re existente. 406
de aqua vitæ. 411
Heron ab Ægyptijs sua spiritalia hausit. 323
Hieroglyphicum diuinæ essentiæ. 96
generationis & corruptionis rerum. 100
Hieroglyphicum Geminorum. 155
Hieroglyphicum Vas ex gazophylacio Cæsareo. 379. & seqq.
aliud à Ferdinando IV. Rege Romanorum transmissum. 382
aliud ex Museo Stephanonij. 383
Hieroglyphicum Hermeticum Chimicum, eiusque explicatio. 419
Hieroglyphicum idem diuersos sensus habet. Ibid.
Hieroglyphicum Dei naturam explicans. 505. 510
Hieroglyphica rerum mirandarum effectiua putabantur. 446
pleraque erant Amuleta. Ibid.
vtensilibus insculpta. Ibid.
Hierophantica computandi ratio apud Aegyptios. 250
Hierophantarum annus vagus. 251
annus Dei. 255
Homo compendium mundi. 124
Homo desiderat scire futura. 437
Horarum vsus antiquissimus. 225
earum nomine quid intellexerint Veteres. Ibid.
Horæ planetariæ. 232
earum obseruatio superstitiosa. 237. 240
Hori symbolorum interpretatio. 100
Horologia Veterum. 224
Horologia Ægyptiorum. 229. & 338
triplicis generis erant. 339. & seqq.
Hydraulicum pro horis æqualibus. 340 & 341
pro inæqualibus. 342
Horologium Sciathericum Achaz. 226 227
Horologiorum Sciathericorum quatuor gene-

genera. 227
Horologium sympathicum. 231
Horoscopi Dij & Vsiarchi. 157
Horoscopum quomodo Chaldæi obseruauerint. 189
Hydria. 287
Hydriæ Canæ Galileæ. 288
Hymni Veterum ad Musicam mundanam alluserunt. 135
in hymnis diuinationem statuebant Aegyptij. Ibid.
Hymni mystici Orphei. Ibid.
Hyperphysica Medicina. 374
quomodo ad eam se disposuerint Aegyptij. 375
à quibus Dijs eam postulârint. Ibid.

I

Iamblichi doctrina de duplici ordine Deorum. 540
de duplici cultu diuino. 541
de modo expiationis. Ibid.
Iamblichus describit Theologiam Hermetis & Zoroastri. 520
Ibiacum triangulum. 284
Ibidis passus mensura Aegyptiorum. 283
Icosaëdron aquæ symbolum quomodo fiat. 106
Ideæ in creatione mundi exemplaria. 525
Idearum doctrina ab Aegyptijs & Chaldæis orta. 523
earum contextus est hieroglyphica doctrina. Ibid.
de ijs loquitur Trismegistus. Ibid.
Proclus. Ibid.
in earum cognitionem quomodo venerint Veteres. 524
earum doctrinam amplectuntur Platonici. 525
earum mentionem faciunt SS. Patres. Ibid.
Idola singula morbis præsidentia habebant Aegyptij. 348
Idola duo Aegyptiaca. 483.484.485
Idololatriæ origo. 436
introducta à Chamo in Aegyptum. Ibid.
Idolum exhibens octo Numina. 38
Idris primus, Astronomus. 148
Idris secundus, Hermes. Ibid.
Ignis elementaris qualis debeat esse in Chimia. 416
item mineralis. Ibid.
Infinita linea est omnium adæquatissima. 93
In infinitis linea recta triangulus, & triangulus circulus est. 91
In infinita vnitate attributa Dei non sunt diuersa. 95
Intelligibilium tres ordines. 515
Intercalandi ratio Ægyptiorum declaratur. 256
Intercalatio adhibita in anno Ægyptiorum. 254
& Græcorum. Ibid.
Inuentiones rerum casuales. 120
Inuentores eiusdem rei possunt esse diuersi. 150
Iouanithon primus obseruator stellarum in deserto. 149
Isis tergemina, eadem quæ Hecate. 462
Ismendis simulachrum. 308
in eo tria maximè miranda. 310
Itinerum directio noctu per stellas. 149
Iyngum trias, & ordines tres. 517

K

Kost. 286

L

Labyrinthus Ægypti. 306. & seqq.
Lapides Magici. 441
Lapis Philosophorum. 415
commentitius. 425
eum non intenderunt Ægyptij. 426

Libri ante diluuium scripti quomodo ad posteros post diluuium traducti. 142
Libri dicti turba Philosophorum, barbaries. 418
Liquores medicos ex humani corporis membris eliciebant Ægyptij. 374
Literæ Titi Liuij Burattini ad Authorem. 303
Logogriphus de Elixir vitæ, eiusque explicatio. 425
Log mensura. 286
Lecythus. 287
Lotus Ægyptiaca. 126. 331
Lunæ stationes seu mansiones. 24. 242
earum ordo, Ibid.
Lunæ terrestris pondus, fixatio, & gradatio à reliquis planetis supplentur. 408
Lustrum Sothiacum seu Caniculare. 249
maius & minus. Ibid. & 256
Lustri Canicularis neomenia. 257
Lustri Sothiaci quatuor anni, totidem Deorum nominibus appellabantur. 258. 266
Lustri quatuor annos, quatuor Euangelistarum nominibus appellabant Aethiopes. 260
Lyra multiformis inuentum Trismegisti. 123

M

Machinæ necessariæ ad Aegyptiorum opera construenda. 311
Machina lignea bifurcata. 322
Machinas grandiores loco mouendi triplex ratio. 313
Machinæ Thaumaturgæ Aegyptiorum. 323
earum author. Ibid.
Machinæ ad sacrificium spectantes. 332
Magiæ naturalis origo. 126
Magia hieroglyphica. 436
quænam fuerit. 437. 438
Magia & idololatria ex Astrologia & Oraculis orta. 438
Magiæ Aegyptiacæ ramus primus. 459
ramus secundus. 471
Magiæ characteristicæ origo. 471
Cabalisticæ. 474
Magna Deorum mater lac spargebat fraude Sacerdotum. 332
Mansiones cœli duodecim. 190. & seqq.
Mansiones Deorum, seu 48 Asterismi. 195. 196
Mansiones Lunæ. 241
earum porta est via lactea. Ibid.
Materia dicta Prothea. 23
Materia prima per Obelisci figuram significata. 110
Maximum absolutum quid? 7
Maximum & Minimum absolutum coincidunt absque contradictione. ibid.
Maximum simpliciter est actu omnia, quæ in potentia sunt. 92
in eo resultant contradictoria. Ibid.
Maximum est omnia. 95
in eo sunt omnia. 96
Mechanica Aegyptiorum. 280. 311
Mechanicæ rationes à natura insitæ. 312
Medendi modus apud Aegyptios ex Trismegisto & Proclo. 347. 372
Medicina Aegyptiorum. 345
eius origo & conditio. Ibid.
eam docuit Cham. 346
Medicina Aegyptiorum applicata. 369
Medicina sympathica. 379
Medicamentum Catholicum, seu Panacea 373. 374
Medicina hyperphysica, & astræa, seu characteristica, aut amuletaria. 374 & seqq.
hanc Arabes propagarunt. 377
modus per eam medendi. 378
vsus superstitiosus. Ibid.
Memnoniæ aues. 327
eas arte exhibendi ratio. ibid.
Memnonis statua, eiusque habitus & si-

situs. 324
magica arte sonum edebat. 325
quomodo naturaliter possit edere sonum. 326
quomodo sonum & motum. 327
Memphis situs. 294
Mensium Aegyptiorum nomina. 261 & seqq.
Mensuræ Aegyptiorum. 280
quadruplicis generis. 281. & seqq.
Instrumentorum. ibid.
Mensura aridorum & liquidorum apud Aegyptios. 285
Mercurius Philosophorum. 715
Metallica ars antiquissima. 389
ante & post diluuium semper culta. Ibid.
Metempsychosis Aegyptiorum. 529
eius origo. Ibid.
de ea Trismegisti opinio. 350
Platonis. Ibid.
Hebræorum. 534
originem habuit ex malè intellecta doctrina Hermetis. 535
Milliare. 285.
Mina. 290
Minimum absolutum quid? 7
Mira animalium ac plantarum. 125
gemmarum. Ibid.
Minas Dijs intentabant Aegyptij Sacerdotes. 453
quid significent illæ minæ. 454
Modius. 587
Momphtæ domus & officium. 155
Monadis supremæ processus. 37
Morbi peculiares habebant peculiares modos medendi. Ibid. & 373
Morbos distinguebant Aegyptij iuxta numerum humani corporis. 369
Morbi capitis. Ibid.
aliorum membrorum. 370
Mosis etymon. 121
Mundi septem explicantur. 37
Mundorum trium ad se inuicem comparatio. 132
repræsentantur per Osiridem, Isidem, & Horum 133
Mundus visibilis vmbra futuri. 132
Mundi superioris cum inferiori analogia. 400
Mundus elementaris factus secundùm Archetypum. 402
in illo regnum vegetabile & minerale quid? Ibid.
Mundus triplex ex vnitate archetypa prodijt. 519
Mundus factus verbo Dei secundùm Hermetem. 511
Mundus triplex quomodo ex nihilo creatus. 512
Mundus Angelicus seu Intellectualis. Mundi Ductorum trias, & ordines tres. 517
Mundi intelligibilis nouem ordines. 518
Musicæ origo. 120
eius auctor Iubal. 121
in Ægypto inuenta. Ibid.
eius vis in animis mortalium. 136
Musicæ cultor Mercurius Trismegistus. 122
Musicæ mundanæ hieroglyphica. 128
Musicorum instrumentorum origo. 120 & 122

N

Natales Deorum dies. 163
Naturalium rerum vires tribus modis scrutabantur Ægyptij. 351
Naturalia metallica. 373
Naues quibus Obelisci deuehebantur. 315. 319
Nini armorum copia, & armatorum numerus. 390
Nomina diuersa Boni & Mali. 22
Nomina Typhonis. Ibid.
Nominis Dei Iehoua efficacia secundùm Hebræos. 479
Numerorum mysticorum explicatio. 16

Numerorum repraesentatio Kyriologica. 21
Numeris explicabant Ægyptij multitudinem rerum. Ibid.
& omnia alia. 28
Numeros lineolis exprimebant Veteres. Ibid.
Numerum quinarium & denarium quomodo exprimebant Ægyptij. Ib.
Numerandi ratio hierogrammatica. 22
Numerus quaternarius vel conficit pyramidem trilateram, vel cubum. 26
Numeri quinarij mysteria. 30. 31
est numerus circularis. 32
seipsum respicit. Ibid.
eius praerogatiuae. Ibid.
sensibilium vniuersitatem significat. 33
Numerus senarius perfectorum numerorum Coriphaeus. 33
repraesentat reuolutionem quatuor vnitatum in vnitatem absolutam. Ibid.
Solium Dei decorabat apud Ægyptios. 34
Numerus septenarius. 35
eius arcana. Ibid.
apud Ægyptios in honore. Ibid.
Vniuersum eo signatum. Ibid.
quot modis expressus ab Ægyptijs. 36
Numerus octonarius. 37
octo Numina illo designabant Ægyptij. Ibid.
iuramentum per eum praestabatur. 38
Numerus nouenarius. 39
Numerus denarius. Ibid.
complementum omnium rerum. Ib.
per Crucem repraesentabatur ab Aegyptijs. Ibid.
Numeri quomodo in Obeliscorum figura repraesententur. 40
Numeri Kyriologici & hieroglyphici. 41
Numeri hierogrammatici. 42
Numerorum miri effectus. 43
Numeri septem apud Aegyptios in honore qui? Ibid.
Numeris omnia demonstrabant Pythagorici. 44
Numerorum quadratorum mysteria. 44
qui quibus Dijs dedicati. 45
eorum productio. Ibid.
eos disponendi ratio. 46
Numerorum sibi correspondentium vis iuxta Aegyptios. 70
Numina 12 ab Aegyptijs disposita iuxta exemplar naturae. 156

O

Obelisci figura mysteriosa. 109
Obelisci duodecim Heliopoli. 11[illegible]
Obelisci triangula & quadrangula quid significent. 113
Obeliscorum vmbra apud Aegyptios monstrabant horas, meridiem &c. 229
Obeliscos excisos in locum suum deportandi modus. 314. 315
Obseruatio polorum & aequinoctialis prima. 147
stellarum. 149
Obseruatio planetarum. 147
motuum Solis & Lunae. Ibid.
Zodiaci. Ibid.
Mensium duodecim. 148
Obseruatores stellarum primi Babylonij & Chaldaei. 149
Obseruationis ratio à Mercurio Trismegisto instituta. 151
Octaëdron aëris symbolum quomodo fiat. 106
Omnia in omnibus. 16. 124. 134
Opulentia Aegyptiorum. 391. 392
Oracula cur desierint? 443
origo diuinationum fuerunt. Ibid.
in omnibus fere Aegyptiorum Nomis erant. 444
Oracula Graecorum celebriora. Ibid.

per

per ea Diabolus docebat superstitiones. Ibid.
Ordines Angelorum. 17
Ordo Vniuersi Musica est. 123
Ordo dierum septimanæ, qui à planetis denominantur, non sequitur ordinem planetarnm. 233
Origo characterum signorum Zodiaci. 165
Origo Theologiæ Ethnicæ timor. 499
Origo idololatriæ & auguriorum. Ib.
Astrologiæ. 500
Orphei fabulosi cantus origo. 135
Ossa Hori Magnes, Typhonis ferrum. 23

P

Pallas è Iouis cerebro nata. 101
Panacea seu medicamentum catholicum. 373. 374
Pantamorphus Deus. 111
Pater in diuinis Mens prima. 514
omnia perfecit & tradidit Menti secundæ. 515
Paternum fundum ex tribus triadibus compositum. Ibid.
Patriarchæ primæui omnium rerum scientias habuerunt. 389
Persæ ab Aegyptijs acceperunt rationem disponendi annum. 256
Pherecides vocat Deum circulum, lineam, triangulum, quadrangulum, & omnia. 89
Philosophia astræa Aegyptiorum. 357
Philosophorum veterum in Mathematicis addiscendis ardor. 48
Planeta omnis habet planetam sibi correspondentem. 130
Planetarum origo, nomina, officia, characteres. 168
eorum obseruator primus Hermes. Ibid.
ordo. 169
Planetarum domus. 189
termini. 190
aspectus. Ibid.
Planetariæ horæ. 232
Planetarum dominij fabula. Ibid.
Planetarum regimen. 234
Planetæ superiores & inferiores. 404
Planetæ quid sint ex Veterum doctrina. 535
Plantarum virtutes in proprio solo natarum tantùm scrutabantur Aegyptij. 349
Plantæ ad signa Zodiaci & humani corporis membra comparatæ. 359 & seqq.
item ad septem planetas. 366 & seqq.
Platonicus circulus 36500. annorum. 150
Platonicum de Dei cognitione effatum. 500
Platonicorum doctrina de sphærarum cœlestium animabus. 529
de animarum descensu. 536
Platonis de animæ ascensu & descensu.
Plato putabat singulis stellis attributas esse animas. 531
eius opinio de animabus malorum. Ibid.
Pocula varia superstitiosis characteribus insignita. 384
Poëtæ, quo sensu traxerint feras & saxa. 137
Polymorphi Numinis hieroglyphicum. 31
Polyspastus Aegyptiacus. 320
eius vsus. Ibid.
incommoda. 321
Pondera Aegyptiorum. 290
Portæ quinquaginta lucis. 133
Potentiæ quinque motrices. 316
Pyramis lucida & tenebrosa. 112
Pyramides quid significârint apud Aegyptios. 114
Pyramidalis influxus signorum Zodiaci. 174
Pyramides Memphiticæ. 292. 293. 294 295.

earum architectura. 296
magnitudo. Ibid. & seqq.
Pyramidis mysteria hieroglyphica. 109
Pythagoricum problema ab Aegyptijs videtur desumptum. 26

Q

QVadrangulum quid denotet. 103
Quadrantis in horis indagandis vsus apud Ægyptios. 229
Quadrata cubica, eorumque dispositio. 67. & seqq.
Quadratorum numerorum mysteria. 44
qui quibus Dijs dedicati. 45
eorum productio. Ibid.
eorudem dispositio. 46
Quadratum Saturni. 46
Iouis. 47
Martis. Ibid.
Solis. 48
Veneris. 49
Mercurij. Ibid.
Lunæ. 50
Quadratum ex binario imperfectum est. 51
Quadratum ternarij quomodo disponatur. Ibid.
item quaternarij. 56
quinarij. 58
senarij. 60. 61
septenarij. 62
octonarij. 64
nouenarij. 67
Quadriuium Mathematicum. 4
Quinta essentia rerum. 372
Quodlibet in quolibet quomodo. 528

R

RAbbinorum blasphemiæ in Christum. 477
in Eucharistiam. 478
Res Saturninæ. 366
Iouiales. Ibid.
Martiales. 367
Solares. Ibid.
Venereæ. Ibid.
Mercuriales. 368
Lunares. Ibid.
Rota chronica ex mente Ægyptiorum. 265
Rota diuinatoria Hebræorum ex literis Hebraicis. 471
Ægyptiorum. 472
Rotæ versatiles aquam lustrationi necessariam fundentes. 336
Rota versatilis Deorum tripudia exhibens. 337
Rota vitæ & mortis. 491
eius structura. Ibid.
vsus. 492
confutatio. Ibid.

S

SAa. 287
Sacerdotes Ægyptiorum, quibus ritibus orauerint. 452
appetebant ϑεολεψίαν. Ibid.
Dijs minabantur. Ibid.
putabant Genios timere homines ϑυλάπτας.
Sacerdotes Ægyptiorum Deo supplices inuocabant tenebras. 506
Salomonis sigillum Cabalisticum. 477
Sal singulorum Planetarum metallicorum. 411
Saxa trahendi ratio apud Ægyptios. 313
Scaphium Sciathericum Ægyptiorum. 229
Scarabæi hieroglyphicum Chimicam artem denotat. 405
Schema ordinis rerum ac Mundorum, eiusque explicatio. 15. & seqq.
Scytalarum vsus. 314
Semiramis tres ingentes statuas erexit. 399

Se-

Septenarius numerus. 131
Sepulchrum Regum Ægypti. 308
Serapidis statua Solis orientis osculo salutata. 329. & seqq.
Serpens caudam mordens annum significat. 266
Seth libri septem attributi. 142
eius filij columnis commiserunt sideralem scientiam. Ibid.
eius scriptura de stella appaiturã in ortu Messiæ. Ibid.
Siclus. 290. 291
Sigillum Saturni. 46
Iouis. 47
Martis. Ibid.
Solis. 48
Veneris. 49
Mercurij. Ibid.
Lunæ. 50
Sigillorum horum confectio inuoluit pactum cum Dæmone. 80
ridicula est. 144
Signa seu asterismi Boreales. 196
Zodiaci. 198
Australes. 199
Similitudinis vis. 126
Sistri hieroglyphici descriptio. 456
interpretatio. 457
Solaria animalia Leo & Gallus. 127
Solares Angeli. Ibid.
Sphæra repræsentat animam Mundi quintuplici circumuolutione peracta in seipsam reuertente. 32
Sphæra amoris. 112. 115
Sphæra diuinæ essentiæ omnium mensura. 502
Sphynx Memphitica. 328
quomodo responsa dabat. Ibid.
Spiritum mundi exprimebant Ægyptij Accipitre. 129
Spiritus Vniuersi secundum Veteres. 527. 528
Stadium varium apud Aegyptios. 284
Stater. 290. 291
Statua delubri Apici imposita ad Solem se conuertens. 331
Stellæ aliæ beneficæ, aliæ maleficæ, aliæ communes. 189
Stellarum in asterismos diuisio. 195
facta ab Aegyptijs. 196
cur facta. 200
Stellarum hieroglyphicas imagines Græci verterunt in Deos. 196
Stillans seu Infundens idem quod Propheta.
Suffumigia in sacrificijs vsurpata. 538
Deorum singulorum propria. Ibid.
sine iis non fiebant sacra Aegyptiorum 539
illis quomodo Deos attraherent Veteres. 540
Sumptus facti in pyramides & labyrinthos. 391
Superiora in inferioribus continentur. 125
Superstitio Aegyptiorum ad alias Nationes transijt. 446
Symbola in manibus Deorum gestatã quid significent. 163
Synochorum trias, & ordines tres. 517
Systema septem planetarum communẽ Alchimiam docet. 405

T

Tabula Barberina, eiusque explicatio. 161. 162
Tabula computus Paschalis Coptitarum. 271
Tabula mensium Ægyptiorum, respondentium mensibus Iulianis. 275
Tabula mensium populorum Orientalium. 277
diuersarum nationum. 278
Tabula Smaragdina, eiusque author. 427
eius verba. 428
fictitia est. Ibid.
eius explicatio. Ibid.
sensus. 429. & seqq.

Ta-

Talentum. 290
Tauticus character, eiusque explicatio. 29
Chimicæ artis clauis. 405
Telesmata superstitiosa. 144
ridicula. Ibid.
Temporis diuisio apud antiquos in vsu. 224
Ternarij numeri genesis. 24
eiusdem laus. 25
est numerus perfectissimus. Ibid.
ritus illo peracti. Ibid.
Tetractys reperitur in omnibus rebus. 29
Tetraëdron ignis symbolum quomodo constituatur ex triangulis. 106
mysticam Theologiam continet. Ib.
Theologia Aegyptiaca. 498
eius princeps Trismegistus. Ibid.
Theologiæ Aegyptiacæ & Chaldaicæ anacephalæosis. 516
vtraque eadem. 519
Theolypsia quibus ritibus procurabatur. 536
Theurgia Aegyptiorum. Ibid.
illi magna pars hieroglyphicorum innititur. Ibid.
Traba. 313
Triadis excellentia. 23
Triades tres quæ. 515
Triangulum æquilaterum est hieroglyphicum Triadis. 24
Triangulus maximus omnes figuras polygonas implicat. 94
Trianguli significationes. 104
Triangulum geneticum. 105
Triangulorum ex comparatione Plato venit in notitiam proportionis elementorum. 106
Triangulum æquilaterum notat Deum vt creantem. 108
Scalenum quid notet. Ibid.
Trianguli proprietates Dei proprietates exprimunt. 509
Trigonum geneticum. 26
Trigonus igneus, aëreus, aqueus, terreus. 175
Trina dimensio significat supremæ Monadis in mundum euolutionem. 84
Trinitas quomodo concipienda. 24
Trinitatis subobscuram cognitionem habuerunt Aegyptij. 406
eius mysterium non benè explicat Trismegistus. Ibid. & 507
Triplicitatis signorum Zodiaci origo. 176
Triplex mundus quomodo ex nihilo creatus. 512
Trismegisti effatum de Monade. 10
Trismegistus multa discit à Chamo. 150
Trismegistus hieroglyphicorum author. 393
quadruplicem mundum distinxit. 394
cur ita dictus. 408. 498
Trismegisti libri Theologici. 498
Trismegisti de mundi productione sententia. 511
Trithemius in assignando mundi dominio septem Angelis, dissidet ab Hebræis. 236
Tropici Deorum limites. 151
Tropicorum symbola duo Canes. 152
Turcicus liber diuinatorius. 495
Typhonis nomina. 23

V

Valuæ sacelli sponte apertæ & clausæ. 335
Vasa medicinalia varia. 379. & seqq.
ea exornabant hieroglyphicis Aegyptij 384
Vectis. 317
eius vsus prima Mechanices fundamenta præbuit. Ibid.
Vegetabilia quæ quibus Dijs attribuerint Aegyptij. 375
Veritatis inquisitio tota est in Mathematicis disciplinis. 4

Via lactea quomodo à diuersis appelletur. 241
fabula Aegyptiorum de ea. 242
Virgo puerum lactans in Zodiaco ex Aegyptiorum & Hebraeorum mente. 203
Vmbrâ baculi dimensâ discebant Aegyptij horas. 229
Vnitas principium omnium numerorum. 6
Vnitas est essentia Dei. Ibid.
Vnitas maximi aequiparatur Vnitati minimi. 8
Vnitas naturâ prior est alteritate. 9
Vnitas, aequalitas, & connexio sicuti habent vnum esse, ita habent aeternum esse. 10
Vnitas quadruplex explicatur. 11. & seqq.
Vnitatis mirus foetus. 19
Vnitas est inuariabilis. 44
indicat diuinam naturam. Ibid.
omnia complicat. 45
Vnitas formalis Dei per apicem Obelisci indicata. 114
Vox humana ad imitandum prouocat. 137
Vsiarchi qui. 111
Vter. 288
Vulcani tripodes. 323

Z

Zodiaci, Deorumque praesidentium eius partibus distributio. 111
eius signa, & Dij. Ibid.
diuisio in partes duodecim. 152
eius domus seu arx prima &c. 153 & seqq.
Domorum Dij. Ibid.
Zodiaci symbola. 162
characteres. 164. & seqq.
significatio. 167
Zodiaci veteris hieroglyphica exhibitio, & explicatio. 160. & seqq.
Zodiaci signorum Genij, vires, qualitates &c. 174
Zodiaci reuolutionem quomodo Antiqui fuerint dimensi. 189
Zonaei & Azoni. 5
Zoroastri de Trinitate sententia. 407

FINIS.

Errata sic corrige. primus numerus paginam, secundus lineam denotat.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
Pag. 48.	lin. 21.	656.	666.
50,	28.	inte res	inter res
54.	27.	in i	n i
55.	25.	euinarios	quinarios
ibid.	35.	cumerotum	numerorum
ibid.	39.	ſeipſo	ſeipſum
56.	vlt.	134	136
92.	4.	habete	habere
98.	16.	lib 5.	lib. 1.
108.	1.	biſectione	diſſectione
113.	9.	fometto	fomento
114.	18.	ſinum	ſitum
116.	25.	reciproca	reciprocam
121.	28.	con	non
ibid.	32.	τȣ̃ αὐτὸν	τȣ̃ ὕδατος αὐτὸν
ibid.	ibid.	αἰλέϑης	αἰέλεϑης
126.	3.	pariat	pareat
127.	antepen.	tepentè	repente
128.	1.	φύσει	φύση
130.	19.	ſpiretuali	ſpirituali
ibid.	33.	vquam	aquam
ibid.	35.	culcum	cultum
132.	14.	Latini	Latinus
133.	41.	eum	cum
136.	5.	Vir	vix
ibid.	22.	πάλαιοι	παλαιοὶ
137.	25.	πολυδίδαπτος	πολυδίδακτος
138.	2,	commenſuratur	commenſuratus
139.	16.	quandam	quondam
ibid.	pen.	profeſtum	profectum
140.	8.	multam	multùm
141.	31.	ὔερνον	[illegible]
143.	31.	charactere	characterum
168,	23.	vicinara	vicinam
ibid.	36.	ſtella	ſtellas
178.	21.	11. ſignum	12. ſignum
187.	1.	quò	quòd
247.	2.	29.	26.
252.	20.	fuerunt.	ferunt
258.	7.	manſionum	menſium
259.	40.	ſuſtentetur. Solem	ſuſtentetur, Solem
262.	34.	Die menſis	Die 7. menſis
263.	17.	beneficum	beneficium
306.	3.	admiranda	admirando
309.	22.	uota	nota
312.	4.	eæ	ea
ibid.	30.	quam	qua
ibid.	vlt.	adinuenit	adinueniſſe
315.	27.	ergarorum	ergatarum
318.	2.	Vrat	erat
354.	29.	ciſtam	ſiſtam
369.	23.	ſubdiuidebunt	ſubdiuidebant
370.	13.	incumbebat	incumbebant
380.	21.	quæ	quo
389.	pen.	fuiſſet	fuiſſe
392.	17.	innumerabili	innumerabilique
397.	19.	permeantem	permanentem
420.	25.	pronæ	ſupinæ
430.	3.	comparetur	compararetur
455.	7.	iherogram.	hierogram.
456.	1.	in ſignatis	inſignitur
481.	23.	ſua	ſuo
536.	pen.	Ægyptios	Ægyptij
538.	18.	ſuffumentum	ſuffimentum

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd.

Omnes ſunt duerniones præter Zzz & Dddd.

ROMÆ,

Ex Typographia Vitalis Maſcardi, M DC LIV.

Superiorum permiſſu.

ATHANASII KIRCHERI
SOC. IESV

OEDIPI AEGYPTIACI

Tomus III. vol 3

THEATRVM HIEROGLYPHICVM,

HOC EST,

Noua & hucuſque intentata

OBELISCORVM

Cœterorumque Hieroglyphicorum Monumentorum, quæ tùm Romæ, tùm in Aegypto, ac celebrioribus Europæ Muſæis adhuc ſuperſunt,

INTERPRETATIO

Iuxta ſenſum Phyſicum, Tropologicum, Myſticum, Hiſtoricum, Politicum, Magicum, Medicum, Mathematicum, Cabaliſticum, Hermeticum, Sophicum, Theoſophicum; ex omni Orientalium doctrina, & ſapientia demonſtrata,

Felicibus Auſpicijs

FERDINANDI III.
CAESARIS.

ROMÆ,
Ex Typographia Vitalis Maſcardi, Anno à Partu Virgineo M DC LIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

AD EMINENTISSIMOS

ET SERENISSIMOS

SACRI ROM. IMP. PRINCIPES

ELECTORES,

DOMINOS MEOS CLEMENTISSIMOS.

OBELISCORVM *erectionem, quam in præsentia executuri sumus, ad eos spectare fas est, per quos stetit Sacri Romani Imperij ad hoc vsque temporis intemerata Maiestas.* Vobis *etenim,* Serenissimi, *debet omnis Germania, quòd diuturno lassata bello, per tot rerum discrimina, cladium vicissitudines, dubios præliorum euentus eluctata, lætam aliquando tandem ad pacis Oliuam frontem erexerit, & veterum non immemor triumphorum, in præclaro immutabilique statu sese confirmârit. Id vnum quippe seu pace, seu bello spectastis, ne quid de dignitate pristina Gloriosissimi Imperij vllâ fortunæ calamitate iret imminutum. Si gladium vaginâ vacuum spectauit Danubius, Albis & Mœnus sanguine discolores longo tempore defluxerant, & Rhenus funeribus illachrymatus est; eo omnia consilio prouenerunt, vt concussione isthâc tam vehementi, longâ annorũ serie collectam eluuiem fortissima Natio in circumiecta maria feliciter exoneraret. Spectent igitur ijdem* Vestræ *conscij virtutis fluuij defixa vtrimq; in ripis trophæa, surrectas Pyramides, excitatos Obeliscos, & veterem dolorem nouâ felicitatis à* Vobis *procuratæ memoriâ consolentur. Id pariter inter alia præclarissimum fuerit* Ferdinando III. Cæsari, *cuius auspicijs hoc Operis, quantum demum est, fuimus emoliti, spectari in eodem hoc gloriæ perennis Theatro,* Vestræ *monumenta virtutis, & totidem illius, quam ipse obtinet, bases, & solidissima fulcra Maiestatis.*

Nonnullæ Authoritates Doctrinæ Hieroglyphicæ in huius decursu Operis exponendæ.

I.

Aristoteles in mystica sua Theologia iuxta mentem Ægyptiorum à Platone oretenus accepta. l. 14. c. 14.

Sapientes Babylonij, & Ægyptij acumine mentis introspexerunt intellectualis Mundi species complexi scientiâ aliunde traditâ, vel ex seipsis inuentâ, quam etiam professionem ipsi sibi vendicarunt; siquidem enarraturi aliquid vtebantur doctrina intellectuaria, non autem humanaria vt nonnulli alij, qui consulentes eos, adhuc non sibi visi sunt satis firmiter discere ex sententijs locutione redditis, conceptus animorum acceptos scribebant, vti oculatâ fide legimus, in lapides per figuras, idem in omnibus scientijs artibusque facientes, quos locabant in templis tanquam paginas perlegendas, talesque aderant libri eorum vtensiles; quod fecerunt, vt indicarent etiam, quòd intellectus agens immaterialis creauit omnia secundùm propriam essentiæ cuiuslibet rationem, similitudinemque, quale optimum fuit, pulcherrimumque documentum, per quod vtinam etiam indicarent, quâ ratione attingerent formas illas mirandas & absconditas, sic enim illorum sacramentum esset laude dignius, qualis conditio paucis viris contingit.

I I.

Iamblichus l. de mysterijs Ægyptiorum.

Imitantes Ægyptij ipsam vniuersi naturam fabricamque Deorum, ipsi quoque mysticarum reconditarumque notionum imagines quasdam in symbolis conficiendis ostendunt, quemadmodum & natura rationes occultas in apparentibus formis, quasi symbolis exprimit, & Dij veritatem idearum per manifestas imagines exprimunt. Cùm ergo perspiciant, superiora omnia, inferiorum similitudine delectari, atque insuper optent, à superioribus bonitate repleri, quatenus pro viribus imitentur, meritò & quasi conuenientem Superis modum agendi pro viribus offerunt, quando occulta mysteria rerum abditarum, symbolis inferunt manifestis, in quibus interpretandis dimitte voces, accipe sensus. Et fol. 354. *Iam verò hæc non oratione rationeque nuda speculari solent; sed admonent insuper atque docent, ad excelsiora communioraque & superiora fato, naturam nostram progredi ad ipsum Deum, Opificemque Mundi; quatenus neque materiam ferat secum, neque aliud quicquam præter opportuni temporis obseruantiam, idque sacrorum opera nos consequi docent, atque simul efficiunt. Tradidit hanc quoque viam nobis ipse Mercurius. sed interpretatus est eam Propheta Bitis Ammoni Regi inuentam in adytis templi, in vrbe Sain Ægypti, literisque sacris, id est, hieroglyphicis insculptam, præbuit quoque nobis nomen DEI discurrens per vniuersum.*

I I I.

Plotinus l. 8. Enneadis 5. c. 6.

Δοκοῦσι δέ μοι καὶ οἱ Αἰγυπτίων σοφοί, εἴτε ἀκριβεῖ ἐπιστήμῃ λαβόντες, εἴτε καὶ συμφύτῳ περὶ ὧν ἐβούλοντο διὰ σοφίας δεικνύναι. Μὴ τύποις γραμμάτων διεξοδεύουσι λόγους καὶ προτάσεις. Μηδὲ μιμουμένοις φωνὰς καὶ προφορὰς ἀξιωμάτων κεχρῆσθαι· ἀγάλματα δὲ γράψαντες καὶ ἓν ἕκαστον ἑκάστου πρα-

γράμματος ἄγαλμα ἐκτυπώσαντες ἐν τοῖς ἱεροῖς, τὴν ἐκείνου διέξοδον ἐμφῆναι. ὡς ἄρα τις καὶ ἐπιστήμη καὶ σοφία, ἕκαστον ἐστὶν ἄγαλμα, καὶ ὑποκείμενον, καὶ ἀθρόον, καὶ οὐ διανόησις, οὐδὲ βούλευσις. Ὕστερον δὲ ἀπ' αὐτοῦ ἀθρόας οὔσης, εἴδωλον ἐξελιττόμενον ἐν ἄλλῳ ἤδη. Καὶ λέγον αὐτὸ ἐν διεξόδῳ καὶ τὰς αἰτίας, δι' ἃς τοῦτο ἐξευρίσκοι, ὡς τὸ καλῶς οὕτως ἔχοντος τοῦ γεγενημένου θαυμάσαι.

Videntur verò mihi Sapientes Ægyptiorum siue consumata quadam sapientiâ, siue naturali etiam mentis instinctu, vbi constituerunt sapientiæ mysteria nobis significare, non vsi fuisse figuris literarum significaturis sermonis discursiones & propositiones quasdam, & imitaturis voces pronunciationesque regularum, sed potiùs describentes imagines rerum singulas singularum, easque depingentes, in sacris clam rei ipsius discursum significasse. Quòd videlicet scientia & sapientia quædam sit vnaquæque imago siue exemplar, & subiectum illud spectaculum totum vnà collectum, neque sit excogitatio quædam, neque consilium. Postea verò ab ipsa imagine exemplari, siue sapientia simul tota, simulachrum in alio quodam fiat iam euolutum, atque loquens in discursione quadam, & causas propter quas ita res institutæ sint inueniens; dum videlicet dispositio rerum, quòd ita se bene habeat, mouet admirationem.

I V.

Simeon Ben Iochai in libro Zohar:

בהני מצרים פרשו חכמתם באותיות תבונתן תבונות החות והעשבים וכל מיני כלים והיו סימנין ד׳ העולמים ומהם א׳ העולם אצילות וב׳ העולם המלאכים וג׳ העולם הגלגלים וד׳ העולם ד׳ טבעות וכל אלו ד׳ עולמים חכמי מצריים פרשו במשלי החות ובחידות חדו ויגידו כי האחר בהאחר וכלן סעדו כי גבוה מעל גבוה שומר והוא אדון ורבון ויוצר כל העולמים וכלמה בהם:

Sacerdotes Ægypti explicabant sapientiam suam per signa, quorum similitudines sunt similitudines animalium, & herbarum, & omnis generis instrumentorum, & fuerunt signa 4 Mundorum, quorum 1 Mundus emanationis, 2 Mundus Angelorum, 3 Mundus Orbium, & 4 Mundus 4 Elementorum, & omnes istos 4 Mundos Ægyptij explicabant in parabolis animalium, & in ænigmatis de iis loquebantur, indicantes quomodo vnus in altero sit, & quomodo omnes testentur, quòd excelsus super excelsum sit custos, & ipse est Dominus & Magister, & plasmator omnium Mundorum, omniumque quæ in iis sint.

V.

Mor Isaac c. 6. Philosophiæ:

ܟܠܗ ܚܟܡܬܐ ܗܘ ܡܢ ܚܝܠܐ ܡܥܠܝܐ ܘܡܬܓܡܪܐ ܘܥܡ ܚܝܠܐ ܐܪܥܢܝܐ ܘܡܫܘܚܬܐ ܘܡܟܫܪܘܬܐ ܕܥܠܝܐ ܥܡ ܬܚܬܝܐ ܕܬܚܝܬ ܣܗܪܐ ܗܘܝܢ ܡܫܘܕܥܐ ܘܦܝܠܣܘܦܐ ܕܡܨܪܝܢ ܗܘܝ ܟܬܝܒܐ ܒܟܐܦܐ ܪܘܪܒܬܐ *

Scientiæ Magicæ ratio à supremis perficitur potentiis, vnà cum potentiis terrenis, familiaritatem ac conuenientiam supernis cum inferioribus, quæ sub Luna sunt, habentibus; & ipsa fuit sapientia Philosophorum Ægypti, sculpta in ingentibus saxis.

Aben-

VI.

Abenuaſchia l. de ſeruitute Ægypti.

ان كثيرين اهل هذا بلد لايعرفون ما يدل عليه هذا اللغز وذلك ان تعليم
ليس اهل مصر قربوهم بل رجل طرقنا قبل زمان طويل من ارض كنعن وكان
مبرزا في الحكمة وفي نحو والمساحة والحساب والهندسة والموسيقي وفي فلسفه وساير
العلوم المتداولة التي سماها الاوايل التعاليم واهدوا هذه الصوره قربا بالله

Vtique multi è populo huius regionis ignorant, quid ſignificent huiuſmodi ænigmata, atque hoc, quia indigenæ non conſecrarunt illa, ſed vir quidam ad nos ſe recepit olim ex terra Canaan, is erat eximius in Sapientia, & in Grammatica, Geometria, Muſica, Arithmetica, Philoſophia, & reliquis ſcientijs ſignificatis, quas Antiqui notant diſciplinas; & hic dono obtulit has figuras, vt Deo eſſent ſacræ.

Artis Hermeneuticæ, ſiue Interpretatiuæ Hieroglyphicorum Suppoſitiones.

1 Hieroglyphica Ægyptiorum doctrina nihil aliud eſt, quàm arcana de Deo, diuiniſque Ideis, Angelis, Dæmonibus, cæteriſque Mundanarum Poteſtatum Claſſibus ordinibuſque ſcientia, ſaxis potiſſimùm inſculpta.

2 Hieroglyphica ſymbola ad exemplar naturæ inſtituta, non literis, ſyllabis, vocibus, periodis, ſed conceptibus Idealibus latentium myſteriorum ſenſus efformarunt.

3 Symbola Hieroglyphica in Obeliſcis, cæteriſque monumentis Ægyptiacis, non temerè, ἀλόγως καὶ ἀτάκτως congeſta ſunt, ſed ſummâ connexione formatorum conceptuum ſacramenta exhibent.

4 Hieroglyphica iuxta Mundorum varietatem & analogiam, quam ad inuicem habent, varios ſenſus inuoluunt, id eſt, vnum & idem ſymbolum, v. g. Accipitris pro appoſitarum conditione notarum, non Siderei tantùm, ſed & Archetypi, Intellectualis, Ethici, Politici, Chimici Mundi Solem indicat, ita vt dictum ſymbolum & Oſirin ſupramundanum, & Sidereum, & Hylæum ex æquo iuxta intentam analogiam exprimere poſſit. Quod idem de Iſide, Mophta, Anubi, cæteriſque Deorum monſtris; idem de crateribus, aquis, vaſis, cæteriſq; ſentiendum eſt.

5 Hieroglyphica ſymbola non tantùm ſublimiũ erant ſignificatiua ſacramentorum; ſed & naturalem quandam efficientiam habere credebantur, tùm ad Genios bonos quibuſcum occultam, & in abdyta naturæ abyſſo latentem ſympathiam habere putabantur, attrahendos; tùm ad contrarios & antitechnos Genios, ob eorundem cum ijs antipathiam, coërcendos profligandoſque.

6 Hieroglyphica ſymbola nihil aliud quàm prophylactica quædam ſigna, omnium malorum auerruncatiua, ob mirificum catenarum mundialium conſenſum connexionemque, eſſe exiſtimabantur.

Hiſce præmiſſis, iam tandem diuini Numinis auſpicio, Opus cœptum, difficile ſanè, & Herculeis etiam formidandum humeris ordiamur.

OEDI-

OEDIPI AEGYPTIACI
SIVE
THEATRI HIEROGLYPHICI
Tomus III.

PRAEFATIO
AD SAPIENTISSIMVM
FERDINANDVM III.
ROMANORVM IMPERATOREM
IVSTVM, PIVM, FELICEM.

PANDIMVS tandem, Sacratissime Cæsar, *polymorphum Hieroglyphici Morphei Regnum; Theatrum inquam immensa monstrorum varietate refertum; non dico nudis naturæ monstris, sed ænigmaticis vetustæ sapientiæ Chimœris ita adornatum, vt inde immensos scientiarum thesauros sagacia ingenia, non sine literarum bono, eruere posse confidam. Hic Bubasticus Canis, Saiticus Leo, Mendesiorum Hircus, Crocodilus fœdo faucium hiatu formidabilis, diuinitatis, naturæ, animarumq́; occultos, sub vmbratili imaginum ludibrio, vetustorum Sapientum sensus, aperiunt, Hic sitibundæ Dipsades, Aspides virulentæ, Ichneumones callidi, Hippopotami crudeles, monstrosi Dracones, ventrosus bufo, implicatus conchæ limax, hirsutaque campe, sine numero spectra, miram in naturæ sacrarijs seriem & ordinem exhibent. Occurrunt hic mille rerum exoticâ quâdam metamorphosi transformatarum species, in alias & alias imagines figuris hominum conuersis, & in se rursum nexu mutuo refectis; vbi feritas cum humanitate, hæc cum affectata diuinitate, diuinitas denique, vt cum Porphyrio loquar, per omnium rerum species transiens, cum omnibus videtur monstrosum meditata coniugium; vbi nunc variegatâ facie sublimis, caninam ceruicem attollens hic gerit Cynocephalum, ille turpis Ibidis, aut Accipitris rostratâ laruâ indutus, magni Iouis alitem agit; alius virgineâ blandiens facie in Scarabæi indumento Scorpionis mentitur*

acu-

aculeum. Cæteri diuersis in vnam ridiculo sanè figmento coagmentatis rerum speciebus nunc triformes Sphynges, nunc, vt multa paucis complectar, Chimæras ζῶα λεοντι-δράκοντας; alij ex Plutonis officina veluti prodeuntes λυκο-κυνο-λέοντας, Cerberos referre videntur. Nec desunt informes Isiacorum Canopi; immodicâ corporis distensione prominentes totos ventres diceres. Quid amplius? videres hic turpem illum oblonga Cercopithecum cauda, pileo textili, Crocotijsque Phrygijs Catamiti pastorculi specie indutum varijs modis gesticulantem. Videres & enormis crassitiei bouem, omnipotentis Deæ fœcundum Numen, gestuoso incessu, alis agglutinatis conspicuum, veluti volatus affectantem; vtrumque ijs symbolis adornatum, vt illum quidem Bellerophontem, hunc autem Pegasum diceres, tamen rideres vtrumque. Verbo quidquid fœcunda portentorum mater Ægyptus excogitauit vnquam, aut poëseos ludibundum finxit ingenium, in hoc pantomorpho naturæ theatro nobis ob oculos sub allegorico occultæ significationis velamine positum contemplamur. Quis porrò horridam hanc rerum faciem intuens non animo protinus cadat? Quis huic se monstrifero deserto per inhospita tesqua, asperos calles, innumeros præcipitiorum scopulos, sine viarum perito duce tutò committat? Quis theatra hæc ingressus, cum tot monstris & portentis impunè congredi audeat, & non nisi plumbeis obtusisque instructus pugionibus, temerè, vt ita loquar, ἰδιωτιάζων? video ego totius naturæ consultum Plinium hoc succubuisse prælio; video quoque solertem naturæ scrutatorem Ælianum, Marcellinum quoque & Hermapionem Cymbalum Mundi, aliosque Heroas ad primum conflictum mox animum de victoria adipiscenda quasi despondentes sese ingenioso, seu mauis callido effugio subduxisse. An non igitur in hoc agone meritò ab omnibus temerarius veluti Icarios ausus attentaturus audiam? Sed macte animo.

Q. Cal. l. 12.

Ἄλγεα μὲν παρὰ ποσσὶ Θεοὶ θέσαν ἀνθρώποισιν
Ἐσθλὰ δὲ πολλὸν ἄποθε, πόνον δέ γε μέσσον ἔλασαν.

Incommoda enim ante pedes Dij posuerunt hominibus,
Commoda verò valde procul, in medio autem laborem statuerunt.

In tanta caligine audendum est aliquid, &

Quid nostri valeant humeri, quid ferre recusent,

periclitandum: vbi vires humanæ deerunt, aderit diuina bonitas, quæ vti ad hoc ab ineunte ætate me instimulauit, sic & gratiam, vt quod eius ope fieri posse cogitaui, perficiam, concedet. Sed vt paulò apertiùs mentem meam exponam, diuino Numinis auspicio, ad vltimum & vnicum intentionis nostræ scopum, in quem tam operoso binorum Tomorum apparatu hucusque collimauimus, id est, ad practicam hieroglyphicorum interpretationem, meliori quo fieri poterit modo & methodo perficiendam, progredimur. Opus sanè arduum, & innumeris difficultatibus inuolutum, ante vicennium Reipublicæ literariæ promissum, iam tandem fide soluta exhibitum: Quod Sacratissime Cæsar, *iussisti, pro mea tenuitate ingenij executus sum; vt proinde non tam mea, quàm* Tua, *quicquid in hoc Opere excellens comperietur, voluntate,* Tuâ *in literatos propensæ voluntatis significatione, singulari subsidiorum munificentiâ partum dici debeat; grataque cognoscat posteritas,* Te *in hac durioris temporis propagatione diuinitùs à Deo electum, vt quod nullus*

lus ante Te Cæsarum, aut viribus vllis, aut potentiâ obtinere potuit, Tu *obtineres,* Tu *conficeres,* Tu *omnibus numeris compleres & absolueres.*

Verùm idem mihi hic contigisse videtur, quod Isidi, quæ cùm omnia constanter certamina superasset, Titanum sæuitiam effugere nequiuit. Perdomitis ego supradictis monstris, cruentis belluis constanti labore subiugatis, dum Osiridem restauro, Titanum crudelitate inuaditur Horus, fœtus tanto labore conceptus. Dum, inquam, in sublimi illa, atque hucusque intentata hieroglyphicorum, Typhonis sæuitiâ, hoc est, temporum iniquitate dispersorum perditorumque reuocanda scientia laboro, domitisq; iam omnibus difficultatum monstris Osiridem perditum in integrum restituo; Horum Titanum iniquitate perdo, id est, fœtum hunc propriâ industriâ, labore summo, conatu pertinaci, studio denique contento partum, iniqui rerum censores eripere omnibus modis fortassis conabuntur. Nam in materia hac vti noua, rara, curiosa, ac rerum eximiarum abundantia & copia plenâ, sic inuidiæ veluti fulgidæ gloriæ concomitantis vmbræ quàm maximè expositâ, Aristarchorum quorundam peruersa iudicia, & reprehensiones Momicas, quas nemo vnquam Doctorum, in tam arduo & glorioso puluere desudantium effugere potuit, minimè defuturas præuideo; quorum tamen impugnationes curandæ non sunt: tametsi enim omnem in hoc Opere perfectionem fortasse non attigerim, non tamen nescio humanarum virium terminos circumscriptos, & non nihil esse prodire tenus, si non datur vltra. *Nam de præsentis argumenti vel præstantia, vel vtilitate, quam eorum explicatio & cognitio adfert, si pro dignitate differere velim, nullus vnquam exitus reperietur. Esto itaque, non posse me, non posse alium quempiam totum hoc mysteriorum pelagus exhaurire, latèque exporrectum ambitum omninò perlustrare; ideonè præclaro & laborioso incepto desistendum, quod vni præstare negatum sit? minimè. Summè hallucinantur illi, qui nihil dignum, pretiosum nihil reputant, nisi quod omnibus numeris absolutum fuerit; illi nequaquam homini in hac rerum caducitate constituto, sed in alteram vitam abstracto, huiusmodi perfectionem reseruatam esse sibi persuadeant. Desinant itaque tantæ molis argumentum mihi exprobrare, rerum, quas ignorant, impugnatores. Deo laboro, qui vt quod aggressus sum, ad exitum perducere possim, pro infinita clementia concedet.* Tu, Cæsar; *iussisti, cui non obtemperare nefas rebar. Totus literarum penè Orbis ad progrediendum me extimulauit; quid moror? Prodeat itaque Opus, in quo quicquid erroneum, mancum, mutilum & imperfectum, id totum meæ insufficientiæ; quicquid perfectum, & admiratione dignum, Deo Opt. Max. adscribas velim.*

DIATRIBE PROLVSORIA.

De Hieroglyphicis in genere.

CAPVT I.

De Etymo, origine, & propagatione Hieroglyphicæ doctrinæ.

Hieroglyphicum quid sit.

HIEROGLYPHICVM, ἀπὸ τοῦ ἱερὸς καὶ γλύφειν, id est, à Sacra sculptura deriuatum, nihil aliud est, quàm *Rei sacræ symbolum saxis insculptum*. Dicitur *Symbolum*, vt mysteriosi sensus ratio indicetur. Dicitur *rei sacræ*, vt differentia inter symbola sacra & profana constituatur. Fuit enim duplex Ægyptiorum parabolarum genus, vnum δημῶδες, quod tritas & vulgares similitudines complectebatur; alterum ἱερὸν, sacrum, hoc est, è sanctiori quadam & magis arcana doctrina depromptum. Nam Ægyptios non, vt multi sibi hucusque falsò persuaserunt, historias, non laudes Regum & Principum, non artes liberales, non aliud denique huius generis commentum, sed res sacras, vel ad diuinæ naturæ proprietates, vel ad Angelorum Geniorumque ordinum, præsidiorumque distributionem, vel ad Theurgiæ, expiationumque sacrarum rationem spectantes, incidisse, paulò post apparebit. Dicitur *saxis insculptum*, non quòd alijs quoque materijs ea non inscripserint (nam & ligneis, papyraceis, testaceis, inuolucrorumque fascijs fimbrijsque ea insculpta reperio) sed quòd totam hieroglyphicæ doctrinæ substantiam vt plurimùm templorum parietibus & valuis, Obeliscis, Deorum simulachris, saxeisque tabulis, ad ea toti posteritati contra omnes temporum iniurias duratura sincerè exhibenda inciderint. Ea verò quæ priuato Ægyptiorum vsui deseruirent, cuiusmodi amuleta sunt omnibus communia, pro facultate cuiusque cuicunque materiæ insculpebantur. Cyrillus l. 9. aduersus Iulianum: *Fuisse*, inquit, *apud Ægyptios quosdam ænigmatum magnâ industriâ & grauitate prælitos, quos illi nominare solent ἱερογλύφους, qui templis & Obeliscis notas insculpebant, non vulgaribus vtentes literis, sed alijs figuris rerum naturas effingentes, prudentiorum augebant scientiam.*

Parabolarum genus duplex apud Ægyptios.

Hieroglyphicè quid inciderint Ægyptij.

Hieroglyphica non saxis tantùm sed alijs etiam materijs incisa.

S. Cyrillus.

Quis porrò Hieroglyphicorum fuerit Author, tametsi vberrimè in Obelisco Pamphilio deciderimus, quia tamen ibidem nonnulla omisimus, ea hîc opportunè inserenda putaui. Notandum itaque, nullam vnquam ætatem extitisse tantis ignorantiæ tenebris inuolutam, quæ non aliquem sapientiæ radium veluti per nubes emissum, saltem refracto sublustrique lumine vibraret. Est enim illa blanda conciliatrix, & quasi sui læna scientiæ illecebra, quæ hominem tanquam saginati corporis inutilem belluam perpetuò ad pastum nugatoriasque curas abijci minimè patitur, sed quandam honestatis faciem infixit pectori; quæ si excitata fuerit crebrius,

Sapientiæ studium omni æuo floruit apud aliquos.

briùs, illos, quos in animis hominum cernimus scientiæ igniculos, non obscurè ventilabit. Atque hinc omnes artes scientiæque floruerunt, quibus animus contra sarcinam corporis, & istam salebrosam rerum exilitatem fortiter eluctatus effecit, vt lux ingenij in præclarissimis studijs adolesceret, tandemque ad formam scientiæ magis commutatam non mollibus quidem cliuis, sed varijs difficultatum anfractibus contenderet. Inter cœteros tamen mortalium neminem fortiorem in hac agonistica literarum meta fuisse Hermete Trismegisto, ex Obelisco Pamphilio passim probatum fuit. Siquidem nihil adeo ipsi incumbebat, quàm vt Sapientiam à primæuis Mundi Patriarchis traditam, omnium earum rerum, quæ in rebus humanis desiderari poterant, longè præstantissimam instauraret, & nè à plebeis ingenijs contaminarentur, hieroglyphicarum figurarum inuolucris ita implicaret, vt solis, quos ipse dignos aptosque iudicaret, suæ sapientiæ medullam aperiret; reliquis extra ordinis Sacerdotalis à se instituti cancellos positis, cortice tantùm relicto. Cùm enim hunc Mundum ex tanta rerum varietate coagmentatum, quasi scenam politissimis imaginibus distinctam, contemplatus intueretur; rectè huiusmodi rerum creatarum simulachra τοῦ Θεοῦ σύμβολα, quæ ipse nobis per tot obiectas sui species inureret, totidemque literas magno diuinitatis fulgore illuminatas, quibus illud æternæ Mentis Numen nomen suum consignaret, pronunciandas esse putauit. Atq; hinc prima hieroglyphicæ στοιχειώσεως rudimenta prodierunt; quæ à primis Patriarchis, Adamo, Enoch, Noëmo, Chamo adumbrata, ab Hermete omnibus numeris absoluta, in liberaliorē formam per stupendam Hieroglyphicorum architecturam exurrexerunt; quæ tanti semper deinceps inter Ægyptios fuit celebritate nominis, vt nec Moysen eam doctrinam dedignatum, vel ipse sacer textus adstruat, qui Moysen omni Ægyptiorum sapientiâ præditū dicit, quam Philo in libro de vita Moysis, cuius verba alibi adduximus, aliam non fuisse dicit, quàm occultam Philosophiam, descriptam literis, vt vocant, hieroglyphicis, τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν ἣς ἐν τοῖς λεγομένοις γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς ζώων ἀποδοχῆς, ἃ καὶ Θεῶν τιμῆς γεραίρουσι; id est, *Notis animalium quæ ipsi venerantur pro Numinibus*. Vt vel ex hoc capite pateat quàm vetusta illa sit sapientia, quæ vel ipsum Moysen discipulum habuerit. Hermetem verò huius literaturæ Authorem fuisse, vel ipse Plato in Phœdro docet, quem & Thautum siue Thoth vocat, & Philo Biblius, qui Sanchoniatonis, Authoris vetustissimi, Moysi synchroni, historiam Græcè vertit, Tautum siue Hermetem Trismegistum symbolicæ literaturæ primum Doctorem apertè docet; quæ omnia fusissimè in secundo libro Obelisci Pamphilij comprobata sunt, ad quem Lectorem, nè eadem toties repetere cogamur, remittimus. Cùm itaque hieroglyphica doctrina, eorumque Author multò ante Moysis tempora iam floruerit; certò ille alius esse non potuit, quàm Mercurius Trismegistus (quem Arabes ادريس Adris vocant) Sacerdos, Philosophus, & Rex maximus Ægypti, quemque tempore Abrahæ, Misraimo primo Pharaone rerum in Ægypto potiente, floruisse, in toto hoc Opere sat superque demonstratum fuit; quod Iamblichus primo de mysterijs capite, confirmat, vbi Pythagoram, & Platonem, Eudoxum, cœterosque Græciæ

Sacerdotibus solis hieroglyphica doctrina communicata à Trismegisto.

Hieroglyphicæ doctrinæ origo.

Moyses hieroglyphica doctrina instructus. *Philo.*

Hermes Trismegistus Author doctrinæ hieroglyphicæ. *Plato.* *Philo Biblius.*

Philoſophos ſuam philoſophandi rationem, ex colũnis Hermetis ſeu Mercurij, (vtique à nullo alio Hermete, niſi ab illo, quem deſcripſimus) didiciſſe, apertè docet; quem & ideo non immeritò totius literaturæ parentem nullo non tempore tota poſteritas confeſſa eſt. Vide Obeliſcum Pamphilium l. 2. cap. 1. 2. 3. vbi dicta hucuſque omnigenis authoritatibus comprobantur. Quibus quidem præmiſſis, iam differentia, quâ literatura diuerſarum Gentium ab Ægyptiaca Sacerdotali differat, aſsignanda eſt, vt multorum ea de re ſcrupulus eximatur, qui putant Chinenſium, Brachmanum, & Mexicanorum literas verè hieroglyphicas notas eſſe.

CAPVT II.

Quomodo Hieroglyphica à cœteris diuerſarum Gentium literis diſtinguantur, & potiſſimùm in quo Characteres Sinenſium ab Hieroglyphicis differant.

Characteres ſignificatiuos conceptuum omnes ferè gentes habent.

NVllam ferè eſſe Gentem adeo barbaram, nullam Nationem ita incultã, quæ non ſuis ad conceptus ſibi inuicem manifeſtandos characteribus vtatur, experientia temporum nobis innotuit. Non loquimur autem hîc de literis & characteribus certo quodam Alphabeto conſtitutis & definitis, ſed de characteribus ſignificatiuis, integrum alicuius rei certæ conceptum inuoluentibus. Et his præ reliquis Orbis terrarum gentibus, tres vſas eſſe Nationes conſtat, videlicet Sinenſes, Brachmanes, & Mexicanos; de quorum literis & characteribus hoc loco differemus, ab Sinis exordium auſpicaturi.

Sinenſes, Brachmani, Mexicani potiſſimum.

Characteres Hieroglyphici Sinenſium.

Sinenſium characteres quando inſtituti.

SInenſes ex Annalium ſuorum temporumque concatenatione, primam literarum inuentionem ponunt trecentis ferè annis poſt diluuium; quarum primus inſtitutor & Rex fuit nomine Fohi. Ita habetur in libro de ſucceſsione Regum. Et prima characterum forma habetur in libro de formandarum literarum Chinicarum ratione, quem dum hæc ſcribo, mihi communicauit negotiorum cauſa ex Sinarum Regione Romam profectus R. P. Michaël Boym Polonus è Soc: IESV, tùm linguæ Sinicæ, tùm rerum omnium ad dicti Regni mores & conſuetudines pertinentium peritiſsimus; à quo quàm plurima ad Sinenſium legendi atq; ſcribendi rationem ſpectantia oretenus excepi; ex quibus ea tantùm, quæ inſtituti mei propria ſunt, deſcribam; reliquas quæ Sinarum Regnum, eiuſque politiam, atque linguæ rationem concernunt, Lector curioſus copioſiſsimè deſcripta reperiet in dilucidatione ſummaria rerum Sinicarum, à memorato Patre vberrimè & curioſiſsimè concinnata.

Chami poſteri colonias miſiſſe videntur in Sinas.

Dixi trecentis ferè poſt diluuium annis, eodem ferè tempore, quo filij Noëmi Mundo dominabantur, in vniuerſi Mundi fines imperium

propagantes, primam literarum inuentionem ab Imperatore Fohi detectam, non nisi à Noëmica stirpe eam edocto. Nam vti in primo Tomo relatum fuit, Cham primus ex Aegypto in Persiam, & hinc in Bactriam colonias suas transtulit, quem & eundem cum Zoroastre Bactrianorum Rege constituimus; Bactriana autem vltima Persidis Regio, Mogorum Regno contermina, ea loci opportunitate sita est, vt ex ea facilè in Chinam, vltimam habitati Orbis terrarum Nationem, colonias, atque vnà prima literarum elementa, quæ à Patre Cham, & Mercurio Trismegisto Mesraimi filij sui Consiliario, primoq; hieroglyphicorum institutore, tametsi imperfectè didicerant, transferre potuerint. Certè vt ad hoc credendum inducar, magni momenti argumentum sunt veteres isti Sinensium characteres, hieroglyphicorum in omnibus æmuli. Primò siquidem ex omnibus rebus mundialibus primos Sinas characteres suos construxisse, tùm ex Chronicis ipsorum patet, tùm ipsa characterum forma sat superque demonstrat; siquidem non secus ac Ægyptij ex animalibus, volucribus, reptilibus, piscibus, herbis, arborumque ramis, funiculis, filis, punctis, circulis, similibusque characteres suos, aliâ tamen & aliâ ratione dispositos formabant. Posteriores verò Sinæ rerum experientia doctiores, cùm magnam in tanta animalium, plantarumque congerie confusionem viderent; Characteres huiusmodi variè figuratos, certis punctorum linearumque ductibus æmulati, in breuiorem methodum concinnarunt, quâ & in hunc vsque diem vtuntur. Quorum quidem tantus est numerus, vt hodie è summorum literatorum numero non habeatur, qui ad summum octuaginta characterum millium notitiam non possederit; atque adeo, quantò quis plurium literarum cognitionem habuerit, tantò cœteris doctior habeatur. E quibus tamen decem millia ad idioma perdiscendum, vt tolerabiliter conuersari possit, sufficiunt. Porrò literas Sinæ nullâ ratione in Alphabeti morem, vti cœteris Nationibus consuetum est, dispositas, neque voces ex literis & syllabis compositas habent; sed singuli characteres singulis vocibus & nominibus respondent; adeoque tot characteribus opus habent, quot res sunt, quas per conceptũ mentis exponere volunt; vt si totum Calepinum in eorum idioma quis vertere attentaret, cum tot diuersos & differentes characteres habere oporteret, quot voces ibi differentes sunt. Neque aut declinationibus, aut coniugationibus vtuntur; cùm hæc omnia, vti paulò post videbitur, in ipsis characteribus implicentur; atque adeo magna memoria præditum esse oportet, cui vel ad aliquam saltem mediocrem eruditionem Sinis propriam pertingere sit animus; vt proinde non immeritò illi, qui per summos labores, & totum vitæ tempus in characteribus addiscendis impendentes ad summam eruditionem peruenerunt, primos in Regni administratione gradus titulosque sortiantur.

Sinensium characteres hieroglyphicis similes.

Sinensium characterum multitudo ingens.

Sinensium characteres singuli singulis vocibus respondent.

Vete-

Veterum Sinicorum Characterum Anatomia.

Sinicorum characterum veterũ exempla.

Sinenses Antiqui ex omni bus rebus characteres efformabant.

DIximus in præcedentibus, Sinas primæuos characteros suos ex omnibus rebus, quæ visui obijciuntur, assumpsisse, atque ex vario tantùm harum rerum congestarum ordine & dispositione mentis suæ conceptus manifestasse. Hinc igneæ naturæ argumentum tractaturi, serpentibus, aspidibus, & draconibus vtebantur, qui tali aut tali ordine & dispositione digesti, tale & tale quid significabant. In aëreis rebus describendis, volucrum varia dispositione; in aqueo argumento, piscibus; in vegetabili natura describenda floribus, folijs, ramis; in sideribus, punctis seu circulis, quorum singuli singulas stellas exprimebant, vtebantur; in reliquis indifferentibus argumentis ligna, globos, fila certa lege disposita adhibebant. Verùm vt hæc luculentiùs pateant, hìc primæuos veterum Sinarum Characteres apponendos duxi, vt differentiam illorum à modernis, & hieroglyphicis Ægyptiorum luculentiùs videat curiosus Lector. Moderni enim non ampliùs figuratis eiusmodi characteribus vsi videntur, sed certis quibusdam ductibus linearum, qui tamen ductus figuratarum literarum Antiquis vsitatarum propè referrent, vti in sequentibus figuris apparet, in quibus litera A eosdem ductus imitatur, quos figurata litera B veterum. Idem apparebit in litera C modernorum, comparata ad literam veterum D, vti & E ad F, & G ad H, & I ad K, quarum vtraque flumen significat ex certa dispositione piscium, quam moderni per literam I ex similibus literarum ductibus efformatam imitantur.



Huiusmodi itaque characteres figuratos, quâ dispositione diuersorum animalium figuratas primæui ad conceptus suos manifestandos ordinabant, eâdem posteri non quidem animalium, sed certis linearum punctorumque tractibus, exhibebant, vti dictum est, qui mos in hunc vsque diem permansit, vt videre est in figuris paulò antè propositis A B C D E F G H I K, vbi loco ramorum, foliorum, piscium certo ordine dispositorum, moderni certis tractibus vtuntur, similibus tamen & quodammodo parallelis. Sed ad institutum nostrum reuertamur.

Diffe-

Differentia inter Sinenses & Hieroglyphicos Aegyptiorum characteres.

DIximus in præcedentibus, verisimile esse, posteros Chami colonijs in vltimam vsque Sinarum regionem propagatis, vnà quoque & literas propagasse; non tamen tantò, quantò Aegyptiorum hieroglyphica, mysteriorum apparatu adornatas; sed quantum sufficiebat ad conceptus mentis exponendos, rudi Minerua comparatas. Certè inter Sinenses characteres Crux, quæ tanto apud Aegyptios in honore habetur, sæpissimè spectatur, vti figura O docet, quæ non secus ac apud Ægyptios denarium numerum significat, perfectionis symbolum. Huic si subijciant aliam lineam, vt in N comparet, efficitur character qui terram significat. Si aliam lineam superius inferiori parallelam, vt in M comparet, adijciant, efficitur character qui Regem significat. Si lineolam, vt in L apparet, adijciant huic figuræ, character efficitur qui gemmam significat. Qui tres vltimi characteres vti in suo genere perfectionem quandam indicant, ita non incongruè per crucem constituuntur.

Crux ansata, & statua Serapidis inter Sinensium characteres.

10 decem	xe	O	十
Terra	hi	N	土
Rex	uàm	M	王
Petra gemma	yú	L	玉

Et tametsi non secus ac Aegyptij ex varijs animalium, vegetabilium, instrumentorumque congerie, sensa mentis suæ exposuerint; magna tamen inter vtramq; scribendi rationem differentia extitit. Ægyptij enim hieroglyphica nequaquam in communi conuersatione adhibebant, neq; licitum erat vnicuiq; eadem addiscere; sed qui ex lege & instituto politico ad id deputabantur; neque enim temerè, aut ἀλόγως animalium figuris vtebantur, sed per occultas eorum virtutes & operationes, summa in natura rerum, vti ex toto Opere patet, mysteria significabant. Præterea literæ hieroglyphicæ non simplices voces, aut nomina, sed integros conceptus ideales inuoluebant; ita Scarabæum intuentes, non animal, aut Solem præcisè, sed occultas operationes, quas non tantùm Sol materialis in hoc sensibili Mundo, sed & archetypus in intelligibili Mundo efficit, intelligebant. Quæ omnia in Sinensium characterum structura deficiunt; cùm hi præcisè solùm ad vocum, nominumque simplices conceptus indicandos, nullo alio sub ijs latente mysterio, instituti sint. Non nego tamen, Sinas subinde diuersorum characterum significata ita adaptare, vt inde ingeniosæ allusionis significatio emergat, quæ tamen ad subtilitatem, hieroglyphicorumque argutas allusiones minimè accedunt, vti ex sequentibus literarum compositionibus patet; vbi character C, idem significat, quod afflictum esse, & componitur ex duobus characteribus B & A, quorum ille cor, hic portam significat; quasi di-

Differentia inter characteres Sinensium, & hieroglyphica Ægyptiorum.

Characterũ Sinensium exẽpla varia, eorumque explicatio.

Porta 門 A

Cor sīn 心 B

Afflictus muén 悶 C

Homo gîn 人 D

Rex uam 王 E

Perfectus ciuên 全 F

Amore alicuius captus. Mulier, filum, verbum. liuén 孌 G (a, b, c)

Sol gĕ 日 K

Luna yuĕ 月 I

Claritas mîn 明 H

dicerent, portam cordis clausam esse; homo enim, dum in afflictione constitus est, omnes spiritus intra cordis portam concentrari sentit, vnde timor, metus, afflictio. Iterum dum hominem perfectum indicare volunt, characterem F formant; qui ex characteribus D & E, quorum hic hominem, ille Regem significat, componitur, quo indicare volunt, Regem inter homines solum perfectum esse. Rursus, character G hominem indicat amore alicuius captum, & ex characteribus tribus componitur, quorum vnus *a* mulierem, alter *b* filum, tertius *c* verbum indicat; indicaturque hoc ipso; quòd sicuti filo seu chorda res attrahimus materialiter, & verbo moraliter homo hominem, sic mulier virum. Hoc pacto character H idem significat quod claritatem; componiturque ex characteribus I & K, quorum ille Lunam, hic Solem indicat, quasi omnis ab hisce luminaribus Mundi claritas scaturiat. Innumeros alios huiusmodi characteres habent Sinæ, ex diuersorum characterum coagmentatione compositos, quibus non sine ingenio ad arcanas rerum significationes alludunt; quos consultò omittimus.

His itaque expositis, ne quicquam circa hoc argumentum scitu dignum omisisse videamur, paulò fusius de Sinicæ linguæ ratione discurrere hoc loco visum fuit; præsertim cùm non tam meâ voluntate, quàm aliorum

rum complurium instantibus precibus ad id præstandum sollicitatus adigar.

Sinica lingua difficillima.

Cum itaque lingua Sinica mirum in modum æquiuoca sit, vnumque verbum sæpe decem, sæpe viginti res differentes, sola accentus diuersa prolatione enunciata, significet, illa suprà quàm dici potest, difficilis redditur, & non nisi summo labore, intenso studio, & cum mille reflexionibus addisci potest ab exteris. Mandarina toti Regno communis est, eiusque principalis vsus est in Curijs & aula Regis, quæ sunt Paquini, & Nanchini, estque in toto Regno eadem, quæ in Hispania Castellana, & in Italia Toscana. Characteres toti Regno Sinarum, vti & Iaponiæ, Coreæ, Conchinchinæ, Tonchini communes sunt; idioma diuersissimum est: hinc Iapones, Conchinchinæ, Coreæ, & Tonchini gentes, libros & literas hoc characterum genere scriptas intelligunt quidem, sibi tamen mutuò loqui, ac se inuicem intelligere loquentes non possunt; non secus ac figuræ numerorum toti passim Europæ vsitatæ ab omnibus intelliguntur, tametsi voces, quibus pronunciantur, diuersissimæ sint; characteres enim signa sunt conceptuum rerum omnibus communium. Hinc aliud est, nosse characteres Sinicos, aliud Sinicâ linguâ loqui; posset enim externus quidam bonâ memoriâ præditus, & studio coniuncto, ad summam eruditionem ex librorum Sinicorum lectione peruenire, tametsi neque loqui, neque linguam intelligere posset. Quia tamen idioma in Dei causa negotiantibus Apostolicis Viris omninò necessarium est; hinc iuxta Musicas notas, *vt, re, mi, fa, sol, la,* ascensus descensusque Sinicorum accentuum in pronunciatione obseruatorum, quibus in linguæ difficultate superanda iuuarentur, notas inuenerunt; quas supra Europæo modo scriptas dictiones Sinicas, sequenti modo exprimunt ˉ ˆ ˋ ˊ ˇ. Prima nota, quinque Sinicorum accentuum, ˉ respondet Musico *vt*, & sonus seu enunciatio Sinicè vocatur chō pʻîm, quasi dicas, prima vox prodiens æqualis. Secunda nota ˆ respondet Musico *re*, & sonus Sinicè vocatur pʻîm xîm, quasi dicas, clara vox æqualis. Tertia nota ˋ respondet Musico *mi*, & sonus Sinicè dicitur xàm xìm, id est, alta vox. Quarta nota ˊ respondet Musico *fa*, Sinicè dicitur Kiú xìm, id est, abeuntis alta vox. Quinta nota ˇ respondet Musico *sol*, Sinicè dicitur gĕ xìm, id est, ingredientis propera vox. Sic verbi gratia vnica dictio, ya, scripta Europæis literis, notis quinque superioribus affecta, enunciari debet diuersis vocibus & accentibus, quemadmodum conscribitur ab Sinis diuersis characteribus. Vt significationes diuersas eadem pronunciata dictio ingerat auribus audientium, oratio verò paulatim prolata Musices referat ad tactus tempora. Ex monosyllabis dictionibus (nulla enim apud Sinas polysyllaba) ordinatam harmoniam. Figuras quinque vocalium seu accentuum suprà positorum expressimus hic vt vides.

Mandarinorum Sinensium lingua.

Character Sinensium idem cum Iaponiorũ, & aliarum Nationum adiacentium.

Sinensium character idem significat diuersa pro varia accentus mutatione.

Accentus reperti ab Europæis ad Sinicos characteres pronunciandos.

Deus	yā	牙
Mutus	yâ	啞
Excellens	yà	雅
Stupor	yá	訝
Anser	yă	鴨

Dictarum notarum ope exteri linguam addiscunt, quanto tamen cum labore, quantisque reflexionibus, faciliùs est cogitare, quàm calamo depingere. Sinæ

verò huiusmodi accentuum virgulis non vtantur, sed ad huiusmodi pronunciationes, vti ferè omnes nationes, à pueritia assuescunt, quanquam illorum literati quamlibet literam accentu sibi debito pronunciandam non solùm in actu exercito, verùm & in actu signato sciant & doceant. Mirantur autem Europæos pronunciata verba eorum, literis Latinis scribere posse, & tam genuinè repræsentare; & cùm, vti diximus, & suo & nostrate Alphabeto careant, quilibet ipsorum character prima litera esse potest, & media, & vltima, cùm vnaquæque vocem, & dictionem integram significet; quæ quidem voces magnam habent significationum varietatem; v. g. hæc vox y,' minimùm triginta differentes significationes pro diuersitate literarum & pronunciationis habet. Iterum prima litera v. g. Chùn in lingua Mandarina aliter, aliter in Iaponia, aliter in Regnis differentibus pronunciatur, tametsi idem semper significet. Sic qui videt hanc literam 尊, format conceptum çún, quod idem est, ac reuereri; & sic de alijs; & hinc est quod dixi, qui vnam ipsorum linguam vnà cum literis nouit, non solùm in totum Regnum Sinarum, verùm in multa alia scripto peragrare poterit. Sed his propositis iam tempus est, vt veterum Sinarum characteres examinemus.

Characterum antiquissimorũ Chinensiũ explicatio.

Characterum antiquissimorum Chinensium explicatio.

Sinenses antiqui Ægyptiorum more varijs rerum naturalium figuris vtebantur ad scribendum.

Sinensium Imperator primus characteres ex serpentium figuris inuenit.

PRimæui Sinæ, vti dixi, Ægyptios, à quibus descendebant, secuti, scripturam suam non literarum compositione, sed figuris, ex varijs rebus naturalibus compactis, peragebant, quibus quot conceptus rerum, tot signa diuersa respondebant. Primus Sinarum Imperator Fohì certum quoddam characterum genus inuenit, ex serpentibus & draconibus confectum, quo vsum ferunt Annales Sinici; vnde & liber, quem de rebus Mathematicis & Astrologicis conscripsit, draconum liber dicitur: Characterum formam hic apponimus, signanturq; literis A B C D E, qui quidem characteribus modernis Sinarum, numero 3 signatis, sic explicantur: Fòhì xilùm xù, hoc est, Fohì draconum liber. Vides hic serpentes mirè intricatos, & in formas varias, pro diuersitate rerum, quas illis significabant, transformatos; tametsi vix sint inter Sinas, qui eorum notitiam habeant, vtpote nimiâ vetustate deperditorum.



Characteres Sinenses ex agriculturæ rebus desumpti.

Secunda priscarum literarum forma ex agriculturæ rebus desumitur concinnaturque, quo priscus Sinarum Rex nomine xìm Nûm, in describendis rebus ad agriculturam pertinentibus vsus est; & nomina Sinica numero 4 signata satis indicant, vt sequitur: Chum xu xìm Nûm çò, id est, agriculturæ literas xìm Nûm Rex fecit; id est, similibus scripturis vsus est; characterum forma si-

ſignatur literis F G H I K, & hoc ordine legi debent, vti ſequitur 1 colum.

Figuræ quæ continent 2. 3. & 4 formas characte-rum.

Tertia literarum forma, ex alis Auis, quæ Fum hoam dicitur, omnium quam oculus ſpectare poteſt, pulcherrimæ, vario pennarum alarumque ſitu conſtructa eſt; atque hiſce notis vſus eſſe Xau-hoam Imperator priſcus, librumque de volucribus hiſce literis concinnatum ſcripſiſſe dicitur. Ita characteres Sinici numero quinto ſignati exprimunt; Fum xù Xau hoam çò, id eſt librum, Fum hoam, Xau hoam fecit, & hiſce ac ſimilibus characteribus conſcripſit; characteres priſci ſignantur literis L M N O P, & hoc ordine legi debent; moderni verò characteres Sinici eos explicant eo modo quo dictum eſt. Vide binas columnas, vlt. & penult.

Quarta priſcorum characterum forma exhibetur ſignis Q R S T V, ex oſtreis & vermiculis conſtructa; ita Sinici characteres ſignati numero 6, totidem literis eos explicant: Liteù Chuen kim çò, hoc eſt, notæ oſtrearum & vermiculorum, quos Chuen kim Rex fecit, & librum hiſce & ſimilibus exarauit. Vide columnas binas ſuprà exhibitas.

Quinta characterum vetuſtorum forma exhibetur in ſequenti pagina literis X Y Z A B, ex herbarum radicibus compoſita; & hiſce priſci vtebantur, in literis & libris conſcribendis; atque hoc pacto eos explicant Sinica nomina ſignata numero 7. Kim yun hoam ty chuen, id eſt, literæ quibus ſcribebant literas & libros.

Sexta characterum forma, ſignata literis C D E F G, componitur ex decurtatis auium veſtigijs, quibus vſus eſt olim Rex Choam ham; ita Sinici characteres ſignati numero 8 explicant: Choam ham miao cye chi; id eſt, Choam ham ex auium decurtatis veſtigijs deſcripſit libros. Figura ſequitur.

Septima characterum forma, ex teſtudinibus conſtructa ſignatur literis H I K L M; quos inuenit Yao Rex. Sic explicant nomina Sinica ſignata numero 9: Yao yn quey çò, id eſt, Yao Rex per teſtudines fecit literas. Figura quoque ſequitur.

Octaua forma characterum signatur literis N O P Q R ex auibus & pauonibus; ita indicant Sinicæ notæ numero 10 signatæ; Su gney niao cyò chuen; id est, Su historiæ per auium & pauonum literas describebantur.

Nona characterum forma signatur literis S T V X Y, & ex herbis, alis, & fascijs constructa videtur; ita Sinicæ notæ numero 11 significant: cha yè fi mien çò, id est, herbarum, alarum, fasciarum literæ.

Decima characterum forma signata literis Z A B C D, sic à Sinicis literis 12 numero signatis exponitur: çò xi ho ki uen, id est, has literas çò Author tabularum quarundam recordandi gratia componebat. Vide sequentem figuram.

Vndecima characterum forma signata literis E F G H I, exhibet notas stellarum & plantarum; ita explicant Sinici characteres numero 13.

çu

çu guey sym so chuen, id est, de çu guey, literæ plantarum & stellarum.



Duodecima characterum forma literis K L M N O signata, vocantur literæ edictorum, olim vsitatæ; ita docent Sinica nomina numero 14. Fu chuen tay uen chi, id est, literæ edictorum, priuilegiorum, & magnarum compositionum.

Decima tertia characterum forma signata literis P Q R S T exprimit literis numeri 15. Yeù çau chi cyen tao.

Decima quarta forma signata literis V X Y Z A B C D, sunt literæ quietis, lætitiæ, scientiæ, discursus, obscuritatis, claritatis; ita exponit numerus 16. Ngan lo chi su yeu min sym quey.

Decima quinta literarum forma signata E F G H I ex piscibus composi-

posi-

posita fuit; ita numerus 17 explicat, Ngun kiam mien lien cyeu, id est, obscuri fluminis, & piscium squamatorum coaceruationis literæ.

Decima sexta literarum forma signata literis K L M N O, vti legi non potuit, ita nec compositio, & structura literarum innotescere valuit.

Decimæ septimæ & vltimæ formæ characteres, signatæ literis A B C D E F G H I K, dicuntur literæ sigillorum, quibus in sigillandis literis, aut in inscriptionibus magnificis vtuntur. Litera A xàm, sursum dicitur, B fàm, id est, regula; C tà, magnus; D chuen antiqua litera; E chien. diarium; F mao, modus; G xè, ornatus; H li, cognomen; I su, ille; K fàm, id est, regula.



Manus ad scribendum applicatio, Sinis vsitata.



Atque hæ ſunt formæ literarum veteribus Sinis vſitatarum; quas hic fuſiùs exponendas duxi, vt correſponſus cum hieroglyphicis luculentiùs pateret. Quòd verò manum adpictam cum penicillo intueris, ſcias Sinenſes non vti noſtratibus calamis, neque atramento, verùm in lapide marmoreo tantillum de nigro colore atterunt ad imbuendum penicillum, quem eâ ratione, cùm ſcribunt, aut potiùs cùm pingunt, digitis tenent, vti in præcedenti figura apparet. Plura de huius linguæ proprietate, vti & varia lectionis peragendæ ſpecimina vide in Opere de monumenti Sinici vetuſtiſſimi interpretatione; nolui enim hîc plura addere, nè Lectorem curioſum ad alia properantem diutiùs detinerem, & quia dicta huc vſque abundè declarant Sinenſium characterum ab Hieroglyphicis differentiam, conuenientiamque.

CAPVT III.

De literis Brachmanum, ſiue Gymnoſophiſtarum.

INter antiquiſſimos Hieromantas ſapientiæ laude cumprimis illuſtres fuêre Gymnoſophiſtæ, quas poſteri Brachmanes dixerunt. Et quod apud Chaldæos Magi, apud Hebræos Cabaliſtæ, apud Græcos Philoſophi, apud Ægyptios Sacerdotes & Prophetæ, hoc apud Indos fuerunt Gymnoſophiſtæ. Hi enim, vt eſt apud Philoſtratum & Xenophontem, relicto fallaci inſipientium hominum conſortio, omnium deliciarum, opum, commoditatum poſthabitis voluptatibus, ſoli Sapientiæ ſtudio incumbentes, vitam in deſerto Orientalis Indiæ agebant; erant ijs in cibum herbarum radices, fructus, ſimiliaque quæ benigna mater Tellus ijs ſuppeditabat vitæ ſubſidia; aquâ ſaluberrimâ ſitim extinguebant; pro domo antrum, pro cubili terra graminibus folijſque inſtrata. Hiſce itaque vitæ inſtitutis ad magnam rerum notitiam peruenerunt; atque inſignia naturæ ſacramenta, nè ſibi ſolis vixiſſe viderentur, certo ſcripturæ gene-

Gymnoſophiſtæ ſeu Brachmanes.

Xenophons.

Eorum viuendi ratio.

Brachmanum ſeu Gymnoſophiſtarum character.

genere posteris consignarunt, ijs tamen obscuritatum velaminibus inuoluto, vt solis Sapientibus ad ea penetranda aditus daretur. Quoniam verò huiusmodi signa non exiguum vel ipsis Sapientibus negotium facessere possunt, Oedipi esse ratus sum, nonnulla ex ijs hoc loco exponere, vt quid per ea indigitauerint, & quomodo ab Ægyptiorum hieroglyphica literatura distinguantur, Lectori curioso patefiat. Has notas primò mihi communicauit D. Franciscus Stellutus, quas ex peruetusto Codice olim pro sua curiositate ingenij, atque erga reconditiores literas affectu Excellentissimus Cæsius Dux Aquæ Spartæ excerpi curauerat; quarum & magnam mihi copiam ex India Orientali ante sex circiter annos enodandas transmiserat P. Antonius Ceschius, religione eximius, atque omni virtutum & scientiarum genere instructissimus, è Societate nostra Sacerdos, qui eas ex monte quodam Indiæ, quem Montem Pagodum dicunt, in territorio Chaulensi situm, extraxerat. Est autem dictus Mons totâ Indiâ celeberrimus, & confluxu hominum illuc peregrinationis causa confluentium frequentissimus, ita ex omni parte plenus, vt non nisi ex vno latere ad interiora aditus pateat; totus quantus huiusmodi characteribus inscriptus, qui apud omnes in magna veneratione & cultu sunt. Has itaque, pro suo erga boni communis promotionem affectu, memoratus Pater Ceschius exscriptas ad me transmisit, vt meam in ijs exponendis industriam experiretur.

Mons Pagodū in India.

Quæritur igitur, an huiusmodi characteres verè hieroglyphici sint? Respondeo, dupliciter hieroglyphica considerari posse; vel vti signa sacra tantùm rerum arcanarum; vel vti sunt magnorum mysteriorum signa, ex animalium, plantarum, instrumentorum, similiumque occulta structura composita; & hæc propriè hieroglyphica dici possunt; huiusmodi enim characteres non tantùm rerum mysteriosarum sunt indices, sed & ipsi in mystica sua structura, earum, quas indicant, rerum proprietates continent; & tales fuerunt characteres hieroglyphici Ægyptijs proprij. Brachmanum vero characteres tametsi res arcanas indicent, non tamen propriè hieroglyphici dici possunt; cùm tantùm nudæ & simplices dictarum rerum notæ sint, arbitraria dictorum Sapientum institutione dictis rebus impositæ, vt paulò post videbitur, sicut characteres, quos magica sigilla vocant. Sed vt hæc apertiùs deducantur, paulò altiùs ordiri visum est.

Brachmanū seu Gymnosophistarum characteres vtrum sint hieroglyphici

Sapientes illi siue traditione ab Ægyptijs acceptâ, siue propria inuentione & studio acquisita scientia, triplicem Mundum ponebant, Intelligibilem, Cœlestem, Elementarem. Quos quidem tres Mundos ita sibi inuicem subordinatos credebant, vt inferior Mundus influatur à Cœlesti, & hic ab Intelligibili; adeoque nihil in Sublunaris Mundi sinu delitesceret, quod non suum in Sidereo Mundo astrum haberet, à quo influeretur, neque astrum, cui in Intellectuali Mundo non responderet Intelligentia, & astri Cœlestis, & Elementaris dominatrix. Quæ sententia, vt in præcedentibus diximus, prorsùs Ægyptiaca est. Hinc duodecim signis Zodiaci, septem Planetis, & Elementaris Mundi rebus, certas quasdam literas

Mundum triplicem probant Sapientes.

Characteres rebus Cœlestibus appropriati à Sapientibus Brachmanis.

ras

ras affignarunt; quibus cui figno, aut planetæ quæuis res fubiecta foret, dignofci poffet; præterea fingulis tam fignorum duodecim, quàm feptem planetarum proprietates, effectus, & operationes, vt paulò poft videbitur, literis indicarunt. Hoc pacto res ad Medicinam, Agriculturam, Oeconomiam, Politiceen, Ethicam, & Scientias pertinentes, totidem literis expreffferunt; v. g. quos Saturnus, quos Iuppiter, quos Mars, quos Sol, Venus, Mercurius, Luna, in fingulis duodecim fignis Zodiaci effectus operarentur, determinauerunt; neque aftris tantùm multùm tribuerunt, fed & ipfis Cœlis nullo ad aftra habito refpectu. Sed iam fingularum memoratarum rerum characteres fubiungamus.

Et primò quidem characteres Mundi triplices hi  erant, quorum prior Mundum Intelligibilem, alter Sidereum, tertius Elementarem exprimit. Vniuerfum verò fic exprimebant . Verùm characteres principalium Mundi partium hîc apponamus, nè quicquam curioſarum rerum omififfe videamur. Characteres triplicis Mundi iuxta Brachmanas.

Mundus Intelligibilis
Mundus Sidereus
Elementaris
Vniuerfum
DEVS
Angeli
Dæmones
Cœlum
Stellæ
Ignis
Aër



Aqua
Terra
Animantes
Homines
Senfitiua natura
Vegetatiua
Exhalationes
Vapores
Lapides
Metalla
Materia

Quas verò hi characteres myfticas rationes contineant, penetrare non licuit; vnde verifimiliùs eft, inter Magicos characteres connumerari, pactum implicitum vel explicitum inuoluentes; cuius rei caufa patet ex Arabum Magia, qui huiufmodi characteribus & libros, & amuleta referciunt, vti in Cabala Saracenica oftendimus, eofque vocant حروف الهند *haruf elhend*, id eft, literas Indicas.

1. Notæ fequentes funt fecundùm effectus Saturni in duodecim fignis difpofiti, & indicant omnia ea, quæ ei quouis modo fubiecta funt. Aliud enim Saturnus in Ariete, aliud in Tauro, Geminis, & Cancro, aliud in alijs fignis operatur. In Ariete itaque notæ ei competentes indicant, in animæ bonis, profunditatem ingenij, mutationibus tamen expofiti; in Tauro falfas apparentias, & vifus deceptionem; in Geminis indicant characteres, itinera equo vel curru inftituenda; in Cancro, dexterita- Characteres Saturni effectus fignificantes.

tem, calliditatemque & velocitatem in negotijs; in Leone, prosperam negotiorum expeditionem; in Virgine infirmitates, tædia, dolores; in Libra, nuptias, amores, conuersationes exercendas; in Scorpione, cibi & potus moderamen; in Capricorno seriam rerum curam; in Aquario, felicem à peregrinatione reditum; in Piscibus, carceres & captiuitatem significat, vt in sequenti tabula patet.



- Figuræ variatio
- Mutatio eiusdem
- Deceptio visus
- Apparitio falsa
- Equus
- Velox iter
- Currus
- Localis motus
- Velocitas
- Nuncius
- Epistola
- Infirmitas longa
- Dolor seu tædium



- Perennis amor
- Stabilis libido
- Mensa vacua
- Cibus
- Potus
- Extinctio
- Occupatio
- Carcer
- Reuocatio
- Reditus
- Detentio
- Clausura

Characteres Iouis effectus significantes.

2. Notæ sequentes explicant effectus ad Iouis influxum pertinentes, per duodecim signa Zodiaci dispositi. In Ariete Iuppiter concedit regimen, iustitiam, consilia, prudentiam; in Tauro, vel Leone regnum eiusque amissionem; in Geminis, vel Virgine, varias negotiorum agitationes; in Capricorno, vel Libra occultorum apertionem; in Aquario, vel Scorpione vitam & sanitatem; in Sagittario, vel Piscibus doctrinam, vel sapientiam, vt sequitur.



- Gubernatio
- Regimen
- Iustitia
- Æquitas



- Rectitudo
- Lex
- Præceptum
- Statutum
- Sanctio

Characteres Martis effectus significantes,

3. Notæ sequentes explicant effectus ad influxum Martis spectantes iuxta duodecim signa dispositi. In Ariete, bellum, tumultus, seditiones; in Tauro, Geminis, Cancro, Leone, & Virgine, cædes violentas, cru-

crudelitatem, exterminium; in Libra vsque ad Arietem, ira, terribilia, varia.



Bellum

Seditio

Cædes

Tumultus

Rapina

Incendium

Excidium

Casus atrox

Ærumnæ

Vastatio

4. Notæ ad influxum Solis pertinentes, & iuxta duodecim signa dispositæ indicant in omnibus signis potentiam, regimen, maiestatem, & quæcunque regno conseruando necessaria sunt, vt ex sequentibus patet. Characteres effectus Solis significantes.



Politica

Regimen

Maiestas

Imperium

Liberalitas

Clementia

Fauor

Iustitia

Rectitudo

5. Notæ ad influxum Veneris pertinentes, amicitias, amores, voluptates, & similia, beneuolentiam, gratiam, formam respicientia bona indicant. Characteres effectus Veneris significantes.



Amor

Amicitia

Beneuolentia

Gratia



Pulchritudo

Affabilitas

Prodigalitas

Generatio

Filij

Bonum commune

6. Notæ quæ ad influxum Mercurij spectant, respiciunt omnia ea, quæ ad acquirendas scientias, artesque pertinent, vt sequitur. Charecteres effectus Mercurij significantes.

			Dolosa mens
	Ars		Versatile ingenium
	Natura		Scientia abdita
	Inuestigatio		Consilium
	Argutia		Ratio

Characteres effectus Lunæ significantes.

7. Notæ ad influxum Lunæ pertinentes, ea propriè, quæ circa humidam naturam versantur, respiciunt, vt sequitur.

	Humiditas		Instabilitas
	Fœcunditas		Temperies mala
	Vegetabilium vbertas		Ainmalium fœtura
	Arborum bitumen		Frigus
	Intemperies		

Characteres Brachmanum ad cœlos & sidera spectantes.

Sequuntur modò alij characteres, quos ipsismet Cœlis & orbibus, non sideribus attribuebant. Primò septem Cœlos influxibus refertos, in quibus Cabalici effectus & proprietates ipsorum recondebantur, varijs literarum combinationibus comparatos exhibebant. In primo Cœlo Lunæ, quod *Samayn* vocabant, septem generales influxus suis notis expressi continebantur; quorum prima influentia dicebatur à Gymnosophistis *Lorpeny*, & res ad medicam rem pertinentes exhibebat. Secunda *Tygara*, & res odibiles continebat. Tertia *Dana* nominata, res ad scientias pertinentes. Quarta *Kalamia* dicta, res, quæ ad amores pertinent, indicabat. Quinta *Astimor* circa loquelam versabatur. Sexta *Bartaz* de itineribus tractabat. Septima *Broel* interpretationis negotia assignabat.

Lunæ cœli effectus secundùm Brachmanes.

Mercurij cœli effectus.

Influentiæ cœli Mercurij.

Secundum Cœlum Mercurij, quod *Raquia* vocant, duodecim generales influxus continet, quorum vnusquisque suas sibi notas assignatas habet, vti ipsi putant, magnarum virtutum. Prima influentia à Gymnosophistis vocatur *Armad*, & pacis significationes habet. Secunda *Ibory*, & proportiones notat. Tertia *Lycy*, res ad separationes pertinentes tractat. Quarta *Isary*, ad miserum statum pertinentia exhibet. Quinta ad labores, & *Quym* dicitur; Sexta *Abythaur*, ad securitatem. Septima *Bathaya*, ad fugam. Octaua *Abracy*, ad custodiam. Nona *Iguedy*, ad defensionem. Decima *Laobry*, ad vindictam. Vndecima *Rabdy*, ad restitutionem. Duodecima *Artinomy*, res ad sanationem pertinentes continet.

Tertium Cœlum dicitur *Sumquyn*, & Veneris sphœra est; tres generales influentias cum notis suis continet. Prima *Itasuny* dicta, refrigerationis negotium exhibet. Secunda *Lyathy*, motum notat. Tertia *Idalquy*, ad visum pertinentia sibi vendicat. Veneris cæli effectus & influentiæ.

Quartum Cœlum Solis *Laon* dictum, duas influentias obtinet. Prima *Abraslas* res de diuinatione. Secunda *Paratpyel* res de consilijs agitandis exhibet. Solis cœli effectus & influentiæ.

Quintum Cœlum Martis *Mahum* dictum, notas habet duodecim, quibus influxus in duodecim menses indicantur. Martis cœli effectus.

Sexti & Septimi Cœli influxus in exemplari defuerunt; in alio tamen exemplari Sextum siue Iouis Cœlum *Telut* dictum, has sibi figuras obtinet: Cœlum Septimum Saturni *Araboh* dictum aliàs figuras continet. Habet præterea complures alios characteres, quibus duodecim signorum Zodiaci, duodecim mensium, hebdomadum, horarum tùm diurnarum, tùm nocturnarum influxus indicantur. Verùm cùm illa peculiarem tractatum requirant, & non adeo ad nostrum institutum conferant, & tempori, & sumptibus parcentes, consultò omisimus. Atque ex hac Gymnosophistarum schola, Arabes plerasque suas notas magicas, quas & Indicas nominant, & nullis non periaptis inscriptas, excerpserunt; de quibus fusiùs tractatum vide in Cabala Saracenica, vbi etiam, vnde extracti sint, & vnde primitiuam suam originem habuerint, indicatum reperies. Huiusmodi characteribus totus mons in India, quem Pagoda Canarim vocant Lusitani, eò quòd ab Orientalibus populis Dijs esset dicatus, exaratus cernitur, vti à teste oculato P. Ioanne Maracci, qui dum hæc scribo, Romæ Indiæ procuratorem agit, oretenus intellexi; tametsi dictæ notæ à nullo hucusque indigenarum intelligi potuerint; nec mirum; sunt enim ex earum numero literarum, quæ loco literæ, integram certæ alicuius rei significationem exhibent, vti ex interpretatione præcedentium patuit. Montis saxeam planitiem huiusmodi characteribus Veteres Indiæ Sapientes insigniebant, ea de causa, quòd putarent, hasce notas insignem virtutem & potestatem obtinere ad montem in Deorum, quibus dicabatur, tutela & inuiolabili costodia, conseruandum. Huiusmodi characteres sunt qui circa Crucem S. Thomæ Apostoli sanguine effigiatam incisi spectantur Meliaporæ in Narsinga; quarum interpretationem vide in Prodromo Copto folio 108, adductam. Atque hæc sunt quæ de Gymnosophistarum seu Veterum Brachmanum notis, dicenda existimaui.

Iouis & Saturni cælorū characteres.

Mons Pagodum plenus characteribus Gymnosophistarum.

CAPVT IV.

De Literatura Mexicanorum, & an propriè hieroglyphica dici possit.

Mexicana lingua, & littera

NOuæ Hispaniæ indigenæ infinita penè idiomatum varietate inter se discrepant; quæ non tantùm dialectis variant, sed planè inter se diffident. Inter eas verò excellit Mexicana, quæ & vicinis Nationibus, & longinquis, postquam Mexicani Imperij sui fines longè latèque propagarunt, tam communis esse cœpit, quàm in Europa Latina, & in Oriente Arabica, ita vt in singulis ferè Prouincijs Interpretes illius habeantur, quos *Naquatlatos* vocant. Porrò licet Mexicani characteribus literisque, vtpote scriptoriæ artis ignari, destituantur; quibusdam tamen picturis mentem suam exprimere conati sunt. Hisçe enim primò Chronologiam Regum, rerumque ab ijs gestarum memoriam; deinde reddi-tus & tributa regni, vrbiumque; demum liberorum instituendorum leges posteris consignarunt, vti paulò post videbitur. Cùm itaque dicti characteres ex varijs animantium, herbarum, instrumentorum, similiumque figuris constructi sint; plerique hanc literaturam prorsùs hieroglyphicam esse sibi persuaserunt. Verùm hanc opinionem falsam esse, ex ijs, quæ paulò post adducemus, sat superque patebit. Siquidem certum est, nihil sub ijs latere arcanis rationibus inuolutum; sed figuræ ipsæ positæ, ipsas quasi actiones seu seriem rerum gestarum exprimunt, & non secus ac picturam quandam rei gestæ exhibent. Verùm vt & hoc loco ad oculum rem demonstremus, nonnullas figuras ex varijs Mexicanæ historiæ Scriptoribus extractas, explicandas duxi, vt instituti nostri ratio luculentiùs patefiat.

Mexicani picturis loco literarũ vtuntur.

Mexicani characteres seu figuræ non sunt hieroglyphica.

Numerorum notæ apud Mexicanos.

Numeri sic exhibebantur à Mexicanis. Vnus circulus O vnitatem; duo circuli OO binarium; tres circuli OOO, ternarium notabant, & sic deinceps quemlibet numerum tot circulis exprimebant, quot numerus in se vnitates continebat. Numerum 20 sic exprimebant ╓╖, huiusque notæ multiplicatione perueniunt ad 200 vsque, siquidem nota hæc bis posita 40; ter posita 60; quater posita 80; quinquies posita 100; decies posita 200 significat. Hæc quibus rebus apponebatur, tantum tributi istarum rerum soluendum significabant, vti sunt piperis, farinæ, fragorum, armorum, similiumque, quæ passim in libris eorum de tributi persolutione Regi facienda, habentur. Hæc figura 400 significabat; bis posita 800; ter posita 1200; quater posita 1600 indicabat, & sic de cœteris. Sequens verò figura operosissima sanè, 8000 significat. Numeros alios præterquam dictos inter tributaria eorum monumenta reperire non potui. Habebant tamen, vt suprà dixi, alios, quibus in annorum computu vtebantur, numeros, per circulos indicatos. Quod vt pateat; Nota, Mexicanos annum in octodecim Menses distribuere consueuisse, quorum vnusquisque viginti diebus constabat, quæ in

Annorum notæ apud Mexicanos.

Mexicani annum in 18 menses diuidebant.

se

se inuicem ducta totius anni curriculum constituebant 360 dierum; reliquos dies quinque superfluos intercalabant, neque quicquam operis illis diebus, Acosta teste, faciebant; sed otio & Genio tantummodò indulgebant. Eosdem dies in tredecim dierum classes, vt ita dicam, distinguebant, & præscripto exiguo circulo instar O, toties, quoties opus erat, multiplicato, ordinem & numerum mutabant. Annos quoque in similes classes atque secula distribuebant; constituebaturque ipsorum seculum quatuor eiusmodi classibus, id est, annis duobus supra 50; nec tamen in annorum descriptione pluribus, quàm quatuor figuris seu notis, scilicet casæ, cuniculi, cannæ seu arundinis, & cultri vtebantur, vt sequitur; & sic annorum tredecim classem ipsi pingebant.

Acosta.

Seculorum classes apud Mexicanos,



1 Cuniculus
2 Arundo
3 Culter
4 Casa
5 Cuniculus
6 Canna
7 Culter



8 Casa
9 Cuniculus
10 Arundo
11 Culter
12 Casa
13 Cuniculus

Vltimo autem die quarti seculi sui 52 annorum, omnia vasa sua confringebant, ignemque extinguebant. Nam cùm à maioribus suis accepissent, Mundum seculari anno interiturum, id quinquagesimo secundo quouis anno operiebantur. Itaque totam noctem peruigilabant, metuentes nè vnquam ampliùs elucesceret; Sole verò oriente, buccinis tibijsque lætitiam suam testabantur, & festum celebrabant, Dijs suis gratias agentes, quod nouum adhuc sæculum Mundo prorogassent; noua sibi vasa & supellectilia alia comparabant, nouumque ignem à Sacerdote petebant; quæ omnia confirmat Samuel Purchas, in Opere de Mundi descriptione & peregrinationibus Anglicè descriptis, tom. 3. l. 5. c. 7. fol. 106. his verbis: *In the order and rule of the partitions Wich are numb red for yeares, that partition Where there is a branch Wit à foottlicke à floWer, it doth signifie à bitter and vnfortunate yeare, Which the Mexicans had, and did feare, sayng that their predetessours time out of minde did giue them Warning that such yeares Which befell euery tWo and fiftich yeare Were dangerous, and vnfortunate, and bitter yeares, Becaüse that in such yeares Were floods generally, and likeWise darkenesse of de-*

Mexicani singulis sæculis suis Mundi interitum expectabant.

Samuel Purchas.

Ec lips

Eclips of te Sunne; and vniuersall eartquakes. and like Wise in such yeares they made, greet sacrifice and ceremonies to their Goods, and gaue them salues to repentance, and did abstaine from all vices against the very day and houre of such a yeare. In the Which day generally they put out all their lights and fires till that day Were past; and being passed they kindled neW lights bring hat out of a mountaine by a Priest. Hoc est: *In ordine & regula partitionum, quibus numerantur anni, illa partitio, in qua est ramus cum cauda floris, significat annum acerbum & infelicem, quem timent Mexicani, asserentes se à maioribus accepisse eiusmodi annos, qui semper post 52 annos reuertuntur, esse maximè periculosos, acerbos, & infortunatos, quia in huiusmodi temporibus sunt inundationes vniuersales, obscurationes quoque ob ecclipses Solis, & vniuersales terræmotus eueniunt: & istis annis magna sacrificia & cæremonias obtulerunt Dijs, pœnitentiam quoque egerunt abstinentes ab omnibus vitijs in ipsum diem & horam istius anni, quo die extinxerunt omnia lumina, & ignes, donec transijsset; quo transacto accenderunt iterum lumina.* Denique hoc 52 annorum seculum ita ad memoriam distinguebant. Circulo ducto ex centro pingebant Solem, & ab eo ad circumferentiam ducebant lineas quatuor, Orbem diuidentes in quatuor partes æquales, suis coloribus distinctas, viridi, cæruleo, rubro, & fusco, quæ singulæ ad oram circumferentiæ distinctæ erant in tredecim interualla, & suis notis, vt suprà patuit, distinctæ, ac singulos annos extra circulum rudi pictura adumbrabant, quo quicquid memorabile accidisset, notabant; atque ita rerum gestarum memoriam ad posteros transmittebant.

Mexicani quomodo seculum suum 52. ann. pingebant.

Mensium Nomina.

Mexicanorū Mensium nomina.

1	*Tlacaxipenalizitli*	10	*Vchpaniztli*
2	*Tozcaetli*	11	*Pachtli*
3	*Hueitozeuzli*	12	*Hueipachtli*
4	*Toxcali*	13	*Quecholli*
5	*Ezalioalitzli*	14	*Panquecaliztli*
6	*Tecuilbuicintli*	15	*Hatemuztli*
7	*Hucitecuilbuitli*	16	*Tititl*
8	*Miccatbuitcintli*	17	*Vzcalli*
9	*Vcimiccailb*	18	*Coauitleuas*

Mexicani anni initium.

Initium anni ipsis à nostro Martio, iuxta Acostam 26 Februarij. Menses autem non modò ista nomina, sed & suos characteres habebant, plerumque à festis sumptos, quæ in illos incidebant, aut ab anni tempestatibus.

Viginti quoque illi dies singuli sua nomina & notas habebant:

1	Gladiolus	*Cipratli*	4	Lacertus	*Acuetzapalin*
2	Ventus	*Hecatl*	5	Anguis	*Cohuathl*
3	Casa	*Calli*	6	Mons	*Mozquintli*

7 Cer-

7	Ceruus	*Mazatl*	14	Leo	*Occlotl*
8	Cuniculus	*Tuchtli*	15	Aquila	*Cohau*
9	Aqua	*Atl*	16	Bubo	*Cozcaquahuitli*
10	Canis	*Itzcuintli*	17	Templum	*Olin*
11	Simia	*Ozumatli*	18	Cultellus	*Texpathl*
12	Scopæ	*Malinalli*	19	Pluuia	*Quinuitl*
13	Canna	*Acatl*	20	Rosa	*Xuchitl*

Quæ omnia vera esse Gomara prodit his verbis: *Eosdem hos dies & annos in tredecim dierum Classes distinguebant, & præscripto exiguo circulo instar literæ O, & toties, quoties opus erat multiplicato, ordinem & numerum notabant; annos quoque in similes Classes atque secula distribuebant; constabatque illorum seculum quatuor huiusmodi Classibus, id est, 52; nec tamen in annorum descriptione pluribus quàm quatuor figuris seu notis vtebantur, Casæ, Cuniculi, Cannæ, & Cultelli.* Annorum tredecim Classem vide suprà pagina 29.

Samuel Purchas verò in tertia parte peregrinationis Anglicè his verbis hosce tredecim annos describit: *Concerningh the pictures of bleW in the margents of this historie it is to te vnderstood that euery seuerall space or partition, doth signifie one yeare ond they bee the numbring of yeares; it is to te onderstood that euery seuerall space or partition signifie the one seuerall yeare, ond so they accounted el numbred euery yeare seuerally, prouding to thirteene rondles. And from thenee they began againe at the beginning in their accompt from one point or rondle, and so accordingly they did proceede in numbering againe, till they came to thirteene; and althoug that in the partitions or spaces seuerally, there be diuers figures yet the principall accompt of numbering, is that of accompt of de pictures or rundles there in contained; and althoug the names of de yeares that theygiue to euery partition, from the number of the first point thill the thirteenth.* Id est, *Quantum ad picturas cæruleas ad marginem huius historiæ, aduertendum est, singula loca aut partitiones significant annum, & esse annorum numerum: ita vt loca seu partitiones sigillatim acceptæ significent totidem annos, & sic procedunt vsque ad tredecim circulos, & iterum incipiunt ab vno puncto seu circulo vsque ad tredecim, quamuis autem in singulis locis seu partitionibus sint diuersæ figuræ, præcipua tamen ratio numerandi sumitur à numero figurarum seu circulorum qui in illis continentur, quamuis nomina annorum, quæ attribuunt singulis partitionibus, ab vno vsque ad 13 sint.*

Limbus figuræ O Q R S T repræsentat numerum 51 annorum, quibus regnauit Thanuch; quorum symbola iam suprà exposuimus; figurarum verò intra limbum contentarum significationes eæ sunt, quæ sequuntur. A significat Regem Acacitli, B Quapan, C Ocelopan, D Aquexotl, E Tecincuh, F Tenuch, G Xominitl, H Xocoyol, I Xiuch caqui, K Atotl. Qui sunt decem primi gubernatores & fundatores Mexici. L Tenochtitlan, repræsentat arma, quibus vtebantur in acquisitione loci Tunal. N Aquilam significat, quæ ibidem nidulabatur; O habitationem siue mansinem eorum; P populum exhibet, loci Colhuacan; Q alterius Mexicanæ picturæ interpretatio.

terius loci dicti Tanayncan; Z Regem Tanuch, qui vi armorum acquirit dicta loca; *b* indicat subiectionem & subiugationem istorum populo-

Typus Scripturæ Mexicanæ, quā primordia fundationis Mexicanæ Ciuitatis indicantur.

rum; PTYX significat vallum ex coaceruatione variorū paludis reiectamentorum, quæ vi ventorum in hunc locum coaceruata formam crucis Andreanæ exprimebant. Ex quo patet, hanc non tam scripturam, quàm memorialia quædam signa ad historiam obiter indicandam, demonstrare.

Alterius Mexicanæ figuræ interpretatio.

Anno 1377 Tanucho successit II Rex Mexici Acampichtli; qui Mexicanam potentiam summè promouit, ob quatuor Ciuitatum subiugationem, in captiuitatem abductis earum Regibus; atque hanc historiam narrat sequens Schematismus, cuius hæc est interpretatio. B Regem II. Mexici Acampichtli dictum indicat; A,N,O, gnomon in 21 quadrata receptacula, vt suprà diuisus, indicat 21 annos, quibus hic Rex Regno præfuit; C indicat scutum & arma, quibus vsus est in expugnatione quatuor Ciuitatum, quæ signantur literis D G H I, cum figuris P Q R S, quæ sunt dictarum Ciuitatum insignia; nomina Ciuitatum sunt D Quaunathuac; G Mizquic; H Caitlahuiac; I Xochimilco; E denuo Regem Acampich veluti expugnatorem dictarum quatuor Vrbium D G H I, & quatuor earundem possessorum; quæ per quatuor capita F K L M

expri-

exprimuntur, captiuitate & ſubiugatione triumphantem. Ex quibus patet hanc ſcripturam ſeu literaturam Veterum Mexicanorum nihil aliud



eſſe, quàm rudem quandam rerum geſtarum per ſuas proprias imagines exhibitionem, nullo myſterio, ſubtilitate ingenij, aut eruditione fultam. Non ſecus reliquorum Regum hiſtorias exhibent, quas conſultò omittimus.

Habent Mexicani certas leges, iuxta quas filios ſuos educare ſolent, quæ in his & ſequentibus figuris exprimuntur. Primò enim mox ac mulier quædam pepererit, puer ponitur in cunis; poſt quadriduum verò obſtetrix accipit puerum nudum, & portat in hortum, in quo ſupra aquas crates ſtrata eſt arundinibus, & viminibus contexta; hæc vbi puerum lauerit, tres pueri aſſidentes, oriza, fragis, ſimilibuſque patriæ fructibus inſtructi, nomen puero imponere ab obſtetrice iubentur. Poſtea obſtetrix monſtrat puero inſtrumenta omnis generis, quibus pater eius exerceri ſolitus

Alia Mexicana pictura continens leges filios educandi.

ditus eſt, quorum quædam ad rem militarem, alia ad alia exercitia pertinent, annuiturque ipſi hiſce ſe exercere debere; ſi vitam tolerare velit. Poſt has cœremonias obſtetrix reportat puerum ad matrem benè lotum; parentes verò in templo eum ſiſtunt, & Sacrificulo,pædagogoque imbuendum tradunt. Verùm iam ſingula explicemus.

A, ſignificat matrem puerperam; C puerum cunis expoſitum; B, videlicet circulares figuræ, ſignificant quatuor dies, quos puer tranſegit; D obſtetricem quæ puerum portat ad aquas lauandum; E ſignificat inſtrumenta tàm militaria, vt ſcutum cum ſagittis X; quàm alia, vt ſecu-

Typus ſcripturæ Mexicanæ qua filiorum educatio rudi pictura exprimitur.

res, forcipes,cultros, hamos,& ſimilia ſuis literis ſignata, quibus puer vti debebit, cùm ad aptam illis ætatem peruenerit; F G H tres pueri ſunt fonti aſſidentes,& nomen infanti imponentes, placentis,fragis, oriza inſtructi; quæ ſe offerunt in I,arundines ſunt,& vimina colligata in cratem, ſuper quam vas aqua plenum, è quo lauatur puer; M ſtoreæ quibus texendis occupari debet; K ſcopæ; L colus, quâ ſi fœmina fuerit, occupari debet; N ſacrificulus eſt; O infans in cunis offertur in templo; P Magiſter puerorum cuius curæ commendatur; Q Pater; R infantis mater. Sic procedunt,continuando figuras educationem vlteriorem infantis

tis

tis exprimentes, vsque ad eius annum decimum quintum; quibus transactis, manumissus & in suam libertatem adscitus, propriâ industriâ vxore ducta vitam transigit; quorum omnium imagines hoc loco apponerem, verùm cùm illæ ex præcedenti fine vllo negotio pateant, superuacaneum esse ratus sum, librum inutilibus figuris, & ad rem nostram non adeo pertinentibus refercire; quare historiam pædotribicam Mexicanorum verbis tantùm explicare sufficiat.

Post hanc itaque figuram aliam ponunt veluti paginam quandam, cuius figuris exprimitur, quomodo puer aut puella trium aut quatuor annorum educanda sit, nimirùm admonitionibus sequentibus; & certa ijs panis, videlicet dimidij portio statuitur, vbi tertium annum attigerint; integer verò panis, quando quadriennium compleuerint; quæ omnia per imagines rerum faciendarum explicant; hinc matrem ponunt infantis inuolutam & sedentem, eo habitu quem in præcedenti figura A monstrat; triennium aut quadriennium tribus aut quatuor circulis, vti quatuor circuli in præcedenti figura ostendũt, indicant, ad quos cùm peruenerit puer, admonitionibus vrgetur, eique quotidie statuitur integri panis portio, significata certâ figurâ. Puellā verò mater ad exercitia sexui congrua sollicitat, integra quotidie statuta panis portione; dum verò puerum in nautica & piscatoria arte exercendum indicant, scaphæ figura cum adnexo hamo id indicant. Colus, verò & textoriæ artis supellex puellam in ea exercendam docet. Porrò vbi puer quinque annorum fuerit, qui per quinque circulos indicantur eidem appositos; pater eius docet pueros in portandis rebus ad forum; ijsque tribuitur in dies panis integer. Mater autem instituit puellam filiam quinquennem in modo filandi. Vbi verò puer fuerit sex annorum, qui per sex circulos indicantur; pater eius docet ipsum rationem vendendi fructus patriæ proprios, scutorumq; conficiendorum modum, & deputatur ei quotidie panis vnus cum dimidio; mater verò docet filiam suam artem filandi. Vbi verò 7 annorum, qui per septem circulos indicantur, fuerit puer, pater eius instruit eum in arte piscandi, vti nassa quam in manu tenet, docet. Mater autem docet filiam artem filandi gossipium; vtrique autem quotidiana cibi portio statuitur panis vnus cum dimidio. Vbi vides nullum prorsùs mysterium subesse figuris, imò simplices tantùm actiones exprimere. Puero octo annorum, qui per octo circulos notantur, pater eius castigationem per spinas fruticis cuiusdam, qui vocatur Maquez, nisi benè se gesserit, minatur; similiter mater filiæ; & quotidianus victus panis cum dimidio vtrique deputatur, vti omnia figuris ipsis expressa monstrant. Nouem verò annorum puerum incorrigibilem & refractarium pater spinis Maquez torquet, similiter mater filiam. Decem annorum puerum pater eius castigat baculo ob inobedientiam & negligentiam in commissis rebus; similiter mater filiam ob negligentiam in filando commissam. Non secùs procedunt in reliquis muneribus, vsque dum, vt dixi, manumissus vxorem duxerit; quæ omnia per actionem ipsarummet imaginum exprimuntur; quæ nè in re inutili & oppidò ridicula, moras traham,

ham, consultò omitto. Qui plura huiusmodi desiderat, is consulat Itineraria Mexicana, & Samuelem Purchas in descriptione Mexici, vbi omnia fusiùs descripta, & figuris suis expressa reperiet. Et quoniam solùm differentiam inter Sinenses & Mexicanos characteres nobis demonstrare propositum erat, eaque ex dictis sat superque Lectori curioso constat; hisce relictis ad alia transeamus.

CAPVT V.

Tabulæ æneæ ex Museo Clarissimi Viri Ioannis Galuani Iuris Consulti Patauini extractæ interpretatio.

Prior Pars. *Altera Pars.*

HAnc præsentem Tabulam æneam exoticorum characterum varietate intricatissimam Excellentissimus Vir Ioannes Rhodius pro sui in boni communis promotionem affectu & zelo, ex celebri Museo inclyti Viri Ioannis Galuani IurisConsulti Patauini extractam non ita pridem ad

ad me transmisit, vt si fieri posset, tantæ mysteriorum sub ijs reconditorum caligini aliquam lucem adferrem; cuius amicæ voluntati vti refragari non licuit, ita summâ quoque indagine ad arcana huius tabulæ sacramenta penetranda omnes animi ingenijque vires applicui. Res itaq; sic se habet.

Constat Christianos ex Maurorum & Arabum sanguine originem trahentes, imagines sacras vti olim, ita nunc construere consueuisse; quas magnæ virtutis esse aiebant, & potentissima veluti quædam amuleta aduersus malignas Dæmonum potestates (ramus haud dubiè veteris illius Magiæ, quam Gnostici Mundo impiè obtruserunt, successiuâ quâdam traditione ad hæc postera tempora propagatam) quas muris locorum infestorum, domuumque parietibus affigebant, aut etiam pectori alligatas magnâ veneratione gestabant; quemadmodum in Magia hieroglyphica fusè explicatum est, vbi & nonnulla huiusmodi haud absimilia Schemata adduximus. Nescio tamen, quâ superstitione in transuersum acti sacras huiusmodi imagines minimè effectum suum sortiri posse sibi persuaderent, nisi vanâ quâdam obseruantiâ eas occultis quibusdam ex Cabalistarum Magorumque Schola depromptis characteribus deformarent. Apud hosce enim nil sine characteribus rectè peragi videas. Quam quidem impiam consuetudinem non aliundè nisi ex superstitiosa Arabum Gente, cuius consortio perpetuò vtebantur, hauserant; & nè ipsis in institutis consentirent, satis magnum quid sibi præstitisse videbantur, si ad sacra Religionis Christianæ mysteria portentosos huiusmodi magnæ efficaciæ characteres applicarent, his enim coniunctis, sacram Imaginem maiorem vim & robur acquisituram simpliciùs sibi imaginabantur. Huiusmodi Christianorum superstitionem sat superque cruces, medalia, tabulæ sacræ, partim Hebraicis nominibus, partim alijs Magicis characteribus, portentosisque Angelorum nominibus vnà cum Christi & Beatæ Virginis imaginibus insignitæ, quæ passim ad me ex diuersis Mundi partibus tanquam ad eorundem similiumq; Interpretem transmittuntur, quæque suo tempore forsan opportuniùs prodemus, testantur. Atq; ex harum numero hæc præsens tabula vna quoque fuit, amuletumque gestatile fuisse, foramen A, & alicui rei appensum, luculenter ostendit. In huius tabulæ anteriore parte B A C primò videas Christum Dominum antiquo ritu sedi insidentem, cuius caput radioso circundatur orbe, quem nimbum Veteres vocasse alibi diximus, facie velatâ, manu eleuatâ quasi benedictionem impertientem; alterâ manu abscunditâ. Per nimbum radiosum diuinitatis maiestatem, per faciem velatam, humano intellectui inaccessam significabant, per extensam manum benedicentem misericordiam, per absconditam, iustitiam eiusdem, ob pœnitentiæ spem tardantem, innuebant. In cornibus B C, duo Angeli ponuntur velatâ pariter facie, quorum prior, B, Gabrielem, alter, C, Michaëlem, vti ad vtriusque latus literæ appositæ docent, signat; Saluator verò septem characteres circumpositos habet, quibus septem Spiritus Apocalyptici signantur; quorum nomina sunt Sebtaël, Zedakiël, Madamiël, Schemsiël, Nogaël, Co-

Quinam fuerint Melchitæ?

Interpretatio tabulæ.

Cochabiel, Leuaniel, & Intelligentijs ſeptem planetarum reſpondent; ſunt autem characteres ex Gymnoſophiſtarum Schola profecti, hoc pacto per Ψ Intelligentiam ♄ exprimunt; per Intelligentiam ♃; per  Intelligentiam ♂; per Intelligentiam ☉; per ♀ Intelligentiam ♀; per  Intelligentiam ☿; per Intelligentiam ☽ indicant. Sed hæc varijs in locis huius Operis paſſim expoſita ſunt. Porrò quatuor characteres in quatuor Angelis poſiti indicant quatuor Mundi partium Intelligentias Præſides, & ſunt Mahaziel, Azaël, Sauiel, Azazel. Horum virtute, vti eſt apud S. Irenæum, impiè putant, Chriſtum Verbum Dei influere in myſticum Eccleſiæ ſuæ Mundum; quæ aptè ſanè per imagines Beatæ Virginis & D. Ioannis Euangeliſtæ velatis faciebus conſpicuas, perq; Lunam duplicem cruci colligatam innuuntur; quo influxus Malcuth archetypi, id eſt, Lunæ supercœleſtis, in myſticum Eccleſiæ Mundum, vti in Cabala docuimus, notatur, quod factum fuiſſe innuitur mediante cruce & paſſione Dominicâ. Characteres verò a v Græci ſunt, atque idem ſonant, quod α & ω Alpha & Omega, principium & finis, viuificator omnium, vti Arabica vox محيي *Mehi* docet, & complementum omnium, quæ crux ſiue denaria decuſſis, vti in Arithmetica expoſuimus, indicat; quæ ſunt attributa Chriſto appropriata.

Atque hæc eſt myſterij, quod ſub prima huius tabulæ parte continetur, expoſitio: vbi, imaginibus ſacris characteres Spirituum myſticos, Cabalicos, Græcos, Hebræos, Arabicos vnà mixtos conſpicis, non forſan temerè, ſed quia hoſce maiorem ſacris imaginibus iunctos efficaciam acquiſituros ex ſolita, ipſiſq; inſita ſuperſtitione credebant; quod & in hunc vſque diem multis Chriſtianis Orientalium partium vſitatum nouimus.

Altera verò pars Magicis characteribus deturpata, vti indigna fuit, quæ lucem aſpiceret, præſertim quòd nil Ægyptiacum contineret, ita hîc quoque minimè apponenda fuit. Quare ad alia.

CAPVT VI.

Characterum quorundam in Cruce deſcriptorum interpretatio.

MIſit non ita pridem ad me Conſtantinopoli P. Franciſcus Bonamorus Crucis Schema, Magicis, vt ipſe putabat, figuris transformatum; obnixè rogans, vt interpretatione meâ aliquam tantis tenebris lucem adferrem; feci quod petiuerat; & dico hanc ſcripturam minimè Magicam, ſed Illiricam eſſe, illius generis, quam Seruianam aut S. Cyrilli vulgò vocant, & monogrammatico ſtylo ligatam & concatenatam; lingua verò Bulgara antiqua eſt eadem cum illa, quam in Sacris ſuis Rutheni

ni, Moſci, Boſni, cœteræque vicinarum gentium Nationes vſurpant. Verùm cùm huic Crucis Schemati aliud haud abſimile hîc Romæ mihi enodandum oblatum fuiſſet, illud hîc oportunè exponendum duxi, nè quicquam curioſarum rerum in hoc Opere omiſiſſe videamur, & ſi quandoq; in manus curioſorum ſimilia crucis Schemata inciderint, interpretationem eorum hîc promptam paratamque inueniant. Crucis figura ea eſt quæ ſequitur.



Nomina exoticis characteribus transformata ſignantur numeris 1 2 3 4 5 6, eorumque ſenſus hîc eſt in lingua Bulgarica, quæ & Illirica eſt, vnà cum interpretatione Latina.

1	ГОСПОДИ ЦАРЪ.	*Goſpodi Czaru*	*Domine Rex*
2	КАРСТЪ ТВОИ	*Karſt tuoy*	*Crucem tuam.*
3	ДАЛ ЕСИ.	*Dal eſi*	*Dediſti*
4	НАМЪ.	*Nam.*	*Nobis*
5	. . . .		*Terribilem.*
6	НАДЪ ДИАВОЛЫ.	*Nad Diauoly.*	*Super Diabolos.*

Frontem Crucis signatam numero 1 hæc abbreuiata nomina tenent. ГИ ЦРВ, id est, *Gospodi Czaru*, *Domine Rex*.

Literæ numero 2 notatæ hæ sunt, КРСТЪ ТВОИ, id est, *Karst tuoy*, *Crucem tuam*.

Literæ 3 numero signatæ hæ sunt, ДАЛ ЕСИ, id est, *Dalesi*, *Dedisti*.

Literæ 4 numero signatæ hæ sunt, НАМЪ, id est, *Nam*, *Nobis*.

Literæ 5 numero signatæ sunt НАДЬ, id est, *Nad*, *Super*.

Literæ 6 loco signatæ sunt ДИАВОЛЫ, id est, *Diauoly*, *Diabolos*.

CAPVT VII.

De Armenorum Characteribus Hieroglyphicis.

Allatum est, dum hæc scribo, ad me Schema quoddam characteribus in omnia animalium genera transformatis plenum; quos cùm multi hieroglyphica sibi persuaderent, ego tandem diligenti indagine singulis excussis, inueni, id nihil aliud referre, quàm literas Armenorum maiusculas seu capitales ordine Alphabetico digestas. Fuerunt autem characteres mihi propositi sequentes, quorum priores, figuratos explicant; secundi characteres maiusculos Armenorum. Schema in sequenti pagina contemplare.

Verùm vt res luculentiùs pateat, Notandum, Armenos triplici literarum genere vti solere. Primum vocatur բոլորգիր *Poluerchir*, id est, orbicularis litera, seu rotunda, quo passim vti solent. Secundum dicitur նոտրգիր *Noderchir*, id est, Notariorum litera, quo nomine significantur expeditiores literæ, quæ currentes vocantur. Tertium genus appellatur երկաթագիր *Ergathachir*, ferrea scilicet litera, per quod designantur maiusculæ literæ, quæ ferri instar durant magis, difficiliùsque obliterantur. Quoniam verò maiusculæ literæ apponi consueuerunt in principijs Capitum seu Scripturarum, vocantur illæ prætereà alio nomine գլխագիր *Chelbhachir*, id est, Capitalis litera. Rursus eædem, quia delineantur interdum vario florum apparatu, appellantur etiam ծաղկագիր *Zakghachir*, florens nimirum litera. Hæ eædem vocantur subinde etiam գազանագիր. *Chassanachir*, id est, litera belluina, quia nimirùm sub varijs belluarum, volatilium, reptiliumque figuris exhibentur. Atque huius generis sunt literæ quæ paulò post sequuntur. Quarum hìc nonnullas adiungendas duxi, nè quicquam in



hoc Opere rerum peregrinarum omisisse videremur. In hoc Alphabeto Columna A refert Armenorum characteres figuratos, Columna verò B, eorundem maiusculos; ex quorum ductibus facilè patet, huiusmodi figuratos characteres esse eos ipsos quos diximus; minimè autem hieroglyphicos; cùm ex phantasia pictoris, pro commoditate literæ, & ductuum ratione, prodierint, & ex Ritualibus Armenorum luculenter patet, vbi initiales literas, vt plurimùm, hoc phantastico literarum Schemate expressas reperies. *Armenorum literæ figuratæ.*

CAPVT VIII.

De alijs falsorum hieroglyphicorum Schematismis.

MIsit non ita pridem ad me Clarissimus Vir D. Harstorpherus Patritius Norimbergensis folium hieroglyphicis refertum, quod ex Gallico Authore, libroque quem Polyphilum vocat, extraxit; Authorque ea ex Ægyptiorum monumentis extraxisse asserit. Verùm ego singula summo studio examinando, tandem minimè inter hieroglyphicorum ea album reponenda reperi, sed vel ab Authore conficta, vel aliunde extracta esse, is facilè sibi persuadebit, qui hieroglyphicorum rationem ritè calluerit; de quibus quidem Lectorem monere volui, nè falsâ per-

ſuaſione illuſus, legitima pro illegitimis ſibi compararet. Figuras non addo, cùm quilibet eas in citato loco libri reperire poſſit, habentur enim fol. 48. & ſeparatim in Polyphilo, Gallicâ linguâ conſcripto Opere.

DIATRIBE II. PRAELVSORIA.

De Alphabeto myſtico Aegyptiorum, & lingua Copta.

Linguæ genus duplex Ægyptijs vſitatum. Commune.

Hieroglyphicum.

PRæmiſſa hieroglyphicorum cum alijs populorum diuerſorum ſcripturis comparatione, iam ad inſtituti noſtri tramitem reuertamur. Duplex itaq; linguæ genus Ægyptijs in vſu fuiſſe, alibi ſatis probatum fuit; prius commune & omnibus vſitatũ, ad humani commercij vſum conſtitutum, fuitq; lingua ſeu idioma Ægyptiacum, quod Coptum ſeu Pharaonicum appellatur; alterũ ſolis Sacerdotibus, Prophetis, & Hierogrammatæis, ſimilibuſque Sacerdotalis ordinis, quibus ad regnum ſpes erat, quod & hieroglyphicum appellamus, vſitatum. De illo priùs hoc loco diſſeremus, de altero deinceps diſſertaturi. Ita Aegyptijs natura comparatum fuit, vt quemadmodum nihil in omnibus eorum inſtitutis ſine myſterio peragebatur, ita & in lingua communi, vti ex Alphabeto eorundem, myſterioſâ literarum inſtitutione ita concinnato, vt nulla ferè in eodem litera reconditorum ſacramentorum non vndiquaque plena reperiretur, patet. Et tametſi in Obeliſco Pamphilio amplè de illo tractauerimus, quia tamen multa, experientiâ longâ rerum magiſtrâ, conſideratione digniſſima interim ocurrerunt, ea hoc loco opportunè interſerenda duxi.

Alphabetum Ægyptiorum myſterijs plenum.

Ægyptiorum literæ ex animalium formis, inceſſu &c: ſumptæ.

Euſebius. Author Scalæ magnæ.

De primæuis Aegyptiorum literis variæ diuerſorum ſunt opiniones, quas in Obeliſco Pamphilio fuſè proſecuti ſumus. Omnes tamen in hoc conſentiunt, pleraſque ex ſacrorum animalium forma, inceſſu, aliarumque corporis partium ſitibus & ſymmetria deſumptas. ita Demetrius Phalaræus, qui ſeptem vocales aſſignans, ſeptem Dijs conſecratas ait, cæteras ex animalium forma deſumptas. Euſebius aſtruit idem; & Author Scalæ magnæ ſiue Dictionarij Ægyptiaci apertis verbis id demõſtrat, in principio ſuæ Scalæ his verbis: ⲭⲏⲙⲓ ⲧϫⲓϭⲓ ⲛⲟⲩⲧⲉⲣⲉⲁ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲟⲩⲭⲏⲙⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲑⲏⲣⲓⲟⲛ ⳾ *Ægyptus primos ſuos characteres ex figura deſumpſit animalium.* Verùm vt inſtituti noſtri contextus luculentiùs pateat, nonnulla de primæua literarum inſtitutione ex Obeliſco Pamphilio repetenda duximus.

Oſiris inferiorem Ægyptum habitabilem reddidit.

Ferunt priſci Ægyptiarum rerum Scriptores, inferiorem Aegypti partem mari olim tectam fuiſſe; Oſirim autem primum Aegypti Regem, cùm ex ingenti limi, arenarumque ex Aethiopia aduectarum coaceruatione Nili defluxu facta, hunc maris ſinum, neſcio quid terreſtre parturire cerneret, Nili aquis in alueos deductis, terram intermediam ab aquis ſeparatam, habitatoribus non aptam tantùm, ſed & iucundam reddi-

didisse; ingenti verò serpentum è putrefacto limo natorum copiâ locum continuò infestum reddente, cùm multi quotidie serpentum morsibus, inter quos & Osiridis Nauarchus Canopus, perirent; Osirim magnam vim Ibidum hisce locis immisisse, qui deuoratis serpentibus locum breui tempore expurgatum à periculis immunem reddiderunt. Multiplicatis itaque Ibibus, cùm posteri notarent dictas aues in varias sese formas iuxta diuersum corporis situm transformare; accedentibus multis alijs ab Ibide receptis beneficijs, eum Genium seu Ahathodæmona Aegyptij, à figura quam pedibus exprimebat, appellantes, in sacrum animalium album retulerunt, locumque ipsum à nomine Agathodæmona appellarunt; quod Ptolomæus hisce verbis docet: Δέλτα μέγιςον ἐκεῖνο καλεῖται καθ' ὃ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς λεγόμενος Ἀγαθὸς Δαίμων. *Delta magnum vocatur id, iuxta quod diuertitur fluuius dictus Agathodæmon.* Ibis igitur diuaricatis cruribus, & rostro ijs transuersim inserto exprimit primam Alphabeti Aegyptiaci literam, hoc pacto, A, quod idem sonat ac ἀγαθὸς Δαίμων. Ita Plutarchus Sympos: 5. Ἶβις τε ποιεῖ τῇ τῶν ποδῶν διαστάσει πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὸ ῥύγχος ἰσόπλευρον τρίγωνον. *Ibis*, inquit, *pedûm diuaricatione eorum inter se, & cum rostro comparatione, triangulum refert æquilaterum.* Et lib. 9. Sympos: q. 3. Ἑρμῆς λέγεται Θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν, διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον Ἶβιν γράφουσι, ὡς Ἑρμῇ (Ἀγαθοδαίμονι) πρεσήκουσα. *Mercurius primus Deorum in Ægypto traditur inuenisse literas, atque adeo Ibin Ægyptij primam literam faciunt Mercurio, videlicet Agathodæmoni, conuenientem.*

Ibium in serpentes immissio.

Ibis cur Agathodæmon dictus.

Ptolomæus.

Prima Ægyptiorum litera ex Ibi desumpta.

Ⲁⲅⲁⲑⲟⲥ ⲇⲁⲓⲙⲱⲛ.

Plutarchus.

Secunda litera fuit desumpta ex Ibidis collo cum rostro transuerso, quod cùm normam referat, ⲅⲁⲙⲁⲧ dixêre; significat enim, vti ex Dictionario nostro Coptico patet, ⲅⲁⲙⲁⲧ nihil aliud quàm normam, siue regulam mensurationibus perficiendis aptam. Cùm itaque Mercurius vti literarum, ita & Geometriæ Author fuerit, aptè secundam literam; normam Geometricam constituit, ex Ibidis collo & rostro desumptam. Innuit hoc apertis verbis Clemens Alexandrinus libro 5. Stromatum: Ἀριθμοῦ γὰρ ἐπινοίας καὶ μέτρου μάλιστα τῶν ζώων ἡ ἶβις ἀρχὴν παρεχηκέναι τοῖς Αἰγυπτίοις δοκεῖ ὡς τῶν κύκλων λοξός. *Numerum enim inuentionis & mensuræ maximè ex animantibus videtur præbuisse Ægyptijs, sicuti ex circulis obliquis.*

Secunda Ægyptiorum litera ex collo & rostro desumpta est Γ.

Clemens Alex.

Tertia litera fuit desumpta ex diuaricatione pedûm Ibidis, omissa rostri insertione: sic enim cum plano terræ exactè Δέλτα exprimebat, vt proinde locum hunc Aegyptij mari vicinum non alio nomine, quàm Delta insigniuerint, & posteri hanc appellationem vsque ad nostra tempora retinuerint; putabant enim Aegyptij Mercurium sub Ibidis forma, varias literarum formas humano generi tradidisse, ac inter cœtera per formam Δ, quomodo Nilus diuidendus sit, vt tellus illa aquis paludibusque submersa fructifera redderetur, & hominum habitationi apta, docuisse. Vnde forsan à ⲇⲁⲗⲧⲓ, quod Copticè nihil aliud, quàm bonum agrum significare reperio, nomen huic literæ ⲇⲁⲗⲧⲁ fuerit impositum. Certè Delta ab Ibi sumptum, Pausanias apud Pierium lib. 17. docet his verbis: *Est & alia ratio, cur Ægyptum hieroglyphicè significarent Ibes, nempè cùm ea*

Tertia litera Ægyptiaca ex Ibide desumpta.

Δ Litera quid significet.

Pierius.

regio

regio Delton à Δ Græca linguæ figura nuncuparetur, eam cum Ibibus similitudinem habet, quòd alites hæ literam eo incessu pedum interstitio ad æquales trianguli lineas deducto, signare videntur, idemque rostrum patefactum signat. Et libro 47. de septem literis: *Mercurium,* inquit, *qui primus literas Ægyptijs communicauit, Ibim primam literam esse voluisse; refert siquidem ea incessu triangularem effigiem, cruribus ita dispositis, vt suo loco dictum est, & quæ prima apud nos & Græcos litera est, ad Isoscelis trianguli faciem accommodatur.*

Quarta litera. Theogenes. Quarta litera erat V, desumpta ex apertione rostri Ibidis, & nostrum Y referebat; ex rostris enim volucrium figuras & characteres desumptos, Theogenes in hymno Solis testatur his verbis; *ὃς ἐδίδαξας γραμμὰς καὶ γράμματα ἐκ τοῦ ῥύγχου τῶν ὀρνίθων. Qui docuisti lineas & literas ex rostro auium.* Ibis siquidem aperti rostri hiatu primò docuit Ægyptios vsum circini, qui apud ipsos symbolum erat mensuræ rerum, & processus naturæ ex inferioribus ad superiora, vt in sequentibus fusè docebitur.

Quinta litera. Quinta litera erat apud ipsos O, & Græcorum Omicron respondebat: obseruabant enim hoc animal aut clistere se purgans, aut plumas dissipatas ordinans, collo in circulum contorto figuram illam quam ipsi in numerum literarum referentes ⲟϥⲧ dixerunt, vt Author Dictionarij nostri meminit, quem postea allegabimus, exprimere; quamuis alij velint, hanc literam quoque ex Solis figura fuisse desumptam. Habemus itaque quinque literas in vna Ibi diuersas figuras exhibente, repræsentatas, quas ipsi in numerum literarum retulerunt; vt proinde nemo miretur, hoc animal tanto apud Ægyptios in honore fuisse. Primò enim totam id

Ibis in honore apud Ægyptios. Geometriam, processumque quantitatis Aegyptijs indicasse verisimile est; lineas quidem varia colli, pedûmque longiorum porrectione; angulos rostri, pedûmque diuaricatione; triangulos rectilineos per duo crura, quibus diuaricatis dum rostrum transuersim inserit, triangulum æquilaterum efficit; rationemque quantitatis triangularis per sectionem factam perfectè exprimit; quæ sunt prima Geometriæ tùm speculatiuæ, tùm practicæ fundamenta. De cœteris verò mysterijs huius volucris fusè suis locis actum est.

Sexta litera. ⲗⲁⲃⲁⲗ. Sexta litera erat Λ, quæ Λ Græcorum respondet, exprimebaturque à diuaricatis pedibus Ibidis, vnde & ⲗⲁⲃⲁⲗ dicta fuit, quæ Aegyptiacè progressum significat; Ibis enim ambulans hunc referebat characterem, vnde & inuentio cubiti Aegyptiaci siue Ibiaci; ex vestigijs enim huius animalis in limo littoris fluminis relictis, mensuram sumpserunt cubiti, & contraponitur præcedenti literæ V, ex quarum coniunctione nascitur X altera litera, frequens in Obeliscis, quâ animæ Mundi processum versus inferiora, & iterum ad superiora indigitabant. Sed hæc, suis locis ex professo tractata vide.

Ibi prima litera dicta Ægyptijs. Atque hinc patet, cur Plutarchus, Clemens, alijque Ibin primam literam dixerint: ex hac enim non literas tantùm, sed & hieroglyphicorum arcanam rationem ipsos didicisse, alibi dicitur; sumitur enim litera

apud

apud illos non pro figura simplici alicuius literæ, sed pro integro Systemate hieroglyphico, quòd cùm vnum esset, varia tamen & maxima sui forma exhibebat Ibis. Hinc soli Mercurio, vti Deo, rerumque maximarum inuentori eam dicabant. Sed de Ibi vide quæ in proprio Hierogrammatismo lib. 4. Obel: Pamph: disseruimus; cæteræ verò literæ hoc pacto inuentæ traduntur. *Ibis Mercurio dicata.*

Ex omnibus Authorum monumentis constat, Bouem ob insignia beneficia ab Aegyptijs diuinis honoribus cultum, adeo vt Osirim sub Bouis forma varias res ad humanam vitam sustentandam necessarias, homines docuisse crediderint. Vnde curiosiùs figuram, vt ipsis solitum erat, obseruantes, tres characteres deducebant: ex cornuum curuitate , quod Sima vocabant, hoc est symbolum Lunæ; deinde frontem quadratam □, quam O magnum appellabant; nam varia huius figuræ symbolo mysteria referebant. Hoc verò cum cornibus coniunctum, alium characterem ijs suppeditabat, quem Βȣς à figura bouis vocabant, & Græcorum ȣ respondebat; talem enim vocalem mugitus bouis exhibebat: fuit enim Βȣς non litera tantùm simplex, sed litera idealis hieroglyphica multos & varios conceptus implicans, vti in explicatione eius patebit: quæ ita se habere Plutarchus asserit lib. 9. Sympos. q. 3. vis verbis. Κάδμον φασὶ, τὸ ἄλφα πάντων προτάξαι διὰ τὸ τοὺς Φοίνικας, οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν, οὐ δεύτερον οὐδὲ τρίτον (ὥσπερ Ἡσίοδος) ἀλλὰ, πρῶτον τίθεσθαι τῶν ἀναγκαίων. *Cadmum ferunt ideo Alpha primam literam posuisse, quod Βȣς ita lingua Phœnicum dicitur, quem non secundum aut tertium, vt Hesiodus, sed primum locum inter res necessarias existimabant.*

Litera 7 & 8. Σιμα. Βȣς. *Quid significet in lingua Phœnicum. Plutarchus.*

Tertium apud Ægyptios animal sacrum fuit Accipiter, ex quo similiter characteres tùm vulgares, tùm symbolicos mutuatos legimus. Et caput quidem cum rostro dedit literam, quam in Alphabeto Scima vocabant, id est, visionem, eò quòd per Accipitris caput, quod hunc characterem exprimebat, Deum omnia videntem, vt in præcedentibus fusè ostensum fuit, occulta allegoria indicarent; quæ varia authoritate alibi comprobantur. *Accipiter quales literas dederit.* *Scima 9 litera* Σιμα.

Quartum animal canis erat; sub quo etsi magna mysteria exhiberent, & ex illo quoque literam desumerent; qualem tamen inde deduxerint, comperire non licuit. *10 Litera Canis quas literas dederit.*

Atque hæc erant quatuor illa animalia celeberrima, quæ literas, eò quòd præcipuas literas ex ijs addidicissent, appellabant, eaque in Comasiarum solemnitatibus circumferre solebant. Quæ omnia Clemens lib. 5. Stromatum comprobat his verbis: Ἤδη κἂν ταῖς καλουμέναις παρ᾽ αὐτοῖς Κωμασίαις τῶν θεῶν χρυσᾶ ἀγάλματα· δύο μὲν κύνας, ἕνα δὲ ἱέρακα, καὶ Ἶβιν μίαν περιφέρουσι, καὶ καλοῦσι τὰ τέσσαρα τῶν ἀγαλμάτων εἴδωλα τέσσαρα γράμματα. *Iam verò in ijs, quæ ab alijs vocantur Deorum Comasiæ, aureas Deorum imagines, duos quidem canes, vnum Accipitrem, & vnam Ibim circumferunt, & vocant quatuor illa simulachra, quatuor lite-* *Quatuor animalia sacra. Clemens.*

literas, in honorem videlicet Mercurij, qui ex eorum forma prima literarum elementa ingeniosè & mysticis rationibus referta extraxerat.

Decem literæ ex quatuor animalibus extractæ.

Habemus itaque decem literas ex quatuor dictis animalibus deductas. Reliquas verò literas ex cœteris animantibus, vel etiam instrumentorum similitudine deducebant. Ex Arietis, quem Amun, siue Iouis Hammonij habitaculum dicebant, literam desumebant quæ respondebat nostro B; cuius literæ sonum pronunciationemq; discebant ex voce eiusdem animalis. Certè etymologicorum Interpretem huc respexisse verisimile est, dum ita canit:

Vndecima litera ex Arietis cornibus desumpta.

Ὁ ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.
Stolidum tanquam pecus Be Be dicens ambulat.

Hinc Pierius quoque ouem secundam Ægyptiorum literam fuisse asserit?

Duodecima litera Zeuta.

Porrò à Serpente deducebant aliam literam, quam Zeuta vocabant, hoc est, vitam, eò quòd Serpens vitæ symbolum apud eos esset, respondebatque ζ Græcorum; ita autem Coptitæ eam formant Ƶ; quæ omnia suis locis demonstrantur.

Decimatretia litera Thoth dicta ϯⲁⲩϯ

Præterea circulo igneo transuersum serpentem includentes literam efformabant, quam Thauta vocabant, hoc est, literam Thoth; respondebatque Θ Thitæ Græcorum; erat hic vnus ex maximè mysticis characteribus, quo per circulum igneum, Mundum; per Serpentem verò, Mundi conseruatorem occultè indigitabant. Quæ omnia fusè prosequitur Pherecydes Syrus, in libro, quem de Ophionibus & sacris Ægyptiorum inscripsit. Sed audiamus Eusebium l. 1. c. 7. circa finem, ad verbum omnia describentem: Παρὰ Φοινίκων δὲ καὶ Φερεκύδης λαβὼν τὰς ἀφορμὰς ἐθεολόγησε περὶ τοῦ παρ' αὐτῷ λεγομένου Ὀφιονέως Θεοῦ, καὶ τῶν Ὀφιονιδῶν, περὶ ὧν αὖθις λέξομεν. Ἔτι μὴν οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐννοίας τὸν κόσμον γράφοντες, περιφερῆ κύκλον ἀεροειδῆ, καὶ πυρωπὸν χαράσσουσι, καὶ μέσον τεταμένον ὄφιν ἱερακόμορφον, καὶ ἔστι τὸ πᾶν σχῆμα, ὡς τὸ παρ' ἡμῖν θῆτα; τὸν μὲν κύκλον κόσμον μηνύοντες; τὸν δὲ μέσον ὄφιν συνεκτικὸν τούτου ἀγαθὸν δαίμονα σημαίνοντες. *Pherecides quoque de Phœnicibus efformationes accipiens edoctus diuinitùs de Deo, quem Ophionea dicebant, & de Ophionidibus mirum in modum disseruit; de quo aliò loco dicemus. Verùm Ægyptij vniuersum depingentes Mundum, hâc ipsâ inducti sententiâ, in circulum astralem, igneumque in superficie circumfusum serpentem forma Accipitris extendunt, vt sit Θ Thitæ Græcæ literæ figura consimilis, magnitudinem Mundi, ac formam per circulum significantes; per serpentem verò qui in circulo positus est, bonum dæmona conseruatorem omnium, cuius virtute Mundus contineatur, significantes.*

Eusebius.

Decimaquarta litera ⲫⲟⲗⲟⲩ

Porrò ex huiusmodi symbolo siue litera, aliam efformabant, quam ⲫⲟⲗⲟⲩ hoc est, amorem vocabant; respondebatque Græcorum Φ. Verùm cùm huius literæ maxima mysteria alijs locis exposuerimus, hîc ea tantùm indicasse sufficiat; Lector interim Prodromum consulere poterit, vbi huius characteris arcana fusè descripsimus, quod & fusiùs in præcedentibus præstitimus.

Præterea multos characteres non ex animalibus, sed ex similitudine rerum,

rerum, quas referebant, desumptos reperio; vt litera M, quam ⲙⲱⲟⲩ, id est, aquam vocant; refert enim hic character fluxum aquæ κυκλολογικῶς. Talis est & character ϫ, quem ϫⲁⲛⲟⲩϥϯ vocant, id est, catenam, hanc enim formâ & similitudine sua refert, ac sæpe, vti & præcedens, inter hieroglyphica Schemata occurrit. Sed hæc suo loco. Non secus literam N & P, illam ex similitudine Pyramidis geminæ, hanc ex Harpagonis similitudine discebant. O verò & C non ex Ibide tantùm & Boue, vti paulò antè dictum est, discebant, sed Clemente teste, literæ erant κυκλολογικαὶ ex similitudine Solis & Lunæ desumptæ. Verba eius ex lib. 5. Stromatum allego. Οἱ βουλόμενοι γράφειν τὸν ἥλιον, ποιοῦσι τὸν κύκλον. Καὶ τὴν σελήνην σημαίνοντες σχῆμα κερατοειδὲς, κατὰ τὸ σχῆμα κύριον γράφουσι. *Qui Solem scribere volunt, circulum pingunt; qui Lunam, figuram cornigeram, iuxta propriam formam referunt.*

Decima quinta litera ⲙⲱⲟⲩ dicta: Decimasexta litera ϫⲁⲛⲟⲩϯ Litera 17. & 18, vti & litera 19 & 20 quales.

Sequitur tandem litera Tautica omnium mysteriosissima, quæ T Græcorum correspondet; cuius structuram & mysteria, cùm in Prodromo Copto, vti & proprio Hierogrammatismo in IV. Libro Obelisci Pamphilij fusè descripserimus, eò Lectorem remittimus, nè in tanta rerum dicendarum mole temporis iacturam faciamus.

Atque hæ sunt primæ Aegyptiorum literæ & elementa, quibus non solùm vulgò conscribebant epistolas, sed & sub ijs magna mysteria solis Sacerdotibus nota innuebant mysticis symbolis referta. Verùm vt vnicâ Synopsi, quæ huc vsque dicta sunt, intuearis, tabulam apponendam duximus, singula exactè exhibentem.

Primæua literarum Aegyptiarum fabrica, & institutio facta, à Tauto siue Mercurio Trismegisto.

	Character Zoographus.	Figura literarum vulgaris.	Græcorum ad eas affinitas.
I.		ⲁ ⲁ̀ⲅⲁⲑⲟⲥ ⲇⲉⲙⲱⲛ dicitur, id est, Bonus Dæmon.	A
II.		ⲅ ⲅⲁⲙⲁⲧ dicitur, id est, Norma.	Γ
III.		ⲇ ⲇⲁ̀ⲗⲧⲱⲓ dicitur, id est, Bonus ager.	Δ

IV.		♈ Processus inferiorum ad superiora symbolum est.	Y
V.		O ⲟⲫⲧ dicitur, id est, Mundi Dominus.	O
VI.		λ ⲗⲁⲃⲇⲁ dicitur, Processus superiorum ad inferiora.	Λ
VII.		X Processus animæ mundi αἴω ϗ κάθω.	X
VIII. IX.		C Lunæ symbolum. ☐ ♉ O magnum.	Σ Ω
X.		σ ⲥⲓⲙⲁ dicitur, id est, Visio.	σ Σ
XI.		B ⲃⲁⲙⲟⲩⲛ dicitur, id est, Fœcunditas.	B Bai
XII.		ζ ⲍⲉⲩⲧⲁ dicitur, id est, Vita.	Z

XIII.		Θ ⲑⲱⲟⲩϯ dicitur, id eſt, Litera Thoth.	Θ ϴ Thita.
XIV.		Φ ⲫⲟⲩⲗⲟ dicitur, id eſt, Amor.	Φ ɸ
XV.		M ⲙⲱⲟⲩ Aqua, Litera eſt κυριολογικὴ τοῦ ὕδατος.	M μὶ
XVI.		Ƶ ⲍⲁⲛⲟⲩⲧⲓ dicitur, id eſt, Catena.	Ƶ ξὶ
XVII.	N	N Litera, idē eſt, ac proceſſus rerum elementarium, ἄνω καὶ κάθω, ſiue vegetabilium proceſſus.	N νὶ
XVIII	P	P κυριολογικὴ ἅρπαγος Figura deſumpta ex harpagone, quo Oſiridis corpus ex vndis extractum.	P ρῶ.
XIX.		O Sol.	O
XX.		C Luna. Signa κυριολογικά.	Σ
XXI.	T ☥ †	Ⲧⲁⲫϯ Litera Thoth ſiue Tauti Dei, Thau Hebræorum.	T

Primus itaque character ſeu litera, ex diuaricatione pedûm Ibidis, & roſtro eiuſdem tranſuerſim inſerto, inuenta, Ἀγαθὸς Δαίμων dicebatur,

 id

id eſt, *Bonus Dæmon* initialibus literis ſub vna comprehenſis; hic enim præter dictarum vocum capitales, vt dixi, literas, eius quoque portionis figuram, quam Δ paſſim ſiue ⲁⲁⲗⲟⲩⲧⲓ Copticè, hoc eſt, *Bonum agrum* vocant, exprimit; atque huius generis literarum vt plurimùm ex tribus vel perſeæ, vel papyri ramuſculis ſeu thyrſis, in figuram primæ literæ Alphabeticæ, quam ſic exhibebant, adaptatis compoſitam in ſolemnitatibus Comaſiarum Deorum ſtatutis, ac potiſſimùm Mercurio Ἰβιμόρφῳ, ex cuius auis figura inuenta erat, præferebant, quam & Hieralpham vocabant. Sed iam ſingulas Alphabeti hieroglyphici literas ſubiungamus.

I

Hic character idem ſignificat, quod Ἀγαθὸς Δαίμων, id eſt, *Bonus genius*; & componitur ex initialibus literis Α & Δ. Si enim producitur Δ litera, fiet Α, quod in ſe monogrammaticè continet Δ & Λ; inuenitur autem hæc litera hieroglyphica in omnibus ferè Aegyptiacis inſcriptionibus, potiſſimùm in Obeliſco Barberino, Lateranenſi, Flaminio, Mahutæo, Mediceo, vt infrà ſui loci dicetur, quam & Hieralpham impoſterum vocabimus.

I I

Hic character Aegyptiacè ⲅⲁ̀ⲙⲙⲁⲧⲟⲩ id eſt, *Norma* dicitur, & propriè gamma Græcorum literam exprimit; quo quidem hieroglyphicè nihil aliud indicatur, quàm Symmetria rerum huius Vniuerſi; vnde Mundi ſenſibilis moderatoris Hori manibus paſſim inſertus ſpectatur: quemadmodum enim normâ, ſiue gnomone, omnia iuſtâ menſurâ & proportione diſponuntur in Architectonicis operationibus, ita Vniuerſi Genius in Mundi ſenſibilis fabrica, omnibus iuſtam dat proportionem, menſuram, pondus.

I I I



Gharacter hic ⲁⲁⲗⲟⲩⲧⲓ dicitur, id eſt, *Bonus ager*, & eam Aegypti partem, quam Δέλτα vocant, indicat; quia ea regio præ omnibus alijs Aegypti Prouincijs, tùm maximè ſalubris, tùm rerum omnium humano generi neceſſariarū ferax eſt; ex Ibidis ibidem paſſim ſtabulantis inceſſu inuentus; quia verò bonorum omnium vbertas à ſupremis Potentijs influitur in hæc inferiora, aptè eam per pyramidalem, elementum ex diuaricatione Ibidis pedûm inuentum, exprimebant.

Ibis

I V

Ibis aperturâ roſtri, quam inſtrumentum circini dixerunt, occaſionem ipſis præbuit inueniendi literam Y, quo charactere proceſſum inferiorum ad ſuperiora rectè indicabant, à centro nimirum ad circumferentiam; Ibis enim dum vna roſtri parte in arena infixa, alterius circumductione neſcio quid circulare in arena relinqueret, vti in animalium obſeruandis actionibus ſtudioſiſſimi, ita & circini inſtrumentum, & centri ad circumferentiam motus occaſionem inde ipſos reperiſſe, mirum non eſt.

V

Character hic ⲟⲫⲧ dicitur, quod Aegyptiacè idem eſt, ac Dominus Orbis; æquiualet Græcorum O micron; ex Ibide pariter emanauit; Ibis ſiquidem ſubinde collum ita torquet, vt circulum imitari videatur; quod cùm notarent Aegyptij, à Mercurio in Ibin transformato, de inſigni quopiã myſterio ſe moneri, ſuperſtitioſiùs perſuadebant, ac proinde ipſi ⲟⲫⲧ nomen impoſuerunt, quod idem eſt, ac Mundi Dominus: alludit ad hoc Plutarchus lib: de Oſiride & Iſide, dum nomen Omphis (veriùs ſdices Ophta) explicat. *Plutarchus.*

V I

Hæc litera Aegyptijs ⲗⲁ̀ⲃⲇⲁ̀ dicitur, & præcedenti oppoſita eſt; ſicut enim præcedens proceſſum inferiorũ ad ſuperiora, ita hæc ſuperiorum ad inferiora proceſſum indicat. Conſtituitur autem ex diuaricatione pedûm Ibidis, ex qua Aegyptij primùm Aegyptiaci cubiti, vti in Mechanica diximus, menſuram in arena progreſſu Ibidis impreſſam, inuenerunt; quæ ſuo loco pulchrè ex Abenephio probauimus. Inuenitur autem paſsim hoc ſignum inter hieroglyphica, vt ſuo loco dicetur; reſpondetque hæc litera τῷ λάμβδα Græcorum & Coptitarum.

V I I

Ex binis præcedentibus literis naſcitur compoſita litera decadica, ſiue veriùs decuſsis, quâ Aegyptij proceſſum animæ Mundi ἄνω καὶ κάτω expreſſerunt; ex Ibidis geſtibus pariter inuenta; Ibis enim diuaricatis pedibus conſiſtens, & aperto roſtro, & collo dorſo innitente, dum aperto ore crepitat, hanc

hanc figuram exprimit. Vide quæ de hoc numerico hieroglyphico fusiùs disseruimus in Arithmetica hieroglyphica. Respondet autem hæc litera τῷ χ Græcorum, aut Latinorum X.

VIII

Bouis caput exprimit hic character, & Aegyptijs idem significat ac litera ϫ; quamquam nonnulli quoque hanc literam pro ω vel ȣ accipiant; Aegyptiorum tamen sententiæ veriùs standum existimo, cùm ad caput Bouis cornutum litera ϫ propiùs accedat. Notat autem coniunctionem Solis & Lunæ, ita quidem, vt caput Bouis Solem, cornua verò Lunam significent. Verùm cùm de his passim toto hoc Opere dictum sit, ad loca propria Lectorem remittimus.

IX

Hic character σιαα dicitur, id est, *Visio*, & respondet literæ Coptitarum Ϭ, & τῷ Σ Græcorum: ex capite Accipitris fuit inuentus; qui cùm acutissimi visus sit, rectè literam hanc isti Numini, quod visu omnia Mundi receptacula penetraret, id est, Soli consecrarunt. Sol enim diffusione radiorum, omnia fouet, animat, conseruat, iuxta illud: Ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

X

Character hic Ægyptiacè ⲃⲁⲙⲙⲟⲩⲛ dicitur, id est, *Fœcunditas*; est enim ex Arietis capite, quod Amun vocabant, deductus, qui cùm fœcunditatis symbolū sit, rectè is capite Arietis cornibus in ⲃ literam tortis exhibetur. Vnde & colligo, hoc nomen ⲃⲁⲙⲙⲟⲩⲛ compositum esse, ex ⲃ videlicet & ⲁⲙⲙⲟⲩⲛ quasi diceres, B litera Ammonis. Verùm de hisce vide, quæ in proprio Hierogrammatismo Obelisci Pamphilij fusiùs egimus.

XI

Hic character Ægyptiacè ⲍⲱⲟⲧⲏ, id est, *Vita* dicitur; nam vti in Hierogrammatismo Serpentis docuimus, fuit Ægyptijs Serpens symbolum vitæ; vnde mirum non est, ex Serpentis tortuoso corpo-

re

re hanc originem suam traxisse. Sed de hoc vide citatum locum.

XII

Hic character Ægyptijs ⲑⲁⲩⲧ id est, litera Tauti dicitur; & hieroglyphice nihil aliud significat, quàm vitam Mundi, quam Serpens circulo inclusus notat; spectatur autem huiusmodi hieroglyphicum passim in Obeliscis, cœterisque monumentis Aegyptiacis, vti suo tempore ostendemus.

XIII

Ex præcedenti charactere natus est præsens character; quem Aegyptij ⲫⲟⲗⲟ id est, *Amorem* vocant, ostendit enim, omnia Mundi membra, per vitam vniuersalem, amore connecti; vnde & Sphæra amoris indigitatur; de qua pluribus tùm in Obelisco Pamphilio, tûm in Prodromo, alijsque huius Operis locis egimus.

XIV

Hic character Aegyptijs ⲙⲱⲟⲩⲓ id est, *Aqua* dicitur, quia fluxum aquæ exprimit, atque adeo κυριολογικὸν τοῦ ὕδατος σύμβολον est, respondetque M Coptitarum, Græcorum, Latinorumque; quo inter hieroglyphica nihil occurrit frequentiùs.

XV

Hic character Aegyptijs ⲍⲁⲛⲟⲩⲧⲓ id est, *Catena* dicitur, eò quòd catenam circulis connexam exprimat, & est κυριολογικὸν τῆς σειρᾶς τῶν Θεῶν σύμβολον, vti Psellus in Zoroastreæ Philosophiæ expositione docet, & respondet Græcorum ξ. Psellus.

XVI

Hæc litera idem est ac rerum elementarium processus ἄνω καὶ κάτω, quam figuram, cùm folio 387. Obel. Pamph. amplè exposuerimus, superuacaneum esse ratus sum, ijs hîc diutiùs immorari.

Κυριο-

XVII

P

κυκλολογικὸν τῦ ἅρπαγος σύμβολον est, ideo & harpagonis figura descripta fuit, quo Osiridis corpus à Typhone in fluenta Nili coniectum, ab Isi extractum fuit, frequentissimumque est inter hieroglyphica, & ϸ Coptum, Græcumque exprimit. Quare hæc de eo pauca sufficiant.

XVIII

Hæ duæ literæ κυκλολογικὰ, τῦ Ἡλίυ, καὶ τῆς σελήνης σύμβολα, quid repræsentent, ex ipsorum figuris cognoscitur, nimirum Solem & Lunam, & eadem sunt, ac ⲟ & ⲥ Copticæ literæ. Videntur hæ literæ in peruetusto fragmento ab immortalis memoriæ Viro Nicolao Pereiscio transmisso, quod hîc apponam; vbi vides quatuor statuas Serpente in circulum contorto inclusas, cum characteribus ⴲ/I, & figura in medio |ⲟⲥ|, quæ tametsi in Supplemento Prodromi, & Obelisco Pamphilio exposuerimus, ea tamen hoc loco veluti proprio vberiùs exponenda duximus.

Figura hieroglyphica à Peirescio missa.

Constat Ægyptios sua Deorum nomina passim duobus descripsisse nominibus Copticis, ⲫϯ ⲟⲥ ⲡⲟ̄ⲥ⳿ quorum illud Deum hoc Dominum explicamus. Prius ⲫϯ monogrammaticè ⴲ/I sic expressum habetur in Schemate, quatuor Mundi plagis oppositum. Inscriptiones verò seu nomina dicto characteri monogrammatico apposita, exhibent quatuor Mundi plagarum Numina, ⲛⲉⲙⲉⲑⲓⲧⲫϯ *Nembitphta*, ⲫⲣⲏⲥⲫϯ *Phrisphta*, ⲛⲓⲉⲫϯ *Niephta*, & ⲛⲉⲙⲉⲛⲫϯ *Nemenphta*, id est, Genius Septentrionis, Genius Austri, Genius Orientis, Genius Occidentis. Media verò figura |ⲟⲥ| idem significat ac Coptum vocabulum ⲡⲟ̄ⲥ⳿ id est, Dominus; symbolicè verò per ⲡ domum hanc mundanam, per ⲟ Solem, per ⲥ Lunam, teste Clemente Alexandrino l. 6. Stromatum indicant; Serpente verò annuum cyclum, teste Horo signant; quibus argutè quidem innuunt, Dominos huius mundanæ do-

Clemens Alex: Horus.

domus esse Solem & Lunam in medio constitutos, vt omnes Mundi partes ab hisce benignè influentibus participarent; vnde & π inferiùs apertum est, ad significandum, influxum & emanationem à superioribus in inferiora fieri, non contrà. Quòd itaque Mundi anima, & Vniuersi Spiritus in hac mundana domo influit, id per asseclas eius Genios quatuor Mundi plagarum Præsides, aptè disponitur, ac singulis pro recta proportione distribuitur; quòd denique dispositum aptèque distributum est, id Mundi Domini Sol & Luna ad omnigenam rerum generationem perducunt.

X I X.



Litera ⲧⲁⲩϥⲧ, id est, Thoth seu Mercurij dicitur, & T Hebræorum, Græcorumque T exactè respondet, de quo integro tractatu vide Obeliscum Pamphilium; vt proinde superfluum sit de eodem fusiùs hìc agere.

Atque hæ sunt 22 literæ, quarum in conscribendis, consignandisque rebus ad commune hominum commercium pertinentibus vsus erat, quæ & simul hieroglyphicis inscriptionibus seruiebant. Ex quibus manifestè patet, literas has, vtpote quæ mysteriosâ quâdam structurâ constabant, hieroglyphicorum quoque vsum habuisse, atque ijsdem nomina integra concinnata hieroglyphicis inscriptionibus inseruisse, quæ vti in Obelisco Pamphilio fol. 147 vbertim probata sunt, & in sequentibus interpretationibus suo loco & tempore demonstraturi sumus, sic eadem hoc loco iterare superuacaneum duximus. *Literæ Ægyptiorum inseruiebant etiam hieroglyphicis inscriptionibus.*

DIATRIBE III. PRAELVSORIA.

Quòd literæ Aegyptiacæ à Cadmo primùm in Græciam traductæ, & de linguæ Coptæ antiquitate.

MAgna sanè inter Authores de literis Græcis, vnde originem suam habuerint, controuersia est; alij enim Cecropi, quidam Inacho, nonnulli Palomedi earundem inuentionem adscribunt. Nos, vt paucis eam expediamus, asserimus, omnem tùm literarum, tùm scientiarum notitiam, primùm ex Ægypto in Græciam introductam. Et literas quidem alias esse non potuisse aio, quàm mysticas illas, quas paulò antè adduxi- *Græcarum literarum & scientiarum origo ex Ægypto.*

mus; quæ quidem ad quemlibet animi conceptum scripto exprimendum sufficiunt; tametsi Græci temporum successu semper alias & alias, vti ex Alphabeto illorum patet, adiecerint. Atque has literas vsui communi accommodatas, neglectis animalium figuris, per Cadmum ad Græcos primùm translatas, ex Herodoto in Terpsichore & alibi patet; quæ & ideo Cadmæa grammata, vel vt Herodoti verbis vtar, Φοινικὰ τοῦ Κάδμου γράμματα dicuntur. Vnde & consensus ille vetustissimus totius Græciæ satis conuincit, literas à Cadmo Græcos accepisse; neque causa est, cur rem tam manifestam aut negemus, aut Zetzæ neganti assentiamur; qui duplici argumento probare nititur, Græcos ante Cadmum literas habuisse. Prius est, quod Oraculum redditum fuerit Cadmo: Φράζεο δή μοι μῦθον ἀγήνορος ἔκγονε Κάδμου. Alterum argumentum; quòd Bellerophon antiquior Cadmo scriptas tabellas de sua cæde attulit. Vtrumque argumentum futile est, & à Poëtis vtrumque fictum. Quare Cadmeæ literæ vocatæ, si Cadmo Authori acceptæ non referuntur? Et si Cadmus Author est, aut saltem primus doctor & index earum in Græcia, quomodo ante Cadmum literas habuêre Græci, cùm vetustiores nusquam, quàm Καδμεῖα γράμματα vocentur? Quibus omnibus subscribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum: Κάδμος δὲ Φοίνιξ ἦν, ὃ τῶν γραμμάτων Ἕλλησιν εὑρέτης, ὥς φησιν Ἔφορος. Vnde etiam Herodotus scribit, literas fuisse vocatas Phœnicias: fuisse autem Cadmum & Phœnicem Ægyptios, S. Hieronymus testatur, eos temporibus Iosue floruisse, & Cadmum vnà cum fratre Phœnice Thebis Ægyptiorum, vnde oriundi erant, in Syriam profectum fuisse; vt verisimile sit, tempore Othonielis è Phœnicia in Græciam venisse, atque ibi in memoriam Thebarum Ægyptiarum, Thebas Bæotias condidisse, relicta fratri Phœnici Phœnicia, à quo & nomen obtinuit. Ægyptij autem Viri literas alias, quàm quas à puero in Ægypto didicerant, tradere non potuêre. Cadmum igitur fuisse primum illum, qui Græcos literis Ægyptijs perfectè imbuit, nulli dubium esse debet. Fuisse autem in Græcia ante Cadmum semen quoddam seu rudimentum aliquod harum literarum, fuisseq; iam tunc in Græcia doctissimos Viros, ex Philone patet, qui refert in vita Moysis, ex Græcia ad eius instructionem doctissimos quosuis magnis promissis vocatos fuisse. Vel itaque proprias tunc temporis habuêre literas, siue à Cecrope primo Atheniensium Rege ex Ægypto illatas, siue ante eum ab Inacho introductas, vnde fabulam postea emersisse (literas Græcos habuisse ante Cadmum) verisimile est; siquidem Cecrops & ipse Ægyptius, Cadmo ferè vno seculo antiquior, & Moysi, teste Eusebio, synchronus, ideo, Tetza teste, Διφυὴς dictus fuit, quòd Græcam & Ægyptiacam linguam ex æquo calleret. Hunc etiam βουλαγίαν ex Ægypto in Græciam vnà cum alijs cœremonijs transtulisse, Author est Pausanias; de quo & Tetzes ita canit.

Herodotus. Cadmus ex Ægypto literas traduxit in Græciam.

Cadmus Græcarum literarum inuentor

Clemens.

Herodotus. Cadmus & Phœnix Ægyptij.

Philo.

Cecrops Aegyptius.

Pausanias.

Πρῶτος ἁπάντων Ἀττικῆς ὁ Κέκροψ βασιλεύς
Ὁ πρῶτος, ὁ καλούμενος καὶ διφυὴς τοιῶσδε
Ἢ ὅτι μέγεθος ἀνδρῶν δύο πρὸς μῆκος εἶχεν
Ἢ ὡς Ἑλλάδος ἔμπειρος, καὶ Αἰγυπτίας γλώσσης.

Pri-

Primus omnium Atticæ Cecrops Rex; & primus, qui vocatur Διφυὴς, *eò quòd magnitudinem virorum duorum in longum haberet, & quòd Græcæ & Ægyptiacæ linguæ peritus esset.*

Literas igitur Græcas ab Ægyptijs primùm profectas, ex dictis patet. Vtrum autem lingua Græca quoque ab Ægyptiaca processerit, meritò quispiam dubitare posset. Affirmatiuam in Prodromo Copto capite quarto asseruimus; Verùm quotidianâ experientiâ instructior tandem comperi, linguam Ægyptiacam ex matribus vnam αὐθέντων cum nulla alia affinitatem, quantum quidem ex idiotismo, coniugatione, & inclinatione nominum colligere licuit, habere: neque nos mouere debent vocabula ἑλληνισμὸν redolentia, vocesque Græcanicæ passim in Lexico occurrentes. Siquidem huiusmodi vocum cum Copticis vocabulis commistionem, primùm Alexandri Magni & reliquorum ex Ptolomaica stirpe prodeuntium Regum, Ægypto potiuntium temporibus, ex frequenti, quod ipsis cum Græcis vltrò citròque commeantibus, trecentorum & ampliùs annorum spacio intercedebat, commercio contigisse, alibi fusè docemus, & Copticæ circa id à me consulti id ipsum affirmant. Non itaque verba mea in Prodromo Copto hoc sensu intelligi velim, quasi asseuerem, Græcam linguam ad Ægyptiacam eâ se ratione habere, vt Chaldæa v.g. lingua ad Hebræam, aut Italica ad Latinam, sicuti quidam opinati sunt; quarum hanc Latinæ, illam Hebraicæ linguæ filiam esse, nemo nisi dictarum linguarum imperitus inficiabitur: non enim sentio Græcam ab Ægyptia originem suam immediatè traxisse; multò minùs Græcam linguam Ægyptiam corruptam dicendam arbitror. Sed totam similitudinem vtriusque ad inuicem ex vocum commistione, vt dixi, contigisse is nouerit, qui vnam cum altera ἀκριβέστερον contulerit. Possunt enim aliquæ linguæ ijsdem vocibus alteri linguæ vsitatis vti, etiamsi ipsæ quoad substantiam toto, vt aiunt, cœlo discrepent: ita Germanica multas voces Latinas, Italicas, Gallicas interserit; Latina quoque Græca vocabula libens suscipit, cùm tamen vtraque diuersissima sit ab ijs linguis, à quibus mutuatur; quæ fusiùs alibi tractata reperies. Quin & lingua Copta non Græcis tantùm vocabulis, sed & Latinis, Arabicis, Hebraicis, Samaritanisque, ex vicinarum, vt reor, nationum consortio vtitur. Verùm cùm hoc linguæ Coptæ Argumentum peculiari Opere, quod Linguam Coptam restitutam vocamus, pertractauerimus, ad illud Lectorem remittimus, ex quibus facilè sagax Lector cognoscet, quæ vocabula Græcæ, quæ originis Ægyptiacæ sint.

Vtrum lingua Aegyptiaca à Græca processerit, aut contrà.

Verùm hoc loco omittere non possum, quin ea interseram, quæ summus Vir Petrus à Valle, & amicus, dum viueret, singularis in 11. Epist. Itinerarij sui de lingua Coptica asserit; congrua sanè ijs quæ iam in præcedentibus docuimus. Verba eius Italica sunt sequentia. *Poiche siamo in questo proposito di lingue, voglio dire a V. S. vn'altra curiosità delle mie Mumie, che l'accennai di sopra, quando promisi di parlare delle lettere Egittie. Hò dunque da sapere, che quì in Egitto, frà quei Christiani, che hò nominati altre volte Cofti, hò trouato vna lingua particolare, con vna scrittura, i caratteri della*

Petrus à Valle.

 quale,

quale, tanto di forma, quanto di nome, sono tutti Greci (benche alterati vn po- nella pronuntia) eccetto di otto, che ne hanno di più de' Greci, di pronuntia, e figura differenti: frà i quali ancora, volendo io per curiosità hauerne vn poco di cognitione, ci hò trouato qualche corrispondenza con le cose Greche, e di tali particolari, de' quali ne anche da' Greci poteua saper la ragione. Verbi gratia: Scriue questa lingua Costa i suoi numeri arithmetici con le lettere dell' Alfabeto, come fà a punto la Greca: ma i Greci, non hauendo tante lettere, che bastino ad esprimere tutti i numeri, V. S. sà, che suppliscono con altre figure, e particolarmente il 6. lo segnano con vn ϛ. Sigmatau. Però io dico, se le lettere non bastano, che si trouino da i Greci altre figure, và bene: ma perche mettere così presto il ϛ al numero di sei, e non seguitare l'ordine delle lettere, fin che ce ne sono, essendoci tempo di supplire a quelle, che mancano, nel fine? Di questo, non trouo Greco, che mi sappia dar la ragione: ma sì ben l'hò trouata nella scrittura de' Costi: perche l'Alfabeto loro hà vna lettera al sesto luogo, che i Greci non l'hanno; la figura della quale è a punto vn ϛ, però essi la chiamano So, e la pronuntiano come S, ma dal Sigma in qualche cosa differente: e così giustamente questa figura viene ad occupare il sesto luogo frà i numeri dell' arithmetica. De hisce fusè tractatum vide in Prodromo Copto. *Di più la figura che li Greci mettono per 90. non è molto dissimile dalla lettera, che vi mettono i Costi. In somma, da questi, e da altri inditij, raccolgo, che senza dubbio, ò la scrittura Costa dalla Greca, ò la Greca dalla Costa hà origine, benche le lingue siano frà di loro affatto diuersissime. Che i Greci habbiano dato la scrittura a i Costi, nè dà inditio il loro nome moderno, che è Greco, e secondo alcuni non vuol dire altro che Tagliato; e dicono che fossero così chiamati, perche questi Christiani che sequitarno già l'heresie d'Eutiche e di Dioscoro, prima del battesimo vsauano di circonciderſi; da che pigliarono anche nome di Christiani della Cintura, cioè dalla cintura in sù, perche da quella in giù, per la circuncisione, pareuano più tosto Ebrei. Di più sappiamo, che Alessandro edificò Alessandria, e lasciò colonie in Egitto, che poterono insegnare a i popoli la scrittura loro, & anche in parte la lingua; già che nella Costa si troua pur ben spesso alcun vocabolo Greco, ma pronuntiato all'antica, co' i diftonghi stesi, con la H per sono di E, e con simili circonstanze, che da i Greci moderni, per mille inditij, conosciamo essere state mutate. Ma in contrario poi vedo, che i Costi ne i loro libri si chiamano Egittij, come accennai nel principio; e che forse il nome di Costo, ò per ingoranza è corrotto, ouero per burlargli come Circoncisi, è stato dato loro da i Greci moderni, cauato dalla somiglianza delle voci; perche la parola Costo, che in Greco può significar Tagliato, si assomigla vn poco al nome* ⲡⲉⲅⲩⲡⲧⲓⲟⲥ *Guptios, cioè Egittio, co'l quale essi in lingua loro si chiamano; e più anche a Cubtì, che e la voce significatrice pur di Egittio, con cui son chiamati dagli Arabi. La qual parola Cubtì, potrebbe anche essere, che dagli Arabi per auuentura fosse stata dedotta dal nome della Città Coptos, che in Egitto, cioè nella Thebaide, era vn tempo principale, e commune di Egittij, e di*
Strabo. *Arabi, secondo Strabone. Che, se ben mi par duro, che a tutti li Egittij quella Città, la quale non si sà che fosse mai la reggia de tutto'l paese, hauesse potuto dare il nome, quantunque lo desse ad vna sola Prouincia, di cui era capo, che a detto di To-*
Ptolomaus. *lomeo da essa prendeua il nome di Coptites nomos; tuttauia non sarebbe impossibile, che*

Degli Arabi, che tanto l'haueuano in prattica, applicando idiotescamente, come spesso si suol fare, il nome di vna parte al tutto, con quello, che era proprio de' i soli cittadini di Coptos, città nell'Egitto a loro più delle altre nota, hauessero in lor lingua tutti li Egittij vsato di chiamare: e che questo vso poi anche dentro all'Egitto si sia fatto familiare, dopo che di quello gli Arabi s'impatronirono; la lingua de' quali hoggi communemente da tutti vi si parla; perche questa Costa, ò Egittia, frà di loro stessi è perduta; e solo hanno in essa alcuni libri sacri, dicendo ancora la Messa in quella lingua: ma perche poco, ò nulla l'intendono, sono tutti i libri tradotti in Arabo, e l'Euangelio, con l'Epistola, che è necessario d'intendersi, lo leggono due volte, in Costo, & in Arabo, come il Papa, che nelle Messe solenni lo fà leggere in Greco, & in Latino. E questa perdita della lingua Costa è auuenuta, perche li Arabi, quando si fecero padroni dell'Egitto, la prohibirono affatto, che nè anche si parlasse, per introdur la loro, come apunto è seguito; Vide Prodromum Copticum verbis Petri a Valle in omnibus subscribentem. *Essendo dunque i Costi Egittij, dobbiamo creder, che siano molto antichi; e si sà, che i popoli dell'Egitto sono assai più antichi di quelli della Grecia; la quale antichità di ragione douerebbe seguitare anche la scrittura: e non è inuerisimile, che i Greci dagli Egittij l'habbiano hauta; poiche Cadmo, che ne fù a i Greci primo inuentore, la portò dalla Fenicia, che non è dall'Egitto molto lontana, doue allhora per auuentura i medesimi caratteri, che in Egitto, poteuano vsarsi: anzi senza dubbio è di creder, che si vsassero, già che Diodoro Siculo chiaramente afferma, che Cadmo haueua origine da Thebe di Egitto; e si vede, che per questo alla città che in Grecia ei fabricò, pur Thebe mise nome. E che gli Egittij in quei tempi hauessero lettere, dobbiamo crederlo, poiche si sà che furono sempre huomini dotti. Mi conferma in questa opinione dell'antichità della scrittura Costa la ragione, che hò detta del ϛ incognita a i Greci, e la pronuntia de' dittonghi, e della lettera H, e dell'Y, che tutte mostrano antichità grande, e maggiore almeno di quella del nome Costo, che senza dubbio è moderno. In somma, c'è da dire; e la questione è curiosa.* Quod verò antiquitatem huius linguæ maximè comprobat, sunt nonnullæ voces Aegyptiæ, quæ subinde inter hieroglyphica occurrunt; de quibus vide Prodromum & Supplementum eius, Obeliscum quoque Pamphilium. Et confirmat nostram sententiam Petrus à Valle in citata epistola his verbis. *Ma sopratutto le mie Mumie danno vna gran botta, alla seconda opinione fauoreuole; cioè, che la scrittura de' Costi sia antichissima, e forse più della Greca; perche in vna delle due Mumie, che presi intere, trà gli altri ornamenti e pitture, come già raccontai, ci hò trouato anche lettere Coste* ⲉⲧⲧⲓϫⲓⲉ *che io le conobbi subito; e son quelle lettere Egittie, che dissi, del nome proprio, conforme io stimo; e questo me la fece tanto più piacere. E la mia Mumia è antichissima senza dubbio, e fin di quei tempi che in Egitto si vsauano i hieroglifici: il che si proua, non solo dagl'idoletti dipinti, e dalla memoria, che c'è nelle historie di questo modo di sepellire; ma dall'hauer' io stesso nel pozzo medesimo, donde è stata cauata la Mumia, trouato e preso con le mie mani quella testa di tela incollata, soura la cui fronte vi sono molti caratteri hieroglifici, e quel cassone di legno di vn'altro corpo, che, come dissi di sopra, di hieroglifici è pur tutto intagliato; e se stauano tutte queste cose in vn pozzo, senza dubbio erano del medesimo tempo. Cosa, che proua non solo l'antichità della scrittura Costa; ma vn'al-*

Diodorus Siclus.

vn'altro particolare ancora, non men bello: cioè, che i hieroglifici in quei tempi non fossero altrimenti lettere comuni degli Egittij, come forse alcuni hanno pensato; ma che fosse vn'altro modo recondito da esprimere i concetti occultamente, quasi come le nostre Imprese; ouero, se pur erano lettere (come io credo) che fussero caratteri sacri, non adoperati comunemente in tutte le cose; conforme Diodoro Siculo, e molto prima di lui Herodoto ci hà lasciato scritto, che gli Egittij haueuano due sorti di lettere, sacre, e profane; e che la popolare, e comune lettera Egittia di quel tempo fosse questa Cofta, della quale io parlo. Che se ben Herodoto nell'istesso luogo dice, che gli Egittij al contrario de' Greci scriueuano dalla destra alla sinistra, il che nella scrittura de' Cofti non auuiene; può esser nondimeno, che egli ciò intenda della scrittura sacra de' hieroglifici, non ispecificando d'intenderle amendue: e l'ordine de' hieroglifici nello scriuersi, come senza dubbio dee cominciar dall'alto in giù, così forse, doue sono più linee di essi, o vna linea sola per trauerso, dee proceder dalla destra alla sinistra, come Herodoto dice, e come intendo, che auuiene ancora de' caratteri de' Cinesi. Però, sia come si voglia, di questa scrittura Egittia de' Cofti, io ne tengo già appresso di me alcuni pochi libri, cioè il Salterio intero di Dauid, l'Euangelio intero di San Giouanni, & alcuni altri, che tornando in Italia con la gratia di Dio, potrò mostrargli, e leggerli a chi ne fosse curioso, e tenergli almeno per ornamento della mia libreria. Ma trà gli altri vno, che ne hò, e che stimai gran fortuna di trouarlo, il quale contiene da quattro Autori, che scriuono in Arabico (breuemente in vero, ma forse a sufficienza, trà tutti insieme) la Grammatica di questa lingua Egittia; e di più due Vocabolarij con circa a sei mila voci Egittie, le più importanti, interpretati pur fedelmente da tempo antico in Arabico. se in Roma, ò altroue, doue della lingua Arabica comincia pur ad esserui qualche intelligenza, vi trouasse mai chi co'l mezo di essa potesse questo mio libro in Latino interpretarce; e, come io non mancherò di vsarne diligenza, potessimo per mezo delle stampe propagarlo, e comunicarlo in tutto'l Mondo a i Letterati; spererei che in tal modo anche questa perduta e morta lingua Egittia de' Cofti si potesse al Mondo risuscitare, con notabil beneficio e delle belle lettere per la sua antichità, & anco della Chiesa, per esser le poche reliquie, che di questi Egittij hoggi restano, Christiani antichissimi, e da tempo molto antico dalla Chiesa Romana separati. Quicquid hoc loco desiderat Petrus à Valle, id in Thesauro linguæ Aegyptiacæ, quam & linguam Aegyptiacam restitutam vocamus, ex ipsius dicti Petri Archetypo, quód in hunc finem mihi concesserat, vti in Præfatione dicti Thesauri patet, præstitimus. *E, come hanno tutta la Sacra Scrittura in questa lor lingua, e molte altre cose ancora, che alla religione appartengono; tutto quello, che frà di loro si trouerà conformarsi con noi, sarà di grande argomento contro gli Heretici moderni dell'Europa, che in tante cose da noi discordano, nelle quali tuttauia i Christiani oltremarini, e separati da noi per tanti secoli, si vedono ad ogni modo con noi conuenire. Hà inteso V. S. in diuersi propositi lunghissime digressioni, che con altri, che con lei, non le haurei fatte giammai; perche discorsi simili alli orecchie di certi poco intendenti, paiono, & io lo sò, mere pedanterie; & al gusto degli altri bisogna in questo Mondo accommodarsi, almeno in apparenza.* Hæc Petrus à Valle. Restat tantùm hoc loco enodandum

Diodorus Siculus, Herodotus.

Herodotus.

Vtrum

*vsum hieroglyphica lectionem quandam. vt in alijs scripturis consi-
ciant, & quomodo lectio instituenda.*

CVm hieroglyphica symbolicos & mysticos conceptus per signa quædam summâ ingenij felicitate inuenta explicent, illa certè nequaquam syllabis, vocibus, periodis constare possunt, vti iam sæpe sæpius probauimus contra eos, qui nescio quibus argumentis persuasi, sub hieroglyphicis historias & laudes Regum contineri simpliciùs credunt. Nam, vt rectè Iamblichus, cùm Ægyptij mysteria occulta symbolis inserant manifestis, in ijs interpretandis dimitte voces, accipe sensus. Sed hoc ita se habere, iam aliquot exemplis enodandum duxi. Sequens figura



tutulus est, & partim Deorum capitibus imponitur, partim seorsim occultam suam significationem habet. Nam hâc figurâ Isiaci templi Romæ coronidem insignitam fuisse reperio, ex innumeris saxis, quibus hæc figura insculpta cernitur, & duo adhuc in meo spectantur Museo; separati quoque sæpe sæpius huiusmodi tutuli spectantur in minutiorum characterum limbo Tabulæ Isiacæ, vt suo tempore videbitur. Figura constat ex flamma, binis aspidibus sphœras in capite gestantibus, & fasciculo gramineo cum flore & fructu, quibus globus imponitur. Hic character hieroglyphicus est, non literã, non syllabam, aut vocem, sed integrum idealem sensum animo oggerens; & ille est, qui sequitur. [Deorum natura æterna & immortalis vitam, ignem, calorem, motum, rerum vbertatem omnibus ritè eos colentibus tribuens] Erat autem non tantùm dictarum rerum significatiuum, sed & insuper adiunctam habebat efficaciam, quo

posito

posito mox per occultam symbolorum rationem Dijs mirificè acceptam, id se, quod significabant symbola, obtenturos credebant; significabat præterea non operationes tantùm, quas in Mundo Archetypo, sed & quas in Sidereo & Elementari efficiebat. Tutulus enim se solo Mundi Archetypi rationes indicat; Accipitri impositus, Siderei Mundi virtutes; Isi verò impositus, aut Nephti, aut Elementaribus Genijs, Elementares indicabat operationes; & sic sentiendum est de omnibus alijs hieroglyphicis, vt in serie huius Operis exponetur. Hinc ea hieroglyphicorum natura est, vt deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum, & quocunque tandem situ ponantur, sensum suum integrum & perfectum sortiantur, pro diuersorum subiectorum quibus incidebantur conditione, quemadmodum de simplicibus characteribus suprà retulimus. Nam in Obeliscis vt plurimùm perpendiculari situ in columnis suis exhibebantur; in tabulis verò marmoreis, planum situm & Horizonti parallelum obtinebant; in statuis verò mistum ex omnibus, perpendicularem, horizontalem, decliuem, sparsum interruptumque ordinem seruabant literæ; quod & in Tabula quoque Bembina videre est, vti suo loco dicetur.

Quod cùm dico, nemo sibi persuadeat velim, characteres ideo temerè & sine ratione positos; minimè; erat enim summa symbolicorum huiusmodi characterum connexio, & mirifica dispositio, quâ semper vnus conceptus alterum excipiebat. Verùm cùm ea sufficienter, nisi ipsâ praxi, explicari non possint, Lector curiosus hæc omnia luculentiùs in secutura mox hieroglyphicorum monumentorum interpretatione intuebitur, & quæ dixi, vera esse ipso experimento doctus comperiet.

DIATRIBE IV.

Hierogrammatismorum reliquorum quæ in Obelisco Pamphilio expositi non fuerunt, Interpretatio.

Hierogrammatismi in Obel. Pamph omissi explicantur.

CVm in Obelisco Pamphilio plerosque Hierogrammatismos hieroglyphicos amplè & copiosè exposuerimus, nonnullos tamen omiserimus; hìc opportunè inserendos existimaui, nè quicquam, quod ad hieroglyphicum negotium pertinet, omisisse videremur. Et quod quidem ad sacrorum animalium quadrupedum hierogrammata spectat, omnia exhibita esse ibidem nouerit Lector; quare ad auium quarundam, insectorum, plantarum, instrumentorum describendos Schematismos, calamum conuertamus.

CAPVT I.

Meleagridis, & Anseris Hierogrammatismus.

QVid propriè Meleagris sit, varij variè exposuerunt; alij Meleagrim Pauonem dixerunt; nonnulli Gallum Indicum; alij Pharaonicam Gallinã; alij Stymphalides aues; Penelopes alij dixerunt. Certè quid Meleagris propriè sit, figura hieroglyphica huius auis, inter hieroglyphica frequentissima, satis ostendit: Est enim nihil aliud, quàm volucris illa, quam vulgò gallinam Pharaonis appellant; cuius totum corpus coloris cerulei innumeris, ijsq; nigris conspersum maculis veluti quibusdam figuræ elegantissimæ & pulcherrimæ componitur, capite osseo, nescio quid triangulare mentiente, dorso in gibbum aliquantulum protuberante, collo longiusculo, & cauda exili; cuiusmodi hìc Romæ in viridarijs Principum spectantur, & non infrequenter in tabula Bembina, vt suo tempore videbitur. Has Isidi sacras testatur Pausanias in Phocicis. Nam Isidi Tithoreæ binæ quotannis nundinæ celebrabantur, Vere nempe, & Autumno; tertio verò ante vtrasque die, quibus eius penetralia introire fas erat, incolæ Tithorenses se arcano quodam ritu lustrabant, & eorum quæ proiecta erant superioribus nundinis extorum reliquias, in eundem semper locum deportatas defodiebant, atq; iste eis solennis diei ritus erat; postero verò die institores tabernas sibi ex arundine & fortuita quapiam materia erigebant; tertio postremùm die, qui ad eas nundinas venerant, supellectilem, & quoduis pecudum genus, vestem quoque, & argentum vendebant; pomeridianis verò horis ad sacra animum adijciebant, lautioresque, hoc est, ditiores, boues & capras, quorum tenuior res familiaris esset, Anseres & Meleagrides aues Deæ immolabant. Dicuntur Meleagrides, ob Meleagrum interfectum, ad cuius sepulchrum sorores eius plangebant; aiuntque Dianam eas in Meleagrides conuertisse; de quibus vide Mythologos, & Ouid. l. 8. met. Atque hæc quidem Græcorum de Meleagridis auibus sententia est; Ægyptij verò multò aliâ ratione de Meleagride Gallina philosophabantur. Cùm enim viderent, totum huius volucris corpus ineffabili quâdam symmetriâ constitutum, stellulisque toto corpore veluti in firmamento quodam distributis concinnatum; in eam venêre opinionem, Animam Mundi, quam ipsi Pantamorphum naturæ Genium appellabant, in huius sibi volucris corpore sedem constituisse, perque idipsum hominibus sagacibus auem se aperire circa eas res, quas tantâ maiestate, ordine, dispositione, & varietate fulgere intuerentur, putabãt. Hinc Pantamorphę naturę Genio, seu fundo paterno hanc auem veluti aptissimum symbolum attribuebant. Triquetrum caput habet, ad indicandum tres triades, quibus fundum paternum constituebatur; corpus ceruleum habet gibbosum, seu in formam arcus effectum, quo firmamenti arcuatam & ceruleam superficiem notabant, non secùs ac huius volucris corpus ceruleum, innumeris stellis exornatam. In Tabula Bembina capiti Pantamorphæ naturæ imponitur, cuius significatio

Meleagris quid. — *Pausanias. Meleagris Isidi sacra.* — *Meleagrides vnde dictæ.* — *Ouidius.* — *Meleagrides ex Ægyptiorum sententia quales.* — *Meleagridis caput triquetrum.*

Abenephius. ſuo tempore exponetur. Sæpe quoque contracto collo veluti dormire videtur. Sed audiamus Abenephium:

الدجاجة فرعون هي علامة الفلك الفلوك ۞

Gallina Pharaun illud eſt ſignum firmamenti ſiue ſtellarum fixarum. Vti enim firmamentum varijs ſtellis ornatum eſt, ſic Gallina Pharaonis maculis veluti ſtellulis quibuſdam variegata eſt; vnde Ægyptij per eam rectè firmamentum, & præſidem eius ſignificabant. Atque hæc de Meleagride ſiue Gallina Pharaonis ſufficiant.

Anſeris hierogrammatiſmus. Anſeris figura ſubinde quoque inter hieroglyphica conſpicitur; quibus quidem Ægyptij nihil aliud indicabant, quàm Gubernatorem cautum & vigilem; eſt enim Anſer animal vigil, & ad minimos ſtrepitus vocem tollendo gratitat, ad natandum apprimè à natura inſtructum; hinc Chœniſcos appellabant illam nauis partem, quam puppim vocant, Anſeris effigie ornatam, teſte Bayſio. Fuiſſe autem inauratam effigiem Anſerinam *Lucianus. Anſeris figura nauium puppes ornabantur.* Lucianus in Dialogo, qui πλοῖον ἢ εὐχαὶ inſcribitur, teſtatur; Ὡς δὲ ἡ πρύμνα μὲν ἐπανέστηκεν ἠρέμα καμπύλη χρυσοῦ χοίνισκον ἐπικείμενον. *Vt ipſa verò puppis ſenſim inſurgit inflexa, aureo anſerculo ornata.* Erat enim boni ominis nauis Anſer in nauigationis negotio, & quemadmodum Anſer facilè natando ad littus peruenit, ita & nauim felici progreſſu portum, quem peteret, obtenturam felici huius auſpicio credebant. Hinc Anſeres Iſidi immolatas *Herodotus. Pauſanias.* teſtantur Ariſtides, Herodotus, & Pauſanias. Petrus Marſus apud Herodotum inquit, *Inueni Ægyptios Sacerdotes olim ſolitos bubulinis & anſerinis carnibus veſci, à quibus Iſis colitur, quam quidem Lunam eſſe volunt, cui inſunt Lunaria fronti cornua. Anſer enim eius temporis, quod eſt Lunæ proprium, id eſt, noctis ſilentium turbat.* & paucis interiectis verbis, *Sanè,* inquit, *Io Inachi Archiuorum Regis filia, à quo fluuius nomen accepit, à Phœnicibus rapta eſt,* vt Herodoto placet, *atque in Ægyptum deducta; poſt mortem verò Iſis eſt appellata, atque Ægypti Genius,* teſte Seruio, *eſt habita*; vbi eius ſimulachrum ſiſtrum manu tenens dextrâ, ſiniſtrâ ſitulam bubulis præditam cornibus fuit; hæc in Buſiri templum habuit, vbi ei rem diuinam aqua & igni Sacerdotes faciebant, in monumentum nauigationis, quâ Io in Aegyptum delata eſt; quam ob cauſam factum eſt, vt Anſer Iſidi conſecraretur, quæ aquis gaudere conſueuit; ſicuti Iſis Nilo, cuius Genius eſt & Gubernatrix. Verùm cùm de Anſeris hieroglyphico ſuo loco fuſiùs dicturi ſimus, hoc loco dicta de Anſere ſufficiant. Reſtabat de piſcis hierogrammate dicendum; verùm cùm proprijs locis & occaſionibus hoc argumentum fusè tractauerimus, hìc ei diutiùs immorari noluimus. Vide Obeliſcum Pamphil. fol. 526. & in ſequentibus, Obeliſcos.

CAPVT II.

De Herbis & Plantis hieroglyphicis.

ÆGyptij mortalium curiosissimi, quemadmodum diuersos numeros diuersis Dijs, vt in Arithmeticis docuimus, dicare consueuerunt, ita mirâ quâdam ratione numeros huiusmodi mysticos rebus naturalibus ad prodigiosos effectus producendos applicabant; quod in vegetabilium argumento maximè patuit. Vnitatem siquidem supremo Numini & causæ causarum, ex quo, vti ex perenni quodam fonte, omnia profluunt, dicabant; Palladi dyadem; Mineruæ triadem; tetradem Apollini; pentadem Isi; hectadem Osiri; heptadem Mercurio; octadem Ammoni; & sic de cœteris numeris totidem Dijs dicatis idem iudicium esto. Posthæc herbarum folia quem numerum obtinerent, inquirebant; & quæ herba numerum aliquem certo Numini dedicatum folijs adæquaret, illam eidem quoque consecrabant, tanquam ad œconomiam dicti Numinis pertinentem. Flores denique secundùm numerum foliorum, quibus ornabantur, vnà cum figura & colore examinabant; & si quem florem Numini alicui quoad numerum, figuram, colorem correspondentem nacti essent, illum eidem Numini tanquam maximè appropriatum consecrabant; hoc eidem sacrificia peragebant, tanquam ad sollicitandum Numen efficacissimo; quos tandem longâ experientiâ docti tanquam ad dictorum Numinum catenas pertinentes, sacro hieroglyphicorum albo adnumerabant. Simili ratione numerum internodiorum in thyrsis plantarum, thyrsorumque figuram, num rotundus, num trigonus, aut tetragonus esset, ritè disquirebant; quibus quidem cœremonijs iuxta analogiam dictarum rerum adhibitis, mirandos tùm in Medicina, tùm in somnijs per diuinationem, effectus se exhibere posse credebant. Siquidem de cura alicuius morbi consultaturi, antequam lecto se committerent, complures huiusmodi plantarum florumque characterismos ante se ponebant, Numina sollicitantes, vt quæ ex dictis herbis ad morbi medelam conducerent, per somnia monstrarent; & quæ in somnio occurrisset, illam ad curam morbi diuinitùs demonstratam arbitrabantur. Non secùs in alijs consultationibus procedebant, de quibus vide quæ ex varijs Authoribus in Magia, & Theologia hieroglyphica adduximus.

Numeros Dijs suis dicabant Ægyptij

Folia & flores numeros Dijs congruentes habentes, dicabant ijsdem Ægyptij.

Plantarum & Herbarum vires per somnia inquirebant Ægyptij.

Præterea summè quoque characterismos singularum plantarum, cuinam is videlicet humani corporis membris responderet, idque meliùs exprimeret, vti in Medicina hieroglyphica fusè tradidimus, obseruabant. Hanc enim eidem membro maximè consentaneam esse existimabant, quæ figura sua extrinseca, & analogâ quâdam signaturâ id expressisset. Verùm vt huius aliquod tibi specimen præbeamus, hìc nonnulla herbarum schemata apponere voluimus, vt mens Ægyptiorum luculentiùs in Botanica doctrina innotesceret. Si quam itaque herbam cordi quoad figuram similem deprehendissent, eam cordis affectibus mederi certò certiùs sibi persuadebant; siquidem occulta sua signatura Numen illud quod cordi

præeſſet, aduocari credebant. Cuiuſmodi erant Antoræ radices, vti ex præſenti figura patet. Iterum herba quæ figurâ ſuâ pulmones exprimeret, illam eandem remedium maximè appropriatum ad pulmonis morbos propulſandos eſſe arbitrabantur, cuiuſmodi erat à pulmonibus dicta, Pulmonaria, vt ſequitur,

Antoræ radices Cardiacæ ſunt, quia Cor exprimunt.

Herba Pulmonaria quia pulmonem exprimit, pulmonibus confert.

Hoc pacto dentibus, oculis, veſicæ mederi dicebantur ſequentes herbæ: Dentaria, Anthemis, Colutea, ſeu Staphylodendrum Ægyptium, quia radicibus, floribus, folliculis, dentes, oculos, & veſicam exprimebant. Geneticis verò membris omnes orchidum ſpecies mederi credebant, quia membra genitalia radicibus ſuis referebant, vti ſequens Cynoſorchis docet. Hoc pacto Hermodactylum, quia radice ſuâ manus exprimit, vti figura docet, articularibus morbis, ſiue chiragræ prodeſſe dicebant. Profluuio capillorum ſiue Alopeciæ medebantur Adianto ſeu Polytricho, quia capillos exprimebat, vti ex figura ſequenti patet. Si quem verò Scorpius momordiſſet, eum radice Scorpionis, quam herbam nos Doronicum ſeu Aconitum pardelianches vocamus, curabant, quia radix huius herbæ figurâ ſuâ perfectam Scorpionis figuram & ſimilitudinem exprimit, vt figu-

ra

ta apposita luculenter docet. Non secùs de alijs plantarum signaturis & characterismis ratiocinabantur. Verùm cùm hæc omnia vberrimè in Medicina hieroglyphica tradiderimus, hìc longiores esse nolumus; sed ad Plantarum Aegyptiorum, quarum in hieroglyphicis, & sacrificijs ingens vsus erat, descriptionem calamum admouemus.

Dentaria dentibus, quos refert, prodest.

Anthemis herba oculos, quibus medetur, floribus refert.

Colutea vesicæ, quam refert, prodest.

Adiantum seu πολύτριχον, quos refert,

profluuio capillorum, medetur.

Cy-

Cynoſorchis generationi confert, quia eius organa exprimit.

Palma Chriſti, ſiue Hermodactylus, articularibus morbis prodeſt.

Aconitum pardelianches Scorpionis morſui, quem radice refert, prodeſt.

De herbarum & plantarum viribus libri conſcripti ab Ægyptijs.

De viribus herbarum, plantarumque Ægyptios Veteres plurimos conſcriptos habuiſſe libros, cùm Synopſis Codicum in primo Supplementi capite producta, tùm Author Scalæ magnæ ſatis demonſtrat, qui in denominationibus maioris momenti paſſim allegat Codices, ſiue Exemplaria antiqua his verbis;

وهدا في نسخة عتيقة

Hoc autem vide in Exemplari antiquo. Quin & Chironis Ægyptij, quem alij Aſclepium appellant, vetuſtiſſimus de herbarum viribus Codex, quem in ſuo de plantarum proprietatibus libello paſſim allegat Apuleius, id ſatis demonſtrat; ſiquidem denominationes plantarum omnes Ægyptiacas ſiue Coptas eſſe, non aliâ probatione indiget, niſi mutuâ ſingularum ad inuicem factâ collatione. Hiſce alius Arabicus Codex Vaticanus ſubſcribit, quem olim videre licuit beneficio Clariſſimi Viri Domini Rainaldi I. V. D. & Bibliothecæ Cuſtodis, in quo, cùm de occultis plantarum proprietatibus tractat, denominationes Ægyptiacas earundem adducit ita ſimiles ijs, quæ adducuntur ab Apuleio, vt ex eodem Chironis fonte vtriuſque doctrinam Codicis hauſtam clarè pateat. Verùm

Libri Ægyptij de herbis & plantis.

tum nè Rempublicam literariam hac nouâ ſupellectilis acceſſione defraudemus, hìc earundem genuinam ſignificationem ſubiungendam duximus.

Certè Aegyptios ex plantarum œconomia magnam hieroglyphicorum ſupellectilem congeſsiſſe, ex Obeliſcis, tabulis, ſtatuis ſat superque demonſtratur; quæ, quantum fieri poteſt, hoc loco exponenda duximus, nè in actuali hieroglyphicorum interpretatione Lectori confuſionem potiùs, quàm claritatem adferant. Et de vegetabilium hieroglyphicis, ferula, iunco, papyro, eorumque thyrſis, ramis, baculis; item de loto, perſea, ſcirpis; item de baculis, coronis, & alijs ex ijs fieri ſolitis, cùm ampliſsimè in Obeliſco tractauerimus, ijs omiſsis, ad alias plantas hieroglyphicas ibidem omiſſas, deſcribendas calamum conuertamus. Sed ad Rhombum.

§ I. ⲁⲕⲁⲕⲓⲁ planta Aegyptia eſt, quam Arabes سنت *Sant* appellant; in Aegypti locis à mari remotis naſcitur, creſcuntque huiuſmodi arbores ad mori magnitudinem, ramoſque ſurſùm latiùs expandunt. Caudex magnitudinis pruni, corticem habet nigrum, aſperum, acutiſſimiſque ſpinis munitum; folia habet longiuſcula, minutiſſimè inciſa; flores paruos, at aureos producit, globulis lanuginoſis præſtantiſſimi odoris, platani globulis, ſi colorem demas, ſimillimos; ſemen ſiliquis, minoribus tamen charubijs, incluſum geſtat. Hanc herbam Aegyptijs ſacram fuiſſe, & inter hieroglyphica receptam conſtat, eò quòd occulto quodam naturæ luſu Solem appetat; ſurgente ſiquidem Sole, non ſecus ac lotus & heliotropium, folia ſua pandere ſolet, ad occaſum verò ita ea arctè claudere, vt ſpinis quàm folijs veriſimiliores ſint; flos præterea lanuginoſo capite ſuo radioſum Solis fulgorem proximè mentitur, vti in horto noſtro domeſtico, vbi hæ arbores optimè proueniunt, obſeruare ſummâ admiratione licuit; vnde Aegyptij inter Solares herbas annumeratam in ſacrificijs, Solaribus Numinibus exhibitis, ſummâ diligentiâ vſurparunt, vt ſuo loco dicetur; ſiquidem Numina ſolaria huiuſmodi herbis fidei ſuæ commiſſis, vti ſummopere delectantur, ita eadem illis ritu legitimo adhibitis efficaciter ob occultam naturæ ſimilitudinem & analogiam, trahi exiſtimabant. Vide quæ de hac planta vberiùs egimus in tabula Bembina. Herbæ & plãtæ Ægyptiacæ variæ.

§ II. ⲁⲛⲧⲓⲁⲙⲁⲥ planta Aegyptia eſt, quam nos eandem eſſe dicimus cum ea, quam Arabes & Syri قنطوريوس Græci quoque κενταύρειον dicunt. Eſtque herba, quam vulgò nos Centauream minorem vocamus, de qua vide Matthiolum, Fuchſium, cœteroſque Botanicos. Serapion Medicus Arabs his verbis eam deſcribit: Centauria. Serapion Arabs.

قنطوريون هي حشيشة شبيهة هيوفاريقون وهو الفودنج الجبلي .

Centaureum herba eſt ſimilis Hypericoni, & eſt certa quædam Mentha montana.

Cui Aben Sina ſubſcribit ijſdem penè verbis. Vaticanus Codex ita habet: Aben Sina

قنطوريون هي حشيشة وله ساق طوله اكثر من شبر وزهر احمر الى لون الفرفير

الهر فير فيرية شبيه بزهر النبات الذي يقال له لحمدس يسموها المصريـــون انطيمـــــــس ✡

Centaurium herba crus habet, cuius longitudo maior palmo, & flos rubeſcens inſtar purpuræ, & in flore ſimilis apparet ei flori, qui appellatur Lachemdas; vocant eam Ægyptij Antims. Prophetas verò ſeu Hierophantas Aegyptios αἷμα ἡρακλῆς, hoc eſt, ſanguinem Herculis appellaſſe, auctor eſt Chiron apud Apuleium citato libello c. 75.

Apuleius.

§ III. ⲁⲥⲟⲩⲧ planta eſt, quam teſte Apuleio, Prophetæ Coptâ voce ⲟⲩⲣⲁⲛⲓⲭⲉⲁⲛⲓ, id eſt, *Gloriam Cœli* appellabant; nos eandem eſſe dicimus, quam Arabes لسان الحمل linguam agni ſeu arietis, Græci ἀρνόγλωσσον πολυνεύρον, Latini plantaginem multineruiam appellant. Cui rei aſtipulantur Arabes citati Aegyptiorum Interpretes fidiſſimi. Serapion.

Plantago.

Seraphion Arabs.

لسان الحمل هي يسمي كثير الاضلاع وذو سبعة اضلاع وورقا الكبير وجوهره مركب من مائية وارضية ويسمه مجد السما ✡

Lingua agni vocatur multarum coſtarum πολύπλευρον, *habet enim ſeptem latera ſeu coſtas, & folio magno conſtat; naturæ compoſitæ eſt ex aqueo & terreo, & vocatur Gloria Cæli.* Codex Vaticanus eam vocat اسوت *Aſuth* eodem nomine, quo ſuprà Apuleius Aegyptios eam nominaſſe aſſerit; hanc eandem vocem refert Interpres Auicennæ Hebræus, quem habeo manuſcriptum.

אשיות שם העשב בלעז פלנטגוא:

Aſiuth nomen herbæ, Latinis Plantago. Vocatur autem ab Aegyptijs gloria Cœli, quia ſeptem neruos habet veluti ſeptem planetarum radios quoſdam in ſe deriuatos, omnem planetarum vim obtinens; magnique in medicis rebus vſûs erat, nec non in ſacris, quæ ſeptem Mundi Genijs peragere ſolebant. Videbis hanc herbam paſſim in Obeliſcis, cœteriſq; monumentis hieroglyphicis, vti ſuo loco exponemus.

Satyrion.

§ IV. ⲙⲉⲛⲏⲛ teſte Apuleio, idem eſt ac Satyrion herba, eius generis, quam Arabes حمي الكلـــب, Græci κυνὸς ὄρχιδα, hoc eſt, *Teſticulum Canis*, à bulbo vocant: Panion, teſte Apuleio, vocatur ab Hierophantis, eò quòd vel manu tentum vehementer ad ſalaciam & libidinem excitet, vnde non malè quoque Satyrion à Satyris ſalacibus, & Panion à Pane, fœcunditatis Genio, etymon ſuum traxit. Vaticanus Codex:

Apuleius.

حمي الكلب يسموها حكما مصر فنيون لانها تهيج الباه ✡

Teſticulus Canis herba eſt, quam Ægyptij Sapientes vocant Panium, quia potenter excitat ad coitum. Cui Aben Sina ſuffragatur.

Aben Sina.

حمي الكلب تهيج الباه حتي لا يسكن الا بحسو مرق الخس والعدس ✡

Teſticulus Canis herba ita coitum excitat, vt non ſedetur, niſi iuſculo è lactucis & lentibus aſſumpto. Vocatur autem ab Ægyptijs ⲙⲉⲛⲏⲛ à Luna, eò quòd ſicuti Luna influxu humoris ſui fœcundi rerum ſublunarium vegetabiliumque cauſa eſt, ita & inter plantas ⲙⲉⲛⲏⲛ humorem genitalem cenſeatur mouere. Hanc herbam pariter inter hieroglyphica reperio Hircino capiti

capiti adiunctam, Mendesiorum Deo dicatam; quo aptè significabant, non aliam herbam meliori iure dicari Pani hircino, seu Deo fœcunditatis, quàm eam herbam, quæ & fœcunditatem præstat, & potenter geneticam vim in corporibus excitat. Hinc nihil eâ herbâ sacratiùs, nihil salubriùs habebatur, vti suo loco interpretabimur.

§ V. ⲟⲩⲣⲧⲉⲃⲓⲟⲕⲏ, vel, vt corruptè Apuleius, Ophitebioca, idem est, ac Pentaphyllum in lingua Aegyptia, quam & Hierophantæ nunc πτερὸν Ἴβιδος, id est *alam Ibidis*, nunc Ἑρμοῦ βοτάνην, id est, *herbam Mercurij* vocant. Erat huius herbæ vsus maximus in sacris Mercurij, quam Hermanibim vocabant, id est, Ibin Hermeticam. Cùm enim Ibis ales esset, ob rerum maximarum inuentionem Mercurio dicata, in quam se transformatum humano generi varia reuelabat tùm ad literas, tùm ad Medicinam spectantia, vti in Alphabeto mystico docuimus; rectè eidem hanc consecrabant. Cur verò πτερὸν Ἴβιδος, *alam Ibidis* dicerent, hanc causam do, quia Mercurius Numen ἀντίτεχνον Typhonis est, quem per Crocodilum signabant, quemque Ibidis ala siderabat. Hanc herbam in sacris vsurpatam volunt, quòd sicut Ibidis ala, teste Horo, Crocodilum siderat, & immotum reddit, ita omnem malignam, noxiam, & exitialem vim Typhonis virtute & assistentiâ propulsabat, & inefficacem reddebat Hermanibis. Sed de hisce passim toto hoc Opere. Pentaphyllũ.

§ VI. ⲛⲉⲙⲉⲛⲉⲥⲧⲫⲉ nomen herbæ, quam corruptè *Nemeststphe* Apuleius vocat, alij *Nesphe*, in Aegyptiaca lingua appellatur *Pulchritudo*, seu *decor Cæli*; Hieromantæ eam, teste Apuleio, vocabant αἷμα Ἀθηνᾶς, *Sanguinem Mineruæ*; nihilque aliud est, quàm nostra Camæpythys. Author Vaticanus. Camæpythys.

كمافيطوس فهو قضبان وزهر حمر الى السود وخضر دقاق وزهرة الطعم مع
قبض يسير وحرافة دون المرارة وورقة عشبية يدب الى الارض لمصريون ذصفا

Camæpythys thyrsi & flores rubei declinantes ad nigrum & subuirides, flosque amari saporis cum stipticitate pauca, eiusque acumen saporis est subamari, & eius folia herbida, subtilia, repentia super terram, Ægyptijs dicitur Nespha. Cui consentit Hebræus quoque Aben Sinæ Interpres;

כמאפיטוס הוא ענפים יציץ אדום נוטה אל השחורה
או אל ירקות דקים וציצו מר והטבעתו חם בשנית ויבש
בשלישית:

Camæphythys rami & flores rubri, declinantes ad nigredinem, & flos eius amarus, natura quoque calida est in secundo, & sicca in tertio. Huius herbæ vsus erat in sacris Mineruæ siue Isidis Saiticæ, ob occultas naturæ proprietates, quas dictam herbam cum hac Deastra habere putabant. Artemisia herba.

§ VII. ⲁⲛⲉⲥⲉⲛ interpretamur ex Ægyptiaco *Bonum*, nihilque aliud est, quàm herba Artemisia, quam à bonitate ita vocant; Hierophantæ, teste Apuleio cap. 10. eam vocabant, nunc Bubasteoscordium ⲃⲟⲩⲃⲁⲥⲧⲉⲟⲥ ⲕⲁⲣⲇⲓⲁⲛ, id est, *Cor Bubasti*, nunc ⲛⲓⲉⲁⲥⲁⲣ; erat autem Bubastus Vrbs Ægypti, in qua Dianæ & Canum cultus mirificè florebat, cui ideo non inconuenienter respondet Græcorum ἀρτεμίσια, id est, *Dianæa*:

ſiue igitur à Canibus, qui hanc herbam amant, & ſibi ex ea medicinas, ſte Antonio Muſa, contra naturales morbos parant, ſiue à Diana ſit primùm inuenta virtus huius herbæ, nihil intereſt; ſufficit nobis demonſtrare ⲁⲛⲉⲥⲉⲛ ⲁ̅ⲃ̅ⲁⲥⲧⲉⲟⲥ ⲕⲁⲣⲁⲓⲁⲛ Ægyptiorum, & Artemiſiam Græcorum, prorſus eandem herbam eſſe. Hierophantæ hanc herbam quoque αἷμα κρόνου id eſt, *Sanguinem Saturni* vocabant. ita Apuleius loco citato; & confirmat id Aben Sina, qui eam Saturninæ naturæ, & contra laſſitudinem mirificâ vim obtinere aſſerit. Hæc herba Arabibus dicitur ا لرحسيسه Coptè quoque ⲧⲁⲫⲧⲉⲙⲉⲥⲓⲥ & magno in ſacris Iſidis Bubaſticæ in precio fuit habita; hac enim Iſin, dum ad corpus Oſiridis inquirendum Ægyptum peruagaretur, contra laſſitudinem vſam, teſtatur Philadœmon l. de fuga Iſidis; de quo & alibi in hoc Opere actum eſt.

Antonius Muſa. *Apuleius. Aben Sina.*

§ VIII. ⲥⲁⲫⲧ *Saphta*, hanc vocem ex Copto interpretor, contra Deum, dicoque eſſe herbam, quam Græci & Latini Hyoſcyamum vocant, Zoroaſter, teſte Apuleio, Τυφώνιον, eò quòd Typhoniæ naturæ ſit, id eſt, ad inſaniam excitans, & maximè diuinam in homine particulam, intellectricem videlicet facultatem ſumpta corrumpens; vnde ad Typhonem placandum in ſacris Ægyptiorum maximus huius herbæ vſus fuit; hac enim in ſacris adytorum ritibus ter Crocodilum flagellare ſolebant, & concepta verborum forma malignam Typhonis vim profligare, vti Author eſt Serapion Nicæus. Arabibus dicitur البنج, Coptitis ⲃⲟⲥⲕⲉⲛⲉⲙⲟⲩ.

Hyoſcyamus.

§ IX. ⲥⲉⲫⲥⲉⲫ corruptè apud Apuleium c. 19. *Sophoſph*, eadem herba eſt, quam Arabes زراوند *Zeraund*, Latini, Græcique Ἀριστολοχίαν appellant. Codex Vaticanus.

Ariſtolochia.

زراوند حشيشة لمصريون سفسف طولها نحو من شبر ولون زهره فرفيري منتن الريح ❁

Zarund herba Ægyptijs Saphſeph, longitudo eius palmus, & color floris purpureus, grauis odoris. Aben Sina verò:

زراوند جلا ملطف مفتح مرقق جذاب يجذب الشوك ❁

Zarund virtutis eſt abſtergentis, aperientis, attenuantis, & attrahentis, trahit enim ſpinas & ſurculos. Hebræus Interpres Aben Sinæ ita dicit:

זראונד ביונית ארסטולוגיא במצרים ספסף עליו לעלי הצמח שנקרא הביום והוא מין הלבלב:

Zarùnd, Græcè Ariſtolochia, Ægyptiacè Saphſeph, florem alit ſimilem flori, qui dicitur Habiam, (fortè Apium putat) *& eſt ſpecies Lablab.* Prophetas Ægyptios eam Ligeam appellaſſe, Author eſt citatus Apuleius.

§ X. ⲥⲉⲙⲉⲙⲉⲱⲣⲓ in Ægyptiaca lingua denotat eam herbam, quam nos Chamæleam aut Mezerium vocamus; ita Codex Vaticanus:

Chamælea.

المزريون اسود فهي خماليون لمصريون سامور ❁

Metzerin nigrum herba eſt eadem cum Chamælea, Ægyptijs dicta Samur. Hebræus etiam cum Marrubio confundit:

כמאליון הוא מין מהרוויון והוא שחור:

Cha-

Chamæleon ex genere Marrubij, & est nigro colore herba. De hac, & præcedente herba, nullum inter hieroglyphica vestigium reperi.

§ XI. ⲉⲙⲓⲛⲓⲟⲛ Ægyptijs idem est ac herba Dracontæa; ita Apuleius cap. 14. *A Græcis*, inquit, *dicitur Dracontæa, alijs Asclepias, alijs Pithonion, alijs Anchomanes, alijs Sancromaton, quibusdam Ancryssa, aliquibus Chereon, nonnullis Sceon: item Dorcadion, Prophetæ Typhonion vocant, alij Crocodilion, alij Ostanes; Zoroaster Theriophonon, Ægyptij Eminion; Draconis sanguine fertur nata.* Dicitur autem Pythonion, eò quòd ex Pythonis serpentis sanguine nata feratur; Typhonion, quòd Typhonis, hoc est, igneæ naturæ sit; Crocodilion, quia amica Crocodilis; θηριόφονον, quia causticâ quâdam vi occidit animalia eam sumentia. Sunt qui hanc Dracontæam cum Culcasia confundant; perperam; siquidem Culcasia, quam & natiuam Brassicam appellant, gratissimum sese præbet Aegyptijs edulium. Dracontæa autem, siue ⲉⲙⲓⲛⲓⲟⲛ idem ijs videtur esse, quod nobis Arum; quam herbam è genere Dracontææ esse Mathiolus docet & Clusius, quæ & mordacitate quâdam igneâ seu causticâ vi maximè pollet; ita vt in insaniam eam sumentes ferè redigat, vnde & nomen Aegyptiacum videtur traxisse, quasi mente moueat: etsi quidam Arum quoque cum Colocasia confundant. Dicimus itaque Eminion, neque Colcasiam, neque Arum esse, sed Dracontæam maiorem, quæ & thyrso pellem maculatam, & flore, folijsque linguam serpentum refert, & eo ipso tempore è terra pullulat, quo serpentes; & eodem, quo serpentes, conditur. Aegyptiorum traditio est, sanguine ex vulnere ab Horo Typhoni inflicto, teste Apollodoro, natam esse; vnde non sine ratione Pythonion, Dracontæa, Typhonion dicitur; vsus eius erat in sacris, quibus Typhonem placare contendebant.

Dracontæa. Matthiolus.

§ XII. ⲡⲉⲙⲡⲧⲉⲙⲫϯ id est, *Donum Dei*; ita vocant Aegyptij Verbenacam, herbam satis notam, & Magicâ quâdam vi præditam, corruptè ab Apuleio *Pemsempte* dictā. Prophetas eam Iunonis lachrymam vocasse Chiron Author est apud Apuleium: Græcè inquit, ἱερὰν βοτάνην, alij περιστερεὼν ὀρθὸν, alij διόσατον, alij πεκόεγβον, alij πάγχρωμον, alij Colletis: Demetrius & Aesculapius Cyparisson, Pythagoras Erisceptron, alij Aristeron, Aegyptij Pemsempte, Prophetæ ἥρας δάκρυον. Dicitur etiam σεμπτέμφθα *Donum Dei*, & ἱερὰ βοτάνη, ab vsu, quia eà in sacrificijs vtuntur Aegyptij; περιστερεὼν, eò quòd Columbis sit amica & sympathica; πάγχρωμον, quòd vsus eius omnibus conueniat; Erisceptrum, vel meliùs, τὸ τῦ ἔρωτος σκῆπτρον; *Sceptrum amoris*, quòd in philtris vsus eius adhiberetur; Lachrymæ Iunonis denique à Mythologis nomen inuenit.

Verbenaca. Apuleius.

§ XIII. ⲁⲛⲧⲟⲩⲉⲣⲙⲃⲟⲩⲥ Apuleius corruptè Antuermbesus, id est, *Lingua Bouis*, siue Græcè βούγλωσσον; hanc cum Hierophantis Chiron appellat γόνον τῦ αἰλούρου, *Semen Felis*; Arabes لسان الثور *Linguam Bouis*; eius vires vide apud Apuleium c. 41. De hac herba cùm nihil inter hieroglyphica repererim, de ea quoque ampliùs dicere superuacaneum esse ratus sum.

Buglossa.

Marrubium.

§ XIV. ⲁⲥⲧⲉⲣⲟⲡⲏⲕ ✠ Ægyptiacè, idem eſt ac *Oculus Sideris*; eamque herbam dicimus, quam Latini Marrubium, πράσιον Græci, Hierophantæ nunc αἷμα τοῦ Ταύρου, *Sanguinem Tauri*, nunc γόνον τοῦ Ὥρου id eſt, *Semen Hori*, appellant. ita Author Vaticanus.

فراسيون حشيشة مرة الطعم لمصريون استرب حارة في الثانية يابس في الثالثة

Phraſium herba amari ſaporis, Ægyptijs Aſterop, calida in ſecundo, ſicca in tertio gradu. Cui adſtipulatur Hebræus Aben Sinæ Interpres.

פראסיון הוא עשב בלועז מרוביום מרה מטעם מפתח וממרק ומתיך וממס ומחתך:

Id eſt, *Phraſium herba eſt Marrubium lingua extera, amari ſaporis, aperit, abſtergit, liquefacit, reſoluit, & incidit.* Dicitur Oculus Sideris, id eſt, Solis, eò quòd in ſacris Hori magnus eius herbæ vſus. Vnde & Myſtæ eam vocabant γόνον τοῦ Ὥρου, *Semen Hori*, quem nos Solem interpretamur alibi. Vtebantur hâc herbâ Sacerdotes in ſacrificijs Hori & Serapidis, vti ſuo loco dicetur; pollet enim multùm Horæâ ſeu Phœbæâ virtute, id eſt, Solari, maximuſque eius in Medicis vſus erat.

* Scilla herba ſeu Cæpa muris.

§ XV ⲥⲧⲗⲏⲧⲱⲛ ✠ nos eam herbam, quam Scillam vulgò vocant, interpretamur: Arabes eam vocant اسقيل *Eskil*, ſiue بصل الفار, *Cæpam muris*, Hieromanthæ Aegyptij τὸν ὀφθαλμὸν τοῦ Τύφωνος, id eſt, *Oculum Typhonis* appellant. ita Apul. c. 42. & Hali eam Scillam quoque putat.

اسقيل هو بصل الفار سمي بذلك لانه يقتل الفار وهو حريف قوي فقال قوم لانه العنصل لمصريون سليطا ✡

Eskil eſt cæpa muris, ita dicta, quòd mures interficiat, & eſt acuta vehementer, & voluerunt aliqui eam eſſe Scillam, Ægyptijs dicitur Slitha. Vocatur autem Typhonia herba, ob ſummam nocendi vim, & facultatem prorſùs igneam, cuiuſmodi Typhonem fuiſſe Plutarchus docet, lib. de Oſir. & Iſide. Ideo Aegyptij non malè hanc Typhonis oculum, cùm à colore igneo ſubflaueſcente, tùm à figura & qualitate aduſtiua, appellarunt. Nam vt rectè Aben Sina ait:

اسقيل لونه اصفر الى البياض ومنه جنس سمي قتل وظن بعضهم لانه البلبوس من اجل علامة التي وجدوها ✡

Eskil coloris flaui ſubalbeſcentis, & ex ea genus quoddam veneni prorsùs lethiferi, & putauerunt aliqui, quòd ſit ipſe bulbus Napelli, propter ſignum quod inuenerunt in eo. Interpres Hebræus dicta confirmat:

אשקיל הוא בצל עכבר חם בשלישית יבש בשנית ומתיך וממרק מאוד:

Askil cæpa muris, calida in tertio gradu eſt, & ſicca in ſecundo, eſtque reſolutiua, & attractiua ſanguinis, aduſtiua, vlceratiua, ſubtiliatiua, & inciſiua, cum virtute vltra virtutem ſuæ calefactionis. Quos omnes effectus Typhonios eſſe, quis non videt? Hanc herbam Aegyptij Sacerdotes, teſte Plutarcho, tanquam Typhonium quid & prorſùs exitiale, ſummopere deteſtabantur, tùm ob virulentiam huius plantæ, tùm ob contrarietatem, quam cum

Luna

Luna habet: crescente siquidem Luna, decrescit, & decrescente Luna crescit. Quæ itaque de cæpis narrat Plutarchus abominationi habitis apud Aegyptios, id nequaquam de cæpis ordinarijs, quo edulio nil in Aegypto tritiùs, sed de cæpa scillitica intelligendum esse scias; quam & non sine causa oculum Typhonis appellabant. Cæpas quas abhorrebant Aegyptij.

§ XVI. ⲥⲉⲙⲉⲧ idem est ac Nasturtium nostrum, de qua herba vide Apuleium cap. 20. & Aben Sina, voce حرف aliosque Latinos Botanicos. Nasturtium.

§ XVII. ⲧⲓⲃⲟⲣⲓⲛ vox Ægyptia est, significans eam herbam, quam Arabes بابونج *Babungs*, Latini Chamæmillam, Græc. παρθένιον, ἀρυκάλαβον, χρυσόκαλον vocant, cuius virtutes & proprietates vide apud Aben Sina voce citata, & Chironem apud Apuleium. Chamæmilla.

§ XVIII. ⲥⲧⲉⲙⲫϯ *Cura Dei*, corruptè Apuleio Thephin vel Themphin, eam herbam esse dicimus, quam Arabes *Basielraghi*, Græci πολύγονον, πολύκαρπον, χυλιόφυλλον, Mystæ γόνον τȣ̃ ἥρω@, *semen Herois* vocant, Latini denique Sanguinariam, Proserpinacam, à serpendo per terram ita dictam; quidam etiam Miserdiuinum vocant, de quibus vide Botanicos, voee Polygonon. Sanguinaria herba.

§ XIX. ⲡⲓⲗⲁⲗⲓⲁ vel vt Hierophantæ eam nominant, ⲁⲥⲫⲟ teste Chirone apud Apuleium, est idem ac Cyclaminus, de quibus suo tempore copiosior dabitur dicendi locus. Cyclaminus

§ XX. ⲉⲑⲱⲟⲩⲓ corruptè Apuleio *Etui*, interpretamur capillum Veneris, siue πολύτριχον, quam & Græci ἀδίαντον, Arabes برشياوشان *Barschiauschan* vocant: nascitur in locis humidis, & fontium parietibus familiaris est. Capillus Veneris.

§ XXI. ⲡⲓⲥⲓⲛⲉ vel ⲡⲉϣⲏⲣⲓⲙⲡⲧⲉⲡⲏⲣⲓ herba est, quã *Prolem Solis*, interpretamur, estque Heliotropium, teste Chirone apud Apuleium, qui & id ἡλιότροφον, quod ad Solem se continuò vertat, appellat; alij ἡλιόερον, id est, *Caudam Solis*, eò quòd vt animal Caudam, ita Sol hanc herbam sequi faciat. Vocatur & Sideritis, quòd sicut magnes ferrum, ita Sol hanc herbam trahat. Ægyptij hanc herbam in summo honore & æstimatione habebant, cùm absolutissimam flore suo Solis imaginem exhiberet. Hanc inter hieroglyphica optimo sanè iure Accipitri appictam reperio; est enim Accipiter Sol: herbæ verò flos Solis exhibet sponsam, quæ Solis amore rapta eum motu sollicitudinis pleno sequitur, tantâ constantiâ, vt in mensuræ temporis hieroglyphicum ideò eum assumpserint Ægyptij. Heliotropiũ

§ XXII. ⲙⲉⲛⲓⲫϯ idem est, ac *Genius Lunæ*, corruptè Apuleio *Emenipse*, estque ea herba, quam Dictamnum Latini, ἀρτεμίσιον, videlicet à Diana, quæ Lunæ Genius est, appellant Græci; vocatur & eadem de causa à Theophrasto σπέρμα γόνου, *Sperma Lunæ*. Dictamnus. Theophrastus

§ XXIII. ⲗⲱⲧⲟⲙⲉⲧⲣⲁ corruptè Apuleio *Lotonietra*, herba est, quam Nymphæam Ægyptiam vocamus, Lotusque dicitur, de cuius mira vi vide Theophrastum. Dicitur autem Lotometra, quòd Cœli cursum Nymphæa, seu Lotus.

ſum, ſeu Solis ſuo flore quaſi metiatur, eiuſdem prorſus virtutis, quâ præcedentem plantam præditam docuimus. Arabes vocant نيلوفر *Nilufar*; etſi Nilufar diſtincta ſit à Lotometra; hæc enim præbet edulium ſuauiſſimum Ægyptijs, ob vim tamen extinctiuam caloris noxia eſt. Eſt igitur Nilufar propriè idem cum noſtra Nymphæa, quam Algam ſiue Papauer paluſtre vulgò vocant, à virtute extinctiua Veneris; quidam etiam clauum Veneris dixêre, vocaturque ab Ægyptijs ⲃⲓⲕⲓⲛⲧⲉ ✣

Nufar ſeu Nilufar herba

§ XXIV. ⲧⲣⲁⲧⲓⲁ ✣ id eſt, *Vinculum religionis*, eò quòd ab illicitis deſiderijs carnis hominem vſus huius herbæ vindicet: ita Author Vaticanus.

نيلوفر هو كرنب الما ويسمي حب العروس وحراس النسك برد ورطب في الثانية شرابه ملطف جدا ✿

Nilufar Caulis aquaticus eſt, & vocatur Granum ſponſi, & cuſtodia continentiæ; frigidus & humidus in ſecundo gradu, & potus vehementis extinctionis eſt. Cui conſentit Interpres Aben Sina Hebræus his verbis:

נילופר או ננופר עשב יצמח במי האגמים ויעיל לחסר הסרח ויחסר תאות ומפיא טפת הורע בסגולה שבו:

Nilufar ſeu Nenufar herba eſt germinans in aquis paluſtribus, minuit luxuriam, frangit vehementer deſiderium coitus, & congelat ſperma, occultâ quâdam proprietate, quæ in ipſa latet. Quibus conſonant verba Dioſcoridis. Νυμφαῖα ἐν ἕλεσι καὶ ὕδασι στασίμοις. Φύλλα δὲ ἔχει ὅμοια κιβωρίῳ σμικρότερα δὲ καὶ ἐπιμηκέστερα, πολλὰ ὑπέρχοντα τοῦ ὕδατος, πίνεται δὲ ἡ ῥίζα καὶ πρὸς ὀνειρωγμοὺς παραιτεῖται γὰρ τούτους. ἀτονίαν δὲ ἐργάζεται αἰδοίου πρὸς ὀλίγας ἡμέρας εἰ τὶς συνεχῶς πίνοι. *Nymphæa,* inquit, *in paludibus, ſtagnantibuſque aquis naſcitur, folia habet Fabæ ſiue Loto Ægyptiæ ſimilia, at minora, oblongioraque, plura ab vna eademque radice prodeuntia: bibitur contra Veneris inſomnia, eadem enim omninò adimit, quin & aliquot continenter diebus epota, inſtrumenta generationis ita debilitat, vt omni tentigine ſublatâ, frigidi ac impotentes reddantur, qui biberint.* De hac herba ita loquitur Proſper Alpinus in libro de plantis Ægyptijs c. 34. *Hanc, inquit, herbam eandem prorsùs cum Nymphæa, quam Arabes Nuphar appellant, exiſtimo, in toto quidem flumine Nilo Aegyptia loca lambente, nulla alia planta eſt inuenta, quæ notas Loti præſeferat, quàm Nymphæa ipſa, quæ profectò planta ſimilis eſt, vt de Loto affirmat Dioſcorides, Colocaſiæ ſeu Fabæ Aegyptiæ; floremque fert album* (loquor de maiori Nymphæa) *lilio valde ſimilem, quem his verbis expreſſit Theophraſtus: flos candidus lilijs foliorum anguſtia proximus; verè enim hic maioris Nymphææ flos eſt, qui Sole occidente clauditur, atque ſub aqua occultatur, atque oriente ſupra aquas aſſurgit, & foras exit, aperiturque; quod non modò in Aegypto, verùm in multis Italiæ locis in hac planta obſeruatur, maximèque in locis circa Venetias, lacunoſis & paluſtribus; valles ſiquidem Morgheræ & Meſtri plurimas has plantas ferunt, in quibus quiſque, quod à Theophraſto, Dioſcoride, atque alijs multis de Loto dicitur, planè obſeruari poteſt.* Hanc herbam quoque Theophraſtus dicit in Euphrate creſcere, caulem ipſum & florem veſpere mergi vſque ad medias noctes, totumque abire in altum, vt nè dimiſſa quidem manu poſſit inueniri, verti deinde, paulatimque ſuberigi, & ad exortum Solis

Proſper Alpinus.

emer-

emergere extra aquam, ac florem patefacere, atque etiamnum exurgere, vt planè altè ab aqua absit. Quid porrò Ægyptij per hanc herbam hieroglyphicè indigitauerint, fusè in Tabulæ Bembinæ expositione declarabitur, & in Obelisco Pamphilio passim de ea agitur.

§ XXV. ⲥⲟⲩⲙⲟⲛⲓⲁⲥ ✣ Mentastrum interpretamur, ab Hierophantis dictum σπέρμα τοῦ Ἀπόλλωνος, in sacris Ægyptiorum vsus eius perfrequens; Arabibus dicitur Naanaa, de quo Aben Sina. Mentastrum.

نعناع حار يابس في الثانيه وفيه رطوبه فضيله فيه قوه مسخنه قابضه
يمنع واذا اترك طاقات منه في اللبن لم يتجبن ۞

Naanah calida & sicca in secundo, & in ea humiditas superflua, visque in ea calefactiua, stiptica, prohibens; & cùm frusta ipsius in lacte ponuntur, id nunquã in caseum condensabitur. Vocatur & Semen Solis ab Arabe Ali, voce iam citata. Lego quoq; Mentham ab Hierophantis αἷμα καὶ γόνος τοῦ Ἄμμωνος appellari. Vide Apul. c. 94. Vsus Mentastri ob odoris suauitatem, & phœbæam, quâ pollet, virtutem maximus erat in sacrificijs Osiridis Solaris, & Eubulus Ægyptius testatur lib. de odoribus.

§ XXVI. ⲥⲟⲩⲙⲓ ✣ idem est ac Seriphium, siue Absynthium marinum: Ali id describit his verbis: Absynthium marinum.

ابسينتين ينبت في المصر كثيرا ويسموها سومى وحشيشه تشبه لورق السعتر Ali Arabs.
وفيه مراره وقبض وحرافه ۞

Absynthium germinat multum in Aegypto, & vocatur Sumi, herba similis folio Origani, & in ea amaritudo, & stipticitas, & acuitas summa. Hæc herba pulchrè expressa in tabula Bembina in manu Isidis, cui sacra erat, conspicitur; eius mystica significatio erat, quòd sicuti Isis Luna temperat siccitatem Solis, aquas verò quibus influit, naturali quâdam acrimoniâ radiorum dissoluit, subtiliatque; ita Seriphium, aquis malignâ qualitate imbutis impositum, eas corrigit, & à malignitate vindicat. Sed de hoc vide, quæ copiosiùs scripsimus in Obel. Pamph. & tabulæ Bembinæ expositione.

§ XXVII. ⲁⲫⲗⲟⲫⲟⲩⲙ ✣ hâc voce, teste Chirone apud Apuleium, vocant Aegyptij herbam, quam nos vulgò Mercurialem vocamus, solutiuâ vi præditam; Mystæ αἷμα βασιλεῖον, id est, *Sanguinem regium* vocant. Mercurialis herba.

§ XXVIII. ⲟⲩⲱⲁⲱⲛ ✣ idem est ac Bryonia, Officinis vitis alba, Bryonia. Arabibus فاسيرا *Phasira*, cuius vires vide apud Botanicos.

§ XXIX. ⲫⲉⲛⲡⲣⲉ ✣ nihil aliud est, quàm Scolopendria, quam quidam cum Asplero confundunt, eò quòd potu sumpta splenem minuat, spleneticisque prosit. Arabibus ۞ اسقولوفندريون Scolopendria

§ XXX. ⲁⲣⲁⲟⲩⲥⲁⲉⲙⲟⲛ idem, quod Cyclaminus est; ita ex Chirone Apuleius, Græcis ϖολυκέδανον, Arabibus بوبراذس *Baiâns*, de quo vide Aben Sina, Serapionem, aliosque Botanicos Arabes. Cyclaminus.

§ XXXI. ⲡⲁⲛⲧⲁⲣⲁⲑⲁ est idem, quod *Omne bonum*, vel *ad omnia bonum*, estque herba, quam alij Origanum, alij Pulegium appellant. Vide Apuleium c. 93. Antonium Musam, Colium Aurelianum, aliosque veteres Medicos. Origanum seu Pulegium Apuleius. Anton: Musa

Ruscus. § XXXII. ⲁⲗⲉⲙⲛⲓⲟⲥ ✣ corruptè Apuleio *Stemeeos*, dicimus esse fruticem, quem Ruscum vulgò vocant. Græci μυρσίνην ἀγρίαν, *Myrtum syluestrem*, Arabes حارم, Aegyptij, teste Chirone apud Apuleium, αἷμα Τιτάνων, *Sanguinem Titanum*, vel *Myrtum Alexandrinam*, الكلبة الاسكندرية, vel etiam αἷμα ἴβιδος, *sanguinem Ibidis*, appellant. Hanc herbam in conflictu Deorum ex sanguine Titanum ortam, Author est Eubulus l. de Deorum in Aegypto metamorphosi. Ibidis verò sanguis vocatur, quia hic Crocodilos siderat, qui Titanes seu Typhoniā turbam exprimunt; quam virtutem cùm hæc præsens possideat, mirum non est, hanc ab Ibidis sanguine etymologiam nactam esse.

Cuscuta. § XXXIII. ⲁⲉⲛⲧⲟⲣⲟⲃⲟⲛ ✣ nos Cuscutam interpretamur, quasi diceres, ὄροβον τῶν δένδρων, id est, *Orobum arborum*, siue ὀροβάγχην τῶν δένδρων, herbam arbores strangulantem, siue in arbores tyrannidem exercentem; cuiusmodi Cuscutam esse, nemo nisi ἀφυτόγνωμος ignorat. Sunt tamen, qui Smirnium, siue Olusatrum Ægyptios hoc nomine appellasse velint, sed perperam; est enim insignis inter has herbas differentia, vt peritis constat.

Portulaca. § XXXIV. ⲙⲟⲧⲙⲟⲩⲧⲓⲛ ✣ idem significat, quod *liberans à morte*: ita Portulacam Ægyptij vocabant: Hierophantes verò αἷμα Ἄρεος, *sanguinem Martis*. Author Vaticanus.

بقلة الحمق حشيشة احمر معروفة لمصريين متموت بارد في الثالثة رطب في الثانية ✣

Portulaca herba nota, Aegyptijs Motmut: frigida in tertio, & humida in fine secundi. Vocatur autem Motmût in Ægyptiaca lingua, eò quòd febribus malignis, & omnibus inflammationibus Ægypto proprijs, mirificè & vnicè conferat. Sanguinem Martis vocabant Mystæ κατὰ τὴν ἀντίφρασιν, eò quòd adustam & torridam seu Martiam bilem frigiditate atque humiditate suâ temperet, malignitatéq; eius expellat, teste Abē Sina ينفع من الهيجان الحار & quòd febribus calidis mirum in modum prosit. Hanc herbam in Tabulæ Bembinæ expositione cum mysticis suis rationibus illustratam vide.

Betonica. § XXXV. ⲓⲡⲁⲧϭⲟⲩⲣⲓⲁ ✣ quam corruptè Antonius Musa *Hierathiorine* vocat, Betonicam dicimus esse herbam, innumeris, vt cum Theophrasto loquar, virtutibus præditam; vnde non sine causa sacra Horo dicebatur Veteribus; quam & ψυχότροφον, id est, *animi nutricem* haud incongruè dictā lego, quia capiti, quod intellectricis animæ sedes, & habitaculū est, mirificè confert. Verùm qui plura de viribus huius herbæ desiderat, consulat citatum Antonium Musam in particulari de eâ conscripto libello, Apuleium, Theophrastum, Dioscoridem, aliosque veteres Botanicos.

Anton: Musa. Dioscorides. Apuleius. Theophrastus.

Coriandrum. § XXXVI. ⲟϫⲉⲩⲛ ✣ Coriandrum est: ita Arabes Botanici sæpè citati in voce كزبرة *Kazbare*, quod Coriandrum significat.

Atque hæc sunt, quæ de Aegyptijs plantis dicenda existimaui; quorum quidem in sequentibus hieroglyphicorum interpretationibus amplior fiet mentio.

SYN-

MENSÆ ISIACÆ, SIVE TABVLÆ ÆNEÆ VETVSTISSIMÆ, SACRIS ÆGYPTIORVM LITERIS CÆLATÆ VERVS, ET GENVINVS TYPVS, QVAM PRIMVM E MVSEO TORQVATI BEMBI, VNDE ET BEMBINA DICITVR, AN. M D LIX. EXTRACTAM ÆNEAS VICVS PARMENSIS EDIDIT, ATQVE FERD. I. CÆSARI CONSECRAVIT

HANC DEINDE IN FORMAM COMMODIOREM CONTRACTAM

SERENISSIMO PRINCIPI LEOPOLDO GVILIELMO, ARCHIDVCI AVSTRIÆ, SVPREMO BELGII ET BVRGVNDIÆ, GVBERNATORI, NECNON MAGNO TEVTONICI ORD. MAGISTRO,

Veluti monimentum ære perennius, dicat, consecrat, Athanasius Kircherus Soc. Iesu eiusdem interpres Romæ Anno. 1654.

Inseratur hæc tabula in III. tomo inter fol. 78. et 7

SYNTAGMA I. MENSA ISIACA, SIVE TABVLA BEMBINA.

SERENISSIMO PRINCIPI

LEOPOLDO GVILIELMO

Archiduci Austriæ, Supremo Belgij & Burgundiæ Gubernatori, nec non Magno Teutonici Ordinis Magistro.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

In aureis illis beatisque Ægyptiacæ felicitatis seculis ad regium dignitatis culmen euectis, post peractam inaugurationem, mox opulentum conuiuium parari solitum fuisse refert Athenæus; in quo quot fercula, tot symbolica virtutum regiarum, & ad regnum benè beatèque administrandum necessariarum schemata, stupenda hieroglyphicorum metamorphosi adornata ponebantur; vt Rex regium thronum subiens, insolenti hâc symbolorum parastasi, veluti tacito quodam documento sollicitatus, quod ex commissi sibi officij administratione potissimùm competeret, id ex subtili hoc & pleno ingenij apparatu addisceret. Mensam hoc loco Augustæ Serenitati Tuæ,*non ciborū corruptibilium, non eduliorum hominibus æquè ac brutis communium varietate stratam, apponendam duxi, sed vt cum priscis loquar, nectare & ambrosia refertam. Deorum immortalium; ex qua quotquot gustassent, eos filiorum Dei consortio beatos, æternas in Elysijs campis choreas acturos sibi persuadebant Ægyptij. Quicquid enim in totius Ægyptiacæ Sapientiæ ambitu mirum arcanumque existit, id mirificâ quâdam Sacramentorum maiestate obuelatum in hac Mensa veluti in epitoma quadam spectandum exhibetur; vnicum proinde Sacerdotum speculum, cuius contemplatione, quid in humanarum actionum administratione amplexandum, quid fugiendum, veluti ex vberrimo quodam diuini Numinis Oraculo se exploraturos confidebant. Quamuis verò hæc Christiano pectori, vtpote suis inuoluta superstitionibus, non admodum curanda sint; quia tamen in densissimis etiam tenebris, & lutulentis meandrorum ductibus subinde pretiosi nitent Carbunculi, id est, sub quadam typorum analogia, Christianæ fidei ac veræ religioni haud absimilia sacramenta elucescunt, quæ, quo erga religionis cultum animo, quo erga Deum Cælitesque pietate & veneratione esse debeamus, haud obscurè nos instruunt; non omninò adspernanda duxerim. Cùm itaque,* Auguste Princeps, *magnæ menti* Tuæ, *quâ Orbem penè vniuersum virtutum* Tuarum *admiratione defixum trahis, ita comparatum sit, vt symbolicis ingenij lusibus data opportunitate obnixè indulgeas; certè cui maiori iure, quàm* Tibi *hanc præsentem Isiacæ Sapientiæ Mensam instruerem, inueni neminem. Quam quidem glorioso & heroico nominis* Tui *titulo tantò libentius consecro, quantò maiori gratitudinis obligatione me* Tibi, *ob innumera nullo non tempore collata beneficia, deuinctum esse sentio. Vale Belgij delicium, & seculi nostri Heroicum decus; & vnà me sub Serenissimæ protectionis* Tuæ *scuto, vt cœpisti, foueto.*

SYNTAGMA I.

Mensæ Isiacæ, siue Tabulæ Bembinæ Interpretatio.

ΠΡΟΟΙΜΑΤΙΟΝ.

EXHIBEO tibi tandem, Lector curiose, iam dudum promissam veram & genuinam celeberrimæ illius Isiacæ Tabulæ, quam à Bembo Cardinale eius olim possessore, Bembinam vocant, interpretationem; cuius lectioni antequam te committas, hæc à te paucis contendo: Primò vt Tabulâ in multiplices suas areas distinctâ, nec non diligentissimè suis signatâ literis ante te positâ, verba cum figuris exactè conferas; deinde rationes ad mentem Veterum Ægyptiorum adductas, non perfunctoriè aut superficie tenus, sed alta mentis trutina sedulò ponderes & expendas; ordinem denique & rerum expositarum contextum, ea qua in rerum abstrusarum notitia diligentia fieri & potest & debet, obserues. Quæ si præstiteris, rectum quoque, sincerum, & ingenuum, nullis cauillis obnoxium de vera & genuina eiusdem à me peractâ interpretatione iudicium te daturum confido. Vale, eaque fruere.

CAPVT I.

De nomine & origine huius Tabulæ Isiacæ.

Tabula Isiaca seu Bembina, cur ita appelletur.

Bembus Cardinalis Isiacam tabulam conseruauit.

Bembina tabula in direptione Mantuæ perijt.

Bembinæ tabulæ magnitudo, materia, & ornamenta.

EΥΜΕΘΟΔΕΡΩΣ in hoc libro processuri, ab ea Tabula interpretationis nostræ exordium ducere statuimus, à qua cæterarum ordine secuturarum rerum argumenta, veluti à fonte riui dependent. Tabula dicitur Isiaca, quia Isiacæ, hoc est, Ægyptiacæ Theologiæ summam continet; Bembina dicitur, eò quòd Bembus Cardinalis summo Reipublicæ literariæ bono eam primus ab interitu vindicatam Orbi protulerit. Nam à fabro quodam ferrario, qui illam in Borboniana Vrbis direptione comparauerat, pretio non contemnendo redemptam, veluti admirandum quoddam veteris Sapientiæ monumentum in Museo suo rebus omnibus ad literarum, antiquitatumque notitiam spectantibus instructissimo vsque ad mortem conseruauit: quo fatis functo tandem Duci Mantuæ cessit, in cuius Gazophylacio inter illustrium antiquitatum monumenta asseruata fuit, vsque ad annum 1630; quo in miseranda Mantuanæ Vrbis direptione ita euanuit, vt tametsi summo studio institum sit, vt sciretur, quid tandem de ea factum sit, in hunc vsque diem nemini explorare licuerit. Tabula longitudinem habuit quinque palmorum, latitudinem quatuor. Tota ærea fuisse perhibetur, & figuris partim encausto, quod Smaltum vocant, partim argenteis lamellis, quibus

figu-

figurarum ornamenta & habitus mirè condecorabantur, affabrè insertis; constitisse; quam & primus omnium cælator eximius Æneas Vicus Parmensis, curâ Torquati Bembi, ad prototypi magnitudinem summo studio ac diligentiâ æri incisam, Ferdinando I. Cæsari dedicauit. Hanc eandem deinde deficientibus exemplaribus denuò incidendam dedit Herwartius Ducis Bauariæ Cancellarius, quam & Theatro hieroglyphicorum insertam euulgauit; ex quo nos omni, quâ fieri potuit, diligentiâ eam in minorem proportionem traductam hîc curioso Lectori exhibemus. Quod dum facimus, non parua difficultas exoritur, an à Veteribus Romanis, an ab Ægyptijs monumentum hoc, inter cœtera sanè celeberrimum, confectum fuerit? Non desunt, qui Tabulam hanc à Romanis concinnatam sentiant; alij ex Aegypto vnà cum alijs rerum Aegyptiarum monumentis, quibus vnicè Romani inhiabant, allatam, & in Isidis templo positam asserunt. Atque hi veriùs mihi coniecturare videntur. Certè Tabulam in Aegypto à veteribus Hieromantis concinnatam, ipsarum figurarum ratio, & mystica compositio, quin & artificium stylusque pingendi, quæ Aegyptiacum ingenium prorsùs sapiunt, sat superque demonstrant, minimè verò à Romanis, quorum proprium erat, nunquam Aegyptiacum simulachrum adeo purum effingere, quin semper nonnihil illi ex Latia Theosophia depromptum affingerent; quemadmodum passim toto hoc Opere demonstratum fuit. Cùm itaque Tabula hæc præsens purè hieroglyphica sit, nec quicquam ex cœterarum Gentium literatura, aut sculptura, picturaue admistum habeat; irrefragabiliter concluditur, illam ab Aegyptijs, & in Aegypto, & quod ampliùs est, ante Cambysis in Aegyptum factâ irruptione, eo videlicet tempore, quo maximè hieroglyphicæ literæ in Aegypto florebant, confectam esse. Accedit quòd ea confici non potuerit, nisi ab ipsis Hierogrammatistis, quorum officium erat, hieroglyphicas inscriptiones disponere, dispositas Obeliscis, saxis, valuis, mensis Templorum incidendas tradere; quæ quidem characterum notitia, cùm iam veterum Romanorum temporibus defecerit, certum est, hanc à Romanis perfici nullâ ratione potuisse; à priscis itaque Aegyptijs confecta fuit.

Bembina tabula ex Aegypto fuit Romam translata.

CAPVT II.

Quæritur quem hæc tabula vsum habuerit apud Aegyptios.

ADyta Ægyptiorum, in quibus Sacerdotes sacra operari, ritusque, & cœremonias suas exercere solebant, subterranea loca erant, singulari quodam artificio ita constructa, vt nihil non mysteriosi in ijs occurreret. Muri ex omni parte pleni tùm hieroglyphicis picturis, tùm sculpturis, in quorum medio ara erat posita, cuius planum seu abacus erat hieraticis literis insignitus; iuxta mensam fauissa seu cisterna erat sacra, Niloticâ aquâ, quæ per occultos meatus illuc deriuabatur, referta: in mensa ve-

Adyta Aegyptiorum Sacerdotum qualia, & quibus rebus instructa.

ſa verò maximorum Numinum ſimulachra, & tota Geniorum concatenata ſeries adeo reconditis ſymbolis exhibebantur, vt non tantùm, quemadmodum ſtultè ſibi imaginabantur, ſummorum myſteriorum abditos receſſus notarent, ſed & ad quemcunque voluiſſent Geniorum, per horridas & execrandas adiurationes, analogoſque ritus & cœremonias ſiſtendum, efficaciam haberent infallibilem. In his itaque adytis ſeu remotis ab omnium hominum conſortio receſſibus docebatur Theologia illa myſtica Ægyptiorum arcanior, hieroglyphiciſque deſcripta ſymbolis, Sacerdotalis ordinis hominibus tradebatur. Quæ omnia teſtatur Arnobius cùm de Ægyptio Magò loquitur; *Magus, inquit, ſuis clandeſtinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis potentium Angelorum nomina & remotas furatus eſt diſciplinas.* Clemens Alexandrinus de Pythagora diſſerens: Ὁ Πυθαγόρας περιετέμνετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν. *Pythagoras circumciſus eſt, vt in adyta intromiſſus myſticam ab Ægyptijs traditam diſceret Philoſophiam.* Iuſtinus Martyr quæſt: ad Ortodoxos 25. Τίμια δὲ ἦν ποτὲ παρ' Αἰγυπτίων μαθήματα τὰ ἱερογλυφικὰ καλούμενα τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις οὐ τοῖς τυχοῦσι, ἀλλὰ ἐν τοῖς ἐξαιρέτοις παραδιδόμενα. ἀστρονομία δὲ καὶ ἀστρολογία παρ' αὐτοῖς τότε χυδαῖά τε, καὶ πεζὰ, καὶ ἀγοραῖα μαθήματα λογίζεται. *Id temporis hieroglyphicæ diſciplinæ in pretio erant apud Ægyptios, quæ in adytis tradebantur lectiſſimis quibuſuis, non hominibus de triuio; Aſtrologia verò abiecta, circumforanea, & vulgaris erat apud eos.* S. Clemens ad Iacobum de Hæretico Mago quodam dicebat; Εἰς Αἴγυπτον πορεύσομαι, καὶ τοῖς τῶν ἀδύτων Ἱεροφάνταις καὶ Προφήταις φιλιωθήσομαι. *Ibo in Ægyptum, & Adytorum Myſtis, Sacerdotibus & Prophetis amicitia ſociabor.* Neque tantùm adyta Ægyptiorum ſummè celebrabantur ab omnibus, ſed & libri Magici, quibus coniurabant Dæmones, & ſui eos iuris facere nitebantur Sacerdotes, vti memorat Lucianus in Philopſeude: Ἐγὼ τε τὰς βίβλους λαβὼν, εἰσὶ δή μοι Αἰγύπτιαι μάλα πολλαὶ περὶ τῶν τοιούτων, ἧκον εἰς οἰκίαν, καὶ προσχειρισάμενος τὴν φρικωδεστάτην ἐπίρρησιν αἰγυπτιάζων τῇ φωνῇ. *Domus infeſtabatur à Dæmone, ego autem accepi libros, quos plures huiuſmodi apud ſe habebant, veni domum, & quàm maximè horrendo carmine Dæmonem exegi, vocem imitatus Æpyptiam.* Quinam alij ſunt libri huiuſmodi, niſi quos diximus, tabulæ varijs hieroglyphicis, id eſt, Magicis ſignis inſtructæ? Quæ adeo vera ſunt, vt vel ipſa Sacra Scriptura Hebræis huiuſmodi abominationes, quas in adytis ad morem Aegyptiorum in ſubterraneis locis exſtructis peragere ſolebant, exprobrare videatur. Tale adytum fuit, quod Deus Ezechieli monſtrabat c. 8. v. 7. *Et introduxit me ad oſtium atrij, & ecce foramen vnum in pariete, & dixit ad me; fili hominis, ſcinde parietem; & cùm ſcidiſſem parietem, apparuit oſtium vnum, & dixit ad me; ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt, & ingreſſus vidi.*

Theologia Aegyptiaca docebatur in adytis ipſorũ.

Arnobius.

Clemens Alex:

Iuſtinus Martyr.

Libri Magici Aegyptiorum Sacerdotum.

Adyta Hebræorum ad ſimilitudinẽ Aegyptiacorũ extructa. Ezechiel 8.

והנה כל תבנית רמש ובהמה שקץ וכל גלולי בית
ישראל מחקה על הקיר סביב סביב:

Et ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erant in circuitu per totum. Quid hîc aliud nobis exhibetur, niſi abſolutiſſima ſimilitudo adytorum Aegyptiorum? quorum proprium erat, omnes muros, valuas, tabulas, menſas, & altaria Deorum ſuorum imaginibus

nibus insignire, vt habet sacer text: *Et septuaginta Viri de Senioribus domus Israël; Et Iezonias filius Zaphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat.* Vel vt Thargum habet: *Et columna nubis incensi ascendebat.* Quid aliud nobis exhibetur, nisi ritus & cœremoniæ Sacerdotum Aegyptijs Dijs in adytis suis sacrificantium? Atque ex his omnibus satis luculenter patet, fuisse adyta instructa omni hieroglyphicæ doctrinæ supellectile, quâ quicunque ordinis Sacerdotalis gradibus apti censebantur, imbuebantur. Inter cœteras verò adyti partes aræ & mensæ hieroglyphicis potissimùm insigniebantur schematismis; nè id, in quo summa mysteria conficiebantur, mysterijs carere videretur. Atque talis fuit mensa nostra Isiaca, seu tabula, quam nobis exponendam assumpsimus; quæ vti totius adyti pars fuit præstantissima, ita præ cœteris summâ curâ ac diligentiâ appabatur, vti hîc factum videmus. Mensam verò hanc aræ loco seruisse, inde constat, quòd Ægyptios secuti Hebræi, Græci, & Latini, aras & mensas passim confundunt. Hebræos fortunæ mensam posuisse, Isaiæ cap. 65. v. 11. habetur: העורכים לגד שלחן *Ponentes fortunæ mensam:* vti Thargom Vzielidis:

Thargum Vzielidis.

Adyta Aegyptiorum hieroglyphicis instructa.

Mensæ adytorum Aegyptiacorum instructæ hieroglyphicis.

Tabula Bembina erat Mensa seu Ara in adytis Aegyptiorum.

Isaias.

Thaurgum Vzielidis.

והמסדרין למעוות פתורין ודחלתיהם אגנים:

Idolis suis mensas, & Dijs suis terrificis crateres. Vbi plerique Rabbini mensas cum aris confundunt, vti Tomo I. fol. 354. fusè ostendimus. Verùm vt hæc enucleentur:

Notandum, mensarum maximam fieri in omni antiquitate mentionem: erant enim Dijs consecratæ, & in locis sacris religiosisque repositæ, sine quibus nihil conficiebatur; in his mactare, immolare, omnis generis vasa reponere solitum erat. Hinc à Græcis θυωρὸς, τράπεζα θυωρὸς appellabatur, id est, teste Hesychio, mensa sacris vsibus consecrata ἢ τὰ θυηφυλάσσουσα, in qua ea, quæ Dijs offerebantur, reponebantur. vide Diogenem Laërt. in Pherecid. & Pollucem l. 4. de partibus Theatri. Arnob. l. 1. *Sacras*, inquit, *facitis mensas, salinorum apposit u & simulachris eorum.* *Mensæ*, inquit Festus, *in ædibus sacris ararum vicem obtinebant.* Vt proinde Cicero non sine ratione aras, focos, & mensas in Oratione de Aruspicum responsis appellare voluerit. *Deorum*, inquit, *ignes, solennes mensæ, abditi & penetrales foci.* Porrò mensam diuinis mysterijs aptam, Festus tradit Anclabrin fuisse dictam, vti & vasa quoque ænea, quibus Sacerdotes in sacrificijs vtebantur, Anclabria, nimirum ab antiquo Plautino verbo Anclare seu Antlare, siue id à Græco verbo ἀντλῶ, id est, *haurio*, siue à prisca voce, *anculare*, quod idem ac *ministrare* significabat, deductum fuerit. Certè Deos Deasque olim Anculos & Anculas, siue ministras fuisse vocitatas, Festus suprà citatus sat superque demonstrat. Fuerunt autem diuersis Dijs diuersæ mensæ dedicatæ. Hinc mensas curiales Iunoni, quæ Κύρις dicebatur; mensas Mythriacas apud Pollucem Mythræ; mensas Aphrodisiæ Veneri; mensas denique Isiacas, Isidi consecratas, & vti diuersis Dijs consecratas, sic ex diuersis materijs Dijs analogis confectas fuisse

Mensarum Sacrarum frequens apud Antiquos vsus.

Hesychius.

Dio: Laërt.

Arnobius.

Festus.

Cicero.

Mensæ sacræ appellabantur apud Antiquos Anclabræ.

Mensæ diuersæ diuersis Dijs dedicatæ apud Antiquos.

Pollux.

Mensarum Dijs dedicatarum diuersæ materiæ.

fuisse legimus. Hinc Ioui & Apollini mensæ aureæ; Dianæ, Veneri, Iunoni, argenteæ; reliquæ Deorum turbæ, marmoreæ; ligneæ denique Deorum pedissequis Numinibus destinabantur. Valerius Maximus non alia de causa Dionysium Syracusanum tanto habitum odio fuisse tradit, nisi quòd neglectâ religione mensas aureas & argenteas ex Apollinis templo sustulerit. Et Cicero de natura Deorum; *Iam mensas*, inquit, *argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus quòd more veteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum Deorum, vti se illorum bonitate dicebat*. Idem Verrem mensas Delphicas è marmore, crateras ex ære pulcherrimos, vim maximam vasorum Corinthiacorum ex omnibus ædibus sacris abstulisse dixit. Erant itaque, vt multa paucis complectar, mensæ sacræ nihil aliud quàm aræ; quæ apud Veteres tanta semper in veneratione fuerunt, vt inde prouerbia promanârint, pro aris & focis decertare, id est, nullam rem tanti æstimandam, quàm eam, quæ Deorum immortalium Numinibus consecrata fuerit; & Aristophanis illud, Ἐν ἀχαρνεῦσιν οἷσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει, *Quibus nec ara, nec fides, nec vlla durant fœdera*, de summè perfidis, quales Spartanos fuisse dicit, prolatum. Iurantes quoque manu aram tetigisse Virgilius docet:

Valerius Maximus. Cicero. Mensæ sacræ Antiquorum erant Aræ. Virgilius.

Tango aras, medios ignes, ac Numina testor.

Et Cicero pro Flacco; *Is si aram tenens iuraret, nemo crederet*. Erant præterea aræ, siue sacræ Mensæ asyla & perfugia hominum sacrosancta. Cicero post reditum; *Qui nisi in aram tribunatus confugisset, vim Prætoris effugere non potuisset*. Idem pro Roscio; *Sicut in aram, sic confugit in eius domum*. Et in Tuscul. quæstionibus: *Tantâ progenie orbatum, cùm in aram confugisset, hostilis manus interemit*. Ab ara itaque non licebat supplices abstrahere, cuiusmodi erat ara Concordiæ, cuius meminit S. Hieronymus, ad quam si quis confugisset, tanquam ad Cæsaris statuam, auelli inde eum nefas habebatur.

Cicero. Mensæ sacræ adyta sacrosancta. S. Hieronymus.

Ex his fusiùs forsan, quàm par erat, expositis, patet, ararum, mensarumque originem non aliunde quàm ab Ægyptijs profluxisse; quibus, vti dixi, solenne erat, mensas in adytis ponere, non qualescunque, sed hieroglyphicis affabrè adornatis, tùm ad reuerentiam ritibus & cœremonijs conciliandam, tùm ad potentiùs efficaciùsque Numina, quæ adiurationibus suis sollicitabant, quorumque imagines symbolicis habitibus ibidem exhibebantur, trahenda, institutas. Has in medio templi seu adyti ponebant, teste Aben Vaschia in lib. de seruitute Ægypti:

Mensarum seu Ararum origo ab Aegyptijs profluxit. Aben Vaschia.

والفيلسوفين مصر اقيموا في الهيكل المايده منقوشة في حروف الطيور ☼

Et in templo erat mensa, in qua omnis generis literæ & figuræ animalium incisæ spectabantur. Atque talis haud dubiè mensa fuit hæc præsens tabula hieroglyphica ære fulgida, splendore diuinitatis, quæ in ea coli putabatur, prorsùs æmula. Atque hæc de vsu tabulæ sufficiant.

Mensæ sacræ in adytis Aegyptiorum ponebantur.

CA-

CAPVT III.

Argumentum huius Tabulæ, ſeu Menſæ Iſiacæ.

IMitantes Aegyptij ipſam Vniuerſi naturam, fabricamque Deorum, teſte Iamblicho, ipſi quoque myſticarum reconditarumque notionum imagines quaſdam in ſymbolis conficiendis oſtendebant, vt quemadmodum & natura rationes occultas in apparentibus formis quaſi ſymbolis exprimit, & Dij idearum veritatem per manifeſtas imagines explicant, ita & ipſi operarentur. Cùm ergo cognoſcerent, quòd ſuperiora omnia inferiorũ ſimilitudine delectentur, atq; inſuper optarent à ſuperioribus bonitate repleri; vt pro viribus ea imitarentur, meritò & ipſi conuenientẽ ſuperis agendi modum pro viribus offerebant, dum occulta myſteria ſymbolis inſerebant manifeſtis, in quibus interpretandis *dimitte voces, accipe ſenſus*. Hoc itaque cùm in more poſitum eſſet Aegyptijs, menſam hanc ſacram conſtruxerunt, cuius vti maximus in ſacrificijs, Deorumque cultu vſus fuit, ita ſymbolis quoque ſummo ingenio excogitatis, vniuerſam ſuam Theoſophiam in ea exhibere viſum fuit. Quemadmodum itaque in menſa opipara, omni ciborum exquiſitiſſimorum apparatu inſtructa, nutritiua hominis facultas cibos in ſubſtantiam aliti conuertit; ita in hac ſacra & myſtica menſa Deorum immortalium conuiuio excepti Sacerdotes, dum æternarum incorruptibiliumque ſubſtantiarum naturam mirificis, ſummèque appropriatis ſymbolis expreſſam ſubtili intellectus indagine contemplarentur, per actionum ibidem expreſſarum ſimilitudinem perſectâ ijs vnione coniungi putabantur; qui finis huius tabulæ fuit.

> *Iamblichus.* Aegyptij in hieroglyphicis inſtituendis Deos imitabantur.
>
> Aegyptij manifeſtis ſymbolis occulta myſteria ſignificabant.
>
> Menſa Iſiaca vniuerſam Theoſophiam Aegyptiorũ continet.
>
> Tabulæ Iſiacæ finis, vt per eius doctrinam Deo vnirentur Sacerdotes Aegyptij.

Docet itaque menſa hæc primò, omnem triplicis Mundi, Archetypi, Intellectualis, & Senſibilis conſtitutionem; quomodo videlicet Paterna Mens, ſeu ſuprema diuinitas, veluti ex centro quodam in vniuerſam Mundorum, tam ſenſibilium, quàm inſenſibilium circumferentiam agitata, omnia moueat, omnia animet, ac omnia triadis ſuæ charactere inſigniat. Deinde quomodo per fundum paternum ex tribus triadibus conſtitutum (quod fundum nonnulli Iynga, quidam ὑσιαρχλὼ παντόμορφον; alij, vti Platonici, Mundi animam, Philo σοφίαν κοσμοτεχνῖτιν appellant) vniuerſa moderetur: & quomodo vnaquæque trias Patre, Potentia, & Mente, triade perfectiſſima, fontanæ triadi fidei, veritatis, & amoris complicata exiſtat. Videbis quoque in hac menſa diuinarum Poteſtatum (quæ ſunt diuinæ ac ſupremæ Mentis, Iyngiſque Paternæ aſſeclæ & adminiſtræ, quæque ex Paterno fundo veluti ex vberrimo quodam Oceano in omnes Mundi ſemitas diſperguntur) ordinem, diſpoſitionem, adminiſtrationem, & præſidia. Hîc ſpectantur Mundorum Rectores ſinguli ſuis notati inſignibus, ignei, ætherei, & materiales. Hîc fontium Patres, quorum cura eſt, principia rerum omnium diſponere, & conſeruare, inuiolabiles naturæ leges fundare. Spectabis, Lector curioſe, eorum Numinum, quæ Antiqui Zonia & Azonia, id eſt, quæ nulli certæ ſphœræ alligantur, concatenatas ſeries, ſingula ſuis inſignibus adornata, & in triadas quaſdam

> Tabulæ Bembinæ argumentum.
>
> Paterna Mens centro euoluta in circumferentiam.
>
> Fundum paternum ex tribus triadibus conſtitutum.
>
> Trias quælibet conſtat Potentia, Patre, & Mente.
>
> Poteſtatum diuinarum ordo.
>
> Rectores Mundorum.
>
> Fontium patres.
>
> Numina Zonia & Azonia.

ſub

ſub fœminino & maſculino ſexu, ad Paternæ Mentis exemplar, diſpoſita, & ad ſupremi Numinis vultum conuerſa. Hanc Deorum Dearumq; fabricam Sacerdotes in adytis operantes ſedulò & intentâ mente contemplabantur, vt catenas ſeu Syras ſingulorum diſpoſitorum agminum addiſcerent, comperirentque; compertas appropriatis analogiſque rebus ibidem præſcriptis attractas ſui iuris facerent.

Cœremoniæ quibus Dij attrahebantur. Amilicti, & Hypozoci.

Nam in hac veluti in typo quodam monſtrabatur, quibus ritibus & cœremonijs, quibus rebus quoduis Numen ad id quod intendebant, impetrandum ſollicitarent. Hic Amilicti, hoc eſt, implacabiles quædã Potentiæ; hìc Hypozoci, id eſt, ſuccinctores ſiue ſuſtentatores; quarum illæ, teſte Pſello, nunquam ad hæc inferiora flectuntur, & in cauſa ſunt, vt animæ ab affectuum illecebris neutiquam demulceantur; hæ verò Mundum ſuſtinent; quarum immobilitate vis declaratur firma & ſtabilis, ſuſtentatione verò, cuſtodiæ atque conſeruationis cura; quas quidem facultates deſignant per ſolas Mundorum cauſas & immobilitatem.

Pſellus.

Quorum quidem Numinum Choros in dictas claſſes idealibus quibuſdam hierogrammatiſmis digeſtas, certis anni, menſium, dierumque temporibus Abaco interſeruerunt, vt quo quiſq; tempore ritè coli, inuocari, & aduocari poſſet, conſtaret, vt Iamblichus docet.

Iamblichus. Tempus non quodlibet opportunũ rebantur Aegyptij ad Numina attrahenda.

Non enim tempus quodlibet cuilibet aduocando Dæmoni opportunum rebantur; ſed id, cui Dæmon, aut Numen præeſſe, & aliquam proprietatis analogiam habere credebatur. Horum enim inuocatione ritè peracta, primò ante omnia Sacerdotes ſapientiam & mentis petebant illuminationem; quam adepti, ab omni fatorum neceſſitate ſe abſolui, & θεολήπτους effici putabant, perpetuo Numinum conſortio beatos. Secundò, hiſce cœremonijs, ritibus, cultuque iuxta leges præſcriptas religiosè peracto, futurorum prænotionem euentuum per varias diuinationum ſpecies ſe conſecuturos ſperabant, Numinibus hoc pacto cultis & inuocatis, vti credebant, iam per ſomnia, modò per viſibiles veraſque rerum formas, modò per alia & alia ſigna, & occulta ſymbola, mentes eorum ad futurorum πρόγνωσιν illuſtrantibus; ex hac infirmitatibus ſuis paratas reperire ſe putabant Medicinas; in hac amuleta contra omnium malignorum Dæmonum aſſultus efficaciſſima ſe repoſita habere iactabant.

Sacerdotes Aegyptij, quid petiuerint in Deorũ inuocatione; nempe Illuminationẽ mentis. Futurorum prænotionem

Medelam infirmitatum.

Defenſionem contra Dæmones.

Vt vel ex hac fuſiori forſan quàm par erat periocha, ſat pateat, hanc menſam nihil aliud fuiſſe, niſi totius Ægyptiacæ Theologiæ, tùm practicæ, tùm theoricæ, epitomen quandam & anacephalæoſin, vti ex ſequenti interpretatione patebit.

Authoris proteſtatio in Tabulæ Bembinæ interpretatione

Quam antequam aggrediar, proteſtor, nihil me ex propria opinione aut ſententia hìc allaturum, ſed omnes fidelis Oedipi partes tantùm adimpleturum in rerum hucuſque incognitarum expoſitione. Et licet pleraque Magicis, Diaboliciſque ſuperſtitionibus inuoluta ſint; ea tamen hac cautela & circumſpectione adducentur, vt nemini eas offendiculo futuras ſperem; imò Chriſtianum Lectorem ex hiſce mille Diaboli technas in animarum exitium ſtructas, neſcio ſub qua religionis cultuſque diuini larua abditas, clarè cogniturum, cognitas remis veliſque cum ſummo animæ fructu & emolumento deuitaturum, confido.

CAPVT IV.

Tabulæ seu Mensæ Isiacæ diuisio.

CONsideratur primò tota hæc Tabula A B C D, formâ parallelogrammi, iuxtą spacium intrinsecum,& extrinsecum. Intrinsecum spacium diuiditur in tres regiones, iuxta trinum supremæ mentis exemplar; superiorem videlicet,mediam,& inferiorem. Suprema Regio continetur literis E F, & continet duodecim figuras andromorphas, seu hierogrammatismos in quatuor triades diuisos, & varijs multiformibusq; symbolis adornatos. Secunda regio seu media, quæ continetur literis G H,iterum in tria spacia subdiuiditur: medium literis Γ Δ Θ φ insignitum, continet 7 figuras principales O, Q, R, S, X, Y, Z, multiplici symbolorum apparatu adornatas; duo verò, quorum dextrum extremum literis G Δ Ξ Π, sinistrum verò extremũ P H M N literis notatur, vario figurarum, ornamentorumq; apparatu concinnantur. Infima regio literis I K intercepta pariter, vti suprema, duodecim principalibus hierogrammatismis andropomorphis exhibetur; quorum explicationem paulò post adducemus.

Vidimus intrinsecam figurarum dispositionem; iam extrinsecam paucis quoque declaremus. Extrinsecam dispositionem tabulæ limbus obtinet, quo totius tabulæ seu Mensæ consistentia clauditur. Est autem limbus quadruplex,superior, inferior,dexter, sinister. Superiorem A C, inferiorem B D,dextrum A B, sinistrum C D literis signauimus: quorum singuli varias hieroglyphicas ideas continent, vt postea videbitur. Restat præterea alia subdiuisio minorum limborum, quæ mediam regionem G Ξ H N à superiori & inferiori discriminat,varijs hieroglyphicis notatorum; quorum superior signatur literis G H, inferior Ξ N; transuersi verò Λ Τ Π Δ, & Θ Ρ Φ Μ literis signantur. Σφῆς verò quæ limbo maiori subijcitur, tantùm ornamenti loco seruit. Atque hisce portionibus totius tabulæ Syntagma completur; quorum arcanas significationes eo ordine, quo eum subdiuisimus, paulò post exponemus.

CAPVT V.

Anatomia Tabulæ, siue de habitibus, ornamentis, tutulis, baculis, & tota πολυμόρφωσι hierogrammatismorum, eorundemque differentijs.

DIfferunt figuræ in hac Isiaca tabula octo potissimùm rebus, formâ videlicet, situ, gestu, operationibus, vestitu, tutulis, baculis, denique circumpositis sibi hierogrammatis, floribus, virgultis, literis minutis, animalibus; quæ omnia exponenda sunt.

Forma differunt; aliæ enim siue puram, siue mistam humanam fi-

M guram

Tabulæ Bembinæ diuisio in spacium intrinsecum, & extrinsecũ.

Intrinsecum Bembinæ tabulæ spaciũ diuiditur in tres regiones.

Prima regio tabulæ Bembinæ.

Secunda regio tabulæ Bembinæ.

Tertia regio tabulæ Bembinæ.

Extrinsecum tabulæ Bembinæ spacium diuiditur in quatuor limbos.

Limborum minorum tabulæ Bembinæ diuisio.

Anatomia tabulæ Bembinæ.

Bembina in tabula octo sunt consideranda.

Forma,

guram referunt, vt in superiori regione, media & infima, paucis exceptis, patet; aliæ diuersis animalium laruis transformatæ, vt in limbo quadruplici apparet.

Situs. Situ differunt, dum aliæ stantes, aliæ sedentes, geniculatæ aliæ, aliæ nauibus vectæ, aut abacis variè figuratis insistentes, aliæ denique alio situ spectantur; quæ occultâ significatione, vt postea patefiet, non carent.

Gestus. Gestu differunt; aliæ siquidem brachijs nunc eleuatis, iam pendulis & efficaciter contractis manibus, aliæ ad currendum, ad adorandum aliquid aliæ compositæ videntur.

Operatio. Operationibus differunt; nam videas hic nonnullas veluti imperiosè aliquid iubentes & imperantes, quasdam suppliciter nonnihil petentes, alias sacrificantes, alias denique offerentes, & supplici animo exhibentes.

Vestitus. Vestitu pariter discrepant, omnes tamen Ægyptiaco ritu adornatæ sunt, quæ maxima corporis parte nudæ, & tenui vestitu à pectore aut vmbilico ad genua vsque velantur veriùs, quàm vestiuntur; & hic habitus vtplurimùm in masculis figuris spectatur: fœminæ amictu à mamillis ad pedes vsque extenso, & ligaculis quibusdam humeris implicato spectantur: præterea huiusmodi vestimenta iam reticulata, modò pennigerâ texturâ, aut alarum volucrium variè inuoluto velamine, nonnunquam stelligero cruciferoque contextu, alijsque symbolis per totum elaborata spectantur; quæ omnia plena mysterijs esse postea patebit.

Tutuli. Venio ad ornamenta capitis, vbi summa quoque varietas & diuersitas rerum consideratarum occurrit; quædam enim statuæ iam vittis planis, modò in conum turbinatis, quarum aliquæ albo, aliæ nigro colore imbutæ sunt, capiti impositis cernuntur; nonnullæ velo teguntur simplici, quædam bilimbari fascia in vertice fixa effinguntur: supra vela verò recensita tutuli exurgunt, non minori rerum varietate adornati; plerique pennigeri, aut herbacei, floreique φλογο-κυκλο-οφιόμορφοι, id est, plerique diffusione flammarum, viperarumque exurgentium, vti & sphœrico corpore insigniti.

Baculi. Baculi seu sceptra quoque, quæ in manibus portant, multùm differunt; sunt nonnulla capite vpupæ, quædam flore Loti insignita, alia in sagittæ formam adaptata; non desunt, qui plantas aut pennas loco sceptri portent, plerisque Tautico charactere, id est, Cruce ansata instructis, vti ex tabula patet.

Hierogrammata circumposita. Habent singuli Hierogrammatismi varia symbolorum syntagmata apposita, quæ nos ad tria capita reducimus. Sunt primò animalia tùm quadrupedia, volatilia, reptiliaque, tùm ex his mista. Secundò sunt minuti charactères hieroglyphici, quorum alij simpliciter apponuntur hierogrammatismis, alij intra oualem figuram conclusi spectantur, quas sacras tabellas in Obelisco Pamphilio denominauimus, indicantque nescio quæ amuleta ac phylacteria, vt suo loco dicetur. Tertiò sunt aræ, columnæ, & mensæ sacræ, vasis, ampullis, vrnis, crateribus, floribus, plantis refertæ; quæ omnia vti maximis mysterijs turgent, ita meritò singularem interpretationem merentur.

Atque hæc est anatomia, quam primò, antequam interpretationem ordi-

orditemur, ob oculos curiosi Lectoris exponendam duximus, nè tabulæ omnium mysteriosissimæ expositionem confusè, temerè, & sine digestione, illotis, vt aiunt, manibus aggressi videremur. Nihil porrò restat, nisi vt iam manum operi admoueamus, & datam iam tot annis fidem, tandem debito soluti, præstemus.

Vera & genuina Mensæ Isiacæ, siue Tabulæ Bembinæ Interpretatio.

ORdimur tandem diuini Numinis auspicio Isiacæ tabulæ interpretationem, iuxta eum ordinem, sub quo eam in præcedentibus partiti sumus; & nè in tanta rerum explicandarum varietate & multitudine confusionem incurramus, singulas tabulæ partes per octo paragraphos enucleandas duximus, authoritates rerum expositarum non semper appositurí, sed Lectorem ad eas alibi, tùm in Obelisco Pamphilio, tùm in præcedentibus Tomis adductas per marginales numeros inquirendas remittemus, nè in tanta rerum authoritatumque coaceruatione filum interpretationis, cum fastidio & confusione Lectoris, impediatur; authoritates tamen rerum nunquam alibi comprobatarum integras semper apponemus. De hoc primò Lectorem monere voluimus, nè eum consilij nostri ratio lateret. Ad rem igitur. DEVS Optimus Maximus votis nostris aspiret.

Methodus seruanda in tabulæ Bembinæ interpretatione.

DIVISIO I.

Figurarum mediæ regionis Tabulæ expositio.

Bembinæ tabulæ regio media explicatur.

ÆGyptij diuinitatem per omnia diffusam contemplantes dupliciter sumebant, vel prout in solitaria æternæ Mentis vnitate constituta, & ab omni materiali rerum consortio longè remotissima, sempiterno suiipsius felicitatis bono in ineffabili diuinitatis recessu gaudebat; vel prout ad rerum creatarum ordines respectum quendam dicebat; in quantum videlicet veluti ex centro quodam in vniuersas Mundorum series per administros assectasque sibi Genios & Secundeos euolutus omnia moderatur, omnia animat, omnia fœcundat, omnia denique ad Vniuersi sustentationem sollicitat. Cùm verò trinam quandam in Deo potentiam ponerent, atque adeò diuinitatem supremam triformi quâdam, vt ipsi loquuntur, potestate in vna substantia constitutâ, & ab Hermete Trismegisto posteris sub magna silentij occultatione sibi traditam, à qua omnia dependerent, quâue veluti signaculo quodam ideali omnes Mundanarum classium, tam sensibilium, quàm insensibilium ordines notarentur,

Ægyptij diuinitatem per omnia diffusã dupliciter considerabãt.

Trinam in Deo potentiã ponebant Ægyptij.

tur, apprimè nôssent; hinc aptè singularum triadum in Vniuerso elucescentium Systemata pulchrè singulas suis sibi appropriatis symbolis adornatas in hac Tabula expresserunt, vt iam exponemus.

Magna Deorum porta in medio Bembinæ tabulæ explicatur.

In medio itaque Tabulæ veluti centro Thronum *a b c d l m*, siue magnam, vt vocant, Deorum portam, magna symbolorum architectura fabricatam conspicis; cuius suprema coronis seu frons *a b* flammas in serpentum surrectarum formam diffusas exprimit. Secunda coronis *c d* globo aligero; Tertia *e f*, & calx *l m* throni eodem insigniuntur. Stolones throni octopartitis circulis, qui quadratis circumscribuntur, insigniuntur. Coronis tota binis columnis *e l*, & *f m*, albo-nigris gradibus distincta, & Isidis capite instructa innititur. Huic throno inseritur figura sub fœmineo habitu, ab vmbilicò ad pedes pennigero femoralium habitu, ab vmbilico sursum, versus pectus, innumeris densatur vberibus (tametsi in schemate non benè exprimantur). Caput eius vittâ Ægyptiâ velatum, velo supraexpanditur meleagris, quæ volatum affectat; huius dorso calathus, ex quo emergunt duo perseæ folia, & bina cornua, quæ circulum Scarabæi figurâ notatum intercludunt: vnâ manu sceptrum Loti flore insignitum tenet, alterâ eum gestum exprimit, quo imperiosè aliquid iuberi solet: sedi insidet rasæ, & canis sedentis figurâ insignitæ. Sub throno Abacus spectatur, cuius limbus circulis octopartitis, vt dictum, notatur; intra Abacum figura ponitur accubans, ex Leone & Accipitre composita, pedibus anterioribus Canopum continens; à tergore verò globus ὀφι-πτερόμορφος; supra caput figuræ ἱερακολέοντος Luna sextilis, cui stella insistit, iungitur. Throno astant vtrimque binæ columnæ floridæ *V W*, quibus duo aspides surrecto pectore tumentes sacris vittis ornati, veluti throni excubitores assistunt.

Asseclæ throno medio Bembinæ tabulæ adstantes.

Vidimus Thronum seu portam magnam supremæ Mentis; iam asseclas eidem circumstantes, & ad thronum supremum veluti conuersos contemplemur: quorum vtrinque tres, O, Q, R à dextris, à sinistris X, Y, Z, apponuntur; ex quibus O & Z stantes eodem habitu amictuque circundati spectantur: medij verò Q Ἰβιόμορφος, & Y αἰλουρόμορφος, sedentium habitu pinguntur. Symbola quæ portant, & tutuli, quos capite gestant, & thronus cui insident, postea exponentur. Bina verò simulachra vtrinque throno summo vicina sunt R & X, eo situ, habituque symbolorum, quibus vides, insignita. Sed his ita ritè propositis, iam quid hoc hieroglyphico symbolorum apparatu Ægyptij notârint, exponamus.

Thronus Bembinæ tabulæ medius seu magna Deorum porta, quid significet hieroglyphicè. Plutarchus, Plato.

Thronus paulò antè descriptus nihil aliud indicat, quàm supremæ Mentis triformis in vniuersas trium Mundorum semitas diffusionem, ex cuius euolutione nascitur Mundus hic, siue Vniuersum hoc sensibile, quam Plutarchus domum Hori, magnam Deorum portam Ægyptij appellant; quem quidem ex trigono archetypo profluere alibi ex Platone probatum fuit. Coronis suprema throni seu portæ in medio flammarum ὀφιομόρφων diffusarum, indicat, Mentem supremam luce & vita plenam, æternam, incorruptibilem, ab omni materiei contagione segregatam, iuxta illud Zoroastris:

Zoroaster.

Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐΐερον πῦρ λαμ[illegible]μενον σκιρτηδὸν ὅλου κατὰ βένθεα κόσμου, κλῦθι

κλῦθι πυρὸς τὴν φωνήν. *Cum videris absque forma sacrum ignem micantem, saltando per profunda totius Mundi, tunc aduertas ignis vocem.* Atque hic est ignis ille abstractissimus, & in sublimitate diuinæ essentiæ absconditus, iuxta illud Zoroastris: Ἑαυτὸν ὁ πατὴρ ἥρπασεν, οὐδ᾽ ἐν ἑῇ δυνάμει νοερᾷ κλείσας ἴδιον πῦρ. *Seipsum enim summus Parens Deus rapuit, neque in sua Potentia intelligibili Ignem suum conclusit*, sed ipsum reliquis communicauit Mundis. πάντα γὰρ ἐστὶν πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα, *omnia siquidem ex vno igne producta sunt*. Sed quomodo id factum fuerit, videamus. Ex centro in Mundos euolutus primò illum communicauit Mundo Intellectuali Angelico per Spiritum; secundò Mundo Sensibili; tertiò Elementari: quæ omnia pulchrè ex throni symbolis patent. Dixims, coronidem *b a* supremam ἀμ-φλογόμορφον indicare Mundum illum Empyreum seu Archetypum luce & vita infinita refertum; ex quo euoluta triformis Dei natura, vti Ægyptij loquuntur, ignem vitamque suam Intellectuali Angelico Mundo communicauit; quæ per *c d*, coronidem secundam, & per globum κυκλο-πτερόμορφον aptè indicantur; hic enim Mundus ab omni materiali fœce repurgatus non nisi mente & intellectu concipi potest. Ex hoc deinde triformis diuinæ essentiæ natura euoluta, se sensibili Mundo communicauit; & primò quidem diuinæ & paternæ Mentis fundo, Iyngi pantomorphæ, quam Platonici nunc primam Mentem, iam Verbum, modò animam Mundi, Philo etiam σοφίαν κοσμοτεχνίτην vocat; quam congruâ sanè symbolorum congerie in medio throni Ægyptij, tanquam in centro vniuersæ naturæ, quam moderatur, posuerunt. Sedet primò, vt innuatur potestas & dominium: sedes canente fulget, quia Iynx hæc Isiaca, seu paternum fundum in astro Sothios refulget, teste Diodoro: femoralibus variâ alarum texturâ expressis velocitatem sublimitatemque operationum, quibus in vniuersas Mundi semitas se diffundit, indicat: ab vmbilico ad pectus vsque innumeris densatur vberibus, quibus vniuersam Mundi machinam, necessariarum rerum vbertate continuò alit nutritque: Zonæ collo circundatæ Orbes denotant cœlestes, quos continuo motu agitat: velo tegitur caput, ad abdita & inaccessa naturæ, quæ operatur, mysteria indicanda: Meleagridem volantem capite gestat, ad varietatem entium vniuersæ naturæ, quæ aptè per Meleagridis diuersicoloris pennas indicantur, significandam: Canistrum dorso Meleagridis insistens, abundantiam, quam profert; folia perseæ sapientiam, quâ omnia administrat; cornua Lunam, & Scarabæus circulo inclusus Solem exprimit; quibus ostenditur Solis & Lunæ subsidio eam omnium dictarum rerum varietatem efficere; dextrâ manu sceptrum tenet lotiferum, quo ad exemplar Paternæ Mentis omnia se moderari ostendit; Loti enim flos indefesso motu Solem noctu diuque, teste Theophrasto, sequitur: imperioso verò sinistræ manus gestu, omnia eius mandatis iussisque substare innuitur; nam vt rectè Zoroaster: Πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλῄζετ᾽ ἔθνη ἀνδρῶν. *Nam omnia Pater perfecit, & Menti tradidit secundæ, quam primam vocant nationes hominum.*

Mens suprema triformis quomodo trino Mundo se communicauerit.

Angelici Mundi symbola.

Sensibilis Mundi symbola.

Iyngis pantamorphæ, seu Animæ Mundi symbola. *Philo.*

Diodorus.

Authoritates congruas hic omissas vide in Obelisco Pamph. l. 4. & 5. Tomo I. Oedipi fol. 190.

Vide Obelisc. Pamph. l. 5.

Theophrastus.

Zoroaster.

Atque hæc est vniuersæ naturæ mater Isis πανδεχὴς, παμμαςός, κεραςοφόρος,

Isis mater vniuersæ Naturæ.

ἔος, μέγαν ἀστολος, ζῶθις καὶ ἐπεσκύων; Omnia Dea Isis, iuxta illam suprà in Politica Ægyptiorum prolatam inscriptionem: Ἐγώ εἰμι πανταγεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ πέπλον ἐμὸν οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψε. *Ego Isis omne sum id quod est, & fuit, & erit, & meum peplum nemo mortalium vnquam retexit*; quæ, quidem nulli alteri, nisi fundo Paterno, hoc est, Iyngi intelligibili seu Verbo Paterno competere possunt. De quibus vide primum Tomum fol. 185, vbi omnia hucusque dicta fusis authoritatibus comprobantur. Hoc est idearum Mundialium penuarium, quod aptè insinuatur per throni seu portæ stolones *g h i k* & per quadrata, quibus circuli octupartiti inscribuntur, continuato ordine circumcirca depicta; nam per quadratum, quaternarium, per circulos octopartitos, octonarium numerum indicari, in Geometria hieroglyphica ostendimus, quæ simul iuncta dant 12, mundanæ perfectionis symbolum, exprimuntque singulorum partialium Mundorum ideas, quas vide citato loco in tractatu de Geometria hieroglyphica expositas.

Idearum Mundialium penuarium Iynx pantamorpha.

Rerum Mundanarum vicissitudines columnis throni Pantamorphæ Iyngis exprimuntur.

Quoniam verò in Mundo elementari omnia, dierum noctiumque, tenebrarum, lucisque, consensuum dissensuumque vicissitudine; in æthereo, motuum contrarietate; in intellectuali verò, Numinum antitechnia, consono-dissonis, ad Vniuersi conseruationem subijciuntur; aptè sanè hanc per thronum indicatam mundanæ domus constitutionem binis columnis gradibus albo-nigris distinctis fulcitam expresserunt; quâ vicissitudines rerum, consensuum dissensuumque leges, sine quibus Mundus consistere minimè potest, aptè indicarunt. Vide quæ de hisce fusiùs egimus l. 4. Obel. Pamph. Hisce columnis Ophioniorum Agathodæmonum V & W, thronum stipantium ὀφιόμορφα sub Serpentum seu Aspidum forma, schemata apponuntur; quibus indicatur vita rerum, quâ singula huius Vniuersi domus tùm sensibilis, tùm vegetabilis naturæ membra per calorem & humidum animantur, viuunt, conseruantur; Aspis enim animal viuacissimum humido-calidi symbolum est; quæ omnia in Obelisco Pamphilio amplissimis authoritatibus exposita sunt. Columnis floreis insistunt, vt ostenderetur, quòd Agathodæmones Ophionei omnibus rebus, per vitam & animationem, consistentiam dent in Mundo inferiori, æthereo, & suo modo in intellectuali. Mundanæ huius domus throno Abacus subijcitur, Mundi Elementaris symbolum, & is superiorum Mundorum ideis influxiuâ virtute, per globum aligerum suprapositum aptè indicatâ, propagatis plenus; quæ aptè per limbum octupartitis circulis refertum indicantur. Intra Abacum ponitur T Leo accubans, capite Accipitrino, & nigro spectabilis velamine, cum reliquis hieroglyphicis, vt vides. Per Leonem, terreum animal, tellus rectè indicatur, per caput Accipitris spiritu igneo pollentis, ignis Elementum; in capite Lunam sextilem tenet stellâ insignitam, quæ Lunæ stellarumque subsidio omnia inferiora gubernari indicant; per Canopum verò quem anterioribus pedibus tenet, aqueum Elementum appositè signatur, in cuius capite flamma bipartita conspicitur, & supra flammam duæ pennæ, queîs aëreum Elementum indicatur; quod quidem nihil aliud esse, quàm aquæ per igneum

Serpentes thronum stipantes Bembinæ tabulæ quid significent.

Obel. Pamph. l. 4. & 5.

Abaci throno subiecti schemata explicata.

calo-

calorem resolutæ effluuium putant; globus verò ὀφικυκλοπτερόμορφος totum hunc Elementarem Mundum per supremi triformis Numinis potentiam & animari, & conseruari indicat; huius enim particulari concursu vita & consistentia rebus, quæ per columnas floreas appositas innuuntur, conceditur; quæ omnia cùm diuersis Oedipi locis, vti & in Obelisco Pamphilio authoritatibus omnigenis stabilita sint, eas hoc loco repetere superuacaneum esse existimaui.

Restant characteres hieroglyphici minuti, qui Isidi adscribuntur, explicandi; quorum superiores hunc sensum efficiunt: *Porta quadripartiti Mundi, quâ Pantamorpha Mundi Anima ingressa, omnia diuinæ prouidentiæ oculo penetrat, vitam largitur per quadrifidi tùm superioris, tùm inferioris Mundi quinas portas influendo.* Inferiores verò hunc sensum præbent: *Vinculum portarum Mundi superioris & inferioris, quo per Agathodæmonem Ibimorphum zonarum catena mouetur.* Atque hanc Pantamorpham Naturæ Matrem ita appositè in suis hymnis describit Orpheus, vt eam exponere voluisse videatur. Characteres minuti Isidi throno insidenti adscripti.

Natura omnium mater Dea, artificiosa mater,
Suscitatrix, honorabilis, multa creans, Dæmon, Regina,
Omnidomans, indomita, gubernatrix, vbiq; splendens,
Omnium rectrix, honorata, præstantissima omnibus,
Incorrupta, primogenita, antiqua, claros viros cohonestans,
Nocturna, multa vastans, lumen ferens, ægrè detenta,
Quietum talis pedum vestigium voluens,
Casta Princeps Deorum, fine carens finis;
Communis quidem omnibus, incommunicabilis verò sola,
Ipsa pater sine patre, virtute valde gaudens maximâ,
Beneflorens, nexus, amicitia, multis mixta, sciens,
Dux potens, vitam ferens, omnia nutriens puella,
Sufficientia, iudicium, gratiarum celebris Suada,
Ætherea, terrestris, & marina Regina,
Amara quidem perniciosis, dulcis verò obtemperantibus,
Sapientissima, omnium datrix, nutrix, vbique Regina,
Incrementum nutriens, beata, maturorum verò dissolutrix:
Omnium quidem tu pater, mater, nutrix, & alumna.
Statim generans, beata, semine abundans, maturitatis motus.
Omnium artifex, figula, multorum creatrix, veneranda Dea,
Æterna, metus ferens, multa experta, prudens Dea,
Semper fluente turbine celerem impetum agitans,
Omnium seruatrix, circularis, alienæ formæ arbiter,
In throno sedens honorabilis, sola iudicatum perficiens,
Supra sceptrigeros grauiter sonans optima.
Intrepida, omnia domans, fatalis Parca, ignem spirans:
Æterna vita, & immortalis prouidentia,
Omnia tibi sunt: omnia enim tu illa sola facis.

Sed

Sed Dea supplico te cum fortunatis temporibus,
Pacem, sanitatem, ducere, incrementum omnium.

Habes hic primæ potissimæque partis tabulæ huius interpretationem. Vidimus itaque quomodo supremum triforme Numen ex Archetypo in Mundum Angelicum, & ex hoc in æthereum, & hinc in hylæum seu Elementarem Mundum sese explicet; vidimus quomodo Menti secundæ Pater omnia tradiderit gubernanda; quosque effectus in Mundis recensitis perficiat; iam videndum est, quomodo, & per quos asseclas seu administros Spiritus fundum paternum, seu vniuersalis Mundi forma iam explicata, omnia in Mundo administret.

Fundum paternum quid sit secundum Ægyptios.

Tenuerunt Ægyptij, vti tùm suprà, tùm in Theologia hieroglyphica copiosè ostensum fuit, fundum paternum nihil aliud esse, quàm Verbum Patris, quemque Mundi Spiritum Platonici vocant, Chaldæi Iyngem, alij alijs nominibus intitulant; atque hoc ex tribus triadibus esse compositum; quæ qnidem triades nihil aliud sunt, quàm Geniorum triplici ordine distinctorum cœtus quidam, quorum singuli Patre, Potentiâ, & Mente, constant; εἶτα, inquit Psellus in Zoroastræis Oraculis, πατρικὸν τινὰ βυθὸν, σέβονται ἐκ τριῶν τριάδων συγκειμένων, ἑκάστη δὲ τριὰς ἔχει πατέρα, δύναμιν, καὶ νοῦν. Quàm aptè verò hæc Ægyptij expresserint, iam aperiamus.

Fundum paternum ex tribus triadibus compositum. Psellus.

DIVISIO II

Quomodo fundum paternum, id est, vniuersalis Mundi anima in hac tabula in tres Triades secundùm Aegyptios diuidatur, interpretatio.

Fundum paternum Geniorum cœtus diuisit in tres triades. Prima trias.

FVndum paternum, siue Verbum ex triformis supremi Numinis essentia procedens, vt Ægyptij volunt, eodem triadis charactere insignitum, vniuersales Geniorum siue intellectualium substantiarum cœtus pariter in certas triadum classes, teste Psello, disposuit. Et prima quidem trias elucet in figuris V, S, W, qui sunt Ophionei Agathodæmones, quibus, vti diximus, pantamorphus Mundi spiritus, seu fundum paternum stipatum, omnibus vitam motumque præstat, per eius in triplicem Mundum, intellectualem, æthereum, & hylæum siue elementarem processum, vti paulò antè enodauimus. Secunda Trias quâ stipatur, denotatur à dextris per tres figuras O, Q, R; tertia verò à sinistris per tres figuras X, Y, Z; qui sunt veluti choragi quidam sui triadici ordinis. Et quoniam singuli triadici ordines Patrem, Potentiam, & Mentem continent, aptè sanè per figuras Q & Y, ordinis sui Duces Patres intelliguntur; R verò & X Potentiæ sui ordinis, O verò & Z Mentes sui ordinis; qui omnes paterno fundo substant, & ad id conuersi mandata in ministerijs suis ritè obeundis postulant; atque adeo natura pantamorpha primò ex hisce tribus triadibus V S W, O Q R, & X Y Z, constituta intelligitur. Verùm singulorum officina & ministeria explicemus.

Secunda trias

Tertia trias.

Singulæ triades habent Patrem, Potentiam, & Mentem.

Binæ

Binæ itaque triades O Q R, & X Y Z, thronum Pantamorphi Numinis, seu fundi Paterni, conuersis in eum vultibus, situ, gestu, nutu desiderium, quo fundi paterni iussa in res fidei suæ commissas exequi ambiunt, ostendunt; quarum duæ mediæ Q & Y suis in triadibus Patres vocantur, authoritatem enim & dominium, quod in triadis suæ choros obtinent, sessione satis declarant; O verò & Z figuræ mentes fœcundas, vt postea ex symbolis patebit, notant; R denique & X potentiæ efficaces in triadis suæ choro vocantur. Sed symbola singularum examinemus, à Patribus initium facturi. Patres medium in triade locum obtinent, tanquam Mundi sensibilis, vt Psellus loquitur, ductores, mentiumque, ac potentiarum, quæ eos circunstant, directores. Omnes, vt dixi, in fundi paterni thronum veluti in centrum, à quo profluxerunt, & à quo dominij authoritatem hauserunt, conuersis vultibus, tùm venerationis ergò, tùm iussa fundi paterni executuri.

Singularum Triadum Patres, Potētiæ, & Mentes explicantur.

Patres triadū explicantur.

Primum itaque dextrum triadis schema, Q litera signatum, figuram ἰβιμορφὸν, id est, sub Ibidis forma, sedi tessulato opere variè contextæ insidentem, exhibet; cuius caput flammam bisulcam, tutulo, circulo, binis hinc inde emergentibus serpentibus insignitam, & fascem pennis germinibusque compactum sustinet; manu dextrâ Tauticum crucis ansatæ characterem, sinistrâ sceptrum Isidis capite notatum præferente. Sub sede bini Crocodili in oppositas partes obuersi, veluti pressi procumbunt, quorum omnium explicatio hæc est. Per hominem Ibidis capite transformatum Mercuriale Numen, quem Ægyptij Hermanubin vocant, indicatur; nam vt rectè in Obelisco Pamphilio Hierogrammatismo de Ibide ostensum fuit, Ibidis caput humanæ figuræ appositum semper Mercuribin humidæ substantiæ Numen, vti suprà quoque in Astrologia Ægyptiorum docuimus, indicat. Sedet, quia summâ potestate pollet: sedem tessulatam ex albo-nigris quadratulis effectam occupat, quo indicatur, tametsi in natura rerum omnia consono-dissona sint, luce & tenebris, calido & frigido, & summâ rerum vicissitudine discrepent; ea tamen Hermanubidis virtute ita aptè disponi, vt summam modò symmetriam & pulchritudinem, sine qua Mundus consistere non potest, concilient. Hinc rectè de Mercurio Orpheus, *Qui Mundi habenas tenet, variegatâ sede splendidus.* Hinc, arbitror, Græci Mercurio virgam ex albo & nigro variatam attribuunt; quam quidem dispositionem mysticam fusiùs descriptam vide in Arithmetica hieroglyphica tractatu de Sigillis Arithmeticis. Abaco verò *n t*, sedi inserto figura Coturnicis spectatur; quæ cùm aduersarum rerum symbolum sit, nihil illâ aliud indicatur, nisi quòd Ibimorphâ virtute mala bonis, frigida calidis, & humidis sicca ita concilientur, vt summum Mundo inde emolumentum emergat. Manu dextrâ Tauticum characterem tenet, quo influxiuæ virtutis à suprema Mente sibi communicatæ potestatem se continere innuatur. Sinistrâ sceptrum tenet Isidis capite insignitum, quo potestatem ab Iside seu Pantamorpha natura, seu fundo paterno acceptã se exercere in res fidei suæ commissas, ostenditur. Velamine caput tectũ habet, ad mysteriorum arca-

Explicatio figuræ Ibimorphæ litera Q notatæ.

Ibiformis homo quid significet.

Obel. Pamph. fol. 348.

Tessulata sedes Ibiformis Numinis quid.

Coturnix sedis Ibimorphæ figura.

Crux ansata, sceptrum, capitis ornamenta Pantamorphæ naturæ.

 narum-

narumque operationum vim, quâ in Mundo pollet, demonstrandam; flamma verò è vertice diffusa igneam caloris vim; serpentes è globo emergentes vitam, quâ Mundum sibi commissum animat; pennæ velocitatem & subtilitatem, quâ omnia penetrat; fascis verò floreus fœcunditatem, quæ inde consequitur, notant. Binos Crocodilos throno suo subiectos, quasi calcare videtur: per Crocodilos Typhoniarum potestatum malitia, quam Ibimorphum Numen cohibet significatur, & virtute suâ αὐτιτέχνα prosternit; Ibis enim, teste Horo, solo tactu alæ suæ Crocodilum siderat: quorum omnium authoritates fusè allegatas vide in Obelisco Pamphilio lib. 4. de Hierogrammatismo Ibidis, & L. 5. fol. 449. Est præterea Ibimorphos hic Nilotici incrementi Numen ὑποζωκάρον, quod, teste Diodoro, & Plutarcho, in Nilometrio, vbi octodecim gradus attigisset, fœcunditatem maximam pollicebatur, quam & gradus octodecim albo-nigri S V sub pede figuræ Q aptè sanè indicant; omnem verò ab hoc numero excessum vel defectum veluti sterilitatis omen habebant, eumque Typhonis vel exsiccantis adurentisque humorem, vel suffocantis humore nimio terram virtuti adscribebant: quæ pulchrè sanè indicantur gradibus illis octodecim, vt diximus, albo-nigris signatis literis S & V sub Numinis Ibimorphi pede, quo Crocodilos Typhonios, qui humoris fœcundi defectum vel excessum; quibuscunque possunt modis, procurare student, inhibere nititur. Verùm ad reliquas huius triadis asseclas procedamus. Diximus triades singulas fundi paterni tribus constare, Patre, Potentiâ, & Mente; & Patrem seu Ducem triadis Ibimorphum Numen iam exposuimus; quare ad Mentem triadicam explicandam calamum conuertimus. Mens huius triadis indicatur in tabula per literam O, sub fœmineo habitu, quæ ab vberibus ad pedes amictu appropriato inuoluta, mammillam turgentem porrigit, collum eius varijs monilibus exornatur, manu dextrâ penneum sceptrum superiùs curuatum tenet, sinistrâ gestum imperantis exprimit; velo Ægyptio tegitur, verticique superpositum habet craterem, ex quo emergunt bina cornua, quæ circulum comprehendunt phallo insignitum, cui superstant duæ pennæ; præterea alam quadruplicem ex lumbo deriuatam versus terram in Crocodilos extendit; apponitur ei columna cum amphora Ægyptia, quam sequitur inscriptio hieroglyphica; quibus denique omnibus superponitur Pandrosphynx, bisulcam flammam è vertice diffundens. Quæ omnia quid significent, explicandum est.

Crocodili throno Pantamorphi subiecti.
Horus.
Ibimorphus Nilotici incrementi Numē.
Diodorus.
Plutarchus.
Mentes triadum explicantur.
Mens hypozoca, litera O significata in tab: Bemb:.

Figura itaque O Mentem indicat fœcundam hypozocam siue succinctricem. Est autem Mens alicuius triadis nihil aliud, nisi conceptus Ibimorphi Numinis à diuina Mente communicatus, quo iuxta ideam à paterno fundo sibi impressam, in naturæ dispositione operatur, vt in Theologia Ægyptiorum docuimus. Fœmineo incedit habitu, mammillâ turgente, ad indicandam nutrimenti abundantiam quâ omnia quadruplicis Mundi systemata sustentat, quæ quadruplici illa alarum compage, & infernè demissa aptè sanè indicantur; hâc enim Typhonia vis nociua, & fœcunditati quadantenus contraria, per Crocodilum indicata, sideratur.

Mens singularum triadū quid sit.
Mentis hypozocæ habitus fœmineus, mamillæ, pennæ, & reliqua signa explicantur.

Sce-

Sceptrum penneum manu tenet sinistrâ, quâ dominium in aërem primum, deinde in subiectam sibi humidæ substantiæ œconomiam, per vas Niloticum columnæ insistens significatam, quasi rerum omnium sustentaculum, exprimitur; quæ & suprascripto minuto charactere hieroglyphico signantur, quorum hic sensus est: *Naturæ totius aëreus Agathodæmon vim suam communicat aqueæ substantiæ, eam fœcundando.* Præterea velato vertice craterem sustinet, craterem supremi Numinis, ex quo bonorum omnium profluit vbertas, vt Hermes in Pimandro docet. Cornua bouina Lunam notant, phallus in circulo interclusus diuinam quandam vim fœcundatiuam Lunæ inexistentem, cuius ope mens hypozoca omnia velocitate per pennas indicatâ penetrat. Inter O verò hypozocam Mentem, & Q Ibimorphon Numen, P androsphynx ponitur, in supremo Numine idea ignis vtriq; substituto sibi Numini communicata, nihilq; aliud est, quàm diuinæ Mentis supremæ igneus quidam intellectus vigor, quo substituta sibi Numina signata, in operationibus suis exequendis infallibili lege progrediuntur, dum omnia ita attemperare ad diuinæ legis normam archetypam student, vt inde Mundi harmonia & pulchritudo elucescat; quod & minuti characteres hieroglyphici androsphyngi appositi docent, quorum sensus est: *Vitam cœlestem diuinus arbiter humidæ substantiæ potenti virtutis suæ sigillo impressit.* Hisce expositis restat enodanda figura R, quæ in hac triade potentiam exhibet, virilemq; habitum mentitur, sinistro brachio demisso, manuq; efficaciter contractâ, sinistrâ sceptrum floribus gerum gestat, velato vertice tutulum gerens floribus & pennis compactû, ex quo vtrinq; dependet globus trigono seu pyramidi annexus, abacoq; insistit, rerum sibi subiectarû symbolis adornato. Sed explicemus singula. Itaque figura R Potentiam exhibet triadis Ibimorphæ, quia potestati eius omnia subduntur, & Ibimorphi Numinis mandata circa Mundi administrationem in executionem deducit; ideo diuaricatis pedibus quasi currere videtur, summam suam promptitudinem hoc veluti symbolo innuendo; nuda pingitur, quia eius essentia ab omni terrena contagionis labe immunis solâ mente apprehenditur; baltheo stelligero circumdatur, quâ vis eius, vti Tomo 2. fol. 189. docuimus, in Sidereo Cœlo notatur; brachium dextrum pendulum, & manus efficaciter contracta, summam eius in inferioribus disponendis tutandisque efficaciam notat; sinistrâ florigerum sceptrum tenet, quo in vegetabilem naturam dominium exprimitur, quod idem tutulus florido-pennaceus indicat; cirri bini annexos cum globo trigonos continentes indicant, omnes operationes & ministeria, quæ in Mundo sensibili Potentia hæc exercet, ex archetypo trigono profluxisse, vt ex Platone tom. 1. fol. 151. ostendimus. Abacus cui insistit, suis hieroglyphicis hunc sensum exprimit: *Summâ velocitate per cœlestem Zonam se humido Momphtæ regno, & piscinæ sacræ Ibimorphi insinuat, quâ actione cuncta aluntur, & sustentantur.* Figura denique S intra figuras Q & R posita, Accipitrem volantem, & reticulato velo insignem exhibet, qui pedibus virgam circulum peruadentem tenet, quâ supremæ Mentis archetypæ igneâ quâdam vi pollentis idea notatur; sine qua trias Ibimor-

Mentis hypozoeę hieroglyphica inscriptio.

Trismegistus.

Androsphynx P tabu: Bem: explicatur.

Androsphyngis P minutis characteribus hieroglyphicis Singularum triadum potentiæ explicantur.

Potentia figuræ R notata explicatur.

Obel: Pamph: fol. 1.

vid. c. 8 tom: 3.

Plato.

Abacus potentiæ R explicatur.

Accipiter volans, & litera S in tab: Bem: notatus explicatur.

pha nihil operari posset in commissa sibi humoris disponendi œconomia. Expositâ itaque triade O Q R, iam pari passu alteram triadem X Y Z exponamus.

Trias XYZ tab. Bembinæ explicatur.

Notandum itaque, quòd vti Trias O Q R principium actiuum habitu masculino refert, ita hæc trias X Y Z se habet per modum principij passiui, vti habitus fœmininis refert; & pulchro sese ordine respiciunt: Ægyptij siquidem, vt in primo Tomo Syntagmate tertio relatum fuit, promiscuè sexum in Dijs suis confundebant; à quo & Græci discentes, Numina sua vtroque passim sexu insignierunt. Qui quidem sexus ita accipiendus est, vt illa Numina, quæ alijs sibi subditis imperarent, se per modum habarent principij actiui, subdita verò per modum principij passiui. Sic Luna, vti principium actiuum geneticarum in Elementari Mundo operationum est, Lunus dicebatur; vti solaribus substat influxibus, Luna vocabatur, vt alibi probatum fuit. Respectu itaque superiorum sibi Præsidum, fœmineum sexum mentiebantur; respectu inferiorum sibi subditorum Numinum, masculinum. Quod pari pacto in hisce triadibus vsu venit: tametsi enim trias X Y Z fœminea sit respectu triadis O Q R, respectu tamen sibi subditorum, masculam vim obtinet. Hoc pacto figura Y subditur quidem figuræ Q, vti principium passiuum; respectu tamen alterius sibi subditæ triados principij actiui rationem obtinet, & Pater dicitur, vt optimè Psellus notat. Sed vt explicationis inceptæ filum prosequamur; figura Y Nephta Ægyptijs triadici sui chori Pater, & Rector Mundi dicitur, vti symbola sat superque demonstrant. Velato tutulatoque vertice sedet in throno, ad summam sibi à Pantamorpha natura authoritatem in omnia commissam, notandam: cui substat figura Genij, ingeniculati, & in supplicantis morem efformati, sedi inserta cum flore Loti; quo indicatur, subdita sibi Numina ad exemplar præstituti sibi Patris seu ductoris omnia sua peragere, sicuti Loti flos, vti dictum est, Solem perpetuo motu sequitur. Abacus cui insidet, Leonis figuram continet, quem in Obelisco Pamphilio l. 4. hierogrammatismo Leonis, Momphtam diximus, id est, Nilotici incrementi, & humidæ naturæ, à quo nomen habet, Præsidem; quo indicatur, huius Patris & Mundi directoris dominio Momphtam substare, & ab illo circa incrementa aquarum disponendi rationes & influxus, vt flos Loti indicat, accipere. Mensula cum binis Niloticis vasis, Nilotica sacrificia; & penna Accipitrina, Solis siue Osiris, cuius Nephta soror & vxor est, teste Plutarcho, motum ostendit, quo incitatus Momphta, incrementa Nili promouet, & ad fœcunditatem adaptat; & minuti characteres supra mensulâ ita exprimunt: *Catena Naturæ in quadrifidum Mundum, & hinc in aqueæ substantiæ œconomiam deriuatur.* Ex altera verò parte minuti characteres hunc sensum faciunt: *Dominium Momphtæ in inferiorem Mundum, & Niloticum humorem virtute motûs Nephtæ & Osiridis.* Sed vt ad figuram Nephta reuertamur; tenet illa dextrâ manu baculum Cucuphomorphum, varietatis in Mundo rerum indicem; sinistrâ crucem continet, influxiuæ sibi à fundo Paterno virtutis prophylacticum symbolum, vti fusè in Obelisco Pamphilio de Cruce ansata inte-

Ægyptij & Græci vtroque sexu sua Numina exprimebant.

Numina sub habitu masculino principium actiuũ, sub fœminino passiuum significant.

Psellus.

Nephta, litera Y in tabula Bembina explicatur.

Momphta humidæ naturæ Præses in Abaco fig. Y tab. Bemb.

Plutarchus.

Characteres minuti hieroglyphici explicantur in Abaco Nephtæ.

Nephtæ habitus, & gestus explicantur.

gro tractatu ostendimus: è velato vertice flamma bisulca emergit, quâ igneæ mentis vis & abscondita innuitur; huic triplex superponitur frugum tutulus, quam tutulorum compagem Scarabæus Accipitrinis alis expansis conspicuus veluti ligat & connectit: per tres tutulos, terna in Ægypto messis indicatur, quam Nephta virtute & motu Osiridis siue Solis, per Scarabæum alis Accipitrinis extensum indicati, præstat, viuificando & fœcundando omnia. Figura Z mentem triadis exhibet Nephtæam, & prorsùs eadem est cum figura triadis Ibimorphæ O iam expositæ; quare expositionem eius consultò omittimus. Figura X potentiam in triade Nephtæa exhibet passiuam; hinc fœmineo habitu, turgente mamilla, baculo florigero, brachio pendulo cum manu efficaciter contracta signatur; quorum significationes cùm in figura R opposita explicata sint, non attinet dicere. Tutulus huius figuræ à priori figuræ R differt, & est κυκλο-οφι-πτερόμορφος, id est, circulo, serpentibus hinc inde emergentibus, & pennigero vertice constat; quo indicatur triformis Numinis vis Nephtææ Potentiæ communicata ad rectè operandum; quemadmodum & α Numidica auis guttata, & β Accipiter solaris Numinis idea, alarum extensione conspicua, cum sceptro & cruce ansata, satis indicant, ideam videlicet triformis Numinis, & Polymorphi Solis Archetypi, quâ imbuta Nephta, & eius Potentia, varietatem rerum mundanarum per influxus efficaciam, operantur.

Figura litera Z expressa.

Figura litera X expressa in tab. Bemb.

Vides igitur quomodo suprema Mens mentium archetypa ex suo diuinitatis recessu veluti centro quodam euoluta in Angelicum seu intellectualium mentium Mundum progrediatur, ideis suis omnes & singulas imbuat, hinc per Verbum seu profundum suum, Πατρικός, Zoroastro teste, ἰδέαις κεχαριτωμένος, ὧν πηγὴ μία, *Omnigenis ideis gratiosum, quorum fons vnus est*, se in sensibilem Mundum ingerat; per tres triadas, Patrum, Potentiarum, Mentium, quæ veluti arcanæ intimæque Pantamorphæ naturæ siue profundi Paterni asseclæ sunt, omnia gubernet, animet, fœcundet, & conseruet; vides asseclarum mentium in Pantamorpham Mundi dominam, ceu in fontem suum atque originalem scaturiginem conuersarum, ad iussa eius executioni mandanda, promptitudinem.

Anacephalæosis dictorum.

Zoroaster.

Habes hîc itaque mysteria Paterni fundi siue Verbi Paterni, quam Iyngem Chaldæi, Ægyptij Hemphta, Platonici etiam animam Mundi vniuersalem, alij alijs nominibus nuncupant: nam vt suprà diximus, & in Theologia Ægyptiorum fusè deduximus, tenebant Zoroastræi Ægyptij vnum rerum omnium principium, & id vnum & bonum concelebrabant; deinde Paternum quoddam profundum venerabantur, ex tribus triadibus constitutum; atque vnamquamque triadem Patrem, Potentiam, & Mentem habere. Quibus tribus nominibus principia quoque prima nominantur. Hanc itaque triadem secundam post supremæ Mentis triformis triadem Proclus & Damascius sæpè adducunt, & duplici nomine appellant, νοητὸν καὶ νοερὸν, intelligibilem & intellectualem; in qua is qui Pater dicitur, primo Patri respondet; quæ dicitur Potentia, Verbo, hæc enim Patris Potentia appellatur; qui verò Mens seu Intellectus nomina-

Paterni fundi varia nomina.

Proclus.

Damascius.

Triadis secundæ duo nomina.

Trinitatis SS. mysterium ab antiquis expressum.

minatur, intellectui secundo & principio tertio respondet. Quæ omnia confirmat Damascius his verbis: κατὰ τὴν χαλδαϊκὴν ὑμνουμένην τριάδα, *secundùm Chaldaicam trinitatem celebrem*; quæ ita intelligenda sunt, vt sit trias quædam in Mundo Intelligibili & supremo, quem Archetypum & Hemphta Ægyptij nominabant, in quo Pater & Potentia & Mens vnum essent essentialiter, quemadmodum Orthodoxi de SS. Triade confitentur; in quo Opifex Mens Patri, Potentia Filio, Spiritus Menti responderent, à qua Archetypa Triade deinceps omnium creatarum rerum triades emanarent; in quibus Patrum ordo supremus, Patri supremo, quantum posset, similis esset; Ordo secundus Potentiarum similis esset, quantum liceret, Verbo seu Filio; tertius verò Mentium ordo Menti esset persimilis; & sic de cœteris: de qua triade Zoroaster dicit, παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριὰς ἧς μονὰς ἀρχή. εἰς τρία γὰρ νοῦς εἶπε πατρὸς τέμνεσθαι ἅπαντα; *In toto enim Mundo lucet trias cuius Monas principium; in tria enim Mens dicit Patris secari omnia.* Verùm hæc omnia in Effatis Zoroastræis fusè explicata sunt to. II. fol. 132 quem consule. Neque cogitandum est, in singulis triadibus tres tantùm esse Genios, sed innumerabiles sub singulis ordinibus comprehensos; quæ omnia symbolis suis in throno seu porta Pantamorphæ Naturæ expressa demonstrantur; quam quidem Pantamorpham Naturam Zoroaster Hecaten quoque, sicuti intellectuales mentes Synochas vocat. Est autem Hecate hoc loco nihil aliud quàm vnitas & idea virium, omniumque viuentium; Synochæ verò sunt intellectus, qui ab Hecate acceptum influxum eius ignis, qui vitam donat, empyreo, æthereo, & hylæo Mundo infundunt, eosque Mundos & continent, & continuant, & regunt, motumque vitalem eis largiuntur. Atque hæc quidem secretior Chaldæorum & Ægyptiorum Theosophia.

Genij multi in singulis triadibus.

Hecate, & Synochæ quid.

Mythras Persarum quid?

Hæc prorsùs conueniunt ijs, quæ Persæ ab Ægyptijs edocti de Mythra medio inter sex principalia Numina, Hemphta, Amun, Osirin, Isin, Hermanubin, Nephta; Numina æquitatis, beneuolentiæ, veritatis, voluptatis, sapientiæ, & diuitiarum posito tradiderunt, de quibus vide Obeliscum Pamphilium fol. 172. Tomum secundum de Zoroastræis Effatis, & Class. VI. de Systematica Mundi, vt proinde superfluum esse duxerim, hic eadem cum tædio Lectoris repetere.

DIVISIO III.

Explicatio Triadum Azoniarum.

Azoniarum triadum explicatio.

EXplicato profundi Paterni mysterio & sacramento, iam quid reliqui figurarum ac hierogrammatismorum systemata separata indicent, videamus. Primum Systema signatur literis G A Z N; alterum literis P H M N. Systema prius continet binas triades L, M, N; & G I K. Prior trias simulachra continet bina L, N, circumstantia columnam M, albonigris gradibus Loti flore insignitam, cui caput Pantamorphæ Naturæ Isidis, siue profundi Paterni caput insistit, quod portam vniuersæ naturæ in

vertice geſtat; trias verò G I K Apim continet, quam ante & poſt ſtipant duo ſimulachra varijs rebus inſtructa. Sed aperiamus arcanum.

Trias Azonia Hecatina.

Trias Azonia Hecatica.

HOc itaque hierogrammatiſmorum Syſtema ſeparatum eſt, & Trias Azonia dicitur. Appellantur autem Genij huius triadis Ἄζωνοι, quod expeditè zona ſua in zonis vtantur, & ſupra Deos conſpicuos & ſenſibiles collocati ſint, genus contradiſtinctum zonæo Deorum generi, quod vti ſenſibiles Mundi partes inhabitat, ita zonas ſibi præſcriptas non egreditur. Trias itaque Azonia ſeu Hecatina continet tres Mentes, quarum nomina ſunt ξισκδότις, κωμὰς, & ἐκκλυστική. Dij autem Ἄζωνοι illi dicuntur, Serapis, Bacchus, & Oſiridis catena. ita Pſellus in Oracula Chaldaica: Εἰσὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς καὶ ἄζωνοι ἑκάτη, ὡς ἡ ξισκδότης, ἡ χαλδαϊκὴ, καὶ ἡ κωμὰς, καὶ ἡ ἐκκλυστικὴ· ἀζωνικοὶ δὲ παρ' αὐτοῖς Θεοὶ, ὁ Σεράπις, καὶ ὁ Διόνυσος, καὶ ἡ τοῦ Ὀσίριδος σειρά. ἄζωνοι δὲ καλοῦνται οἱ ἀλύτως ἐνεξουσιάζοντες ταῖς ζώναις, καὶ ὑπεριδρυμένοι τῶν ἐμφανῶν Θεῶν. ζωναῖοι δὲ, οἱ τὰς ἐν οὐρανῷ ζώνας ἀπολύτως περιηγοῦντες, καὶ τὰ τῇδε διοικοῦντες. Hæc tamen Azonia & Zonæa Numina alij aliter referũt. Quomodo Ægyptij ea ſumpſerint, Syſtema hoc hieroglyphicum ſat ſuperque demonſtrat, atque adeo à tanta Authorum confuſione tandem nos liberat, cùm mens illorum vel ex ipſis figuris pateſiat. Triadem itaque L, M, N, Hecaticam dicimus, eò quòd Pater huius, Hecate Ægyptia ſit, quæ & à Pſello ἐκκλυστική dicitur, eò quòd hylæi Mundi veluti receptaculum quoddam ſit; vnde & centrum omnium influxuum dicitur, & indicatur per ſimulachrum M, fœmineo vultu, auribus caninis, veloque nigro, quo cooperitur, ſpectabilis; tres zonas pectori colloque circumductas habet; in vertice portæ ſiue domus Mundanæ figuram portat; flori Loti, cuius thyrſus in modum columnæ albo-nigris gradibus diſtinctæ, deorſum loco Abaci in cordis candidi figuram terminatur, inſiſtit; ex cuius columnæ medio tæniæ, bina perſeæ folia, & totidem flores heliotropi emergunt. quid ſingula indicent, exponamus. Caput M Hecatem ecclyſticen ſiue Iſin ſignificat; idemque ac profundum Paternum eſt, in quantum ſe tripartitis terreſtris Mundi finibus ingerit; quod aptè per tres zonas pectori colloque circumdatas indicatur: nigro capitis velo circundatur, quia vires ſuas abſtruſas in caliginoſis terreſtris Mundi partibus exerit; aures caninas habet, quia Hecatæ Canis dedicabatur, teſte Macrobio, Natali Comite, Phornuto, Apollodoro, cœteriſque Mythologis, & apertè docet Zoroaſtres, ἐκ δ' ἄρα κόλπων γαίης θρώσκουσι κύνες χθόνιοι. *Certè ex ſinibus terræ prodeunt Canes terreſtres.* Affinguntur Hecatæ, quia ipſa eſt theſaurorum terreſtrium cuſtos & conſeruatrix fideliſſima. Verùm hæc omnia in Obeliſco Pamphilio, Hierogrammatiſmo canis abundè demonſtrata ſunt. Portam quadratam continet, vt oſtendatur, hanc eſſe portam, per quam omnis ſuperiorum influxuum vbertas in mundanam domum deriuatur. Quia verò Mundus ſenſibilis innumeris rerum viciſſitudinibus ſubiectus eſt, hinc aptè eidem columnam loti flore, inſignitam,

Mentes tres triadis Hecatinæ ſeu Azoniæ.
Pſellus.

Azonij Dij.

Hecates Ægyptiæ ſimulachrũ explicatur.

Hecatis ornatus & habitus explicatur.

Macrobius.
Natalis Comites.
Phornutus.
Apollodorus.
Zoroaſter.

cum binis hinc inde floribus heliotropicis, queîs Solis motus indicatur, cuius virtute noctes diebus, & noctibus dies, consona dissonis, mala bonis, ita attemperantur, vt inde Mundus quadantenus sustentatus in suo vigore, & absolutissima harmonia, contrariarum perpetua lucta qualitatum, quarum symbolum sunt gradus albo-nigri, vt alibi probatum fuit, composita consistat. Columna abaci loco cordis figuram habet, in medio duo perseæ folia linguam mentientia; vt innuatur, naturæ huiusmodi Sacramenta, quæ sagax & sapiens natura inuenit, alto à profanorum notitia silentio occultanda esse. Columnæ assistunt asseclæ Genij L & N, quorum prior ξυνοδότις, alter κωμὰς à Psello dicitur; vtriusque officium est, influxuum à suprema Hecate Ecclystice siue Patre triadis participatorum catenas in triplicem terrestris Mundi œconomiam deriuare, nutrimentumque singulis veluti per subterraneorum meatuum venas & receptacula distributum suppeditare: quæ quidem aptè insinuantur per tres Zonas collares, tripartitum videlicet sensitiuæ, vegetabilis, & mineralis naturæ regnum. Quid per tænias ex columna Hecatica deductas, per vbera tumentia & deorsum porrecta significetur, passim in hoc Opere dictum est. De tænijs ita apud Macrobium Pierius: *Hinc tæniæ illæ variæ multiplicesque Isidi dedicatæ, non septem tantùm eas Lunæ facies, & Heliodorus nuncupat* φωώοδεν, γενέαν, ἀνατολὴν *&c: sed etiam vim eius quæ circa materiem versatur, indicant, quæ scilicet gignit omnia, & omnia concipit, lucem quippe & tenebras, diem, noctem, vitam, mortem, principium, finem.* His itaque se asseclæ ex columna Hecatica albo-nigris gradibus distincta, quibus dicta significantur, cingunt. Nam vt Plutarchus asserit. *Est Isis seu Hecate Ægyptia ea naturæ pars, quæ quasi fœminea omnes in se recipit ortus, tanquam nutrix quædam & commune omnium receptaculum à Platone dicta, à plerisque alijs* μυριώνυμος, *innumeris prædita nominibus, quòd ratio eam in omnes formas speciesque vertat; cùm enim bonum intendat, & malum fugiat, sitque receptaculum subiectumque vtriusque, suâ tamen sponte ad melius tantùm vergit, seque præbet implendam conseruandamque influxibus & similitudinibus, quibus fœta, & rebus gignendis apta, gaudet & exultat.* Quibus quidem quæ hucusque dicta sunt, apposite respondent. Tutuli verò vtriusque figuræ L & N ex corona varijs lapidibus distincta capite supereminente, ex qua bini flores perseæ, flos loti vtrinque inclinatus, & medius recta sursum propagatus, indicant naturam triplicem cui dominantur. Sensitiua per florem loti indicatur; nam lotus ab Oriente in Meridiem, & hinc in Occidentem Solem immutabili lege sequitur, veluti sideris motum sentiendo; indicatur etiam, dictos hosce Genios ad exemplar Solis archetypi in omnibus ministerijs suis operationes suas instituere. Per folia perseæ indicatur natura vegetabilis. Corona denique lapidibus distincta mineralis naturæ gradum indicat. Atque hæc est triadis Hecaticæ tripertitum regnum, quod eorum curæ commissum est, cuius Pater siue Princeps Hecate Ecclystice, mens ξυνοδότις, κωμὰς potentia dicitur, de qua ita Psellus: τῶν δὲ ζωογόνων ἀρχῶν, ἡ μὲν ἀκρότης ἑκάτη καλεῖται· ἡ δὲ μεσότης, ψυχὴ ἀρχικὴ, ἡ δὲ περάτωσις ἀρετὴ ἀρχική. *Principiorum autem animalia procreantium summitas vocatur Hecate*, id est, sensitiuæ

Affeclæ Genij Hecates.

Pierius. Tæniæ quid significent.

Plutarchus: Hecate Ægyptia, seu Isis ex Plutarcho.

Tutuli Asseclarum Hecatis Ægyptiæ explicantur.

Hecaticæ triades tripartitum regnum. Psellus.

tiuæ naturæ præses; *Medietas, anima inchoatiua,* & est natura vegetabilis, vbi vita & motus, cui præsunt, primùm incipiunt: *Extremitas, virtus inchoatiua,* id est, mineralis naturæ vigor est, vbi vires & proprietates rerum, quæ proximè vitali gradui accedunt, dominantur: Καὶ ἄζωνοι ἑκάται εἰσὶν ὡς ἡ τριεκδότις, ἡ κωμὰς, καὶ ἡ ἐκκλυστική. Et sunt Hecatæ sine zonis primò Triecdotis, quæ tripartito regno sufficientia præbet subsidia; secundò κωμὰς, quæ viarum seu compitorum subterraneorum dispositrix est; & Ecclystica cum Hecate eadem, in vtero suo veluti centro quodam omnia claudit; & vtroque sexu pollet, vbere enim & velato capite fœminam, vestitus & corporis constitutione marem exhibet; quæ & minutis characteribus iuxta literam M positis indicantur, quorum hic sensus est: *Triecdotis ministerio trinâ compage & catenâ, cœlestis crater in inferiorem humidam substantiam funditur.* Altera autem iuxta N literam inscriptio hunc sensum habet: *Komas vniuersas Mundi quadripartiti semitas prospiciens, Genium piscinæ sacræ ad vitam inferiori Mundo concedendam, sollicitat.* Atque hæc de Hecatica triade Azonia dicta sufficiant; quare ad alia.

Hecatæ Azonæ tres, Triecdotis, Komas, Ecclystica.

Characteres minuti hieroglyphici circa Hecatem in tab: Bemb: explicantur.

Trias Serapæa.

Trias Serapæa

TRiadum verò huic oppositarum prior seu inferior est signata literis Græcis ζ, η, θ, superior literis γ, δ, ε. Inferior trias dicitur Serapæa, quia in ea Serapis, per caput monstruosum H indicatus, Patris officium habet, figura verò ζ Mentis, θ Potentiæ; & est fontana trias fidei, veritatis, & amoris, per Serapidis caput ex omni Mundi inferioris materia compositum, quale Beroaldus in Apuleium Alexandriæ fuisse tradit. Sed audiamus Beroaldum: *Apud Alexandriam templum fuit Serapidis opere fornicario constructum, & mirâ arte visendum, in quo simulachrum Dei ita erat vastum, vt dextrâ parte vnum parietem, alterum læuâ perstringeret, quod ex omnibus metallorum, lignorum, radicumque generibus compositum ferebatur; erat etiam dolo & arte composita fenestella ab ortu Solis ita aptata, vt radius Solaris per eam directus os & labra Serapidis illustraret, ita vt inspectante populo osculo salutatus à Sole videretur.* Quæ sanè descriptio non integram statuam, sed caput fuisse ostendit, & mirâ industriâ transformatum, cuiusmodi hoc loco apparet, in quo barba loco pilorum radicibus herbarum coagmentatur; oculi, nasus, aures omni lapidum, metallorumque genere, & musiuo opere expresso, cernuntur; vertex tripartitâ pennâ superbit, caput verò lotiferæ columnæ pariter in gradus albo-nigros distributæ innititur. Serapis hoc symbolorum apparatu hoc loco nil aliud indicat nisi Solem subterraneum, qui Græcis Pluto & Dis nominatur, dominium suum in omnem subterraneam Mundi œconomiam exerens, vti capitis ex omnibus inferioris Mundi materiebus, sat superque demonstrat compositio. Lotiferæ columnæ gradibus albo-nigris distinctæ insistit, quo ostenditur, Serapin triformis Numinis, per tres pennas, quas capite gestat, sibi communicatâ potestate insignitũ iuxta ideæ rationem in-

Beroaldus. Serapidis caput osculo à Sole salutatum fuit.

Serapidis caput in tab. Bem. quid hieroglyphicè significet.

tripartito regno suo, omnia disponere, consensuum dissensuumque leges eâ ratione, quâ suprà ostensum fuit, ordinare, per asseclas sibi assistentes; quorum prior Serapæa mens fœminino habitu, veste ad talos vsque in numeris vberibus turgente induitur, thyrsumque superiùs incuruum manibus tenet, quo influxus Serapis in inferiora per Serapæam mentem transfusus, & nutrimentorum vbertas per multiplicia vbera expressa, indicatur; ex nutrimento multiplici omnia in tripartito regno, per tres corollas pectori circumdatas indicato, animantur per potentiam Serapæam ⊖, cuius operationes cum mente tertia communes sunt. Tutulum gestat vtraque ex spicis & binis pennis compositum, quo indicatur potestas in vegetabilem naturam, præsertim in frumentum sibi commissa potestas & idealis ratio, iuxta quam ad triformis Numinis exemplar, quo imbutæ sunt, operantur; tertia quidem mens Serapæa nutrimentum copiosum in vegetabilis naturæ incrementum conferendo; ⊖ verò potentia Serapæa vnicuique suam assignando proprietatem, vitam, motum; quæ aptè per Serpentem ex fronte emergentem indicantur. Quæ omnia copiosè demonstrata sunt primò in Obelisco Pamphilio fol. 224. & Tomo I. fol. 194, alijsque passim locis. Porrò mens Serapæa M florem cum folijs perseæ appositum habet, cui rana insistit. Per ranam perseæ flori insistentem significatur, mentem Serapæam Nili dominam imperfectioribus præsidere rebus, easque non statim ad vltimum perfectionis gradum prouehere, sed id officij relinquere potentiæ Serapeæ. Quod vt intelligatur, sciendum Veteres materialem seu hylæam imperfectionem per ranam Niloticam indigitasse; videre siquidem est plerumque huius generis animalia in limo vbi procreantur, alterâ parte ranam, altera verò imperfectum quid, terrestre, aut lutulentum, viuentique portiunculæ applicatum exhibere; Nili omnibus hisce fidem facit inundatio, eo quippe deturgente mures & varij generis animalia reperiuntur, inchoato opere terræ aquæque in parte corporis viuente, nouissimâ effigie etiamnum terrena; in ranis verò quâlibet maturitate genitis natura semper imperfecta; vt proinde mirum non sit, imperfectiorum rerum promotionem ranâ indigitatam fuisse. Ponitur rana supra perseæ folium sine fructu, qui vti cordis figuram, ita folium quod hìc ponitur, linguæ figuram, teste Horo, exhibet,: quo ostenditur, quòd sicuti folium sine fructu nihil prodest, nec linguæ sermo quicquam boni parturit, nisi corde alto præmeditatoque prodierit; ita nec Serapæa mens, nisi accedat Serapæa potentia & virtus, cuius ope, quæ mens disposuit sapienter, potentia ad perfectionem & complementum perducit. Refert autem Serapæam potentiam figura signata literâ ⊖, ijsdem prorsùs, quibus prior, symbolis imbuta. Habet sibi assistentem Cynocephalum manus eleuantem, Lunæ indicem. ita Horus: Σελήνην ἀνατολὴν γράφειν βουλόμενοι, κυνοκέφαλον ζωγραφοῦσι χήματι τοιῷδε ἑστῶτα, καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐπαίροντα. *Lunam autem orientem indicare volentes, Cynocephalum hoc habitu stantem, manusque in cælum tollentē pingunt.* Quo significatur, nutrimentum, quod vtero terrestri mens Serapæa inserit, ad perfectionem non peruenire, nisi Luna Serapææ poten-

Asseclæ Serapidis, eorumq; hieroglyphica explicatio.

Serapæarum Mentium tutuli.

Rana flori perseæ insidens quid significet.

Heroni.

Serapææ Potentia littera ⊖ significata in tab. Bem.

Horus. Cynocephalus manus ad Lunam eleuans.

tentiæ, & menti, quæ sunt Serapidis, id est, subterranei Solis virtutes, iuncta, id ad perfectionem & maturitatem perducat. Atque hæc est Serapæa trias, quam Græci per Plutonem, Cerberum, & Proserpinam exhibuerunt, de quibus in Obelisco Pamphilio in Mystagogia abunde disceptatum est, quem consule. Vbi vides Hecaticam triadem L, M, N, & triadem Serapæam ei oppositam ζ, η, θ, ita comparatam esse, vt vtraque patres, mentes, & potentias androgynas, id est, ex vtroque sexu compositas habeat; per quod nihil aliud innuitur, nisi quòd respectu superiorum aut inferiorum Numinum modò præsint, modò subsint; quæ verò androgynæ, id est, vtriusque sexus, vti L & N, per vbera fœminas, & per cæterum corporis habitum mares mentiuntur, actu & præesse & subesse censentur, de quibus fusè Psellum tractantem consule.

Serapæi patres Mentes, Potentiæ, cur androgynæ.

Psellus.

Trias Osiriaca.

Trias Osirica duplex in tab: Bem:

HEcaticæ triadi superstat trias Osiriaca; in qua primo omnipotentis naturæ fœcundum Numen, quo eum nomine appellat Apuleius, Apis occurrit, ijs prorsus symbolis adornatum, quo eum in Obelisco Pamphilio in Hierogrammatismo Bouis descripsimus. Est autem duplex trias, vna à dextris G, I, K, altera sinistra ex opposita tabulæ parte γ, δ, ε. Bos signatus litera I albo-niger, varijs signis symbolisque, quæ omnia in Obelisco Pamphilio fol. 259. & 260. descripta reperies, insignitus, Osiridis vim in Lunam influxiuam significat; quem bouem albonigris maculis variegatum, ζῶον τοῦ Ὀσίριδος ἄγαλμα, *Viuum Osiridis simulachrum*, refert Eusebius, dictum fuisse, quòd is per signa & symbola quædam appropriata homines doceret, eosque de rebus necessarijs humano generi instrueret: quid enim aliud 29 signa, quæ Aelianus, Herodotus, Diodorus, Plinius, Eusebius recensent, corpori eius impressa fuisse, nisi diuersos in terra Lunæ-solares effectus denotant? Quid aliud per cornua, nisi radij? Quid per Aspides insurgentes cornibus inclusos, nisi radij Lunæ-Solares vitalibus influxibus pleni, innuuntur? Quid aliud per corollam dorso bouis affixam, phallisque & circulis quadripartitis conflatam, nisi fœcunditatem summam, quam rebus Sol & Luna conferunt, in quadripartitum Mundum diffusam, denotare voluerunt? Quid Crux ansata, amuletum Cruce ansatâ insignitum collo appensum, nisi hunc auerruncum Dæmonem esse, quo omnes aduersæ potestates hoc periapto veluti potenti fascino fugentur profligenturque, notat? Stella verò quæ supra dorsum Tauri ponitur alarum expansione conspicua, ostendit Nephtæ siue Veneris Ægyptiæ summam in domo suo, id est, in Tauro rerum omnium tripartiti in Ægypto annui temporis fœcunditatem; quæ per tres phallos filo alato sideri suffixos apposite indicantur; de quibus amplissimè tractatum vide in Tomo I. fol. 357. item de Apide fol. 194. & Phallophorijs fol. 229. & in Obelisco Pamphilio fol. 260. & passim alijs in locis, vti indices Lectori curioso suggerent. In hac itaque

Apuleius.

Apis, seu Bos albo-niger quid significet.

Triadis Osiriacæ Pater & asseclæ. *Psellus.* *Diodorus.*

que Triade Osiris pater est, & asseclæ sunt ⲙⲟⲩⲣⲓⲛ & ⲧⲣⲓⲡⲧⲟⲗⲉⲙⲓ; ita Ægyptij appellant; Psellus Μωρῆνα & Τεότομον, vt alibi dictum est; Diodorus Maronem & Triptolemum, quæ tametsi corruptissima nomina sint, summam tamen ad inuicem affinitatem habent; Diodorus sanè Maronem Osiridis socios & asseclas vinearum colendarum, Triptolemum verò agrorum colendorum, seminumque terræ mandatorum rationem docuisse ait; quæ aptè respondent Osiridis asseclis; est enim, vt iam alias fusè probatum fuit, Osiris idem quod Bacchus siue Dionysius vini præses; est & agriculturæ institutor, iuxta illud:

Osiris idem quod Bacchus.

Tibullus.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem;
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit. &c.

Asseclæ Osiriaci. *Plato.*

Sed ad asseclas Osiriacos redeamus. Vterque veste ad talos viminibus contextâ inuolutus apparet, quod, teste Platone, agricolarum Ægypti proprium est, & sensibiles ac materiæ immersos Genios indicat; quorum prior G litera signatus bouem manu sinistrâ ad benignè influendum sollicitare, dextrâ mandata ad ministerij sui res ritè peragendas exquirere videtur. Hunc autem præsidem esse liquorum, hieroglyphica minuta sat docent, quorum sensus hic est: *Liquoris cœlestis in inferiora propagator.* Assecla K Triptolemus sinistrâ poculum, dexterâ phallum bouis exhibet; per vas seu poculum liquor, per phallum fœcunditas notatur; quo rectè indicatur, fœcunditatem terræ sine liquoris accessu consistere nullâ ratione posse, neque vllam rerum vbertatem spondere, nisi influxu Osiridis per Maronem & Triptolemum, quæ sunt Triadis Pammeliæ Mens & Potentia; astrum verò, cui quadrans columellæ innixus, horarum discernendarum, adeoque totius temporis symbolum est, vti Clemens Alexandrinus l. 6. stromatum docet. Cùm verò in negotio agriculturæ summa temporis ratio habeatur, rectè triadi quadratum apposuerunt, quo temporis opportunitas obseruabatur. Porrò in opposita tabulæ parte alia trias γ, δ, ε, occurrit; quæ cùm ijsdem prorsus symbolis constet, eius explicationem omittendam duxi; differentia tantùm in hoc nonnulla occurrit, quòd bos albus Solem præcisè notet, Apin cœlestem, in quantum suâ virtute omnium rerum abundantiam exhibet. Verùm cùm de duobus bobus Mneui & Apide varijs locis tùm in hoc Opere, tùm in Obelisco Pamphilio hierogrammatismo bouis vberrimè tractum sit, illuc Lectorem remittimus, nè propositum nobis rerum explicandarum scopum, multitudine authoritatum iam alibi traditarum repetitione, confundimus.

Characteres hieroglyphici minuti Asseclæ Osiriaci.

Quadrans astronomicus in tab. Bemb symbolum temporis. *Clemens Alex.*

Apis, seu Bos albus quid.

DI-

DIVISIO IV.

Quòd septem Triades in media regione explicatæ nihil aliud sint, quàm septem Mundorum Genialium Systemata.

RECtè & sapienter Zoroaster. ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ λάμπει τριάς; *In toto Mundo fulget trias*: ad archetypi siquidem supremi Numinis triformis rationem, omnes Mundanorum Systematum rationes conditæ sunt; hinc rectè subiungit, *trias indiuidualibus rationibus secta*. Sunt autem hæ triades nihil aliud, quàm quædam Systemata Geniorum, quos Mundos vocabant Ægyptij. Septem triades principales paulò antè explicatæ septem Mundis respódent principalibus, qui omnes ex archetypo intelligibili, & solo flore mentis comprehensibili Mundo triformi, vt Ægyptij loquuntur, profluxerunt; quem & empyreum vocant, quem per coronidem throni pantamorphæ naturæ, significatum esse diximus. Hunc sequitur prima trias Ophionia seu Iyngæa, quæ respondet Mundo vitali & empyreo, vti explicatum fuit, & est primus Mundus Intellectualis, quem & æthereum vocant Prisci, de quo Zoroaster, Ὢ πῶς κόσμος ἔχει νοεροὺς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς, *O quomodo hic Mundus Rectores habet inflexiles!* Ob constantiam videlicet, & inuiolabiles, quibus Vniuersum gubernant, leges & statuta. Altera trias Ibimorpha respondet Mundo secundo intellectuali seu æthereo, & humidam naturam contemplatur, secundum analogicam quandam rationem & archetypam. Tertia trias Nephtæa Mundo tertio respondet intellectuali & æthereo, qui pariter humidum, sed fœcundatiuum respiciunt. Et hæ sunt triades Mundorum æthereorum, quibus fundum paternum constare suprà ex Zoroastre docuimus. Sequuntur quatuor triades Mundorum sensibilium quæ materiei immerguntur, quarum priores duæ triades respondent Mundis Sidereis G, I, K, & γ, δ, ε, id est, Osiri & Isidi, Soli & Lunæ, per duos boues indicatæ, & sunt inferiorum Mundorum Rectores. Sequuntur duæ triades, Hecatæa L, M, N; & ζ, η, θ, Serapæa; quæ Mundis sublunaribus & subterraneis respondent, vti dictum est; atq; adeo sunt 7. Geniorum Mundi primariorũ, quorum administratione vniuersa natura consistit, Triades. Quæ ita se habere, apertè Psellus ex mente Zoroastris, & Sanchuniaton Phœnix apud Philonem recitant his verbis: Αἰγύπτιοι ἑπτά φασι σωματικοὺς κόσμους, ἐμπύρειον ἕνα καὶ πρῶτον, καὶ τρεῖς μετ᾽ αὐτὸν αἰθερίους, ἔπειτα τρεῖς ὑλαίους, ὧν ὁ ἔσχατος χθόνιος εἴρηται, καὶ μισοφαής, ὅς ἐστιν ὑπὸ σελήνην τόπος, ἔχων ἐν ἑαυτῷ καὶ τὴν ὕλην, ὃν καλοῦσι βυθόν. *Statuunt autem Ægyptij & Chaldæi septem Mundos corporeos* (scilicet ab intellectualibus potentijs administratos) *igneum vnum atque primum, post hunc tres æthereos, deinde tres materiales, è quibus vltimus terrestris dicitur, & lucis osor, qui locus est subtus Lunam, in se etiam materiam comlectens, quem fundum nominant*. Suntque adeo cum triade archetypa, siue Mundo extra omnem corporeum limitem longè semotissimo, octo Mundi, quibus Vniuersum pri-

Zoroaster. Trias in toto Mundo fulget ex Zoroastro.

Septem triades tab. Bem. sunt septem Mundorum Genialium Systemata.

Mundus triformis seu empyreus. Tres triades Mundorum æthereorum.

Mundus primus intellectualis.

Mundus secundus intellectualis; Mundus tertius intellectualis.

Quatuor triades Mundorum sensibilium.

Psellus.

Octo Mundi primarij iuxta Ægyptios.

primariò administratur; qui quidem in media huius tabulæ regione ab Ægyptijs expressi cernuntur, vt sequitur.

I Trias, siue Mundus Archetypus igneus, & vitarum Mundus triformis, Hebræis אין סוף*, Mundus increatus, ex quo prodeunt.*

1 Ophionia trias V, S, W.	Quibus respondent	1 Mundus vitæ & ignis.
2 Ibimorpha trias O, Q, R.		2 Mundus in humidam substantiam influens.
3 Nephtæa trias X, Y, Z.		3 Mundus Nephtæus in fœcunditatem influens.
4 Isiaca trias G, I, A.		4 Isiacus Mundus Lunaris.
5 Osiriaca trias γ, δ, ι.		5 Osiriac. seu Solaris Mundus.
6 Hecatica trias L, M, N.		6 Mundus Hecatinus in vegetabilem naturã influens.
7 Serapæa trias ζ, η, θ.		7 Mundus Serapæus subterraneam substantiam administrans.

Platonicorum de octo Mundis sententia.

De hisce Plato ex Ægyptiorum mente decretisque in Epinomide scribit, Philosophum scire oportere, quomodo septem circuli sub primo versentur; vnde in Timæo primum & exemplarem cum reliquis coniungens Mundis, octo circuitus ponit. Hanc eandem Ægyptiorum de septem Mundis & Mundo Archetypo triformi positionem confirmant Cabalistæ, qui aiunt, decem esse Mundos, quorum septem reuelati, tres absconditi sunt; per septem Mundos innuunt Mundos creatos; per tres absconditos, increatos, & vocantur Mundus emanationis; ita in Tikunin Zohar titulo Porta Eliæ:

Cabalistarum de octo Mundis sententia.

Zohar Author.

ואמר רבון עולמים דאנת הוא הר ולא
כחושבן אנת הוא עילאה על כל עילאין סתים על כל
סתימים לית מחשב׳ תפיסה בך כלל אנת הוא דאפיקת
עשר תקונין וקרינן לון ספירין לאנהרא בהון עלמין סתימין
דלא אתגלייא ועלמין דאתגלייא ובהון אתכסייא מבני
נשא ואנת הוא דקשיר לון ומייחד לון ובגין דאנת מלגאו
כל מאן דאפריש חד מחבריה מאלין עשר אתחשיב
ליה:

Aperuit Elias, & dixit: Domine Mundorum, tu es iste vnus extra numerum, tu es excelsus supra omnes excelsos, absconditus omnium absconditorum; nulla enim mens te comprehendere potest; tu es qui produxisti decem syntagmata Mundorum, ad illuminandum in ijs Mundos absconditos, qui non reuelati sunt, in reuelatis verò abscondis te à filijs hominum, & tu qui annexus es eis, &. tu vnis ijs;

ijs; & quoniam tu es in intrinseco, quicunque separat vnum ab alio ex istis decem, reputatur ipsi ac si separasset teipsum. Quo discursu, quem nos suprà archetypum diximus, eum Zohar dicit absconditum & non reuelatum, qui quidem trinus est, Mundus *Kether*, id est, *Coronæ*, Mundus *Binach*, id est, *Intelligentiæ*, & Mundus *Chochmah*, qui est *Sapientiæ*, qui tres vnum Mundum faciunt propter vnitatem essentiæ; reliqui septem ab hoc profluunt emanatione quâdam ineffabili, quemadmodum Botrillus in Iezira his verbis ostendit. Botrillus.

אמנם גם הם כשאר כל העולמין נפרדים בפירוד
גמור מעולם האצילות כי העולם האצילות לא נתחדש
ולא נברא ולא נוצר ולא נעשה כאשר שאר כל העולמות:

Verùm & hi omnes Mundi, sicuti reliqui, diuisi sunt diuisione & distinctione perfectâ à Mundo Archetypo seu diuino, quia Mundus Archetypus seu diuinus non innouatus, neque creatus, non formatus, neque factus est, sicuti reliqui omnes Mundi. Quòd verò hi Mundi singuli intellectuales potentias habeant in suas triades distinctas, quæ Mundis præsint, apertis verbis Simeon Iochaides Chaldæus Author Zohar monstrat de secretiori Veterum Philosophia tractans: Mundi singuli habent suas Potentias in triades distinctas. Simeon Iochaides.

וכל אחד ואחד נאמר עולם ויש לו שלשה אמות והוה כור
גדול מופלא ומכוסה וחותם בשש טבעות וממנו יוצאים
אש ומים ומתחלקים זכר ונקבה שלש אמות אמש יסרן
ומהן נולדו אבות שמהם נברא הכל ואמש הוא אויר מים
אש שמים נבראו תחלת מאש וארץ נבראת ממים
והאויר מכריע בין האש ובין המים:

Et vnusquisque Mundus sunt ipsi tres matres, & hoc est secretum magnum, admirabile, & absconditum, sex signaculis obsignatum, & ex eis prodeunt ignis, & aqua, quæ diuiduntur in marem & fœminam; tres matres אמש *fundamentum eorum, & ex ijs generati sunt patres, ex quibus creatum est omne illud, quod est in Vniuerso, & illud* אמש *est aër, aqua, ignis, mas & fœmina, Cœli primò creati sunt ex igne, terra creata ex aqua, & aër conciliator est inter ignem & aquam.* Et omnia ex libro Iezirah extraxisse videtur, vbi ijsdem penè verbis leguntur citata verba. Certè Iochaides hâc Cabalicâ descriptione adeo propè ad hieroglyphicam nostram exhibitionem hoc loco propositam accessit, vt eam non tam innuisse, quàm explicasse videatur. Sed examinemus singula. Quod prisci Cabalistæ per literas occultè & symbolicè exprimebant, id Ægyptij per figuras hieroglyphicas, vt in Cabala demonstratum fuit. Trias illa Matrum nihil aliud indicat, nisi paternum fundum tribus triadibus compositum; & hæc fuit traditio Veterum à primæui Mundi Philosophis propagata. Prima Trias ignem, vti diximus, vitalem notat, Pantamorphæ naturæ indicem; secunda trias notat aquam, cui Ibimorpha præest; tertia trias aërem, cui Nephta dominatur.

אויר מים אש

Cabalistæ exprimunt per literas quod Ægyptij per hieroglyphica in tab: Bemb:

Ex

Trias matrũ significat Paternum fundum tribus triadibus compositum. Cabalisticum effatum de Mundorum productione explicatur.

Ex prima triade ignea Cœli creati sunt, & terra ex aquis; id est, ex Isi-morpha matre, & aër seu Nephta, vel ipso Plutarcho teste, mediatrix est inter ignem & aquam. Vocat mirabile, magnum, & absconditum mysterium, quia proprietates archetypas respicit & innuit; sex signaculis obsignatum dicit, quòd quæcunque Deus sex dierum spacio in Mundo produxit, ijs comprehendantur; ex ijs ignem & aquas prodire dicit, quæ in marem & fœminam diuidantur, quia ignis & aqua sunt rerum omnium principia, ita vt ignea vis marem, & aquea fœminam notet: atque his præsunt patres, quibus omne quod in Vniuerso est, traditum creditur. Atque has esse fundi paterni triades, expressè his verbis docet:

Iochaides in Zohara & Iezira.

שלש אמות חקקן וחצבן וצרפן וחתם בהן שלש אמות בעולם ושלש בשנה ושלש אמות בנפש זכר ונקבה:

Tres, inquit, matres Deus exsculpsit, & exarauit eas, & combinauit eas, & obsignauit in ijs tres matres in Mundo, tres matres in anno, & tres matres in animi marem & fœminam. Vbi vides eum promiscuè accipere matres pro patribus, & patres pro matribus, marem pro fœmina, & fœminam pro mare; vti tabula etiam Isiaca ostendit, vbi vides etiam virili habitu exhibita simulachra mammis turgere, velis ornari, & fœmininâ specie expressa, virilem habitum mentiri; quibus, vt dixi, nihil aliud innuitur, nisi quòd secundùm diuersum conceptum prout præsunt, mares, prout subsunt, fœminas exhibent; & hi sunt, qui Mundi, annorum, & temporum præsides constituuntur. Quæ omnia in Cabala fusiùs exposita vide. Pergit postea author citatus,

ומהן נולדו שבע משלושות מעלה ומטה מזרח ומערב צפון ודרום והיכל הקדש באמצא והוא נושא את כולן:

Et ex his nascuntur septem triades, suprema, inferna, Orientalis, Occidentalis, Septentrionalis, & Meridionalis, & in medio templum sanctum sustinens omnia. Quid aptiùs ad nostram explicationem adferri possit, non video. Quid per templum sanctum in medio omnia sustinens aliud, nisi domus seu thronus Pantamorphæ naturæ in tabulæ medio expressa indicatur? quæ stipatur ab Oriente, Occidente, Septentrione, & Meridie, infernè, & supernè ab asseclis septem triadibus, seu septem Mundorum præsidibus, vti expositũ fuit; quæ Chaldaico stylo prosequitur Iochaides his verbis:

והדא שבע מקרות דמנהון נצלו כל טבעה והשלשלות ומנהון דבקו כל פתגמיא:

Zoroaster. Iochaides. Psellus. Iochaides videtur desumpsisse sua de Mundorũ productione ex Zoroastro.

Et hi sunt septem fontes, ex quibus vniuersa natura profluit; & catenæ sunt, quæ omnia connectunt. Quæ sanè verissima esse ipse Zoroaster, à quo forsan Iochaides hæc descripsit, in suis Oraculis, vti est apud Psellum, testatur his verbis: Σέβονται δὲ οἱ Αἰγύπτιοι πατέρων τριάδα πίστεως, καὶ ἀληθείας, καὶ ἔρωτος, καὶ ἑπτὰ πηγὰς, καὶ ἀρχικὸν ἥλιον, ἀπὸ τῆς ὑλικῆς πηγῆς καὶ ἀρχαγγελικὸν, καὶ πηγὴν αἰσθήσεως, καὶ πηγαῖαν κρίσιν, καὶ κεραύνιον πηγὴν, καὶ πηγὴν διοπτρῶν, καὶ χαρακτήρων πηγὴν ἐπιβατικὴν τῆς αἰῶνος

ἀγνώστοις συνθήμασι, καὶ πηγαίας ἀκρότητας, Ἀπόλλωνος, Ὀσίριδος, Ἑρμοῦ, ὑλικὰς δὲ πηγὰς φασὶν κέντρων, καὶ στοιχείων. Venerantur etiam Ægyptij triadem fidei, veritatis, & amoris, & septem fontes, Solem Imperatoriũ, & à materiali fonte Archangelicum, fontem sensionis, & fontanum iudicium, & fulminum fontem, & fontem speculorum seu inspectionum, fontem characterum incognitis constitutionibus compositum, & summitates fontanas Appollinis, Osiridis, & Mercurij; materiales verò fontes dicunt centrorum & elementorum. Ita vt per Solem Imperatorium, Solarem Mundum; per Archangelicum materialem, Lunarem; per sensuum fontem, Saturninum; per fontanum iudicium, Iouialem; per fulminum fontem, Martium; per speculorum fontem, Venerem; per characterum denique fontem, Mercurialem Mundum intelligat. Quæ quàm aptè septem triadibus, siue septem Mundorum Systematis in tabula expressis applicentur, ex explicatione suprà posita patet.

Septem fontes quos venerabantur Ægyptij.

Notandum tamen, has septem triades ita sumi ab Ægyptijs, vt secundùm analogiam quandam facilè tribus Mundis, Archetypo siue Ideali & Intelligibili, deinde Intellectuali Angelorum, denique Sensibili Mundo applicari possint: in Archetypo quidem vt Intelligentiæ, Patres, & Ideæ; in Intellectuali sub conditione intellectuali, & prout sunt Virtutes immediatæ ab Archetypo profluentes, quorum curæ Mundi septemplices commissi sint; in Sensibili sub conditione materiali considerantur. Verùm qui hæc enucleatiùs cognoscere desiderat, is adeat Classem de Cabala, aliosque passim tractatus in hoc Opere exhibitos. Atque hæc sunt, quæ de media huius tabulæ regione dicenda putaui; quare ad reliquas tabulæ regiones explicandas procedamus.

Septem Ægyptiorum triades applicari possunt tribus Mundis, Archetypo, Intellectuali, Sensibili.

DIVISIO V.

Supremæ Regionis tabulæ interpretatio.

SVprema Regio literis E F inclusa continet duodecim Rectores Mundi, in quatuor triades diuisos, qui duodecim signis & mensibus respondent. Prima trias P, S, V, dicitur Mendesia; & respondet tribus mensibus, ⲙⲉⲭⲓⲣ · ⲫⲁⲙⲉⲛⲱⲑ · ⲫⲁⲣⲙⲟⲩⲑⲓ · Secunda Trias X, Z, A, Ammonia dicitur, & respondet tribus mensibus ⲡⲁϣⲟⲛⲥ · ⲡⲁⲱⲛⲓ · & ⲉⲡⲏⲡ · Tertia trias B, C, E, Momphtæa dicitur, & respondet tribus mensibus ⲙⲉⲥⲱⲣⲓ · ⲑⲱⲟⲩⲧ · ⲡⲁⲟⲡⲓ · Quarta trias Omphtæa dicitur, & respondet tribus mensibus ⲁⲑⲱⲣ · ⲭⲟⲓⲁⲕ · ⲧⲱⲃⲓ · Atque hi sunt Rectores Mundi Siderei, quorum officium est, totius anni cursui, in rerum vnicuiq; conuenientium productione procuranda præesse. Sunt Genij administratores Pantamorphæ naturæ eo ordine, quo cõuenit, in administratione rerũ dispositi: Τριὰς γὰρ, teste Zoroastro, *ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ λάμπει· εἰς τρία γὰρ εἶπε νοῦς πατρὸς ἀϊδίου νῷ πάντα κυβερνῶν. Καὶ ἐφάνησαν ἐν αὐτῇ ἥ τ' ἀρετὴ, καὶ ἡ σοφία, καὶ ἡ πολύφρων ἀτρέκεια, τῇ δὲ ῥέει τριάδος δέμας πρὸ τῆς οὐσίας. Toto enim in Mundo lucet Trias. In tria namq; dixit Mens Patris æterni; Mente omnia gubernans. Et apparuerunt in ipsa Virtus, & Sapientia, & multiscia Veritas. Hinc fluit Triadis vultus ante essentiã.*

Suprema tab: Bemb: regio continet quatuor triades Rectorum Mundi.

Rectores Mũdi siderei, eorumque officium.

Zoroaster.

Post Iyngem enim siue Pantamorpham naturam fundi paterni in suas triades cosmicas diuisi, proximos esse Rectores Mundi, Psellus ex Zoroastro his verbis ostendit: εἶτα ὅζιν ἡ νοητὴ Ἴυγξ· μετὰ δὲ ταύτην, οἱ συνοχεῖς, ὁ ἐμπύρειος, ὁ αἰθέρειος, καὶ ὁ ὑλαῖος. *Post intelligibilem Iyngem proximè sequuntur Mundi Rectores seu Ductores, ignei, ætherei, & materiales*. In duas Classes, aqueorum, & terrestrium, diuiduntur; atque hi influxu suo cœlesti continuas in quatuor elementis igne, aëre, aqua, terra combinationes moliuntur, varias inter se compositionũ naturaliũ miscellas adornãt, tùm ad Mundi concentum, tùm ad rerum omnium vbertatem procurandam intenti. Hi signorum & mensium Præsides, Mundum iuxta duodecim terminos administrant. Habent autem singulæ triades suum Patrem, aut matrem, suam Potentiam, & Mentem; quarum duæ medium patrem aut matrem semper veluti choragum suum respiciunt, vt ex tabula patet. Quòd verò hæ duodecim mensibus & signis præsint, his verbis ostendit Iochaides ex libro Iezirah, genuinus Ægyptiorum discipulus:

(Margin: Psellus. — Rectorum Mundi triades habent suum Patrem, Mentem, Potentiam. — Iochaides. Rectores Mundi præsunt mensibus & signis Zodiaci.)

ויב״ שערים חקקן וצרפן וצר בהם שנים עשר מזלות
בעולם סימן טשת מאב סעק גדר ואלו הן יב׳ חדשים
מנהיגין ועשה אותם כמין מדינה וערכם כמין מלחמה
וגם את זה לעמות זה עשה האלהים שלש אמות שהם
שלשה אבות שמהם יצא אש ורוח ומים:

Duodecim portæ sunt, exsculpsit, & combinauit, & formauit in ijs 12 signa cœlestia in Mundo, signa eorum sunt: טשת, id est, טלה שור תהמים, *Aries, Taurus, Gemini, trias prima: secunda trias* סאב, id est, סרטן אריה בתולה, *Cancer, Leo, Virgo: Tertia trias* מעק, id est, מזנים עקרב קשת, *Libra, Scorpius, & Sagittarius; quarta trias* גדר, id est, גדי דלי דגים *Capricornus, Aquarius, Pisces. Et hi sunt duodecim moderatores, quos instar disposuit Ciuitatis, & direxit eos ad modum belli, & fecit vnum è regione alterius, tres matres quæ sunt tres patres, ex quibus egreditur ignis, spiritus, & aqua*. Ex his, ni fallor, luculenter apparet, duodecim figuras nihil aliud denotare, quàm duodecim Intelligentias anni Præsides in quatuor triades diuisas.

(Margin: I trias, Mendesia. — Herodotus. — Hircus hieroglyphice quid. — Manethon. — Ælianus.)

Verùm iam singula particulatim exponamus. Prima trias P, S, V, Mendesia est, & Hyemi respondet, cuius Patrem S, Mentem V, Potentiam P exhibet. Dicitur Mendesia à voce Ægyptiaca ⲙⲉⲛⲇⲏⲥ teste Herodoto, qua hircum nuncupant, vnde & Ciuitas, & Nomus Mendesius, nomen suum obtinuit, & hircus aræ M impositus id satis demonstrat. Hunc occidere videtur figura S Pater. Est autem hircus hieroglyphicè nihil aliud quàm fœcunda vis terræ primigenia anni, quà veluti primitias quasdam germina producit; quod in Ægypto tribus mensibus triadi Mendesiæ correspondentibus contingebat, teste Manetho, mensibus *Tybi*, *Phamenoth*, & *Pharmuthi*, quibus Mendesij hircos immolabant, veluti ineuntis anni felix auspicium. Cui astipulatur Ælianus l. 10, hist. c. 24. vbi capras fœminas capiti Isidis in delicijs esse, mares autem immolari, tradit. Hinc ad Græcos videtur manasse Capricorni in Cœlum translatio; cui

cui mensis Mechir respondet. Sed de his amplè in Astrologia Ægyptioru, & de Hirci hierogrammatismo fusè in Obelisco Pamphilio, quem consule. Simulachrum S, hircum cornibus tenet, quia vis Solaris per cornua indigitata, tunc temporis, tametsi sopitâ & cohibita, tamen moderata saltem, apta est ad herbas & gramina producenda. Ex velato vertice viperam emergentem continet, quia potestas Numinis occulta vi terræ incubans vitam præstat; tutulum florigerum capite tribus fasciculis compactum bisulcæ flammæ impositum gestat, quia summam herbarum trimestri hoc spatio colligendarum tùm hominibus, tùm iumentis vbertatem præstat. Asseclæ V sceptro lotifero, & fœmineo habitu, vbere turgente, id est, Menti commendat præsidium; est enim lotiferum sceptrum, vti sæpe diximus, symbolum consormationis, quâ ad ideam sibi præscriptam Mens in omnibus à Patre sibi præside commissis fidenter exequendis operatur. Assecla verò P habitu masculino, tutulo florigero, ὀφι-κυκλο-πτερο-μόρφῳ, & velo cum vipera emergente, ad hæc sceptro Cucuphamorpho fulgens, Potentiam exhibet, qua à mente præscripta in executionem deducit, vitam, calorem, cœteraque ad felicem germinum prouentum necessaria suppeditans. Vterque assecla P, V, Crucem ansatam gestat, symbolum Numinum apotropæorum; quia res contra aduersas potestates fidei suæ commissas defendunt, vti iam sæpe inculcauimus; quod & tabulæ sacræ, seu amuleta Q & T indicant. Notandum quoque, in omnibus triadibus masculum & fœminam reperiri; quo quidem nihil aliud nisi principium actiuum per marem, per fœminam passiuum indicatur, quibus generatio rerum perficitur.

Simulachrum S. tab. Bemb. explicatur.

Asseclæ simulachri S. tab. Bembinæ.

Masculus & fœmina in singulis triadibus Rectorum Mundi.

II. Trias Ammonia.

Secunda Trias verno tempori correspondens est X, Z, A, & Ammonia dicitur, quia Ammoni consecrata est; cuius signum est Aries cum vase apposito, tribus thyrsis fructiferis insigni; & symbolum est caloris vehementis & fœcundi, quo fructus hoc trimestri in Ægypto maturantur; de quo sic Abenephi:

Abenephi.

فالما يريدون يدلون الحر بعالم وكان يصروا صوره الحمل ۞

Indicaturi calorem mundanum, Arietem pingebant. Quæ confirmat Rabbi Iehuda in Zohar, colum: 469 his verbis:

Rabbi Ieh.

והמצריים היו עוברים מול טלה כבעל האש:

Ægyptij adorabant signum Arietis, igne armatum. Quæ confirmat ipsa bisulca flamma è vertice Arietis ventilata. Vide de Ammonio Ariete vberrimè tractatum in Obelisco Pamphilio fol. 269. & sequentibus. In hac itaque Ammonia triade X Patrem, Z, Matrem seu Mentem, A Potentiam exhibet. Figura X Pater Ammonius telo seu lancea cuspidata vim caloris Ammonij notat; phænicopterum niloticum manu sinistrâ tenet; quæ cùm abundantiam fructuum, cœterorumque prouentum notet, aptè per auem piscatricem, & varietate colorum mirabilem significatur, cuius mentionem facit in sua historia Heliodorus l. 6. Καὶ νυνὶ δὲ Θεῷ ὄρνιν τίνα τοῦτον ὡς ὁρᾷς νειλῷον Φοινικόπτερον τὸ φίλτατης ἐπίταγμα κομίζων. *Nunc verò Deo auem quandam*

Ammoniæ triadis Pater, Mens, Potentia.

Heliodorus.

dam eiusmodi, vt vides, *Niloticum Phœnicopterum, amicissimæ compaginem veluti quandam exhibens*; scilicet Matri Z Isidi, quam hoc trimestri ad frugum conseruationem cultam Hyginius tradit. Hæc habitu induitur ansatis Crucibus bifurcatis referto, quo influxuum multitudo, idealisque potestatis plenitudo notatur. Vas Niloticum desterâ exhibet figuræ X Patri Ammonio seu Osiridi: Ammonem enim & Osiridem passim confundi, varijs huius Operis locis demonstratum est. Per vas Niloticum humoris præsidium notatur; petere velle videtur ab Osiride, vt calore suo eam imbuat, sine quo nulla rerum generatio expediri queat, vtpote quæ solo calido-humido perficiatur; calido se habente per modum principij actiui, humido verò per modum principij passiui. Nebride induitur Bassaridum more; per Nebridem maculatam nouelli fœtus animantium, quæ hoc tempore in Ægypto repullulant, aptè indicantur; adeo vt eandem ob causam Græci Ægyptiorum Simiæ Dionysio & Cybeli Nebrida attribuerint; de quibus vide Mystagogiam Ægyptiam, Obeliscum Pamphilium, & Genealogiam Deorum in primo huius Operis Tomo. Sequitur Isidem Ammoniam A figura, Potentiam in Triade notans; dextrâ pennam Ibidis, sinistrâ vas Niloticum gerens; per pennam vis apotropæa, quâ humidi tutorem se monstrat contra aduersas typhonias potestates, innuitur; pennæ siquidem Ibiacæ tactu, Horo teste, Crocodilus sideratur Typhonis symbolum. Fœmoralia tenet in formam coni radiosi porrecta, queîs radiosa spermaticæ facultatis vis quâ in humidum pollet, signatur; symbolum Ægyptijs à similitudine herbarum, graminum, arborum, plantarum, in quibus vis spermatica nescio quid conicum affectat, dum omnia ex latiori basi in turbinem radiosâ fœturâ agitat; conus verò in formam quadrantis Astronomici elaboratus est, vt indicaretur, temporis rationem ad fructuum vberem prouentum cumprimis obseruandam esse. De tutulis figuræ Z & A vide suprà in Capite de tutulis, vbi, & in alijs locis passim, eos expositos reperies. Sed quid Cynocephalus Y indicet, videamus. Incipit Vernum tempus huius Ammoniæ triadis ab æquinoctio, cuius symbolum est Cynocephalus; ratio symboli est, quòd hoc animal tempore æquinoctij, quo duodecim horarum dies longus est, duodecies vrinam reddere, arque hoc duodeno mictu æquinoctium iam adesse, monstrare soleat, quod Horus testatur his verbis: Ἰσημερίας δὲ πάλιν σημαίνοντες, κυνοκέφαλον καθήμενον ζωγραφοῦσι ζῶον. ἐν ταῖς δυσὶ γὰρ ἰσημερίαις τοῦ ἐνιαυτοῦ δωδεκάκις τῆς ἡμέρας καθ' ἑκάστην ὥραν οὐρεῖ, τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ταῖς δυσὶ νυξὶ ποιεῖ. *Rursus æquinoctia significantes idem animal Cynocephalum sedentem pingunt, duobus enim anni æquinoctijs duodecies in die, per singulas nimirum horas vrinam reddit, idemque & noctu facit.* quod aptè insinuatur per numerum sex circulorum quadripartitorum, cui insidet, Abaco, incisorum; sexies enim quatuor faciunt 24; Lunam sextilem in capite gestat, cum circulo cui serpens includitur, quo Solis & Lunæ coniunctio indicatur, quæ maximè in hac anni statione Ammonia veluti futuræ vbertatis prognosticon obseruabatur; nam Cynocephalus hoc tempore fremens, & maxima indignationis indicia præbens, dirum portendebat; ludens verò & exul-

Isis in prima tab. Bemb: regione sub fig. Z. *Hyginius.*

Figura A regionis primæ tab. Bemb.

Horus.

Cynocephalus.

Horus.

exultans, bonum auſpicij omen exhibebat. Vide quæ de his fuſiùs Horus l. 1. c. 14. & nos paſſim tùm in Obeliſco Pamphilio, de Hierogrammatiſmo Cynocephali, tùm in horologiographia Ægyptiorum egimus.

Sequitur iam Trias Momphtæa, Æſtati correſpondens, tribus figuris B, C, E, exhibita. Dicitur Momphtæa, quia Momphta incrementi Nilotici, vti fusè in Obeliſco Pamphilio in Hierogrammatiſmo Leonis docuimus, præſes Numen eſt; quod aptè ſanè exprimit D Sphynx Nilotica. Sed audiamus verba Hori, qui lib. 1. c. 21. ſic Nili inundationem deſcribit: Νείλου δὲ ἀνάβασιν σημαίνοντες ὃν καλοῦσιν Αἰγυπτιστὶ νοῦν, ἑρμηνευθὲν δὲ σημαίνει νέον· ποτὲ μὲν λέοντα γράφουσι; &c. ἐπειδὴ ὁ ἥλιος εἰς λέοντα γενόμενος, πλείονα τὴν ἀνάβασιν τοῦ Νείλου ποιεῖται. ὥστε ἐμμένοντος τοῦ ἡλίου τῷ ζωδίῳ τούτῳ τὸ διμοιρον τοῦ νέου ὕδατος πλημμυρεῖ πολλάκις. ὅθεν καὶ τὰς χολέδρας, καὶ τοὺς εἰσαγωγεῖς τῶν ἱερῶν κρηνῶν λεοντομόρφους κατεσκεύασαν οἱ ἀρχαῖοι τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάται, ἀφ᾽ οὗ καὶ μέχρι νῦν κατ᾽ εὐχὴν πλεονασμοῦ ὑδρότητος. *Nili inſuper inundationem ſignificantes, quem Ægyptiâ voce Nun* (rectiùs μων) *quod ſi interpreteris, nouum* (veriùs aquas) *ſonat, appellant; modò Leonem pingunt &c. quòd cùm Sol Leonem ſubit, ampliorem Nili faciat inundationem; quamdiu enim Sol in hoc ſigno perſiſtit, ſæpenumero in duplum ipſius Nili aqua excreſcit, vnde & tubos canaleſq; ſacrorum fontium ſolent primæui hieromantæ Leonis figura fabricare. Hinc in hunc vſque diem dum pro immodica inundatione preces effunduntur, Leonis ſigno vti ſolent.* Sphynx itaque ſedens, alis, & Lunæ facie κερόεσσα, id eſt, cornuta, & in circulum contorta, cui character Agathodæmonis inſeritur, conſpicua, hæc inquam nihil aliud quàm Intelligentiam Momphta, incrementi Nilotici Præſidem notat, qui hoc trimeſtri ſpacio maximè in Ægypto dominari, vt in Aſtrologia docuimus, credebatur. Lunam in capite geſtat ſextilem in circulum contortam, vt oſtenderetur, coniunctione Solis & Lunæ intra 48 dies, quibus incrementum à principio ad finem durat, maximè vrgeri; characterem incluſum gerit in capite, quo indicatur, Agathodæmonem Momphtæo Numini ſubdelegatum influxibus huius maximè incitari; creſcit autem continuò vtplurimùm 24 diebus, & totidem diebus decreſcit; quæ ſanè aptè indicantur per circulos ſex quadripartitos baſi inſcriptos, qui 24, vti dictum fuit, notant, & hic numerus duplicatus 48 conſtituit, totius incrementi durationem. Verùm vt hæc omnia aptiùs confirmentur, reliquas figuras huius Momphtææ triadis ordine examinemus.

III. Trias Momphtæa.

Sphynx Nilotica.

Sphyngis Niloticæ habitus & geſtus hieroglyphicus.

Tres ſunt præſides, ſignatique literis B, C, E. C patrem notat, Ἀνδρογαῖον Numen: vittâ ornatur in calathi modum efformata, ex qua circa frontem ſerpens exit, binis Accipitrinis pennis & circulo intermedio; quæ omnia vigoris Solaris, vitæ caloriſq; mundani, quo humidam Mundi ſubſtantiam imbuit, ſymbola ſunt; dextrâ Crucem anſatam fert, tùm influxûs, tùm auerruncationis ſymbolũ; læuâ baculum cucuphomorphũ geſtat, varietatis quam in humida ſubſtantia producit, notam; aſſeclas habet E mentem Iſiacam, & B potentiam executricem. Iſiaca mens E velo tegitur candido in modum vaſis Nilotici protuberante; cui cornua bouina inſiſtunt, cum intermedia ſtella, & binis pennis: dexterâ manu ſceptrum pennigerum geſtat, ex qua vtrinque duo triangularia ſiſtra dependent.

Momphtææ Triadis præſides tres. Pater Momphtææ Triadis.

Mens & Potentia Momphtææ Triadis.

Isiacæ Mensæ hieroglyphica explicatur.

dent. Quid verò hæc omnia significent, exponam. Velum candidum indicat diuinitatis vim detectam; cornua bouina Isidi attributa, & ex vase Nilotico emergentia, indicant agriculturæ, cui præest, post incrementi abundantiam, felix auspicium; stella indicat Sothin, quam incrementi Nilotici prænunciam dicebant, atque ex ea totius anni secuturi statum diuinabantur; quæ omnia his verbis Horus confirmat l. 1. c. 3. Ἐνιαυτὸν δὲ βουλόμενοι δηλῶσαι, Ἶσιν τουτέστι γυναῖκα ζωγραφοῦσι. τῷ δὲ αὐτῷ καὶ τὴν Θεὸν σημαίνουσιν. Ἶσις δὲ παρ' αὐτοῖς ἐστὶν ἀστὴρ Αἰγυπτιστὶ καλούμενος Σῶθις, Ἑλληνιστὶ δὲ ἀστροκύων, &c. Ἔτι δὲ καὶ διότι κατὰ τὴν τούτου τοῦ ἄστρου ἀνατολὴν σημειούμεθα περὶ πάντων τῶν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ μελλόντων τελεῖσθαι. Διόπερ οὐκ ἀλόγως τὸν ἐνιαυτὸν Ἶσιν λέγουσι. *Porrò annum significaturi Isin, hoc est, mulierem pingunt, quo etiam Deam significant; est autem apud eos Isis sidus, quod Ægyptio nomine Sothis, Græcis verò astrocyon dicitur, quoniam in huiusce sideris exortu ea signis quibusdam obseruamus, quæ toto anno peragenda sunt, ideo non absque ratione annum Isin appellant.* Diximus Sothin stellam Canis, prænunciam fuisse incrementi Nili; quia ad ortum huius Nilus inundare dicebatur, vti apud Hyginium & Manilium, de quo primo Tomo de Nili incremento actum est. Manu dextrâ sceptrum gerit pennigerum cum sistris triangularibus, quorum sonitu motus rerum, teste Plutarcho, & aduersarum potestatum Typhoniarum malignitas profligari credebatur. Verùm de sistrorum significatione mystica passim hoc Opere tractatum vide. Figura B pariter fœmineo habitu induta, dextrâ Seriphium seu Absinthium marinum exhibet, læuâ baculum seu thyrsum papyraceum, quo rerum necessariarum humano generi vbertas, vti in Obelisco Pamphilio probatum fuit, indicatur; capite Thermutin, id est, serpentem ἱερακόμορφον sustinet; quibus symbolis quid sibi voluerint, exponamus. Seriphium seu Absinthium marinum, teste Theophrasto, circa initium mensis Thoth maxima copia in Ægypto prouenit, eiusque maximus in sacris ritibus cœremonijsque peragendis vsus erat, symbolumque erat antidoti contra putrefactionem; atque ideo Isidi & Mophtæ, tanquam Nili præsidibus dicatum, & ab Isiacis præferri consueuisse apud Plinium & Dioscoridem legimus. nascebaturque in Taphosiri, id est, Ciuitate, quæ sepulchrum Osiridis dicitur, eiusque ope Osiridem à Typhone occisum ad immortalitatem reuocatum Plutarchus asserit. Vide de Seriphio plura in hierogrammatismo plantarum. Thermutis sacri Serpentis genus est, cuius velum Isidis, quo circundatur, index est; ἱερακόμορφος, id est, Accipitris capite insignitus pingitur; quâ arcanâ similitudine alluditur ad vitam, lucem, motum, quibus Agathodæmon Ophionius, qui semper per huiusmodi thermutin indigitatur, influit in hanc potentiam Isiacam seu Nephtæam; hisce enim dum humidâ substantiâ per Nephten imbuitur, veluti occultâ quâdam vi Momphtæ seminaria animantur, & ad eam rerum varietatem, quam Nili fœcundam incrementum secum adducere solet, producendam disponuntur; hinc non malè Thermutidi Accipitris caput impositum fuit. Epies siquidem Hieromanta sapientissimus, vt est apud Eusebium, ita de eo scribit: Τὸ πρῶτον ὂν θειότατον ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφήν. *Primum omnium diuinissimum Ser-*

Sothis stella incrementi Nilotici prænuntia.

Hyginius.
Manilius.

Seriphium seu Absinthium marinum.
Theophrastus

Plinius.
Dioscorides.

Thermutis significatio hieroglyphica

Eusebius.

Serpens est, Accipitris formam habens. Verùm cùm de hisce passim innumeris tùm huius Oedipi, tùm Obelisci Pamphilij locis egerimus, Lector eà adire poterit, vbi ex omnigena doctrina Ophionia sacramenta descripta reperiet.

Quarta trias F, G, H, Omphtæa dicitur, & Autumno respondet. Est autem, vti in Astrologia demonstratum fuit, Omphta præses signi Libræ, quo post incrementum Nili terra humore prægnans paulatim ad fœcunditatē disponitur per Omphta Numen beneficum, vt quod exactā, singulisq; humoris fœcundi portionem congruam decernat; qui quidem Omphta per literā G indicatur, qui dextrâ baculum seu thyrsum papyraceum tenens, læuâ phallum oculatum portat; quibus nihil aliud indicatur, nisi quòd Omphtæ ministerio ea, quæ in præcedenti trimestri sapienter humoris benificio disposuit Momphta, tandem in executionem ab Omphta, Plutarcho teste, deducantur, id est, omnium rerum humanæ vitæ necessariarum vbertas per oculatum phallum, id est, prouidam spermaticæ virtutis actionem, resultet; cooperantibus assedis suis F & H, quorum prior F, dextrâ baculum Cucuphomorphum, læuâ vas μελάγγειον, id est, terræ nigræ Ægyptiæ (sic enim Ægyptiam tellurem, teste Plutacho, vocant hieroglyphicè) portat, in quo humor receptus ad varietatem rerum per baculū Cucuphæ capite expressum disponitur, & agriculturæ felix auspicium, quod per caudas signatur bouinas, quibus figuræ G & F insigniuntur, sumitur; H verò Numen auerruncum seu apotropæum baculo lotifero, & mamilla turgens insignitur, ad dictam fœcunditatem, cuius tutelam agit, ab omni aduersitate Typhonia conseruandam. Verùm de Cucuphæ sceptro, de phallo oculato, de loto vide passim in Obelisco Pamphilio proprijs locis traditum. Atque hi sunt duodecim moderatores in quatuor triades diuisi, quorum ministerio totius anni decursus regitur & gubernatur.

IV Trias Omphtæa; Omphta præses signi ♎.

Plutarchus.

Omphtæ Assedæ.

DIVISIO VI.

Regionis tertiæ interpretatio.

Tertiæ Regionis tab. Bemb. interpretatio.

TErtia Regio & inferior Isiacæ mensæ literis I K comprehensa, continet figuras duodecim, qui sunt duodecim perennium fontium Patres, qui & Mundi Ductores appellantur. Ita Psellus in Oracula Chaldaica, καὶ δὲ τοὺς οἱ πηγαῖοι πατέρες οἱ καλούμενοι κοσμαγωγοί. Qui quidem iterum in Triadas diuiduntur; Mundumque dodecapartitum in duodecim plagas distributum administrant, vnde & κοσμαγωγοὶ vocantur. Vnaquæque trias suam sibi Mundi partem administrandam sortita est; atq; trias quidem λ, μ, N, Orienti præest; opposita verò huic in tabula trias ✝ F H, Occidenti; ξ, ο, Σ, Boreæ; eiusq; opposita τ, φ, χ, Meridiei siue Austro dominatur. Duæ priores triades λ, μ, N, & ✝, F, H, portis mysteriosis exhibitæ, vocantur magnarum Mundi portarum, id est, Orientis & Occidentis vagi

Fontium Patres 12. in quatuor triades diuisi.

administratores, vt postea probabitur; duæ verò intermediæ ξ, ο, Σ, & τ, φ, χ, συςαταὶ, id est, stabiles & fixi vocantur à Psello, quia dominium suum habent in oppositis sibi Septentrionis & Austri partibus stabilibus & fixis; Sol enim & Luna, cœterique errones, tropicos motionum suarum terminos dictis in partibus sortiuntur, vnde & Ductores harum triadum ☉ & ♀ sedere finguntur; quæ omnia pulchrè ex Ægyptiorum mente describit Iochaides in Zohar, vti & in commentarijs in Iezirah his verbis.

Iochaides.

Duodecim Angeli Mundi præsides, eorumque termini ex Iochaide.

והמלאכים שתים עשרה בשנה ומרותם לשמול ליב״ גבולי עולם:

Et sunt duodecim Angeli præsides anni, & proprietates eorum, vt præsint duodecim terminis Mundi; termini verò hi sunt.

1 גבול מורחית צפונית:
Terminus Orientalis Septentrionis.

2 גבול מורחית דרומית:
Terminus Orientalis Meridionalis.

3 גבול מורחית רומית:
Terminus Orientis superioris.

4 גבול מורחית תחתית:
Terminus Orientis inferioris.

5 גבול צפונית רומית:
Terminus Septentrionis superioris.

6 גבול צפונית תחתית:
Terminus Septentrionis inferioris.

7 גבול מערבית דרומית:
Terminus Occidentis Meridionalis.

8 גבול מערבית צפונית:
Terminus Occidentis Septentrionalis.

9 גבול מערבית רומית:
Terminus Occidentis superioris.

10 גבול מערבית תחתית:
Terminus Occidentis inferioris.

11 גבול דרומית רומית:
Terminus Meridiei superioris.

12 גבול דרומית תחתית:
Terminus Meridiei inferioris.

ומרחיבין והוליכין עד עדי עד והם זרועות עולם:

Et dilatantur, & progrediuntur vsque in secula seculorum, & sunt brachia Mundi. Quorum & mentionem facit Abenephius his verbis:

Abenephi.

وكان لمصريون ثنت عشر بيوت مدبرهم على رياح اربع الدنيا وثلث منهم يتولون لمشرق وثلث لمغراب وثلث لجنوب وثلث لسمال ۞

Fuerunt autem Ægyptijs duodecim Præsides super quatuor Mundi plagas; tres præerant Orienti, tres Occidenti, tres Meridiei, & tres Septentrioni, & hi vocantur fontani patres, eò quòd ex his tanquam perennibus fontibus omne in inferiorem Mundum bonum promanet. Sed iam singula ordine exponamus.

Trias

Trias Fontana Horæa, siue Porta magna Orientis.

Trias Fontana Horæa. Porta magna Orientis.

TRias λ, M, N, magna Mundi Orientalis porta dicitur; vbi vides portæ inclusum pueri formâ Horum, reticulatâ veste inuolutum, baculo crucifero Cucuphomorpho, gnomone,& lituo insignem, à tergore triangulo, ex quo globus emergit, dependente; portæ superliminari globus alatus inseritur, & latera portæ circulis quadrifidis, & pentagrammis stellis alternatim insertis exornantur, basi varijs hieroglyphicis insignitâ; quæ quid indicent, videamus.

Porta magna Orientis dicitur, quia per ipsam omnis lucis, vitæ,& motus ratio, quæ per globum alatũ notantur, in quatuor Mundi partes,& quintuplicem entium ordinem diffusa, quæ per circulos quadrifidos, & stellas pentagrammas signantur, indicatur; vt alibi expositum fuit. Simulachrum M sub pueri forma Horum refert, id est, Solem, qui per Orientem veluti propriam portam ingressus, omnes Mundi partes vitæ & lucis radijs recreat: sub pueri forma vittâ spectabili pingitur, quia Sol in dies Mundo per ianuam vitæ restitutus quasi reiuuenescit, atque vnà secum Mundum reiuuenescere facit: reticulatâ veste inuoluitur, quia ratio influxus & virtutes, quas Mundo confert, abditæ sunt & perplexæ, & humano ingenio imperuiæ: baculus quem portat, primò Cruce signatur, quòd cùm quatuor elementorum symbolum sit, aptè eo indicatur, virtutes suas Solem primò quatuor elementis communicare, quæ abditarum virium affluxu imprægnata magnam illam rerum varietatem proferunt, quæ per caput Vpupæ; cum summo ordine, symmetria, & εὐκαρία, quæ per gnomonem; & denique cum mira harmonia, quæ per lituum pulchrè indicantur. Trigonum à tergore pendulum, Mundum significat, Platone teste, à trigono archetypo profluxisse. Vide huius figuræ expositionem tùm in Obelisco Pamphilio, tùm in Oedipo hoc varijs locis allatam. Basi cui insistit, hieroglyphica insculpta hunc sensum faciunt; *Vegetabilis naturæ parens, humidi custos* πολύμορφος, *sacer Osiridis Nili tutor*, πολύμορφος *Mundorum, eorumque dominator, Polymorphos* δαίμων *necessariarum rerum vbertatem præbens*. Atque hæc est figuræ M significatio. Venio ad asseclas λ & N, quarum N fœmineo induta habitu, velato vertice, cui Accipiter insidet, insignis, quinque vasa Horo veluti porrigit. Per hanc Mens Horeæ triadis exprimitur; hæc enim lucem & calorem, per Accipitrem capiti insidentem expressum, ab Horo participatum, in quinque Mundi inferioris vasa, quæ sunt aquæ, aëris, & in terrestri globo inanimatarum rerum, vegetabilis naturæ, & sensitiuæ seminaria, iuxta rationem ab Osiride sibi præscriptam, distribuit. Fœmineo pingitur habitu, quia hæc intellectus Osiriaci seu Horæi veluti Idea quædam est, ad pariendum procliuis, & ad voluntatem Hori complendam paratam se exhibens; *Est enim*, vt rectè Plutarchus dicit, *Isis nihil aliud, quàm vis illa naturæ fœminea, & totius susceptrix generationis, propter quod* τιθήνη, *id est, nutrix*

Porta magna Orientis.

Horus, id est, Sol.

Plato.

Characteres hieroglyphici minuti in basi Hori.

Asseclæ Hori.

Mens Horeæ triadis.

Plutarchus.

Plato. *trix, & πανδεχής, id est, susceptrix à Platone nuncupata est; omnes enim ideas & imagines admittit, habetque congenitum amorem erga id, quod primum ac summum est inter omnia, quod sanè ipsum bonum est; ad hoc enim rapitur, hoc optat, hoc sequitur; quod verò malum est, fugit & aduersatur.* Reliqua vide apud Plutarchum varijs locis allegatum.

Potentia Horææ triadis. Simulachrum verò λ Potentiam Horææ triadis monstrat, baculo lotifero instructam, cuius flori Aspis ἱερακόμορφος insidet turgido pectore, cum stella in capite; læuâ vas pariter Niloticum tenet, fœmineo habitu, mamma turgente, & cidari in formam calathi concinnatâ, quam capite gestat. Per Aspidem seu Thermutin, vti iam sæpè dictum fuit, motus & vita rerum, quam Sol quotidie oriens, Mundo confert, indicatur; Aspis enim Ophionius, vt rectè Arius apud Eusebium, Ἐπίχαεις· ὃς εἰ ἀναβλέψειε, φωτὸς τὸ πᾶν ἐπλήρου, ἐν τῇ πρωτογόνῳ χώρᾳ αὐτοῦ· εἰ τὶ καμμύσειε σκότος ἐγίνετο. *Gratiosum animal est; id si palpebras erigebat, primogenitam omnem suam regionem replebat; cùm verò clausas teneret, tenebræ fundebantur.* Ὅθεν ἐπειδὴ δοκεῖ ζωῆς, καὶ θανάτου κυριεύειν· διὰ τοῦτο αὐτὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῶν Θεῶν ἐπιτιθέασι. *Quocirca cùm vitæ necisque potestatem habere videatur, meritò sanè Deorum capitibus inserebatur.* Lotifero sceptro indicatur quòd iuxta præscriptam sibi ab archetypo Sole rationem agat. Hic cidarin quoq; capite gestat, in formam calathi concinnatam, quo præsidium & dominium in vegetabilis naturæ œconomiam signatur, cui fœcunditatem & vbertatem, vti fœmineus habitus, & mamma tumida sat ostendunt, largitur. Horus itaq; seu Mundus binis stipatus est asseclis, quorum λ vitæ & motus; alter N lucis & caloris curam ab Horo eis commissam habent; hinc Astrologi maximè hanc magnam Mundi Portam Orientalem, non sine ratione portam vitæ, caloris, lucis, & motus appellabant, & summo studio signorum stellarumque ortus, dum genethliaca nascentium hominum themata scrutarentur, tanquam vnicum κέντρον suæ fundamentnm, quem & Horoscopum dicebant, obseruabant, vti in Astrologia diximus, quam de hisce fusiùs tractantem consule.

Aspis Ophionius.

Eusebius.

Porta Mundi seu Horoscopus Astrologorum.

Trias Fontana, siue Porta magna Occidentis.

Trias Fontana Æluro-morphi.

Porta magna Occidentis.

Pater Portæ magnæ Occidentis.

PORrò opposita huic Horææ triadi, trias portæ magnæ Occidentis se aperit, quæ signatur literis ⳩, F, H. Fontanus parens F portæ includitur, cuius superliminare globo alato signatur, influxûs supremæ mentis symbolo; & latera quadrifidis circulis, quæ sunt quaternarij numeri, quibus Mundus constat, ideæ; in medio portæ simulachrum F fœmineo habitu, & felino vultu terrificum conspicitur, in cuius manu dextra baculus lotiferus, in sinistra Crux ansata fingitur; capite circulum Scarabæi imagine, & Serpente è globo emergente insignitum gestat. Sed quid singula sibi velint, iam aperiamus. Porta Occidentem notat, per quam Sol superius Hemisphærium relinquens, inferius petit, id est, Sol exiens

subter-

ſubterraneum Horizontem petit; quæ omnia aptè indicantur per figuram F; in qua ſelinum caput Scarabæi imagine inſignitum Solem occidentem ſignat; felis enim ſiue æluruѕ, lunare & nocturnum animal, teſte Horo, ſuas potiſſimùm operationes noctu exercet. Quod vt intelligatur, paulò altiùs oriri viſum eſt. Nouimus, poſt occaſum Solis Lunam veluti in abſentia eius vicariam agere. Eſt enim, vt iam in varijs locis huius Operis expoſitum fuit, Luna ſecundùm Ægyptios nihil aliud, quàm Solis quoddam ſpeculũ, in quod radios ſuos reuerberando terram, quam directo radio non poſſet, ſaltem reflexo ſeu vicario Lunæ foueret, ſuſtentaretque; atque hanc vicariam Solis per Lunam poteſtatem aptè exprimebant, per felis naturales proprietates; hic enim iuxta curſum Solarem diurnum pupillas non tantùm explicat & contrahit, ſed iuxta phaſium lunarium incrementa & decrementa, oculorum pupillas mutat, noctu diuque venationi murium ex æquo intentus; maximè verò ad occaſum Solis huiuſmodi mutationes ſubire videtur: vt vel hinc non ſine cauſa Numen illud, quod Occidenti præſidet, felino capite expreſſerint. Sed audiamus Horum l. 1. c. 10, dicta hiſce verbis confirmantem. *Felem, inquit, maſculum iuxta varium Solis habitum & curſum pupillas commutare, ad ortum quidem Solis manè nonnihil extendi, ſub Meridiem veluti rotundas fieri, Sole ad Occaſum vergente obtuſiores obſcurioreſque apparere.* Quaſi iam Lunæ virtutis ſuæ curam Sol commiſerit; hinc & quæ apud Heliopolim eſt, Dei Solis ſtatua, vti apud Pauſaniam habetur, felis ſpeciem exprimit; quam ſpeciem & ſimalachrum F exprimit, cuius felino vertici circulus Scarabæi imagine inſignitus inſiſtit, quo Solem exhiberi, ampliſſimis authoritatibus in Obeliſco Pamphilio cap. de Scarabæo docuimus. Qui quidem cum felino capite iunctus eam, quam diximus, Solis in Luna vicariam poteſtatem, quam poſt occaſum Solis in terreno Mundo exercet, indicat, idque hinc patet, quòd Luna ſit veluti Sol quidam nocturnus, qui terram, nè Solaris lucis totali influxu deſtitueretur, reflexâ virtute imbuat, terrenam molem Solis caliditate exſuctam, temperato humore reficiat, vnde vita rerum, per ſerpentem è globo emergentem indicata, rebus omnibus proueniat. Lotiferum ſceptrum manu dextrâ tenet, quia Luna Solem in omnibus affectat. Quoniam verò tenebris nocturnis maximè aduerſæ poteſtates dominantur, hinc ſiniſtrâ Crucem anſatam fert; potentiſſimum contra eas amuletum & phylacterium. Fœminino habitu pingitur, & mammâ turgente, quia vis Solis ex Lunari corpore in terram influens, fœcunda eſt, & viuificâ vbertate nutrit, fouet, inſtaurat omnia; hinc & fontanus pater ſeu mater fontana dicitur, quia fontem vberrimum Sol in occaſu ſuo aperit, quo omnia irrigata in vigore ſuo conſeruentur. Verùm audiamus hæc omnia pulchrè confirmantem Plutarchum: *Solis, inquit, radij in Lunam veluti in ſpeculum quoddam coniecti, ad nos auctis viribus reuerberantur, quorum vis & efficacia docuit homines certo & opportuno tempore ſemina mandare terræ, ligna ad ædificandum apta cadere, agriculturæ operibus inſudare.* Vnde artes vitæ, vſuique humano neceſſarias exortas eſſe Columella lib. 1. docet.

Margin notes: Horus. — Luna Solis vicaria. — Felis Lunæ hieroglyphicũ — Horus. — Felis ſimulachrum Heliopoli. — Pauſanias. — Luna Sol nocturnus. — Lunaris ſtatuæ habitus. — Plutarchus. — Columella.

Asseclæ triadis fontanæ Æluro morphæ. Mens Æluromorphi Numinis.

Asseclæ triadis huius Æluro-morphæ sunt ✢ & H. Simulachrum ✢ Mentem Æluromorphi Numinis exhibet, sinistra florigerum baculum; dextrâ phallum oculatum, capite tutulum gestat, flamma bisulcâ, binis Aspidibus, stellâ, pennisque spectabilem: per phallum fœcunditas, per sceptrum in vegetabilia dominium, per tutulum φλογο-αφι-ας-ιεραπ[?]ιεῤμορφον calori vita, motus, quæ ex reflexo Solis in Lunam, cœteraque sidera lumine post occiduum Solem, causantur, aptè sanè indicantur.

Potentia Æluro-morphi Numinis.

Assecla H Potentia intellectualis, thyrsum papyraceum tenet manu sinistrâ, rerum necessariarum copiæ signum; dextrâ manu iussa matris seu patris, androgyni Numinis, mandata exposcit, ad res fidei suæ commissas & à mente præscriptas, in executionem deducendas; Aspidem seu Thermutin stellâ signatum capite gestat, quâ vita & motus rerum significatur, vti suprà explicatum fuit. Sed quid figuræ huius triadis literis *d*, *e*, Ω signatæ notent, videamus. *d* litera Canis sedentis figuram cum sistro exprimit, qui quidem hoc loco nihil aliud notat, quàm Horizontis lumine Solari destituti, siue portæ magnæ occiduæ custodem. Astipulatur hisce Plutarchus lib. de Osir. & Iside. (*circulus*, inquit, *finiens, quem Horizontem vocant, Anubis est*: & non immeritò Cani comparatur, eò quòd cœlo terraque polleat: & in hac significatione eandem apud Ægyptios vim habere videtur Anubis, quam apud Græcos Hecate. Sistrum impositum habet, Typhoniæ malignitatis siue ἀντιθέου Dæmonis, quem sonitus sistri profligare dicitur, symbolum, vti alibi amplè expositum fuit; huius enim vigilantiâ Horus Sol, id est, harmonia & εὐκρασία Mundi Sensibilis, quam figura, *e*, vti ex suprà expositis patet, exprimit, in suæ perfectionis statu conseruatur.

Triadis Æluro-morphæ figuræ quid significent. Canis sedentis figu.

Plutarchus.

Anubis apud Ægyptios idé quod Hecate apud Græcos

Anubis αἰδερκυνόμορφος.

Quæ eadem exprimit Ω Anubis αἰδερκυνόμορφος caninâ facie transformatus, qui manibus pendulis efficaciter contractis, in capite globum cum Serpente ex eo emergente, & pennâ Ibidis eidem superposita, gestans, portæ occiduæ adstat; quæ quidem nihil aliud quàm Anubidis in vtriusque Horizontis confinio vigilantiam notant, ex cuius efficaci operatione inferioris Mundi œconomia conseruatur, & Typhon in absentia Solis omnia maligna attentans, id est, Crocodilæa Typhonis vis, Ibidis veluti pennâ sideratur & extinguitur; hanc ob causam Ægyptij, Horo teste, foribus templorum simulachra Anubidis, veluti sacrorum, Deorumque Osiridis & Isidis custodis, admouebant. Vide quàm id Ω figura Anubidis Cynocephali aræ seu columnæ impositi, & ad magnam occidui Solis portam veluti vigilantis typus aptè exprimat? vt hinc proinde suam ille Hecatinus Cerberus apud Græcos & Chaldæos, originem inuenerit.

Horus. Anubidis simulachrum ante templorum fores.

Genij occiduæ plagæ.

Patet itaque ex dictis, huius triadis exhibitionem nihil aliud exprimere, nisi Geniorum occiduæ plagæ præsidium; quorum præsidio Typhonia & Arimania vis profligata, Sol tametsi absens, in Luna tamen stellisque consuetas naturæ operationes perficiat; strenuè ad eiusmodi bonum, quibus vtrimque stipatur Asseclis H & ✢ (quorum hic fœcunditati, alter vitæ, luci, & calori præest, vti ex symbolis paulò antè explicatis patet) contra aduersas Potestatum technas, aduigilante Anube, corporis

tis Osiridis, vt Plutarchus asserit, custode. Apponam hîc testimonium Pselli, cuius verbis dicta ita comprobantur, vt ea explicasse videatur; ita autem in libello de Angelis & Dæmonibus loquitur: πᾶσα ἡ τοῦ κόσμου χώρα τὴν ἀγγέλων προστατῶν τριάδα συνέχει· τὴν ἀνατολῆς χώραν οἱ ἀρχαῖοι ἐκτυποῦσι καὶ διὰ τοῦ παιδὸς εἴδους· τὴν δύσεως χώραν ἐκτυποῦσι διὰ τοῦ δαίμονος αἰλουρομόρφου ἀγάλματος· καὶ σημαίνουσι τὰς τοῦ ἡλίου δυσμικὰς ἰδιότητας· *Vnaquæque Mundi Regio triadem Angelorum Præsidum continet; Orientis regionem antiqui exprimebant per pueri formam; Occidentis per feliformem statuam; qua occidui Solis proprietates indicabant.* Reliqua verba postea adducentur; sed iam ad reliquas Mundi plagas describendas progrediamur.

Psellus.

Trias Pandochæa
Quod Numen apotropæum Portæ Magnæ Septentrionis est.

Trias Pandochæa.

Porta magna Septentrionis

TRias signata literis ξ, ο, ϛ notat Borealium Geniorum præsidium & stationem; cuius medium simulachrum O sedi variegatæ insidens fœmineo habitu, vti ex mamma turgente luculenter patet, induta, veste Crucibus ansatis eius generis, quas bifurcatas vocamus, insignita fulget; Tauticum characterem manu dextrâ, sinistrâ baculum lotiferum tenet, velato vertice, & tutulo ei imposito spectabilis. Sedet, quia dominium habet in omnia Boreæ Regioni subiecta; & quia ibi Sol ad tropicum Boreum fixos & stabiles conuersionis suæ terminos habet; sedi variegatæ insidet, quia motus Solis ad Boream regionē compositione illa ex consono dissonis, vmbroso-lucidis totius harmoniā causatur, totiusq; corruptionis & generationis, sine quibus Mundus subsistere non potest, originem notat. Cruces bifurcatæ, quibus vestis eius insignitur, Numen indicat supernis influxibus fœtum, quorum vires ex supramundano fonte, veluti ex vbere refertissimo in inferiora deriuantur. Crux ansata, apotropæi Numinis symbolum, maximam in Typhonijs potestatibus aduersis, in Borea regione Mundi stabulantibus, profligandis virtutem & potentiam enunciat; baculus lotiferus ad archetypi Solis exemplar omnia peragi signat; vnde humidæ substantiæ crater vitalibus influxibus fœtus, qui per tutulum crateri insistentem indicantur, omne Boreæ plagæ bonum adfert; quæ omnia sanè graphicè his verbis describit Orpheus:

Apotropæum Numen Borealis Regio Mundi.

Orpheus.

Σκηπτοῦχε κλείνοιο πόλου πολυώνυμε σεμνὴ
Ἣ κατέχεις κόσμου μέσον θρόνον ὃς δ' ἀπὸ ἄρκτου.
Ἐννεάδος σήμαντρα ἔχεις.

Qui poli incliti sceptra tenes, multis nominibus veneranda,
Quæ Mundi medium thronum tenes in Borea,
Enneados signacula tenes.

Quid verò per Enneados sigillum indicent, audiamus. Dicit Hecatæus, vt est apud Clementem Alexandrinum, nouenario Boream plagam indicatam

Enneados sigillum. Clemens Alex.

Nouenarius numerus Boream significat apud Ægyptios.

tam fuisse ab Ægyptijs, eò quòd hic numerus proximus sit denario numero, quo bonorum omnium complementum notatur: hanc enim plagam Sole peragrante dies crescunt, decrescunt noctes, vnde copiosissima messis, fructuumque abundantia prouenit, incrementum Nili incipit, illudque vnà bonorum omnium vbertas sequitur. Finguntitaque, Pandochen huius plagæ Genium nouem signacula habere, quibus ad bonorum omnium vbertatem portæ aperiuntur; nouem verò dicta signacula per symbola, quibus O figura Pandoches insignitur, notantur. Primum signaculum est sedes, dierum noctiumque vicissitudinis signum; secundum, sedi insertus vegetabilis naturæ fasciculus; tertium, influxuum plenitudo, qui per Cruces bisulcas notantur; quartum Crux ansata, seu Tauticus character, contra Typhonias potestates amuletum efficacissimum est; quintũ, sceptrum lotiferum, ad Solis archetypi exemplar operandi symbolum; sextum, craterem Mundanum, cui præest, notat; septimum per Aspides, vitalium seminariorum penetralia innuit; octauum, per Crucem bisulcam, Agathodæmonis Solaris adyta; nonum per pennas, intellectualium virtutum claustra signat. Quæ omnia suprà memoratus Psellus confirmat his verbis: Ἡ δύναμις πανδεχὴς τῦ ἄρκτυ κυρειδύει, ἐννέα σήμαντεροις σεβάςος. Quæ quidem pulchrè consonant symbolis scabello pedis, cui thronus innititur, insculptis; vbi vides hoc signum IIIII⊕, quo, vti in Arithmetica ostendimus, nouenarium numerum Ægyptij exprimebant, ex quinque vnitatibus & quadrifido circulo constitutum, quinque verò ad quatuor iuncta nouem constituunt; quod quidem symbolum nouies in dicto sedis limbo inferiori expressum, ad nouem signacula indicanda tacitè alludit.

Pandoches Boreæ plagæ Genius, eiusq; nouem signacula.

Asseclæ Pandoches.

Sed progrediamur ad asseclas Pandoches, quorum ξ, qui à dextris est, apotropæum Numen, cuius index Crux ansata est, notat, quod actiones ex Ideali Mundo per πτεροκυκλόμορφον symbolum, quod capiti imminet, indicato suscipiens, varietatem rerum, per Cucuphæ baculum signatam, quam Pandoches producit, contra Typhonias tempestates defendendam suscipit. Assecla verò Σ à sinistris Pandochi astans, dextrâ Coturnicem gestat, tutulo in calathi formam concinnato, cui cucurbita cum capreolo insistit. Per Ortygometram siue Coturnicem infausta Typhonis machinamenta significantur; habet enim huiusmodi animal nescio quam antipathiam cum Sole & Luna, vti Horus l. 2. c. 49 ostendit, & Hecatæus his verbis notat. Τὶ ἀναξιώτερον τῦ κικκαβὴ τῦ ὀρτυγομήτρας κραυγῦ ᾧ καταφρονεῖν δοκεῖ ταύτης τῇ φώνῃ τῆς Θεῶν μεγαλότητος. *Quid indignius* κικκαβὴ *voce coturnicis, quâ Deorum magnitudinem quadantenus spernere & ridere videtur?* Vnde non sine ratione in Typhonij fastus symbolum eam assumpserunt. Simulachrum itaque Σ Pandochi Numini triadis Boreæ patri, Ortygometram porrigit; quo quidem occultè summa illa, quam in Typhonijs potestatibus aduersis in Borea regione stabulantibus, continuâ assistentiâ profligandis adhibet, cura, & sollicitudo notatur, quâ iuxta Idealis influxus triformis Numinis per figuram α, ὀφι-κυκλο-πτερόμορφον indicati, normam vnà operantur, Σ Potentia, ξ Mens, & O Pater seu Mater triadis; quod

Coturnicis antipathia cũ Sole & Luna.

& aptè

& aptè indicatur per ξ baculum ἀμφίσκηπτον, id eſt, qui vtrinq; in ſceptrum tùm verſus O, tùm verſus ξ porrectum deſinat, dominij vtrinque communis ſymbolum.

Trias Thauſtica Auſtri domina.

Trias Thauſtica Auſtri domina.

PRocedamus ad vltimam huius regionis triadem, quæ literis T, φ, χ, notatur, & denotat Geniorum ſeu Intelligentiarum Meridionalium præſidium & ſtationem, Triadi Boreæ contrapoſitam; cuius Patrem ſimulachrum φ, Mentem T, Potentiam χ notat. Pater huius Triadis, quemadmodum in Borea triade figura O, ſedi vniformi teſſalatæ inſidet, ſub figura ἱερακομόρφῳ mitra ſeu cidari ſpectabilis, læuâ thyrſum tenet papyraceum, dextrâ aliquid iubere videtur Mentem ſuam. Sedet, quia dominium obtinet abſolutum in Meridionalem plagam, & etiam, quia in hac plagâ ad tropicum Auſtri fixos ſtabileſque ſuæ dominationis terminos tenet. ἱερακόμορφος pingitur, quo Nûmen illud Solare omnia moderari tacitè inſinuabant; eſt enim Accipitrina figura transformatum ſimulachrum, vti in Hierogrammatiſmo Accipitris Obeliſci Pamphilij fusè probatum eſt, nihil alliud quàm Intelligentia Solaris, ſpiritu, luce, & vita abundans; vnde eum, teſte Horo, Ægyptij Baieth & Thauſtum vocabant; per ⲃⲁⲓⲉⲑ compoſitam vocem; quorum ⲃⲁⲓ vitam, ⲉⲑ verò cor notat, tacitè innuebant, quòd ſicuti anima vitæ fons ſedem in corde potiſſimùm tenet, ita anima Mundi ſeu Thauſtus hic præſens in Sole, corde megacoſmi reſideret; Hori verba ſunt, l. 1. c. 7. Καλεῖται γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις ὁ ἱέραξ βαιήθ, τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα διαιρεθὲν ψυχὴν σημαίνει, καὶ καρδίαν· ἔστι γὰρ τὸ μὲν βάι ψυχή, τὸ δὲ ἤθ, καρδία. ἡ δὲ καρδία κατ' Αἰγυπτίους ψυχῆς περίβολος. ὥς δὲ σημαίνειν τὴν σύνθεσιν τοῦ ὀνόματος, ψυχὴν ἐγκάρδιαν. *Siquidem Ægyptijs Accipiter Baieth dicitur, quod nomen diuiſum animam & cor ſignificat; Bai enim anima eſt, & eth cor; cor autem ex Ægyptiorum ſententia animæ ambitus eſt.* & l. 1. c. 6. *Deum ſignificaturi Accipitrem pingunt, tùm quòd fœcundum ſit & diuturnæ vitæ hoc animal, tùm etiam quòd Solis præter cæteras volucres ſimulachrum eſſe videatur, vtpote peculiari quadam atque occultâ naturæ vi, intentiſſimis in eius radios oculis proſpiciens; inde etiam fit vt Solem interdum tanquam viſus tutorem ac dominum Accipitris forma pingant.* Reliqua teſtimonia ex omnigena eruditione citata vide in Obeliſco Pamphilio fol. 308 & ſequentibus. Papyraceum thyrſum manu ſiniſtrâ tenet, ad rerum omnium neceſſariarum, quam præſtat, vbertatem ſignificandam; cidaris capiti imminens circellorum multitudine inſignita, oſtendit eius in omnes Mundos dominium; & per cucurbitam eidem in formam calathi concinnatæ impoſitam, in humidum, vt alibi amplè demonſtratum fuit, indicat actionem. Septenarius numerus ei dedicabatur olim, teſte Manetho; quia vti in Arithmetica hieroglyphica docuimus, ſeptenarius Soli conſecrabatur; quia Sol totum Vniuerſum, cuius ſymbolum eſt, moderari puta-

Pater huius Triadis.

Accipitrinum ſimulachrum eſt Intelligentia Solaris.

Horus. Baieth & Thauſtus.

Accipiter Solem ſignificat apud Ægyptios.

Septenarius numerus Soli conſecratus.

putabatur; atque ideo in basis abaco hic numerus septenarius, hoc hieroglyphico Schemate III⊕III (vid. quadrifidum per circulum & tres vnitates vtrinque appositas, quæ simul 7 conficiunt) septies replicato, ad septem Entium ordines, in quos dominium suum exercet, indicandos, incisus spectatur; de quibus ita in suo Zohar, Iochaides;

Iochaides.

בשבע האותיות חקק רוח עליון את עולם וחצב וצרף
ויצר בו ז׳ כוכבים וימים בשנה ושערים בנפש ומהן
חקק שבעה רקיעים ושבע ארמות ושבע שבתות לפיכך
חבב שביעי תחת כל השמים׃

In septem notis exarauit Mens suprema Mundum, & exsculpsit, & combinauit, formauitque in eis septem stellas in Mundo, & septem dies in anno, septem portas in anima, & ex ijs exsculpsit septem expansa, septem terras, septem sabbata, ideo dilexit septimum sub omnibus Cælis. Asseclas habet T & χ. T fœmineo habitu & nebride indutus, dextrâ vas Niloticū, sinistrâ pennam Thausto monstrat. Per vas humor Niloticus, per pennam Accipitrinam Osiridis, virtus calefactiua Solis ad generationem rerum necessaria indicatur. Craterem in capite gestat, cui superponitur statua Hecates portam in capite gestantis, quam ambiunt & loti flores, & spicæ. Per portam, indicatur magnum Pantamorphæ naturæ ostium, per quod in Hecatem, omnes influxuum supernorum rationes deriuantur, & hinc in Isidem, subterraneam, quam T figura exhibet. Est autem Hecates siue Isis subterranea idem hoc loco, quod Græcis περσεφόνη seu Proserpina, florum, fructuum, & totius vegetabilis naturæ domina; quæ aptè sanè signantur per craterem, & flores, spicasque 12, quas capite, caput Hecates circumdantes, gestat; quod non caret mysterio; per hoc enim notatur crateris Nilotici meridionalis vbertas, qui influxu superno ditatus, ex duodecim mensibus anni nullum infœcundum esse patitur, quin singulis per Isidem subterraneam Thausti vi grauidatam, aliquid in hominum emolumentum cedens producat; hanc affabrè sanè describit Orpheus in hymnis suis;

Asseclæ Thausti.
Mens Thausti.
Hecates seu Isis subterranea.
Orpheus.

Πλουτοδότειρα Θεὰ σαχυότροφε, παντοδότειρα,
Σπερμεία, σωρεῖτι, ἀλλοσύνα χλοόκαρπε.
Ἧς πολλαὶ μορφαὶ πολυάνθεμοι ἱεροθαλλεῖς.

Diuitiarum Dea datrix, spicarum nutrix, omnium largitrix,
Seminatrix, accumulans, præfecta arcis, germinare faciens fructum.
Cuius formæ multæ floribus abundantes sanctè virescentes.

Potentia Thausti.

Altera Triadis figura, signata literâ χ, potentia Thausti dicta, fœmineo pariter habitu spectabilis, vestimento ex Accipitrinis alis confecto inuoluta, manu dextrâ sceptrum lotiferum, sinistrâ Tauticum characterem portat; capiti ejus imminet auis Numidica guttata, quam Gallinam Pharaonis vocant; supra eius dorsum crater, ex quo emergunt duo

cor-

cornua bouis cum intermedia stella Sothios; quæ omnia quid sibi velint, exponamus.

Figura χ fœmineo habitu Isidem Niloticam refert; Accipitrinis alis inuoluta spectatur, quia Osiridis seu Thausti influxibus subdita, Plutarcho teste, continuò imbuitur; apotropæum Numen esse, character Tauticus, quem sinistrâ gestat, luculenter, vt iam sæpius inculcatum est, monstrat; aue Numidicâ seu Meleagride caput tegitur, quia astralium influxuum, siue stellati cœli, ob innumerabiles maculas quas corpore suo gerit, hieroglyphicum est, vt alibi probatum fuit: auis dorso impositum craterem continet, cui insistunt duo bouina cornua cum intermedia stella Sothios; per stellam, vt dixi, Sothis seu Ægyptiacè ⲥⲓⲱⲑⲓⲥ caniculare sidus intelligitur, quod Isidi Niloticæ ita attributum legimus, vt teste Horo, Isin significaturi Ἀστροκύονα pingerent; quin & ipsa apud Diodorum de se ait, Ἐγώ εἰμι ἐν τῷ τοῦ κυνὸς ἄστρῳ λάμπουσα. *Ego in astro Canis refulgens*. Inter Apidis bouina cornua ponitur, vt signaretur, Solis cum astrocyone, id est, Iside coniunctio, quâ incrementum Nili totius felicitatis complementum fit; quod aptè quoque exponitur per figuram Y Scarabæum expansis alis continentem Sothin, id est, caninum astrum, & per Ibin C cum vase Nilotico, ex quo Seriphium seu Absinthium marinum emergit, pariter incrementi Nili indicem, indigitatur; hac enim, Theophrasto teste, florente, Nilus exundare solet, cum astro Canino nescio quam sympathiam agens; & ideo, vt apud Eusebium legitur, Isidi, eò quòd aquas inuehat, Sirium attribuunt. Ibis autem est Nilotici Agathodæmonis nota, ex cuius naturali habitudine, magnum quoddam sibi promittunt de vitali influxu, per appositum globum Serpente fœtum, indicatum. Verùm de Sothi, Scarabæo, & Ibi fusè passim in hoc Opere, & Obelisco Pamphilio tractatum vide; sunt enim Idealia quædam rerum agendarum supremi Numinis in hanc Meridionalem Geniorum triadem influentis schemata. Cur verò hisce symbolis triadem hanc expresserint, exponendum est. Notandum itaque Meridionalem plagam ab Ægyptijs in summa semper veneratione habitam; quam nunc vrnam lucis, nunc Mundi craterem effluxumque, teste Plutarcho, vocabant. Est autem Ægyptus in Australibus partibus collocata, per cuius medium Nilus, quod Dei donum, & Osiridis effluxum dicunt, rectà ex Austro in Boream profluit: & Boream quidem dextram Mundi partem, Austrum verò sinistram vocant, quòd sicuti cor in homine sinistrum, ita fons vitæ Nilus in læua Mundi parte collocatur; & ficulneo folio quoque exhibebant, cuius & fructus cordis, folium verò phalli similitudinem exprimit, quâ vitalium affluxuum fœcunditatem in Nilo expressam innuebant. Sed audiamus verba Plutarchi. *Putant enim, Xenophonte teste, Ægyptij, ex qua Sol oritur parte, Mundi faciem esse; quâ spirat Boreas, dextram; quâ Nilus, sinistram; vnde non inconuenienter dicunt Ægyptij de Nilo, eum ortum à læua, in dextra perire: Nilus enim ab Austro profluens, læua Mundi parte, in Boreali tractu se mari miscens absorbetur. Osiridem autem, quem & Nilum dicebant, nigro colore fuisse tradunt, quòd id sit aquæ ingenium, vt terram, vestes, nebulas,* cætera-

Isis Nilotica.
Plutarchus.
Auis Numidica australis influxuum symbolum.
Sothis Isidi tribuitur.
Horus.
Theophrastus
Eusebius.
Meridionalis plaga ab Ægyptijs in veneratione habita.
Plutarchus.
Ægyptij vocant Boream dextram, Austrum sinistrâ Mundi.
Plutarchus.
Osiris nigri coloris.

cæteraque quibus miſcetur, denigret; vel ob colorem atrum, quo imbutum videtur humidorum elementum; atque eandem ob cauſam & Bos Neuis nigro imbuebatur colore: ſed & ipſam Ægyptum ob terræ pinguedinem μελάγγειον, id eſt, vas nigrum χημίαν appellabant; quamuis alij cor quoque eo ſignificent; eſt enim Aegyptus calida & humida, atque in Auſtralibus Mundi partibus collocata, quæ læuam Mundi partem ſuprà diximus, non ſecùs ac cor calidum & humidum in homine læuam adeptum eſt. Hinc *Oſirin ſeu Dionyſium Mundorum dominum appellantes, nebrides ſibi inijcientes, thyrſoſque arripientes in Orgyaſmis quaſi Deo afflati, vtebantur. Teſtatur autem Eudoxus, Aegyptios non ſolum Nilum, ſed quidquid humidum eſt, Oſiridis effluxum putare; quod ſignificare volunt, aquâ vaſe pleno, & ſacro die pro foribus poſito, humidum verò principium Thrio folio ficulneo, quod & ſignaturam habet ſeu ſimilitudinem membri genitalis, propinationem ſeu humoris ſignificat inuentionem; notabant etiam hoc Regem, Auſtralemque plagam; vnde & phallophoria originem traxerunt.* Hæc Plutarchus; in quibus quæcunque de huius triadis Auſtralibus myſterijs expoſuimus, aptè conſpiciuntur. Vides hic nebride indutam figuram T, Dionyſij humidorum antiſtitis ſignum; vides thyrſum in manu Thauſti ἱερακομόρφου; vides nigris velaminibus tecta Numina ad verba Plutarchi alludentia; nam vt rectè Anticlides in hymno Solis cantat.

Ægyptus μελάγγειον dicitur.

Oſiridis effluxum omne humidum dicebant Ægyptij.

Ἥλιος δὲ Νότοιο ἄναξ, ἱέραξ πολύμορφε.
Sol Auſtri dominator, Accipiter multiformis.

Thauſtus cur Accipitriformis.

Quia enim in Auſtro vis lucis & vitæ dominator, & inde affluxus Oſiridis bonorum omnium complementum adfert; meritò ſanè Accipitris forma Thauſtus transformatus ſpectatur; gaudet enim Accipiter locis Meridiei ſubiectis, & ſub Meridiem, cùm Sol altiſſimus eſt, is ſumma pariter, Æliano teſte, aëris veſtigia petere ſolet; hinc Thauſtus in ſedis antico latere oblongũ cyathum inſculptum tenet, qui inferiùs in formam cordis, & phalli ſpeciem tendit; cuiuſmodi figuram ex Plutarcho Thrio ſiue folium ficulneum eſſe docuimus; humor enim Nilotici cyathi in corde Ægypti conditus, rerum omnium vbertatem, quam flores & germina, quæ cyathum ambiunt, rectè ſignificant, promittit.

Aelianus.

Atque hæc ſunt, quæ de tribus principalibus Menſæ Iſiacæ regionibus dicenda exiſtimaui; in quo minutorum hieroglyphicorum interpretationem ſtudio & conſultò omiſimus ob rationes paulò poſt aperiendas. Nihil porrò reſtat, niſi vt ambitus quoque ſeu limbi ſchemata pari auſu exponamus.

DIVISIO VII.

Limbi seu Ambitus Tabulæ Isiacæ interpretatio.

Limborum Isiacæ tab: interpretatio.

Limbus exterior literis A B C D inclusus, omnia iam explicatarũ trium Genialium regionum Systemata continet; in quo hieroglyphica varijs animantium, hominum, quadrupedum, volucrium, insectorum, plantarum, fontium figuris partim integris, partim mirâ quâdam metamorphosi transmutatis, vt paulò post videbitur, exhibentur; & nihil aliud indicat nisi Mundum Idealem siue Archetypum, omnigenis Idearum formis refertum; quas Ægyptij Iynges appellant; de quibus antequam ad ipsam explicationem progrediamur, paulò profundiùs præludere visum est.

Limbus exterior ABCD.

Notandum itaq; primò, Ideas nihil aliud iuxta mentem Veterum, quàm quædam in Mente suprema rerum faciendarum exemplaria esse; vel aliter sic definimus; Idea est exemplar æternum rerum naturâ producibilium in diuina Mente collocatum, per quod cuncta à primo Opifice prodeuntia ei offeruntur, & producuntur ad extra. De quibus cùm copiosè in Theologia hieroglyphica, & in VI. Classe de Systematica Mundorum, & potissimùm de Mundo Ideali dictum sit, hîc ea repetere superuacaneum esse ratus sum; quare hoc loco tantùm, quantum proposito nostro sufficit, nonnulla dictis in locis omissa ad maiorem rerum explicandarum notitiam adducere visum est. Ægyptij itaque primi mortalium Ideas asseruerunt, quos secuti sunt Orpheus, Pythagoras, & tandem Plato, qui maximam Academico cœtui dederunt disceptandi materiam; primò enim ordinem & dispositionem Vniuersi contemplantes, fieri non posse credebant, quin à Mente quadam suprema & infinita tam mirifica Mundi machina processisset. Mundi itaque Opificem, imitatum æternum exemplar, quod in Mente Opifice existebat, Mundum condidisse colligebant; insuper Mundum sensibilem cùm viderent omnia continentem, ad vnius necessariò similitudinem creatum sentiebant; id autem vnum, ad quod omnia referuntur, & quod omnia in se continet, Mundum Idealem dicebant in prima Mente refulgentem. Cùm verò ideæ in Mente diuina nequaquam considerari possint, vt accidentia in subiecto, vel vt forma in alia forma, quæ verè intelligibile esse dicitur; ideo in Mente, cuius proprium est intelligere, reperitur. Atque vt in Mente suprema sunt, imparticipatæ, in alijs mentibus participatæ dicuntur; nam participantur ab anima, sine qua huiusmodi mentes non reperiuntur: insuper in prima Mente solùm pendent à Deo, in sequentibus verò pendent à prima Mente, & ab Ideis in ea existentibus: demum in prima Mente Ideæ minùs inter se distinctæ sunt, in alijs magis magisque, prout à prima Mente longiùs recedunt, distinguuntur. Putabant autem Ideas à prima Mente in alias, vt à Sole radios in alias stellas diffundi, & vt à Sole per radios effunditur vis illustrandi, calefaciendi,

Ideæ quid sint iuxta Veteres.

Idearum assertores primi, Ægyptij.

Ideæ rerum omnium in mente Dei ex Antiquorum mente.

Ideæ imparticipatæ in Mẽte diuina, participatæ in alijs Mentibus.

di, cœteraque gignendi, quæ à Sole per lumen fieri dicuntur; ita à non participata Mente per Ideas diffundi putabant vim & facultatem in aliarum mentium Ideas similia producendi. Et cùm in singulis mentibus insint Ideæ omnes, in singulis etiam reperietur Mundus Intelligibilis, ita vt tot intelligibiles Mundi ex Ideis consurgant, quot mentes existunt. Sciendum autem & hoc loco, Ideam propriè sumptam extra Mentis terminos non ampliùs locum habere, sed dum à Mente descendimus ad animam, Ideæ in rationes mutantur; anima tamen mentis reddita compos ad Ideas consurgit, iisque connectitur; sub anima collocari putabant naturam, & quia natura pendet ab anima, ideo in natura reperiuntur vestigia rationum, quæ semina nuncupantur, per quæ proximè gignuntur corporea materiam includentia, in qua demùm materia ea, quæ ex seminibus generantur, Ideisque proportione respondent, nuncupantur imitationes, participationes, proximi materiæ termini, ac demum vmbræ Idearum; de quibus vide Platonem in Timæo & Parmenide, cœterosque Platonicæ doctrinæ sectatores, Plotinum, Arnobium, Numenium, Proclum, & in Theologia Platonica Marsilium Ficinum, cœterosq; innumeros, qui hanc doctrinam fusè prosequuntur. Quæ omnia ab Ægyptijs promanasse, ex sequentibus patebit. Has Iynges vocabant, quas nunc supremæ Mentis rationes, nunc Paterni fundi ectypa dicebant, modò mundialium Classium catenarumque signacula nuncupabant; alij quoque Sphynges vocant: ita Clemens Alexandr. l. 6. strom. *Sphynges in sacris ponunt, ad indicandum sermonem de Deo, natura, similibusque esse obscurum & ænigmaticum.* Has enim imagines polymorphas in crepidinibus seu coronidibus delubrorum, adytorumque parastatis, Herodoto teste, insculpebant; & Aristotele teste, vti paulò post allegabitur, veluti ideales conceptus ob oculos ponebant Sapientum; vt in adytis sacris operam dantes & θεόληπτοι, non iam humani discursûs, sed mentium ab omni materia abstractarum modo, suprema Mundi entia contemplarentur. Sed ad Iynges reuertamur. Describit eas hisce verbis Zoroaster apud Proclum in Theologia, & 3. comment: in Parmenidem: *Mens Paterna producit intelligens summo consilio omniformes Ideas; hæ verò fonte ab vno euolantes exilierunt; à Patre enim erat consilium finisque, sed sunt diuisæ, intellectuali igne partitæ in alias intellectuales; Mundo namque multiformi Rex præposuit intellectualem typum incorruptum, cuius ad ornatum vestigium induxit formæ, per quæ Mundus apparuit, omnifariam Ideis gratiosus; quorum vnus fons, ex quo prodeunt diuersæ aliæ sine latitudine fluentes per Mundi corpora, quæ circa sinus ingentes examinibus similes feruntur mutatæ, circaque aliunde alia, conceptus intellectuales fonte à Paterno multùm decerpentes ignis florem informis temporis, summitas principigeniæ Ideæ prima à Patre scaturijt, huius per se florens fons.* Quæ Proclus in hunc sensum explicat: *Per hæc declarauerunt Veteres Mystæ, vbi sit Idearum hypostasis, & quis sit Deus, qui fontem ipsarum vnum illum contineat, & quomodo ex hoc fonte prodijt multitudo, & quomodo Mundus factus est secundùm eas, & quòd omnium motrices sint Mundanorum Systematum, & quòd omnes sint intellectuales per essentiam, & quòd per*

Idea extra Mentis termi nos non reperitur.

Plato. Plotinus. Arnobius: Proclus. Numenius.

Iynges, & Sphynges vocabant Ægyptij Ideas.

Clemens Alex:

Sphynges in delubrorum & adytorum crepidinibus. *Herodotus. Aristoteles.*

Sphyngium descriptio ex Proclo.

Proclus.

per proprietates sint omnifariam. Intellectuales has causas Ideas dixerunt, & ipsum typum Mundo dedisse, & eas esse conceptus Patris; manent enim in intellectionibus Patris, & prodeunt ad Mundi opificium, & quia omnium factibilium continent causas, omniformes dicuntur; à fontanis verò Ideis aliæ prodierunt, quæ per partes sortitæ sunt Mundi opificium, & dicuntur examinibus apum similes, quia sunt secundorum genitrices. Hinc Zoroaster in Oraculis. *Zoroaster.*

Νοούμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταί,
Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι, ὥστε νοῆσαι.
Πρώτη πατρὸς ἐβλήζαι, τὰς δ' αὐτοθαλὴς πηγή.

Intellectæ Iynges à Patre intelligunt & ipsæ.
Consilijs ineffabilibus motæ vt intelligant.
Primus à Patre scaturijt huius per se florens fons

Sed explicemus singula. Ideas itaque Paterna Mens produxit; nam vt rectè Proclus, dum se Deus animaduertendo seipsum gignit, in se simul generat omnia, intelligens summo consilio omniformes ideas; in prole enim illa Dei, vt Plato loquitur, quam & semen vniuersale Mundi vocat, insunt propria omnia membrorum semina; quæ volendo tanquam bonum diffusiuum sui, quando vult, ad extra producit, cœteris ordine Entibus communicans. Hinc rectè Zoroaster dicit, has ab vno fonte euolantes exilire; sicuti enim Sol in se lucendo illuminat omnia, sic suprema Mentium Mens intelligendo, atque volendo seipsam, & scit, & efficit omnia. Quæ quidem vti in Deo essentialiter vnitæ sunt, ita ad extra productæ, diuisæ, vt Zoroaster loquitur, intellectuali igne in alias intellectuales Mentium ordines transfusæ; vt quod in Mente suprema esset vnum & vnitate multiplex, id in Mundo iuxta ineffabilem diuinæ dispositionis ordinem esset omniforme, & secundùm formales quasdam rationes distinctum, atque adeo omnia extra Mentem supremam incorruptis diuini conceptus signaculis, iuxta quæ inuiolabili lege operarentur, insignirentur; sic enim Mundus in sua pulchritudine & decoris ordine conseruatus, omnigenis Ideis gratiosus apparet: nam quemadmodum ex fonte varij riui, qui tamen à fonte essentialiter dependent, deducuntur; ita ex vberrimo & infinito diuinæ Mentis fonte & pelago, innumerabiles diuinæ bonitatis riui per totius Vniuersi Entia substantiasque deriuantur, vt rectè Zoroaster sensit, quibus Vniuersum vnicè conseruatur, animatur, fœcundatur. *Ideas paterna Mens produxit.* *Plato.* *Deus omniũ rerum fons ex Zoroastro.*

Cur verò Zoroaster eas Iynges seu Ideas examini apum comparet, paucis accipe. Apes regem habent, cuius imperio parent omnes; quæ quidem distributis officijs in hoc vnum omnes incumbunt, vt naturæ opus, id est, mel mirâ industriâ conficiant. Ita in Ideali Mundo Rex supremus Idearum multitudine fœtus, eas in proxima sibi Entia transfundit; hæc Ideis insignita, hoc vnum satagunt, vt imperio regis pareant, & *Iynges seu Ideæ examini apum comparatæ à Zoroastro.*

ad exemplar participatũ omnia in Mundi œconomia rectè administrent, vt Mundus formarum varietate imbutus, eum ornatum, & dispositionis pulchritudinem, quam omnes admiramur, præstet. Iynges enim ineffabilibus consilijs, vt Zoroaster dicit, motæ, dum Patris in se pulchras similitudines contemplantur, eas pariformi diffusione in Mundum Sensibilem, eiusque vniuersa membra deriuant. Has itaque Iynges seu Ideas vt aptè exprimerent Ægyptij, eas varijs occultisque symbolis indigitarunt, vt sapientes contemplationibus assueti, dum eas intuerentur, sine discursu aut consultatione totius abditæ significationis seriem apprehendentes, ad beatarum Mentium exemplar Θεόμορφοι euaderent; quæ pulchrè sanè Plotinus l. 8. c. 5. explicat his verbis: Οὐ τοίνυν δεῖ νομίζειν ἐκεῖ ἀξιώματα ὁρᾷν τοὺς Θεοὺς, οὐδὲ τοὺς ἐκεῖ ὑπερδαίμονας· ἀλλ' ἕκαστα τῶν λεγομένων ἐκεῖ καλὰ ἀγάλματα, οἷα ἐφαντάζετό τις ἐν τῇ σοφοῦ ἀνδρὸς ψυχῇ εἶναι· ἀγάλματα δὲ οὐ γεγραμμένα, ἀλλὰ ὄντα· διὸ καὶ τὰς ἰδέας, ὄντα ἔλεγον εἶναι οἱ παλαιοὶ καὶ οὐσίας. *Nemo igitur existimare debet in Mundo Intelligibili vel Deos ipsos, vel habitatores illic alios plusquàm felices ibi quasdam propositionum regulas contemplari, sed singula quæ illic esse dicuntur, veluti exemplaria quædam & spectacula seu simulachra pulchra intuentibus sese offerre, qualia forsan imaginetur aliquis in animo sapientis viri existere. Dico autem non simulachra depicta, sed existentia; quapropter Ideas antiqui Entia & Essentias appellabant.* Hinc Sacerdotes Ægyptij ad significanda diuina mysteria non vtebantur characterum nobis simili forma, vti suprà fusè probatum est, sed integris herbarum, plantarum, animalium, aut ex his multiplici transformatione compositorum figuris; ad indicandum, quòd supremum Numen archetypum scientiam rerum non habet tanquam excogitationem de re multiplicem, sed tanquam simplicem vnius rei formam. Sed audiamus verba Plotini. *Videntur verò mihi Sapientes Ægyptiorum siue consummatâ quâdam sapientiâ, siue naturali etiam Mentis instinctu, vbi constituerunt sapientiæ mysteria nobis significare, non vsi fuisse figuris literarum, quæ significarent sermonis discursiones, & proprietates quasdam, & quæ imitarentur voces pronunciationesque regularum, sed potiùs describebant imagines rerum singularum, easque depingentes in sacris, clam rei ipsius discursum significabant; quòd videlicet scientia & sapientia quædam sit vnaquæque imago & exemplar, & subiectum illud spectaculum totum vnà collectum, neque sit excogitatio quædam, nec consilium; postea verò ab ipsa imagine exemplari siue sapientia simul tota, simulachrum in alio quodam fiat iam euolutum, atque loquens cum discursu quodam, & causas propter quas res ita instituta sint inueniens, dum videlicet dispositio rerum, quòd adeo benè se habeat, mouet admirationem; hinc ait eum admiraturum sapientiam, qui considerauerit, quomodo ipsa non habens essentiæ suæ causas, propter quas ita se habeat, siue agat, ita tamen se habeat, sicuti se habent ea, quæ secundùm eam efficiuntur; quæ quidem dispositio ex inquisitione vix tandem aut vllo modo manifesta sit, quòd videlicet sic sese res habere oporteat; sed oportet in Mundo Intelligibili ante omnem inquisitionem & argumentationem ita sese habere atque existere.* Plot. l. 8. *Suprà Cœlum corporeum in Cœlo incorporeo sunt duplices Dij, scilicet intelligibiles, atque intellectuales; illi quidem sunt Ideæ, hi verò intellectus omnes æterna Idearum contemplatione beati; intellectus enim*

Iynges seu Ideas Ægyptij varijs symbolis expresserunt.

Plotinus.

Ægyptij cur hieroglyphicis figuris vterentur ad significanda diuina mysteria.

Plotinus.

diui-

diuinus sic in se Ideas deriuat, vt totus conseruetur in singulis, sed sub alia & alia proprietate; nec tam dicendum est, ideas esse in intellectu, quàm intellectum ipsum ipsas ideas existere, omniformem videlicet ex vniformi seipso mirabiliter, vt Hermes loquitur, prodeuntem. Et sicuti in intelligibili Mundo omnia intellectus sunt, ita in cœlesti Mundo intellectuali, omnia sunt cœlum: illic terra cœlum est, illic mare, animalia, plantæ, homines, cælum sunt, quicquid denique est illius cœli, cœleste est; quilibet Deorum, illic est omne; illic quodlibet est Vniuersum; quodlibet enim ibi magnum est, cùm & paruum ibi sit magnum; ibi Sol, stellæque omnes, vnaque stella Sol est, & stellæ similiter omnes. Miratus est huiusmodi Ægyptiorum doctrinam ipse Aristoteles, qui in Theologia sua mystica ad mentem Ægyptiorum disserens l. 14. c. 14. inter alia hæc habet: *Inter entia superni Mundi nullum est substantialiter nobilius altero, sed omnia sunt illic secundùm formam optimam; sicuti formæ inexistentes animo architecti effectrices sunt pares, & differunt ab effectis, id est, figuris parieti insculptis; ideo in huiusmodi formas supernas prisci exemplaria, qualia Plato narrauit esse substantias essentiasque inferiorum, Sapientesque Babylonij & Ægyptij acumine mentis introspexerunt, intellectuales Mundi species complexi, scientia aliunde tradita, vel ex se ipsis inuenta, quam & professione sibi ipsis vendicarunt; siquidem enarraturi aliquid, vtebantur doctrinâ intellectuali, non discursiuâ ad morem hominum, vti nonnulli alij, qui consulentes eos adhuc non sibi visi satis firmiter discere ex sententijs locutione redditis, conceptus animorum acceptos scribebant,* (vt oculatâ fide legimus) *in lapides per figuras, idem in omnibus artibus scientijsque facientes, quas locabant in templis tanquam paginas perlegendas, talesque aderant primò libri eis vtensiles; quod fecerunt, vt indicarent, quòd intellectus agens immaterialis creauit omnia secundùm propriam essentiæ cuiuslibet rationem similitudinemque; quale optimum fuit pulcherrimumque documentum, per quod vtinam etiam indicarent, quâ ratione formas illas mirandas & absconditas attigerint; sic enim illorum sacramentum & laude dignius, qualis conditio paucis viris contigit.* Quæ sanè verba ita Plotini suprà allegatis congruunt, vt Plotinus ex Aristotele ea descripsisse videatur; quibus quidem vterque ad abdita hieroglyphicorum significata alludit: nam vt rectè Iamblichus: *Imitantes Ægyptij ipsam Vniuersi naturam, fabricamque Deorum, ipsi quoque mysticarum reconditarumque actionum imagines quasdam in symbolis conficiendis ostendunt, quemadmodum & natura rationes occultas in apparentibus formis quasi symbolis exprimit, & Dij veritatem idearum per manifestas imagines explicant. Cùm ergo perspiciunt, superiora omnia inferiorum similitudine delectari, atque insuper optent à Superioribus bonitate repleri, quatenus pro viribus offerunt, quando occulta mysteria symbolis inserunt manifestis, in quibus interpretandis dimitte voces, accipe sensus.* Figuræ itaque hieroglyphicæ nihil aliud sunt, quàm externæ quædam formæ notionum diuinarum, rationumque idealium veluti signa quædam; non secùs ac formæ rerum naturalium sensibiles, quæ in lapidibus, herbis, plantis, animalibus, stellis sese exerunt, intrinsecè signant abditarum virium proprietatumq; admirandarum rationes, quæ nihil aliud, quàm diuinæ mentis rationes ideales, & vt S. Dionysius ait, quædam diuinarum virtutum specula sunt, quorum con-

In cœlesti Mundo intellectuali omnia sunt Cœlum.

Aristotelis doctrina de Ideis secundùm Ægyptios.

Hieroglyphicis figuris cur vsi Ægyptij ex Aristotele.

Iamblichus.

Hieroglyphicæ figuræ quid sint.

S. Dionysius.

contemplatione mens in abdita intelligibilis Mundi arcana exsurgit.
Hermes. Nam vt rectè Hermes in Pimandro: *Ne præcipuum Dei nomen tibi desit, neque ignores id, quod plurimis occultum videtur, esse perspicuum; nam si nusquam pateat, vtique nihil erit; quodcunque se aspectui offert, genitum est; quod verò latet, sempiternum existit; neque enim hoc opus est, vt appareat, cùm esse nunquam desinat; ante oculos quidem id reliqua ponit, ipsum verò secretum manet, vtpote quod vita sempiterna fruatur; in lucem plenam educit omnia, in adytis delitescit, phantasiæ tamen exprimit singula; etenim phantasia solùm circa ea, quæ genita sunt, versatur, in qua præter generationem omninò nihil existit; etiam cùm id ingenitum phantasiæ incomprehensibile; cùm verò per ipsum omnia clarescant, per omnia sursum atque in omnibus fulget, ijsque præsertim apparet, quibus notitiam sui communicare voluit.* Quid nomen Dei, nisi vis cum essentia Dei identificata in vniuersi Mundi membra diffusa? & vt Suidas ait, ambulans per Vniuersum? de quo in Cabala fusiùs, vbi quicquid de diuinis Nominibus, de decem Sephiroth, probatum est, ad ideas diuinas respicit. Verùm, vt dixi, de his Cabalam consule, vbi omnia fusè pertractata reperies. Cùm itaque, vti Aristoteles ait l. 14. c. 15. Theologiæ suæ mysticæ, Ægyptiorum de supernis rebus sapientia sit admiranda; tempus iam locusque postulant, vt quid per figuras illas polymorphas in limbo tabulæ expressas significauerint, exponamus.

Expositio Limbi tabulæ Isiacæ.

Porphyrius. ANtequam interpretationem nostram auspicemur, priùs hoc loco adducere visum fuit locum Porphyrij lib. 4. de Abstinentia, vbi paucis verbis, totius expositionis nostræ summam attingere videtur; sic autem inquit: *Ab hac itaque exercitatione, & cum Deo coniunctione, perfectè nouerunt Ægyptij, non per hominem solùm diuinitatem transiuisse, neque animam in solo homine in terra habitaculum obtinuisse, sed etiam propemodum per omnia animalia pertransire; vnde etiam ad Deorum fabricam, omne animal vnà cum homine assumpserunt, in qua & brutorum, & hominis, & auium, item & hominis corpora commiscuerunt; singula enim apud eos simulachra vel vsque ad collum humanam speciem præferunt, caput verò vel auis, vel leonis, vel alterius alicuius animalis corpus exhibet; quibus videlicet significant, hæc ex Deorum sententia habere inter se societatem; atque adeo cognata tam mansueta, quam agrestia animalia, non sine diuina quadam voluntate esse;* Φανερὸν γὰρ ἐστὶ τοὺς Αἰγυπτίους ἱερομάντας πάντα σημαίνειν τὰ τῶν ἱερῶν ἄρρητα αἰνίττειν· ὅτι ἐκ τῶν ποικίλων εἰς ἕνα συσαμμένων, καθὼς περὶ τὸ χρῆμα ἀνθρώπινον τοῦ ἱέρακος, εἴτε τοῦ ἴβιδος κεφαλῶν, καὶ ὅμοια κατίλειβον. *Manifestum enim est, Ægyptios Hieromantas omnia sacrorum arcana significare ex varijs in vnum constitutis rebus, veluti ad hominis formam, capita Accipitris, aut Ibidis, aut similibus assumptis.* In omnibus enim ijs rebus, in quibus diuina ratio circa manifestum quendam effectum elucebat, illam eandem ad diuinæ notionis intellectusque ideam signandam assumebant; atque hoc pacto per vniuersas mundialium classium semitas peruagati, eas quærebant idealium catenarum rationes, quibus videlicet diuina Mens

Ægyptij ad Deorum fabricam omne animal vnà cum homine assumpserunt

omnia

Omnia in quadruplici Mundorum serie elucescentia, quibusque singulas mysticas rerum catenas, à supremis ad infima vsque Entia Idearum signaculis connecteret, quibus inuentis, vti Deus omnia in omnibus est, ita vniuersi Mundi Entia cum suprema Mente, à qua essentialiter dependerent, idem esse denotabant; quorum quidem notitia pro fine habebat θεομόρφωσιν καὶ θεοληψίας totius humanæ diuinæque felicitatis complementum, vt infrà exponetur.

Superioris Limbi interpretatio.

Limbi superioris Tab. Bemb. interpretatio.

QVemadmodum itaque totius mensæ periochen Limbus ambit, eodem pacto Idealis Mundus totius naturæ systema; diuiditurque in quatuor partes, superiorem, inferiorem, latus dextrum, & latus sinistrum; quas omnes ordine exponemus, à superiori interpretationis nostræ exordium auspicaturi.

Canis sedentis in limbo superiori tab. Bemb. interpretatio.

Signatur limbus superior literis A C, in quo prima figura signatur numero 1. & Canis sedentis cum sistro vasi Nilotico insistente, situm obtinet; à cuius tergore phallus oculatus, & stipatur vtrinque, hinc loti, illinc perseæ folio; quæ quid indicent, paucis accipe. Per florem loti, exemplar in diuina Mente existens indicatur, iuxta quod omnia ad extra producta suas operandi regulas conformant, sumptâ similitudine à loti natura; est enim, Theophrasto teste, flos candidus, lilijs foliorum angustiâ proximus; verè enim hic maioris Nymphææ flos est, qui Sole occidente clauditur, atque sub aqua occultatur, atque oriente supra aquas surgit & foras exit, aperiturque, motum Solis accuratissimè mensurando, vnde & ab Ægyptijs λωτομέτρα, id est, lotus mensuratrix dicitur, de quo vide fusè tractatum in huius Operis tractatu de herbis Ægypti hieroglyphicis. Ex mira itaque huius herbæ proprietate, Ægyptij Sapientes Ideam exhibituri, loti florem pingebant, ad indicandum omnes Ideas, & rerum naturalium formas, ita ad formam formarum, Idearumque Ideam, supremam Mentem, & archetypum Solem, sese habere, sicuti loti flos ad Solem sensibilem; archetypum enim Solem omnia infallibili & ineuitabili lege semper in Mundana republica rectè administranda sequuntur. Flos loti tenuissimo cauliculo innititur, quo indicabant, Idearum rationes ab omni materia abstractas, Soli intellectuali contemplationi insistere. Vbicunque itaque in hac tabula hunc loti florem inueneris (inuenitur autem passim & frequentissimè) hoc eos symbolo alludere ad ea, quæ diximus, nouerit Lector. Porrò ex altera parte perseæ folium reperitur pendulum; quod vt explicetur, notandum, perseam arborem folium, teste Horo, vti varijs locis ostendimus, linguæ, fructum verò cordi similem habere; per cor anagogicè primæ & supremæ Mentis intellectum, per linguam verbum quod producit, indicabant; intellectus verò seu conceptus paternus seipsum concipiendo, producit verbum, in quo omnes Idearum rationes explicantur ad extra; sicuti enim arcana cordis per linguam exprimuntur, ita intellectus per verbum, vt dixi,

Loti flos Solem sequitur.

Theophrastus.

Loti flore Solem sequente Ægyptij quid indicent.

Persea arbor.

dixi, omnes exhibet rerum existentium notiones, quas & in vniuersos Mundi ordines bonitate quâdam communicatiuâ imprimit, vt singuli iuxta communicatas sibi Idearum notiones in Mundi bonum conseruationemque cooperentur: Quia verò Mundum sine fœcunditate sterilescere necesse est, hinc custodem virtutis fœcundatiuæ, quo à Deo imbutus est, ei conseruandæ necessarium adhibuit; hocque exemplar Anubico Geniorum choro, vt secundùm id operarentur, attribuit. Atque totam hanc rationem aptè sanè exhibent per Canis sedentis, & mammis turgidi, cum sistro apposito figuram. Canis Anubin, vt sæpissimè dictum est, signat, phallus verò dorso eius appensus fœcunditatis Osiriacæ custodiam; Canis sedens cum sistro, & phallo dorso eius appenso, notat Anubicam virtutem, Osiriacæ fœcunditatis conseruatricem & propagatricem, communicatam sibi à triformis Numinis supremo intellectu, quæ per globum alatum serpentiferum vnà cum sceptro Serpentibus apposito luculenter patet; de quo cùm vberrimè in Obelisco Pamphilio fol. 398 egerimus, eò Lectorem remittimus. Sed quia istiusmodi symbolum frequentissimè in huius tabulæ limbo occurrit, paucis hoc loco id explicandũ duxi, nè toties idem repetere cogamur. Symbolum κυκλο-οφι-πτερόμορφον, id est, globus hic exhibitus alis & Serpentibus conspicuus, nihil aliud notat, nisi primam Mentem, & supremam omnium causarum causam, à qua veluti à vitarum omnium, omnium Idearum fonte infinito, omnia in omnia sempiterno quodam effluxu deriuantur. Hunc Idealem eius conceptum non incongruè exhibent per circulum, alas, Serpentem: sicuti enim ex centro circuli omnes lineæ ad circumferentiam ducuntur, ita ex circulo hoc, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam, per verbum suum aptè Serpenti comparatum, & spiritum Pantamorphum per alas indicatum, Idealium rationum radij in vniuersam Mundorum naturam diffusi singulas substantias, tam sensibiles, quàm insensibiles, virtutum suarum signaculis notant; hinc enim vniuersa Mundi vita dependet, vt suprà probatum est. Aptè itaque hoc symbolum Ideale diuinæ Mentis singulis simulachris superposuerunt, vt ostenderent, nullum in Mundo ens existere, quod non essentiæ suæ rationes à supremo omnium influxu participasset.

Canis Anubin significat.

Globus alatus cum Serpentibus & sceptro quid significet.

Sed iam ad institutum nostrum. Secunda figura exhibet figuram Accipitris Hori capite insignitam, quâ nihil aliud indicatur nisi Sphynx Horæa (quam & Zoroaster Iyngem dicit) Idea prouidentiæ Mundi sensibilis, Plutarcho teste, & Psellus confirmat his verbis: Ἴυγξ ὅλη ἡ πρόνοια τοῦ κόσμου αἰσθητικοῦ. Quo quidem Ideali signaculo à supremo triformi Numine insignito necessariarum copiam iuxta primi exemplaris præscriptum, concipit; nam vt rectè Zoroaster, Iynges à Patre intellectæ intelligunt, id est, à Patre Idealibus rationibus imbutæ, iuxta earundẽ immutabilẽ legem Vniuerso prouident. Quoniam verò ignea vis Mundo omninò necessaria est; hinc aliud Ideale symbolum huic apposuerunt, signatum numero 3. & Leo est cum globo alato superposito, & loti floribus hinc inde appositis. Quid per loti florem, & globum alatum indicetur, paulò antè exposui-

Accipitris figuræ in limbo superiori tab. Bemb. interpretatio. Plutarchus. Psellus.

Zoroaster. Iynges à Patre intellectæ intelligunt. Leonis in supremo limbo tab. Bem. interpretatio.

posuimus; quid per Leonem, iam explicemus. Leo, vti in Obelisco Pamphilio fol. 284 docuimus, hoc loco notat vim illam archetypi corroboratiuam in potentias terrestres agentem, seu Solis igneam vim, quam & Mophtæam vocant, qua in humidum, illud promouendo, agit, quo terra imprægnata veluti ex diuturna tabe conualescit, & ad fruges ferendas apta redditur & idonea: est enim, Horo teste, Leo animal terreum igneis spiritibus plenum: si enim mundana machina isthoc humido igneo careret, totum perire dissoluique necesse foret: vt itaque ab hoc interitu vindicaretur, Mophtæa Intelligentia, vt signaculo ideali insignita, huic sibi commisso officio inuiolabiliter incumberet, opus fuit; quod & aptè per ramum herbæ, qui Ægyptijs ἀκακία dicitur, exprimitur, cuius folia noctu ad absentiam luminis Solis ita clauduntur, vt spinas veriùs quàm folia referat, interdiu verò mox ad Solis præsentiam lætâ propagine expanduntur; ramus vasi Nilotico insistit, quo indicatur, quòd si igneus spiritus ab humore absit, omnia contabescere necesse sit, eo verò præsente omnia fœcundè luxuriare. Porrò cum Mophtæa Intelligentia non immediatè sed per sub-delegatam sibi Intelligentiam operetur, custodiam executionemque rerum sibi commendatarum tradit Nephtæ, cuius ministerio intra terram ad fœcunditatem disponitur; quæ aptè exhibentur per 4 & 5 figuras; vbi vides florido canistro impositum phallum oculatum, Nephtam verò ingeniculatam cum vase in sinistra, veluti adorabundam fidei suæ commissum fœcunditatis thesaurum suscipere; vt quòd à Mophta sibi concessum, id ipsa bisulcâ flammâ è capite emergente, id est, igneâ mentis vi compleat. Sequitur numero 6 signata figura, Agathodæmon Ophionius, ex Aspidis corpore, & capite Accipitrino, alisque expansis spectabilis; quod lucis, & vitæ, motusque symbolum esse, alibi copiosè probatum est. Quia verò spiritus hic igneus sine humido consistere non potest; hinc aptè bouinum caput ei supposuerunt, quod symbolum Lunæ esse alibi passim dictum est, idque cornua satis manifestant: indicant itaque, spiritum vitæ & lucis non priùs efficaciæ suæ effectum sortiri, nisi vbi Lunari corpori coniunctus fuerit; Luna enim excessiuam lucidorum, igneorumque spirituum potentiam humiditate temperat, vt effectum suum in inferiori Mundo obtinere possint. Vide de hoc symbolo fusiùs tractatum in Obel. Pamph. f. 514.

Horus.

Ramus herbæ ἀκακία.

Figura 4. & 5. Phallus oculatus & Nephta.

Figura 6 Agathodæmon Ophionius.

Figura 7. caput Bouinũ.

Figura 8 numero notata, Rana est aræ insidens, thyrsis papyraceis hinc inde stipata, cum globo quem Serpens circumdat, apposito; quæ quidem symbola indicant materiem infimum formarum receptaculum, imperfectum adhuc, & omni forma priuatum; symbolo à similitudine Niloticæ Ranæ deducta, quam omnium insectorum imperfectissimum dicebant, eò quòd sola Rana inter animantia, in primis ortus sui incunabulis media parte nescio quid terrestre trahat, reliquo animata, & in lutum limumque redigibilis sit. Sed de his vide quæ superiùs de Rana tradidimus. Hinc rectè Ægyptij lutum indigitantes Ranam pinxerunt, ex luto vti genitam, ita & in lutum resolubilem; quæ omnia pulchrè innuisse videtur Iamblichus his verbis: *Quando itaque lutum in sacris nominant,*

Figura 8. Rana aræ insidens.

Lutum indigitantes Ægyptij ranam pingebant. *Iamblichus.*

nant, aut inducunt, hic intellige Mundi corpus atque materiam, genitalemque virtutem huic insertam, & quasi pariter agitatam atque fluentem, aut etiam causam principalem, & quasi loco fundamenti præpositam elementorum elementaliumque virtutem; cùm hoc igitur tale sit, Deus ipse generationis, totiusque naturæ virium omnium, quæ insunt elementis, causa, vtpote qui hæc omnia superemineat immaterialis ipse, indiuisus, immobilis, & ingenitus, totusq; ex seipso, & in seipso totus, hæc omnia perspiciens antecedit, & ducit, in se cuncta complectens.

Globus Serpente circumdatus.

Omnia hæc respicere videtur globus Serpente circumdatus Ranæ superimpositus; suprema siquidem Mens ideali actionis suæ influxu materiam concipiens, eam omnimodis formis imbuit, & ex imperfecta perfectam reddit, sine quibus nec consistere posset, neque generationibus rerum aptari. Hinc Ægyptij Ranam rectè Isidi sacrarunt, tanquam Intelligentiæ rerum omnium formatrici, matrique omnium, & in festo inuentionis partium Osiridis, Herodoto teste, Sacerdotes thyrsis papyraceis & arundineis, inter quos Ranis stabulare maximè consuetum est, aras ornant; occultè insinuantes genitalis humoris copiam, quam à matre omnium expetebant; quæ apposite sanè per duos thyrsos Ranam stipantes indicantur. De loto & persea, quæ idealis influxus symbola sunt, suprà dictum est.

Ranam Isidi consecrabant Ægyptij.
Herodotus.

Figura 9 & 10 Androsphynx & figura ingeniculata.

Sequitur 9 & 10 figuræ, videlicet ἀνδρόσφυγξ sedentis habitu, & figura ingeniculata, Lunâ sextili capite insignitâ, pennam Ibidis manu gerens, cum loti & perseæ folijs intermedijs. Androsphynx ex Leone & humanâ facie composita, alis conspicua, denotat Intelligentiam Solarem corroboratiuâ vi pollentem, quæ influxu ideali à suprema Mente sibi communicato, qui per lotum & folia perseæ indicatur, vnà cum Nephta Lunari subdelegato sibi Numine humidum terrestre, rude adhuc, impolitum, imperfectumque, ad intentum tandem finem perducit.

Figuræ 11. 12. 13. 14 naui impositæ.

Porrò figuræ signatæ numeris 11. 12. 13. 14. naui impositæ spectantur, & sunt Bos Neuius, cum globo alato serpentifero, perseæ folijs stipatus; gubernator nauis contum in manibus tenens, signatur numero 11; figura numero 14 signata, pennam in manu, in capite Lunam sextilem habet; prora nauis loto, puppis Accipitrino capite loco tutuli pennam & Aspidem gestante, insigniuntur; boui adstat quadrans Astronomicus. Quid singula velint, paulò altiùs ordiri visum est.

Nauis Barys apud Aegyptios celeberrima.
Plutarchus.
Herodotus.

Nauis hæc celeberrima Ægyptiorum Barys, est nauigij papyracei, teste Plutarcho, genus, quo in sacris, Herodoto teste, vtuntur; & in tabula medium limbi locum tenet, quam omnia symbolica animalia, & Ideales schematismi vtrinque, veluti supremam Ideam respiciunt; quæ vti primum locum inter superioris limbi figuras obtinet, ita & eandem primò ante omnia explicasse oportebat, nisi ordinis ratio in tabula præscripta aliud suasisset. Omnia itaque in limbo hucusque partim explicata, partim explicanda symbola huc respiciunt.

Nauis puppis Accipitrino capite insignita.

Sed explicemus singula. Nauigij puppis capite Accipitrino, in cuius capite penna & Aspis, insignitur; deinde sequitur planta sacra Ericæ; post hanc Horus conto nauigium impellens; medium nauigij bos

obti-

continet, perseæ folijs hinc inde stipatus, cuius dorso globus ὀφιο-πτερόμορφος imminet, & quadrantem Astrologicum appositum habet; figura 14 ingeniculata manibus pennam Accipitris, capite Lunam cum vipera emergente portat; claudit tandem schemata Loti flos puppi insistens. Omnia hæc symbola Ideas exprimunt, quibus à supremo Numine per administros suos vniuersa Mundi machina continuò gubernatur, conseruaturque. Nauis supremarum defluxionum in vniuersas Mundi semitas diffusarum vehiculum innuit; puppis Accipitrino capite pennâ & Aspide insignita, lucis, & vitæ, motusq;, quo omnia pernicitate suâ conficit, vbertatẽ; prora loti vel meliloti flore spectabilis similitudinem, qua omnia ad diuinæ Mentis Ideam operantur, vti dictum est, occultè indigitat. Gubernator nauis Horus est, illa videlicet Mundi aut Solis vis, quæ partium anni singulis rebus congruam constitutionem moderatur; Apis seu bos Osirin, vel animam Mundi, vel Solaris Numinis supremam Mentem exprimit; hunc sequitur Isis Lunam in capite gestans, & pennam Accipitris in manu, quâ Solis eam coniugem esse innuitur, vt alibi fusè expositum fuit. Nam vt rectè Diodorus apud Eusebium: *Osiris & Isis Sol & Luna secundùm Ægyptios sunt, à quibus trinis temporibus, vere, æstate, & hyeme, inuisibili modo circumductis Mundus gubernatur, & omnia nascuntur, aluntur, augentur*. Hinc aptè quadrantem Astrologicum boui apposuerunt, temporis symbolum, quod agriculturæ operibus aptum seligebant; tempora, teste Diodoro, quamuis inter se aduersentur, mirâ tamen concordiâ annum conficiunt; horum autem Deorum alter ignis & spiritus, alter humidi & sicci, vterque verò aëris temperiem producere dicitur, quibus omnia & oriuntur, & conseruantur. Osirin autem & Apim eundem esse, Plutarchus testatur his verbis: *Tolerabilius sentiunt, qui per Apim significant rapido motu citari Vniuersum; plerique Sacerdotes in idem aiunt recidere Osirim & Apim, enarrantque & docent nos;* Ὅτι τὸν ἔμμορφον εἰκόνα χρὴ νομίζειν τῆς Οσίριδος ψυχῆς τὸν Ἆπιν. *Apin putandum esse formosam animæ Osiridis imaginem*. Sed de Boue vberrimè tractatum vide in Obelisco Pamphilio, Hierogrammatismo de Boue, & Tom. I. Oedipi Syntagm. 3. de Apide. Nihil igitur aliud hoc ideali schematismo indicare voluerunt Ægyptij, nisi triformis Numinis per globum alatum indicati, in vniuersas Mundi semitas diffusionem, ordine tamen quodam singulari. Primò enim sese exerit in animam Mundi per Apin significatam; deinde in Horum & Isin, id est, Solem, Lunam, cœterasque stellas; ac tandem in omnia reliqua inferioris Mundi membra, quibus præsunt, diffundit: horum enim administratione tùm temporis dispositio, tùm omnium generationes expediuntur, vti dictum est. In naui vehuntur, quia motus horum in humido. ita Eusebius: *Solis, inquit, imaginem in naui collocant, quæ Crocodilo fertur, vt per nauigium motus in humido, per Crocodilum autem potabilis aqua significetur, in qua Solem ferri contendunt*. Sed totam hanc idealis significationis expressionem appositè sanè, si quicquam ad nostram rem, Iamblichus exponit, qui omnia hieroglyphica huius ita aptè describit, vt id explicasse videatur; sic enim ait: *Proinde vbi Deum introducunt, nauis*

Nauis Barys figuræ omnes exprimunt Ideas.

Horus Nauis Gubernator.

Eusebius. Osiris & Isis Sol & Luna.

Osiris & Apis idem.

Nauis hieroglyphica, & quid indicent ea Aegyptij.

Eusebius.

Iamblichus.

uis gubernatorem, principatum significant, Mundi gubernatorem: sicuti enim gubernator à naui & gubernaculo segregatus, vno quodam facilique momento mouet vndique, & regit dirigitq́; nauem; ita Deus ipse desuper, videlicet à primis naturæ principijs, præcipuas motionum causas exhibet. Quoniam verò partes cœli omnes, animaliaque cœlestia, & totius Vniuersi motus, ipsumque tempus, secundùm quod Mundus ipse mouetur, cuncta denique quæ continentur in totis, vires à Sole descendentes accipiunt, alias quidem commixtas in ipsis, alias autem commixtionem exuperantes; ideò has quoque symbolicus significandi modus adducit, verbis quidem solis Solem designans secundùm animalia cœlestia figurari, formasque vicissim commutare per oras, interea verò monstrans immutabilem eius simulque totam per totum Mundum traditionem. Sed quoniam quæ suscipiunt, alia quidem alibi circa impartibilem feruntur Dei traditionem, atque ipsa pro diuersitate naturarum, motionumque suarum multiformes accipiunt à Sole potentias; propterea symbolica traditio vult per donorum multitudinem vnum ingredi Deum, atque per potentias multiformes vnam Dei adesse potentiam; quapropter inquit ipsum vnum eundemque consistere; vices verò formarum, transfigurationesque in suscipientibus asserit resultare; ideo illum secundùm animalia & ad oras commutari ait, quasi circa Deum mutationes eiusmodi varientur secundùm diuersa receptacula Dei. Eiusmodi vtuntur Ægyptij non solùm in ipsis Deorum proprijs visionibus, sed & in precibus etiam leuioribus, quæ eundem sensum habent, atque per talem symbolicam mysticamque culturam ad Deos supplicandos accedunt. hactenus Iamblichus; quæ vberiùs explicata vide in Classe III. fol. 183.

Figura 15. 16. 17.

Sequuntur nauem alia tria schemata, signata numeris 15. 16. 17. quorum prius Hori ingeniculati figuram exhibet, alterum Accipitrem seu Thaustum, cuius dorso Serpens globo circumuolutus; tertium caput Hircinum aræ impositum, thyrsis floribusque id stipantibus. Quibus quidem nihil aliud indigitatur, nisi Solaris Numinis in Mundum sensibilem vis & efficacia. Et Accipiter quidem, vti iam sæpè dictum fuit, symbolum est vitæ lucisque, quæ in Sole eminet, & per Serpentem globo circumuolutum exprimitur; siquidem luce calor & vita in Mundo, qui per Horum ingeniculatum notatur, confertur; hinc ingeniculatus est, quia Mundus hic sensibilis se ad animam Mundi, quæ in Solari corpore sedem suam figit, habet, sicuti anima ad corpus; hinc Horus Thausto, eiusque influxibus se quodammodo subdere gestit. Quid flos Meliloti, cum perseæ folijs, & acaciæ ramo Accipitri apposito indicent, iam sæpe dictum fuit, Sequitur hæc caput Hircinum aræ impositum, quo Mendesia vis innuitur. *Est* autem Ægyptijs Mendes, ⲙⲉⲛⲇⲏⲥ, idem quod Hircus, quem & ⲥⲓⲙⲉⲛⲇⲏⲥ dicunt, id est, *Hircum sacrum*, atque adeo quem Græci Πᾶνα; Ægyptij ⲥⲓⲙⲉⲛⲇⲏⲥ vocant, id est, fœcunditatis præsidem. Adiungitur Thausto, quia quæ Thaustus in Hori mundana domo sapienter disposuit, per calorem, lucem, & motum; id Simendes seu Pan virtute suâ fœcundatiuâ, vnumquodque iuxta seminalium rationum conditiones excitans, in vberrimam rerum omnium copiam repullulascere

Accipiter, Serpens globo circumdatus, Horus ingeniculatus

Caput Hirci aræ impositũ. Simendes Ægyptijs idem quod Græcis Pan.

curat. Aræ impoſitus eſt, quia ſummo in honore ab Ægyptijs, teſte Herodoto, habebatur, thyrſiſque Satyriacis, quos & aræ circumpoſitos vides, teſte Pauſania, feſtum eius celebrabant; quæ in Obeliſco Pamphilio in Hierogrammatiſmo Hirci copioſè proſecuti ſumus. *Herodotus. Pauſanias.*

Porrò hanc Thauſto-Mendeticam ideam ſequitur idealis Ammonis typus, qui aptè per numeros 18, & 19 exprimitur; & Aries eſt, biſulcam è capite flammam euentilans, cum globo alato, dorſo imminenti, flore loti intermedio; præcedit hunc figura 18 ingeniculata, tutulo in calathi, cui cucurbita imprimitur, formam ſpectabilis, manu dextrâ vas Niloticum, ſiniſtrâ pyramidem geſtans. Tutulus, vas, & pyramis denotant, hunc calido-humidi præſidem eſſe, vaſe humorem, pyramide ignem denotante, in quibus cùm totius generationis vis & poteſtas conſiſtat, rectè præſes eius conſtituitur: ingeniculatus eſt, quia Ammoniæ Intelligentiæ miniſter eſt: nam vt rectè Iamblichus: *Opifex intellectus, qui & veritatis dominus eſt, atque ſapientiæ, quatenus in generationem progrediens occultam, latentium rationum potentiam traducit in lucem; Amun Ægyptiacâ linguâ vocatur.* Atque per Arietem aptè ſignificabatur, igneum animal fœcundumque; de cuius multiplici ſignificatione cùm in Hierogrammatiſmo Arietis fusè diſſeruerimus, ea hîc repetere noluimus. Exhibet itaque hoc ideale Schema, quomodo triforme Numen ſupremum in Ammoniam poteſtatem primò, & hinc in ſubdelegatos ſibi miniſtros, ad humido-calidi perfectam actuationem influat. Hinc Sacerdotes menſe Pharmuthi, quo Sol Arietem ingreditur, Ammonium influxum in ſe deriuantes, ampullis Niloticis vario florum frugumque habitu ornatis ſacra peragebant, vti in Calendario Ægyptiaco diximus, & hoc loco per floream columnam numero 20 ſignatam, in qua ampulla Nilotica inſiſtit, exprimuntur.

Figura 18. & 19.

Ammoniæ Intelligentiæ miniſter ingeniculatus.

Iamblichus.

Figura 20.

Sequuntur modò figuræ 21 Cynocephali, 22 Hori, cum 23 fonte vitigineo Hecates, & tandem 24 ἱερακο-λεοντόσφιγξ, cum Canopo quem præfert; quibus indicatur, quomodo triforme Numen influat in aqueæ & igneæ ſubſtantiæ œconomiam, & fontanos patres; quomodo etiam inde reſultet fons vitigineus, cuius deriuatione omnia quæ in Mundo ſunt, conſeruentur. Quæ vt intelligantur, ſciendum eſt, ſi ignis & calor in Mundo tantùm forent, totum Mundum ſiccitate perditum iri; contrà ſi ſola Mundo humiditas dominaretur, Mundum putrefactione neceſſariò deſtructum iri. Sapienti itaque conſilio à ſuprema Mente conſtitutum fuit, vt calidum humido aptè temperaretur, atque adeo Mundus huiuſmodi miſcellæ temperie conſeruaretur; quæ per dicta ſymbola appoſitè indicantur. Globus alatus triformis, vt iam ſuprà dictum fuit, influxum exhibet; & primò quidem in Solem & Lunam, ſeu quod idem eſt, in Intelligentiam Solis & Lunæ, cuius ſymbolum eſt Sphynx ἱερακόμορφος ſeu Accipitriformis, cùm Luna in capite, & Aſpide inter cornua Lunæ circulo incluſa; qua Solis & Lunæ, ſiue calidi & humidi, ad Mundum vitalibus influxibus animandum, vnita vis ſub miniſterio Momphtæ intelligitur; quæ maximè Sole in Leonem ingrediente in Ægypto, vti in

Figura 21. 22 24.

Humidi & calidi temperie Mundus conſeruatur.

Globus alatus. Sphynx Accipitri-Leoniformis.

in Leonis Hierogrammatiſmo diximus, viget: in terram deriuata vitem actuanda committitur Præſidi Canub ſeu Canopo miniſtro Momphtæ, quem figura 24 exhibet; cuius officium eſt ſpiritus igneos aquæ ſubſtantiæ commiſtos, per vniuerſas mundanæ domus ſemitas diffundere: quia verò id ſine Hori, quem 22 figura exprimit, & Lunaris Intelligentiæ temporum conſtitutricis mediatione fieri non poteſt; hinc rectè huius ſymbolum Cynocephalum ſedentem ponunt, cum adiuncto pſilio herba, quæ cum folliculis ſuis caput Simiæ referat; appoſitè ei adiuncta fuit in ſacrificijs ad Genium ſimilitudine rerum attrahendum; de quibus vide Obeliſcum Pamphilium fol. 301.; hic enim vti ob duodenum mictum, horas æquinoctiales demonſtrat, ità ob ſympathiam, quam ad Lunam habet, meritò Lunaris Genij tempus lunaribus operationibus aptum vnà cum Horo conſtituentis ſymbolum euaſit. Vbi & notandum, figuras 21 & 22, id eſt, Cynocephalum & Horum, vtrumque vaſe in manu inſtructum, contraponi figuræ 24, eò quòd Hieraco ſphynx cum Canopo ſe habeant per modum principij actiui ſeu formæ, Cynocephalus verò & Horus per modum principij paſſiui ſeu materiæ, ex quorum congreſſu fons 23 vitigineus emergit, liquore vitali omnia alens & ſuſtentans; de quo Zoroaſter: *Fons fontium, & fontium cunctorum matrix, continens omnia, vnde affatim exilit generatio multifariæ materiæ; inde tractus preſter ſubtilis ignis flos, Mundorum indens cauitatibus, omnia namque inde, incipit deorſum tendere radios admirandos*. Et deinde Intelligentias paulò antè expoſitas his verbis deſcribit: *Eſt enim quoddam intelligibile, quod oportet te intelligere mentis flore; eſt enim roboris circumquaque lucidi potentia, mentalibus fulgens ſectionibus; induta igne ignem vinculorum, vt temperet fontanos crateras; & amore impleat omnia, examinibus ſimiles feruntur, prorumpunt per Mundi corpora*. Quæ omnia ampliſſimè explicata vide in Sphynge myſtagoga fol. 335. & ſequentibus; quem quidem fontem aptè Hieromantæ expreſſerunt figura 23 per ampullam ſacram aræ impoſitam, ex qua in duo vaſa liquor vtrinque effunditur, ſonſque Hecatinus vitigineus appellatur à Zoroaſtro citato loco, cuius magnus in ſacrificijs vſus erat.

Figura 25. Canub.

Cynocephalus cum pſilio Lunaris Genij ſymbolũ.

Zoroaſter. Fons vitigineus.

Interpretatio Limbi ſiniſtri.

Limbi ſiniſtri Tab. Bem. interpretatio. Situs figurarum hieroglyphicarum attendendus.

LImbus hic continet varios Hierogrammatiſmos naturarum compoſitarum, id eſt, variè transformatos: in quibus maximè ſitus attendendus eſt, vti & in cœteris limbi ſelidibus; alij enim ſtantium ſedentiumque, alij cubantium, nonnulli currentium, volantiumque ſitum exprimunt; qui omnes magnam in ſignificationibus ſuis energiam habent. Sed cùm hæc alibi indicauerimus, ijs relictis ad interpretationem nos accingamus.

Idealia ſchemata Geniorum ignis & aquæ: Figura. 25. 26. 27.

Limbi itaque præſentis σελὶς continet Idealia ſchemata Geniorum ignis & aquæ, & quomodo ijs Vniuerſum ſubſiſtat. Figuræ numeris 25. 26. 27. ſignatæ exhibent influxum ſupremi Oſiridis in Mundum ſenſibilem; Oſiridem ſupremum exhibet Leo ſedens, ſub Accipitris capite

cum

dam apposito loti flore & perseæ; figura 27 Horum exhibet, id est, Mundum sensibilem, Osiridis, in quod influit, subiectum: herbam Osiriten in manu tenet, quæ est herba semper & folia, & flores, & fructus tenens immarcescibiles; in medio aræ posita spectantur pyramis, cum ramis Acaciæ vasis impositis, aram thyrsis papyraceis ambientibus. Indicant itaque, quòd sicuti Sol irradians Mundum hunc sensibilem, omnia animat, nasci flores & fructificare facit; ita radius Mentis supremæ per Leonem Accipitriformem indicatus, robore, vitâ, luce, Mundum intellectualem implet; hic ijs imbutus Mundum sensibilem ijsdem imbuit; ad intellectum enim supremæ Mentis omnia siue intelligibilia, siue sensibilia, mirificè mouentur, non secus ac radius Solis mox ac loti florem, ac folia acaciæ percusserit, ea vi quâdam ineuitabili secum trahit. Leo terrestre animal igneum indicat. ignem elementarem; sedet, quia potestatem habet in omnia sphœræ suæ subiecta; Accipitris caput habet, quia ignis elementaris, influxus sui rationes ab igne intellectuali supremæ Mentis, vitæ totius vniuersi arbitro, vti Serpens globo circumpositus ostendit, accipit. Horus ingeniculatus Osiriten herbam ei monstrat, quo gestu indicatur, Mundum supremæ Menti subiectum esse, & veluti principium passiuum summo quodam desiderio teneri, ab eodemque varijs rerum formis impleri desiderare, quæ per Osiriten herbam indicantur. Ara cum pyramide, & acaciæ ramis ostendit sacrificij rationem, quâ dicta Numina sollicitantur, sollicitata attrahuntur.

Radius Mentis diuinæ omnia implet

Leo ignem significat.

Horus ingeniculatus Osiritem herbâ tenens.

Porrò figura 28 Leo accubans est, Lunari schemate coronatus, cui globus alatus imminet floribus circumdatus. Leo accubans cum vase Nilotico ostendit igneam Intelligentiam nullum prorsus effectum sortiri posse, nisi Intelligentia Lunaris eidem se adiunxerit; in hanc triforme Numen influit potentiam corroborandi & fœcundandi humidum in ordine ad generationem rerum, & maximè Nilum respicit; Sole enim in Leonem æstuantissimum ingrediente, humidum exuberat, quo terra exusta veluti refocillatur, corroboratur, & ad generationem rerum disponitur; quod congruè sanè per figuram 29. scil. Ranam aræ impositam, cum phallo dorso eius imminente, exprimitur; Rana enim in sacris Ægyptiorum, vti suprà expositum fuit, idem quod lutum seu materiam primam imperfectam, formisque vacuam indicat, quæ hâc Intelligentiâ Lunæ-Solari illustrata omnigenis formis repletur, & fœcundatur, vti phallus monstrat.

Figura 28. Leo accubans.

Figura 29. Rana.

Sequitur figura 30 Sphynx quadruplici alarum vestitu spectabilis, quarum duæ expansæ volatum, aliæ duæ compositæ quietem indicant. Per Sphyngem seu Iyngem Intellectus supremus indigitatur crateris Hemphtæi præses; per alas expansas intellectus vitalissimi volatus, quo in vniuersa Mundi membra intimè penetrat, indicatur; per compositas alas quies & immobilitas notatur, est enim supremus Intellectus sine motu omnia mouens, sine volatu omnia penetrans, sine loco omnia locans, sine discursu omnia percurrens; ab hac, vti figura Horæa 31 indicat, Mundus sensibilis omni vitalium influxuum genitura repletur; quæ aptè

Figura 30. Sphynx.

Figura 31. Horus.

per Vas Niloticum, Serpentem ex fronte emergentem, & bisulcam flammam innuuntur; atque adeo quæcunque in Mundo sensibili continentur, vti exemplaris primi signaculo imbuta sunt, ita ad idem, in Lotometræ siue Heliotropij morem vertuntur. Vocatur & hæc Iynx, verbumque diuinum est, quòd omnia perfectibilia perficit, quia omnia efficit: creat enim omnia principia essentiæ cuiuslibet entis, vtpote actor Vniuersi, atque vtriusque Mundi; nam vt rectè l. 10. c. 1. philosophiæ Ægyptiacæ legitur, singulis pro gradus capacitate vitam, potentiam, & dignitatem infundit, vnde ens quantò illi propinquius, tantò capacius est; quare omnium capacissimum necessariò illi dignitate substantię, & perpetuitate constantiæ immobilitatisque propinquissimum est; quod medium inter authorem primum, productaque cœtera existens, præ omnibus, & ante omnia influxum vitæ ac dignitatis suscipit, quem deinde reliquis inferioribus infundit; hinc non sine ratione hanc Iyngem sequitur Leontosphynx Leonino corpore, & Accipitrinâ facie, alisque conspicua, in morem currentis, sinistrâ obelum, dextrâ prostratum sibi Serpentem tenens; quo aptè indicatur supremi Intellectus, & ignis archetypi, in ignem Sidereo-elementarem influxus idealis; ita vt per Accipitris faciem ignis sidereus, per Leoninum verò corpus ignis elementaris & terrenus indicetur, obelo vim radiorum denotante; quo quidem influxu vitalium operationum seminaria per serpentem prostratum indicata, aperiuntur: nam vt citato loco Theologiæ Ægyptiacæ legitur; *Iynx continet lumen roburque veritatis maximum in essentia spiritali simplici absolutaque, quod verò inferius sequitur, roboris honorisque gradu existit luminis paucioris propinquiorisque corporalitati perfectæ compositionique veræ*. Hæc Leontosphynx, vtpote naturæ magis hylææ, semper sibi comparem Intelligentiam requirit, quæ mox sequitur numero 33 signata, & est Ibis cum globo alato, in quam archetypum triforme Numen vim humefactiuam infundit; adeoque Leontosphyngi necessariò coniungitur, vt sine ea esse non possit; hinc enim totius vegetabilis naturæ systema gubernatur & regitur; quæ per fasciculum herbaceum floribus plenum Ibidi appositum innuuntur.

Iynx Verbũ diuinum.

Aristoteles.

Figura 32. Leontosphynx

Figura 33. Ibis cum globo alato.

Sequitur figura 34 ἀσπιδοσφὺγξ alis expansis, erecto corpore, & ex Aspide & humana facie mirè transformata; quæ insequi videtur figuram 36 Meleagridem, demissis alis, & vestitu reticulato expressam, pedibus præferens sceptrum ex loto & penna compositum, globo serpentifero illi imminente. Per Aspidosphyngem, vitæ, caloris, motusque exprimitur præsidium; per Meleagridem subiectam eidem, seminalium rationum præses Intelligentia notatur, desumptâ similitudine à varietate, quam præfert, & à macularum varietate quâ corpus eius imbuitur: in hanc enim Aspidosphynx influens, varietatem rerum quæ in Mundo conspicitur, efficit: hinc quoque fons vitigineus originem sumit figura 35 expressus; qui per aræ impositam phialam expressus, dum aquam vtrinque in subiecta vasa fundit, mox vegetabilem genituram in summam luxuriem prouocat: Crucem habet superpositam, vti & fons suprà expli-

Figura 34. Aspidosphynx.

Figura 36. Meleagris.

Aspidosphynx quid significet.

Figura 35. fons vitigineus.

ificatus, numeroque 33 signatus, quâ in quadruplicis Mundi faciem diffusio notatur; quâ vniuersam naturam irrorat, aptè per Crucem, id est, denarium numerum indicatam, vt in Arithmetica docuimus. Hinc Sacerdotes ad vitales Aspido-sphyngis, Meleagridisque Intelligentiæ influxus attrahendos, hunc eundem fontem in sacris adytorum festiuitatibus, non sine occultis mysteriorum significationibus studiosâ præparatione adhibebant, vti suo loco demonstrabitur; est enim hic, teste Zoroastro, fons fontium, vitali fœcunditate plenus; solo Deo nutriente silentio colendus.

Interpretatio inferioris Limbi.

Inferioris Limbi tab. Bemb. interpretatio.

Limbus inferior continet idealia decem Deorum coniugia, eorumque operationes facultatesque, quibus Vniuersum administrant. Videbis hîc semper iuxta singulas figuras lotometræ, perseæ, & acaciæ folia; quæ cùm conuersionem inferiorum ad superiora significent, nil ampliùs hîc dicam de illis, cùm ea omnia in antecedentibus explicata sint. Idealia decẽ Deorum coniugia.

Primum coniugium est Aspido-sphyngis cum Horæa Potentia num. 37 & 38 signata; quorum significata in antecedentibus exposita sunt. Figura 47. & 38. Aspido-sphyngis cum Horæa Potentia coniugium

Secundum coniugium est Horææ Intelligentiæ cum Momphta; intelligebant autem per Horum & Momphta, vt iam sæpe expositum fuit, vim illam Archetypi, vti globus alatus indicat, corroboratiuam in potentias terrestres agentem, seu Solis supramundani igneam vim, quâ in humidum, illud promouendo, agit, quâ terra impraegnata veluti ex diuturna tabe conualescit, & confortata ad fruges ferendas apta redditur; quod quidem ideale coniugium apprimè figuræ 39. 40. 41. exhibent, vbi Horum reticulatâ veste tectum, capite pueri, veluti lecto quodam incubantem intuemur, cuius lecti anterior spondæ pes Leoninus est, & capiti Leonino ita coniungitur, vt vnam statuam conficere videantur; posterior verò lecti sponda, posteriorem Leonis pedem refert, cauda in Lunæ sextilis figuram reflexa; sub lecto verò tres Canopi siue hydriæ polymorphæ ponuntur, quarum prior humano, altera Accipitrino, tertia Canino vultu insigniuntur. Quæ omnia nihil aliud significant, quàm descensum triformis Numinis, vel animæ Mundi, in Horum seu Solem, & Solis in Nilum per virtutem Leoninã Momphta, qua igneo cum humido coëunte in lecto Mophtæo, omnium rerum genituræ excitantur, & ad rerum generationem disponuntur. Lecti huius Mophtæi asseclæ & custodes sunt Canub ὑδροπρόσωπος, Osiris ἱερακόμορφος Niloticus, & Anubis κυνοπρόσωπος, Nilotici Genij. Per Anubidem prouidentia & custodia; per Osirin Niloticum vis Lunæ mixta Sole, siue Osiris, seu Nilus cum Isi seu terra; per Canub beneficus humidi Genius, teste Plutarcho, indicantur, & Horapollo his verbis testatur: *Tres autem hydriæ positæ aut cælum, aut terram, quæ aquæ copiam scaturiat, Nilum similem cordi facientes, linguâ prædito; cordi quidem, quoniam princeps hæc apud illos habetur totius corporis pars, vti Nilus totius Ægypti dux est & princeps; linguæ autem, quòd*

Figura 39. 40. 41. coniugium Horææ Intelligentiæ cum Momphta. Horus lecto incubans.

Lecti Momphtæi asseclæ

Plutarchus. Horapollo.

hæc perpetuò in humido esse gaudeat. Quæ omnia tùm vasa Canopica exhibent in cordis linguæque figuram protuberantia, tùm flos loti cum perseæ folio, quorum illa cordis, hæc linguæ speciem exprimit, luculenter indicant. Ex hoc enim mystico coniugio materia prima, seu lutum mysticum per Ranam aræ impositam significatum, etiamsi ex se & sua natura imperfectum, ignobile, & ἄμορφον existat, hoc tamen vitali influxu fœcundatum, totum omnigenis formis relucet. Mundus enim sensibilis per ingeniculatam statuam 41 significatus, præter humidum maximè ignei & calidi est appetens, eoque imbui gaudet; hinc supplicare videtur; hinc pyramidem ignis notam, & Ranam, Horomomphtæ ostendit, & quid appetat, occulto gestu innuere videtur.

Figura 42. 43 44. coniugiũ Mentis Mneuiæ cũ Horo. Bos Mneuius.

Tertium coniugium est Mentis Mneuiæ cum Horo crateris Hemphtæi præside; quæ numeris 42. 43. 44 indicantur. Bos Mneuius Vniuersum, vt alibi fusè ostensum fuit, significat; cuius dorso expansis alis incubat Meleagris, Mens videlicet Vniuersi dominatrix: Ideas enim à triformi Numine sibi inditas, indit Vniuerso. Atque huius ministerio fons seu crater Hemphtæus, id est, supremi Numinis Mundis aperitur, vnde bonorum omnium abundantia, quorum bonorum dispensatorem agit Horæus Genius numero 44 expressus Mneuiæ Mentis minister; hic enim humidum, quod ex supramundano cratere hausit, in omnia Mundi membra diffundit, vti ex operatione patet.

Figura 45. 46 coniugium Mentis Ibiacæ cum Momphta.

Quartum coniugium est Mentis Ibiacæ cum Momphtæa Intelligentia; quæ per numeros 45 & 46 indicantur; quo iterum mediante triformis Numinis influxu humidum, igneo ad generationem rerum miro modo coniungitur; humidum, cui præest Ibis αὐδεσπόζωτος cum vase Nilotico, quod pedibus tenet, figura 45 exhibita notat; ignem verò Leo, virili facie sedens, alisque conspicuus innuit. Sed hæc suprà quoque fusius explicata vide.

Figura 47 48 49. Nauis Ammonia.

Quintum Nauis est Ammonia, quo Ammon & Horus coniuncti, per Vniuersum delati, id fœcunditate replent. Ammonem fœcunditatis præsidem refert Aries biceps bisulcâ flammâ fulgens; Horum nauis gubernatorem exprimit figura 47. Aries biceps est, quia tùm superiorem, tùm inferiorem Mundum respicit; nam vt rectè in Hierogrammatismo Arietis Obelisco Pamphilio fol. 273 docuimus, non tantùm Ammun latentium rationum arcanas vires in Mundo superiori intellectuali disponit, sed & caloris Mundani, quo generationes rerum in Mundo per ascensum descensumque perpetuum promouentur, in Mundo sensibili curam habet; vnde non sine causa biceps pingitur cum flamma in capite bisulca, quæ igneæ virtutis calorisque diffusionem notat tùm in dicto superiori, tùm inferiori Mundo. Sed de hisce fusè citato loco in Obelisco Pamphilio. Puppis nauigij Accipitrino capite, & tutulo ei imposito fulget, quo Horus & Ammun indicantur esse lucis, igneique caloris per vniuersi Mundi penetralia, vectores; quæ operationem suam effectusque sortiuntur constitutis temporibus, quæ per appositum quadrantem Astronomicum innuuntur.

Aries biceps Ammonem refert.

Sextum

Sextum coniugium Momphto-Mendesiæ Mentis indicant figuræ 50 & 51; Momphtam figura 50, Mendetem verò Hircus aræ impositus notat: quo sicuti in Ammone fœcunditas calidi seu ignei, sic in Hirco humidi denotatur fœcunditas; quæ Momphtæ Nilotico, Leonino caloris humidi præsidi coniuncta, fœcunditatem inferioris Mundi demonstrat.

Figura 50 & 51 coniugiū Momphto-Mendesiæ Mentis.

Septimum coniugium Lunæ-Solare, per figuras 52 & 53 exprimitur, vbi Horus bisulcam flammam capite, manu sinistrâ pyramidem gestans, Ibin Lunari charactere insignitam respicit. Vbi nota, Ibin hoc loco non Lunam hanc materialem significare, sed supramundanam Intelligentiam, immediatè triformis Numinis influxui, vti globus alatus monstrat, subiectam, cui Horus subest, & ab ea humido ideali repleri ipso gestu suo appetit; cùm sine humore ignea substantia subsistere minimè possit. Quod verò Ibis Intelligentiam Lunarem notet, in Obelisco Pamphilio fusè ex omnigena eruditione expositum est. Quomodo verò hos Genios in sacris attraherent Sacerdotes, tutulus figuræ 54 indicat.

Figura 52. 53 & 54 coniugium Lunæ-Solare. Ibis Lunæformis significat Intelligentiam Lunarē.

Octauum coniugium, quod numeri 55 & 56 indicant, est Anubicæ Mentis cum Mente Lunæ-solari Cynocephala; hæc Intelligentia ideali à supremo Numine sigillo insignita tempori præesse dicitur, quo vnicuiq; ipsi proprium congruumq; influxum præstat: nam, vt Horus ait, Cynocephalus horas mictu metitur, coniunctionis Solis & Lunæ tempus cognoscit, ad exortum sideris gaudet & exultat, contrà, occasu luget & tristatur; vt proinde non sine ratione Mentem horum præsidem per Cynocephalum expresserint. Figura verò 55 Anubin exhibet, cuius munus est, vt quæ Cynocephala Mens iuxta tempus vnicuique proprium sapienter disposuit, Anubis sagaci consilio, & inuentionum industriâ in Mundi bonum conuertat; vnde ad hosce Dæmones siue placandos, siue aduocandos, varijs herbis, floribus, frugibus, teste Pausania & Simocato, in sacrificijs vtebantur Sacerdotes, quæ ara 57 fasciculo florigero exornata satis indicat.

Figura 55. 56 & 57 coniugium Annubicæ Mentis.

Horus. Cynocephalus significat Mentem Lunæ-Solarem.

Pausanias.

Nonum coniugium est Animæ Mundi cum Mundo sensibili. Animam Mundi notat figura 59; sensibilem Mundum figura 58. Anima Mundi, siue Spiritus Vniuersi, ex Scarabæo constat & capite Hori, chelis tabulam continente, in quo literis Coptis legitur verbum ⲫȣⲗⲟϫ per Scarabæum significabatur firmamentum, per quinque circulos collo annexos quinque planetæ, per caput Hori Sol, per Lunarem figuram capiti impositam Luna, per Crucem circulo impositam Elementa; quibus quidem nihil aliud nisi spiritus memoratus, omnia Mundi membra virtute suâ penetrans, animans, & amore connectens, innuitur. Verùm cùm hunc Hierogrammatismum integro tractatu in Prodromo Copto, alijsque huius Operis locis iuxta singulas partes exposuerimus, eò Lectorem curiosum remittimus. Continet quoque sensibilis Mundi, iuxta cœlestium globorum ordines, dispositionem, vti ex citatis locis patet.

Figura 58. 59 coniugium animæ Mundi cum Mundo sensibili. Scarabæus.

De-

Figura 60. Mens Sothiaca.

Decimum. Sequitur Mens Sothiaca, siue Canicularis, numero 60 signata, custos omnium; de qua in præcedentibus fusè actum est.

Limbi dextri lateralis tab. Bemb. interpretatio.

Limbi dextri lateralis interpretatio.

Numina apotropæa seu auerrunca. Figura 61. & 62. Genius Horæus, & Ophionia Mens.

Continet hic Limbus Numina apotropæâ siue auerruncatiuâ vi pollentia; quâ quicquid in Mundo excessu vel defectu peccatur, eorum ope ad mediocritatem deducitur. Figura 61 Genium Horæum indicat, Ophioniæ Mentis, quæ figurâ 62 exprimitur, excessum temperantem; cuius symbolum loti flos est, cuius fructus eius naturæ est, vt si Soli semper foret expositus, siccitate nimiâ destrueretur; contrà, si semper sub aqua lateret, nimiâ humiditate vis eius suffocaretur; hinc de die Solis motum affectans, ad eius præsentiam, humore sub aquis contracto exuitur; & nè omni prorsùs humido priuetur, sub noctem veluti macerandus denuò aquam petit, donec æquali caloris humorisque temperamento perfectionem suam consequatur. De figura 63, quæ eadem est cum figura 30, cùm iam dictum sit, ad citatam figuram Lector accedat.

Figura 63.

Figura 64. 65 & 66. Accipiter sacer.

Fig. 64 Accipitris vultu, amictu humano, & ☽ schemate capiti impósito spectabilis, secespitam manu dextrâ tenet, sub gestu minatorio, quo Agathodæmonem Orimazium fugare, siue lucis & calido-humidi superflua in Vniuerso, quod per Bouem Mneuium indicatur, resecare videtur constitutis temporibus, quadrante apposito significatis; de quo passim tùm toto hoc Opere, tùm in Obelisco Pamphilio dictum est. Orimazis character Lunari cornui superpositus A, Agathodæmonis nota est, vt alibi diximus; Luna Accipitris coniuncta vultui coniunctionem notat Solis & Lunæ, quâ plerumque magnæ in Mundo alterationes contingere solent, Arimaniâ quâdam virtute referto, quam secespitâ seu cultro sacro Orimazes lucis & vitæ dominus in Mundi bonum interimit: ac proinde hunc Agathodæmonem Sacerdotes sacris operaturi tutulo venerabantur, pennis Accipitrinis, stellâ, bouinis cornibus, & perseæ folijs compacto, vti tutulus figuræ 65 monstrat.

Figura 67. 68. & 69. Horæus & Niloticus Genius.

Fig. 67 & 69 sequ. quarum illa Horæum, hæc Niloticum Genium sub Ibidis forma signat; indicantque Niloticum incrementum Horæo Dæmone ad temperiem redigi; cuius sicut excessus vel defectus necessariam infert penuriam, ita temperies summam fœcunditatem; innuuntque hoc occultissimo sanè symbolo Lunariæ herbæ Ibidi apposito, quam quindecim folia ad plenilunium vsque singulis diebus proferre, totidemque vsque ad Nouilunium perdere tradunt; quòd si plura aut pauciora tulerit, pro certo habent, intemperiem inde secuturam notabilem. Hinc Sacerdotes in sacris ad hosce Genios placandos tria vasa Nilotica, teste Horo, ponunt; in quorum vno flos conuoluuli heliotropij symbolum est vtriusque Agathodæmonis attrahendi aptum, vt in hieroglyphicis herbis docuimus.

Horus.

Figura 70. Anubis. Herba ⲙⲟⲩⲧ-ⲙⲟⲩⲧ-ⲧⲓⲥ.

Figura 70 Canino capite transformata Anubin signat, quæ manu herbam sustinet, quam ⲙⲟⲩⲧⲙⲟⲩⲧⲓⲥ Ægyptij, Hierophantæ αἷμα Ἄ... ,

san-

sanguinem Martis dicunt, & ita dicitur, quòd adustam, torridam, seu Martiam bilem frigiditate atque humiditate suâ mirificè temperet; de qua consule tractatum de herbis hieroglyphicis.

Figura 71, ex Scorpione & homine composita, indicat malignam in Sole latentem adustiuamq; potentiâ per Scorpionem indicatam, quam Anubis Genius ἀποτρόπαιος, & Osiridis custos, dissipat atque profligat, cuius herba Motmutin symbolum est. Momphtæa verò Potentia per n. 72 indicata, terrenum corpus humore nimio prægrauatum sentiens, immoderatum Solis feruorem, radiosque adustiuos in id deriuat, quò fit, vt Sol feruore nimio vacuatus, Momphtæa verò substantia feruore Solis superfluo incisa diminutaque, nimio humore liberetur, atque adeo vtrique temperies inducatur. Est enim hoc vnicum naturæ medicamentum, quo venena caustica subinde in vsus à natura intentos assumuntur; neque enim quidquam, vti Proclus ait, adeo in natura superfluum est, quod non in alterius mundani corporis defectum substitutum, in eius emolumentum cedat, vti alibi tractatum fuit: quæ omnia sapienti consilio apotropæi Genij administrantur. — *Figura 71. & 72. Homoscorpius.* — *Proclus.*

Figura 73 & 74 Horum exhibent, qui Hippopotamum floreo virgulto immorantem, configit; quo ἀντιτεχνία inter Horum & Typhonem indicatur; Hori enim & Osiridis ἀντίθεον Numen Typhonem exprimere volentes, Hippopotamum pingebant: eum enim hoc animal nociuum cognoscerent, & ad damna inferenda natum; præterea astutiâ & impietate immane, perfectè Typhonis naturam exprimeret; Typhonem per id ab Horo seu Osiride domitum confixumq; haud incongruè notabant; per Osirin siquidem Nilum, per Typhonem vim illam malignam, putridam, perniciosam, quâ segetes frugesque inficerentur, occultè innuebant, quam siue Horus, siue Osiris Nili apotropæus Genius conficiebant. Sed vide, quæ de Hippopotamo vberiùs in proprio Hierogrammatismo disseruimus in Obelisco Pamphilio. — *Figura 63. & 74 Horus Hippopotamũ configens.*

Atque hæc est summa tabulæ Isiacæ, siue Theologiæ Ægyptiacæ, cuius reconditi sensus, vt paulò fusiùs enuclearentur, per totidem Capitula eos exponendos duxi, nè quicquam ad reconditam eruditionem necessarium omisisse videremur.

Au-

Auctarium de sensu Anagogico, Magico, Ethico, alijsque vsibus, quibus seruiebat hæc Tabula.

§ I.

De sensu Anagogico sub tabula latente.

Anagogicus sensus tabulæ Bembinæ.

Mundus quadruplex Ægyptiorum.

QVadruplicem Mundum Ægyptios statuisse, varijs passim locis huius Operis docuimus, videlicet Archetypum, Intellectualem, Sidereum, & Elementarem; quibus tota rerum vniuersitas continebatur. Archetypus Mundus, diuinus, infinitus, immutabilis, æternus, incorporeus dicebatur intellectus diuinus triformis Numinis, omnes inferiores reliquos Mundos in se sub vnitate naturæ simplici & essentiali, continens, vtpote ex quo tanquam vena rerum omnium creatrice, quicquid est, fuit, aut erit, procedit; è cuius immensæ bonitatis Oceano cuncta profluunt, cuncta existunt, cuncta animantur, cuncta conseruantur; in cuius intellectu omnes Mundi, tam intellectuales, quàm sensibiles, sub idealibus & archetypis rationibus ita vniti existunt, vt nihil in rerum natura sit, aut esse possit, quod non ibidem tanquam effectus in sua causa lateat. Quæ quidem omnia symbolis materialibus vario figurarum contextu coagmentatis, abditisque similitudinum catenis, in hac tabula exhibentur: quam emanationum congeriem primò pantamorpha Mundi natura, seu fundum paternum ex tribus triadibus constitutum ante omnia participauit, vti schematismi sacri mediæ regionis tabulæ exhibent; quæ quidem nihil aliud sunt, quàm diuinarum virtutum specula, quæ in intelligibili archetypo elucescunt; idealiumque notionum signacula, quibus primæ post Deum mentes insigniuntur, vt ad diuini exemplaris normam operentur. Ab his duodecim Mundi Rectores in suprema tabulæ regione contenti, omnes influxus participant; & in archetypo nihil aliud sunt quàm diuinarum intellectionum ideæ, à bonitate & pulchritudine infinita emanantes, iuxta quas inferiora administrant. Sequuntur fontani Patres, portarum magnarum Vniuersi conseruatores, qui omnes in inferiori regione tabulæ exhibiti, iuxta ideas in Mente paterna existentes, influuntur, influxumq; Mundi plagis communicant. Limbus autem continet ideas in Mente diuina existentes, quibus omnia Mundorum particularia respiciuntur, vt dictum est. His autem omnibus nihil aliud indicant, nisi concatenationes entium à supremo vsque ad infimam materiam. Quomodo autem per occulta symbola id demonstretur, videamus.

Archetypus.

Mediæ regionis tab. Bem. schemata sunt specula diuinarum virtutum.

Supremæ regionis tab. Bemb. schemata sunt diuinarum intellectionũ Ideæ.

Infimæ regionis tab. Bem. schemata sunt fontani Patres.

Limbus tab. Bemb. continet Ideas in Mente diuina existentes.

Notum est ex Theologia Ægyptiorum, omnia quomodocunque bo-

nem participantia, primum præcedere bonum; quod quidem nihil aliud est, quàm ipsum bonum illud, quod omnia appetunt, vltra quod, vti nullum aliud ens est, ita neque bonum; prima videlicet causa causarum; hæc verò causa sine bonitate nec consistere, nec concipi vllá ratione potest, cùm bonum sit diffusiuum sui, vnde rerum omnium productio; producere autem minimè posset, nisi in se contineret omnium tùm productorum, tùm producendorum multitudinem, cùm nemo quod non habet, dare possit. Quæ omnia pulchrè per Lotometram Loti, Acaciæ, Heliotropia, Perseæ flores & folia, quæ occulto quodam motu ad cœlestia corpora feruntur & conuertuntur, quibus tota tabula referta est, innuuntur. Hinc apertè patet, omnia esse in Deo, Deum in omnibus omnia, omnia idem in omnibus, & quodlibet in quolibet; siquidem in Mundo Angelico seu Intellectuali eadem sunt entia, quæ in Mundo sensibili, sed spirituali & inuisibili modo; in archetypo Mundo diuino, supramundano, increato, infinito, incomprehensibili, tùm Angelicus, tùm Sensibilis vnum sunt, & simul, modo diuino & perfectissimo. Infima ergo monstrant superna, corporalia declarant intellectualia, & inuisibilia, per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur. Atque hæc causa fuit, cur Ægyptij sensibilibus inferioris Mundi simulachris, variâ transformatione constitutis, vsi sint: nam per inferiorum & terrestrium naturas & proprietates Ægyptij ascendebant in naturas & proprietates superiorum & cœlestium; sunt enim hæc inferiora externa & visibilia exemplaria, superiorum notæ, & inuisibilium internorum symbola, quibus à corruptibilibus ad incorruptibilium entium virtutes traducebantur: nouerant enim, totam creaturam, & hanc vastam Mundi machinam, in qua Creator omnium Deus inuisibilis nobis se videndum, audiendum, gustandum, odorandum, & tangendum exhibet, nihil aliud esse, quàm vmbram Dei, & interni paradisi figuram & ectypon; quòd verò in archetypis omnia inuisibili & spirituali modo, quæ in Mundo sensibili, corporeo induta amictu apparent, contineantur, ipsum naturæ lumen ijs probabat. Cùm enim quadruplicem Mundum statuerent, Archetypum, Intellectualem, Sidereum, & Elementarem, vnumque in altero intuerentur; inferiores à superioribus regi, viriumque suarum influxus suscipere necessarium cognoscebant, ita vt ipsa Archetypa & Opifex omnium Mens per fundum suum primò, deinde per Deos secundos, id est, Intelligentias, cœlos, stellas, elementa, animantia, plantas, metalla, lapides, infinitæ potentiæ suæ virtutes exinde refundat; adeoque per continuum ascensum descensumue, nunc ex Deo ad creaturas, ex intellectualibus ad externas formas, veluti à centro ad circumferentiam deuoluebantur; modò ex infimis rerum aspectabilibus formis ad inuisibiles formas veluti ex circumferentia ad centrum ferebantur; adeoque vel in vno seminis grano totum Vniuersum intuebantur: sicuti enim in vno inuisibilis seminis grano arborem totam, cum radice, trunco, ramis, folijs, floribus, fructibus complicatam intuebantur; ita in Intellectuali natura omnium inferiorum rerum formas & semina modo spirituali seu intellectuali com-

Bonum, primum & imparticipatum Deus.

Deus omnia continet, & est omnia in omnibus.

Inferiora continentur in superioribus.

Ægyptij per inferiora ascendebant ad superiora.

Mundus visibilis vmbra inuisibilis Dei.

Inferiora à superioribus gubernari intelligebant Ægyptij.

plicata contemplabantur; cuius rei symbolum erat phallus toties in tabula exhibitus, quem Intellectualis Mundi simulachra præferunt, vel appositum habent, quo res omnes seminalibus rationibus refertæ indigitabantur: Angelus enim omnia secum gerit & habet, Angelico & spirituali modo, imò totam Mundi machinam in se complicat; imò quicquid natura, & ars per naturam potest, id etiam Angelus supra naturam & artem constitutus & eleuatus, præstantiori modo potest. Cùm itaque talis sit Angelus, certè primam & supremam causam, ex seipsa existentem, independentem, omnia secum inuisibili & incomprehensibili modo, in diuinitatis suæ abysso, & in fontali vnitate simplicissimè complicare censeri debet, tanquam eum, qui est omnia in omnibus, prima scilicet & vltima rerum causa; omne enim causatum, vt Ægyptij loquuntur, manet in sui causa, & progreditur ab ipsa, & conuertitur ad ipsam, vt flos loti ad Solem; cùm omnis progressus per similitudinem secundorum ad prima efficiatur. Nam à supremo intellectu per fundum suum paternum, primò prodijt lux, id est, Angelicus Mundus; ex luce illa inuisibiles rerum virtutes, quas nonnulli astra vocant; ex astris Mundus sensibilis ex quatuor Elementis compositus; & sic omnia sunt in omnibus suo modo, & vnum manet in altero, sicut semen in arbore, & arbor in semine; omnia corpora seu elementa visibilia sunt in astris inuisibilibus seu spiritualibus elementis, & astra sunt in corporibus; astra sunt in Angelis, & Angeli sunt in astris; Angeli sunt in Deo, & Deus est in Angelis. Sicuti igitur in Deo omnia sunt diuinè, & in Angelis angelicè; ita in Mundo sunt omnia corporaliter, & contrà. Tota Mundi machina in Deo est, Deus in Angelis Angelus, in astris astra; & sicuti semen est arbor complicata, & arbor est semen euolutum; ita Deus est Mundus complicatus, & Mundus, vt ita dicam, Deus euolutus. Nam vt rectè Proclus: *Omnis diuini ordinis proprietas per omnia permeat fœcunda, & dat seipsum omnibus deterioribus generibus.* Id est, in suprema omnium Mente, vis fœcundatiua v. g. est in Angelis, suo modo, in animabus, in cœlo, elementis, & ex his compositis, animalibus, plantis, lapidibus, cæterisque entium gradibus, in singulis suo modo; defert enim vnumquodque à propria proxima causa proprietatem, secundùm quam illa substantiam sortita est; lapis enim fœcundatiuæ virtutis est particeps, in quantum ei multiplicari conuenit materiali fœcunditate; planta verò eiusdem particeps est vitaliter, animal sensitiuè, cœlum motiuè, anima rationaliter; Angelus intellectualiter, Deus superessentialiter, vniformiter, & diuinè, & vniuersa series eandem habet potentiam ab vna diuina causa, vti Theologia Ægyptiorum l. 10. c. 2. ostendit. Idem dicendum est de reliquis diuinis emanationibus; omnes enim diuinarum progressionum series ad ipsarum principia assimilantur, circulum sine principio & fine seruantes per conuersionem ad sua principia; quæ omnia in tabula per artificiosum occultissimorum symbolorum contextum, vti exposuimus, indicantur. Atque hæc ita sensisse Ægyptios, Theologia ipsorum à Platone discipulo primùm exposita, & ab Aristotele conscripta his verbis L. 8. c. 3.

Angelus omnia in se complicat, sed modo Angelico.

Deus tanquam prima omnium causa continet omnia.

Omne causatum manet in sui causa, progreditur ab ipsa, conuertitur ad ipsam.

Rerum omnium productio à Deo.

Superiora in inferioribus, & hæc in superioribus.

Proclus.

Fœcundatiua vis Dei in omnibus, modo illis proprio.

Aristoteles.

ostendit. *Dicimus itaque quòd Mundus hic sensibilis totus est imago alterius; quare cùm iste sit viuidus, tantò magis oportet alterum illum viuere; si enim hic exstat perfectus, ille etiam perfectior, siquidem immittit illi vitam, potentiam, perfectionem, & perpetuitatem. Quòd si Orbis supremus est summè absolutus, procul dubio etiam entia illius absolutiora sunt cæteris hîc existentibus. Illic igitur superstant alij cœli adepti virtutes stellares, quales cœli huius Mundi, præterquàm quòd illi sunt altioris speciei, lucidiorisque ac maioris, neque inter se distant, sicuti isti, sunt enim incorporei; illic quoque existit terra, non inanimata substantia, sed viuida sunt in eo animalia, cuncta naturalia terrestriaque, quæ istic, sed alterius speciei & perfectionis; sunt plantæ satiuæ, hortensesque, & aquæ profluentes, vt animata; sunt item animalia aquatica, sed nobiliora; illic existit aër, in eoque animalia propria simpliciter viuentia, atque omninò immortalia; & tametsi animalia quidem illa sint his connaturalia, sunt tamen honorabiliora iisdem, vtpote intellectualia, perpetua, atque inalterabilia. Quòd si quispiam obijciens dicat, vnde Mundo superiori insint plantæ cœli, reliquaque prænarrata; Respondebimus, Mundo superiori perfecto inexistere omnia, quoniam in eo fuerunt à primo Authore, absolutoque, atque inexistente producta; adsunt igitur ibidem intellectus animæque omnes, nec subest defectus, qualis indigentia & corruptio; siquidem entia illic sunt plena vbertate, robore, & colletitia, vtpote sublimita in vita, & ab vno fonte coorta, ac insignita vna qualitate complexa omnes alias, vt sapores dulces, odores suaues, colores perspicuos, sonos harmonicos, res tactiles, cæterasque perfectiones; neque ibidem partes se inuicem vexant, neque inter se miscentur, neque mutuò se corrumpunt; verùm seruantur singulæ perfectè secundùm rationem optimam habitus essentialis discretæ; cùmque sint simplices, continent tamen multas rationes absque intima pluralitate sui & augmento, quali multiplicantur augenturque corpora.* Hucusque Theologiæ Ægyptiacæ Author; sed non omnia quæ hic dicit, probanda sunt.

Mundus visibilis imago inuisibilis.

Inferiora excellentiori modo sunt in superioribus ex Aristotele.

§. II.

De vsu Idearum huius Tabulæ, & emolumento inde in Medicina, Physica, Astrologia, Ethica, emergente.

Idearum tab. Bemb. vsus & vtilitas.

VT præclaræ & eminentissimæ naturæ sunt Ideæ, ita plurimas & eximias per eas Ægyptij cognoscebant vtilitates; quæ omnes in tres gradus, iuxta triplicem tabulæ regionem, distinguuntur. Primus pertinet ad mentem increatam; secundus ad ordinem rerum, postremus ad hominem. Si ad primum conuertimur, Ideæ ad mentis cognitionem, & functiones munerum eius plurimùm conducere videbimus; Mens enim in se conuersa per Ideas cognoscit omnia, cognoscens producit, productaque curat & seruat; demptis Ideis, nec de cognitione diuinæ Mentis, nec de rerum ab ea dependentium statu, nec de prouidentia rectè

Ideæ tab. Bemb. tres gradus.

Primus gradus pertinet ad Mentem increatam.

Secūdus gradus pertinet ad ordinem rerum.

Ideæ conferunt ad nexū rerum.

ſentire poſſumus. Si cum Ægyptijs ſecundum gradum conſideramus, inueniemus fatum & leges ab Ideis duci immutabiles: cùm enim in natura ſit conſtans & rectus ordo, non caſu ei conueniens, debet ab ordine aliquo primo, firmo, conſtanti & immutabili is dependere; huiuſmodi eſt ordo Idearum in prima Mente. Inſuper multùm Ideas conferre putabant ad nexum rerum quæ ab ijs pendent, ad aſcenſum deſcenſumque graduum naturæ, & conſequenter ad antipathiam & ſympathiam ſingularium Mundi partium, quæ non ſine admiratione à nobis conſpiciuntur.

Magia naturalis apud Ægyptios originē duxit à cognitione ſympathię & antipathię rerum.

Ideæ conferunt ad generationē rerū.

Ex qua ſympathia ducit ortum magia naturalis; quæ apud Ægyptios Sapientes nullo non tempore in ſummo pretio fuit. Præterea conferunt Ideæ ad generationem rerum; non enim ſemina gignerent animalia, aut plantas, niſi vim formandi, vt paulò antè probatum fuit, includerent; eam autem non includerent, niſi ab anima reciperent; ab anima eam recipere non poſſunt, niſi in ea contineretur; non contineretur, niſi eam reciperet à mente munere Idearum, Mens demum ab ipſo vno Idearum capite. Accedit, quòd initia rerum mortalium prima debent eſſe æterna, alioquin non eſſent initia; non autem darentur propria rerum principia æterna, niſi darentur Ideæ. Inſuper conducunt Ideæ, vt res, quæ in materia ſunt vmbræ, alicubi verè ſint; quæ in Materia fluunt, alicubi firma permaneant; quæ cum corpore ſolùm, ſint inſenſibiles, id eſt, intelligibiles; quæ cum materia carent perfectione, per aliquid abſoluantur & perficiantur. Demum ſi ad tertium gradum conuertamur, plurimas ex Ideis in eo refulgere vtilitates conſpiciemus: conducunt enim ad eius ſcientiam; nec enim homo intelligendo eſſentias rerum, niſi in eius anima rationes Ideis correſpondentes eſſent inſertæ, attingere poſſet; ſenſibus enim ſola externa accidentia offeruntur. Vnde, niſi anima per rationes ad Ideas eleuetur, & cum mente iungatur, neque propriè ſcire, nec intelligere dici poteſt, ſed tantùm rectè vel perperam opinari. Ex hoc nexu animæ cum mente & Ideis dependet, quòd homo contemplationi deditus, dominatur & imperat corpori, non ſuo tantùm, ſed & cæterorum naturâ conſtantium. Demum ex rationum Idearumque ſerie ortum in homine ducit diuinatio & Prophetia, quàm tanto ſtudio ſectabantur Ægyptij, vt poſtea dicetur; vt mirum videri non debeat à Plotino dictum, intellectum contemplantis hominis, quamuis videatur eſſe in Oriente, tamen ea conſpicere poſſe quæ fiunt in Occidente; & cùm ſit in vno loco, mirificè operari poſſe in alio plurimùm diſtante, ac inſuper ſua cognitione alios mouere; homo enim tùm verè contemplatur, cùm iungitur cum ſuo principio, in eoque per animam reperitur, in quo non diſtant, ſed eminenter iuncta ſunt ea, quæ apud nos diſtare videntur, adeo vt per cauſas ea videat, quæ alijs in effectis conſpicere vix datum eſt.

Tertius gradus pertinet ad hominem. Ideæ cōferūt ad intelligendum.

Ideæ conferunt ad diuinationem iuxta Ægyptios.

Plotinus.

Materiam duplicem ineſſe rebus putabant Veteres.

Ex hac mirabili rerum inferiorum cum medijs & ſupremis connexu, Ideatorumque ad Ideam Idearum conuerſione, veteres Sapientes deducebant, duplicem ſingulis Entium gradibus ineſſe rationem; vnam viſibilem, inuiſibilem alteram; viſibile autem ab inuiſibili procedere tan-

quam

quam à generante generatum; atque hoc posito, ab externo veram interni fabricam, id est, Mundi maioris & minoris veram anotomiam concludebant. Nam terreum hoc corpus sensibile, non est (vti ipsi putant) propriè elementum, sed corpus elementi; propriè autem dictum elementum est vita & spiritus, in quo astra seu inuisibiles rerum virtutes, & spermaticæ rationes latent, quibus omnia, vnumquodque iuxta speciem suam, producuntur. Hoc pacto vniuersa vegetabilis naturæ soboles nihil aliud est, quàm fructus inuisibiles elementi; astrorumque, siue inuisibilium virtutum, quæ sub corporibus sensibilibus veluti animæ sub corporibus latent, fructus sunt; habent enim singuli fructus sua semina & astra insensibilia, ex quibus immediatè producuntur. Pari ratione aqua non ex elemento corporeo, sed ex interno suo & astrali elemento omnes producit in terrestris Mundi matrice mineralium corporum fœtus. Aëreum elementum ex interno & astrali suo elemento tanquam vitæ balsamo, omibus vitam largitur & consistentiam, vtpote sine quo nihil subsistere possit. Igneum elementum ex interno suo & astrali elemento, omnibus reliquis Mundialibus corporibus lucem & calorem confert. Nam vti Ægyptij loquuntur, sicuti terra profert ex suo interno elemento folia, flores, & fructus; ita elementum igneum, ex suo interno elemento produxit in natura rerum, in firmamento, cœterisque Cœlis astra sensibilia. Atque hinc emanarunt catenæ illæ heracleoticæ, quibus omnia ad vnam aliquam ex diuinis virtutibus pertinenta referunt; de quibus cum fusissimè tùm in Cabala, tùm in Medicina Hieroglyphica disseruerimus, ea hoc loco minimè repetenda duxi; quare eò Lectorem remittimus. Ex hac pariter Idealium rationum connexione deducebant, quomodo vniuersum Mundum vel in minimam petram contrahere possent; ijsdem prorsus, quibus vniuersum pollet, viribus, proprietatibusq; ditatam; de quo vide Alchimiam Ægyptiorum; & de magicis telesmatis, Astrologiam hieroglyphicam consule.

Vegetabilia fructus inuisibiles elementi.

Elementata ex internis elementis profecta.

Catenæ heracleoticæ vnde originem ducant.

§ III.

De Theurgico seu Magico sensu, quo Sacerdotes in hac Isiaca tabula sacrificiorum instituendorum rationem, rituum adhæc cœremoniarumque dispositionem per occultum symbolorum contextum exhibebant.

Sensus theurgicus seu magicus, eorum, quæ in Tab. Bembina continentur.

Magnum quid & ineffabile sub recta & illibata sacrificiorum exhibitione latere putabant prisci Sacerdotes; vnde si vel vnicam ex ritibus cœremoniam non rectè peragerent, totum theurgicum opus in irritum labi certò sibi persuadebant, teste Iamblicho. Hinc tanta in sacrificijs rectè & legitimè instituendis, cura, tanta animæ corporisque dispositio, tantæ purificationes, lustrationes, expiationes. Cùm enim sacrificia magnam, imò necessariam cum ordinibus rerum, Deorumque ca-

Sacrificiorum ritè peractorum vis iuxta Veteres.

Iamblichus.

Sacrificaturi ad quid attenderint.

catenis dependentiam connexionemq; habere cognoscerent; certè non alia ratione magis votorum suorum se compotes futuros rebantur, quàm si ad exemplaria singulorum ordinum, idealesque rationes sua sacra instituerent. Nôrant etiam, primos Hieromantas diuino quodam furore raptos, ea tali ordine, talibusque mysterijs adornata adinuenisse, vt ipsæ primæ rerum ideæ mystico symbolorum contextu exhibitæ, opus faciendum connotarent. Quæ omnia in hac Mensa Isiaca ob oculos ponebant in adytis sacrificantium, vt ex ea singulorum Deorum rationes discerent, & iuxta præscriptas leges sacrificia peragerent. Quoniam enim singuli Deorum ordines suis symbolis, gestibus, habitibus, ornamentis, quibus vniuscuiusque naturam, proprietatem, actionem exprimerent, instituti essent; hinc æquum iudicabatur, analogico & prorsus simili rerum habitu, in conspectu Deorum, dum sacra faciebant, comparere, vt tandem, quod prætenderent, consequerentur, hoc symbolico apparatu, quo nihil potentius, nihil efficacius, nihil ad Deos Geniosque attrahendos vehementius esse posse credebant: gaudent enim superiora inferioribus, tanquam causæ effectibus suis; gaudent inferiora superioribus, tanquam ijs, à quibus vnicè dependent, quorumque influxibus substant; de quibus cùm amplissimè in præcedentibus Classium argumentis egerimus, eò Lectorem remittimus. Mystæ itaque adyta sua, quæ loca erant recondita, & ab omni humano consortio semota, eâ industriâ constituebant, vt nihil ferè esset in rerum natura, quod ibi non contineretur. Et primò quidem pauimentum inferioris seu hylæi Mundi œconomiam, symbolico ei conueniente apparatu, vtpote ex omni mineralium lapidumque generibus adornato, riuulisque fœcundo, exhibebat; parietes Siderei Mundi symbolis exprimebantur; Tholus genialis Mundi rationem exhibebat; in cuius medio ara posita, veluti centrum referebat emanationum supremæ Mentis; quæ deinde in omnium Mundorum peripheriam diffundebantur; atque adeo adyta nihil aliud quàm vniuersas Mundorum series repræsentabant, ad quorum notitiam nemo aptus censebatur, nisi qui relictis sensibus, rerumque caducarum cura deposita, totum se intra se reciperet; quod adyta ipsa reconditis suis recessibus notabant. In sacrificijs itaque simili, quo Deos referebant, habitu comparebant. Corpora figurarum seminuda & macilenta docebant, Sacerdotes nudos ab omni sensibilium rerũ cura esse debere, abstinentiæq;, quâ concupiscentia voluptatum refrænatur, deditos. Verenda tecta tenent, ad animi corporisque puritatem, quâ instructos esse oportebat, indicandam. Capita velata habent, ad indicandum terrenarum rerum curam, quæ pilis inutilibus corporis excrementis notabatur, prorsus repudiandam, vnde & Sacerdotes rasos esse oportebat. Tutulos in capite gerebant, floribus, pennis, serpentibus, stellis, animalibus, flammis, circulis, vasis, alijsque similibus, quibus Geniorum proprietates, & ideales rationes exprimuntur, compactos; quos in sacrificijs pariter imitabantur Sacerdotes, illisque notabatur, Sacerdotem continuò supernas Deorum ideas, quæ per tutulos notantur, speculari debere; hoc enim facto, se in eam intelligen-

tiam,

Sacrificandi ritè rationem continet tab. Bembina.

Superiora gaudēt inferioribus, & hæc illis.

Adyta Ægyptiorum omnia continebant. Adytorum pauimentum parietes &c.

Sacrificantiũ habitus apud Ægyptios. Figurarũ tab. Bemb. habitus docet sacrificantium dispositionem.

tiam, quam continuò mente voluebant, transformari, eidemque vniri, & quodammodo identificari sibi persuadebant; vnitos verò, & iam consortio Deorum adscriptos, omnem se felicitatis metam θεομόρφως attigisse rebantur. Exempli gratia; ad Mundi trahendam animam spiritumque Vniuersi; coram imagine eo symbolorum apparatu adornata, quem solium, in medio tabulæ & assectis eius exhibet, sacra faciebant; & sic operationum similitudine, hymnorumque analogicè concinnatorum, animam Mundi infallibiliter se trahere posse, ad id, quod volebant, arbitrabantur; & sic de cœteris tabulæ regionibus, Deorumque simulachris statuebant. Hinc ex vniuersis mundialium rerum seriebus eas tantùm ad eum Deum trahendum aptas asserebant, quem res singulæ sub dictis seriebus exprimebant. Cùm enim hæc omnia sub idea, quam respiciebant, inuoluta & complicata laterent, ex necessitate naturæ Genios ijs rebus, quæ ipsis analogæ forent, tractos se sistere posse putabant; vt vel hinc Oraculorum scientiam, originem suam sumpsisse luculenter pateat, vt alibi dictum fuit; non secùs ac chorda tacta, consimiles & æquisonas mouet & incitat, tametsi intactas. Præterea ideam, quam res congestæ exprimebant, dum contemplarentur, mens eorum Ideæ principi connectebatur, & per vnionem intellectualem Deiformis reddita, omnia in prima Idearum Idea cognoscebat; vnde in animis eorum nascebatur, vti putabant, prophetia & diuinatio, quâ de futurarum rerum euentibus, dissitorumque locorum successibus, malisque impendentibus, determinatum iudicium se dare posse credebant. Cùm enim in Mente suprema omnia sint simul & indistantia, futuraque tanquam præsentia sint; necessarium fore iudicabant, vt mox ac mens seu humanus intellectus in supremæ Mentis intellectusque contemplatione absorberetur, consequenter per hanc Deificam vnionem omnium futurorum scientiam adipisci posset. Præterea omnia in tabula expressa simulachra nihil aliud erant, quàm amuleta, seu prophylactica, quædam periapta, quæ dicto analogico rerum apparatu mox vt essent consecrata, superiorum Potestatum, quas referebant, virtutem in eadem ineuitabili quâdam necessitate deriuari; ijsque omnes malorum occursus, Geniorum, quos notabant, subsidio auerti, credebant; de quibus cùm curiosè in Magia & Theologia hieroglyphica, ex omnigena authoritate actum sit, eò Lectorem remittimus. In occultorum morborum cura magnæ huiusmodi magica schemata efficaciæ & virtutis esse putabant; Genij enim quibus sacra dictis ritibus & cœremonijs persoluebant, putabantur ijs præuiâ dispositione expiatis in somno apparere, & de medela morborum edocere eos; quemadmodum de Epie sacro Scriba narrat Astrampsychus. Hic Isin de morbo incurabili consulens, noctu eandem astantem vidit, cornibus bouinis, tutulo florigero, veste variegatâ, eo prorsùs modo, quo eam hieroglyphicè adornatam in adytis ponebant spectabilem; manibus ipsi Motmutin herbam, morbi quem patiebatur vnicum medicamentum offerebat; quam à somno vigil cùm inuenisset, & se, & quotquot

Animam Mundi per sacrificia trahendi ritus.

Genios rebus ipsis analogis trahere nitebantur Sacerdotes Ægypti.

Diuinandi scientiam quomodo Ægyptij inquirebant.

Bembinæ tab. simulachra omnia sunt Amuleta.

Bemb. tab. figurarum vis in medendo apud Ægyptios.

Isis in somno apparens docet medicandi rationem.

eo morbo infectabantur, eius applicatione à manifesto mortis periculo liberauit. Hoc eodem pacto, de omnibus difficultatibus & dubijs Deos consulebant, per simulachra mystico ritu adornata, quorum Ideas intentâ mente dum contemplarentur, per varia signa, nutus, gestus, de veritate vel falsitate, vel in somno, vel mentis raptu se commonefieri credebant. Vide de his plura in Medicina & Magia hieroglyphica. Hinc nullus ferè, qui non huiusmodi icunculas secum gestaret, reperiebatur; de quibus in sequentibus fusiùs. In quibus tamen semper ferè Dæmon occultâ fraude ad animas huiusmodi cultu superstitioso illaqueandas se immiscebat; vnde meritò huiusmodi ab Ecclesiâ tanquam Diabolicæ artis illusiones prohibentur, & damnantur.

§. IV.

Characteres minutorum hieroglyphicorum tab. Bemb. significatio.

De significatione minuti characteris hieroglyphica, quem simulachra passim appositum habent; quoque interiores duo limbi inscripti conspiciuntur.

IN hac tabula singulis ferè simulachris adscripti videntur minuti quidam characteres hieroglyphici; quibus & medius tabulæ mediæ regionis ambitus G H I K signatur; de quibus hoc loco agendum est, nè quicquam in huius mensæ expositione Lectorem curiosum celasse videamur. Notandum itaque, quod & alibi innuimus; characteribus Ægyptijs ita fuisse comparatum, vt non more Græcorum, vel Latinorum, sensum latentem per literarum contextum exhibuerint; sed absconditum fuisse sub ijs Idealem quendam conceptum, vt mox ac intuerentur vnum ex ijs, in abditæ significationis notitiam venirent; vt si Accipitris figura occurreret, de abditis Solaris Numinis proprietatibus, ex insitis huius volucris facultatibus, omisso vlteriori discursu, iudicium formarent, vt in proprio Accipitris Hierogrammatismo docuimus. Notandum secundò, hos characteres ex omnibus rebus, quorum vsus in sacris erat, fuisse assumptos, tanquam Deorum recondita symbola: vti enim analogas Mundorum catenas, respiciebant, ijsque connectebantur, ita magnam quoque ad Deos sollicitandos, vim & efficaciam in Theurgica operatione continere credebantur. Et primò quidem vsus eorum fuit, in dictis Idealium notionum conceptibus formandis; secundò, in amuletis fabricandis, quæ similibus characteribus passim insignita spectamus, vt in sequentibus aperiemus; tertiò, loco hymnorum & adiurationum erant, quibus Numen aliquod certum sollicitabant; atque huiusmodi hymnos seu adiurationes significant minuti illi characteres, quos omnibus ferè simulachris appositos vides. Exempli gratia, prima fig. superioris regionis tabulæ signata lit. P. duplicem minutorum characterum ordinem appositum habet, quorum prior signa-

Characteres hieroglyphici conceptuum notæ.

Characteres hieroglyphici ex omnibus ad sacrificia spectantibus assumpti.

Characterum hieroglyphicorum vsus varij.

ſignatus litera Q, ſacræ tabulæ incluſus amuletum notat, quo ad Numina Mendeſia propitianda vtebantur. Secunda inſcriptio ſignata litera R, hos characteres; quorum primus tænias Oſiridis, ſecundus Cœlum; tertius Canopicum vas, quartus hemicyclum, quintus Serpentem, ſextus volucrem in vaſe Nilotico, ſignificant: quorum ſenſus eſt; *Varietas operationum Solis & Lunæ ex cœleſti Mundo deſcendit in humidam Canubi ſubſtantiam, quo influxu in inferiori Mundo vita datur, & hanc adaptat diſponitque Genius Niloticus ad fœcunditatem rerum.* Hunc autem Sacerdotes Ammonio choro ſacrificaturi verbis hoc modo conceptis pronunciabant: *Per tænias Oſiridis cœleſtis, per motum Canubi, per Ophioniam vim, per ſacrum Nili Accipitrem, te adiuramus, vt hoc vel illud nobis concedas.* Deinde illa eadem lapidi cuipiam appropriato, aut idolo, aut alteri cuipiam materiæ inſcribebant, cuius amuleti geſtatione, Dæmonem inuocatum propitium ſe habere, Magicâ ſuperſtitione ſibi perſuadebant. Quòd verò Ægyptij per characteres, Orpheus eorum diſcipulus paſſim ſuis in hymnis obſeruauit; qui poſtquam Deorum virtutes longo diſcurſu deſcripſit, tandem in fine precatoriam formam adiungit, hiſce & ſimilibus conceptis verbis: Α'λλὰ θεαὶ λίτομαι σεμνὴ βασίλισσα ἐλθεῖν δ'αὐτῆ τὸν ἱερῷ τῷ μυστῇ. Plurimùm enim hymnis tota tribuebat antiquitas, tanquam vnico ad Deos quà placandos, quà ſollicitandos, incitamento. Atque tales exhibuiſſe minutos hoſce hieroglyphicos characteres fuſiùs explicarem, ſi Operis augmentum quouis modo id permitteret; ad ſingula enim horum ſymbolorum ſignificata authoritatibus comprobanda neceſſarium foret, nouum Opus condere. Nè itaque Lector tanta rerum multitudine confundatur, harum ſignificationes hoc loco non tam explicare, quàm indigitare viſum fuit. Accedit, quòd conſultò ſingula non explicem; cùm enim occultas Dæmonum adiurationes & inuocationes implicatas haberent, tenebris quàm luce digniora exiſtimaui, nè incauto Lectori priſcæ Magiæ addiſcendæ occaſionem dare videri poſſim.

Characterum hieroglyphicorum non nullorum interpretatio.

Characterum hieroglyphicorum lectio apud Ægyptios.

Orpheus in hymnis precatorijs Ægyptios ſecutus.

Sed antequam hoc præſens argumentum concludam, aliud non minùs conſideratione dignum in præſenti tabula occurrit; & eſt limbus interior, medius inter ſupremum limbum varietate figurarum inſignem, quem iam explicauimus, & inter tres regiones interiores quas terminat, ambitu myſterioſo ſpectabilis; vbi vides varijs ductibus more Scriptorum innexas iam florum, modò ſtellarum, paulò poſt vultuum variorum imagines; vbi inter cœtera apparet caput Serapidis cum modio in capite, quod paulò poſt mediantibus floribus & ſtellulis ſequitur caput Iſidis, ſeu Pantamorphæ naturæ, eo prorſùs modo, quo in binis columnis mediæ regionis M & H infra boues expreſſa ſpectantur; & hoc ordine in circuitu limbi identidem repetuntur. Quæritur itaque, vtrum hic limbus ornatûs tantùm cauſa, an ad aliquid ſublimius ſignificandum inſtitutus ſit? Reſpondeo, Ægyptiorum ingenio ita comparatum fuiſſe, vt nihil, quantumuis etiam exiguum, myſterijs carere voluerint; & ex dicto limbo pa-

tet: qui tametsi ornamenti tantùm gratia appositus videatur, habuit nihilominus & is occultam quandam ad Theosophiam characteristicam, inter quam mediat, allusionem, dum videlicet ductibus illis, quibus principalia Deorum simulachra innectuntur, tacitis veluti quibusdam signis innuunt, à suprema Pantamorpha Mente vsque ad vltimum Serapidem, Osirin videlicet subterraneum, quem Plutonem diximus, omnes Mundorum intermediorum series mirâ quâdam concatenatione necti, atque eâ ratione aptari, vt à primo omnium Numine, ad vltimum vsque per intermedia, influxus agentium ac patientium similitudine expressi, miro quodam ordine in vniuersas Mundorum semitas diffundantur; atque adeo nihil sit, quod non vitæ, motus, actionisq; suæ principia à tam benefica & necessaria diffusione participet. Habes itaque propositi limbi, non tam ornamenti, quàm mysteriosæ significationis typo expressam interpretationem. Nihil igitur restat, nisi vt Isiacæ tabulæ expositione peractâ, iam pari passu, ausuque, Obeliscorum enodationem, cum bono Deo, ordiamur.

FINIS EXPOSITIONIS TABVLÆ ISIACÆ.

FERDINANDI III CAESARIS
OBELISCVS

SYNTAGMA II.

OBELISCVS RAMESSAEVS, SIVE LATERANENSIS.

POTENTISSIMO, ET INVICTISSIMO

FERDINANDO III.

Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Iuſto, Pio, Felici.

OBELISCVM omnium maximum nulli meliori iure, quàm TIBI, SAPIENTISSIME CAESAR, Regum maximo, inſcribendum duxi. Hoc ſaxeum trophæum alij ante Te Monarchæ, Regiæ veluti quoddam magnificentiæ ſymbolum, erexerunt quidem; at Tu illud poſt tot ſæcula, ex ſaxo tandem barbaro feciſti humanum, ex muto eloquens; mortuo reddidiſti vitam, dum Tua munificentia, quod conditum in eo, aperuiſti; quod inacceſſum priùs, reſeraſti; quod tenebris inuolutum, elucidaſti. Summo itaque merito Tuo præ cœteris digniori, nouus hic erigitur Obeliſcus, poſteris quidem ad exemplum, Tibi ad nunquam intermoriturum Auguſti nominis Tui honorem & gloriam.

SYNTAGMA II.

Obeliſcus Rameſſæus, ſiue Lateranenſis.

PRAEFATIO.

CVM in Obeliſco Pamphilio de Obeliſcorum figura, myſterijs, proportione, menſura, cœteriſque proprietatibus fusè actum ſit; nihil amplius hoc loco reſtare videtur, niſi, vt primò ſingulorum ibidem propoſitorum hiſtoriam; deinde quoque eorundem myſteria & arcanas ſignificationes exponamus; quod in hoc Syntagmate nos facturos pollicemur, DEVS Opt. Max. adſit auſibus noſtris, & cœpta ſecundet.

CAPVT I.

Hiſtorica relatio Obeliſci Rameſſæi ſiue Lateranenſis.

Obeliſci Rameſſæi hiſtoria.

ANno poſt diluuium 1097, ante humani generis ſalutem 1297, ſurrexit in Ægypto Rex Rameſſes Sothis filius, qui patris ſecutus exemplum cùm plures Obeliſcos erexiſſet, neque ſibi ſatisfactum eſſet, dignas tanto Rege cogitationes alto fouens pectore, animum adiecit ad erigendum alium, omnium, ſiue myſticas rationes, ſiue molis vaſtitatem ſpectes, & myſterioſiſſimum, & maximum eorum, qui vnquam in Ægypto conſtituti fuerunt. In cuius exciſione, elaboratione, erectione viginti millia hominum laboraſſe feruntur. Et quoniam verebatur, nè in erectione tanta moles ſummo pondere frangeretur, proprium filium ſuum acumini alligari curauit, vt Architecti reuerentiâ filij, eiuſque conſeruandi amore inſtimulati cautiùs circumſpectiùſque tanti momenti opus peragerent. ita Plinius l. 36. c. 8. De huius Regis vita, moribuſque abundè tractatur in Obeliſco Pamphilio.

Rameſſes Sothis filius erigit Obeliſcum omniũ maximum.

Rameſſæo Obeliſco erigendo 20000 hominum operam impendunt. Rameſſes alligat filium acumini Obeliſci. *Plinius.*

Atque hæc quidem prima fuit Obeliſci Rameſſæi erectio, quæ facta fuit Thebis in templo Solis, in quo permanſit vſque ad tempus, quo Conſtantinus Magnus Orbi illuxit.

Anno itaque poſt Chriſtum 334 Conſtantinus Magnus Cæſar, animi magnitudine, quâ pollebat, impulſus, cùm Vrbem Byzantinam, à nomine ſuo deinde dictam Conſtantinopolim, Romæ in omnibus, ſiue magnitudinis, ſiue mirandorum operum, quæ in ea ſpectabantur, magnificentiam & maieſtatem ſpectes, prorſus ſimilem moliretur; inter alia memoranda Circum quoque, ad Romani Circi Maximi exemplar fabricare conſtituit; quod & perfecit. Cùm verò omnes Romani Circi Obeliſcis ſuis adornarentur; nè & ſuo illi nouiter conſtructo Circo deforet ſuus, in Ægyptum Architectos propediem miſit, vt quos reperirent melioris notæ

Conſtantinus M. Conſtantinopoli circũ fabricatur.

Conſtantinus M. mittit in Ægyptum ad quærendum Obeliſcum.

tæ Obeliſcos, Conſtantinopolim nouam ſuam Romam adducerent. Verùm cùm prædeceſſores Cæſares, Auguſtus, Caius Caligula, Caracalla iam maiores omnes & integriores Romam adduxiſſent, ſibique inutiles, & temporis diuturnitate corroſos, vti & minores ſupereſſe viderent; penè conclamato negotio dum perplexi hærent, tandem ab indigenis antiquitatum peritis certiores fiunt, Thebis vnum adhuc, omnium, quotquot in Ægypto facti eſſent, maximum, in templo Solis conſtitutum, ſupereſſe; cui vel ſummus Cambyſis furor, reliquis omnibus igne deprauatis, vni pepercerat: dum enim Vrbem expugnaret, atque incenderet, ventumque eſſet incendium ad crepidines Obeliſci, extingui iuſſit ignem molis reuerentiâ, qui Vrbis nullam habuerat. Hic Obeliſcus, tùm à Ptolomæis, tùm ab ipſis Romanis, ſiue ob religionem, ſiue ob inauſpicatum, quod inde ſibi adſciſcere verebantur, augurium ſeruatus, integer illæſuſque permanſerat; verùm Conſtantinus nouâ fidei luce imbutus, & diuinæ gloriæ zelo ardens, Ethnicæ religionis ſuperſtitiones nihili ducens, eum loco ſuo auulſum Alexandriam, tanquam opportunum gloriæ ſuæ monumentum futurum, deportari curauit, hinc opportunè Conſtantinopolim mox deferendum, vbi nauis tantæ molis deuehendæ capax conſtrueretur. Verùm vti humanarum rerum diſpoſitiones ſunt incertæ, ita Conſtantinus quoque morte præuentus, in executionem, quod conceperat opus, deducere non potuit.

Rameſſæus Obeliſcus à Cambyſe liberatus ab incendio.

Conſtantinus M. curat deferri Obeliſcũ Ramaſſæum Alexandriam

Diſtributis itaque tribus ſuis filijs Imperio Romano, Conſtantino Italia, Illyricum, & Africa; Conſtanti Gallia, Hiſpania, Britannia; Conſtantio Aſia, Thracia, & Ægyptus obtigit. Conſtantinus tertio Imperij ſui anno occiſus Aquilegiæ, fratrem Conſtantem Regni reliquit ſucceſſorem. Sed & ipſo à Magnentio ad Pyrenæos montes interempto, Conſtantius ad vindicandam mortem fratrum ſuorum, coacto exercitu Magnentium adortus ita vicit & proſtrauit, vt is omnibus amiſſis, & deſperatione actus, ſibiipſi vim inferens deceſſerit. Conſtantius itaque tam ſolenni victoriâ elatus, ſubiugatiſque hoſtibus cùm totum Romanum Imperium ſui iuris feciſſet, Mediolanum contendit, vbi aliquantiſper moratus Romam, quam nunquam viderat, adeundi magno ardebat deſiderio. Quam & ſummâ pompâ ac magnificentiâ ingreſſus, cùm Vrbem tot palatiorum, templorum, porticuum, thermarum, amphitheatrorum, circorum, fontiumque monumentis decoram & ſplendidam contemplatus fuiſſet, omniaque fama maiora reperiſſet; admiratione tantorum operum attonitus, nonnullum magnificentiæ quoque, in ſignum adeptæ victoriæ, primique ſui in Vrbem aduentus, monumentum in eadem relinquendi accendebatur deſiderio. Conſilijs itaque vltro citroq; initis, in mentem venit relictus à Conſtantino patre Obeliſcus in Conſtantinopolitanæ vrbis ornamentum Thebis auectus; qui cùm omnibus Romanis Obeliſcis maior & integrior æſtimaretur, æquum videbatur, vt quem nulla Auguſti Cæſaris, reliquorumque Romanorum Imperatorum potentia loco mouere potuiſſet, eum Romam conductum excelſus Conſtantij animus & potentiæ magnitudo erigeret. Itaque intentione ſua

Conſtantius Imperator Romã venit.

Obeliſcum Rameſſæum Alexandriæ relictum deportari iubet Romam.

cum

cum Architectis communicata conclusum fuit, vt quantocyùs Romam conduceretur. Quapropter summâ celeritate nauem illam omnibus seculis memorandam, & trecentis remis instructam, tantæ molis conductricem fabricati, impositum onus ad portum Romanum Ostio Tyberino adiacentem summâ felicitate conduxerunt: Illinc per Tyberim ad vicum vsque Alexandri delatum, hinc verò curribus scytalisque impositum onus, tandem infinitâ hominum multitudine in Circum maximum fuit promotum; vbi deposito Obelisco ab Augusto erecto, qui in medio Circi ab eodem statutus fuerat, in eius locum suum erexit Constantius; depositum verò Augusti Obeliscum, spacio trium passuum remotum denuò erexit, vt tantò Constantius Augusto potentior, quantò Obeliscus Obelisco eminentior vnum cum altero comparanti demonstraretur. Verùm de operosa huius Obelisci erectione, de hominum, machinarumque multitudine vide Ammianum Marcellinum l. 17. quem ad longum allegamus in Obelisco Pamphilio fol. 84. Partium huius Obelisci in Circo maximo erecti symmetria, quemadmodum ex dimensione Michaëlis Mercati patet, qui eum tempore Sixti V. quo detectus fuit, exactè dimensus est, sic se habet. Supra pauimentum Circi maximi, fundamento priùs iacto, basis sternebatur, & supra hanc abacus ex marmore candido; qui vnà cum base decem palmorum à pauimento altitudinem obtinebat; supra quem alius abacus ex pyrite variegato imponebatur, forma cubi, latior tamen aliquantulum, ad altitudinem comparatus; videlicet altitudinem $13\frac{1}{4}$, 16 verò palmorum latitudinem habebat, ex sex frustis compositus, cùm integrum tantæ magnitudinis frustum non suppeteret; sequebantur supra hanc cubicam basin, quatuor sustentacula, quos Astragalos vocant, ex metallo fusa, $1\frac{1}{4}$ palm. alta, in quatuor angulis hinc inde disposita, quibus tota Obelisci moles innitebatur; cuius mensura ea est, quæ sequitur.

Obeliscus erigitur in Circo maximo.

Mensuræ Obelisci Ramessæi eiusque partium.

Abacus 1. ex marmore candido.

Abacus 2. ex pyrite.

Astragali.

Totius Obelisci altitudo.

Totius Obelisci longitudo exactè dimensa continebat 148 palmos; quibus si astragalos, & abacos, basesque adijciamus, comperiemus totum Obeliscum à terra vsque ad fastigium, tempore Constantij fuisse palmorum circiter $173\frac{3}{4}$, qui resoluti in pedes dant 132; & tantam quoque totius altitudinem molis fuisse Pub. Victor docet. Obelisco pila aurea imposita fuisse fertur, quâ fulmine deiectâ, in eius locum postea à Constantio figura ex metallo inaurato, in formam flammę versatilis substituta fuit. In basi continebantur 24 versus Hexametri, in singulis lateribus sex, quos cùm in Obelisco Pamphilio produxerimus, data opera eos hîc omittendos duxi.

Obeliscus Ramessæus à Gothis prosternitur.

Hic itaque Obeliscus Constantij, Gothorum immanitate prostratus, vti ponderis magnitudine intra paludosum solum ad 24 palmorum profunditatem subsedit, ita quoque ab hominum & oculis & memoria vsque ad Sixti V. Pontificis tempora adeò euanuit, vt non, nisi obscura quædam ex Historicis indicia, hóc in loco eum constitisse, testimonium dederint.

Itaque Sixtus V. Pontifex incredibili animi magnitudine præditus cùm magnis rebus ex insito sibi ingenio gerendis animo æstuaret, Romamque pristino suo splendori restituere aggrederetur, post multa & stupenda monumenta ferè intra paucos annos in Vrbe relicta, tandem, vti ad Obeliscorum omnium, ita & ad huius quoque, quem alicubi in Circo maximo terrâ obrutum latere ex antiquarum rerum peritis cognouerat, erectionem animum adiecit; itaq; vt quæreretur sine mora, Architectis præcepit. Paratum fuit in hunc finem primò ferrum longissimum, acutissimumque ad instar prægrandis subulæ, quo paludoso solo infixo, ex renisu ferri de latente Obelisco iudicium formaretur. Tentatum negotium, præter opinionem omnium feliciorem successum sortitum est: nam intra pauxillum temporis, ferri ope deprehensus Obeliscus, mox terrâ erutâ, magnâ hominum multitudine se noctu diuque impigrè applicante, detectus fuit, in tria frusta diffractus: qui tamen ob subterranearum aquarum redundantiam, paludosique soli inconstantiam meritò summum Architecto metum rei feliciter gerendæ intulit; summâ tamen eius industriâ, & validâ operariorum manu, quorum pars terrâ eruendâ, pars aquarum diluuijs exhauriendis, pars denique Obelisco per ergatas attollendo continuò occupabatur, factum est, vt Obeliscus tandem per partes erutus lucem viderit; adeoque non minorum eum eruisse, quàm erexisse sumptuum laborisque opus fuit. Primum fragmentum erat $65\frac{1}{2}$ secundum $43\frac{1}{2}$, tertium simul cum pyramidio 39 palmorum fuit, quæ addita dant Obelisci altitudinem 148 palmorum. Basis Obelisci suiipsius ruinâ detrita, mutilata, & summè corrupta, cùm tantæ moli sustinendæ vix sufficere posset, hinc ad quatuor palmorum longitudinem, eum resecare oportuit, vt basis haberetur ei fulciendo apta. Vnde Obeliscus decurtatus, minorem à priori altitudinem sortitus est, quam & in hunc diem retinet 144 palmorum. Obelisco itaque eo, quo dixi, labore eruto, non minor eum in Campum Lateranensem peruehendi, ob cliuosam viæ longitudinis 1050 perticarum constitutionem, labor superfuit; omni tamen difficultate euicta in locum constitutum conductus fuit; vbi erectus in hunc vsque diem perseuerat, eâ figurâ, formâ, dispositione, prout in Iconismo hic apposito patet; cuius mensuræ epilogismus est, qui sequitur.

A Sixto V. P. M. inquiritur & inuenitur in Circo maximo.

Eruitur diffractus in tria frusta.

Singulorum fragmentorũ magnitudo.

Obeliscus Ramessæus decurtatur 4. palmos.

Erigiturque in Campo Lateranensi.

Epilogismus Symmetriæ Obelisci Ramessæi.

Symmetriæ Obelisci Ramessæi epilogismus. Obelisci Ramassæi altitudo.

Obeliscus à basi ad pyramidium, sublatis primò quatuor palmis ex longitudine, habet altitudinem	130 palmorum.
Pyramidium verò	14 palmorum.
Obeliscus totus à basi vsque ad vltimum fastigij punctum	144 palmorum.
Obeliscus à terræ planitie vsque ad vltimum fastigium	182 palmorum.

Latitudo.

Latitudo sic se habet:

Duo latera basis maiora sibi opposita latitudinem habent $13\frac{1}{2}$ palm.
Duo latera basis minora sibi opposita latitudinem habent $12\frac{1}{3}$ palm.
Duo basis pyramidij latera maiora sibi opposita latitudinem habent $9\frac{1}{4}$ palm.
Duo basis pyramidij latera minora sibi opposita latitudi- $7\frac{1}{4}$ palm.
Totus Obeliscus continet palmos cubicos siue solidos 15129, qui pendent 1310094 libras. Et hoc est pondus molis totius Obelisci.

Atque hic est Obeliscus ille tot Scriptorum elogijs celebratus, cuius antiquam à Constantio factam inscriptionem in Obelisco Pamphilio protulimus; quare nihil restat, nisi vt & modernas inscriptiones, quas ibi omisimus, hìc apponamus.

Obelisci Ramessæi inscriptiones factæ à Sixto V. P. M.

Inscriptiones Obelisci factæ à Sixto V. Pont. Max.

In facie Australi, quæ Porticum Ecclesiæ S. Ioannis respicit, hæc ponitur inscriptio.

CONSTANTINVS
PER CRVCEM
VICTOR,
A S. SYLVESTRO HIC
BAPTIZATVS,
CRVCIS GLORIAM
PROPAGAVIT.

In facie Orientali, quæ respicit Scalas sanctas.

FL. CONSTANTIVS AVGVST.
CONSTANTINI AVG. FIL.
OBELISCVM A PATRE
LOCO SVO MOTVM,
DIVQVE ALEXANDRIÆ
IACENTEM,
TRECENTORVM REMIGVM
IMPOSITVM NAVI
MIRANDÆ VASTITATIS,
PER MARE, TYBERIMQVE

MAGNIS MOLIBVS
ROMAM CONVECTVM,
IN CIRCO MAX.
PONENDVM
S. P. Q. R. DD.

In facie Boreali, quæ viam ad S. Mariam Maiorem respicit.

SIXTVS V. PONT. MAX.
OBELISCVM HVNC
SPECIE EXIMIA,
TEMPORVM CALAMITATE
FRACTVM, CIRCI MAX.
RVINIS HVMO LIMOQVE
ALTE DEMERSVM, MVLTO
IMPENSV EXTRAXIT,
HVNC IN LOCVM MAGNO LABORE
TRANSTVLIT,
FORMÆQVE PRISTINÆ
RESTITVTVM
CRVCI INVICTISSIMÆ
DICAVIT
A. M.DLXXXVIII. PONT. IV.

In facie Occidentali, quæ Hospitale S. Ioannis respicit.

FL. CONSTANTINVS
MAXIMVS AVG.
CHRISTIANÆ FIDEI
VINDEX ET ASSERTOR,
OBELISCVM AB ÆGYPTIO REGE
IMPVRO VOTO
SOLI DEDICATVM,
SEDIBVS AVVLSVM SVIS,
PER NILVM TRANSFERRI
ALEXANDRIAM IVSSIT,
VT NOVAM ROMAM
AB SE TVNC CONDITAM
EO DECORARET
MONVMENTO.

CAPVT II.

Obelisci Lateranensis interpretatio.

Argumentum Obelisci Lateranensis.

HErmes Trismegistus, vti iam in Politica Ægyptiorum ostendimus, non profanæ tantùm, sed & sacræ de Deorum cultu, doctrinæ institutor, cùm Regnum Ægypti necdùm, vti in primordijs rerum vtplurimùm contingere solet, solidis ac firmis stabilitum legibus, nec vlla politica disciplina instructum comperiret; vti bono communi natus videbatur, ita seriò secum expendit, quomodo exactam viuendi formam Regno libero adhuc & summè dissoluto inducere posset; Quod quidem non nisi per saluberrimarum legum, quibus infrænis populi impetus, quasi repagulis quibusdam contineretur, conditionem fieri posse credidit. Cùm verò, quâ fuit summi ingenij perspicacitate, aduerteret, nullam legem, nisi ad archetypam in diuinæ Mentis Idea latentem ordinata & disposita fuerit, subsistere posse, neque diuinã lex nisi per religiosam quandam, & ad omnem iustitiæ normam compositam vitam obtineri possit; sacram quandam atque oppidò mysteriosam doctrinam, quam & hieroglyphicam posteri dixerunt, summo studio, nec minori ingenij subtilitate elaboratam, teste Clemente Alexandr. 42 libris comprehensam, quibus vniuersa Politicæ & Philosophiæ Ægyptiacæ ratio continebatur, condidit. Verùm enim verò cùm humanam in legibus seruandis caducitatem probè nosset, vt conditarum à se legum perpetuos successores haberet, Sacerdotum hominum sagacissimorum, sapientiâque, ac longâ rerum experientiâ exercitatissimorum, quibus solis post mortem Regis, ad Regni successionem aditus foret, instituit Collegium, quibus legum normam tradidit, eosque iuramento adegit, nè præter ordinis sui homines, eandem vlli alteri communicarent; quibus & Regni Coadiutores in quinque Classes diuisos adiunxit; leges verò nè bellorum turbinibus, similibusque infelicibus Regnorum euentibus deperderentur, saxis incorruptibilibus ceu æternùm duraturis insculpsit; de quibus vide Tom. I. de Politicâ Ægyptiorum fol. 114.

Trismegistus condidit doctrinam hieroglyphicam.

Eamq; tradidit Sacerdotibus.

Prohibendo ne alios præter sui ordinis homines eam docerēt,

Et saxis insculperent,

Atque ex hisce Obeliscis hic Lateranensis vnus est à Ramesse erectus, qui à Patre Sothi Obeliscorum instauratore Sacerdotali doctrinâ instructus, ex libris Mercurialibus, quos apud Sothin superstites fuisse, in Obelisco Pamphilio ex Sozomeni, Eusebij, Africani, aliorumque authoritate probauimus, optima quæuis, quæ ad politica Regnorum, quà disponendorum, quà conseruandorum dictamina spectant, excerpta, vti maximi in rebus humanis momenti, ita maximo omnium qui facti sunt, Obeliscorum, veluti æternùm duratura insculpsit.

Ramesses Obeliscum maximum hieroglyphicis adornari iubet ad politicam spectantibus.

Exhibet itaque primò Obeliscus hic, quomodo politicus Mundus ad Mundi archetypi & siderei rationes ordinandus sit, vt subsistere possit,

Obeliscus Ramessæus continet rationem ordinandi Mundū Politicum & Archetypum.

 cùm

cùm nullum Regnum, aut Imperium, nisi in religione fundetur, consistere possit. Metum enim Deorum plurimùm ad subditos in officio continendos valere, nôrant Ægyptij. Præterea vti archetypi Mundi Ideæ infallibiles sunt, & omnes iustitiæ partes nulli errori obnoxias ineffabili quâdam ratione complectuntur; ita humanas leges iuxta normam & immutabile exemplar primæ legis in Mente diuina existentis conditas infallibilem quoque effectum sortiri credebant. Supremum enim omnium Numinum Numen, dum Vniuersum tantâ legum æquitate gubernat; tantâ prouidentiâ disponit, tanto amore & beneuolentiâ conseruat; quid aliud nobis exhibet, nisi Monarchici status absolutissimũ quoddam exemplar? Quid Genialis seu Angelicus Mundus, in tot Classes distributus, in tam varia munia & ministeria distinctus, tam admirabili ordinum dispositione conspicuus, in quo tametsi varij atque disparati dominij & subiectionis gradus sint, omnes tamen hoc vnicum satagere videntur, vt simul vnâ voluntate & scopo concatenati, in Vniuersi conseruationem conspirent; quid aliud nisi absolutissimum Aristocratici dominij exemplar, cuius tota felicitas vnio est & concordia Optimatum; stabilimentum eius, boni communis in singulis amor & cura? Quid denique sensibilis hæc Mundi machina ex astrorum orbibus, elementorumque corruptibilium mobili & instabili miscella composita, nisi democratici status formam exhibet, tantò periculosiorem, quantò factiosorum hominum tumultibus magis expositam videmus?

Leges humanæ ad diuinæ legis normam conditæ vim habent.

Monarchici status exemplar Deus.

Aristocratici status exemplar Angeli.

Democratici status exemplar Mundus sensibilis.

Ægyptij itaque hæc attentiùs considerantes, illum non immeritò statum conseruationi aptiorem censuerunt, qui archetypæ Monarchiæ similior, & mutationibus minùs obnoxius foret; in qua Angelici Spiritus vnius Monarchæ, summi rerum moderatoris nutui parent, horum verò singulæ rerum creatarum in hoc sensibili Mundo classes, absoluto & perfecto dominio subijciuntur; summo studio, vt ad hanc Monarchici status normam, veluti exemplar quoddam suam adornarent Monarchiam, sedulò incumbebant. In qua Rex Monarcha Numinis supremi loco architectonico quodam intellectu omnia moderabatur; Sacerdotes Optimates, siue politici Mundi Ciues, qui sunt Cantores, Horoscopi, Hierogrammatistæ, Stolistæ, & Prophetæ, veluti quintuplici ordine distribuebantur; populus verò, tametsi in varia munia distinctus, vni tamen Monarchæ arbitrio relinquebatur. Atque hæc omnia Obeliscus exhibet. His enim ritè adornatis, Regnum Ægyptiacum in sua pace & inconcussa felicitate perduraturum sibi persuadebant. Exhibent autem hæc omnia Ægyptij in Obelisco per duodecim columnas, quarum singula latera tres continent, quæ tribus supradictis Mundis competunt. Docetur in hoc, quomodo ad rationes archetypi intellectus, Sacerdotes, quibus ad Regnum spes foret, inaugurari debeant; & quibus ritibus & cœremonijs consecrandi; deinde quomodo pantamorpha natura tribus Mundis sese insinuet, vnde vita & felicitas dictorum Mundorum resultat.

Monarchicũ statum Ægyptii curant.

Monarchiæ Ægyptiacæ membra Rex, Sacerdotes, Populus.

Obelisci Ramessæi argumentum.

Proponitur autem hoc veluti prototypon quoddam, vt iuxta id le-

ges Regno salutiferas condant; & intelligant, quâ ratione Osiris & Isis Typhoniæ tyrannidi resistant, & Horus, vti & Osiris à Typhone occisus, ad vitam reuocentur. Per Osirin intellectum architectonicum Regis indicant, per Isin prudentiam, per Horum leges salutiferas, per Typhonem, omne Regno perturbando importunum intelligunt. Quocirca si Reipublicæ status quandoque à suæ felicitatis fastigio per dissidia, & factiosorum hominum perduelliumque proditiones ceciderit; quibus modis similia boni communis detrimenta præcauere debeant, aut quibus ritibus & cœremonijs præsides locorum Genij contra omnia aduersitatum pericula, placandi sint, Obeliscus docet. Quemadmodum enim supremum Numen per polymorphum spiritum omnibus sese mundialis machinæ membris insinuat, dissidentia concordat, languidis & ferè desperatis rebus vitam largitur, omnia in omnibus est; ita Rex per præfectorum à se super singulas Regni Prouincias constitutorum curam & vigilantiam omnibus & singulis per dictamina subditorum Regis intellectui conformia, adesse & inesse debet. Hinc enim amor & concordia nascitur; hinc vnanimis ad quascunque Regno obnoxias perduellium machinationes profligandas conspiratio, quæ est salus & vnicum Regni fulcimentum. Fit tamen subinde, vt ob iniquitatem & iniustitiam Regis commissam subditorum dictamina sint difformia, vnde mox Typhoniæ conspirationes bono communi contrariæ nascuntur, quæ vti paulatim à lege supremi Numinis recedunt, ita ruinæ & exitij Regni proxima quædam veluti proscænia sunt. Præsides enim à suprema Mente constituti Genij, legis humanæ à diuina difformitate absterriti, mox commissam sibi prouinciæ tutelam deserunt; & deleto in Principe diuini intellectus & voluntatis charactere, omnia susque deque vertuntur; authoritas Principis erga subditos deperit; quâ pereunte, quid aliud Regno, nisi summa confusio, desolatio, & rerum omnium ἀταξία supererit? Hinc Ægyptij de rebus magni momenti consulturi; sacrificijs priùs purgati, ritibusque ac cœremonijs præuijs Deorum Oracula, quid agendum, sollicitabant. Nôrant enim leges à Deo hominibus inspirari, quod amplissimè in suis de legibus Dialogis deducit Plato ab Ægyptijs edoctus; sic enim ex Trismegisti ea de re traditis sermonibus ratiocinabantur. Si natura, quæ nihil aliud est, quàm infimum diuinæ prouidentiæ instrumentum, adeo prouidè incedere videtur, vt non seipsam ducat, sed ab ipsa prouidentia ducatur, fines omnium, ordinesque & in seipsa præscribat, & naturæ prout voluerit, inscribat; si inquam, natura talis neque abundet superfluis, neque in rebus deficiat necessarijs; certè diuinam prouidentiam in rebus necessarijs nunquam defecturam in confesso est; necessaria autem est humano generi, aliter non potenti viuere, congregatio mutua; erit haud dubiè congregationi procul à lege subitò perituræ, lex summè necessaria: at legibus diuina authoritas pariter necessaria est, nè vel negligentiâ obsolescant, nec fraude & violentiâ confringantur; cui quidem diuinæ comparandæ authoritati, tùm sanctimoniâ vitæ, tùm pœnâ supra humanas vitas formidandâ necessaria fuit. Si enim diuina prouidentia

Osiris, Isis, Horus, Typho in Mundo politico quid.

Rex omnibus sui Regni rebus adesse debet.

Concordia regnorum vnde.

Dissidia regnorũ vnde.

Ægyptij ante consultationes Deos sacrificijs placabant.

Plato.

Prouidentiæ Dei argumentum.

Leges necessariæ hominũ societatibus.

sin-

ſingulis elementorum, plantarum,animalium,membrorum vſibus neceſſaria proſpexit; multò diligentiùs per prouidentiam animalium ſpeciei diuinitatis quadantenus participi,in ſanciendis legibus ſaluti hominum tantopere neceſſarijs, deeſſe non debuit. Nam vt rectè Plato dicit. *Nullus Princeps iuſtam Ciuitatis nauem quelibet turbine,procellis, & periculis innumeris agitatam,abſq; cœleſti flamine ad portum vſq; perducere poteſt*. Deus ergo O.M. tùm occultis animarum inſpirationibus, tùm miraculis manifeſtis, quoties neceſſitas exigit, & reuelat myſteria legum,'& ſancit palam atq; promulgat, tanquam legum exordium primum, & vltimus earundem finis; ſine quo res humanas publicas, nec rectè componi poſſe, nec compoſitas durare, certum eſt. Hinc tanto ſtudio legum Authorem in hoc præſenti Obeliſco, quà ritibus, quà cœremonijs imitari, diuinumque cultum tam impenſè curare ſtudent, vt in decurſu interpretationis videbitur. Atque hæc eſt ſumma in hac Mercuriali columna contentorum. Nihil porrò reſtat, niſi vt difficillimi, atque perquàm ardui argumenti aleam cum bono Deo ſubeamus.

Plato.

Deus leges dat hominibus.

CAPVT III.

Nota ad Lectorem de interpretationis ſtatuendæ ratione.

ORdimur tandem cum bono Deo Obeliſcorum interpretationem, quorum gratia tanti operis molem & apparatum conſtruximus. Et vt debitam in eo methodum ſeruemus, ab ijs inchoabimus, qui veterum Authorum monumentis ſummam famam conſecuti ſunt, cuiuſmodi primo meritò loco ſeſe offert Obeliſcus Lateranenſis; in cuius interpretatione forſan in Ariſtarchos quoſdam incurram, qui ſeuerioribus obelis me configent, vel ex hoc capite, quòd non omnia & ſingula ſuis authoritatibus fusè ſtabilierim. Sed non vereor moroſorum hominum inſolentiam, cùm eum, qui difficiles & inacceſſos hoſce adytus cognôrit, de difficultatibus Dei gratia ſuperatis gratias debitas habiturum potiùs, quàm Authorem inſcitiæ condemnaturum eſſe confidam. Eſt hic Obeliſcus tot tamque obſtruſis rebus refertus, vt ſi ſingula fusè deducere voluiſſem, Tomus ingens & vaſtus ad ea cōprehendenda non ſuffeciſſet; quod tametſi, ſi temporis ratio permiſiſſet, non mihi fuiſſet difficile, quia tamen futurum videbam, ex tanta Authoritatum coaceruatione, interpretationis filum ita intricari, ita confuſum reddi, vt qui poſteriora legerit, priorum connexum neutiquam ſit percepturus, atque adeo tædio nimio à lectione veriùs alienari, quàm allici Lectores poſſe; ideo rebus maturè ponderatis conſultiùs viſum eſt,tantam rerum,quæ in hoc præſenti Obeliſco continentur, farraginem ſuccinctè & breuiter explicare, vt ſic rerum in eo tractandarum connexio Lectoris animo ſinceriùs ſeſe ingereret, filumque non interruptum,rebus ordine diſpoſitis, ſine impedimento & perturbatione intellectum Lectoris dirigeret; quod in magna authoritatum coaceruatione ἀδύνατον eſſe videbam. Et cùm hieroglyphica ſæpiſſimè

Interpretatio Obeliſcorum ratio.

Rameſſæi Obeliſci interpretatio difficilis ob res obſcuriſſimas quas continet.

Obeliſci Rameſſæi interpretandi ratio

eadem occurrant, satiùs ea statim in principio explicare, & authoritatibus congruis stabilire visum fuit, nè in interpretationis decursu eorundem comprobationem toties repetere cogeremur. Nè tamen ea pro libitu explicasse viderer, vbique ferè loca & authoritates tùm Obelisci Pamphilij, tùm præcedentium Tomorum, vbi proposita symbola exactè exposuimus, allegandas duxi; vt si rationis cuiuspiam symboli cognoscendi desiderium quempiam incederet, locum vbi id expositum sit, reperire possit; si quæ verò alibi non exposita symbola occurrerint, ea semper congruis adiunctis authoritatibus explicare & stabilire contendimus. Quod dum facimus, DEVM Opt. Max. luminis supremi datorem, obnixè exoramus, vt ingenij nostri tenebras discutiat, in arduis adsit, vt quæ ad diuini nominis ipsius gloriam fieri posse cogitauimus, ea cum sperato fructu exhibeamus.

PRAELVSIO.

Qua nonnulla ad meliorem rerum in Obelisco tractandarum notitiam præmittuntur.

Oualis figura in Obelisco Rameſſæo. Sacra tabula hieroglyphica

OCcurrit sæpe sæpius in Obelisco præsente figura oualis, hoc quo vides hieroglyphicorum apparatu instructa; quam nos sacram tabulam appellare consueuimus. Erat autem sacra tabula certorum hieroglyphicorum complexus quidam, magnæ efficaciæ & virtutis, eò quòd eius vsu Numina non aliâ meliori ratione, quàm hoc vel simili, conciliari posse sibi persuaderent. Erant autem huiusmodi tabulæ pro argumentorum, quibus Obelisci insigniebantur, diuersitate differentes. Et dicuntur sacræ tabulæ, eò quòd vt plurimùm ex Obeliscis excerptæ, separatis tabulis aut ligneis, aut lapideis in vsum prophylacticorum inciderentur. Sed quid præsens hoc ouatum schema sibi velit, aperiamus.

Ouatæ figuræ interpretatio.

Ponitur primò intus Ibis supra gnomonem seu normam, seu parastatam mechanicam, in Alpha literæ formam transformatam; huic adiungitur iam incuruus baculus, nunc vncinus, modò pala agricultoria; quibus subiungitur triplex ramus inuersus cum tribus terminis, loco quorum vt plurimùm ponitur figura Scarabæi, subinde etiam omittitur, vt in col. 1. è regione O & P videtur. Quorum quidem Idealis sensus ita se habet. *Hermes seu Mercurius Agathodæmon Literarum, Arithmeticæ, Geometriæ, & Mechanicæ inventor, partitionis anni in duodecim signa & menses Author, primus Ægypti Legislator.* Sunt enim rerum memoratarum inuentiones ad Rempub. rectè beatèque administrandam cumprimis necessariæ, cùm Regna vt consistant, nec literis, nec scientijs & artibus, nec legibus carere possint, aut debeant; adeoq; rectè Ibis seu Hermes insistit gnomoni, primò quia, teste Plutarcho, Agathodæmon est, quod figura gnomonis ex Λ & Δ composita sat demonstrat, vt alibi fusè dictum fuit: secundò quia

Leges & scientiæ necessariæ ad regnorum conseruationem. Hermes cur gnomoni insistat.

Plutarchus.

quia gnomon primam in Alphabeto literam notat, cuius, vti & omnium aliarum literarum, inuentrix fuit Ibis, id est, Mercurius: tertiò quia gnomon hic geometricum instrumentum est, ad rectè aptèque singula dimetienda, distribuendaque inuentum; est enim Πάσης δὲ μετρήσεως ἀρχέτης Ἑρμῆς ἰβιακὸς, vti rectè Plutarchus docet. Exprimit & hic gnomon instrumentum mechanicum, lapidibus extollendis in altum accommodatum, quem Tollenonem vocant mechanici; cuius authorem Hermetem facit in suis Mechanicis Hero Byzantinus. Vides igitur, quare Ægyptij Ibidem in hoc schemate supra gnomonem, variorum ab Hermete inuentorum symbolum, posuerint. Hermetem quoque in figuram Ibidis transformatum, sub huius A figura primùm comparuisse in Ægypto, multaq; & varia docuisse, in Alphabeto mystico ostensum fuit in præcedentibus adducto. Figuræ A adiungitur baculus incuruus, vel lituus. Vbi notandum, esse in Ægypto, vti Theophrastus docet, certum quoddam arundinis genus, quod & ob leuitatem modò loco baculi superiùs artificiosè incuruati, modò ob concauitatem emedullatam loco litui in sacris vsurpabant. Atque hoc hieroglyphico symbolo nihil ferè frequentiùs & vsitatiùs occurrit. Et per baculum quidem superiùs incuruum, absolutum Numinum in inferiora influentium dominium, & summam, quam per hunc influxum rebus inducebant, symmetriam harmonicam indicabant. Quod aptè sanè per hunc arundineum canalem suprà versus inferiora incuruatum exprimebant. Hinc passim hunc baculum fistularem, vti & normam, manibus Hori insertum videas, vti in tabula Bembina exposuimus; vt ostenderent, Horum symmetriæ & harmoniæ totius Vniuersi Authorem. Verùm hoc vberiùs in loco citato expositum vide. Hanc eandem ob causam, hunc baculum fistularem Hermanubi apponũt, vt eum esse totius numeri, ponderis, mensuræ, ac musicæ authorem occultè innuerent. Quoniam verò nihil in humanis rebus ritè constitui potest sine temporis exacta distributione; hinc perseæ ramum triplicem inuersum, in quorum vnoquoque quatuor folia, supponunt. Et perseæ quidem ramus Hermeti, Isi, & Osiri sacer erat, vti in Obelisco Pamphilio fol. 364 ostendimus; singulique quaterno foliorum ambitu conspicui, quibus tempus anni in tres partes, Veris, Æstatis, & Hyemis diuisum, quarum singulæ in quatuor menses pariter diuisæ, totius anni decursum signabant. Triplex erat, quia tribus anni totius moderatoribus Isi, Osiri, Mercurio consecrabatur, id est, Soli, Lunæ, Mercurio: Solis enim ac Lunæ motu per duodecim cœli domicilia annuo spatio facto, omnia



Gnomon instrumentum geometricũ & mechanicũ

Lituus seu baculus incuruus.
Theophrastus

Horus cum lituo quid significet.

Perseæ ramus triplex inuersus.

omnia conficiuntur; & Mercurio quoque, quæ est ratio dirigens omnia ad finem suum; vnde perseæ folia linguæ, & fructus cordis figuram obtinent, quâ sapientia Mercurij in legibus tùm naturæ dirigendis, tùm politico Mundo imponendis apposité notatur. Cuius diuisionis Authorem Diodorus Hermetem fuisse refert. Quo aptè insinuabatur, omnes naturalium, humanarumque rerum actiones, operationesque tempori substare, in quo sub terminis præfixis, totius naturæ, & politici Mundi leges veluti in cardine quodam versantur. Ramis autem perseæ notatur, quia, Theophrasto Authore, persea singulis tribus anni portionibus nouos & nouos fructus profert, virore perpetuo gaudens. Verùm de hoc symbolo fusissimè tractatum vide in Obelisco Pamphilio fol. 363. Sequuntur tres termini; quibus primò tripartitum anni tempus, quod à supremi Mundi legibus constituitur, indicatur; de quibus fusè in Obelisco Pamphilio fol. 425. In politico verò Mundo hi tres termini leges indicant ad superioris Mundi leges constitutas. Hinc leges eædem Ægyptiacâ voce & leges, & termini vocantur; cuius ratio erat, totius Ægypti frequentibus terminis, ob Nili omnia confundentis inundationem, diuisio; vt hoc pacto per terminos, veluti positiuas quasdam leges, vnicuique quod suum erat, exactâ iustitiæ mensurâ distribueretur; erantque termini eandem ob causam sacri Mercurio, vt vel hinc originem Hermarum agnoscas, quæ erant quadrangulæ statuæ Mercurij, quæ loco terminorum in agris poni solebant; de quibus vide fol. 392. primi Tomi Oedipi. Hemycicla verò facies semper superioris terræ faciem siue Horizontem notat.

Diodorus. *Theophrastus.* *Termini tres in Obelisco Rameslæo significant leges.* *Termini Mercurio sacri.*

Ex his, ni fallor, luculenter patet cur tanto in honore hanc sacram tabulam Hermeticam habuerint Ægyptij, quia mysticè omnia Hermetis in humanum genus collata beneficia abditissimo symbolorum contextu signat, ac proinde summæ virtutis & efficaciæ esse putabatur ad dictum Numen propitiandum, attrahendumque.

Sacra tabula Hermetica in honore apud Ægyptios.

Occurrit & alia quædam tabula sacra in hoc Obelisco, quam paucis describendam duxi, nè postea cùm in eam inciderimus, eadem repetere cogamur. In ouata figura primò ponitur circulus, deinde muri duodecim, aut septem, aut quatuor apicibus spectabilis figura, quam ab apicum numero iam δωδεκάπυργον, modò ἑβδάπυργον, nunc τετράπυργον vocamus. Huic supponitur subinde solius Scarabæi figura, nonnunquam Scarabæus cum tribus terminis, aliquando cum Nilometrio, aut cum figura A; quæ quid indicent, aperiam.

Sacra tabula alia in Obelisco Rameslæo.

Sphæra indicat supremi, inuisibilis, & abstractissimi Numinis essentiam, vt in Hierogrammatismo circuli docuimus; ex qua omnia in omnes Mundos bona profluunt, & veluti ex centro quodam incomprehensibili emanant. Sequens figura muri δωδεκάπυργος siue duodecim apicum primò notat duodecim cœli mansiones, siue duodecim domus Zodiaci, quæ Siderei Mundi arces dicuntur, quarum custodes sunt Genij singuli à supremo Numine deputati, quibus totius anni gubernatio, iuxta leges ab Authore naturæ ipsis præscriptas, committitur. Ponitur subinde in sa-

Sacra tabula explicatur. *Murus δωδεκάπυργος.*

cra tabula figura ἑβδάπυργος, quo ſeptem planetarum arx & propugnaculum præſidibus ſuis inſtructum innuitur. Eſt interdum τετράπυργος, quo quatuor elementorum regnum indicatur. His itaque tribus propugnaculis, cùm vniuerſa natura contra noxias poteſtates defendatur, aptè ſanè eam muri figura πολυπύργῳ expreſſerunt. Quemadmodum enim ſupremum Numen primò in duodecim Siderei Mundi virtutes & poteſtates, ſic iſtæ in heptapyrgi regnum influunt, & vtrique in elementarem quadripartitum Mundum; ex qua vnione, & perpetua influxus mutui communicatione, vniuerſa Mundi machina vt conſeruetur, neceſſe eſt. Ad leges itaque horum trium, Siderei, & Elementaris Mundi propugnaculorum, Ægyptij veluti ad exemplar quoddam conuerſi, ſuam politicam diſponebant, vti iam docemus.

Murus ἑβδάπυργος. Murus τετράπυργος.

Ægyptij itaque expreſſuri regnum, aut vrbem, muri figuram ponebant, duodecim, vel ſeptem, vel quatuor apicibus diſtinctam, quæ per totidem veluti coronæ radios quoſdam in figura expreſſos indicantur; itque hanc figuram frequentiſſimè in ſubiecto ponunt Obeliſco. Per murum δωδεκάπυργον, ſiue duodecim turrium, aut apicum, indicant analogiam ad dodecapyrgon cœleſte, tùm idealis Mundi, tùm Zodiaci in Sidereo Mundo, duodecim manſionibus veluti diſtincti; per murum heptapyrgum ſiue ſeptem turrium, ſeptem planetarum manſiones, ad quarum ideam Reſpublica inſtituenda; per murum tetrapyrgum quatuor Elementorum Regiones, quæ ſunt veluti exemplar quoddam, iuxta quod Reſpubl. gubernanda ſit. Quemadmodum enim duodecim Zodiaci manſiones varijs differentibuſque proprietatibus inſtructas vnus Sol perluſtrat, & ad vnionem in Mundo conſeruandam animat; ita & Princeps in Regno ſuo maximâ curâ diuerſorum populorum ingenia, eorumque diuerſitate diſcrepantium animos in vnitatem & concordiam animare debet. Haud ſecùs de heptapyrgo, & tetrapyrgo ratiocinandum eſt. Quæ omnia adeo appoſitè Plato Dialogo 5 de legibus demonſtrat, vt ad huiuſmodi hieroglyphica reſpexiſſe videatur. Nam ex Ægyptiorum doctrina Vrbem regiam in medio regionis ponendam præſcribit, quam & in duodecim partes diuidendam cenſet, totamque ſimiliter regionem. Sed audiamus Platonem hoc loco prorſùs Αἰγυπτιάζοντα, cùm inquit: Τὸ μὲν δὴ μετὰ τοῦτο, πρῶτον μὲν τὴν πόλιν ἱδρῦσθαι δεῖ τῆς χώρας ὅτι μάλιστα ἐν μέσῳ, καὶ τ' ἄλλα ὅσα πρόσφορα πόλει τῶν ὑπαρχόντων ἔχοντα τόπον ἐκλεξάμενον ἃ νοῆσαί τε καὶ εἰπεῖν οὐδὲν χαλεπόν· μετὰ δὲ ταῦτα μέρη δώδεκα διελέσθαι, θέμενον ἑστίας πρῶτον καὶ Διὸς καὶ Ἀθηνᾶς ἱερὸν, ἀκρόπολιν ὀνομάζοντα, κύκλον περιβάλλοντα, ἀφ' οὗ τὰ δώδεκα μέρη τέμνειν τήν τε πόλιν αὐτὴν καὶ πᾶσαν τὴν χώραν. Id eſt, *Poſtea Vrbs primùm in medio regionis maximè condatur, delecto in loco, qui cæteras quoque opportunitates complectatur, quas & concipere & deſignare minimè difficile eſt; deinde in partes duodecim diſtributio fiat, vt Veſtæ prima Iouiq; atque Mineruæ conſecretur, & illa vrbis pars Arx nuncupetur, & ſepto diligenter muniatur. Et ex eo vrbem & regionem in duodecim partes diſtribuant.* Et paulò poſt: Νειμάσθαι δὲ δεῖ καὶ τοὺς ἄνδρας δώδεκα μέρη, τὴν τῆς ἄλλης οὐσίας εἰς ἴσα ὅτι μάλιστα τὰ δώδεκα μέρη συνταξάμενον ἀπογραφῆς πάντων γενομένης, καὶ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο δώδεκα Θεοῖς δώδεκα κλήρους θέντας, ἐπονομάσαι καὶ καθιερῶσαι τὸ λαχὸν μέ-

Muri figura ſignificat regnum, aut ciuitatem in Obeliſcis.

Murus duodecim, ſeptem quatuor apicum quid ſignificet.

Plato. Vrbs regia qualis ex Platone eſſe debeat.

Plato.

ρος ἑκάστῳ τῷ θεῷ καὶ φυλὴν αὐτὴν ἐπωνομάζειν. τέμνειν δὲ αὖ καὶ τὰ καὶ τὰ τῆς πόλεως δώδεκα τμήματα τὸν αὐτὸν τρόπον ὅνπερ καὶ τὴν ἄλλην χώραν διένειμεν· καὶ δύο νέμεσθαι ἕκαστον οἰκήσεις τὴν δὲ ἐγγὺς τοῦ μέσου, καὶ τὴν τῶν ἐσχάτων· καὶ τὴν μὲν κατοίκησιν οὕτω τέλος ἔχειν. Id est, *Vici præterea in 12 partes erunt distribuendi, ſicuti & cæteræ ciuium facultates; vt ex 12 partium conſtitutione curſuum luſtrationes commodiùs peragi poſſint. Duodecim quoque partes duodecim Dijs erunt deinceps attribuendæ; & vnaquæque pars ex eius Dei nomine, cui illa obtigerit, erit nuncupanda; vt Tribus ipſa ſit ſuo & tutelari Deo cognominis; ſed & duodecim vrbis membra, ſicuti in reliqua regione factum eſt, ſingulatim in duas habitationes fuerint diuidenda, quarum vna circa medium ſit, altera circa extremum; & habitationis quidem ordo & ratio hunc in modum conformetur.* Atque hæc eſt ciuitatis & regionis alicuius ad ſupernas ideas conſtituendæ ratio, quam Plato fundandam cenſuit. Sed cur in partes duodecim? vt intelligas molem tantam, tamque laborioſam Vniuerſi ipſius auxilio indigere, quo eſt in ſphœras duodecim diſtributum; eodem prorſus modo ciuitatem aut regnum terreſtre ad imaginem Regni cœleſtis eſſe gerendum; cœleſtis autem Ciuitas, inquit Plato, in ſigna duodecim, quaſi in duodecim tribus eſt diſtributa; nec abs re Dijs duodecim, vti Ægyptij ſuum Regnum, ita Græci ſuum ſuis duodecim Dijs, qui duodecim ſignis præeſſent, conſecrarũt, imò verò ſex Dij, ſexque Deæ, quorum nomina ſunt:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venuſque,
Mars, Hermes, Nephtun, Vulcanus, Oſiris, Apollo.

Præpone iam ſingulis ſingula, membris quidem noſtris ſigna, ſignis præterea Deos; & intelliges per hæc, ciuitatem aut regnum totum non aliter vnum ex ciuibus & incolis, quàm vnum corpus ex multis membris eſſe debere; alia verò Numina maſculina, alia fœminina dici, vt cognoſcas, & quæ ad materiam paſsioneſque, & quæ ad formas actioneſque pertineant, à Superis gubernari. Verùm cur Plato præcipuam vrbis arcem Veſtæ, Ioui, & Palladi dat? vt intelligas, in diuinis tres omniũ fontes exiſtere. Veſtam quidem eſſendi fontem, Iouem viuendi, & Palladem intelligendi; atq; in his omnibus auxilium à Superis obtinendum. Quæ omnia ex Ægyptiorum diſciplina profluxiſſe, in ſequentibus aperietur. Quæ enim Græci per trinam Numinum Veſtæ, Iouis, & Palladis aſsiſtentiam, ea Ægyptij Iſi, Horo, & Oſiri indigitabant; his enim omnia gubernari docebant. Hinc myſticè tres terminos, tres circulos, tres vrnas, tres ſecures, tres pennas, & ſimilia dedicabant; leges cœleſtes & terreſtres, per terminos; poteſtatem trinam diuinam in omnia, per tres circulos; per vrnas, in humidam ſubſtantiam dominium; per pennas, per omnia & in omnia penetrationem ſignificantes. Sequitur murum polypyrgum Scarabæus, Regis fortitudine maſcula inclyti ſymbolum; qualem Oſirim fuiſſe Diodorus deſcribit; de quo cùm amplisſimè in Hierogrammatiſmo Scarabæi Obeliſ. Pamphil. diſſeruerimus, eò Lectorem remittimus.

Tres termini circuli, vrnæ, ſecures, pennæ.

Scarabæus quid?

Est itaque hæc sacra tabula nihil aliud, nisi Idea quædam politiæ Cœlestium Numinum, iuxta quam inferiorem politicum Mundum, vt subsistere posit, instituendum indigitant. Nam vt rectè Plato Dial. 11. de legibus ostendit, Lex omnis humana à Deo adinuenta & constituta est, eam seruantibus præmium, præuaricantibus verò pœnam proportionatam statuens. Est enim Deus totius Mundi artifex, totumque in seipso complectitur, ideoque inspicit singula, nè quis confidat præuaricando posse latere; perque omnia circumuoluitur, nè quis speret, manus eius post delictum subterfugere posse; est enim omnium legum fundator, *Recta* (verba Platonis sunt) *definiens*, *&* *peragens*, id est, rectâ quâdam regulâ determinat singula. Et primò quidem singulis naturæ suæ modum, quæ, qualia, quot, quantaque sint, & vbi, & quando, & quomodo moueantur; deinde animis quid agendum sit, quidque cauendum, determinat; quam quidem determinationem legem esse constat rerum omnium penes Deum omnium authorem, eamque eodem actu ab ipso Deo sanciri, quo & omnia ab eo intelliguntur, & fiunt, actu scilicet circulari; quem Timæus ait esse diuinæ Intelligentiæ naturalem ex seipsa videlicet seipsum respicienti, seque respiciendo omnia semper conspicienti. Forsan verò vltra circularem motum Deo internum subinsinuat motum quoque rectum, rerum à Deo processum, Deique per res omnes influxum, ideo recta, dixit, definit, & peragit; & motum rectum à circulari pendere signauit, quo & perspicaciter seruatores legis, præuaricatoresque discernantur, & efficaciter quid potissimùm debeatur cuique, decernatur. Quod quidem iudicium, quoniam potenter & discernit, & decernit, ineuitabilis sequitur peccatorum vltio, & obseruantium præmium. Obseruatio autem legis in hoc consistit, vt subditus perfectè se Deo similem reddat, similem, inquam, per temperantiæ puritatem, quâ tanquam regulâ & amussi omnia sua metiatur; siquidem mensura, quod & Pythagoras dicit, omnium optima iudicatur, simillimumq; Deo efficit animum; quæ est mensura omnium, præcipuè nobis, qui videlicet eatenus vel prosequi, vel fugere debemus singula, quatenus diuinæ Menti, voluntatique vel congrua, vel dissona censentur. Hinc illud in Platonis epistola, *Sapienti quidem viro Deus lex est, insipienti verò libido*. Quæ omnia pulchrè exhibentur in sacra tabula, vbi oualis figura Mundum denotat, architectonicum diuinæ Mentis intellectum Ibi gnomoni insistens; huius enim dispositione omnia quæ in Mundo sunt, symmetriam & proportionem exactissimam acquirunt, harmonicamque constructionem per baculum fistularem indicatam, singula consequuntur. Hic vitam, mensuram, operationumque efficaciam largitur influxiuam, polypyrgis cœlestibus, eorumque præsidibus munimen & custodiam; ad quam inferioris Mundi legislator intellectus, per Scarabæum & tres terminos indicatus, in omnibus actionibus respicere debet, ijs suffulciri, nè in actionibus humanis ex se cœteroquin oppidò fallacibus, errorum incurrat præcipitium. Sed hæc alibi fusiùs ex Platone prosecuti sumus, qui & apertè dicit, se ex Antiquorum hæc monumentis extraxisse, quibus aliud non videtur indicas-

Plato. Lex omnis humana à Deo ex Platone.

Platonis de Deo legifero sententia.

Legis obseruatio consistit in eo, vt subditos Deo reddat similes.

Plato.

Sacræ tabulæ significata.

ſe, niſi Hermeticam & Orphaicam doctrinam, quæ, vti in Sphynge Myſtagoga demonſtrauimus, exactè hæc omnia continet. Si enim Orphaicos de Ioue, de lege, de iudicio, de iuſtitia & Nemeſi hymnos legeris, hæc ad verbum omnia inuenies. Sed hæc de maximè in hoc Obeliſco hieroglyphicis Schematis obuijs, dicta ſufficiant.

CAPVT IV.

De inſcriptione, & diuiſione Obeliſci.

PRAELVSIO.

Obeliſci Rameſſæi diuiſio

OBeliſcus hic præſens quatuor habet latera, iuxta quadripartitam Mundi partem diſpoſita, quorum vnumquodque in tres denuò columnas diſtinguitur. Hanc diuiſionem præcedit inſcriptio tribus loculamentis contenta, quorum duo A & B in pyramidio, tertium C, in principio columnæ continetur; eſtque in omnibus Obeliſci lateribus eadem, hanc ob cauſam, vt Authores Obeliſci, ex omnibus Mundi partibus ſtatim in oculos incurrerent, & ad doctrinam in eo Deorum immortalium beneficio traditam ſummo ſtudio ſeruandam animarentur.

Inſcriptio ſeu Epigraphe tribus loculamẽtis contenta.

Prima inſcriptionis Obeliſci Rameſſæi pars.

Prima inſcriptio immediatè ſub apice pyramidij ſub A, figura ouali concluſa tenetur, hoc ſymbolorum apparatu. Ibis inſidet gnomoni in formam literæ ⅃ compoſito, cui figura formam muri referens ſupponitur, & è regione huius baculus curuus; quibus tres limites, vnà cum Scarabæo, ſubiunguntur; quibus quidem ſymbolis nihil aliud indicatur, niſi Mercurius Agathodæmon potens dominator, & politicarum legum conditor, hieroglyphicæ doctrinæ inſtitutor, ex cuius libris columna hæc extracta fuit & concinnata. Sed hoc ita eſſe, iam omni ſtudio nobis ſtabilire incumbit.

Ibis Mercurió ſignificat.

Ibis Mercurium ſignificare, innumeris huius Operis locis oſtenſum fuit, & in Hierogrammatiſmo Ibidis Obeliſci Pamphilij id copioſis authoritatibus demonſtratum. Mercurius ſiquidem ſub Ibidis forma hominibus comparere, varijſq; corporis geſtibus, variarum rerum inuentionem edocere putabatur; vnde iſtiuſmodi animal ſacrum Mercurio ab omnibus habebatur. Certè Plato in Protagora apertè dicit, ſub Mercurij nomine genus humanum leges primùm accepiſſe. Vide Horum l. 1. c. 10. in fine, & c. 36. Plutarchum de Oſiride & Iſide, & Alphabetum Ægyptiorum myſticum ſuprà exhibitum. Horus: Καρδίαν βυλόμενοι γράφειν, ἶβιν ζωογραφῦσι, τὸ γὰ ζῶον Ἑρμεῖ ὠκείωται, πάσης καρδίας, καὶ λογισμῦ δεσπότῃ. ἐπεὶ καὶ ἡ ἶβις αὐτὸ καθ᾽ αὐτὸ τῇ καρδίᾳ ἐστὶν ἐμφερὴς, περὶ ἧ λόγος ἐστὶ πλεῖστος, παρ᾽ Αἰγυπτίοις φερόμενος. *Cor volentes indicare, Ibin pingunt, quod quidem animal Mercurio attributum ac dicatum eſt, cordis omniſque rationis præſidi & moderatori; nam & Ibis per ſe magna ex parte cordi ſimilis eſt, de qua plurimi apud Ægyptios agitantur ſermones.* Sedet ſupra gnomonem in hieralphan transformatum. Et

Plato. Horus. Plutarchus.

Ibis gnomoni inſidens.

Alpha

Alpha quidem ⳩ ex ▵ & A compositum Agathodæmonem notare, in Alphabeto mystico, & alibi ostendimus; cuiusmodi ipse ab omnibus Ægyptijs existimabatur. In formam gnomonis adaptatur, vt ostenderent eum omnis iustitiæ, quâ actiones humanæ vnicè diriguntur, authorem esse, & potissimùm hanc in politica rerum administratione, quæ per symbolum in muri formam concinnatum aptè notatur, prorsùs necessariam esse. Quia verò hæc sine viribus & potentia administrare non potest, hinc appositè ipsi è regione baculus curuus, potentiæ dominijque in inferiora symbolum, adiungitur; infra quæ tres limites cum Scarabæo ponuntur. Per limites tres indicatur ratio archetypi intellectus, quo non secùs ac Sol, in triplicem Mundum, Intellectualem, Sidereum, & Elementarem agit; ita inquam Sol politicus, qui est in archetypo intellectu Legislator, & aptè per Scarabæum exprimitur, in triplicis generis homines, in seipsum, in Optimates, & populum agere debet, vim suam, quâ Mundi corpus vnicè sustentatur, exerendo. Nam vt Porphyrius loquitur lib. de abstin. Αἰγύπτιοι δὲ ἱερὸν ἐθεράπευσαν τὸν κάνθαρον, ὡς εἰκόνα ἡλίου ἔμψυχον. *Ægyptij colebant Scarabæum sicut viuam Solis imaginem.* Quod symbolum non tantùm Soli huic sensibili, sed & Archetypo, & ex quo emanauit, Politico Soli secundùm quandam analogiam attribui debet. Accedit quòd idem Scarabæus significatione ad mores translata idem, teste Horo lib. 1. cap. 10. quod patrem, & masculam virtutem notet, quæ Regno administrando vnicè necessaria est; quâ paterno affectu, & bellicâ fortitudine Rex omnia Regno aduersa amolitur. Hinc Ælianus l. 10. c. 15. & Plutarchus libro de Osir. & Iside apertè docent, Viris bellicosis sculpturam annuli Scarabæum fuisse, quòd maribus vniuersis pro patria pugnandum sit; quemadmodum Mercurium Ægyptij, non solùm Legislatorem, sed & summum Numen tutelare, & Agathodæmonem, à cuius proinde cultu & veneratione totius salus Ægypti dependeret, præstare putabant. Hinc epigraphe seu inscriptio præsens non incongruè Mercurio fiebat, ijs symbolis adornata, quæ & diuinas Mercurij virtutes exhiberet, & vnà eundem ad Ægyptum fidei suæ commissam defendendam, hoc veluti potentissimo quodam periammate sollicitaret.

Baculus curuus dominij signum. *Scarabæus Solis symbolum.* *Horus.* *Ælianus.* *Plutarchus.* *Scarabæus sculptus in annulo quid significarit.*

Secundum spacium in singulis pyramidij lateribus duorum hominum figuras mitratas, & lineis amiculis indutas exhibet, qui inter se de magni momenti negotijs tractare videntur. Certè hos Sacerdotes esse Ægyptiorum, ex Apuleio & Plutarcho liquet, quos mitrato vertice conspicuos fuisse, & lineis tunicis vsos, apertè docent, hic in Isi & Osiri, ille in sua Metamorphosi. Erat autem, vti Eucherius asserit, κίδαρις pileus Sacerdotalis ex bysso, quem nonnulli tiaram, quidam etiam mitram vocant. Atque hanc sapientiæ symbolum fuisse, Author est Hesychius Hierosolymitanus, eò quòd in cerebro sapientiæ organum esset à natura constitutum. Quo quidem Sacerdotes, vtpote ad regni administrationem electos, perpetuò & vnicè sapientiæ studio vacare debere, ostendebatur; lineis, non laneis vestimentis indutos, quòd hæc ex lana excrementitia animalium superfluitate, Sacerdotum puritati contraria, originem

Secunda inscriptionis Obelisci Ramessæi pars. *Apuleius.* *Plutarchus.* *Sacerdotes Ægyptij mitrati.* *Eucherius.* *Cidaris seu mitra Sacerdotalis sapientiæ signum.* *Lineum amiculum Sacerdotis Ægyptij puritatis symbolum.*

nem sumerent; illa vero ex lino, quod benefica matre tellure, immediatè pullularet primò florem cæruleum ætheris colori similem, deinde thyrsum, qui variè præparatus tandem telam suppeditaret, vestibus Sacerdotalibus conficiendis, teste Plutarcho & Porphyrio, conuenientissimam; hæc enim amicula candoris & eximiæ puritatis, quæ in Sacerdotibus perpetuò Deorum consortio gaudentibus, elucere debebat, symbolum erant. Sacerdotes itaq; dictos duos mitratos exprimere nullum dubium est ei, qui quæ de habitu Sacerdotum in primo Tomo disseruimus, rectè perceperit. Imò verisimile est, vti & Michaël Mercatus putat, has Sacerdotum figuras Sothin & Ramessem filium eius, Reges & Sacerdotes Ægypti, exprimere: hi enim primi fuerunt, qui post cladem omnibus seculis memorandam, Deo per Mosen Pharaonicam contumaciam vindicante, per Ægyptiorum in mari rubro submersionem, ducentis ferè post annis, Regnum Ægyptium pristino splendori & magnificentiæ restituerunt. Nam continuò cum Sacerdotibus conuersabantur & ipsi Sacerdotes, librosque Hermeticos, quos vndique conquisitos apud se inæstimabilis thesauri loco habebant, summo studio ad auitæ religionis, quæ sub hieroglyphicis symbolis comprehendebantur, instauranda dogmata, euoluerunt. Nam vt rectè Plato in libro de Regno ostendit, nullus apud Ægyptios ad Regni administrationem admittebatur, nisi Sacerdotis titulo gauderet; imò si quis ex alio genere Regnum vi vsurpasset, eum post Regni assumptionem sacris initiari oportebat, vt & Rex esset & Sacerdos. Nam, vt Platonis verbis vtar, *Sacerdotum & Vatum ratio magnanimitate, intelligentiâ, & claritate abundat, propter eorum, quæ tractant, magnificentiam.* Hinc, teste Plinio, collato studio & labore hi duo Reges & Sacerdotes primi fuerunt, qui octo Obeliscos, quos in Obelisco Pamphilio enumeramus, extruxerunt. Verùm Ramesses à Sothi patre suo apprimè instructus, aliquid sublimius animo voluens cùm prædicti Obelisci animi sui magnitudinem non adæquarent, maximum omnium hunc Obeliscum politicâ doctrinâ ad Regni salutem conseruandam necessariâ instructum, Thebis erexit. quæ ita se habere Plinius refert his verbis: *Postea*, inquit, *& alij Regum in supradicta Vrbe, Sothis quatuor numero quadragenum octonum cubitorum longitudine; Ramesses autem, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum, idem digressus inde vbi Mneuidis Regia, posuit alium longitudine vndecenis pedibus, per latera cubitis quatuor; opus id fecisse dicuntur 10000 hominum.* Hæc quæ de Sothi patre, & Ramesse filio diximus, ita se habere, docet Manethon apud Africanum in fragmento Bibliothecæ Pereiscianæ. Σῶθις ἐβασίλευσεν ἔτη ξγ´, ὃς ἤγειρε πολλὰς τὰς πυραμίδας. οὗτος τὶ καὶ θεωρητὴς εἰς Θεοὺς ἐγένετο, καὶ τὴν ἱερὰν ἐνετάλατο γράφειν βίβλον, ἣν ὡς μέγα χρῆμα ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενος ἐκτήσατο. *Sothis 63 annis regnans, multas erexit pyramides* (intellige Obeliscos); *hic enim primus Deorum contemplator, de Dijs sapienter pronunciabat, & sacrum librum mandauit conscribi, quem veluti ingentis pretij rem in Ægypto existens possidebat.* Quæ omnia confirmat Abenephius Arabs, cuius verba vide in Obelisco Pamphilio in prolegomeno historiæ Obelisci. Cùm itaque Sothis & Ramesses, Reges & Sacerdotes Ægypti, vnicè sacram

Michaël Mercatus.

Sothis & Ramessis figura in Obelisco Ramessæo.

Plato. Sacerdotes erant Reges & Reges Sacerdotes, apud Ægyptios.

Plinius.

Abenephius.

sacram hieroglyphicorum doctrinam vnanimi consensu primi promouerint; verisimile est, Ramessem ad æternam rei memoriam se patremque in hoc præsente Obelisco insculpere voluisse, vt coniectis in hanc inusitatam Obelisci molem oculis, quantum ipsis deberent Ægyptij posteri, perpetuâ recordationis gratitudine, animo reuoluerent.

Post hanc epigraphen primo loco in Obelisco occurrit quadratum loculamentum signatum litera C, in quo figura capite mitrato conspicua, & nuda, throno insidens, aliam ante se genibus prouolutam, extensis brachijs in modum petentis & obsecrantis quidpiam, habet; cui benedictionem impertiri videtur; in muro verò variæ videntur ouatæ figuræ; quas sacras tabulas nuncupamus; quæ quidem nihil aliud sunt, quàm sacra quædam amuleta ad Deos propitiandos constituta. Dicimus itaque, hosce schematismos in quatuor Obelisci faciebus prorsus eosdem nihil aliud denotare, nisi primò quidem Mundum Genialem, eiusque munimen veluti exemplar quoddam politices; secundò ipsum adytum Ægyptiorum, in quo Sacerdotes ijs, quos vides, ritibus & cœremonijs inaugurabantur, & eo quidem modo, quem exponemus. *Quadratum loculamentũ littera C signatũ in Obelisco Ramesæo.* *Ritus quibus inaugurabãtur Sacerdotes Ægyptij.*

Primò Sacerdos supremus, cidari seu tiarâ, sapientiæ symbolo conspicuus, throno insidebat, potestatis summæ symbolo, supremi Numinis Hemphta vices referens; hoc enim Numen in adyto, pari symbolorum apparatu effigiatum tenebant; quo indicabant, supremi huius Numinis in omnia rerum à se productarum genera supremum ius, absolutissimum dominium, omniumque sibi subditarum rerum necessariam dependentiam, sine cuius concursu & benigno influxu nihil subsistere possit: nudum exhibetur, quia id ab omni rerum materialium contagione longè remotissimum, nullius indigum, sibiipsi solum sufficiens est. *Hemphta supremum Numen.*

Ab hoc Intellectualis Mundus Sidereus & Politicus, quicquid boni habet, secundùm analogiam quandam participat. Hinc Sacerdotes, vt actiones eorum huic supremo Numini conformiores essent, in adytis suis, ad supremi Numinis iam memorati similitudinem, inaugurationes suas, cœteraque sacra peragebant; quæ quidem nullam vim aut efficaciam obtinere sibi persuadebant, nisi analogo symbolorum apparatu peracta fuissent. Et vt operationes eorum in sollicitatione Deorum maiorem vim haberent; sacras quasdam tabulas ijs hieroglyphicis, quæ maximè Numini, quod vrgebant, congruebant, adornatas, in adytis ponere solebant; quas tùm ex abdita sacramentorum, quæ ibidem peragebantur, virtute, tùm Deorum particulari influxu, magnam vim acquirere putabant ad id, quod à Numine petebatur, impetrandum. Sed de arcana adytorum dispositione vide fol. 393 primi Tomi, alijsque passim locis tùm Oedipi, tùm Obelisci Pamphilij, quorum omnium opticas delineationes in tractatu de Mumijs Ægyptiacis exhibitas contemplare. His itaque præmissis, iam particularem Obelisci interpretationem tandem bono aspirante Numine auspicemur.

§ I.

§ I.

Primæ Columnæ primi lateris Borealis interpretatio;

Latera singula Obelisci Rameſſæi diuiſa in ternas columnas. Prima columna.

NOtandum itaque primò, ſingula huius Obeliſci latera in ternas columnas, & ſeparatas ab inuicem, diuiſas eſſe; quarum prima, quæ denotatur Aſpide ex globo emergente, & quæ flexu facto ſe Cruci anſatæ ſeu Tautico charactèri inſinuare videtur, & ſupremum in columna locum obtinet, exhibet nobis ſupremi Numinis Archetypum Mundum, è quo exiens in vniuerſas entium claſſes, ea animat, viuificat, conſeruat.

Secunda columna. Tertia Columna.

Secunda columna Accipitre denotatur, quo Sidereus Mundus indicatur, cuius moderator Sol eſt, qui in ſubiectam ſibi Elementaris Mundi œconomiam, virtutem ad Archetypi Numinis Ideam exerit. Tertiâ columnâ Sacerdotis figura præſignatâ, Mundus Politicus denotatur, quo Rex Sacerdos, ad vtriuſque tùm Archetypi, tùm Siderei Mundi rationes Politicum Mundum, ſtatumque rerum publicarum ordinat. Atque hæ tres figuræ, triplicem Mundum, Archetypum, Sidereum, & Politicum, referentes, in vnoquoque latere Obeliſci primum locum, vnaquæque in appropriata ſibi columna, obtinent, ſuntque veluti dicti triplicis Mundi quædam epigraphe.

Notandum ſecundò, cùm ob multitudinem figurarum, ſingulas literis ſuis diſtinguere non potuerimus, ad confuſionem vitandam, nos in margine ſingula latera literis Alphabeti diſtinxiſſe, quæ tribus columnarum ſpacijs eſſent communes, ſicque in ſingulis columnis figuræ parallelæ eandem literam reſpicerent. Quibus præmonitis, iam primam

D lateris Borealis columnam, cuius primum ſpacium D litera ſignatur, exponamus.

Aſpis è globo emergens, & Cruci anſatæ ſe inſinuans.

Prima figura in columna lateris A Borealis, è regione D, Aſpis eſt è globo emergens, & Cruci anſatæ ſe veluti inſinuans; quo ſupremum Numen archetypum notatur. E globo euoluitur Aſpis, quia Deus è ſphæræ diuinæ & interminabilis veluti centro quodam euolutus primò Mundo Angelico, deinde Sidereo, (qui duo Mundi aptè per duos circellos ſphæræ impreſſos indicantur) ſe inſinuans, ex hiſce demum in Mundum inferiorem Hylæum ſeu Elementarem, qui per Crucem anſatam, ſeu Tauticum characterem pulchrè notatur, deſcendit; atque hinc denique

Virgilius.

ſurſum elatus ſuæ ſphæræ reſtituitur; vt vel huc Virgilius alluſiſſe videatur.

Principio Cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totumque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Aſpidem autem hunc, ſupremum Numen eſſe, quod omnia virtute ſuâ

per-

peruadat, expressè docet Horus l. 1. c. 2. *Mundum exprimere volentes, serpentem pingunt, qui suam ipsius caudam rodat, varijs interstinctum squamis; per squamas quidem stellas, quibus Cœlum Mundusque distinctus est, obscurè innuentes. Cæterùm hoc animal non secus ac terra grauissimum est, leuissimum autem ac maximè lubricum in morem aquæ. Insuper vt serpens quotannis pellem, simulque senio exuitur; sic & annus vertens, qui Mundi circumactu producitur, immutatione facta renouatur, ac veluti reiuuenescit. Quòd verò velut cibo, suo vtatur corpore, significat id, quæcunque Dei prouidentia in Mundo gignuntur, ea rursum in eadem resolui, & tanquam immutationem sumere.* Quo quidem symbolo non Mundum tantùm hunc sensibilem, sed & insensibilem archetypum, & intellectualem Geniorum, sidereum, & elementaram secundùm quandam analogiam expressisse videntur. Circulus quidem diuinæ Mentis motum ad extra denotat; aspis multiplici squamarum ordine distinctus, primò stellas in archetypo, quæ diuina attributa & perfectiones sunt, dein in Mundo intellectuali diuersos beatarũ Mentiũ exercitus, denique in sidereo astra, in elementari varias inferioris Mundi entium gradus rectè designat. Atque hæc omnia supremum Numen peruadens, vti suâ sapientiâ gubernat, sic eadem summa prouidentia con seruat. Quæ omnia fusè explicata vide in Obelisco Pamphilio fol. 370. Horus. Serpens caudam suam mordens.

Proximè ab Aspide in spacio D sequitur papilio Dracontomorphus cum thyrso papyraceo, quo Pantamorpham seu omniformem naturam, seu potentiam denotabant, in quam proximè & immediatè supremum Numen influit. Hanc Platonici animam Mundi, Ægyptij verò arcaniores fundum paternum vocant, ex tribus triadibus compositum, vt in tabula Bembina exposuimus; eò quòd per tres Mundorum triades insinuata omnibus vitam & motum tribuat. Quomodo autem, & cur Ægyptij huic papilioni, vilissimo animali, tot ac tantas excellentias & prærogatiuas attribuerint, amplè ostendimus in Obelisco Pamphilio fol. 500, quò Lectorem curiosum remittimus, nè semper eadem exscribere cogamur cum excessiuo Operis incremento. Adiunctum papilio habet papyraceum seu iunceum thyrsum, quo rerum necessariarum vbertas, quam in Mundorum memoratorum entia, pantamorpha natura ideis referta confert, notatur. vide cit. loc. Suprema itaque natura naturans primò se pantamorphæ huic naturæ communicat, quæ vim participatam transfert in inferiores Mundorum Horizontes, quos duo hemicycli infra papilionem positi, notant; virtutem Pantamorphæ participat Agathodæmon trium sectionum, vt Ægyptij vocant; & Agathodæmonem quidem notat figura *A*, vti in Alphabeto mystico & alibi varijs in locis docuimus; tres verò secures sequentes indicant trinam dicti Agathodæmonis potentiam, quâ, quidquid in triplici Mundo Typhonium seu Bebonium est, resectum extirpatur. Atque hoc ita esse, ostendit huius Agathodæmonis statua, oppidò frequenter inter hieroglyphicos schematismos obuia; quæ sub forma humana, oblongâ veste inuoluta, manu dextrâ gnomonem, sinistrâ securim tenet; quibus symbolis pulchrè sanè huius Agathodæmonis officium exprimitur, quod est, iniusta æquare, ἀνώδυτα seu

D Papilio Dracontomorphus cum thyrso papyraceo. Papyraceus seu iunceus thyrsus. Agathodæmõ per literam A significatur. Secures tres.

incompoſita ritè componere, ἄκρατα ad perfectam temperiem redigere; quæ quidem ſymbola in ſequentibus Syntag de Canopis hieroglyphicis ampliùs deſcribimus. Græci certè Iouis Labradæi ſimulachro, non aliunde niſi ab Ægyptijs edocti, ſecurim, teſte Pauſania, adiecerunt; eſt enim Labris Lydorum linguâ nil aliud, niſi ſecuris, ac proinde optimo iure Labradæum, ab effectu videlicet, quo Mundum reſectis ſuperfluis & inutilibus expolit & exornat, appellandum cenſuerunt.

Iouis Labradæi ſimulachrum. Pauſanias.

Porrò Agathodæmoni potentis ſectionis coniunguntur Genij concordiæ, qui aptè, teſte Horo lib. 1. c. 8. per duas Cornices exprimuntur; E quorum ope, reciſis omnibus malignis, Mundi in ſua proſperitate & incolumitate ſubſiſtunt & conſeruantur, ſalus & vita conceditur; quæ omnia indicantur per ſymbola inter E F contenta. Quoniam verò hæc felicitas & concordia diu conſeruari non poteſt, Numinibus ἀντιτέχνοις in diſſidiorum concitatione ſtrenuè inuigilantibus; hinc Ægyptij Mom-F phtæi Numinis ſimulachrum, quod iuxta F ponitur, ſacro ritu conſecratum ἀντιτέχνοις Dæmonibus, qui aptè per Noctuam ſignificantur, opponere ſolent. Eſt autem in ſingulis Mundis Momphta idem, quod vis efficax, robuſta, vigilans, & prorſùs Martia, ſiue in Mundo Archetypo diuinæ Mentis; ſiue in Intellectuali eorum Geniorum, quos hypozocos ſiue ſuccinctos vocat Zoroaſter; ſiue in Mundo Sidereo Martij ſideris Præſidis; ſiue in Elementari, ignea ſeu Orimazæa vis, Arimaniæ, quam Noctua indicat, poteſtati ἀντίτεχνος: hâc enim omnis inimica Arimaniarum poteſtatum vis profligatur & perimitur: defertur enim per omnes Mundorum ſemitas, ſingula corroborando animandoque; vnde aptè G eius defluxus exprimitur per baryn nauim, quæ ſub Noctua immediatè ponitur; ac proinde Ægyptij quotannis ſimulachrum huius barys per fluenta Nili, in terra verò trahæ impoſitum ſub incrementi Nilotici principium de ciuitate in ciuitatem, multis cœremonijs, vt Manethon refert, tranſportatum, tandem in Iſidis templo, iuxta ſtatuam eiuſdem collocabant; quæ omnia aptè exhibentur per baryn & Sacerdotem cum ſtella, & traha ſeu vehiculo, & denique per mulierem nudam, ſeu Iſidem throno inſidentem, & manu baculum Cucuphæ capite inſignitum, varie-H tatis rerum indicem, præferentem. Quia verò Arimania ſeu Typhonia Mundorum vis, dominio potens & ipſa per Mundos diuagata, nihil intentatum relinquit, vt Geniorum concordiæ, Momphtæ & Iſiaci Numinis hucuſque memoratorum catenas perfringat, vti ſymbola inter H & I concluſa indicant; hinc ſacram tabulam, efficaciſſimum amuletum præ-I ſcribunt, eſtque oualis figura, quam I litera indicat, in quâ ſphæra, murus, & Scarabæus, cum tribus limitibus ponitur; vbi circulus ſemotum Deitatis receſſum, Scarabæus Oſirin, murus Politicum Mundum, tres termini leges triplices, Monarchicas, Sacerdotales, & populares, in quas tota Ægyptiorum politica reſoluebatur, quas vti terminos quoſdam humanæ rationis præterire non licebat, indicant.

Concordiæ Genius duæ cornices. Momphtæũ Numen quid. Barys nauis. Sacerdos cũ ſtella. Ibis throno inſidens. Tabula ſacra. Figuræ inter I, K, L, comprehenſæ in Obeliſci Rameſſæi latere Boreali.

I Sequuntur ſymbola inter I, K, L comprehenſa, muri figura cum ba-K culo incuruo, ſceptro conico cum circulo, quæ ſequitur ſceptrum ἀσέμνορον, id eſt,

id eſt, capite Hircino conſpicuum, cum quadrifido Mundo, & hydroſchemate, quæ Serpens, hemicyclum, ſceptrum ſimplex, oculus, & muri figura, cum tribus circulis ſequuntur; quæ omnia effectus indicant ſacræ tabulæ, videlicet firmum præſidium, diuini regiminis miram fœcunditatem in quadripartitos Mundos diffuſam, humidi vitam, diuini ſeu archetypi intellectus vigilantiam ſupra trium Mundorum adminiſtrationem politicam; quâ Arimania vis, quam Noctua ſequens exprimit, exterminatur. L

Symbola poſt Noctuam inter ſpacia L, M, N, comprehenſa ſunt, figura ſedis, hemicyclum, cum quadrangulo, & penna, quadrifidus Mundus, cum tribus terminis, binis ſemicyclis, circulo, & tribus ſecuribus, quæ ſequitur murus ſeptem apicibus diſtinctus, cum hydroſchemate, & penna, quæ ſequuntur duæ fauiſſæ & cycloides, caput Hori, vultur, oculus, hydroſchema, ſerpens, anſer. Quæ nihil aliud, quàm abditas in Archetypo Mundo latitantes virtutes ſignificant, vti explico. Eſt in Archetypo Mundo, non ſecùs ac in reliquis Mundis, Regia poteſtas, quæ indicatur per throni figuram, infima ſuperis coniungens; eſt penna Ibidis, id eſt, vis profligatiua malorum in ternas quadrifidi Mundi leges diffuſa, cum trina exciſionum poteſtate in ſeptem arces ſuperioris & intellectualis Mundi, quæ per murum ſeptem apicibus inſignem indicantur (alludunt ad hoc, quòd ſicuti in Mundo Sidereo ſunt ſeptem planetarum arces, ſic & in Archetypo ſecundùm analogiam ſimile quippiam reperitur) à quo ſupramundano munimine aqua ſcaturit Oſiridis in piſcinas cœleſtes, quæ ſunt principium veluti quoddam paſſiuum, in vtero ſuo omnium generabilium rerum ſemina excludente, vti rectè l. 1. c. 11. de Vulture tradidit Horus. Quoniam verò cœleſtes piſcinæ concipere non valent, niſi oculo cœleſtis Oſiridis continuò foueantur; hinc oculus rectè poſitus eſt, ſub quo hydroſchema, ſerpens, anſer, traha, Iſis throno inſidens cum ſceptro Cucuphomorpho; hinc enim humida ſubſtantia vitam acquirit, influxuſque eius per cœleſtia penetralia deriuatus, in Iſidem deſcendit, totius inferioris ſubſtantiæ, varietatiſque in ea producibilis matrem. Quæ ſymbolis intra O & P incluſis luculenter indicantur; humore enim fœcundat, quod hydroſchema, cum ſceptro teſticulis inſignito indicat; vitam præbet, vti Serpens docet; Anubidis benignus influxus & vis benefica, per Canem iacentem, & brachium extenſum ſignificata, & ſimul Oſiridis vitalis motus per Accipitrem, & Serpentem adiunctum indicatus, in vniuerſum Mundum per Hori caput indicatum, transfunditur; ita diuinus Hermes Agathodæmon dominio præpotens, ſacrorum, temporum, legumque conditor ſapientiſſimus docuit, quæ inter P & S oualis figuræ incluſa ſymbola ſignificant, quæ in ſequentibus fuſiùs explicabuntur. De reliquis, quæ ſequuntur, ſymbolis, in fine explicationis huius Obeliſci fuſiùs agetur.

Figuræ inter L, M, N, comprehenſæ. L M N

Archetypi Mundi virtutes latitantes.

Horus.

Figuræ inter O & P comprehenſæ. O P

Figuræ inter P & S comprehenſæ.

Vides igitur curioſe Lector, quomodo in hac prima columna ſupremum triforme Numen amore quodam ſe ad extra communicandi agitatum, ſe principalibus Mundorum Genijs communicauerit, ideis ſuis ex-

Primæ columnæ lateris Borealis Obeliſci Rameſſæi epitome.

pleuerit, Mundorum curam reliquerit; ac primò quidem influxum suum deduxit in Pantamorpham Mundi naturam omnium moderatricem; hæc in Agathodæmonem potentissimæ virtutis quæ ad profliganda extirpandaq; mala apta est, transfundit, quâ Mundorum pax & vnanimis conspiratio conciliatur per Genios concordiæ; hi in Momphta ad concordiam conseruandam transmittunt in Momphtæi Numinis imperium, cuius officium est, aduigilare contra omnes aduersas & Typhonias potestates, quarum studium est, concordiæ partum distribuendi & extirpandi. Harum machinationibus Nephta, Osiris, Horus, Isis, singuli in appropriatis sibi Mundis obstant, rerumq; sibi commissarum curę inuigilant; vnde ex hac Geniorum concatenatorum conspiratione, Mundi ab omni confusione & perturbatione immunes consistunt; vnica & perfectissima, ad quam Hermes politicum statum ordinari debere præscripsit, idea & exemplar, vt in tertiæ columnæ explicatione patebit. Sed his ita expositis, iam secundam Siderei Mundi columnam auspicemur.

§. II.

Secundæ columnæ primi lateris Borealis Obelisci Ramessæi interpretatio.

Secundæ columnæ lateris Borealis interpretatio. Siderei Mundi Numinum connexionem monstrat.

D Accipiter tutulatus.

IN secunda columna primi lateris Borealis primum locum obtinet Accipiter tutulatus; qui in hoc Sensibili Mundo choragum agit, Solare videlicet Numen, quem Osirin vocant, vt iam sæpe dictum est. Insidet quadrangulo parallelogrammo, cui inseruntur bos, brachium extensa manu conspicuum, cum hieralpha, cui appositus est circulus, cum I. Quadrangulum hylæum Mundũ cui dominatur notat Bos Apidem, Osirin terrenum Cœlesti subdelegatum, cuius beneficâ vi per brachium extensum notatâ, & à Cœlesti Osiri participatâ omnium in inferiori Mundo necessariarum rerum vbertas emanat. Hinc ab Ægyptijs non incongruè Agathodæmon inferioris Mundi dicitur, vt A figura cum globo & I suppositа docent. Verùm hanc eandem figuram cùm in omnibus ferè Obeliscis sequentibus expposituri simus, eamque in Obelisco Pamphilio fol. 442 exposuerimus, eò Lectorem remittimus.

E Bos Apidem significat.

Aspis, & Accipiter dormiẽs

Sequitur quadrangulum Aspis squamato pectore surrecta, frequenter, vti in hoc, ita & in alijs Obeliscis obuia, ponè quam Accipiter, qui contracto collo veluti dormire videtur, assidet. Per hunc Osiris indulgens, per Aspidem, teste Eusebio, Agathodæmon Ophionius indicatur; quæ duo in vnam statuam conflata Ægyptij in solemnitatibus Comasiarum, ἱεραχόμορφον, id est, Aspidem Accipitris capite horrendam producebant; de quo Arius apud Eusebium his verbis: *Primum, idque diuinissimum animal est Serpens Accipitris formam habens, valde gratiosum; id si palpebras erigebat, primogenitam omnem suam regionem replebat; cùm verò*

Eusebius;

clau-

clausos tenebat oculos, tenebræ fundebantur. Sed explicemus mysterium. Osiris cœlestis iniquâ mortalium vitâ offensus subinde dormire rebus fidei suæ commissis videtur; vnde magna Mundo incommoda & perturbationes nasci, eo verò vigilante, omnia veluti lætitiâ compleri necesse est; dormiente Osiri, Aspis subdelegatus eius Agathodæmon vitæ mortisque arbiter, omnia inferiora conuellit, dissipat, & vt Horus l. 1. c. 2. ait, solo flatu interimens omnia: Osiri verò conuenientibus cœremonijs culto, omnia Mundo bona proueniunt; vnde Ægyptij meritò singulari cultu tam implacabile Numen mulcere solebant; quod si intra sacra oculos tenuisset clausos, summorum id infortuniorum, quæ regnum subire debebat, omen erat; oculis verò patulis, & benignis, iucundisque visum, magnam promittebat bonorum in Regno vbertatem. Apposite itaque hoc loco diuina symbola ponuntur; quorum Accipiter Osiris denotat clementiam, bonitatem, pietatem, & beneficentiam; Aspis verò Martio rigore tumidum, vti squamatum pectus, quod surrigit, satis ostendit, iustitiam, seueritatem, & rigorem summum Osiridis, qui tunc primùm emerserit, quando clementiâ & pietate Osiridis depositâ, rigor iustitiæ in Mundum influxerit. Tunc enim in Cœlo malignorum influxuum coaceruatio, in elementorum verò Mundo, summa rerum dissidia, sterilitas in terris, contagio in aëre, in rebus publicis tumultus ac seditiones mox nascuntur; quæ aptè sanè per sequentem Noctuam è regione literæ F indicantur; quæ, vti iam sæpe dictum fuit, Typhonis, id est, omnium malorum symbolum est; hic enim trino sceptro præualens, Osiris craterem, quem Accipiter cum subiecto cratere exprimit, exsiccare omnibus modis laborat. Vnde imminentibus huiusmodi calamitatibus Sacerdotes Osiridis Σεῖρων, id est, catenam, quam Sacerdos cum apposita figura catenæ exprimit, id est, Geniorum iuxta ternas triplicis Mundi leges dispositorum catenam continuis sacrificijs sollicitare solent: his enim primò polymorpha Mundi natura, per Papilionem alatum ἱερακονττόμορφον, indicata attrahitur, & rerum necessariarum vbertas, quæ per thyrsum papyraceum indicatur, expulsis malis, conceditur. Ad quod plurimùm sequens tabulæ sacræ amuletum ouatæ figuræ inclusum confert; & est, circulus, murus septem cuspidibus conspicuus, cum Scarabæo: per circulum suprema diuinitas; per murum septicuspidem, septem principalium Mundi Geniorum præsidium, quibus Solare Numen per Scarabæum expressum vnicè dominatur, exprimitur. Vidimus amuletum, iam effectus quoque eiusdem examinemus. Sequitur ouatam figuram murus duodecim cuspidibus insignis, quas arces Ægyptij nominant, Arabes بروج *berugts*; Græci πύργους, turres, vt alibi, & potissimùm in Obelisco Pamphilio fol. 510. ostensum fuit. Per hoc duodecim Geniorum, qui Zodiaci signis præerant, notatur præsidium, quòd huius amuleti vsu, septem planetariorum Numinum cum hisce dodecadespotis concatenatorum seriem trahi putarent. Sequitur penna, cum hydroschemate duplici, ansere intermedio, & sceptro testiculato, quæ sequitur K Serpens, baculus incuruus, & persea tribus ramis conspicua, cum binis L hydro-

Marginal notes: Aspidis cultus apud Ægyptios. — Horus. — F — Noctua Typhonis symbolum. — G — Osiridis catena. — H — I — Amuletum columnæ secundæ lateris Borealis ad lit. I. — Figuræ inter literas K, & L comprehensæ.

hydroschematis, Serpente, Ibide, Noctua. Quibus quidem symbolis aliud non indigitatur, nisi effectus, qui attractum illum consequitur, humidi superlunaris in Genium Lunarem per Ibin expressum traductus, quo fœcundantur, & viuificantur omnia, & totius anni, cui præest, & per
M duodecim menses distributi decursu, quem triplex ramus indicat, vita omnibus conceditur. Lunaris siquidem Genius per Ibidem, Typhoniam Noctuæ vim profligat, fortis Latrator Anubis accubans quadrifidi Mun-
N di custos, in Typhoniæ Noctuæ machinationes pariter inuigilans, catenam canalium Osiridis, rerum omnium necessariarum prouidi Numinis,
O vti & Hermanubin ad subueniendum mouet; quorum duorum Geniorum efficax est sacræ tabulæ sequentis prophylacticum & periaptum attractiuum. Sed symbola eius explicemus. Ibis Alphæ in formam normæ adaptatæ insidens notat Mercurium Agathodæmona exactum omnium dispositorem; Scarabæus Osirin, cuius instrumentum in palæ figuram eidem superpositum agriculturæ index est; triplex ramus, 12 menses, quibus vterq; & Hermanubis, & Scarabæus Osiris Mundū peragrantes totius anni decursu, rerum omnium vbertatem præstant. Totius huius speculationem vide magna authoritatum farragine comprobatam in Obeli-
P sco Pamphilio fol. 363. Huius enim periammatis vi, efficacia dodecadespotarum Zodiaci per murum δωδεκάπυργον in inferioris Mundi sacras piscinas, quæ per circulum hemicyclum, & tria trapezia persorata indi-
Q cantur, deriuatur; de quibus cùm alibi fusè dictum sit, modò sileo. Re-
R liqua symbola inferiùs posita, vt sunt, Alpha cum duabus pennis, Crux ansata cum pyramide, & vrna Nilotica ansata, cum penna, pariter ad dictas supernas virtutes trahendas efficacissima amuleta sunt ex mente Ægyptiorum, vt paulò post dicetur.

Amuletum colum. sec. lateris Borealis ad lit. O.

§ III.

Tertiæ columnæ lateris Borealis interpretatio. Politicum Mundum exhibet:

E regione D

Clemens Alexand. Stolistarum officium.

IN tertia columna lateris primi Borealis primo loco ponitur Sacerdotis figura ex eorum numero, quos Stolistas vocant, teste Clemene Alexan. lib. 6. Strom. iustitiæ cubitu & calice ad libandum instructi; quorum officium erat, ad ea omnia, quæ ad sacras disciplinas & instituta pertinebant, inuiolabili rigore seruanda, & illibato vigore custodienda sollicitare; præterea de rerum publicarum, negotiorumque politicorum administratione ex sacris libris decreta, bono communi proficua, & ad regni stabilimentum conducibilia depromere. Ad quod ritè præstandum duo potissimùm requirebantur, iustitiæ cubitus, onerum, officiorum, præmiorumque regni summâ æquitate & iustâ mensurâ distribuendorum symbolum; alterum erat cultus diuinus, totius felicitatis politicæ finis & sco-
D pus vltimus. Exprimit hæc ipsa Sacerdotis ad Numina conuersi, atque

ex-

extensâ manu voluntatem eorum veluti explorantis figura; cubito iustitiæ ad omnes iustitiæ partes complendas se promptum paratumque exhibet, omne studium in hoc ponens, vt ad normam tùm Archetypi, tùm Siderei Mundi omnia ritè adaptet; appositas habet sacras tabulas seu amuleta, quibus fretus omnia se executioni iuxta Deorum voluntatem daturum confidit; norma paulò post sequitur, iustitiæ & æquitatis symbolum; pala normæ iungitur, è regione Apidis, quâ innuitur, in rebus publicis rectè administrandis nihil adeo necessarium esse, quàm agriculturæ opera, quibus Mundi Politici corpus quadantenus sustinetur & conseruatur. Sequitur Accipiter inter duos globos, Osiridis vtriusque Siderei & Elementaris Mundi Numinis, à quo leges sumit Rerumpublicarum benè administrandarum. Leges verò inscribebantur duabus columnis, in singulis quatuor leges potissimùm cernebantur, vti è regione E patet. D 4 E

Per has figuras indicant Sacerdotes mystæ, columnas Hermeticas seu *Isiacas*, in quibus octo leges maximi momenti inscribebantur, vti Iamblichus testatur, & Plato lib. 4. Dialog. de legibus, iuxta Antiquorum traditionem recenset; & sunt. Prima, prouidentiam nunquam deesse hominibus, modò sibiipsi non desint. Secunda, Regibus superbiam, & lasciuiam, quæ ex summa rerum licentia & potestate vtplurimùm originem suam ducunt, summopere vitandam esse. Tertia, sicuti bestiæ non possunt à bestijs absque humano pastore, sic nec homines ab hominibus absque Deo Duce optimè gubernari; sine quo omnis vita miserabilis & laboribus plena efficitur; præ omnibus itaque alijs vnicè diuinus cultus & religio, tanquam finis vltimus politiæ, amanda & quærenda. Quarta, ipsa Mentis distributio est lex quædam, cui in omni & priuata, & publica gubernatione obtemperandum. Quinta, nullæ constitutiones appellentur leges, nisi commune bonum procurent. Sexta, qui obseruantiùs parent legibus, his magistratus, maximèque diuini cultus munera committantur. Septima, interitus Ciuitati vel Regno paratus est, in qua non leges Magistratibus, sed Magistratus legibus dominantur. Octaua, non nisi prudentiâ conspicuis & Senibus esse committendum Magistratum. Atque hæ sunt leges Hermeticæ, seu leges insculptæ columnæ Isiacæ, quas Plato suis interseruit Dialogis de legibus, quemadmodum Marsilius fusè in suis præfationibus demonstrat, & Iamblichus lib. de myster. apertè docet; quas quidem octo leges vti hîc, sic & hieroglyphicè expressas in sequentibus Syntagmatis planiùs exhibebimus. Quoniam verò quatuor legum in columna poni solitarum meminit Herodotus in Clio, eæque hieroglyphicis hoc loco apprimè exprimuntur; eas hic opportunè explicandas duxi.

Leges octo Hermeticæ. *Iamblichus. Plato.* 1. Lex 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Marsilius Ficinus. Iamblichus. Herodotus.*

In more positum erat Ægyptijs, teste Herodoto in Clio, columnæ inscriptas monstrare quadruplices leges studiosè obseruandas, quas binæ columnæ quatuor sceptris transuersis exornatæ monstrant, quarum prima Mundo Sidereo, altera Politico, qui leges suas à Sidereo accipit, conuenit. Est autem lex quadruplex, Regia, Sacerdotalis, Nilotica, agri-

Quatuor Ægyptiorum leges ex Herodoto.

cultoria; quibus veluti columnis vniuersa Regni felicitas sustinetur, hisce veluti sceptris quibusdam omnia in Regno administrantur; & hæ quatuor leges sequentibus symbolis indicantur. Prima thyrso papyraceo, quâ Regia lex indicabatur, & symbolum erat, vnicam Regis curam esse debere, de rebus Regno conseruando necessarijs prouidere; ex hac enim felicitas Regni & pax resultabat, & summus omnium erga Regem prouidum & benignum, affectus. Secunda Sacerdotalis lex innuitur per duas pennas Accipitris, quas Sacerdotes sacris operam dantes, in capite, teste Clemente Alexand. l. 6. Strom. gestare solebant; per quas quidem nihil aliud indicabatur, nisi sacræ contemplationis studium, & diuini cultus cura, sine qua Regnum diu consistere minimè posse, rectè nôrant, sat benè secum geri sentientes, si per religiosum cultum honore & reuerentiâ Dijs exhibitâ eos sibi conciliarent, à quibus totius Reipubl. salus, bonorumque omnium affluxus prorsùs dependeret, vtpote apud quos omnium esset constitutum arbitrium. Tertia Nilotica lex ad Prophetas spectabat, quæ apposite sanè per vas Niloticum, cuius figuram collo, aut brachijs, tanquam rem sacerrimâ gestare solebant. Hoc vas præ cœteris portabant Prophetæ, quorum officium erat, sacris præesse, librosque quos Sacerdotales vocant, & continent leges, & Deorum cultum, & vniuersalem Sacerdotum doctrinam, custodire; vectigalium quoque distributioni præerant. ita Clemens Alex. l. 6. Strom. quem vide allegatum quàm fusissimè Tomo I. fol. 117. Nilotica verò lex continebat Nili, Geniorumque eius Præsidum cultum, quem statutis anni diebus populo intimare debebant Prophetæ; præterea de fertilitatis aut sterilitatis ex incremento Nili prouenientis quantitate, iudicium ferre; quòd si fertilitatem spoponderet, debitis sacrorum solemnitatibus Deorum beneficia testari; sin sterilitatem, Deorum iram placare, & aliunde de noua Regno annona prouidere. Quarta lex erat Agrigulturæ, & indicabatur per sequentem traham, instrumentum georgicum, quo vnanimis subditorum conspiratio notabatur in ijs rebus impigro labore exequendis, à quibus omnium salus & felicitas dependeret, cuiusmodi agriculturæ studium erat; cuius tres potissimùm sunt Præsides; Mendes, qui indicatur per Hircinum caput, & fœcunditati præest; Momphta, qui indicatur per *M* symbolum κυειολογικὸν, & aquæ ac humidæ naturæ præest; & Osiris cœlestis cum brachio extensâ manu Capreolum vitis tenente, cui subiungitur rastrum agriculturæ instrumentum ad glebas diffringendas aptum; Osiris enim teste Tibullo lib. 1.

Quatuor prædictarũ legũ hieroglyphica 1 lex Regia.

2 lex Sacerdotalis. Clemens Alexand.

3 lex Nilotica

4 lex Agricultoria.

F Tibullus.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ, &c. vt suprà.

Osiris agriculturæ inuenit.

Vnde Ægyptij ad beneficam eius vim innuendam, brachium extensum cum manu Capreolum vitis tenente ponebant, vti copiosissimè ostendimus in Obelisco Pamphilio fol. 442. & in primo Tomo de Nilo. Mendes ita-

itaque per Hircinum caput, Momphta per *M* figuram, & Osiris per brachium extensum significata Numina potissimùm in agriculturæ studio inuocabantur, trinisque trium Mundorum legibus præesse dicebantur; vti aptè exponitur per tres terminorum triades sub rastro positorum. Hi autem omne bonum à Pantamorphæ naturæ præsidio, quod per Papilionem δερμοντόμορφον notatur, vt iam sæpe diximus, hauriebant, cuius periamma erat sequens sacra tabula ouata, intra quam circulus, murus ἑπτάπυργος, & Scarabæus cum tribus terminis, cuius in præcedentibus expositam interpretationem vide. Sequitur figura instar laquei, estque potentiæ Osiriacæ index, quâ Typhon subiugatur; & exprimuntur per chordam, brachium, & Noctuam; hoc vitalis Osiridis potestas per Mundi semitas delata, varietatem quadrifido Mundo confert; quæ omnia per brachium extensum, Serpentem, temonem, vas Niloticum funiculo suspensum, pennam, & segmentum circuli, sceptrum Vpupæ capite insignitum, & figuram circularem cruciformem indicantur, & omnia ad politicam hoc pacto traducuntur. Tabula sacra cultum diuinum indicat, ouata figura Mundi rationem, quam Archetypus Principis intellectus in omnibus imitari debet; quod enim diuinus in omnibus intellectus, hoc intellectus Principis in Mundo Politico. Murus quod in Mundo Sensibili per septem planetarum regimen indicat, id in Politico statu per septem diuersorum hominum; & ex ordine quidem Sacerdotum erant, Cantores, Horoscopi, Sacri Scribæ, Stolistæ, Prophetæ, ex plebæo ordine Milites, Agricolæ, Artifices; quorum officia singula fusè descripta vide in Politica Ægyptiorum Tom. 1. fol. 115. His enim vniuersa Regni moles sustinebatur. Per Scarabæum verò Rex masculâ virtute, & summâ fortitudine, & prudentiâ præditus indicabatur, cuius directione tota politici status moles legum veluti præfixis terminis agitabatur; per chordam verò quæ ouatam figuram sequitur, leges innuuntur; per brachium extensum Principis liberalitas & beneficentia, quibus solis omnes Typhoniæ coniurationes dissipantur; beneficentiâ siquidem, & legum quâdam æquitate & iustitiâ, vita Mundo Politico inducitur. Quæ omnia fusiùs sequentibus symbolis indicantur.

G H I

Politica documenta.

Scarabæus Regē denotat.

I

Horus.

K

Accipitrina capita duo quid significent;

Sequuntur duo capita Accipitrina, de quibus ita Horus: *Martem verò & Venerem notantes, duos pingunt Accipitres, eorum marem Marti, fœminam Veneri comparantes; in quo non secùs ac Sol ter denarium numerum explet in congressu Lunæ, ita Accipiter in fœmina, quæ si vel tricies in die à mare comprimatur, ab eo digressa inclamataque paret iterum.* Ægyptij itaque hoc symbolo significare volunt Solis actiones in Politico Mundo imitandas esse, qui sicuti in Luna influxibus suis imprægnanda triginta dies consumit, ita Rex Regnum suum singulis mensibus salubrium consiliorum intimatione imprægnare debet; leges enim & consilia, quantò crebriùs repetita, tantò firmiores in subditis radices agunt. Sequuntur iam vas Niloticum funiculo appensum, cum penna Accipitris muro immipentia; quo leges Niloticæ indicantur politico regimini necessariæ, cùm humidum immortalium Numinum donum sit, quo Ægyptus destituta,

Rex Solē imitari debet.

L

Vas Niloticū funiculo appensum.

tuta, vt interiret, necesse est. Summo itaque Osiris & Momphta, quos duos Niloticos Genios Accipiter & Leonina statua indicant, honore colendi sunt, ob beneficentiam humidi, vnde vita rerum redundat; & ob beneficentiam legum, vnde vita pariter Reipul. statui emergit; sine legibus enim fieri non potest, vt conseruari possit; quæ omnia aptè insinuantur per symbola inter K, L, & M contenta, vt Lectori vnum cum altero comparanti patebit. Sequuntur porrò Accipiter cum flagello, cui supponitur hydroschema, Serpens, duæ Noctuæ, Scarabæus, Serpens, Noctua, sceptrum testiculatum, tres limites, hydroschema, claudit agmen Ibis. Quæ symbola ita interpretor. Osiris auerruncus Genius (hunc enim aptè exprimunt Accipiter cum flagello illi antepósito) in vitalem humorem tripotens (quæ per hydroschema, sceptrum, Serpentem, & tria sceptra indicantur) Typhoniam vim in Austro & Borea stabulantem, per duas Noctuas & binos terminos indicatam, vnà cum subordinato sibi terreno Osiri, per Scarabæum indicato, ita Typhonem profligat, vt tamen eum viuere patiatur. Alludunt hoc ipso ad politicum Regni statum, cui subinde bonum est, aduersarijs premi, cùm aduersitates huiusmodi Reges vigiles, prudentes, & ad omnes aduersariorum machinas penetrandas circumspectos; contrà diuturna pax, & bonorum omnium abundantia improuidos, languidos, & somnolentos reddat: idem enim in Politico Mundo Typhonem præstare nôrant, quod in Sidereo Martem ad Solem & Iouem comparatum, qui tametsi malignus, virulentus, & prorsùs perniciosus sit, sua tamen in siderea œconomia emolumenta confert, vti in Politica Ægyptiorum fusè traditum fuit. Typhon enim non adeo sterilis est, vt non suam fœcunditatem habeat; quæ quidem nihil aliud est, quàm exactissima legum ab Hermete præscriptarum in subditis obseruatio, quâ vnà cum iustitię rigore vigente, dũ omnes in commune bonum, & contra Typhonem vigilant, rectam inde rerum administrationẽ in Politico Mundo resultare necesse est; vnde perquàm appositè hæc per Scarabæum, & Serpentem, & Sceptrum testiculatum, quibus Noctua intermediat, vti & per tres limites, sceptrũ Momphtęũ, hydroschema, & Ibin expresserunt. Concluditur itaq; idealis discursus, per sacræ tabulæ schema inter O & P, intermedium, quod cùm in præcedentibus exposuerimus, hic eidem diutiùs immorari noluimus. Symbola quæ sacram tabulam sequuntur, sunt, murus cum penna, Bos, Ibis, Serpens, Alpha cum duabus pennis, & pyramis cum Cruce ansata; quibus sacræ tabulæ effectus indicantur, qui sunt attractus Apidis, Hermetici Agathodæmonis, & vitalis Animæ Mundi influxus, vt aliàs probatum fuit. Vides itaque ex hoc ideali tertiæ columnæ discursu, quomodo Ægyptij leges suas tùm ad Archetypas, tùm ad Siderei Mundi leges, appositè adaptare conati fuerint?

M

Politico statui subinde prosunt aduersa.

CAPVT V.

Interpretatio secundi lateris Meridionalis Obelisci Lateranensis.

HAbet hoc latus Meridionale Obelisci Rameſſæi ſiue Lateranenſis figuras A, B, & T communes prorſus & eaſdem cum figuris primi lateris Borealis A, B, C; quorum ſignificatio cùm in præcedentibus fusè expoſita ſit, eam hic minimè repetendam duximus. Poſt epigraphen A itaque A, & duorum Regum Ægypti Sothis & Rameſſis huius Obeliſci B erectorum conſultationes B, inaugurationemq; Sacerdotum in adyto T, T notatu dignum occurrit, quòd Sacerdos inaugurandus flexis genibus ſupremi Numinis vices gerenti Sacerdoti mitrato, & throno inſidenti ſupplicare videtur ad influxu ſuo imbuenda duo punica poma, aut veriùs papaueracea capita, quæ manibus geſtat. Quæritur itaque, quid ſibi voluerint duobus iſtis pomis granatis, aut papaueraceis capitibus? Reſpondeo, eos nihil aliud intellexiſſe, niſi Regnum: ſicut enim in pomo granato, ſeu papauere natura perfectiſſimam coronam effinxit, intra corticem verò innumeros incluſit acinos in diuerſa quædam receptacula diſpertitos, reuera tamen cortice veluti muro quodam omnes vnitim concluſos; ita in ſtatu politico ſub vna quidem corona diuerſi ſtatus, diuerſæ conditionis homines, quà officijs, quà muneribus diſtincti continentur; qui quàm diu ſub cortice regni, quæ eſt legum obſeruantia, ſimul continentur, tam diu publici ſtatus vigent & conſeruantur; ſi verò læſo cortice vel vnum receptaculum læſum fuerit, totum computreſcere neceſſe eſt. Ita Euſebius; *Papauer Ciuitatis ſymbolum fuit, quia vti in ciuitate multi homines habitant, ſic in papaueris capite, quaſi intra eadem mœnia, multa ſunt ſemina; & vt Ciuitas in vicos & domus eſt diſtributa, ſic & papaueris caput in multas intus partes eſt diuiſum, multaque interſtitia habet.* Pierius verò in hunc locum ita commentatur: *Papauer quidem Cererem, atque adeo terram omnem humano commercio habitatam hieroglyphico ſuo referebat; neque hoc vna tantùm de cauſa; orbicularis enim figura eius, perinde ac terræ, protuberat, vndecunque conuallibus quibuſdam veluti ſubſidentibus, montium quodammodo iugerumque ſpecie, locorumque reductorum effigie, interiora denique folliculis quibuſdam diſtincta gerit, veluti etiam nationes hominum & fluuijs, & montibus, & vrbibus diſpertiuntur: innumera præterea includit ſemina veluti homines, quæ iuſtitia & legum latione adminiſtrantur.* De malo verò punico ita differit: erat autem illud præcipuum eius mali ſymbolum, vt populos genteſque varias vno Collegio congregatas ſignificaret; id ea de cauſa factum putem, quòd grana illa ſine folliculis quibuſdam aliquo numero ab ijs ſegregata, Prouinciarum veluti limites quoſdam præ ſe ferre videantur; & ſingula hominum vel Collegia, vel Nationes potiùs iuribus diſsitas ab alijs diſtinguere; varij enim loculi Circo quodam ſuo deſcripti cum granis ſuis, varias ibidem gentes, ſuis quaſque finibus terminatas indicant. In ſolen-

Marginal notes: Latus Meridionale Obeliſci Rameſſæi. — Melogranata, & papaueracea capita Regnorum vnionem denotãt. — Euſebius. — Pierius. Papauer terræ ſymbolum. — Mali punici ſymbolum.

Mala punica, seu papauera offerebant Sacerdotes Ægyptij.

nibus itaque festis de rerum publicarum statu in adytis consulturos Sacerdotes, siue papauera, siue mala punica supremo Numini obtulisse, vel ex hoc adducto Schemate patet, dum similia genibus flexis offert Numini, abdito quodam symbolo innuens, earum potissimùm rerum curam habendam esse, quæ occulta siue papaueris, siue mali punici significatio exprimebat, & de quibus hoc in Obelisco essent tractaturi. His itaque præmissis, iam ternas huius lateris Australis columnas interpretari auspicemur.

V

Columna prima lateris secundi Obelisci Ramessæi.

Primo columnæ loco è regione V, Sacerdos mystico habitu indutus, throno insidet, Accipitrem veluti extensis brachijs excipiens; quo indicatur Politici Mundi Principem rationes legum ab Osiri, id est, Siderei Mundi anima accipere, quemadmodum hic à Pantamorpho Mundi spiritu omnia peruadente, qui per Aspidem signatur. Et in præcedente quidem latere, Archetypus Mundus primum locum in prima columna obtinet, qui virtutem suam Sidereo Mundo secundæ columnæ communicatam, tandem in Politicum Mundum tertiæ columnæ influit, hoc veluti descensu quodam in binas Mundorum series facto. Hoc verò latere, Politicus Mundus ascensu facto à Politico Mundo in Sidereum, & hinc in Archetypum, ex singulis, regnis benè beatèque administrandis, necessarias rationes legesque elicit. Quod quomodo faciat, iam exponendum restat.

§ I.

Interpretatio primæ columnæ secundi lateris Australis, quæ Politicum Mundum exprimit.

CVm Deus atque natura hominem agendo producant, eum certè producunt vt agat; agat, inquam, gratia diuinorum. Quemadmodum

Finis cuius gratia homo conditus à Deo optimus.

verò alius finis est, cuius gratiâ natura efficit pollicem, alius cuius gratiâ manum, siue pedem, aliusque rursum, ad quem totum efficit hominem; sic alius finis est, ad quem hominem dirigit singularem, alius quoque ad quem familiam, item alius, ad quem Ciuitatem atque Regnum; alius denique finis ille existimandus est optimus, cuius gratiâ Deus totum genus humanum procreauit. Nemo verò existimet, cùm proprij cuiusque cœtus sit finis, nullum esse totius; cùmque humanæ vitæ partibus insit ordo, in Vniuerso vitæ genere esse confusionem; & cùm partes ob finis vnius intentionem inter se habeant vnionem, eâdem carere Vniuersum, atque adeo dispersum disiunctumque manere. Quamobrem necesse est,

Finis hominis in actione circa optima consistit.

certum esse humani generis finem, eumque in actione quadam circa perfectiora consistere, per quem & superiora pro viribus imitetur, & diligenter inferiora gubernet, scientiâ quidem naturalia perscrutetur, prudentiâ verò disponat humana, pietate autem diuina colat atque veneretur. Quæ quidem perfectio absoluta tot tantisque adminiculis indiget, vt ne-

que

que à paucis quibusdam, neque à multis, sed ab vniuerso simul hominum genere duntaxat possit expleri; neque enim fieri potest, vt tā diuersæ gentes per media tam diuersa ad vnum omnium communemque finē perducantur, nisi ab vno per vnam quandam legem cunctos in vnum pariter conducente. Hinc Ægyptij Monarchicum statum præ cæteris, vtpote ad diuini Numinis, cui quàm simillimus est, exemplar adaptatum, semper magni fecerunt; quod & Plato in libro de Regno approbat, vbi dum Mundi Monarcham quærit, Architectum producit in medium, cuius arbitrio & directione diuersæ conditionis homines, tametsi diuersis rebus artificialibus differant, in vnius tamen arbitrio & directione eius subditi, in vnum finem, qui est tùm fabricæ extructio, tùm eiusdem conseruatio, conspirant. Hinc statim in prima columna symbolum ponitur, Papilio Dracontomorphus cum papyraceo thyrso, quo ad omnia ea, de quibus hucusque discurrimus, respiciunt. Est hoc animal variæ metamorphoseos legibus, vti in Obelisco Pamphilio ostendimus, subiectum; hinc aptissimum meritò Pantamorphi spiritus est symbolum; sic enim principalis totius naturæ Monarcha, omnia operans in omnibus, entia innumera diuersitate dissidentia, summâ pace gubernat, disiuncta summâ vnione in vnum congregat, & ad desideratam singula felicitatem perducit. Atque hoc primum fuit Ægyptijs propositum politici dictaminis exemplar, quòd Regem semper ob oculos habere oportebat, vt inde regiminis sui rationes exciperet, & iuxta eas operaretur. Insinuabant itaque hoc symbolo, Regis Monarchæ esse, dictamine suo omnia in omnibus sibi subditis operari, Protei more ex omnibus omnia factum; quod aptè per Papilionis Ægyptij metamorphosin exprimunt; hoc enim vniformis subditorum ratio fiebat rationi Regis, sine qua vniformitate Regnum vt consistat, impossibile est, vt rectè Plato docet in citato libro; quod quidem dictamen nihil aliud est, quàm singularis Monarchæ prouidentia, quâ singulis subditis prospicitur de singulis rerum necessariarum vsibus; quæ aptè per thyrsum papyraceum notatur Papilioni appositum. Deinde cùm Regni limites varijs hostium insidijs infesti sint, neque humanis consilijs omnia pericula euadi queant; necessariò cultus Deorum immortalium adhibendus est, atque eorundem ira, si quando iniquitates populi efferbuerint, solitis religiosis ritibus placanda, vel vltrò summa ijs ad succurrendum insita pronitas, populi religione aduocanda. Et limites quidem Regni aptè indicantur per quaterna segmenta, & segmentum medium, ad quatuor Mundi Sensibilis horizontalia segmenta, quibus analoga sunt, & per sequentem proximè sacram tabulam, quam in præcedentibus passim explicauimus, disposita. Sequitur sacram tabulam murus δωδεκάπυργος, Regni Siderei symbolum, quod indicat, ciuile regimen ad eius exemplar componendum. Sequitur baculus incuruus dominij à Superis concessi symbolum; sequuntur tres pennæ cum Λ figura, quo symbolo Agathodæmonis Momphtæi virtutes in Regni negotijs exequendis imitandum esse innuitur. Hic enim supremi Osiridis minister sublimitate conditionis suæ omnia supereminet, subtilitate omnia pene-

Monarchicū statum Ægyptij approuāt.

Papilio.

Rex omnia in omnibus suis subditis operari debet.

Dei cultus adhibendus ad conseruationem regnorum.

X

Y

trat,

trat, celeritate motus omnia conficit, quæ ſunt dicti Agathodæmonis proprietates per tres pennas indicatæ; imitandum & Momphtæum Numen per ſtatuā Leoniformem; hic Agathodæmonem per hieralpha, quod manu geſtat, indicat, qui dominio à Superis ſibi commiſſo, vti baculus incuruus illi ſuperpoſitus indicat, maximam in humidam Nili ſubſtantiam vim exerit, vnde magna Vrbibus atque agriculturæ commoda, vti ſymbola Z, innuunt, profluunt; hinc quotannis, teſte Plutarcho, ſtatuam eius Bary per Nilum deducebant, tanquam beneficum Ægyptiæ telluris Numen, vt Barys expreſſa, & binæ manus extenſæ ſat indicant. Per Baryn nauem indicabant politicum Regnum ſummâ curâ gubernari debere, vt inde dicta emolumenta reſultent, ac Vulturis inſtar politico cœlo aſſiduò incubare, & inuigilare contra Typhonias machinationes debere. Sequitur figura globi, è cuius fundo duo pedes emergunt; quo ſymbolo, vti in Obeliſco Pamphilio oſtenſum fuit, occultus ſupremi Numinis per vniuerſas Mundi ſemitas motus exprimitur, Regibus vnicè imitandus: Regi enim ad intima Regni ſui penetralia ſenſibilis proceſſus minimè neceſſarius eſt; ſed pedes eius eſſe debent rectæ rationis dictamina, quêis dum ſalubria Regno inſtituta conduntur & promulgantur, Rex meritò totum Regnum peruadere, & præſentiâ ſuâ omnes animare cenſebitur; & hoc eſt, ſupremi Numinis occultum per vniuerſi Mundi ſemitas motum imitari. Et tametſi hic motus ſupremi Numinis occultus ſit, maximè tamen is, & ſenſibili quadam ratione eluceſcit in Pantamorpha Mundi natura per varietatem effectuum, quam præſtat, quæ per ſequentem Papilionem indicatur; ad innuendum, Principem in conſtitutionum ſuarum executoribus, Conſiliarijs, & Præfectis, per effectus, quos iuſtitia, & legum obſeruatio cauſat, potiſſimùm elucere debere. Vnde tabula ſacra præſcribitur dictorum ectypon, & diuino Oſiridi Legiſlatori attrahendo potentiſſimum periapton; quod in præcedentibus expoſitum fuit. Sequuntur ſacram tabulam duæ Noctuæ, quibus intermediat globus cum binis ſegmentis; quibus indicatur, portantes eam, Oſirin Iſinque de periculis, diriſque euentibus Regno imminentibus (quæ per Noctuas aptè indicantur, vt fusè Hierogrammatiſmo Noctuæ docuimus) vt de rebus maturè diſpicere poſſint, monere. (Nam vt Manethon refert, ſi quis Sacerdotum in ſomno Noctuam vidiſſet, id omninò dirum & inauſpicatum habebatur) Regeſque de Typhonijs machinationibus à ſupradictis tutelaribus Numinibus quadantenus edoceri, vt tempeſtiuè, quibus modis ijs reſiſtere poſſent, proſpicerent. ita Abenephius Arabs lib. de ſeruitute Ægyptiaca.

Z — Plutarchus. — Barys nauis. — A — Globus, è cuius fundo duo pedes emergunt. — B — C — Noctua in ſomno viſa malum omen — Abenephius.

وقالوا ان الهاما هي مبشرة مغطا الاهم وصدقوا ان مغطا يجري الهاما يبشر
كرما يستقبل على بني الناس

Dicebant enim Ægyptij, quòd Noctua nuncia ſit Numinis Hemphta, quæ eſt prima apud eos diuinitas, & annunciatrix omnium, quæ euentura eſſent hominibus. Dira itaque oſtenta per Noctuam indicata, Momphta Niloticum Numen profligare putabatur; vnde eius ſtatuam ſupponunt Noctuis

D

ctuis Leonino capite & flagello conſpicuam; hoc enim Numen omnia, quæ terræ, aquis, ciuitatibus, aris dira diris ominibus portendit Noctua, auertere, & in bonum conuertere credebatur, vti ex D. ſymbolis patet. Sequuntur hæc tres portæ cum quinque limitibus; quo indicatur tribus portis Agathodæmonis Ophionei quinque leges fuiſſe inciſas, quas recitat Ariſtæus Memphita, vt eſt apud Pauſaniam; quarum prima erat, catenam Deorum trahe; ſecunda, faſciculum papyraceum cuſtodi; tertia, ſupernum infernumque Horum benefica Numina liga; quarta, Accipitres binos probè imitêre; quinta, beneficentiâ Horum ſtringe, quod fiet, ſi ad quadrifidam Mundi plagam ſacra ei obtuleris. Quàm hæ quinque leges aptè exhibeantur per ſymbola, aperiamus. Cycloides figuræ ſupra E cum quinque terminis poſitæ, indicant tres portas Agathodæmonis Ophionei, qui vnus erat è miniſtris Momphta, vt Ariſtæus aſſerit; hiſce à Sacerdotibus incidebantur quinque leges cum primis obſeruandæ, & publicæ adminiſtrationis felicitatem reſpiciebant. Prima lex, *Catenam Deorum trahe*, appoſitè exhibetur per figuram E in morem catenæ efformatam, quæ deſinebat in ocularem figuram; per catenam, concatenatio Geniorum Mundi, cuius vertex oculus ſupremæ Mentis archetypus eſt, diuina videlicet prouidentia, indicabatur, quam trahendam lex præſcribit; Deorum autem catenam trahere, nihil aliud eſt, quàm ordinem rerum in Mundo cognoſcere, eundemque aſſiduò contemplari; ex huius enim contemplatione veluti attractu quodã Deorum aſſeclę ſe ſiſtunt in omnibus poſtulatis tuis obedientes; potiſſimùm ſi ſacra illis inſtitueris, operationibus Geniorum Mundi analoga, vti paſſim in toto hoc Opere docuimus. Secunda lex, *faſciculum papyraceum cuſtodi*, quam thyrſus è regione catenæ exprimit; oſtendimus autem in ſuperioribus, thyrſum papyraceum nihil aliud indicare quàm rerum omnium abundantiam; & hoc ideo, quia ex papyro Ægyptij omnia vſibus humanis neceſſaria præparabant, & ſymbolum erat Pantamorphæ naturæ, quam Papilio in Draconis morem tumidus innuebat, & cui ſemper appoſitum inuenies. Itaque papyraceum thyrſum cuſtodire, nihil aliud ſignificat, quàm ſummo ſtudio incumbendum eſſe primoribus Regni, vt de omnibus rebus vitæ humanæ neceſſarijs, ſi ſubditos in pace & tranquillitate conſeruare velint, prouideant. Tertia lex erat, *Horum ſupernum infernumque benefica Numina liga*; quæ ſanè aptiſſimè per laqueum capiti Hori adiunctum, cui paulò infrà mediante Serpente aliud caput ponitur cum duabus manibus extenſis, indicantur. Horus, vti paſſim in toto hoc Opere docuimus, nihil aliud eſt, quàm Senſibilis Mundus, qui, teſte Plutarcho, duplex eſt, Horus ſuperior, id eſt, Sidereus, & inferior, id eſt, Elementaris. Hunc itaque lex ligare præcipit; quo nihil aliud innuitur, niſi ordines rerum inferioris Mundi applicare ſuperioris ordinibus per certam quandam analogiam, atque demum politicum ſtatum iuxta dictorum analogiam per legum ad amuſſim vtriuſque adaptarum diſpoſitionem conſtituere. Quarta lex eſt, *Accipitres binos imitare*; quæ aptè per binos Accipitres e regione F exprimuntur; bini autem Accipitres, teſte Horo,

Quinque leges tribus portis inciſæ, Pauſanias.

E

Primæ legis hieroglyphica.

Secundæ legis hieroglyphica. Papyraceus thyrſus abundantiam ſignificat.

Tertiæ legis hieroglyphica.

Horus duplex ſuperior & inferior.

Quartæ legis hieroglyphica.

F

ro, quem in præcedentibus citauimus, concordiæ symbolum erat, quam lex præcipit, discere ab Accipitrum natura mirabili, quam apud Horum l. 2. c. 8. vide. Hàc enim Numinum beneficentiâ, vti brachium extensum significat, Horus, ad necessariarum rerum vbertatem concedendam ligatur, quæ symbola inter F & G pulchrè indicant. Quinta lex erat, *iuxta quadrifidam Mundi plagam sacra institue*; quæ lex exprimitur per circulum cruciatum sub G, cui aræ figura adiungitur cum tribus terminis; quæ omnia fusè indicata sunt Tom. I. Syntagm. 3. de sacrificijs Ægyptiorum.

Concordiæ symbola Accipitres bini. Quintæ legis hieroglyphica.

G

Sequitur hæc Serpens, atque statua Isis auerrunca, vti flagellum in manibus docet, cum sceptro papaueraceo; quibus symbolis Isidis apotropææ cultus potissimùm persuadetur: Isis enim, teste Diodoro, legum inuentrix est, & ideo legifera passim vocitatur; sceptrum verò, vti paulò suprà ostendimus, papaueraceum indicat politicam administrationem, in qua quod in capite papaueris corona, id in politico statu Rex, aut Princeps; quod in capite contenta semina, id in politica subditi; quod denique folliculi distincti in papauere, id diuersæ iurisdictiones in politico statu; atque adeo apposite Isis papaueraceum sceptrum appositum habet. Huiusmodi leges si seruâris, per scalam Hermeticam Accipitrinâ pennâ elatus, dominij felicitatem obtinebis, quæ per alam, scalam, & baculum incuruum exprimitur; vitalis humor rerum omnium abundantiam conferet, vti hydroschema cum Serpente, & thyrsus papyraceus indicant. Sequitur denique Ibis cum Serpente, & Nilotico vase, sceptro trinodi, & terminis binis; quæ indicant, leges Hermeticas in hac columna descriptas, vitam præbere, & salutem toti dominio Nilotico, qui est Ægyptiæ felicitatis finis.

Isis legum inuentrix. Diodorus. Papaueraceũ sceptrum significat politicam administrationem.

H

I

§. II.

Secundæ columnæ lateris secundi Australis interpretatio, & continet Niloticas leges.

Columna secunda lateris secundi Obelisci Ramessæi.

V

PRimum mediæ columnæ locum obtinet Siderei Mundi anima Accipiter, qui quadrangulo insidet, Elementaris Mundi, cui dominatur, symbolo; in quo subordinatos sibi Genios habet, Apidem, beneficum Numen, qui Mendesio sceptro Typhoniæ sterilitatis perniciem fœcunditate suâ propulsat; quæ per bouem, extensum brachium, Noctuam, & Hircini capitis sceptrum aptè exprimuntur, vti alibi explicatum fuit: habetque se per modum epigraphes; quæ ita legetur: *Siderei Mundi dominatori Osiri, & Elementaris Mundi Genio Apidi benefico & fœcundo, Typhoniæ sterilitatis propulsatori.* Hâc peractâ incipit symbolicæ literaturæ contextus, vt sequitur. Osiri dormiente vti omnia tristi luctu tabescunt, ita eo vigilante omnia viuifico lucis radio tacta, interno quodam gaudio turgida dilatantur; quæ indicat Accipiter dormien-

Accipiter quadrangulo insidens.

X

Y

Accipiter dormiens.

mientis specie è regione Y comparens; cuius symbolum in præcedentibus expositum vide. Hinc Ophionium Agathodæmona, qui per Aspidem ipsi assidentem exprimitur, precibus & sacrificijs sollicitare solent, ad Osirin iratum & dormientem à somno auocandum; Deorum catena ad rerum necessariarum defectui consulendum trahenda est, in huius enim catenæ oculatæ vertice prouidentia habitat, cuius virtute Osiris excitatur, virtus Ophionia instauratur, & Typhonia vis expellitur; quæ omnia per symbola inter Y & Z posita, catenam oculatam, thyrsum papyraceum, Noctuam cum amuleto Nilotici vasis ansati, significantur. Ophionius Agathodæmon.

Est in Sidereo Mundo crater Osiridis beneficus, cuius defluxus benignos quicunque in inferiorem piscinam deriuare nôrit, is Momphta vtrumque, & cœlestem, & terrenum attrahet, & per Pantamorpham naturam rerum necessariarum abundantia replebitur. Hic crater exprimitur per figuram immediatè sub Accipitre è regione Z positam, radiorumque diffusione veluti stillicidijs quibusdam profusis conspicuam, quam liberalem crateris cœlestis diffusionem manus extensa notat; infra quam figura piscinæ cum tribus quadrangulis est, quæ notant receptum in inferiori Mundo, iuxta tripartiti anni conditionem, crateris effluxum; nam huius stillicidio crateris quicunque particeps fuerit, is sibi Momphta vtrumque, per duo Leonina capita, cœlestem & terrenum, tùm crateris superioris, tùm inferioris piscinæ custodem propitium habebit; & Mundi vitam ad rerum abundantiam concedendam attrahet; quæ per Papilionem, & thyrsum papyraceum indicantur, vti iam sæpiùs dictum est. Sed mysterium paulò luculentiùs exponamus. Hic crater cœlestis nihil aliud est, quàm Siderei Mundi receptaculum, omnigenâ influxuum varietate refertum, qui continua in inferioris Mundi receptacula seu cisternas sacras (piscinas seu fauissas vocant veteres Hieromantæ) beneuolâ Osiridis manu distribuuntur in omnia Mundi membra. Quia tamen nihil tam salubre est, nihil tam benignum, cui Typhoniæ potestates non aliquid malignum & perniciosum inferant, quo benigna ab Osiri communicati crateris munera corrumpuntur; ideo contra eas Momphta, id est, Nilotici incrementi, atque adeo totius humidæ substantiæ Præses sacrificijs placandus est, & anima Mundi ad copiam rerum expulso Typhone suppeditandam, attrahenda; quod fieri posse credebant per subiectas binas sacras tabulas in locis Typhonijs potestatibus infestis expositas, quarum prior circulum, ἐπτάπυργον, Scarabæum, circulũ cum Niloscopio continet; vbi circulus seu globus diuinæ Mentis prouidentiam notat, cuius fœcunda vbertas in septem cœlestiũ planetarum arces seu crateres diffunditur; Osiris autem per Scarabæum notatus, eam ex crateribus supernis in infernas Niloticas piscinas & fauissas deriuat, Politici Mundi exemplar, ad quod Regnum disponi debet. Altera verò tabula, cùm ad idem alludat, eaque iam in præcedentibus sat superque exposita sit, ea prætermissa ad sequentia progrediamur.

Z — Crater beneficus Osiridis.

A

Crateris benefici mysteria.

B

C

Harum enim intuitu tabularum sacrarum suprema Mens, oculus Mundi, vitalem humorem, qui per hydroschema & Serpentem innuitur,

D auget; omnem aduſtiuam & Beboniam vim Noctuinam tollit, præterea perpetuò Zodiacũ virtute ſuâ influit; & hinc in Nilotica fluenta, per tria vaſa, teſte Horo, notata, humoris vitalis receptacula, & tandem vitam deſideratam per motum influxiuum dodecapyrgi in ciſternas ſiue fauiſſas ſubterraneas, per tria receptacula hemyciclo ſuppoſita tranſmittit. Erant autem fauiſſæ ſeu ciſternæ ſacræ in ſubterraneis adytorum penetralibus, quædam receptacula, quæ ex Nilo per occultos meatus originem ſuam traducebant, quarum aquæ vti Dijs immortalibus conſecratæ erant, ita præ omnibus Mundi aquis ſummam energiam habere putabantur. Verùm de huius fauiſſæ conſtitutione vide quæ copioſè tradidimus in Obeliſco Pamphilio fol. 473. In hiſce fauiſſis columnæ Nilometriæ erant poſitæ, ex quarum gradibus tempore incrementi Nilotici, Sacerdotes de futura anni conſtitutione diuinabant. Sed hæc non incongruè per ſcalam Nilometriam certis gradibus diſtinctam, quam Sacerdos ei aſſiſtens contemplari videtur, exprimuntur. Per has itaque Niloticas magni momenti leges ante omnia Regno alicui rerum neceſſariarum abundantiam procurandam eſſe cenſebant, quâ durante, Regnum conſiſteret, ſubditi in pace & tranquillitate viuerent, Principemque ob prouidentiam erga ſubditos debito amore & beneuolentia proſequerentur; his verò deficientibus, nihil aliud, niſi murmura, ſeditiones, ſimiliaque Reipublicæ nocumenta, Regnum in vltimam ruinam ducere poſſe exiſtimabant. Sed iam ad filum.

Fauiſſæ ſacræ. — E — *Nilometriæ columnæ.* — *Niloticæ leges.*

F Sequitur poſt Nilometriam columnam ὑδρόφιον ſchema, ex aqua & Serpente conflatum, & eſt vitalis humor; cui cùm Typhonia vis Noctuina contraria ſit, Porta adyti temone Canub inſignienda, & cœleſtibus triplicis Mundi legibus adornanda, vulturis imagine, naturæ principio paſſiuo; ad aram quoque cœremoniæ ſolitæ iuxta quadruplicem Mundi plagam peragendæ. Hoc pacto Typhon à Regno profligabitur. Quæ omnia ijs ſymbolis, quæ inter F, G, & H continentur, ſignificantur. Vides è regione H veluti coronæ figuram, tribus papaueraceis capitibus, & binis perſeæ folijs intermedijs ornatam; quibus oſtenditur, Regem ſemper memorem eſſe debere ſuorum ſubditorum, vt eos vnione gubernet, ſapientia dirigat, beneficentia conciliet, Niloticas leges exactè, veluti Regni fulcimentum, ſeruari curet; ſic Typhone fœcunditatis Ægyptiæ aduerſario, prouidentiâ Regis propulſato, vita rerum per influxum ſupernarum poteſtatum in inferiorem Mundum hylæum, factum, ſummo omnium emolumento conceditur.

Hydrophium ſchema. — G — H — *Corona papaueribus, & perſeæ folijs ornata.* — I — K

§ III.

Tertiæ columnæ lateris secundi Australis interpretatio.

APicem huius columnæ tenet Aspis, è circulo emergens, & omnia Mundi membra penetrans, symbolumque exhibet Pantamorphæ naturæ, seu, vt Platonici volunt, animæ Mundi; quod symbolum cùm iam sæpius explicatum sit, hìc immorari noluimus. Hæc sub se habet anserem sacræ tabulæ insistentem, quo notabant potentiã animæ Mundi immediatè in Osirin influere; hic in Mercurialem œconomiam, vti ouata sacræ tabulæ figura, Ibide gnomoni Alphamorpho insidente conspicua ostendit, & magnæ virtutis periaptũ est, vti dictum fuit. Mercurij enim supramundani munus est, à Pantamorpha natura & Osiri ipsi concessum, omnia rationis libra ponderare, & ad symmetriam adaptare, annui temporis emolumenta disponere; id quod in sidereo regno idem præstat Mercurius, & in Politico Mundo Mercurij minister Rex; adeo vt nihil in inferiori Mundo sit, quod non eminentiori quodam modo in superioribus Mundis sit, ac proinde superioris Mundi Ideæ, exemplaria quædam sunt, ad quæ inferiores, atque adeo politicus Mundus adaptari debeant, sine quibus consistere inferior non posset, ab ijs veluti à causis essentialiter, vt Scholæ loquuntur, dependens. Atque tale exemplar est hæc tabula sacra, toties in hoc Obelisco proposita, cuius effectus iam exponamus; & sunt sequentes: primò felix præsagium; secundò necessariarum rerum suppeditatio; tertiò malorum fuga. Prius ipsum Nilometrium cum adiunctis signis; secundum Accipiter cum thyrso papyraceo; tertium Noctua explicat. Deinde sacrorum cura sequitur, per aram, & pennam adiunctam signata, vt alibi dictũ est; his enim diuina prouidentia per oculum indicata, dum occulto motu per duos pedes indicato, omnes Mundi semitas peruadit, humorem vitalem, quem hydroschema & Serpens notant, fugata Noctua Typhonia, craterem Mendesium fœcunditate refertum, ex tribus Mundis per tres circulos signatis, in Politicum Mundum, qui per sceptrum, cui caput papaueraceũ impositũ est, & Serpens transuersus insistit, notatur, deriuat; hâc enim appositè sanè indicatur, vitam ex cratere supramundano in subordinatos sibi Mundos, & tandem in politicum statum deduci, cuius vita sunt, rectum dominium, & legum obseruatio in subditis, agriculturæ quoque studium, cui in regni conseruationem impigrè incumbitur, vnde fœcunditas in quadripartitam Mundi faciem resultat, quæ per tres palas, hircini capitis sceptrum, & figuram cruciatam indicantur. Osiris & Horus cœlestis, vitalis humoris præsides attrahuntur per 2 tabulas sacras C, D, magnæ virtutis; ijsque prouidentia Pantamorphæ naturæ conciliatur. Verùm horum significata vide iam suprà declarata. Sequuntur sacram tabulam hydroschema, Serpens, Alpha Geniale, cyclo-

Aspis è circulo emergens. V
Anser sacræ tabulæ insistens. X
Mercurij munus.
Y
Z
A
B
C
E

[library stamp]

des, manus extensa cum pyramide, cui subiungitur lepus dormiens; quæ symbola ita explico. Vitalis humor Nili per Agathodæmonem cœlestem, beneficâ vi influitur in Regem regno suo inuigilantem; siquidem

Horus. Lepus vigilantis Regis symbolum.

teste Horo L. 1. c. 26. Ἄνοιξιν δὲ θέλοντες δηλῶσαι λαγωὸν ζωγραφοῦσι, διὰ τὸ πάντοτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγότας ἔχειν τοῦτο τὸ ζῶον. *Patulum aut apertum quid significare volentes, leporem pingunt, quòd semper apertos oculos habeat hoc animalis genus.* Vnde teste Pierio, Regis vigilantia supra suum regnum eo indigitatur. Manus autem Pyramidem tenens beneficum influxum, vti fusè in Obelisco Pamphilio traditum est, indicat. Reliqua symbola, cùm iam in præcedentibus explicata sint, explicanda non duximus, cùm ea quiuis, qui præcedentia probè intellexerit, seipso explicare & interpretari possit.

CAPVT VI.

Interpretatio lateris tertij Occidentalis, in quo infestæ Typhoniæ potestates, & Reipub. perturbatrices exhibentur, & quomodo eæ superandæ sint.

A B C D — IN hoc latere tertio Occidentali, figuræ A B C D prorsus eædem sunt, quæ in reliquis lateribus; quare cùm eas in primo latere exposuerimus, hîc eas repetendas non duxi. Quare ad trium columnarum in hoc existentium interpretationem calamum conuertamus.

§ I.

Columnæ primæ lateris tertij Obelisci Ramessæi interpretatio.

Lateris tertij Occidentalis columnæ primæ expositio.

Trismegistus. Dæmones boni & mali Mundo dominantur ex Trismegisto.

MErcurius malos & bonos Dæmones Mundo dominari asseruit, maximè in plaga Occidentali, tanquam tenebrarum quas diligunt, origini proximâ stabulantes, vt Theupolus Academ. quæstionum libro fol. 115 ex Mercurio recitat, & doctrinæ Hermeticæ in huius Obelisci latere congruit. Nam & noxios, & salutiferos Genios statuit, & veteres statuas ijs confecisse ait, quas Deorum loco colerent. Genios itaque malos status politici perturbatores in hoc latere Occidentali posuit, ostendens quomodo eorum technæ superandæ sint, & quibus modis & rationibus hi propulsandi, illi verò aduocandi.

E — Itaque in prima columna ponitur polymorphæ naturæ symbolum, Papilio, cui subiungitur iam sæpè expositum sacræ tabulæ Schema, veluti prophylacticum quoddam contra Typhonias potestates. Sequuntur tres volucres, quarum prima Passer, secunda Noctua, tertia Cornix; irreconciliabilis simultatis symbolum. Nam vt rectè Horus asserit, Noctua diffi-

Discordiæ symbolum. *Horus.*

det à Passere, diffidet & à Cornice. Vtrumque ostendamus. Pierius ita de Noctua & Cornice loquitur: *Si hostes duos capitali odio detrimenta & insidias alterum alteri sempiternis indignationibus molientes, manusque mutuarum cædium sanguine commaculantes, notare vellent Ægyptij Sacerdotes, Noctuam & Cornicem ponere censuerunt, quarum vsque adeo immortales inimicitiæ sunt, vt & hæc, & illa in mutua semper damna odium exerceant. Cornix enim interdiu oua Noctuæ rapit, assumitque sibi, conscia Noctuam interdiu cæcutire; & Noctua contrà, noctu oua Cornicis inuadit, quæ suffuratur vt edat: sicque altera interdiu, altera noctu potentior, vnde confusum vtriusque sanguinem coire non posse, sunt qui sibi persuadeant.* ita Pierius. De Passere verò & Noctua sic Horus disserit. *Hominem qui ad proprium patronum confugiat, nec eius subleuetur auxilio, monstrare cupientes, Passerem & Noctuam pingunt; hic enim dum Aucupum venatione petitur, ad Noctuam accurrit, à qua mox opprimitur.* An non hisce symbolis aptè insinuatur tyrannica rerum politicarum administratio, appositè per Typhoniam Noctuam expressa? Quid aliud Passer nisi simplicem denotat populum; qui varia afflictione agitatus, dùm confugium suum apud male sanum Principem quærit, tantum abest, vt tutum ibi refugium inueniat, vt potiùs ab eodem mox opprimatur, vel iniusta pecuniæ exactione, vel alijs grauaminum intolerabilium impositionibus; vnde odium populi versus Principem prorsùs nascitur irreconciliabile, & ex consequenti seditiones, tumultus, cædes, aliaque Reipublicæ detrimenta; quæ Regno vltimum exitium portendunt. Hunc tyrannicum Regis animum aptiùs adhuc exprimit sequens è regione F symbolum Coturnicis cum thyrso papyraceo, rerum regno necessariarum ex prauitate Regis defectus symbolum. Huius volucris malignitatem hisce verbis graphicè describit Horus l. 1. c 49. ἀκαθαρσίαν δὲ γράφοντες ὄρτυγα (sic enim meliora exemplaria habent, vt alibi à nobis demonstratum fuit, non ὄρυγα) ζωογραφοῦσι. *Porrò impium scelestumque animum notantes, Coturnicem pingunt.* Auis sanè Ægyptijs tantò inauspicatior, quantò in Deos immortales irreuerentior habebatur; non impuritate tantùm infamis, sed quòd impuritati Deorum contemptum, odiumque religionis adiunctum haberet, tantoperè ab Ægyptijs execrabile. Nam quotiescunque Luna oritur, inauspicatos clamores, teste Horo, excitat aduersus eam, non quòd saluere Deum iubeat, aut laudibus Dijs debitis prosequatur, sed manifestissima dat indignationis aduersus eam signa; quòd apud ipsos magnæ dabatur impietati, cùm summo Lunam cultu prosequerentur. Ante omnia terram fodicat, pupillasque sibi identidem conscribillat, vtpote Lunæ impatiens, quam nè quidem aspectu dignatur; idem cum Solis diuini sideris exortu præstat. Hæc eadem in solitarijs, quibus afficitur, locis, si quem limpidæ aquæ fontem repererit, simul ac biberit, aquam reliquam rostro pedibusque corrumpere, lutosamque reddere, puluere in eam ingesto, nititur, nè cuipiam alteri animali ad potum appetatur. Quo sanè aptè tyranni malitiam, auaritiam, & prauitatem occultè docuerunt, qui non bonum commune & politicum pro scopo habet, sed propria commoda in omnibus sectatur.

Nam

Pierius.

Noctuæ & Cornicis dissidium.

Horus.

Passer simplicem populũ denotat.

Tyranni symbolum Coturnix.

F

Horus.

Coturnicis proprietates.

Tyrannis ex Aristotele. Nam vt rectè Aristoteles ostendit, Tyrannis nihil aliud est, quàm Regnum ex Principis impietate in labem & corruptelam degenerans; cùm Princeps αὐτάρκης bonorum omnium vbertate affluens, non indigentium populorum commoda, sed suiipsius quærit; vnde mox inquietudo populi, ex inquietudine murmuratio, seditio ex murmuratione, ex seditione bellum, ex bello vltimum tandem Regno exitium patet. Tyrannus Coturnicis instar, Solis Lunæque iura despicit, dum dictamini rectæ rationis contrarias leges imponit; terram fodicat, dum thesauros bono publico debitos in proprios vsus absumit; quid aliud est, aquam limpidam turbare & lutosam reddere, nisi tranquillitatem publicam oneribus intolerabilibus disturbare, aliorum bonis inuidere, adeoque quibuscunq; modis & medijs eorum intercipiendorum occasionem operire? Sed & hæc omnia sequentia symbola inter F, G, H, I inclusa sat docent, oculus videlicet, sceptrum tuberosum, quadratum, segmenta bina minus & maius, tres secures: Per oculum & sceptrum prouidentia Regni sublata, suprema medijs, media infimis confusa, trinâ veluti excisione per tres secures, omnium interitum adducunt; Passer ad Noctuam aduolans mox opprimitur, quæ per auem cum penna è regione G pulchrè indicantur; vita cœlestis Osiridis Regni norma confunditur, vti Serpens, cycloides, & duo pistilla opposita notant. Tres temones H Regni ad normã triplicis Mundi constituti, & prosperi conductus symbolum, per transgressionem legum, quæ sunt veluti termini quidam humanis actionibus constituti, contrariæ vitæ actione, oppositis Serpentum motibus notatâ, peruertuntur. Osiris I intellectus de rerum necessariarum vbertate prouidens cœlo coërcetur, vnde legibus supernis infernisque confusis benefica vis, & ab vrbibus, & à vitali humore agriculturæ necessariò desistit; quibus quidem malis nullum aliud remedium superesse videtur, nisi triformis Numinis religiosus cultus, vti tripus, & amuleta vasorum Niloticorum, cum statua mitrata indicant. Statua Hemphta dominio potens in tripartitum anni tempus, & Leoniformis Momphta vitalis motus principium & prouidentia Noctuam Typhoniam, id est, omnia aduersa tùm à δωδεκατηρίῳ trium Mundorum Zodiaci cœlestis, tùm ab Elementari inferiori Politicoque Mundo ad eius exemplar constituto eliminabunt. Vitalis humoris præses Isis rerum necessariarum Agathodæmon, vitam Mundorum contritam tùm munificentiâ, tùm benedictione resuscitabit per prouidentem naturæ progressum, qui propriè Isidi, vnde nomen habet, & pes inter terminos positus satis innuit, vti & statua M cum thyrso papyraceo binis Serpentibus intra bina pistilla constitutis, & bina brachia, quorum prius manum extensam, alterum in modum benedicentis eleuatã tenet, indicant. Hac enim Typhon & Nephtys, vt Horus explicat l. 1. c. 8. per duos Accipitres aut Cornices indicati, nuptiali lege coniuncti, è Nilo religiosè culto rerum necessariarum abundantiam producunt; Nilo ad temperiem, si quando excesserit, ducto, Osiriaca prouidentia adustiuam Noctuæ vim per Anubidem beneficam, quadruplicis Niloticæ aquæ præsidem, abigit, vnde canales Osiris rerum necessariarum

Marginal letters: F, G, H, I, K, L, M, O, P. Marginal note: Horus.

rum

rum prouisoris & custodis complebuntur; ad quod efficax erit prophylacticum, quod sequitur, iam sæpe expositum.

§. II.

Interpretatio secundæ columnæ tertij lateris Occidentalis.

IN hac columna Siderei Mundi mala, & eorundem antidota indicantur, exemplumq; est Politico Mundo ad imitandum propositũ. Est enim in siderea œconomia vis quædam maligna, tùm ex siderum dispositione & irradiatione, tùm ex præsidum Geniorum contrariorum influxu resultans, quâ omnia inferiora subinde horrendum in modum vexantur. Quomodo verò huic fatali necessitati, quam Ægyptij asserebant, occurrendum sit, & quomodo à fato absolui possint, columna explicat. Et primò quidem quadrangulo insidens Accipiter, vt iam sæpe dictum est, Elementarem Mundum indicat, cui Siderei Mundi anima Osiris dominatur. Ponuntur autem intra dictum quadrangulum bos, cum brachio extenso, Noctua, & statua Momphtæ; quibus indicatur nescio quæ antipathia ignis & aquæ, quarum vtralibet si præualet, magnas calamitates importari certum est; estque fatalis quædam necessitas, vt dicunt; de qua paulò altiùs disceptare visum fuit.

Columnæ secundæ lateris tertij Obelisci Ramessæi interpretatio. Mala Mundi siderei, eorũq; antidota.

Porphyrius docet, Ægyptios motui stellarum arbitrium nostrum suppposuisse; quod quomodo intelligendum sit, Iamblichus libro de mysterijs ex Mercurialibus sententijs siue doctrina Hermetica explicat. *Duas*, inquit, *homo animas habet, vt Mercuriales literæ, id est, Hieroglyphicæ docent; vna quidem est ab intelligibili primo, quod est Hemphta supremus omnium & primus intellectus, ipsius Opificis potentiæ particeps; altera verò ex vita cœlestium nobis indita, in quam & anima diuinorum speculatrix irrepit. Anima itaque à Mundis in nos descendens, Mundorum quoque circuitus sequitur; quæ verò ab intelligibili veniens intelligibiliter adest, illa geneticum circuitum supereminet; atque per hanc à fato soluimur, & ad intelligibiles Deos ascendimus, & religionem habemus ad æterna tendentem.* Nequaquam igitur putandum est, omnia insolubilibus necessitatis vinculis, quod fatum vocant, colligari; habet enim anima principium in se proprium, quo ad intelligibile sese conferat; & descendit quidem ab his quæ gignuntur, ad ipsum verò Ens accedit atque diuinum; neque Dijs propriè, vt Iamblichus ait, fatum conuenit, quos tanquam à fato soluentes in templis, sacrisque, & statuis venerabantur Ægyptij; sed fatum peragunt naturæ quædam vltimæ à Dijs descendentes, atque generationi, Mundique corporei miscellæ implicatæ. Hinc Ægyptij non sine ratione omnem Dijs sanctimoniam adhibebant, vt ipsi quidem soli per intellectualem persuasionem dominantes necessitati, mala ijs à fato imminentia soluerent. Non enim totum in natura fati ligatum est, sed est & aliud principium animæ, & natura & generatione præstantius, per quod & Dijs se posse

Iamblichus. Stellarum motui arbitrium suppposuisse videntur Ægyptij.

Fato non subijcitur anima nostra.

copu-

copulari, mundanum ordinem superare, sempiternam vitam agere, atque supramundanam Deorum actionem participare posse arbitrabantur. Cùm verò fatum non solùm particularem hominis, sed maximè vniuersalem alicuius Regni statum respiciat; hoc loco ostendit, quomodo Reipublicæ status à fato solui possit. Sed iam tempus est, vt dicta hieroglyphicis expressa ostendamus.

F

Papilio, seu musca Ægyptiaca, & polymorphus sensibilis Mundi Dæmon.

Post quadrangulum itaque è regione F, Papilio, Dracontomorphus seu musca Ægyptia occurrit, sub cuius pedibus Serpens, quem sequitur nullibi non obuia sacra tabula, & iam sæpius exposita. Per Papilionem, vti aliàs docuimus, polymorphus Sensibilis Mundi Dæmon in vitas rerum dominio potens, fati totius dominus indicatur. Cùm enim omnibus sese inuoluat & implicet Sensibilis Mundi corporibus, influxuque gubernet singula, vti sacra tabula ostendit; per globum quidem Intelligentias præsides, per δωδεκάπυργον Siderei Mundi, globorumque cœlestium, potissimùm Zodiaci œconomiam, & per Scarabæum Osirin inferiorem denotant. Fatum autem cùm conuersioni & dispositioni siderum sit alligatum, nemo eius fatalem influxum secundùm opinionem Ægyptiorum iuxta præscriptas à necessitate leges effugere potest; est enim polymorphus hic Dæmon solo Intelligibili Mundo inferior: hinc Sacerdotes Ægyptij, totos sese impendentis fati tempore ad intelligibilem Mundum conferebant. Et fatum quidem, teste Horo, exprimebant per figuram Stellæ, Mundum verò Intelligibilem per globum tripodi insistentem, solo triformis Numinis supremi, vitalis & intelligibilis Mundi dominatoris munere gubernatum. Hunc Sacerdotes, quos figura humana extensis brachijs in obsecrantis morem effigiata notat, ritibus & cæremonijs non sensibilibus, sed intrinsecis varijs intellectualibus operationibus contra fatales Noctuæ Beboniæ machinationes sollicitabant; huic, vti sequentia symbola, tres termini, ara, penna, quadratum, segmentum, circulus monstrant, sacra peragebant mystica; per pennam, eleuationem mentis; per aram nudam, mentem testabantur ab omni humanæ contagionis labe immunem; per quadratum, stabilem mentis in Deum erectæ quietem, & inconcussam constantiam, teste Pierio; per tres terminos, cum segmento & globo, legum diuinarum seu Mercurialium obseruationem illibatam. Et per pennam, id est, mentis eleuationem fatalis heptapyrgi influxus superatur; per quadratum & inconcussam constantiam Noctua Bebonia eliminatur; per legum obseruantiam terminis indicatam, fœcundum quoddam dominium conceditur in Nilotici vitalis humoris œconomiam, quo violentia Noctuæ à dodecapyrgo trium Mundorum prohibetur, in vitæ custodiam catena vitalis Agathodæmonum contra aduersarum potestatum catenam trahitur; per legum Isiacarum exactam obseruantiam in columnis Isiacis descriptarum) his enim vitæ destructrix Noctua cedit) vitalis humor conceditur. Oportet autem Sacerdotes hoc pacto negotium instituere. In adytis compareant toti intellectualibus operationibus dediti, gestus exprimant Hemphtam supremum Numen, nudi sint, vt se ab omni terrenæ mistionis inuolucro immu-

G — *Horus.*

Fati hieroglyphicum.

H

I

K

L M

N

O

Sacerdotum ritus & cæremoniæ in adytis.

immunes, & quàm simillimos Numini constituant, aquis mundissimis loti, vti figura inter N & P notat; portæ adyti duplici Anubidis, id est, Canis imagine insignitæ sint; quo occultè alludebant Sacerdotes, teste Horo l. 1. c. 39. 40. 41. eos, qui hoc munere fungi voluerint, oportere multa meditari, assiduèque omnibus Canum more allatrare, nullique gratificari in ijs, quæ legum strictam obseruantiam concernunt; intentisq; in Deorum simulachra oculis prospicere, ad eos in omnibus actionibus suis imitandos: valuæ quoque templi eo sint artificio constructæ, vt seipsas ad voluntatem Sacerdotum, quando id voluerint, in operatione sacra aperiant claudantque, nihilque adeo sit, quod non ingenium & operationem intellectualem sapiat; prophylacticam potissimùm illam sacram Hermeticam tabulam continuò ob oculos habeant propositam, animo imprimant, & locis publicis insculptam venerentur. Atque hæ sunt leges in hac columna contentæ. P Horus. Q R

§ III.

Tertiæ columnæ tertij lateris Occidentalis interpretatio; & continet leges, quibus Numina sollicitantur ad Aegypti salutem.

PRæmisso itaque polymorphi Dæmonis per sacram tabulam cultu; postea sequuntur heptapyrgum, pennæ, quatuor statuæ quatuor Larium principalium, quæ sunt imagines portatiles veluti fascijs inuolutæ, quas vario cultu, vt alibi dictum fuit, prosequi solebant, & Theraphim in sacris literis, ab Ægyptijs Serapes dicebantur; quæ omnia fusè iam exposuimus in Pantheo Hebræorum, tractatu de Theraphim, & in sequentibus peculiari tractatu exponemus. Cultus itaque horum in Vrbium salutem præcipitur; quibus Apollinis τριοράω, & triformis Numinis trioræi cultus adiungendus est. De Appoline trioræo per Accipitrem & tres terminos expresso vide Pausaniam; de triformi Numine per tripodem & tres terminos expresso, vide quæ in præcedentibus egimus. His enim propitiatis, Cœlorum fata propitia habentur apud illos. Præterea Momphta necessariarum rerum abundantiæ præses per solitas cœremonias à Sacerdotibus sæpius adiuretur; hoc enim catenæ beneficorum Numinum attrahuntur, fugatis aduersis omnibus, & inauspicatis Noctuæ moliminibus; prouidentia suprema per canales occultè influens in opera culturæ Ægypti, per vitalem humorem, & per beneficam vim, Osiris rerum omnium vitæ humanæ necessariarum largitoris. Porrò Noctuâ Principi, Reipub., & liquori vitali Coturnice insidias tendentibus, sacris dictis inuigilandum; per hoc enim vis maligna dissipabitur, Coturnix diris deuouebitur, per sacras trium vigiliarum leges, quas in adytis seruare oportebat, de quibus in Politica Ægyptiorum fusiùs disceptatum est. His enim vitalis prouidentia vitalis humoris hostem Typhoniam No- E F G H I K L M

ctuam à trium Mundorum œconomia exturbabit, vnde vita politico Mundo, Sacerdotibus quoque Niloticis sacris strenuè incumbentibus; vitalis liquor primò deriuabitur in Osirin cœlestem, & hinc in Horum & sacrorum vi peractorum in Momphta Mendemq; seu Hircum sacrum; & ab his in quadripartitam Mundi plagam; ad quæ plurimùm conferunt sequentia prophylactica, quæ omnia symbolis inter literas N, O, P, Q, R; inclusis indicantur; quorum significata cùm iam sæpè exposita sint, ea cum tædio Lectoris minimè iteranda duximus.

CAPVT VII.

Quarti lateris Orientalis Obelisci Ramessæi interpretatio.

Quartum latus Obelisci Ramessæi côtinet remedia contra Typhoniam vim.

CONtinet hoc latus remedia contra Typhonias & Bebonias machinationes; quæ fiunt per religiosum Deorum beneficorum cultum; & per Numinum catenæ tractum. Explicatis itaque iam in præcedentibus imaginibus in A, B, V, X, loculamentis positis, primam lateris assumpti columnam explicemus.

§. I.

Interpretatio primæ columnæ lateris quarti Orientalis.

Columnæ primæ lateris quarti Obel. Rameß. interpretatio.

CVius primo loco sæpe sæpius propositus & explicatus Papilio, vnà cum sacræ tabulæ ectypo, occurrit; post quam sequitur Accipiter
Y inter tres circulos, & tres quadranguli, quibus Osiris trium Mundorum superiorum & inferiorum seu hylæorum moderator indicatur; qui Noctuam Beboniam Mundorum crateri insidiantem perpetuò insectatur,
Z tanquam iurisdictioni suæ subiectorum iniustum inuasorem. Osiris enim
A hisce vitam dat, leges eis statuit; cuius vxor Isis est, Niloticæ substantiæ dominatrix; quorum assecla Anubis vigil rerum custos. Hæc Numina conuenientibus sacris culta, dodecapyrgi defluxum mouent, & vitalem
B fœcunditatem spondent. Osiris anni quadripartiti moderator Noctuam à benefica piscinæ & canalium benificentia remouet; Apotro-
C pæum Numen Momphta vitalem humorem Hori regno vndique permi-
D scet; Hermanibis inuigilat Noctuæ crateri trium Mundorum insidianti,
E nè canalibus cœlestibus vitalibus noceat, ad bonorum per tres fasciculos notatorum vbertatem procreandam in Mundis inferioribus. Huic simi-
F liter Noctuæ inuigilat moderator anni Osiris, & Coturnicis Beboniæ malignitatem, canalibus inferioribus insidiantem, sistrorum strepitu pellit;
G vti figura è regione G docet. Hinc enim & agricultura, & vita dodeca-
H pyrgo vigebit, expulsis Bebonijs malis; occultus diuinitatis motus, per pedes cycloidi insertos notatus, peruadens vitalem liquorem, canalibus
I insitum animabit, Anubidis sacris ritibus culti, prouidentia liquorem

vitalem conseruabit, vi & efficacia sequentis sacræ tabulæ iam sæpius expositæ.

§ II.

Secundæ columnæ quarti lateris Orientalis interpretatio.

Columnæ secundæ lateris quarti Obel. Ramessæi interpretatio.

Accipiter insidet quadrangulo, in quo statua Isidis, & Coturnicis, cum Alpha & duabus pennis includitur. Quo sanè nihil aliud primâ fronte indigitatur, nisi dominium, quod Osiris Accipitrinus obtinet in Elementarem Mundum, cuius Isis, id est, tellus principalem sedem tenet, totius naturæ inferioris & hylææ fulcimentum. Qui autem Isidem pro Luna accipiunt, hi per Isidem intelligunt, præcipuum in Mundum hylæum, vtpote cui confinis est, dominium, actiuum rerum omnium Lunæ subiectarum principium; cui in præcedentibus dixi Coturnicem, id est, Typhoniam quandam vim Lunari humiditati contrariam esse; quo quidem nihil aliud intelligitur, nisi rerum in sublunari Mundo maximis alterationibus, & contrarijs qualitatibus obnoxiarum simultas; vbi frigida cum calidis pugnant, humentia siccis, regni hylæi contrarietati & antipathiæ ita necessarijs, vt Mundus inferior sine ijs consistere minimè possit. Discant ex hoc politici, ad vigilantiam in Regno conciliandam, & vigorem animi roborandum, subinde necessarios esse infestos regni hostes; hoc enim pacto leges exactiùs obseruantur, Rex vigilantior & cautior redditur in regni administrandi cura, & ad contrariæ factionis machinas circumspectior. Si enim solum in Mundo inferiori frigidum, aut calidum, aut humidum, aut siccum regnaret, omnia deficere necesse foret; ita in regno, vbi nullus hostis ibi languor & otiū, vbi nullus metus, ibi luxus & discordia, quæ sunt vicina quædam veluti regni totius præcipitia, interitum regno vltimum portendentia. Innuunt hoc pulchrè, teste Plutarcho, Ægyptij per Isidem & Typhonem, qui Isis Hori fortitudine captum Typhonem, regno Ægyptiaco vltimum exitium molientem, tantum abest vt occiderit, vt potius, tametsi non vndequaque liberum dimiserit, eum tamen, tanquam necessarium curæ & vigilantiæ in regno administrando incitamentum, ad cautelam detinuerit; quæ omnia hucusque exprimit in quadrangulo, statua Isidis cum Coturnice. Verùm de his vide, quæ pluribus egimus in Politica Ægyptiorum Tom. I. Synt. II. fol. 39.

X Accipiter quadrangulo insidens, in qua statua Isidis.

Sublunaris Mundi rerum dissidium. Y

Politicum documentum.

Isis Typhonē cur non occiderit.

Quæ omnia, sequentibus quadrangulum symbolis, declarantur, hoc verborum sensu: si Accipitre dormiente, Ophioneus Princeps surrectâ ceruice vigilet, Momphta Leoniformis dominetur, Agathodæmones commissæ sibi gubernationi insistant, Osiris crateri naturæ inuigilet; Cœlo dominetur Horus beneficus, polymorphus Dæmon per sacram tabulam cui insistit, heptapyrgum & Nili incrementa, & dodecapyrgon influxu suo fœcundet; tunc Noctua depulsa ab Vrbibus, & Nili incrementis vi- Y Z A B C D E

 ta

F ta cœlestis liquoris per prouidentiam Osiridis tripartiti anni, & tetrapyrgi, id est, quatuor Elementorum præsidis, quadrifidi influxus benefi-
G centia obtinebitur, Noctua Bebonia vincietur, Chenosiris vigil per anserem volantem, & Scarabæum indicatus, motu omnia penetrans, Coturnicem importunam, ac humidæ substantiæ insidiantem continebit,
H prouidentiâ suâ Mundi tripartiti legibus prospiciet, dodecapyrgi piscinis
I & fauissis vim noxiam remouens, oculo vigili humorem vitalem con-
K L seruabit; ad cuius attractum L sequens præscribitur prophylacticum.

§. III.

Columnæ tertiæ lateris quarti Obel. Rameß. interpretatio.

Tertiæ columnæ lateris quarti Orientalis interpretatio, & continet malorum originem.

Archetypus Mundus nullum continet malum. *Plutarchus.*

QVod vt intelligatur, notandum est, in Archetypo Mundo nullum esse malum, nec ab eo quicquam malorum seu defectuum procedere effectiuè, sed omne malum Sensibilis Mundi operationes cœteroquin bonas, tanquam rubigo, teste Plutarcho, ferrum consequitur. Dispositionē itaque Siderei Mundi, vt fati, ita malorum, & aduersorū omnium causam, ratione dispositionis suæ, vti in Politica docuimus, censent Ægyptij; quibus quidem aliâ ratione occurri non potest, nisi exacto religionis cultu, prout in hac columna præscribitur.

Primo itaque loco post Aspidem, & Idealis Mundi Pantamorphi
X spiritus symbolum, occurrit baculus incuruus, cum capite Hircino, & va-
Y se Nilotico, & tribus pennis, quibus succedit Noctua, cui subduntur tria brachia, intermedijs tribus terminis; quibus aptè indicatur, esse in Mundo supremo Pantamorphæ naturæ fœcunditatem quandam Mendesiam, Nilo supramundano congruam, & à triformis Numinis mente proficiscentem, à qua bonorum omnium copia profluit; quæ tamen mox ac in Sensibilem Mundum propagata fuerit, nescio quid malignitatis contrahat, per Noctuam indicatum, & triplici diuinæ Mentis beneficentiæ vitali, vti tria brachia monstrant, contrarium; quæ quidem maligna vis
Z in Cœlorum motibus contrarijs agitatorum dominio patet; quâ beneficentia Numinis in hylæis Mundis quadantenus coërcetur. Vis hæc maligna in ἀνδιμαχύεγυ legibus elucescit, in quo vti signa signis, ita domus do-
A mibus, & mansiones mansionibus Deorū contrariæ reperiuntur: horum enim influxu in inferiorem Politicum Mundum, mala subinde, veluti triplici vehiculo inuecta multiplicantur, ἀντιλχνον Numinum potentiâ, quæ humidæ substantiæ communicata varias contagionis pestiferæ species,
B per Scorpionis figuram signatas, politico statui infert. Prouidentia tamen
C cœlestis virtute suâ omnibus medebitur, si catenas Genialium Numinum
D traxerint, si frequentibus cœremonijs Sacerdotes pro anni dispositione,
E & Regni legibus dictos Genios sollicitauerint: his enim Noctua contere-
F retur; Coturnix importuna Sacerdotum industriâ fugabitur; tres Excubi-

cubitores, Chenosiris, Anubis, & Hermanibis, per tres anseres indicati, vnà cum Iside Genio auerrunco, vita vitalibus influxibus fœta, Noctuam Typhoniam cœlestis vitæ prouidentiæ contrariam dispellent; benefi- G
centia vitali fœcundus Osiris, humorem vitalem inferioris Mundi Osiri H
conferet; hic in auxilium polymorphum Mundi spiritum sacræ vi tabulæ sequentis, & per legum in columna Isiaca descriptarum obseruationem, attrahet; atque hoc modo Noctuâ malorum omnium beboniâ profligatâ, rerum vbertas quadrifido Mundo restituetur.

Ex his omnibus hucusque propositis interpretationibus luculenter patet, hunc Obeliscum hieroglyphicis suis prænotatum nil aliud, quàm Regni politici, ad supernarum mentium exemplar instituendi rationem monstrare; neque enim vllum Regnum consistere posse existimabant, nisi in religione, qui est supremi Numinis cultus, fundatum. Quæ omnia adeo clarè lib. 10 de legibus Plato exponit, vt ad Ægyptiorum normam respexisse videatur. Compertum enim habemus, rerum in natura elucescentium ordinem vbique à ratione pendere, & ordinem quidem nusquam & nunquam interruptum à præpotente ratione, ordinem denique commodum, congruum, & mirificâ vnione omnia connectentem ab optima ratione emanare. Cùm itaque Vniuersi tùm dispositio, tùm progressio ordinatissima sit, ac semper & vbique talis, neque id sine summa commoditate; necesse est Mundum ab optima potentissimaque ratione disponi atque moueri. Cùm verò vnum sit Vniuersum, vnum verò à diuersis non fiat, nisi ab vno; consequens est summam esse eiusmodi rationem. Esse præterea rationes plures diuinas sub summa ratione diuina, vti in vno Mundano opere, ratione summâ ordinato, complures sunt globi specie inter se, & virtute multiplici distincti, omnesque mirâ ratione ordinati, adeo vt Mundi quodammodo multi in amplissima videantur Mundi vnius circumferentia contineri; pariter multi Mundorum quasi angustiorum rectores deinceps dispositi sub vno amplissimi Mundi Rectore comprehendantur. Qui sanè cùm non duntaxat ordinatior sit, sed ipse, vt ita dixerim, immensus ordo; ordinatore, quàm ordinato, multò magis gaudet. Quocirca si multis in Vniuerso ordinatis proculdubio delectatur, multis quoque eum ordinatoribus delectari necesse est; quippe cùm amplissimi Regis excellentissima in hoc amplitudo consistat, vt non angustos tantùm seruos, sed amplos quoque multosque infra se Reges habeat. Cùm præterea supremum Numen, quæ facit, intelligendo faciat; ac si totum facit, totum quoque intelligat; si cognoscat totum, cognoscet & partes, ex quibus totum constat; si partes, ergo necessarias particulas, ex quibus partes coalescunt: potest ergo, & scit Vniuersum gubernare, qui scit & potest eidem prouidere: totum verò gubernare, nisi gubernatis partibus, non potest; non negligit itaque minima gubernare, qui facere minima non neglexit. Neque difficilis est gubernatio, cui facilis est procreatio. Nam quantò plùs à Deo dependent opera Dei, quàm artis, vel naturæ opera ab arte, vel natura; tantò omnibus & singulis diligentiùs prouidet, vtpote per cuius prouiden-

dentiam cœtera quoque id habent, vt similiter suis quæque prouideant. Cùm itaque hæc prouidentia circa politicum quoque corpus sit, cuius gratia reliqua omnia constituta sunt; certum est, Regnum quoddam ad diuini intellectus & prouidentiæ exemplar conditum, non alia firmiore fundamento niti posse, quàm analogo quodam ad supremæ Mentis, reliquarumque mentium subordinatarum normam, ordine constitutum. Qui finis fuit & scopus rerum in hoc Obelisco, sub occulto symbolorum contextu demonstratarum.

Atque hæc sunt, quæ nobis in hoc Obelisco Lateranensi veneranda Ægyptiorum antiquitas per Ramessem Regem filium Sothis, legenda & intelligenda proposuit. Poterit etiam Lector Politicam Ægyptiorum, Tom. I. Syntag. II. traditam consulere, vbi omnia fusiùs tradita reperiet.

FINIS SYNTAGMATIS SECVNDI.

SYN-

SYNTAGMA VIII.
OBELISCVS FLAMINIVS, OLIM SENNESERTAEVS.

AD AVGVSTISSIMVM FERDINANDVM IV. Regem Romanorum.

FERDINANDO Quarto Regi Augusto præsentem erigo Obeliscum, iam olim ab Augusto Cæsare ex Aegypto deductum, & in Circo maximo, immortalitati nominis eius, honoris veluti trophæum quoddam erectum. Augustos, Obeliscos erigere; Augustis, eosdem consecrare decet: vt quemadmodum Obelisci, insolenti sua altitudine cœlum ferire videntur; sic Reges vltra communem hominum conditionem, nil nisi altum, sublime, gloriosum, arduum sapere, ex hoc veluti symbolo quodam discerent mortales. Quod vti Tu, AVGVSTISSIME REX, præstas; ita me occulto quodam mentis præsagio impulit, vt quanta Mundus de Tua sibi Heroica virtute polliceatur, hoc Flaminio Obelisco, veluti abdito quodam & abstruso symbolo, posteritati comprobarem. Vale.

SYN-

SYNTAGMA III.

Obeliscus Flaminius, olim Sennesertæus.

CAPVT I.

Historica relatio Obelisci Flaminij.

Obeliscus Flaminius à Sennesertæo Rege Ægypti erectus secundùm Plinium. *Plinius.*

PLINIVS hunc Obeliscum à Rege Ægypti Sennesertæo erectum l. 36. c. 9. asserit his verbis: *Is autem Obeliscus, quem D. Augustus in Circo maximo erexit, excisus est à Sennesertæo, quo regnante Pythagoras in Ægypto fuit,* 125 *pedum & dodrantis, præter basin eiusdem lapidis.* Putat itaque Plinius, hunc Obeliscum à Sennesertæo fuisse erectum, eumque vltimum post deuastatam à Cambyse Ægyptum, Regem fuisse. Verùm cùm alij Amasin, vti Herodotus; alij Nectanebum, vti Diodorus, vltimum Ægypti Regem fuisse asserant, quomodo hæc conciliari possint, aut debeant, non video. Nequaquam itaque verisimile est, Obeliscum tam celebrem eo tempore, quo Ægyptiacum Regnum ad interitum iam declinabat; fuisse erectum, cùm Reges tam conclamato rerum statu de Obeliscis non dicam erigendis, sed nè cogitandis quidem animum adijcere potuerint. Quando itaque hic Obeliscus, & à quo Rege erectus fuerit, aperiendum duxi. Dico itaque, hunc Obeliscum non à Sennesertæo, sed à Psammirtao fuisse erectum; Plinium verò vocum similitudine delusum, vnum pro altero posuisse, certum est. Nam cùm vigesimæ-sextæ Dynastiæ tertium Regem, quem Manethon Psammum, Ctesias Amirtæum vocat, rerum Ægypti potitum esse, ex Chronologia nostra constet; verisimile est, duobus nominibus Psammo & Amirtæo in vnum confusis Psammirtaū emersisse, corruptè verò Sennesertæum. Vixit autem hic Rex 1527, vel vt alij 1622 circiter annis post diluuium, circà principium Olympiadum, & conditæ Vrbis, à Sesostris Imperio quasi 340 annis, vti ex Chronologia Regum Ægypti primo Tomo & Syntagmate exhibita patet. Atque hic Psammus Amirtæus siue Psammirtao hunc Obeliscum eo ipso tempore, quo summo in Ægypto hieroglyphica doctrina in flore erat, erexit, quicquid Plinius dicat. Neque Pythagoram sub hoc in Ægypto Philosophatum, sed sub Amasi Rege, quatuor videlicet ante Cambysis in Ægyptum irruptionem annis, plerique melioris notæ Chronographi docent. Verùm de his, vti & de Plinij errore circa Obelisci mensuram, copiosiùs tractauimus in Obelisco Pamphilio fol. 72. & 73.

Herodotus. Diodorus.

Obeliscus Flaminius à Psammirtao erectus.

Psammirtaus vnde dictus & quo tempore vixerit.

Pythagoras quo tempore in Ægypto fuerit.

Fuit autem à Psammirtao hic præsens Obeliscus primò erectus in Heliopoli, inde verò eū Cæsar Augustus abstractū Romæ in Circo maximo erexit; quem tandem iniuriâ temporum prostratum, terrâque obrutum, felic. record. Sixtus V. erutum, in campo Flaminio erexit eò modo, quo dicemus.

Sixtus V. erigit Obeliscum Sennesertæum in via Flaminia.

Post-

Postquam Summus Pontifex Sixtus V. vna cum Obelisco Rameſſæo hunc Obeliſcum præſentem in eodem Circo maximo terra obrutum detexiſſet, varijque Romanæ Vrbis Campi, illi deſtinarentur; eum tandem in Campo Flaminio, propè portam Vrbis primariam, atque ædes D.Mariæ vulgò del Popolo, tùm quia ſummam eo in loco Romanæ Vrbis maieſtatem, vel ad primum exterorum ingreſſum conciliabat, tùm quia tres principales Vrbis Plateas reſpiciebat, erigere viſum fuit. Erecto itaque Obeliſco Rameſſæo in Campo Lateranenſi, huius mox in dicto Flaminio Campo erectionis initium datum fuit. Ac primùm quidem fundamentum iactum fuit moli inſiſtendæ proportionatum, deinde fabrica lignea exſtructa fuit Obeliſco erigendo neceſſaria. Porrò ſupra fundamentum baſis ex ſaxo Tyburtino 15 palmorum altitudinis, 22 verò palmorum latitudinis impoſita fuit, ita vt ſex gradus latitudinis tribus gradibus ſcalaribus hanc baſin ambientibus, aſſignati fuerint, adeoque abacus extra ſcalas emergens, ſedecim tantùm palmorum latitudinem obtinuerit. Supra hanc baſin abacus quadratus quindecim palmorum altitudinis, tredecim latitudinis poſitus fuit, eratque idem abacus, ſupra quem Obeliſcus olim erectus erat, ſuis inſcriptionibus antiquis & nouis inſignitus, vti paulò poſt videbitur; atque adeo tota baſis à terræ ſuperficie vſq; ad baſin Obeliſci eſt 38 palmorum, ſi coronidum baſin & abacum ambientium altitudinem adieceris. Super hanc itaque ſubſtructionem Obeliſcus impoſitus, qui olim 100 palmorum erat, modò 97 palmorum (ob tres palmos inferioris partis, qui temporis iniuria corroſi Obeliſcum fundandum ineptum reliquerant, ademptos) altitudinem vſque ad pyramidium obtinet; quod cùm decem palmorum ſit, totus Obeliſcus 107 palmorum altitudinem hodie habet; ad quod ſi 38 palmos adieceris, tota ſtructura à ſuperficie terræ vſque ad apicem 145 palmorum altitudinem obtinebit. Menſura partium Obeliſci hæc eſt. Bina latera inferioris baſis maiora & oppoſita latitudinem habent 10 palmorum: & $\frac{3}{4}$; minora verò latera oppoſita $9\frac{1}{2}$ palmorum ſunt; ad pyramidium verò duo maiora latera oppoſita nouem palmorum ſunt & medij; duo minora oppoſita 6 palmorum $\frac{2}{3}$ ſunt; ex qua ſymmetria facilè totius molis pondus elici poteſt. Fuit autem hic Obeliſcus à Sixto V. die 25 Martij anno 1589 ſacræ Cruci dedicatus, vt ſignum Crucis pilæ æneæ inauratæ ei impoſitum ſatis demonſtrat, & ex figura ſuprà fol. 213. poſita, & ſequentibus inſcriptionibus patet.

Obeliſci Flaminij baſis.

Altitudo eiuſdem ſolius, & vna cum pyramido.

Menſura ſingularum partium eiuſdem

Quo anno, & die erectus.

Inſcriptiones Obeliſci Flaminij.

Ad Orientalem plagam, quæ Baſilicam S. Mariæ del Popolo reſpicit, hæc epigraphe legitur.

ANTE SACRAM
ILLIVS ÆDEM
AVGVSTIOR
LÆTIORQVE SVRGO,
CVIVS EX VTERO
VIRGINALI
AVG. IMPERANTE
SOL IVSTITIÆ
EXORTVS EST.

Ad plagam Occidentalem, quæ Tyberim respicit.

SIXTVS V. PONT. MAX
OBELISCVM HVNC
A CÆS. AVG. SOLI
IN CIRCO MAX. RITV
DICATVM IMPIO,
MISERANDA RVINA
FRACTVM, OBRVTVMQVE,
ERVI, TRANSFERRI,
FORMÆ SVÆ REDDI,
CRVCIQVE INVICTISSIMÆ
DEDICARI IVSSIT
M.D.LXXXIX. PONT. IV.

Antiqua inscriptio sic se habet ab oppositis lateribus.

IMP. CÆS. DIVI F.
AVGVSTVS,
PONTIFEX MAXIMVS,
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

Atque hæc de historica Obelisci Flaminij relatione sufficiant.

CAPVT II.

Argumentum Obelisci Flaminij.

CVm Ægyptij magnam in duodenario numero vim & potestatem repositam esse cernerent, omnia ferè sua huic symbola accommodarunt. Est enim duodenarius numerus, vt alibi diximus, totius Vniuersi symbolum; quo Angelicum Mundum dodecapartitum, duodecim Sphœras, duodecim signa Zodiaci, duodecim Cœli plagas, duodecim Elementorum portiones, exprimebant; hisce vnum supremum Numen omnium moderatorem præficiebant. Quæ omnia Plato Ægyptiorum discipulus cumprimis Dialogo VI. de legibus approbat, eaque Ægyptiorum mysterijs contineri Ficinus luculenter in præfatione, quam dicto VI Platonis de legibus Dialogo præfixit, demonstrat. *Laudat*, inquit, *Plato duodenarium numerum & Vniuersum illum, qui duodenario illi prorsùs accommodatur, ideo, quòd duodecim sint apud eum Mundi sphœræ, & signa duodecim in Zodiaco, & partes duodecim in Elementis, siquidem quodlibet ex quatuor Elementis in tres diuiditur regiones, in summam, in infimam, atque mediam, non solùm situ, sed & virtute etiam differentes; adde Elementorum alterum duodenarium, quo & substantiæ Elementorum quatuor, & octo qualitates comprehenduntur. Qualitatum quædam masculæ sunt, videlicet calor, frigus, leuitas, grauitas; quarum primæ duæ alterationis principia sunt, sequentes duæ principia motionis ad locum; quatuor verò fœminæ sunt, quæ passioni magis subijciuntur, scilicet humor, siccitas, raritas, & densitas. Hoc verò totum Ægyptiorum mysterijs contineri Iamblichus asserit. Accedit quòd duodenario mensium numero Sol dominus planetarum, & cursum peragit proprium, & varios producit effectus. Denique singulas vult partes Ciuitatis ad Ægyptiorum normam Deo consecratas existimari, propriè verò duodecim Dijs, id est, duodecim Sphœrarum animabus, item duodecim Zodiaci signa regentibus, rursus duodecim ordinibus Dæmonum cœlestia signa sequentium. Hinc Plato duodecim Vrbis portas circuitũ Vniuersi imitari debere asserit, deinde Deorum, Dæmonumque exercitum sub Duce Ioue in duodecim ordines esse dispositum; concludit tandem Ciuitatis partes, tùm per duodenarium tribuum numerum, tùm verò per diuinum cultum bis quolibet duodenario mensium solenniter instauratum, sic ad Dei munera præparari, vt Dijs ipsis quasi insidentibus gubernentur.* Hæc de Platone Ficinus. Quæ sanè Obelisco nostro ita congruunt, vt ea Plato ex ijs descripsisse videatur. Quod vt ostendatur, sciendum

Obelisci Flaminij argumentum

Duodenarij numeri prærogatiua.

Plato.

Marsil. Ficin.

Elementorũ virtutes & qualitates

Iamblichus.

Plato.

Ægyptios Mundum in duodecim plagas diuidere, teste Iamblicho, consueuisse, cui vnum omnium Moderatorem præficiebant, quem Hemphta siue Osirin supramundanũ vocabant. Hunc omnia in omnibus agere, hunc in tres inferiores sibi Mundos continuò influentem omnibus vitam motumque conferre asserebant. Et quoniam calido-humidum quoddam in natura rerum in Sensibili Mundo elucescentium, veluti totius productionis fontem, & tanquam principium rerum omnium funda-

Ægyptij Mundum in 12 plagas diuidebant.

Hemphta siue Osiris supramundanus.

uit; hinc aptè sanè hæc per Obelisci supremum à vertice hierogrammatismum veluti epigraphen quandam indicabant; & Osiri supramundano, & Momphtæ summo, humido-calidi moderatori, qui tametsi in insensibili Mundo idem sint, in sensibili tamen ob effectuum diuersitatem differunt, consecrabant. Hic itaq; in Mundum duodecapartitum per duodecim Genios Solares, qui per duodecim Accipitres notatur, primò influit; quibus vti totius Mundi machinæ præsidium commissum est, ita in eo omnia quoque diuersis iuribus moderantur. Ac primò quidem in duodecim signa Zodiaci, mensesque ijs correspondentes, deinde in duodecim plagas cœli virtutem suam exerunt. Hinc singuli Accipitres columnæ certæ plagæ correspondenti insident, quâ effectus, quos in tali & tali plaga Genius ei præses operatur, per hierogrammata occultâ ratione indicantur. Et quoniam omnium rerum mundialium apud eos arbitrium constitutum est, hinc magnâ curâ & religione eos prosequebantur, nè omisso cultu ijs debito, & religione neglectâ, influxus suos beneficos suspenderent, atque adeo contrariarum potestatum dominio subderentur.

Momphta summus influit in Mundū per 12 Genios Solares.

Vnde in hoc Obelisco leges sacræ & Hermeticæ ordinantur, quibus quomodo & quâ ratione, quibus ritibus & cœremonijs in adytis suis diuinus cultus instituendus sit, quibus modis sacri duodecim Solares Genij propitiandi, & si quandoque ob neglectam religionem indignationem incurrerint, placandi sint, & oppositarum virtutum molimina propulsanda, verbo, totum per symbola appropriata signatum continetur. Aptè itaque per duodecim Siderei Mundi Solares Agathodæmones, nihil aliud, quàm vnius Osiris diuersæ virtutes, quibus in inferiorem Mundum agit, signantur, quibus duodecim Elementaris Mundi terrestres Osires, per duodecim Apides indigitati correspondent, duodecim Horizontis plagarum præsides, qui virtutem à supremis virtutibus acceptam in reliquam inferioris Mundi œconomiam dispensant. Cùm itaque *Sapientes Ægyptij* viderent admirabilem quandam sensibilium rerum huius Mundi ad inuisibiles earum virtutes ordinē; sacram quandam & sacerdotalem doctrinam, Trismegisto duce, condiderunt; quam solis sui ordinis hominibus notam esse voluerunt. A Mundo itaque, vti Iamblichus docet, exordientes, Dijs Mundanis, distributione quatuor in Mundo Elementorum à communi sortitione secundùm mensuras Elementorum facta, à circumferentia circa centra in ordine reuoluta, ad veritatem sacrificiorum facilem se accessum habituros confidebant. Cùm enim in Mundo essent, & vt partes continerentur in eo, quin & ab eo generari, atque à totis potentijs eius perfici se, quandamque vitæ naturæque portionem se ab eo consecutos intelligerent; in cultu diuino minimè Mundum Mundanosque ordines sibi prætermittendos duxerunt. Cùm enim viderent circa quamlibet duodecupartiti Mundi partem esse quidem corpus aliquod, inesse præterea vires corporibus incorporeas ordine distributas; hinc sacrorum leges, id est, similia similibus eâ industriâ distribuerunt, vt à summis ad ima per media omnes progrederentur, corpora quidem corporeis appli-

Leges sacræ in Obelisco Flaminio contentæ.

Solares Genij duodecim.

Iamblichus. Dij Mundi ab Ægyptijs culti

Leges de sacrificijs ritè instituendis ab Ægyptijs Sacerdotibus conditæ.

applicando, propria videlicet vnicuique reddentes. Leges itaque sacræ Dijs sacrificia summâ diligentiâ institui debere, docent; siquidem Dijs in terram descendentibus omnes subiectas illis potentias vnà moueri, & vt Iamblichus docet, vt præcursores pompasque præcedere credebant. Qui itaque vnicuique ex ijs non rectè & legitimè sacrificat, neque quod cuique congruit, distribuit, neque vnumquemque proprio quodam honore & cultu prosequitur; hunc Deorum præsentiam non assequi, sibi persuadebant: qui verò omnia sibi Numina propitia reddiderit, grata offerens vnicuique donaque simillima; hunc verè suâ spe minimè frustrari, sed diuinum Chorum integrâ plenâq; præsentiâ suscipere sibi imaginabantur. Vnde ex hoc capite religionis ritus minimè simplex esse debebat, sed παντόμορφος, & ex omni harmonia, cunctisque, vti Iamblichus loquitur, Mundi speciebus constitutus; nouerant enim quanta virium multitudo, Dijs descendentibus, excitari soleat; quæ quidem omni effectu destituebatur, si vel vnius ritus vel vnius cœremoniæ circumstantia à sacrificio omitteretur. Quia verò numerum Deorum humano ingenio incomprehensibilem sciebant, hinc vniuersam Geniorum seriem, duodenario numero comprehendebant, satis esse rati, si vel singulas duodecadum tùm Intellectualis, tùm Siderei, atque Elementaris Mundi Classes memorato religionis ritu, ad id, quod intenderent, coluissent; quemadmodum hic Obeliscus docet, vbi singulæ duodecadum Genialium Classes suas columnas habent, quibus ritus illis debitus describitur, vti ex contextu interpretationis patebit. Cultus verò hic præscriptus ea potissimùm beneficia respicit, quæ rerum humano generi necessariarum vbertatem, aëris salubritatem, & beneficum Nili incrementum, quam munificam Deorum pluuiam vocant; concernunt; quæ quidem obtineri non poterant nisi per optimam annui spacij dispositionem & temperiem, quam solo Deorum illius Præsidum munere se consecuturos sperabant; priuatum verò cultum, priuata quoque Deorum, quem quisque coleret, beneficia, vtpote sanitatis, prosperitatis, sapientiæ, diuinationis, ac tandem θεομορφώσεως beneficia consequebantur. Cultus verò peragebatur religiosa sacrorum amuletorum gestatione; quæ tantâ virtute & efficaciâ pollere arbitrabantur, vt vel gestata Numina potenter ad votis eorum annuendum, trahere crederentur. Ex quibus patet, quàm ex hac apparente religionis sanctimonia Diabolus longas superstitionum catenas ad animas in æternam ruinam trahendas texuerit, quàmque Deo Opt. Max. summè obligemur, quòd per incarnatum Verbum à tanta nos cœcitate eruere fuerit dignatus. Sed iam interpretationem ordiamur.

Numina singula similibus donis placabant Ægyptij.

Duodenarium Geniorum numerum cur elegerint Ægyptij.

Cultus Deorum publicus alia dona, priuatus alia requirebat.

Amuletorum gestatio.

CAPVT III.

Prodroma quarundam rerum, quæ sæpe sæpius in hoc Obelisco occurrunt, interpretatio.

Sacræ tabulæ seu ouatæ figuræ in Obeliscis.

OCcurrunt haud infrequenter vti in hoc præsenti Obelisco, sic & in secuturis, Schemata quædam ouatæ figuræ, quas sacras tabulas Ægyptij vocabant, quarum hoc loco interpretationem præmittere visum fuit, ne in contextu interpretationis faciendæ, ob rerum de ijs dicendarum varietatem, Lectori confusionem ingereremus; quare in sequentibus semper ad hoc caput, occultorum symbolorum rationes nôsse volentem, remittemus. Erant autem sacræ tabulæ certa quædam symbolorum magis illustrium Syntagmata, quæ vti occultas Deorum operationes respiciebant, ita magnas quoque vires ad eos trahendos obtinere credebantur. Hinc eas separatim, tanquam eximium quiddam tùm in publicis Obeliscorum & Sphyngiū monimentis, tùm in adytorum parietibus incidebant, quæ deinde ex his veluti prototypis quibusdam excerptæ, diuersisque lapidibus incisæ, in priuatum vsum tanquam sacra quædam periammata gestabantur.

Duæ tabulæ sacræ celebriores AB. & CD.

Sunt autem duo potissimùm magnæ considerationis, quæ in nullis non Obeliscis occurrunt, & in hoc potissimùm sæpe sæpius, vt examinanti patebit, eo symbolorum apparatu, quem sequentia duo Schemata monstrant, adornata. Prius vocamus tabulam Momphto-Mendesiam; alterum Osiriacam, ad maiorem distinctionem, nominandam censuimus; & vti ferè semper Momphto-Mendesiæ tabulæ Papilionē A, polymorphi Dæmonis symbolum, ita Osiriacæ C Anserem, Osiris, & Isidis symbolum, impositum reperimus.

§ I.

Momphto-Mendesia tabula.

Tabulæ sacræ Momphto-Mendesiæ expositio.

SChema hoc litera B signatum, ouata figura insignitum est, quia vti per ouum, Mundum indicabant, ita per figuram eius, cui Schemata hieroglyphica includebantur, ouatam, eorum Deorum, quos symbola significant, in Mundo operationes occultè insinuabant. Figuræ verò eiusdem insertæ tres sunt; prima est baculus αἰγόμορφος, id est, Hircino capite insignitus; secunda est statua Leonino vultu transformata, & Momphtā, id est, humido-calidi, vti & Nilotici incrementi, præsidem significat; tertia est Nilometrium, quo Momphtæ in Nilum potissimùm dominium innuebant. Hircinum sceptrum denotat Numen, quod Ægyptij vocant Mendes (sic enim fœcundæ generationis Deum dicebant) & Numini, quod Græci Pana dicunt, æquiualet; de quo fusè in

Hircini sceptri significatio

Obeli-

Obeliſco Pamphilio fol. 274. & potiſſimùm in Mendeſio Nomo, vti Tomo primo fol. 18. oſtenſum fuit, colebatur. Leonina ſtatua Momphtam, id eſt, aquarum Numen denotat. Separata ſpectatur hæc tabula qualis ſeorſim, eò quòd maioris momenti myſteria contineat; ac proinde ob myſterioſam hanc ſymbolorum coaptationem, magnas ad Numen, quod referebat, ſollicitandum, vires obtinere arbitrabantur, vſitatiſſimum amuletum. Quo cognito, rationes, ex quibus illa ſymbola conſtructa ſunt, tempus poſtulat, vt aperiamus, vt Ægyptiorum in comminiſcendis ſymbolis, ingenium luculentiùs, & ſimul intentio & finis, ob quem hoc pacto inſtituerunt, pateſiat. Sed ad Rhombum.

Leoninæ ſtatuæ ſignificatio.

Primum locum in hac hieroglyphicorum congerie obtinent bina ſimulachra. Prius ſimulachrum λεοντόμορφον, rude quidem illud & impolitum, ſed quod pennato ſuo vertice, Crucisque anſatæ ſymbolo non obſcurum diuinitatis argumentum præſeferat. Simulachra verò illa hieroglyphica, data opera rudi quâdam elaborabant Mineruâ, cùm quia minutulas membrorum proportiones in ſaxo adeo duro inſculpere difficilè erat, tùm quòd ſi ſubtili vſi artificio ſculpturam feciſſent tenuiorem, facilè temporis rerum edacis diuturnitate, aëris adhæc, cœlique iniurijs obliterari potuiſſent. Ægyptij itaque cùm æternitatem in operibus ſuis affectarent, tantùm extrinſecis corporum lineamentis, & rudi quâdam rerum effigie contenti, ſymbola ita profundè ſaxis inſculpebant, vt nihilominùs, quid ſculpturæ innuerent, peritioribus rerum facilè innoteſceret; quod benè notandum.

Figuræ Obeliſcorum cur ruditer & aliarate.

A B tab. Momphto-Mendeſia.

C D tab. ſacra Oſiriaca.

Hanc autem iuxta interpretationem noſtram ſuperiùs factam Momphtæ Nilotici Numinis ſtatuam eſſe, monſtrat primò penna capiti ſupereminens, & Crucis anſatæ nota, & forma Leonina.

Notandum autem, duplicem hic Momphta conſiderari poſſe; ſupramundanum, & hylæum. Supramundanus, vti in Vniuerſalis humidi ſubſtantiam dominium abſolutè exercet, ita hylæus ſubſtitutus eius in inferiori Mundo humidæ ſubſtantiæ tutelam ſuſci-

Momphata duplex, ſupramundanus, & Hylæus, quo ad effectum, re tamen vnus.

Momphtæ habitus explicatur.

suscipit. Vtrumque hoc loco expressum videmus, vnum reuera Numen, tametsi effectibus diuersum. Per pennam quidem in capite assurgentem significabant, difficilem inuentu esse naturam eius, & nemini conspicuam, sed sublimem non modò supra sensum, verùm etiam supra humanæ intelligentiæ captum; humana verò forma eundem vitæ Authorem, & Motorem, qui intellectu comprehendi possit, circulatum indicabant: quoniam vt hominis corpus quidem cernitur, mens verò ipsa, quæ hominem à cœteris animantibus disiungit, cerni à nullo potest; sic etiam Dei summi Opificis actiones & motus, quæ ipse in sacris literis posteriora vocat (non secùs ac Aristoteles, effectus posteriora, causas verò priora nominat,) ab humano intellectu cerni possunt, Mens verò ipsa & diuina natura creatarum rerum moderatrix in huius corporis carcere absolutè cognosci non potest: Quod pulchrè apud secretiores Hebræorum Theologos innuitur per quinquaginta portas lucis, quas omnes præter vnam Moysen ingressum aiunt, vti in Cabala docuimus. Et ideo, teste Porphyrio, cæruleâ veste indutum eum pingebant, vt cœlestem illum esse significarent, & in Cœlo habitare, nullius coloris, vel accidentis participem; nullo terrenæ mixtionis inuolucro vestitum, etiamsi nobis fortasse eum suscipere videatur, & modò irasci, modò placari, quemadmodum Cœlum ipsum, cùm nullius coloris sit, propter interualli longitudinem cæruleum videtur. Sed audiamus verba Porphyrij; sic enim dicit: *Ægyptiorum autem Deorum symbola talia sunt: Creatorem Ægyptij Emeph,* (melius Hemphta) *appellant, cuius imaginem in forma hominis faciunt colore cæruleo, Zonam tenentem, & sceptrum, cuius in capite pennam ponunt, significantes difficilem inuentu esse Creatorem, & nemini conspicuum, viuificum etiam, & Regem, & intelligibili motu circulatum. Hic Deus,* inquit, *ab ore ouum producit, à quo nascitur Deus, quem Ægyptij Phta, Græci Vulcanum appellant; significatur autem Ægyptijs ouo Mundus.* Vides igitur verticem penna sublimem, vides sceptrum, vides Crucis ansatæ mysteriosam notam. Per pennam non solùm, vt Porphyrius vult, Deum inuentu difficilem significabant, sed quòd diuinæ essentiæ cognitio est ab humano intellectu remotissima: quia sicut penna Auium corpora in altum aërem, quò nos peruenire nequimus, eleuat; sic ineffabilis illa Dei essentia adeo est alta, & adeo intellectus capacitatem excedit, vt ad eam cum plena cognitione pertingere nullo modo possimus; vnde & Psalmographus monstraturus, quantum diuinæ essentiæ intellectus nostri exiguitatem excedat, dicit, quòd Deus volet supra pennas ventorum, & posuerit tenebras latibulum suum. Moses quoque, vt monstraret alta mysteria, symbolicâ quâdam methodo duos Cherubin cum extensis alis posuit super propitiatorium. vbi Thargum Hierosolymitanum præter ea, quæ in vulgata editione sunt, sic habet:

Dei effectus cerni, natura minimè à nobis potest.

Deus cæruleâ veste indutus cur pingatur.

Porphyrius.

Penna in capite Momphtæ quid significet.

Exo. c. 37. Thargum Hierosol.

בחכמת רוח נבואה עבד ית כרוביא סתרין סתרין;

In sapientia Spiritus Prophetiæ, fecit Cherubin ab vtraque parte.: quibus verbis magna quædam mysteria recondita significantur. Magnus ille Dionysius,

nysius, mysticæ Theologiæ Princeps, animam omni terreno affectu exutam, pennæ comparat; *Penna*, inquit, *declarat & ducendi celeritatem, & quod cœleste est, & quod mouetur, & quod ab omni rerum terrenarum studio & cupiditate abhorret; propterea quòd sursum feratur; pennæ autem leuitas, id quod nullâ ex parte est terrenum, sed totum sine admixtione & grauitate sursum efferat*. Porrò statuam prædictam sedentem finxerunt, insinuando per hoc, vt Porphyrius dicit, stabilem & incommutabilem virtutem; sedere autem fingitur, vt stabilis & incommutabilis virtus exprimatur; in manu sceptrum tenet, de quo fusè passim iam dictum est in præcedentibus; Leonino vultu est, ad vim potestatemq; quam in humidam substantiam, virtute sua corroboratiua tenet, adeoque Nilum, cui præest, indicandum, de quo fusè in Hierogrammatismo Leonis Obelisci Pamphilij, quem consule. Sceptrum Ægomorphon appositum habet, quo vis Mendesia indicatur, Mendes enim siue Hircum Ægyptij, Numen genitalis humoris præsidem dicebant; aptè verò coniungitur Momphtæ, siquidem nisi humidum fœcunditate polleat, frustra id in natura rerum institutum videtur, cùm omnium rerum generatio in humido & calido, vti dictum est, consistat; rectè itaque Momphtæa vis Mendesiæ tanquam ad generationem rerum necessariam adiungitur. Sed de his vide Obeliscum Pamphilium fol. 283. & alibi, vbi & de Momphta, & Mendes vberrimè discurrimus.

Dionysius Areopagita.

Momphta sedens cur fingatur, & Leonino vultu.

§. II.

Niloscopij expositio.

Niloscopij expositio.

SVb Hircino capite in hieroglyphico Syntagmate instrumentum occurrit, cuius Abenuaschia meminit, & non malè aliqui Niloscopium interpretantur, cuius vestigia adhuc aliquibus in locis videntur. Verba eius Arabica hæc sunt:

فلما كانوا يريدون يصروا لحبله النيل كانوا يصروا لمكيال الزيادة النيل
يصورة الذنب الاسد ۞

Vt fœcundam naturam Nili monstrent, illam structuram ponunt, quâ incrementa Nili mensurantur. Idem Nilometrium Strabo hisce verbis describit: Συήνης νῆσος ἐν ἡμισταδίᾳ, καὶ ἐν ταύτῃ πόλις ἔχουσα ἱερὸν Κνούφιδος, καὶ Νειλομέτριον ἐν μονολίθῳ κατασκευασμένον ἐπὶ τῇ ὄχθῃ τοῦ Νείλου σημειοῦντα τὰς μεγίστας δὲ καὶ ἐλαχίστας, καὶ τὰς μέσας. hoc est: *Altera Insula dimidium stadium in Nilo ante Syenem posita, in qua ea Vrbs, quæ Knuphidis templum, & Nilometrium habet; hic autem est puteus quidam in ripa Nili ex integro lapide constructus, in quo & maxima, & minima, & mediocria Nili incrementa denotantur.* Meminit huiusmodi instrumenti quoque post Herodotum, Diodorum, Apuleium, Plutarchum, Ioannes Leo Africanus, qui huius structuræ se oculatum testem dicit: sic enim ait: *E regione ciuitatis veteris in medio Nili Michios, hoc est, mensuræ, videtur insula, ex qua pro ratione inundationis Nili, eius anni prouentum*

Strabo.

Ioan. Leo Africanus lib. 8.

tum per totam Ægyptum certissimâ ratione à priscis Ægyptijs adinuenta colligunt. Verùm in describendo Niloscopio, vtpote re passim notissima, non moror; vnum me in Arabico textu Abenuaschiæ de Ægyptiorum cultura suspensum perplexumque summopere reddidit, neque quid per iacentis & caudati animalis imaginem voluerit, intelligere valui, donec variam antiquitatem consulendo, tandem id, quod erat, subolfaciens, occultum verborum contextum inuestigauerim. Vult autem Abenuaschia hisce verbis nihil aliud dicere, nisi quod fuerit in similitudinem Sphyngis, quod apud Authores inundationis Nili symbolum reperi. Erant autem Sphynges (sicuti apparet ex ijs, quæ Romam ex Ægypto deductæ passim hinc inde in Vrbe videntur) biformes statuæ, quarum prior humanam faciem, cœtera Leonem referebat, vti in Syntagmate Sphyngum docemus. Erant autem hæ figuræ ab Ægyptijs expressæ, non quòd crederent, similia animalia vllibi reperiri, sed ad connotanda reconditiora mentis sensa. Sphynges itaque sic expressæ stationem Nili Ægyptum inundantis denotabant. Cùm enim in toto Iulio & Augusto Nili incrementa durarent, Sol autem dictis mensibus maxima ex parte Leonem & Virginem peragraret, genti ad portentosas & polymorphas rerum compositiones cœteroquin propensissimæ facilè fuit, ex Virgine & Leone formare monstra, quas Sphynges appellabant; erantque propriè statuæ Nilo consecratæ, ventribus incumbentes, quibus stationem inundantis Nili repræsentabant. Huiusmodi Sphynges videntur adhuc hodierno die in Horto Quirinali, ad fontem Capitolij, in Villa Burghesia. Harum Sphyngium magnus numerus, teste Plinio l. 36. c. 13, in Ægypto erat; quarum aliquæ ingentis molis in celebrioribus Ægypti locis, maximè verò circa loca, in quibus solet inundare Nilus, sicuti Heliopoli & Sai, & in deserto Memphitico, colebantur; in quo inter cœteras vna prodigiosæ magnitudinis 143 pedes longa, & 62 pedes lata. Videntur autem habuisse simul officium designandi incrementa Nili, vti ex verbis Abenuaschia apparet. Imò dicam aliquid ampliùs; illa ipsa figura Nilometrij, quam hic Ægyptij pro symbolo fœcunditatis Nili posuerunt, rudi suâ effigie nil aliud insinuare videtur. Confirmat opinionem nostram Pierius, qui ait, Ægyptios ad significandũ incrementũ Nili, quod Ægyptiâ linguâ Nun significat, Leonis iacentis hieroglyphico vsos esse; aitque, quòd cùm Sol Herculei Leonis terga adit, Nili diluuium excitet, duplumque recentis aquæ Sole in eo signo commorante sæpius exundet, quæ vis aquæ per spaciosam Ægypti planitiem latè diffusa, solum eâ fertilitate grauidum reddit, quâ non tantùm indigenæ sibi alimentum colligant, sed magnam Orbis partem fame leuent; propter eam verò aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutum est, & apud omnes Gentes vsu iam receptum, vt canales, tubique, & siphones, qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita, aquam emittant, quæ Leonis rictibus euomi videatur. Atque hæc ita sese habere, testantur non pauci, qui in hunc diem Romæ visuntur, Leones ad

Sphynges quid fuerint apud Ægyptios.

Nili inundationem apud Ægyptios demonstrabãt. Sphynges qua occasione confictæ ab Ægyptijs.

Plinius.

Pierius lib. 1.

Leonis capita cur fontibus adhibita.

radices Capitolij, & fontem iuxta Ædem Diuæ Virginis de Victoria, qui plenis rictibus aquam eructant. Nè verò in hieroglyphicis inscriptionibus semper integram Leonis, aut Sphyngis figuram ad Nili incrementum denotandum pingere cogerentur, ideo per ipsum eundem characterem, quo Ægyptij Astrologi Leonis signum præfigurabant, id est, per ♌ caudam Leonis, illud ponere consultiùs iudicarunt. Characteres enim Astronomos signorum & planetarum ab Ægyptijs primò excogitatos, suprà ostensum fuit, & Deenus in Monade hieroglyphica fusè probat, de quibus & nos ex professo in Astronomia Ægyptiaca. Sed & signum infrà positum (♒) id manifestè monstrat; hoc enim symbolum aquæ esse, à similitudine figuræ aquæ vndulatæ deprompt um, alibi copiosissimè demonstratum fuit, & ob eandem causam ab Ægyptijs, & communi Astrologorum consensu & approbatione prò symbolo aquarum assumptum: quod & proinde vbicunque in hieroglyphicis occurrit, humidum refert. Sed de his fusiùs suis locis. *Deenus.* *Aquarij & Leonis signa seu character.*

Verùm posset quis hic obijcere, quid Aquario cum Leone? Huic respondeo: cùm Ægyptij excellentiam alicuius rei vellent demonstrare, eos id maximè per contrariorum appositionem fecisse. Nam cùm Nilum præ cœteris Mundi fluminibus mirandis quibusdam naturæ dotibus ditatum perspicerent, vtpote qui non tantùm totius anni decursu maxima fœcunditatis argumenta monstraret, sed maximè eo ipso tempore, quo Sol Leònino æstu inflãmatus omnia adurit, & cùm reliqua omnia flumina humoris inopiâ deficiunt, ille omnia plenitudine suâ adimplere videatur, & contrà in Aquario maximũ habeat suæ diminutionis statum, reliqua verò flumina non nisi in Aquario, Leoni opposito signo, diluuijs essent obnoxia; ideo vt hanc præeminentiam Nili symbolicè exprimerent, Leonis signo supponere voluisse videntur signum oppositum Aquario. *Ægyptij rerũ excellentiam per contrariorum appositionem denotabant.* *Leonis & Aquarij signa cur Nili inundationem significent.*

Quare siue hoc symbolum Nilometrium, siue Sphyngem, siue Leonem referat, perinde est, errare non poterit Lector, quodcumque elegerit; nam & Nilometrium, & Sphyngem, & Leonem singula inundationis hieroglyphica fuisse, paulò antè demonstrauimus; & potuit fieri, eas structuras eos construxisse, quæ & Sphyngem, & Leonem referentes, Nilometrij munere fungerentur; quod sanè simile quid fuisse & verba Authoris non tacitè, & Strabo lib. 17. Herodotus, alijque Antiqui, imò quotquot modò Nili statuæ inueniuntur, innuunt. Sed hæc omnia subtili Lectori vlteriùs inuestiganda relinquimus. Quare ad secundæ tabulæ sacræ interpretationem procedamus.

§ III.

Secundæ tabulæ sacræ Obelisci Flaminij expositio.

Secundæ tabulæ sacræ Osiriacæ expositio.

Gratitudo erga Deum pro beneficijs

SI iuxta Xenophontis præscriptionem, erga eos, à quibus beneficia vel minima recipimus, gratitudine quâdam debitâ obligemur, certè maximè erga Deum beneficentissimum, cuius beneficio omnia habemus, nos gratos esse debere non ratio tantùm dictat, sed & lege diuinâ ad id nos obligari sacra pagina manifestè docet. Agnouerunt id certè præ cœteris Gentibus Ægyptij, quorum erga diuina Numina gratitudinem, amorem, reuerentiam, propensum animum, ea dignè colendi studium & sollicitudinem luculenter demonstrat ille nunquam satis quæsitus Osiris, tot portentosi in sacrificijs peragendis ritus, tot polymorphorum Numinum figmenta, quæ & in præsenti hieroglyphico Syntagmate posteritati veluti vnicum suæ erga Numina colenda voluntatis testimonium relinquere voluisse apparet. Nam postquam diuinam illam Osiridis potentiam, ac in naturæ theatro elucescentem maiestatem, potissimùm in fœcunda Nili natura, symbolικῶς repræsentassent, aliud ei à latere adiungunt hieroglyphicum Syntagma veluti cultus diuini ectypon, quo eum, à quo tanta beneficia reciperent, dignis honoribus colendum hieroglyphicè expresserunt. Continentur autem in hoc hieroglyphico Schemate sex figuræ potissimùm considerandæ: duæ statuæ, ferculum, triplicatus ramus, baculus seu thyrsus, & iuncus marinus.

De duabus Statuis.

Tabulæ sacræ expositio.

PRima figura sub forma sedentis ἱερακόμορφος, id est, Accipitrino capite transformata, globum in capite sustinens, manibus Tauticum characterem tenet. Per ἱερακόμορφον Accipitrem intelligebant Osirin, vt iam sæpius ostensum fuit; per globum in capite, diuinitatem; per characterem Tauticum, motum seu influxum in Vniuersi Mundi penetralia. Altera figura est humano vultu, quæ tùm hîc, tùm in alijs Obeliscis variat; nam subinde calatho capiti imposito, nonnunquam pennató vertice spectabilis; in manibus iam literam *A*, modò sceptrum Cucuphæ capite insignitum tenet. Et nihil aliud hoc simulachro denotabant, nisi Osiridis asseclam, Solarem videlicet Agathodæmonem, cuius symbolum, quod manibus gerit, Alpha est; & cùm hic idem varietatis Mundanæ præses sit, hinc subinde sceptrum Cucuphomorphum in manibus tenet, eius symbolum; calathus verò seu cidaris potestatem in omnia tutelæ suæ commissa notat; pennatus verò vertex sublimitatem operationum, quibus incumbit, signat, vt suprà diximus. Opponitur huic è regione Osiris, vt ostendatur, omnem virtutum in Agathodæmonem hunc deriuatarum varietatem, immediatè ab ipso bonorum omnium assluxu, Osiri inquam supramundano procedere; quæ & conuersio vnius

ad

ad alterum, & signum Tauticum, quod Osiris manibus tenet, huius diuini affluxus symbolum, apertè docet. Sed de his alibi fusiùs. Ansatæ Crucis symbolum siue Tauticum sigillum manu gerit, diuinæ mentis in vniuersas Mundi semitas se diffundentis symbolum. Hunc characterem ab Hebræis mutuatos esse Ægyptios verisimile est, vtpote curiosos figurarum obseruatores; vtrisque quidem mysticum, sed diuersorum mysteriorum significatione discrepantem. Falsum tamen est, characterem hunc apud Ægyptios significare, vitam venturam, quemadmodum vult Ruffinus, Suidas, alijque Authores; sed verisimile est, totum hunc rumorem exortum esse à Iudæis, qui tùm temporis Ægyptum exules peruagabantur; videntes enim signum hoc *T* toties in imaginibus eorum repetitum, passim salutem suam venturam ex Patrum suorum traditione interpretabantur. Nos illum characterem nihil aliud apud Aegyptios significasse dicimus, quàm, vt dixi, diuinæ Mentis in rerum omnium productione motum & diffusionem.

Character Tauticus ab Hebræis mutuatus.

Tauticus character quid apud Ægyptios significarit.

De Ferculo, seu Feretro.

SImulachris iam explicatis immediatè subijcitur ferculum, φέρετρον à Græcis dictum; quod symbolum fuit, diuinum honorem Dijs exhibendi. Solebant enim Aegyptij plerumque instrumenta illa, quorum in sacris vsus erat, pro symbolis hieroglyphicis assumere. Feretro enim vsos esse in statuis seu simulachris Deorum solenni pompâ circumferendis, ex Luciano, & Apuleio Isiacam pompam graphicè describente luculenter patet. Fuisse autem huiusmodi feretra cistarum ad instar, apparet ex eius in multis Obeliscis figura; & ex Apuleio colligitur fuisse cistam secretorum capacem, eò quòd Aegyptij in ijs occultare solebant opertanea sacra, quæ sic dicta, quòd operta essent, neque exposita profanorum oculis; quæ & à Græcis mysteria dicuntur, Suida teste, ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα à claudendo ore; quòd scilicet deceat eos, qui audiunt diuinas cœremonias, & religionis arcana, os obturare, nec vlli mortalium enunciare. Erant autem ijs inclusa phalli seu veretra ficulnea αἰδοῖα Osiridis & Isidis; quæ quid propriè fuerint, fusè alibi dictum est; vnde & huiusmodi cistæ à Suida dicuntur κίσται ἱεραί, hoc est, cistæ sacræ, à quibus κιστοφόροι dicebantur ij, qui eas baiulabant, qui ad beatum hoc ministerium ex selectissimis personis eligebantur; adeo quidem, vt Lampridius & Aelius Spartianus notent, huius etiam se pompæ choragum constituisse, sacrarumque honorem cœremoniarum non dedignatum olim Commodum Imperatoaem; Sacra enim Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubidis statuam portaret. Atque ex hac Comasiarum solennitate profluxisse Ithyphallia, Dionysij sacra Græcorum, testatur Plutarchus, qui phallum geri solitum ponè Virgines Canophoras, & phallicum Cani; erant autem Canophoræ Virgines ingenuæ, quæ canistra capite gererent; in quibus omnes primitiæ essent repositæ.

Ferculum seu feretrum, eiusq; significatio hieroglyphica.

Lucianus. Apuleius. Opertanea sacra.

Cistophori, cistæ sacræ.

Ithyphallia. *Plutarchus.* Canophoræ.

Ferculum igitur illud vbicunque in hieroglyphicis occurrit, sem-

per

per solennitates in honorem Deorum instituendas significat. Fuisse autem circumportatas quatuor simulachrorum aureas effigies, testatur Clemens Alex. videlicet duos Canes, Accipitrem, & Ibidem; ego arbitror, fuisse vnum Canem, vnum Lupum, vnum Accipitrem, & vnam Ibidem; Dictum autem est, duos Canes, ob similitudinem Lupi cum Cane; sic enim meliùs iuxta seriem historiarum Ægyptiarum progredi poterimus. Dictum autem esse quatuor literas apud Ægyptios, quasi diceres, quatuor Elementa; hâc enim coniunctione diuersa omnium rerum conceptus exprimuntur: hinc ex quatuor Elementorum contemperatione quicquid in rerum natura est, existit. Lupus autem denotat terram, quem terrestrem aiunt; Ibis aquam, Canis siue Anubis aërem, Accipiter ignem; quæ pulchrè sanè in Bembina tabula, cum ijs symbolis, & instrumentis, & feretris instructa, quemadmodum diximus, expressa sunt, vt suo loco dictum est.

Clemens.

De Ramo inuerso.

ÆGyptios in dicta Comasiarum solennitate ramos portasse, superiùs ex Clemente & Apuleio sat ostensum fuit quas (solennitates ὀσχοφορίας vocabant) qui id testatur his verbis: Διὰ δὲ τῶν συμβόλων ὡς ὅ τε τροχὸς ὁ στρεφόμενος, ἐν τοῖς τῶν Θεῶν τεμένεσιν εἱλκυσμένος παρὰ Αἰγυπτίοις, καὶ τὰ τῶν θαλλῶν τῶν διδομένων τοῖς προσκυνοῦσι. *Per symbola autem vt ea rota, quæ vertitur in Deorum templis, quæ trahuntur ab Ægyptijs, & rami, qui dantur ijs, qui adorant.* Sic etiam Orpheus;

Ramorum ast queîs sunt hominum terrestria curæ,
Non vno sunt facta loco in mente omnia circum
Voluitur, nec fas vna est consistere parte,
Sed quâ cœperunt cursum parte omnia seruant.

Certè apud Athenienses festus erat dies ramorum nomine insignis, quo in honorem Bacchi, teste Pausania, præferebantur ὄσχοι, hoc est, tenues rami, maximè vitis, vnde ὀσχοφορία, id est, ramorum circumportationis celebritas, & ὀσχοφόροι, seu ramiferi appellabantur pueri sacrorum ministri, qui acceptos vitis ramusculos ex Bacchi templis in Mineruæ Schirradis ædem deferebant, vt disertè testatur Scholiastes Nicandri: Ὀσχοφόροι δὲ λέγονται Ἀθήνησι παῖδες ἀμφιθαλεῖς ἁμιλλώμενοι κατὰ φυλάς, οἱ λαμβάνοντες κλήματα ἀμπέλου ἐκ τοῦ ἱεροῦ τοῦ Διονύσου ἔτρεχον εἰς τὸ τῆς σκυῤῥάδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Quòd autem Deos venerantes, & manum, & ramum, secundùm veterem ordinandi ritum, Θεῷ admouerent, hinc D. Hieronymus rectè vertit, *Et applicabant ad manus suas ramum*, In signum scilicet adorationis, quam Soli præstabant. Hebræos quoque ijsdem cœremonijs in cultu Dei vsos fuisse in festo tabernaculorum, sacræ literæ referunt, & disertè testatur Ioseph l. 3. antiquit. hisce verbis: Ὁλοκαυτώματα δὲ, καὶ θύειν τῷ Θεῷ τότε χαριστήρια φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνης, καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην τοῦ μήλου τῆς περσέας προσόντος.

Ramorum festum in honorem Bacchi. Pausanias.

Festum tabernaculorum Iudæorum.

Victi-

Victimas Deo immolantes, & pro gratiarum actione sanctificantes, manibus interim gestant ramos myrti & palmæ, ex quibus mala perseæ dependebant: In quo siue Ægyptios Hebræos, siue hos illos imitatos fuisse, patet ex eo, quòd Horum ramis perseæ & loti venerabantur, vt significarent cor & linguam Deo dedicandam esse. Nam vt suprà dictum est, persea frontes habet in linguæ speciem acuminatos, fructus verò in cordis fermè effigiem deformatos. Hos & Æthiopes imitatos, patet ex Heliodoro, qui Reges aut Magnates excipientes obuiam venire ait loto coronatos, & palmarum ramos in honorem ipsorum quatientes; verba eius sunt: Τὰς κεφαλὰς τῷ Νειλώῳ λότῳ καταστρέψαντες, καὶ φοινίκων θύρσους τῇ χερσὶ κατασείοντες. Itaque si quem insigni populi fauore honestatum, omniumque celeberrimo plausu & lætitia exceptum significare vellent; hunc φυλλοβολούμενον dicebant, quia non solùm ramos illos exhibebant, sed præterea folia & flores in benemeritos spargebant; quod genus, inquit, neque thus, neque aliam victimam offerebat, sed folia, veluti primam pubescentis naturæ lanuginem manibus decerptam, à qua herbæ, & fruges, atque omnia terrâ orta producuntur, & adolescunt. Atque hactenus de ramis in publicis solennitatibus circumportari solitis; iam locus postulat, vt de hieroglyphico nostro ramo, quid ille hic significet, agamus. Hic frequentissimus est, adeo vt vix pyramidem sine eius frequenti occursu inspicere liceat. De his cùm amplissimè in Hierogrammatismo de herbis Ægyptiacis Obelisci Pamphilij, & suprà in Obelisco Lateranensi egerimus, nonnulla hîc ex ijs, ad maiorem rerum intelligentiam, repetenda duxi.

Horus: Ramis perseæ & loti Horũ venerabantur Ægyptij.

Heliodorus: Ramos manibus præferentes excipiebant Æthiopes Reges.

Ramus est triplex, & inuersus. Ramum perseæ arboris fuisse, & diuersam habuisse symbolorum significationem, ex ijs quæ sequentur, patebit. Persea est arbor peculiaris Ægypto, omne solum præterquàm patrium adeo respuens, tantaque diffidia cum reliquis terris habens, vt eis inserta veluti indignabunda, nec germina, nec fructus proferat; cuius descriptionem vide apud Theophrastum. *Est in Aegypto alia quoque arbor, persea dicta, aspectu magna formosaque, folio, flore, ramo, totâque figurâ potissimùm pyro vicina; nisi quòd altera folio perpetuo, altera deciduo est; fructus abundè parit, omnique tempore perficit, quippe nouos semper occupat, maturitas anniuersariorum afflatu conficitur, reliquam crudiorem aufferunt atque recondunt; ex hac simulachra, & mensas, & reliqua similia faciunt.* Vnde patet, falsam esse eorum opinionem, qui putant, eandem esse arborem ex Persia in Ægyptum translatam; falsam quoque Pierij, aliorumque sententiam, eam cum malo Persico confundentium. His igitur ramis Aegyptij in solennitatibus vtebantur; his loco symbolorum vtebantur; hanc Isidi, teste Plutarcho, consecrabant, & Harpocrati, eò quòd ab ipsis primò sit plantata in Aegypto, non à Persa, vt perperam quidam interpretantur, sed ob maximas huius arboris vtilitates, quas iuxta foliorum triplici ramo insertorum numerum computabant. Primò quia simulachra Deorum, teste Theophrasto l. 4. c. 2. inde fiebant; secundò, eodem teste, mensæ templorum; tertiò litui; quartò Harpocratis solium inde construebatur; quintò ob fructus gustui gratissimos; sextò ob oleum inde

Ramus triplex, & inuersus in Obeliscis.

Perseæ arbor.

Theophrastus l. 4. c. 2.

Perseæ ramo cur Ægyptij in solennitatibus & hieroglyphicis vtantur.

inde expressum magni vsus; septimò ob nucleos in varios sacrorum vsus; octauò folijs templa ornabant; nonò, ea simulachris prosternebant; decimò, arefacta igni alendo inseruiebant; vndecimò in Harpocratis ornamentum, vtpote quod nunquam in Bembina tabula abesse videtur, adhibebant; duodecimò denique, multa arcana, de quibus in sequentibus, per ea significabant.

Persea semper viridis.

Persea igitur primò semper viridis, nunquam decidua folijs, semper fructibus referta, semper floribus, cuius arboris egregiam indolem Aegyptij non malè repræsentasse videntur per triplicem illum ramum, quorum vnusquisque quatuor foliorum seu florum serie conspicuus, deorsum folijs vergentibus, sursum tribus veluti pomis seu fructibus arboris protuberantibus. Quo quidem totam nobis seriem plantationis seu seminationis rerum ob oculos posuisse videntur. Quid enim aliud per tres ramos notabant, nisi tres anni partes (in quas, iuxta Diodorum, annus, præter quadripartitam trium mensium diuisionem ab Aegyptijs diuidebatur) æstatem, hyemem, & ver? quarum vnaquæque iterum in quatuor menses dirimitur, per subnascentes istas quatuor foliorum vnicuique ramorum appictorum series significatas; quibus ramis rerum vegetabilium generatio significatur. Sicut enim semen perseæ (aut folia terræ indita) quatuor mensibus, hoc est, prima anni parte, nempe hyemali putrefactum, geniali concepto calore paulatim ad germina disponitur; secunda anni parte, hoc est, quatuor mensibus vernis in surculos, folia, calices, flores erumpit; & tertia demum anni parte, hoc est, quatuor æstiuis mensibus, in fructus protuberat, qui Etesiarum flatu ad maturitatem perducti nouam seminis copiam suppeditant pro reliquo anno; sic inquam omnis rerum vegetabilium generatio contingit. Primò enim conditum semen intra terram paulatim ad vitam disponitur; quo facto, in germina, folia, flores mox prorumpit; tertiò in fructus, qui est finis vegetalis animæ. Quem circularem vegetationis motum non malè quoque expressisse videntur per inuersam plantam; nisi enim arbor omnis & planta quodammodo inuertatur, & superiora inferiora fiant, iuxta dictum Hermetis, quod superius est, fiat inferius, & contra; hoc est, nisi fructus, & semen terræ reddantur; nunquam fructus producet, teste vel ipsomet omnis Sapientiæ fonte, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit* &c. Fructus igitur in hisce ramis superiori loco sunt, ex quibus deinde semen terræ mandatur, vnde nouis succrescentibus ramulis, folijs, floribus, noui paulatim fructus quoque nascuntur. Atque ex hisce hactenus apparet, cur ramis perseæ in publicis solennitatibus vsi fuerint. Cùm verò frustra terræ mandetur semen, nisi Osiris ille cœlestis accedat, ac fœcundo suo influxu illud animet; ideo Osiridem & Isidem, veluti plantationis & seminationis huius arboris inuentores, statuunt. Ideo verò pro symbolo seminationis & plantationis hanc acceperunt; siquidem Osiridem & Isidem ex indole & ingenio huius arboris reliquam seminationis rationem inuenisse Auctor est Abenephi, vti suprà patuit. Cùm igitur tot ac tanta bona secum adferat huiusmodi planta, meri-

Perseę ramus triplex, & quatuor vniuscuiusque folia, quid significent.

Diodorus.

Perseæ folia hieroglyphice rerum vegetabilium generationem significat.

Perseæ folia rami inuersi quid significet.

Persea arbor cur seminationis & plantationis symbolum.

Abenephi.

meritò eam in solennitatibus in beneficij tanti ab Osiride præstiti memoriam circumtulerunt; hic enim:

Primus inexperta commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Cùm verò frustra omnis seminatio fiat, frustra omnis plantatio, nisi Osiris ille cœlestis accedens, motu suo illam viuificet; Isis quoque influxu suo fœcundo viuificatam humectando & vegetet, & augmentet; aut nisi, iuxta Plutarchum, Isis, hoc est, prægnans terra semine à Nilo, hoc est, ab alluuione & fœcundo defluxu animetur; hinc nè aut Osiris, aut Isis deesset, tanto sacrificiorum apparatu illos allectare contendebant; in hunc finem perseæ solaris arboris rami circumportantur; horum enim similitudine quâdam Osirin facilius influxum suum vegetabilibus daturum confidebant.

De sceptro recuruo.

HOc sceptri curui signum nos thyrsum ferulaceum interpretamur, quod nimirum litui ad instar sit recuruus; in Arabico enim Abenephi est القصبة *elkasbe*; quòd per hoc nomen in Arabica virgultum, thyrsus, ferula, instrumentum hastile, pertica, virga, flagellum, vti ex Camus Arabum, & Granatensi Lexico apparet, significetur. Ferulam autem nos dicimus thyrsum ferulaceum, quia thyrsus non necessariò ex ramis vitium, sed quibusuis oblongis teretibusque caulium baculis assumptus, cuiusmodi ferulæ est, hasta dicebatur. Thyrsum autem dictum circumferebant, eò quòd thyrsus & ferula Baccho seu Dionysio Aegyptio attribuerentur, iuxta illud Statij: — *Sceptrum recuruum.* — *Thyrsus ferulaceus.* — *Statius.*

Qui molles thyrsos, Bacchæaque cornua.

Et alio loco:

Non tamen aut teretes thyrsos, aut mollia gessi
Penthea.

Item:

Mollia Nysæis armati brachia thyrsis.

Ouidius quoque: — *Ouidius.*

Et fronde virentes, conijciunt thyrsos.

Sidonius quoque:

Indica Echioneio Bromius rotat orgya thyrso.

Circumportabant autem, & loco symbolorum habebant thyrsos ferulaceos, eò quòd eos portaret Dionysius; vnde & lib. 2. præparat. Euang. ab Eusebio ναρθηκοφόρος seu θυρσοφόρος, & θυρσάναξ, hoc est; *qui thyrso regnat*, dictus est. Hinc Orpheus in Hymnis ipsum cum thymiamate Styracis venerabundus inuocat his verbis: — Dionysius θυρσοφόρος ναρθηκοφόρος cur dictus. *Eusebius.*

 Inuo-

Inuoco legiferum Narthicophorum Dionysium,
Laudatum Eubuli semen, cui nomina multa,
Sacratum castumque Misen, Dominumque verendum;
Qui mas & mulier, duplex Lyſæus Iacchus;
Seu te sacratæ templum delectet Eleusis,
Seu Phrygia cum matre Deûm mysteria tractas;
Seu Cypri Cythereia tenet te compta capillos;
Seu tu frugiferis campis lætaris honesta
Matre Dea tecum magnifera Iside gaudens,
Ægypti prope flumen.

Cur verò ferulaceus thyrsus Libero Patri seu Dionysio Aegyptio, quem nos eundem cum Osiride seu Sole in Ob.Pamph.demonstrauimus, assignetur, varij varias dant rationes. *Eusebius.* *Ferula cur Baccho seu Dionysio attribuatur.* Eusebius ναρθηκοφόρον, id est, feruliferum appellat, rationemque dat, quòd homines poti si in furorem agantur, ac se inuicem feriant, vt se mutuis vulneribus confodiant, ferulis vtuntur, quarum ictus lentus, sed non lethalis est. *Plutarchus.* Plutarchus in Symposio aliam assignat rationem; ferulam & obliuionem Baccho dari, cui vel parum conueniat, errorum inter pocula deinceps reminisci, aut si qua in parte peccatum sit, puerilis & leuis reprehensio sufficiat; quin & pueri ferula castigentur. Alij dicunt, quòd ferula Baccho aptissima sit, vt infirmos ebrietate pedes leui hoc pedamento regant ebrij. *Ferula à ferendo dicta.* A Latinis dicta ferula à ferendo, quòd illius caules senibus pedes ac scipiones essent. *Theophrastus.* Theophrastus ita describit: *Ferula grandis admodum surgit, vnicaulis, & geniculata à genibus cauliculi, vt folia alternatim grandia multifida, capillamenti modo extenuata, maxima, vt quæ terræ proxima sunt, caulem amplexantia, vt arundines, semen Anethi, &c. In Ægypto cum magno prouentu fruticat; Ægyptiaci sunt caui, cœteri plerique fungosam intrinsecus obtinent medullam.* *Ferulaceis thyrsis cur Ægyptij vtantur pro symbolis.* Sed nos hisce relictis videamus, cur Aegyptij hisce ferulaceis thyrsis pro symbolis vsi sint. Ac primò quidem Osiridi seu Dionysio Aegyptio attribuitur, eò quòd docuerit primò vitem plantare, ac eam thyrso ferulaceo veluti statumini sustentandæ viti aptissimo applicare. Cùm enim ferulæ, iuxta Theophrastum, in Aegypto quinque aut sex cubitorum plerumque proueniant in magna copia, ijs Osiridem primò pedamentorum loco in satione vini vsum verisimile est. Thyrsus igitur ille ferulaceus symbolum fuit apud Aegyptios vini vitisq; vsus; hinc & promiscuè Osiridi & Isidi in tabula Bembina attribuitur; ad quem vsum *Plinius.* etiam arundinem in Italia potissimùm cultam scribit Plinius; vel quòd ex eius interuallis coniugatis compingeretur septenis, vt Ouidius ait, fistula cannis. Ζεύγη enim vocabant Antiqui coniunctam arundinem, paria & μεζογόνια fabricandis Musicis instrumentis idonea. Horum cauis, teste Macrobio, teneros racemos vitis & hœderæ imponebant, vnde incuruabantur in superiori parte, quod mysterio non carebat. *Litui ex ferulaceis thyrsis.* *Herodotus.* Præterea ex ferulaceis thyrsis eos lituos, sicuti ex arundinibus, concinnasse testatur Herodotus. Cùm autem Osiridi non vini tantùm inuentionem per thyrsos

Herodotus. Arundo cur Baccho tribuatur. Musica in Ægypto inuenta. *Plinius l. 16. c. 36. Theophrastus l. 4. c. 12.*

ſos ferulaceos, vt dictum eſt, ſignificatam, ſed & Muſicæ quoque attribuerent, vt refert Diodorus; certè per nullum aliud ſymbolum meliùs eam exprimere valebant, quàm per ferulas & arundines, ex quibus Muſica primam traxiſſe originem in Aegypto teſtatur Plinius, & Theophraſtus; cùm vtraque flexum recipiat, vtraque caua in Aegypto proueniat. Aegypto enim ſcatente paluſtribus locis, & proinde nequaquam carente herbis, dictis locis, in quibus ferulæ & arundines prouenire ſolent, cùm inter cœtera deprehendiſſent, multa genera ferularum & arundinum flexum recipientia, & intrinſecùs caua, viderentque ſono prouocando apta; tandem vtraque fiſtulis & lituis inueniendis crebra interueniente experientiâ, occaſionem præbuit, iuxta illud Ouidij.

Et leue cerata modulatur arundine carmen.

Vnde & Græcè κάλαμος, quæ vox paſſim à Latinis Poëtis quoque recepta, vt ait Manilius agens de vi Muſicæ.

Et graciles calamos, & neruis inſita verba.

Gaza. Columella l. 4. c. 17.

De quibus vide innumeros paſſim Poëtas. Arundo apud Theophraſtum vocatur ζύγιτις, quam Gaza vertit ſtramentariam, iugalemque nominandam exiſtimat, quòd eâ vites in iugum alligarentur; quam nectendæ vitis rationem docet Collumella.

Arundinum duo genera.

Præterea Theophraſtus cit. loco, duo genera facit arundinum: primum αὐλητικόν, quam tibialem Plinius interpretatur; & alterum πλόκιμον, id eſt, textilem, Gaza interptete, fortaſſe quòd ex eius folijs tegetes, & ſpiræ, atque alia id genus fierent; vbi Plinius affinitate vocum apud Theophraſtum, pro πλόκιμος legit πλοτίαν, quaſi natitantem arundinem. Sunt enim Aegyptij calami, teſte Plinio, & Cretici, quos τοξικός appellant, eò quòd ab ijs optimè ſagittæ quòque fierent. Has Theophraſtus teſtatur loco citato, tempeſtiuè cædi ſolitas ante Antigenē, cùm adhuc ſimpliciùs tibia canerent ſub Arcturo menſe Septembris, ſic enim cæſas multis poſt annis vtiles eſſe, multaque ſonandi exercitatione indigere, ſed ora linguarum conniuere, quod erat illis ad res populo ſignificandas vtiliùs. Poſtquam verò varietas fictioque acceſſit; cæſura mutata eſt.

Apuleius.

Horum calamorum in Ægyptiacis ſolennitatibus vſitatorum meminit Apuleius his verbis: *Ibant & dicati magno Serapidi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum, dextram, familiarem templi Deique modulum frequentabant*. Imò vt multa paucis complectamur, Ægyptij hoc

Thyrſorum ferulaceorum ſymbolum apud Ægyptios.

thyrſorum ferulaceorum, qui partim manibus Deorum inſerti ſpectantur, partim in feſtis ſolennioribus circumferri ſolebant, ſymbolo nil aliud denotaſſe videntur, niſi plantationem vitis, & Muſicæ inuentionem, quam quidem non ita ad literam accipiebant, ſed ad myſticos & anagogicos ſenſus prorſus applicabant; ſunt enim in ſingulis Mundorum ordinibus ſuæ plantationes, ſuæ vites, & harmoniæ, quo potiſſimùm alludebant

bant, vt in Sphynge mystagoga in Zoroastris Oraculorum expositione dictum est.

In thyrseo sceptro Osiridis tria consideranda.

Attribuitur igitur Osiridi sceptrum seu thyrsus iste fistularis, ad eius potentiam denotandam. Tria igitur sunt consideranda in hieroglyphico thyrseo sceptro. Primò potentia Osiridis, cuius symbolum sceptrum erat huius formæ; deinde ratio vitis plantandæ, & ad ferulam seu arundinem applicandæ methodus; quam inuentionem eius esse propriam ex varijs suprà probauimus. Secundò fistularum & lituorum compositio, quam Pana seu Mercurium primò ex calamis huiusmodi confecisse variè quoque monstratum est; ex eis postmodum Musicæ profluxerunt proportiones. Tertiò demum, loco sceptri quoque in manu Osiridis & Isidis videtur, & hoc pacto sexies in tabula Bembina huiusmodi thyrsus fistularis & sceptrum recuruum in modum obliqui calami exporrectum repræsentatur, quo non inobscurè potentiam, rerumque ab ipsis inuentarum vini & Musicæ seu harmoniæ præstantiam significare voluerunt. Nihil igitur aliud est signum hoc, nisi thyrsus ferulaceus, aut arundineus, dictarum rerum symbolum hieroglyphicum, vti demonstrauimus. Sed nunc ad tertium symbolum procedamus.

De Iunco Nilotico.

Iuncus Niloticus, seu papyrus quid significet in hieroglyphicis. *Plinius. Hermolaus. Donatus.*

TErtium in ordine locum obtinet Iuncus Niloticus, vel mauis, scirpus leuis, & enodis papyrus, qui & à Plinio, Hermolao, & Donato cum papyro seu biblo confunditur; quo Ægyptij primò nihil aliud significare voluisse videntur, nisi literarum ac scriptionis nobilem inuentionem, à Mercurio Ægyptio, seu mauis, Osiride & Iside primò repertum, vt testatur Diodorus: secundò rerum omnium necessariarum suppeditationem; siquidem ex papyro & scirpo, omnium propè rerum vsui humano necessariarum copia suppeditabatur; vnde eum semper Dæmoni polymorpho, per Papilionem dracontomorphum indicato, tanquam rerum necessariarum præsidi appositum spectamus. Est autem planta leuis ὀξύχοινος, foliorum loco stilos, seu culmos, seu virgas profert erectas, rotundas, tenues, enodes, cubitum & sesquicubitum altos, herbaceo colore virentes, acutis cuspidibus, candida medulla refertas, ellychnium referentes, & vsu supplentes. Theophrastus inquit, *Scirpus est Iunci quædam species leuis & enodis, inde cribra faciunt in Ægypto.* Alij Iuncorum vsum in nassas marinas reseruant; alij, Plinio teste, iunci medullam in lucernarum lumina veluti ellychnium adhibent. Verùm cùm de hisce amplè in Obelisco Pamphilio tractauerimus, eò Lectorem remittimus.

Papyrus seu scirpus qualis planta.

Theophrastus

Iunci Nilotici significata.

Habet autem Iuncus hic tot significationes, quot rebus appositus fuerit; aliam enim habet significationem solus positus, aliam cùm cribro, aliam cum musca, aliam cum alijs. Hoc loco adiunctis symbolis nonnulli putant inuentionem rerum ab Osiride factam indicari, & nihil aliud signi-

significari, nisi literarum nobile inuentum; quâ id de causa, breuiter videndum est.

Constat Iuncum, seu scirpum, aut mauis, papyrum, (confunduntur enim hæc à plerisque Authoribus, vti ex Plinio Hermolaus Barbarus, & Donatus monstrant) plantam esse. Iuncus enim est leuis oxyschænus vulgaris, foliorum loco stolones, seu calamos, seu virgas profert rectas, rotundas, tenues, leues, enodes sesquicubitum altas, herbaceo colore virentes, acutis cuspidibus mucronatas, candidâ medullâ refertas, ellychnium referentes, & vsu supplentes; & talis papyrus est, nullaque in parte prouenire frequentius, quàm in Ægypto, testantur quotquot de ea scripserunt Botanici. Et hic Iuncus, ob egregias suas vtilitates, easque multifarias, pro varijs quoque passim symbolis assumptus est, vt in sequentibus fusè videbitur. Hoc verò loco positum, symbolum esse literarum ab Osiride inuentarum, testatur Horus ipse lib. 1. & 38. Αἰγύπτια δὲ γράμματα δηλοῦντες ἢ ἱερογραμματέα, ἢ πέρας, μέλαν, καὶ κόσκινον, καὶ σχοῖνον ζωγραφοῦσι. *Ægyptij aut literas, aut sacrum Scribam, aut finem significaturi, atramentum, cribrum, & iuncum ponebant*; quæ omnia diuersas habent significationes. Ægyptiacas significat literas, quòd his omnis apud eos scriptura compleatur, iunco enim & non alio quopiam scribunt; libenter igitur assumebant pro symbolo literarum illud instrumentum, quod ijs primò scribendi dedisset occasionem; nec enim iuncus tantùm suppeditat calamos, sed & chartam, vtrumque enim ex eodem fieri testatur Theophrastus, & Plinius, & post hos Prosper Alpinus.

Iuncus, seu scirpus, seu papyrus significat inuentionem literarum.

Atque hæc sunt sacrarum tabularum bina schemata, quæ cùm nullibi non, tùm in hoc præsenti Obelisco, tùm in cœteris occurrere soleant, opportunè ea hoc loco exponenda duxi, nè in contextu, vt dixi, interpretationis eorundem explicatio fusior remoram aliquam inijceret.

CAPVT IV.

Singulorum Obelisci laterum interpretatio.

§. I.

Epigraphes siue inscriptionis Obelisci interpretatio.

Epigraphe seu inscriptio Obelisci Flaminij.

A

PRima huius Obelisci in singulis lateribus est humana figura throno insidens, baculum Cucuphæ seu Vpupæ capite insignitum tenens, cui è regione Androsphynx mitrata, & abaco incumbens apponitur; & in primo quidem latere Meridionali figura humana nuda, velato vertice ἱερακόμορφος, id est, Accipitrino capite transformata est, in reliquis humana facie gaudet. Quæ quid indicent, videamus.

Simulachrũ Accipitrino capite.

Sæpe iam dictum fuit, & fusè demonstratum, simulachrum humanum Accipitrino capite transformatum, nihil aliud indicare, nisi Osirin,

supre-

supremum Mundi Opificem, Solem illum supramundanum, vitam omnibus largientem. Sedet, quia potestatem in omnia obtinet; nudus est, quia nullo corporeæ passionis inuolucro vestitur; Accipitrino capite comparet, quia totius vitæ & motus vitalis causa est; velatur, quia essentia eius nullo vnquam ingenio inuestigabilis est; capite globum sustinet, quia æternus omnis principij & finis expers; baculum Cucuphæ capite insignitum est, quia tametsi omnium simplicissimam essentiam habeat, omnis tamen rerum in Mundo elucescentium varietatis causa est. Ponitur ἱερακόμορφος in latere primo Meridiano, quia, teste Plutarcho, Australis plaga est dextrum Mundi latus, regnum Osiridis, id est, Solis, vitâ & fœcunditate vberrimum, vnde & Nilus Plutarcho nil aliud nisi Osiridis affluxus est, bonorum omnium causa & origo; quæ & secundùm quandam analogiam non solùm de Sensibili Mundo, sed & potissimùm de supramundano Archetypo intelligenda sunt.

Plutarchus.

Androsphinx mitrata.

Secunda figura Andro-Sphynx est mitrata, abaco incubans; quâ Numen illud, quod Momphta dicebant, notatur, supremi Numinis Mens, Opifex totius humidæ substantiæ præsidio potens; ponitur humanâ facie, ad intelligentiæ vim monstrandam; Leonino corpore est, quia Sole Leonem ingrediente, effectum potissimum in Aegypto exerit in humoris abundantia, quâ Aegyptiacam beat tellurem; incubat, quia Osiris supramundani potestatem, cuius minister est, hoc situ ostendit; mitrata est, ad ab Osiri sibi concessam potestatem in omnia humida insinuandam.

Epigraphe Obelisci Flaminij quid significet.

Signat itaque Epigraphe huius Obelisci nihil aliud, nisi dedicationem Osiri & Momphtæ, quorum ille calido, hic humido Mundano præest, quibus totius Mundi machina in sua perfectione conseruatur. Porrò is intra pyramidium ponitur, vt super omnem rerum creatarum ambitum eum eminere, & in sola essentiæ suæ infinita abysso latere indicaretur, in quantum humidum calidum, cui præest, in abdito idealis rationis suæ conceptu nudè & simpliciter cognoscibile est. Ponitur in quatuor pyramidij faciebus, vt eius in quadripartitum Mundum vis eadem indicaretur.

B. Spacium litera B signatũ in Obelis. Flam.

Porrò in spacio pyramidij signato litera B in latere meridionali, denuò occurrit Osiris ἱερακόμορφος throno insidens, ijsdem symbolis, quibus superiùs adornatus, cuius genibus aduoluitur humanæ figuræ simulachrum nudum, binis manibus Canopi statuunculam ipsi exhibens, velato vertice, cui tutulus pennatus, ex quo vtrinque Aspis emergit, impositus est. Quo quidem schematum apparatu significatur Osiris supramundani ad opus externum processus, qui fit, cùm iam Geniali seu Intellectuali Mundo se communicat, quæ est Isis supramundana, quam imago genuflexa refert. Genuflexa pingitur, tùm vt summa eius erga Osirin supramundanũ obedientiæ promptitudo monstretur, tùm quia principium veluti quoddam passiuum est, in quod Osiris virtutem suam continuò influit; velata est, quia insensibilis substantiæ Intelligentia est, cuius peplum, teste Diodoro, nemo reuelauit; tutulum in vertice gerit κυκλοειδῆ-πτερόμορφον;

quod

quod supremi Numinis triformis signaculum, quo signata rerum mundialium administratrix constituitur, & coniux Osiris; Canopi imagunculas exhibet Osiri, symbolum humidi, quo aptè sanè indicatur, Mundanum humidum nullam vim & efficaciam in rerum generatione obtinere, nisi accesserit virtus Osiris, & eam calore, motu, vitalique influxu fœcundauerit; quod vt fiat, ei ingeniculata supplicare videtur. Geruntur hæc in adyto supramundano, quod spacium B exhibet; Intelligentijs, quas schemata ibidem picta monstrant, id est, idealium rationum simulachris refertissimo, & prototypon quoddam est Sacerdotibus, vt iuxta id operentur, propositum, quod in calce Obelisci faciunt. Sequitur spacium C tribus Accipitribus mitratis insignitum; quibus quidem nihil aliud nisi Siderei Mundi Solares Intelligentiæ, quæ tripartitæ Austri plagæ præsident, indicatur. Quod vt intelligatur, notandum est, Osirim multipliciter considerari posse; vel enim consideratur vti in primo loculamento A, & sic idem est cum Hemphta, & est supremum Numinum Numen triforme *Sol* supramundanus & archetypus, Iuppiter supremus, & omnium Rector & Moderator. Secundò est Osiris quidam in Intellectuali Mundo, quem Hermes παντόμορφον vocat, immediata videlicet supremi Osiridis imago & similitudo, cuius virtute & potestate omnia in Intellectuali Mundo geruntur. Tertiò est Osiris cœlestis, Siderei Mundi vita & anima, Solare Numen, cui Sensibilis Mundi administratio commissa est. Huic duodenarius cui præest, potissimùm consecratus est numerus; præest enim duodecim circuli magni mansionibus, duodecim plagis Mundi, per duodecim sibi simillimas potestates, quæ ideo hic quemadmodum & ipsæ, per duodecim Accipitres indicantur; est enim vna & eadem vis Osiris, quæ per duodecim Potestates seu Intelligentias Solaris Numinis asseclas in duodecim Mundi semitas, quibus singulæ præsunt, diffusa, vti mansionibus, ita effectu differentes operationes producit. Cidarim capiti impositam habent, ad supremam in omnia potestatem ab Osiri sibi communicatam demonstrandam. Est & hylæi Mundi Osiris, Elementaris œconomiæ præses, quem pulchrè sanè per Bouem exhibent; qui vim à supremo Osiri in Sidereum, & hinc concatenato quodam dominio in hylæum diffusam, per duodecim Intelligentias hylæas in vniuersam Elementaris Mundi miscellam distribuit, vnde omnium rerum vbertas & varietas nascitur. Quæ omnia aptè per duodecim Boues duodecim Horizontis plagis præsides, & Elementaris Mundi moderatores, indigitantur: per Bouem enim Osiris hylæus intelligitur, quia hic, iuxta Ægyptiorum traditionem in Bouem mutatus agriculturam, plantationem, insitionem, cœterasque humanæ vitæ necessarias artes primùm docuit, vti varijs in locis monstrauimus. Hinc singuli quadrangulo, Elementaris Mundi symbolo, includuntur. In primo quadrangulo D, ponitur Bos, brachium extensum manu Capreolum tenente, cum hydroschemate, & *A*, duabusque pennis; quorum sensus hic est: *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, munificus & benignus, humanæ vitæ sustentator, Agathodæmon supremi Numinis*. In secundi quadranguli symbolis hic sensus

C
Spaciũ litera C signatum Accipitres tres mitrati.
Osiris multipliciter consideratur.
Osiris supramundanus.
Osiris Mundi intellectualis
Osiris Mundi Siderei.
Osiris Mundi elementaris.
Boues duodecim in Obelisco Flaminio.
Quadrangula in Obelisci Flaminij.
D
Quadrangularia primi lateris.

sus continetur; *Osiris hylæus, triplici dominio cœlitùs dato conspicuus, Vrbium custos fuisse hylæa, iuxta triplicem anni dispositionem fœcundator, vitæque largitor.* In tertij quadranguli symbolis hic sensus habetur: *Osiris hylæus liberalis vegetalis naturæ largitor, Isin infernam influxu à supremo sibi Numine communicato impregnans.* Insecundi lateris quadrangulo primo est bos, brachium, Anser, Leonina statua cum charactere Tautico; quorum sensus est: *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, beneficus custos rerum, Momphta hylæus, influxum supernè acceptum reliquo Mundo hylæo communicat.* In secundo quadrangulo hic sensus continetur: *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, beneficus Momphta, Hori minister.* Tertium quadrangulum hunc sensum habet: *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, beneficus Agathodæmon supremi Numinis.* In primo quadrangulo tertij lateris, vti eadem symbola occurrunt, quæ in primo quadrangulo primi lateris, ita eundem sensum referunt. In secundo quadrangulo tertij lateris hic sensus continetur: *Intelligentia hylæa, Osiridis hylæi assecla, beneficus Hori minister, Momphta, Agathodæmon.* In tertio quadrangulo tertij lateris symbolorum significatio hæc est: *Intelligentia hylæa, Osiridis assecla, beneficus Momphta, supremi Numinis influxum supernè communicatum in aërem distribuit.* In primo quadrangulo quarti lateris symbola ita explicantur: *Intelligentia hylæa, beneficus Osiridis minister Momphta, communicatum sibi influxum in aërem diffundit.* In secundo quadrangulo quarti lateris ita habetur: *Intelligentia hylæa, Osiris benefici minister, Momphta, Agathodæmon, igneas qualitates humido Elementaris Mundi inserit.* In tertio quadrangulo quarti lateris symbolorum hæc significatio est: *Intelligentia hylæa, Osiris benefici minister, nociuam & excessiuam vim ignis profligat, moderatam & rebus proportionatam conciliat.* Ecce hæc sunt duodecim Intelligentiarum hylæarum munera, quibus Mundo inferiori singulæ prouident, suntque hæc quadrangula veluti totidem amuleta & phylacteria, tùm ad dictas Intelligentias propitiandas, tùm ad nociuas profligandas constituta.

Quadrangula tria secundi lateris.

Quadrangula tria tertij lateris.

Quadrangula tria quarti lateris.

Duodecim intelligentiæ hylææ, & 12 amuleta.

Exposita itaque epigraphe Obelisci vniuersali, iam ad particularem singularum columnarum interpretationem nos accingamus.

§ II.

Columnæ primæ lateris Meridionalis interpretatio.

Columna prima lateris Meridionalis Obel. Flam.

E

Figuræ literæ E.

IN his columnis cœremoniæ & ritus singulis Intelligentijs exhibendi, effectusque qui ex huiusmodi religione emanant, proponuntur. In prima itaque columna primo loco duæ valuæ adyti, quibus duo Canes assistunt, occurrunt, cum ansato vase Nilotico, & penna, duobus Serpentibus mediante quadrangulo, catena, & statua Isidis. Quibus quidem symbolis appositè cultus innuitur in adytis persoluendus; Canes assistentes Pastophoros, teste Horo l. 4. c. 38. & 39. indicant, quorum officium erat, adytum custodire, statuarum sacrarum curam gerere, & om-

Pastophororum, per Canes signatorum officia.

ne profanum & pollutum ab eo arcere, phylacteriorum Niloticorum dispositionem, administrationemq; ritus quoq; iuxta triplicem anni constitutionem decernere, vitales in inferiorem Mundum influxus iuxta Deorum catenas exponere; his enim præstitis, infallibilem Intelligentiæ Mercurialis, quæ & per Canes indicatur, cui litabant, attractum sibi spondebant, tùm per symbolorum ad dicta Numina analogiam, tùm ob ritus religiosi sacrificij perfectè administratos; ad quod plurimùm conferebant amuleta sequentia suprà explicata, quæ Momphto-Mendesio Genio, cui polymorphus Dæmon per Papilionem δεκανόμορφοι indicatus præsidebat, & Osiriaco, cui Chenosiris Anser præerat; consecrabant. Intelligentia Mercurialis per Canem signata. E Figuræ literæ E & G. F G

Post amuleta sequitur triplex ramus inuersus, cum thyrso ferulaceo, ala tenijs alligata, deinde fauissa, tres secures, porta, eum humana figura nuda eam ingredi cupiente; sequuntur tres portæ, hydroschema, tres termini, hemicyclus, duo sceptra. Per ramum inuersum, & thyrsum ferulaceum indicatur, Sacerdotem ad suprамemorata Numina propitianda *thyrso* ferulaceo, & ramo inuerso, tripartiti anni præsidibus Osiri, Isi, & Mercurio sacro, instructum esse debere, alaque cum tenijs Orimazzis capiti impositis, ad fauissam trium hypozocorum siue succinctorum securibus muniendam, de quibus fusè tractatum vide in tabulæ Bembinæ expositione, & Theologia hieroglyphica. His enim ritè peractis porta inferioris Mundi patebit, quæ per adyti portam indicatur; quin & tres portæ terrestres tripartiti anni dispositione in adytis constitutæ ad omnem felicitatem aperientur; Momphta, Mendete, Osiri, Horo, religioso sequentium sacrarum tabularum, quibus consecratæ sunt, vsu, cum reliquis sacris phylacterijs, charactere Tautico, pyramide, & vase K Nilotico sacro cultis. Per sequentia verò Symbola N, O innuunt, quibus L symbolis, sacrisque Schematismis, vti & sacris tabulis, adytum insignitum M esse oporteat, vt sacrificia suum in ijs vigorem & efficaciam consequantur N. Verùm de hisce fusiùs in fine expositionis huius Obelisci. O

(Margin: H; Figuræ literæ H, I, K, L, M; I)

§. III.

Columnæ Secundæ Lateris Meridionalis interpretatio.

Columna secunda lateris Meridionalis Obel. Flam.

PRimo loco Ibis occurrit, cum Aspide surrecto, quem hydroschema, E sceptrum tricuspe, schema δωδεκάπυργον, cum tribus vrnis, Serpente, sceptro, & duabus catenis; intermedia Sphœra, Accipitreque crateri insidente sequitur. Per Ibidem & Aspidem indicant, potestates quasdam latere in superiori Mundo, quarum prima humidi administratrix aptè per Ibin animal Lunare significatur, altera calidi vitalis præses per Aspidem signatur; illud Ibiacum, hoc Ophionium Agathodæmonem imposterum appellabimus. Harum virtute humido-calidum in δωδεκάπυργον, id est, in duodecim arcis magnæ stationes traducitur, vbi actuatus vitalis E

Agathodæmon Ibiacus & Ophionius.

humor supernus, per concatenatas Geniorum operationes in craterem
F Solis deriuatur: inde profligata Typhonia potestate, Agathodæmon,
G cœlestium; & trium anni partium dispositor, polymorphum Numen re-
rum omnium vbertatem spondet, idque subsidio sequentis amuleti, vbi
statua Momphtæ Leonino vultu & penna, ansataque Cruce conspicua,
δωδεκαπύργῳ præsidet [illegible]

H Isis duplici dominio potens, vehiculo aqueo in quadrifidam Mundi
I plagam diffusa, occulto motu duplicis dominij humidum ex fontano
cratere deriuat in Nephtem vtriusque hemisphærij dominam; quæ omnia
per mulierem throno insidentem, & duos thyrsos ferulaceos, hydrosche-
ma, temonem, ✠, & quadrifidum circulum, per pedem sursum in con-
cham desinentem, ex qua humor scaturit, & figuram fœmineam ingeni-
culatam, cum duobus hemicyclis, indicantur. Primò enim 3 anni partium
K dominator potens Horus cœlestem piscinam & phialam iuxta terminos
præscriptos occulto motu in vegetabilium naturam deducit. Quo fit,
L vt Hori prouidentia cœlestis trium anni partium statum vitali humori
M vndique ad summam felicitatem vigilantia suâ conducat, custos om-
nium, ad quem placandum plurimùm confert sequens amuletum, in
N quo quadrifidi Mundi figura cum catena, & Alpha, duabus pennis, &
hydroschemate continetur; quorum sensus hic est: *Agathodæmon cate-
nam quadrifidi Mundi in aqueam substantiam motus velocitate traducit*; quà
Osiris per Accipitrem infrà positum indicatus cum sequentibus ibidem
O amuletis trahitur.

§. IV.

Columna tertia lateris Meridionalis Obel. Flam.

Columnæ tertiæ secundi lateris Meridiani interpretatio.

E PRimo loco denuò Ibiacus & Ophionius Agathodæmones occurrunt, quos sequitur Noctua cum transuerso brachio, strigilis sacra, & quadrifidi Mundi figura, Coturnix cum brachio transuersim posito; quorum symbolorum sensus est: *Agathodæmones Ibiacus & Ophionius Typhoniam vim diuertunt à tertia Australis Mundi plaga*. Strigilis sacra, symbolum purgationis malorum, erat instrumentum multis dentibus instructum, quo sacra animalia pectinabantur, vt vel ex hoc capite locum inter hieroglyphica inuenerit; sicut enim strigili animalia ab omni immunditia liberantur, ita dicti Agathodæmones ab omni maligna & infesta potesta-

Strigelis sacra.

F te quadrifidi Mundi plagas emundant & purgant, Coturnicem Arimaniam potenti dextrâ profligant, vnde Vrbibus desiderata annonæ vbertas promanat à polymorpho Dæmone concessa: quia tamen potissimùm ex Nili incremento hæc prouenit, hinc amuletum sequens Niloticum Momphto-Mendesium, vti & Isiacum, quod sequitur, vsurpandum, & Nu-
G mina quæ exhibent, legitimis religionis ritibus colenda sunt; hinc enim
H beneficentia cœlestis in δωδεκάπυργον, id est, duodecim arcis magnæ man-

siones deriuatur, aduersa omnia à Nilotica fauissa diuertuntur, quadrifidus Mundus, ὀκταδεκάτυχον cœleste diuinarum potestatum subsidio annonæ adferunt vbertatem, per virtutem & efficaciam bonorum sequentium amuletorum, cœteraque quæ sequuntur symbola postea explicanda. H I K L M N O

§ V.

Columnæ primæ secundi lateris Borealis interpretatio.

Columna prima secundi lateris Borealis Obel. Flam.

PRimo loco securis occurrit superposita crateri sacro. Quod vt intelligatur, notandum est, inter Mundi ductores, teste Zoroastro, tres poni Potentias implacabiles; quos Ἀμιλίκτους vocant, atque hosce per tres secures exhibebant, ob summam violentiam & seueritatem, qua res secundùm rigorem à supremo Numine præscriptum administrant. Hi crateri fontano, teste Psello, præesse dicebantur, id est, immensæ piscinæ supramundanæ, ex qua omnia tùm sensibilis, tùm insensibilis Mundi membra irrigantur. Securis itaque primo loco posita Amilicton notat, piscinæ siue crateris præsidem, cuius sectione crater apertus Mendesio illabitur Regno; Mendes verò cùm fœcunditatis Numen sit, humorem piscinæ diffusum in tres anni partes ad annonæ, rerúmque necessariarum abundantiâ benignâ manu distribuit; quæ omnia per securim, craterem, thyrsum ferulaceum, & baculum humano capite insignitum, per tres terminos, & iuncum marinum appositum, per folium perseæ, hydroschema, bina brachia extensa significantur. Nè verò nimiâ Amilictorum vehementiâ & seueritate nociuum quid suboriri possit; hinc polymorpho Numini vbertatis rerum præsidi, & cunctorum ab Amilictis perpetratorum dispensatori iterum duo sequentia sacrarum tabularum amuleta, Momphto-Mendesium & Isiacum, consecrant. Sequitur post sacras tabulas sceptrum, & manus extensa, quadratum cui hirundo includitur: quæ quid indicent, videamus. Narrat Herodotus, Diodorus, & Eusebius, in templis Ægyptiorum septa quædam fuisse, sacris animalibus nutriendis constituta, quæ septa tanta in veneratione fuerunt apud superstitiosam gentem, vt ea sacro dignata honore in adyta quoque sua transtulerit, in quibus non viua animalia, sed simulachra eorum, mysticis adornata symbolis, construere solebant, teste Pausania; Numina enim quæ referebant, vario cœremoniarum apparatu in ea includere se posse arbitrabantur. Tale septum refert hoc loco quadratum, cui sacram hirundinem inclusam spectamus; erat autem hirundo, teste Pierio fol. 162, beneficiorum ab Osiride & Iside in genus humanum collatorum symbolum; quòd videlicet ab ijs & Mundi leges, & agri colendi præcepta receperint, Architectonicæ artis regulas, & æquo cum reliquis iure vitam degere didicerint; quæ omnia hirundinis ingenium & indoles docet, vt Horus tradit. Harum itaque sacrarum tabularum vsu & applicatione, bene-

T Zoroaster. Amilicti seu tres Potentiæ implacabiles. Psellus.

V

X

Herodotus. Diodorus. Eusebius. Y Septa sacrorum animalium apud Ægyptios. Pausanias.

Pierius. Hirundo symbolum beneficiorum Osiris & Isidis.

Horus.

beneficum dominium Osiridis includitur, constringitur, & iuris homi-
num ad beneficiorum ab Osiri & Isi præstitorum continuationem, virtu-
te sacramentorum efficitur; Typhon omnium perturbator, & Coturnix
Arimania profligantur, vita in naturæ terminos introducitur, Che-
nosiris Mundorum custos attrahitur virtute sacrarum tabularum; quæ
A, B, C ideo hîc repetuntur, ad earundem efficaciam demonstrandam.

§ VI.

Columna secunda lateris Borealis Obel. Flam.

Columnæ secundæ lateris secundi Borealis interpretatio.

T PRimo mediæ huius columnæ loco Ibiacus & Ophionius Dæmon po-
nuntur, sub quibus δωδεκάπυργον, cum hydroschemate, & laqueus, &
statua Momphtæ, cum Ansere, quem Ægyptij Chenosirin non à Iunco,
quem χοῖνον Græci vocant, eo quòd thyrsis iunceis hederâ circumplicati
solennitatem Dionysij seu Osiridis peragere solebant; sed à voce Ægy-
ptiaca ⲡⲓⲭⲏⲛⲟⲥ, siue χὴν, quæ Anserem significat, nuncupant. Osirim
itaque dicebant Chenosirim, quasi diceres Osirin Anserinum, eò quòd
summâ, vti Anser, rebus fidei suæ commissis curâ inuigilare soleat. In-
dicant itaque, duos Genios, Ibiacum & Ophionium, dodecapyrgi man-
sionum præsides, primum Momphtæ Leonini & Chenosiris statua con-
stringi, ad fauissæ beneficæ curam & conseruationem, vt hydroschema, fa-
V uissæ figura, cum brachio extenso satis docent. Sequitur modò Accipiter,
supra quem quadrans Astronomicus, infra Accipitrem statua Hori, cum
temone, quæ sequitur cycloides, sceptrum, hydroschema, & denuò sta-
tua Momphtæ, cum penna, & Scarabæo. Per quadrantem, vti alibi di-
ximus, tempus opportunum indicatur; per Accipitrem Osiris siue anima
X solaris, qui in Horum inferiorem, id est, in Mundum sensibilem, teste Plu-
tarcho, deuectus, cœlos, vita, Momphta Leoninum aquæ præsidem motu
fœcundo Solarium operationum, per Scarabæum indicatarum, virtute
imbuit; quæ polymorphus Dæmon deinde pro cuiusque rei natura &
proprietate in omnia transformatus, in innumerabilem rerum varieta-
tem & abundantiam propagat. Hinc ordinata est sacra tabula, in qua
Momphta Leoninus, pennâ in capite conspicuus, dodecapyrgo inferio-
ri præsidet, vbi circulus diuinitatis participationem, penna subtilitatem
operationum, Crux ansata Mundani Spiritus defluxum, à superno dode-
capyrgo in inferius dodecapyrgum superno analogum deriuatum, lucu-
lenter signat, quæ quidem Numina hucusque recensita quoad substan-
tiam idem sunt, operationibus tantùm discrepantia: nam quod Ibia-
cus & Ophionius Genij in Mundo præstant Intellectuali, hoc in Mundo
Elementari seu hylæo Momphta Leoninus & Chenosiris, quorum vter-
que humido-calido præest; & Momphta quidem igneâ qualitate pol-
lens, nociuum humido inexistens frigus temperat; Chenosiris verò ex-
cessiuam caloris vim in humido inexistentem moderato frigore tempe-

Chenosiris seu Anser sacer.

Plutarchus.

Tabulæ sacræ explicatio in columna secunda lateris secundi Obel. Flam.

rat; quod idem suo modo in superiori Mundo præstant Ibiacus & Ophionius Genij; quorum hic ignea virtute refertus, vitam & motum præstat humido; ille verò excessiuâ virtute suâ temperat; in inferiori sub conditione hylæa; in superiori Mundo sub conditione quâdam analogâ ipsis congruâ.

Iterum quod Osiris Accipitrinum siue Solare Numen in Mundana Hori domo, id est, Sidereo Mundo præstat, hoc Momphta inferior siue hylæus, in hylæo Mundo; hinc aptè ei Accipitris penna, & Scarabæus adiunguntur, vt indicarent, Momphtam ad Accipitris siue Osiridis, id est, Solaris Numinis exemplar prototypon omnes suas operationes instituere. Quæ ideo fusiùs hîc deducenda duxi, vt si huiusmodi Numinum monstra Lector compererit, eo modo, quo dixi, intelligenda esse sibi persuadeat; neque contradictionem me incurrere putet, si quandoque vnum cum altero confuderim; quod & de sequentibus intelligi velim.

Sequitur sacram tabulam Ibis dodecapyrgo insidens, quo Mercuriale Numen Nilotici dodecapyrgi præses denotatur, vti tres vrnæ Niloticæ demonstrant. Hic enim Typhoniæ malignitatis profligator in inferiora deuectus, catenas Mundorum mouet, vnde Typhoniæ machinationes multiplici eius dominio in superno infernoque Mundo fractæ & contritæ consistere non possunt; quæ omnia per symbola inter Z & A inclusa, indicantur; catenâ siquidem vitæ cœlestis motâ Arimanium Coturnicis dominium infirmari necesse est, ob summam scil. prouidentiam quam habet, tùm de supernis, tùm infernis corporibus in Mundana Hori domo existentibus, siquidem omnium vitali oculo suo custos est, cui & ideo sequentem sacram tabulam consecrant, tanquam summæ efficaciæ amuletum, in quo *A* Agathodæmona Ibiacum, & catenæ figura, catenæ Numinum motorem, duæ pennæ cum hydroschemate diuinum in humido motum notant; per hanc enim catenam Ibimorphi Dæmones, superioris, medij, & inferioris Mundi, iuxta requisitam analogiam in vnum, ad Mundi conseruationem, conspirant. Ponitur autem in præcedenti sacra tabula *A* litera, quia ex Ibidis Mercurij viui habitaculi gestu inuenta fuit; catena ponitur, quia Mercurius vti Nuncius Deorum Græcis, ita Ægyptijs catenarum Genialium, quas *Seras* vocant, adaptator dicitur; duæ pennæ ponuntur, quod pennæ Ibidis Crocodilum, Typhoniæ in humidum malignitatis symbolum, sidetent; cœtera symbola in fine huius Obelisci fusiùs explicabuntur.

Y
Z
A
B
C
D

§ VII.

§ VII.

Columnæ tertiæ lateris secundi Obel. Flam.

Tertiæ columnæ secundi lateris interpretatio.

T TErtiæ Borealis plagæ præses est Momphta Leoninus, dominium in trium partium anni constitutionem obtinens, vt baculus ferulaceus, & ramus inuersus notant; cui assistunt tres Amilicti per tres secures indicati, quorum virtute, Leonina seu Momphtæa vis in Mundum
V diffusa, magnarum virium incrementa sumit, virtute subsequentium duo-
X rum amuletorum; quorum vsu beneficus cœlorum defluxus, omnem
Y Typhoniam prauitatem fugat; Horus summâ curâ & vigilantiâ per hi-
Z rundinem notata, cœlestem defluxum firmat & sustinet, vti fuscina si-
A gnat, benefica vita inferioribus dominatur, virtute subsequentium duorum amuletorum, iam sæpius repetitorum, & reliquorum symbolorum vsu, quæ postea explicabuntur.

§ VIII.

Columnæ Primæ lateris tertij Obel. Flam.

Columnæ primæ lateris tertij Occidentalis interpretatio.

HVius columnæ prima pars ab I, vsque ad M, composita est ex medietate primæ columnæ lateris primi Meridionalis ab E vsque ad H. Secunda verò huius primæ columnæ tertij lateris pars, ab M, vsq; ad Q, composita est ex tertia columnæ primi lateris Meridionalis parte, vti priùs, ab E vsque ad H; adeoque vti tota constat ex medietatibus primæ & tertiæ columnæ primi lateris Meridionalis in vnum coniunctis, ita symbola quoque eadem prorsùs eandem significationem habent, tametsi quoad effectus, quos mistura producit, differant, vt explico. Sicuti enim plaga Mundi prima lateris Austri, & plaga prima lateris Occidentis, ob vicinitatem in effectibus suis, similes sunt, effectu tamen discrepant; ita de præsidijs quoque Geniorum censendum: nam sicuti moderna Cosmographia, singulis Mundi plagis diuersas qualitates, v. g. Boreæ frigidum siccum, Austro calidum siccum; Orienti calidum humidum; Occidenti denique frigidum humidum assignauit; ita Ægyptij similium qualitatum Genios præsides singulis plagis assignabant, ex quorum tamen diuersa combinatione, diuersi effectus emanabant; quorum quidem statuas ex ijs animalibus compositas, quæ dictas qualitates referrent, erigebant, erectas cæremonijs prorsùs analogis colebant. Sic per Ibin collo contracto Genium humidi frigidi; per Aspidem calidi humidi; per Leoninum Momphta calidum humidum corroborantis; per Canem, mixtæ naturæ præsidem denotabant, vti ex symbolis in primis columnarum faciebus positis constat. Huiusmodi misturas in hisce duobus lateribus, Occidentali & Orientali, passim, vti paulò post dicetur, repe-

Figuræ huius columnæ eædem cum figuris columnæ primæ lateris primi ordine diuersæ.

Genij singulis Mundi plagis assignati ab Ægyptijs.

reperies. Quæ omnia respiciunt ad variam præsidiorum Genialium mixturam, vti dictum est, quæ & in hunc vsque diem à Physicis diuersa combinatione pro cuiusque plagæ Mundi natura & proprietate præstatur. Sed ad filum interpretationis reuertamur. Hæc prima itaque columna lateris tertij Occidentalis, cùm idem prorsùs significet, quod primæ & tertiæ columnæ lateris primi Meridionalis medietates; harum verò significata amplè citato loco exposita sint, eò Lectorem remittimus; quare ad secundam columnam tertij lateris procedamus.

§ IX.

Columna secunda lateris tertij Obel. Flam.

Columnæ secundæ lateris tertij Occidentalis interpretatio.

Prima huius loci signa ab I vsq; ad K denuò eadem ferè sunt cum symbolis tertiæ columnæ primi lateris ab E vsque ad F, & secundæ columnæ ab F vsque ad G. Significant autem Genios intellectualis Mundi Ibiacum & Ophionium, malorum auerruncatores, vitam beneficam concedere tribus Mundi arcibus. Et primò quidem cœleste hoc beneficium conceditur dodecapyrgo, id est, duodecim arcis magnæ stationibus, ex quo deinde id tanquam principium passiuum cœli concauum suscipit; susceptum immittit in craterem Solis; cuius Agathodæmon cœlestem tandem humorem inferioris & hylæi Mundi receptaculis & veluti centris confert; in vitam verò animat Dæmon polymorphus virtute sequentis amuleti seu sacræ tabulæ; vnde vitalis humor deuectus in inferiora per quadrifidam Mundi plagam diffunditur; Typhonia vis dispellitur trium huius lateris columnarum in adyto consecrandarum virtute; quòd si ritè perficiatur, Horus occulto motu per cœli semitas progressus, vitalem humorem benigno suo influxu deuehet per Siderei Mundi œconomiam iuxta ideales trium Mundorum rationes, quem deinde Agathodæmon Solaris piscinis magnis inferet; Hermanubis verò Mundanus custos, vitali dominio potens ad eundem recipiendum distribuendùmque, inferiorum Mundorum portas aperiet; Typhonem humidi cœlestis dodecapyrgi expugnatorem cœlestis Chenosiris prouidâ suâ vigilantiâ fugabit, virtute & applicatione sequentis sacræ tabulæ, quam in præcedentibus duabus columnis explicauimus. Sed explicemus conceptus allegati symbola. Sceptrum ex quo Serpens emergit, vitale dominium indicat; remus, vehiculum quo influxus deriuatur; vas Niloticum, humorem; circulus in Crucem dissectus, quadrifidam Mundi plagam; Noctua Typhonem; Obelisci figura semper præsentem Obeliscum notat; sicuti hic tribus Obeliscis, tres columnæ vnius lateris signantur πνευματολογικῶς; Horus cum termino, Mundum Sensibilem; Vultur cœlum, id est, principium actiuum; tripus cum tribus terminis ideales rationes triformis Numinis; figura subtus hunc posita, piscinam sacram; statua ἱερογλυφικὸς semper Agathodæmonem Solarem, vti & Ibis Mercurialem indi-

Genij intellectualis Mundi, malorum auerruncatores.

M

Explicantur figuræ columnæ secundæ lateris tertij Obel. Flam.

O

P indicat, cui ſupponitur figura candelabri, cuius vſus in adytis erat, & denotabat, quòd nunc ſub quadranguli, nunc ſub trianguli figura pari ratione ſacrificium conficiebatur. Verùm cùm hæc omnia paſſim expoſita ſint in varijs huius Tomi locis, ea reiteranda non duxi.

§ X.

Columna tertia lateris tertij Obel. Flam.

Columnæ tertiæ lateris tertij Occidentalis expoſitio.

PRima huius columnæ tertiæ ſymbola ab I vſque ad M, eadem prorſùs ſunt, quæ tertiæ columnæ ſecundi lateris Borealis à T vſque ad Y: præterea altera medietas huius tertiæ columnæ tertij lateris ab M vſque ad Q eadem ſymbola continet, quæ prima columna lateris ſecundi, à T vſque ad Y. Conſtituitur itaque tota hæc columna ex medietate tertiæ columnæ lateris ſecundi, & ex medietate columnæ primæ eiuſdem lateris, vt vnum cum altero comparanti patebit. Quare cùm hæc citatis ſecundi lateris locis expoſuerimus, eò Lectorem amandamus.

§ XI.

Columna prima lateris quarti Obel. Flam.

Columnæ primæ lateris quarti Orientalis expoſitio.

PRima columna loco primo Accipitrem crateri inſidentem habet, quem ſequitur thyrſus iuncinus, cum thyrſo ferulaceo, & tribus terminis, & baculo ægomorpho; ſequuntur deinde duo brachia, &c. quæ ferè conueniunt ſymbolis primæ columnæ ſecundi lateris à T vſque
Y ad Y, paucis exceptis, vti & ſymbolis tertiæ columnæ tertij lateris ab M vſque ad Q. Sed negotium breuiter exponamus. Accipiter crateri inſidens præſidium crateris Solaris notat; tres termini cum iunceo thyrſo, & baculo ægomorpho, fœcundam annonæ vbertatem; bina brachia beneficam vim polymorphi Dæmonis in inferiora, ſubſidio duarum ſacra-
Z rum tabularum; harum enim religioſa obſeruantia beneficus influxus, qui
A per manum pyramidion tenentem notatur, Iſidis Dæmonis dominio præpotentis & auerrunci præſidium, quod per figuram in ſede conſtitutam, & flagellum in manu tenentem, cum baculo ferulaceo à tergore, aptè indica-
B tur, in quadrifidam Mundi plagam deuectum, quæ per remum & circulum cruciatum ſignatur, & in ſubiecti dodecapyrgi præſides ad humorem æquâ portione diſtribuendum, quæ per Columbam, tria vaſa, 3 terminos, & Columbam innuuntur, in bonum ſeminationis, & plantationis, iuxta trium anni partium diſtributionem faciendæ ſollicitat; Amilicti verò ſeu tres implacabiles Potentiæ, quas tres ſecures notant, fauiſſam
C ſeu piſcinam Horæam adaptabunt fauiſſis inferioribus, tùm hylææ, tùm myſti-

mysticæ in adyto constitutis, ad quam memorato Numinum influxui, porta aperitur virtute religiosæ cœremoniæ, & sacrarum tabularum sequentium, iam sæpe expositarum.

§ XII.

Columna secunda lateris quarti Obel. Flam.

Columnæ secundæ lateris quarti Orientalis expositio.

IN hac columna primo loco polymorphus Dæmon cum binis iam sæpe expositis sacris tabulis occurrit. Horum itaque virtute & efficaciâ supremum Numen prouidentiam rerum, dodecapyrgi humorem virtute potestatum astræarum præuijs cœremonijs Niloticis, à Sacerdotibus peractis, oculo cœlesti, id est, Osiridi Sidereo committit, qui eum actuabit; Horus verò vitam iuxta ideales rationes supremi Numinis benignè conferet; hinc Sacerdotes cœremonijs solitis, & corporum transformationibus ad Deorum analogis, recensitam Numinum catenam trahent, Horus cœleste Numen se sistet, Typhoniæ potestates piscinæ sacræ humori aduersantes, sacrarum cœremoniarum vi dispellentur, Momphta præsto erit vitali suo influxu dodecapyrgi Nilotici liquorem in inferiora deriuans, & omnia cœlesti liquore replebit, Agathodæmon terminorum Momphtæ assecla beneficentiâ suâ cœlestem & vitalem liquorem dodecapyrgi à Momphtâ deriuatum sauissæ seu piscinæ includet, vi oculi cœlestis Chenosiris, & efficaciâ sequentis tabulæ.

Y Z — A (actuabit) — B (benignè) — C (transformationibus) — D (humori) — E (præsto) — F (dodecapyrgi) — G (oculi)

§ XIII.

Columna tertia lateris quarti Obel. Flam.

Columnæ tertiæ lateris quarti Orientalis expositio.

PRima huius columnæ pars ab Y vsque ad A symbola conueniunt cum symbolis tertiæ columnæ lateris secundi & tertij, quæ cùm ibidem sint exposita, non morabimur; indicant enim, Momphta Leoninum, influxum supremi Numinis ope trium Amilictorum, & polymorphi Dæmonis, & sequentium tabularum sacrarum potestate attractiuâ in quadrifidi Mundi piscinam deriuare; Sacerdotes autem omnem hunc influxum cœremonijs suis ad ideales rationes diuini Numinis institutis sui iuris quodammodo facere, per canales Hori prouidentis humore vitali in inferiora deducto, & vi sequentium duarum sacrarum tabularum. Atque hæc est breuis tertiæ huius quarti lateris & vltimi Obelisci interpretatio.

Anacephalæosis expositionis Obel. Flam.

Anacephalæosis totius expositionis.

OStendimus in hoc obelisco, primò, quâ ratione supremum Numen Hemphta seu Osiris supramundanus archetypus, causa causarum, nunc Accipitrinâ, nunc humanâ facie conspicuus, vnà cum sua Sphynge, quæ est Mundi Opifex, influat primò in Mundum Genialem, quem figuræ in secundis spacijs B Q G V exhibent; & hinc in duodecim Intelligentias Solares totius naturæ duodecadis præsides, & tandem in Elementaris Mundi Hylæas Osiridis Intelligentias influat: qua veluti epigraphe quâdam præmissâ, postea ad particularia descenditur, doceturque quâ ratione, aut quibus sacrificijs, ritibus, & cæremonijs concatenati hi Numinum chori dodecapyrgi præsides, contra Typhonias potestates sollicitandi, atque ad rerum omnium necessariarum vbertatem concedendam attrahendi sint. Inueni non ita pridem inter numismata Veterum ex Museo Petri Stephanonij extracta, Numum cui Zodiacus inscribebatur, intra quem, veluti naturæ duodecadis præsides, Iuppiter, Mercurius, Mars, Vulcanus inscribebantur, vt in sequenti schemate patet. Quod haud

APFT

BQGV

Numismata è Museo Petri Stephanonij.

dubiè ab Ægyptijs profectum; doctrina siquidem eadem est, tametsi diuersè à Græcorum Astronomis adumbrata. Quid enim aliud Osiris Accipitrinus, quàm Iuppiter? quid aliud Ibimorphon Numen, nisi Mercurius?

curius? quid aliud Amilicti implacabilis potentia, nisi Mars? & Momphta quid aliud nisi Neptunus, quibus totius naturæ dodecapyrgum commissum est? Vides Iouem medium inter Mercurium & Martem tanquam supremi Numinis asseclam, Neptunum verò tridente conspicuum aquoso gaudentem imperio; siquidem singulæ ex hisce duodecim Obelisci columnis, aut vni plagæ ex duodecim Mundi plagis, aut vni ex duodecim arcis magnæ mansionibus respondent. Hinc adyta eorum nunc dodecangula, vti hic, nunc octangula, quadrangula, aut etiam triangula, pro diuersorum Numinum cultu ita disponebantur, vt vnicuique lateri vna ex naturæ duodecade portio responderet; in qua Numinum mysticæ imagines eo ordine depingebantur, quo in Obelisco patet. Numina enim hoc analogo ad Mundi dispositionem apparatu, sacrificijsque singulis competentibus, mirum in modum ad votis eorum obsecundandum sollicitari sibi persuadebant; vt proinde eas non incongruè catenas vocauerint; eratque in hoc tota illorum arcanior philosophandi ratio veluti in cardine quodam sita. Sic in prima columna lateris primi, qui per congrua sacrificia Mercuriale Numen traxerit, traxerit & consequenter Isidem, polymorphum Momphta, Mendetem, Chenosirin &c. vti expositum est; quorum quidem tractu omnium bonorum felicitate se repleri existimabant; his tractis nullam aduersam potestatem subsistere posse credebant; his tractis per congruum vnicuique contemplationis studium, rerum omnium scientiam sibi pollicebantur; his tractis, maximè sibi manteuticam notitiam, quæ in futurarum rerum scientia consistit, acquirere se posse sibi imaginabantur, vti in Magia hieroglyphica fusè actum est. Quæ sane pulchrè comprobantur per illos Hierogrammatismos, qui in calce singulorum laterum huius Obelisci spectantur; quorum expositionem consultò in hunc locum distulimus. Qui sunt in primo latere, comprehenduntur literis N, O, in secundo latere D E, in tertio R S, in quarto G H. Quæ quidem spacia nihil aliud indicant, nisi Ægyptiorum Sacerdotum adyta, in quibus per legitima & maximè congrua sacrificia, ritus, & cœremonias alibi fusè descriptas, nihil aliud nisi dictorum Numinum attractionem intendebant. In hisce itaque adytis primò principalium Numinum varijs modis transformatorum simulachra ponebantur, quæ in prima & secunda columna per Osirin ἱερακόμορφον stantem, & ad fauendum promptum, vti & per Accipitrem, & per 3 Ibides in 2 col. indicantur; quibus Sacerdotes genibus prouoluti, Canopulos in formâ vasorum aptatos offerunt; hoc ipso insinuando, desiderare se ab Osiri beneficum humoris præsidium, humidæ substantiæ beneficam conseruationem, vtpote sine qua nihil in Mundo consistere possit.

Catenæ apud Ægyptios.

Primæ columnæ lateris primi Obel. Flam. Anacephalæosis.

Figuræ in fine columnarum Obel. Flam.

Quoniam verò humidum sine calido nihil prodest, hinc in tertij & quarti laterum spacijs vltimis Osirin humanâ facie pingunt, cui Sacerdotes nudi aduoluuntur; primus quidem globum, alter pyramidem offert, quæ symbola sunt caloris humidum fœcundantis; ex his enim omnium rerum generatio oritur. Spectantur autem partim velati, partim vittati,

Sacerdotes nudi in Obelisco quid significent.

ti, quorum illi habitu fœmineo humidi Numina, tanquam rerum principium passiuum, hi ignem sub forma masculina tanquam principium rerum actiuum Deastris suis exhibent. Nudi sunt, quia vt in tractatu de adytis dictum est, Sacerdotes sacrificia sua vt plurimùm nudi peragebant, vt Numina quæ sollicitabant, nullo terrenæ mistionis inuolucro vestita, ipsa nuditate simili, vel nuda similitudine exprimerent. in parietibus verò adytorum varia sacrarum tabularum Schemata ponebant, tanquam magni ad potentiùs trahenda Numina momenti, cuiusmodi in singulis quaternis lateribus videre est, signanturque literis *a b c d, e f g h*, &c. quæ omnia ex Obelisci latere extracta sunt, tanquam potentissima amuleta; quæque Sacerdotes inde extracta, Deorum particularibus statuis, vasis, abacis, diuersi generis lapidibus, metallicis testaceisque vasis incisa in vsum priuatum superstitiosæ plebi gestare præcipiebant, vti in decursu huius Operis exponentur vberiùs; quæ quidem hieroschemata hìc non exponimus, cùm ea quisque, qui præcedentia ritè intellexerit, nullo negotio interpretari possit, vtpote quę omnia iam sunt exposita, &ex diuersis Obelisci columnis extracta, vt dixi, in calcem laterum, quæ adyta Ægyptiorum signant, sunt translata.

Sacræ tabulæ in fine columnarum Obel. Flam.

Consectarium de interpretatione facta ab Hermapione.

Atque hic est celeberrimus ille Obeliscus, quem Augustus ex Ægypto allatum in Circo maximo erexit; cuius interpretationem ab Hermapione factam recitat Ammianus Marcellinus his verbis: *Qui autem notarum textus Obelisco &c. Hermapionis librum secuti, interpretatum literis subiycimus Græcis*. Desiderabat iam dudum Augustus scire doctrinam in hoc Obelisco contentam, eamque ob causam vniuersam Ægyptum per viros literatos discusserat, si quem inueniret huius literaturæ hieroglyphicæ peritum. Obtulit se tandem Hermapion Grammaticus, quem Cymbalum Mundi vocant; qui cùm multa circa hæc promitteret, tamen ab omnibus, teste Strabone, risus fuit; hic tamen plus æquo sibi confisus huius præsentis Obelisci interpretationem attulit, quæ inseritur libris citati paulò antè Ammiani Marcellini, quamque in Obelisco Pamphilio fol. 149. Græco-latinam adducimus. Hæc interpretatio continet dedicationem Obelisci à Ramesse Soli factam, vbi & vtriusq; laudes continentur. Atque hanc interpretationem omninò falsam, suppofititiam, & ne vestigium quidem earum rerum, quæ in hoc Obelisco continentur, continere, solus is nosse poterit, qui hanc nostram interpretationem cum Hermapionis expositione ἀκριβεστέρως contulerit. Explicat is primò sex versus, qui quales in hoc Obelisco sint, dispicere non potui, nisi forsan columnas putauerit; sed cùm illarum duodecim Obeliscus exhibeat, non video cur illarum sex tantùm exhibuerit. Secundò vbi mentio primarum huius Obelisci figurarum, quæ epigraphes loco se habent, fiat, non reperio;

Ammianus Marcellinus.

vbi

vbi duodecim Accipitres, & totidem Boues, qui in ſuperiori Obeliſci extremitate continentur, quorum duodecies repetita mentio fieri debebat, in Hermapionis interpretatione maneant, hucuſque cognoſcere non licuit; accedit argumentum Obeliſci, quod nullâ ratione ei competere poteſt, cùm geſta Rameſſis, Heronis, cœterorumque Regum, qui ibidem nominantur, nullibi exprimantur. Sacrarum tabularum 39 Schemata, quæ amuleta vocamus, quarum ſeptendecim ſimiles Momphto-Mendeſiæ, ſedecim Iſiacæ Horo & Oſiri, tres Momphtæ, tres Agathodæmoni catenæ magnæ conſecratæ ſunt, quibus totus Obeliſcus refertus eſt, vbi inquam horum mentio fiat, nè γρῦ quidem dignoſcitur. Cùm prætereà huiuſmodi ſacræ tabulæ eædem in pleriſque alijs Obeliſcis reperiantur, certè non video, quomodo illa hiſtoria Rameſſis Regis, eiuſq; Obeliſci Soli ſacrati erectionis hiſtoriam exprimere poſſit; vnde vereſimilius eſt, hanc ab Ammiano adductam Hermapionis interpretationem vel ſuppoſititiam ac commentitiam eſſe, vel alterius cuiuſdam fragmenti hieroglyphici interpretationem eſſe, quæ huic Obeliſco falsò fuerit attributa. Verùm nè iniuriam tùm Hermapioni, tùm Ammiano, qui eandem tanquam rem memorandam ſuis inſertam hiſtorijs refert, facere videamur, hìc interpretationem Hermapionis denuò ex Obeliſco Pamphilio repetam, vt Lector meam interpretationem cum Hermapionis compoſitione comparando, tandem quam abſonam, diſſonamque ab Ægyptiorum ingenio doctrinam hæc Hermapionis interpretatio contineat, cognoſcre poſsit.

Interpretatio Obeliſci Senneſertei facta ab Hermapione Grammatico, extracta ex 16. lib. Hiſtor. Ammiani Marcellini.

VErba itaque Ammiani hæc ſunt; *Secutæque ætates alios tranſtulerunt, quorum vnus in Vaticano, alter in hortis Salluſtij, duo in Auguſti monumento erecti ſunt; qui autem notarum textus Obeliſco inciſus eſt veteri quem videmus in Circo, Hermapionis librum ſecuti interpretatũ literis ſubiecimus Græcis.*

ΑΡΧΗΝ ΑΠΟ ΤΟΥ ΝΟΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΗΝΕΥΜΕΝΑ ΕΧΕΙ.
ΣΤΙΧΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

ΤΑ' δ' ὅζιν ᾆ Βασιλεῖ Ῥαμέστῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύειν ἥλιος φιλεῖ, καὶ Ἀπόλλων κρατερὸς φιλαλήθης υἱὸς Ἥρωνος θεογέννητος κτίστης τῆς οἰκουμένης, ὃν ἥλιος προέκρινεν ἄλκιμος Ἄρεως Βασιλεὺς Ῥαμέστης· ᾧ πᾶσα ὑποτέτακται ἡ γῆ μετὰ ἀλκῆς καὶ θάρσους, Βασιλεὺς Ῥαμέστης, ἡλίου παῖς αἰωνόβιος.

Verſus Primus.

HÆc ſunt, *quæ Regi Rameſti donauimus, quem totum Orbem gubernans Sol & Apollo fortis, veri amator, Heronis filius ex Deo genitus, Conditor Orbis terrarum, quem Sol ſelegit fortis Martis Rex Rameſtes; cui cum fortitudine & audacia ſubordinatus eſt Orbis terrarum Rex Rameſtes filius Solis immortalis.*

ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

Ἀπόλλων κρατερὸς, ὁ ἑστὼς ἐπ' ἀληθείας δεσπότης διαδήματος τὴν Αἴγυπτον δοξάσας κεκτημένος, ὁ ἀγλαοποιήσας ἡλίου πόλιν, καὶ κτίσας τὴν λοιπὴν οἰκουμένην, καὶ πολυτιμήσας τοὺς ἐν ἡλίου πόλει θεοὺς ἀνιδρυμένους, ὃν ἥλιος φιλεῖ.

Versus Secundus.

Apollo fortis, is qui reuera Dominus est diadematis, & Ægyptum gloriâ à se cumulatam possedit; is qui Solis Vrbem splendidam fecit, & reliquum Orbem terrarum condidit, & ingenti honore prosecutus est in Solis Vrbe Deos collocatos ac positos, quem Sol diligit.

ΣΤΙΧΟΣ ΤΡΙΤΟΣ.

Ἀπόλλων κρατερὸς ἡλίου παῖς παμφεγγὴς ὃν ἥλιος προέκρινεν, καὶ Ἄρης ἄλκιμος ἐδωρήσατο, οὗ τὰ ἀγαθὰ ἐν παντὶ διαμένει καιρῷ, ὃν Ἄμμων ἀγαπᾷ πληρώσας τὸν νεὼν τοῦ Φοίνικος ἀγαθῶν· ᾧ οἱ Θεοὶ ζωῆς χρόνον ἐδωρήσαντο. Ἀπόλλων κρατερὸς υἱὸς Ἥρωνος Βασιλεὺς οἰκουμένης Ραμέστης, ὃς ἐφύλαξεν Αἴγυπτον τοῦ ἄλλου ἔθνους νικήσας, ὃν ἥλιος φιλεῖ. ᾧ πολὺν χρόνον ζωῆς ἐδωρήσαντο θεοὶ, δεσπότης οἰκουμένης Ραμέστης αἰωνόβιος.

Versus Tertius.

Apollo fortis Solis filius, totus lucidus, quem Sol diligit, & Mars strenuus donauit; cuius bona omni tempore permanent. Quem Ammon diligit, cùm donari is expleuerit Phœnicis delubrum; cui Dei vitæ tempus largiti sunt. Apollo fortis Heronis filius, Rex Orbis terrarum Ramestes, qui seruauit Ægyptum postquam aliam gentem superauisset. Quem Sol amat; cui longum tempus vitæ Dij largiti sunt, Dominus Orbis terrarum, Ramestes immortalis.

ΑΛΛΟΣ ΣΤΙΧΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

Ἥλιος Θεὸς μέγας δεσπότης οὐρανοῦ δεδωρήμαι σοι βίον ἀπρόσκορον, Ἀπόλλων κρατερὸς κύριος διαδήματος ἀνείκαστος, ὧν ἀνδριάντας ἀνέθηκεν, ἐν τῇδε τῇ βασιλείᾳ δεσπότης Αἰγύπτου, καὶ ἐκόσμησεν ἡλίου πόλιν, ὁμοίως καὶ αὐτὸν ἥλιον δεσπότην οὐρανοῦ, συνετέλεσεν ἔργον ἀγαθὸν ἡλίου παῖς Βασιλεὺς αἰωνόβιος.

Versus Secundus.

Sol Deus magnus, Dominus cœli largitus sum tibi vitam satietatis expertem; Apollo fortis Dominus diadematis incomparabilis. Quorum signa dedicauit in hac Regia Dominus Ægypti, & exornauit Solis Vrbem, itidem & ipsum Solem Dominum Cœli vna confecit opus bonum, Solis filius, Rex immortalis.

ΣΤΙΧΟΣ ΤΡΙΤΟΣ.

Ἥλιος Θεὸς δεσπότης οὐρανοῦ Ραμέστῃ Βασιλεῖ δεδώρημαι τὸ κράτος, καὶ τὴν κατὰ πάντων ἐξουσίαν. Ὃν Ἀπόλλων φιλαλήθης δεσπότης χρόνων, καὶ Ἥφαιστος ὁ τῶν Θεῶν πατὴρ προέκρινεν διὰ τὸν Ἄρεα, Βασιλεὺς παγχαρὴς ἡλίου παῖς, καὶ ὑπὸ ἡλίου φιλούμενος.

Ver-

Versus Tertius.

SOl Dominus Cœli Rameſti Regi largitus ſum potentiam, & in omnes dominatum. Quem Apollo veri amator, & Vulcanus Deorum pater ſelectum habuit propter Martem, Rex longè gratiſſimus, Solis filius eſt à Sole amatus.

ΑΦΗΛΙΩΤΗΣ ΠΡΩΤΟΣ ΣΤΙΧΟΣ.

Ὁ Ἀφ᾽ ἡλίου πόλεως μέγας Θεὸς οὐράνιος Ἀπόλλων καρτερὸς, Ἡρῶνος υἱὸς, ὃν ἥλιος ἠγάγησεν, ὃν οἱ Θεοὶ ἐτίμησαν, ὁ πάσης γῆς βασιλεύων, ὃν ἥλιος προέκρινεν, ὁ ἄλκιμος διὰ τὸν Ἄρεα Βασιλεὺς, ὃν Ἄμμων φιλεῖ, καὶ ὁ παμφεγγής συγκρίνας αἰώνιον Βασιλέα.

Versus Primus.

MAgnus à Solis vrbe Deus cœleſtis Apollo, fortis Heronis filius, quem Sol educauit, quem Dij honore proſecuti ſunt, qui vniuerſo terrarum Orbi dominatur, quem Sol ſelegit, inclytus propter Martem Rex, quem Ammon amat, & is, qui totus lucet, longæuum Regem eſſe iuſſit.

Atque hæc eſt Hermapionis interpretatio; quam cùm exactiori trutina cum hieroglyphicis Obeliſco Flaminio inſculptis examinaſſemus; inuenimus tandem id, de quo iam dudum ſuſpicabamur, hanc interpretationem nullâ prorſus ratione ſubſiſtere poſſe. Atque nè Authori tot Authorum monumentis celebrato iniuriam facere videamur, dicti Obeliſci quatuor latera tu diligenter inſpice, & verba cum figuris confer, videbiſque quàm ineptè congruant, quàm difficulter cohæreant, quàm denique cuncta malè ſubſiſtant, quàmque longè abſint à veritate. Vt proindè vehementer ſuſpicer, Hermapionem loco interpretationis Obeliſci, quamcunque aliam inſcriptionem tantò audaciùs, quantò pauciores erant, imò vix vllus, qui eum de impoſtura inſimulare poſſent, ſuppoſuiſſe. *Interpretatio Hermapionis falſa eſt, & quare.*

In Obeliſco itaque quatuor conſideranda ſunt; primum eſt Argumentum ſeu thema Obeliſci; ſecundum figuræ; tertium, latera quaterna; quartum, ordo & ſitus figurarum. Nullum ex his Hermapionem attigiſſe, hiſce rationibus oſtendimus. Ac primò quidem Argumentum Obeliſcorum, laudes, victorias, triumphos, eximiaque facinora Regum, minimè continere, in præcedentibus diuerſis locis fusè dictum eſt. Nam cùm hieroglyphica doctrina eſſet obſcura, ænigmatica, myſterioſa, à profanorum intellectu longè remota, quam ſoli illi, quibus ad Regnum ſpes eſſet, quibuſque rerum ſacrarum cura erat commiſſa, callerent, quamque ſub ſilentio maximo tenere, & ſub pœna vitæ vlli alteri, præterquam ſui ordinis hominibus propalare vetabantur; certè Obeliſci Regum geſta continere non poterant. Temerarius itaque, nè dicam, ſtolidus omnium opinione foret, qui geſta & magnifica Principis aut Regis alicuius facinora ex ſe, & ſua natura lucis appetentia poſteritati, vel ad ea imitanda, vel ad excitandam virtutum in poſteris admirationem, memoriamque con- *Hieroglyphica doctrina non continet laudes Regũ*

seruandam proposita traditurus, impenetrabili quodam scripturæ genere vteretur. Haud absimile de Ægyptijs iudicium, si laudes, gestaque Regum continerent, formare possumus. Quando itaq; Herodotus, Diodorus Siculus, Plinius, alijq; dicunt, in Ægyptiorum monumentis Regum gesta fuisse expressa, expensasque in varias fabricas & expeditiones per Orbem susceptas, sumptus quoque in allia, cœpasque factos contineri; de Obeliscis nequaquam intelligunt, sed vel de pyramidibus, vel columnis, aut tabulis, lapidibusque templorum parietibus insertis, intelligebant. Nam in columnis similibusque, res præclarè gestas, historiasque, easque vulgari charactere Ægyptijs vsitato, quem nos Coptum appellamus, incidere solebant; cuiusmodi complures vide apud Herodotum & Diodorum. In Obeliscis verò solas res ideales, intellectualesque, & difficiles captu, easque sub obscurissimis figurarum inuolucris, vti in sequentibus apparebit, exhibebant. Cùm itaque Hermapion in dicto Obelisco nihil aliud quàm Regis Ramestis laudes & gloriam describat, vel ex hoc capite interpretationem, menti Ægyptiorum Sacerdotum minimè correspondere posse, confestim apparet. Sed veniamus ad figuras. Hic vides in initio Obelisci figuras poni humanas, situ gestibusuè sacrificantium actiones significantes; quæ cùm quatuor Mundi partibus correspondeant, singulę diuersis rebus instructę conspiciuntur. Sequuntur postea in singulis lateribus terni Accipitres, tutulis conspicui, vt hic in figura apparet (vnius enim lateris figuras hic posuisse sufficiat) quos sequuntur totidem boues, postea tria brachia extensa; adeò vt in singulis lateribus tres ordines & series seu columnæ contineantur; quæ cùm duodecim Geniorum Mundi per quatuor Obelisci latera indicatorum mysteria & arcana contineant, videat iam, qui vel exigua iudicij mica pollet, quomodò interpretatio Hermapionis illis accommodari possit: cùm enim sint duodecim Accipitres, & totidem Boues in circuitu insculpti, quæ haud dubiè vnam & eandem rem varijs solummodò effectibus differentem significent; debebat is duodecies nominare eandem rem; quod dum non fecit, neque vestigium quidem harum rerum elucescat, meritò falsa eius censebitur interpretatio.

Herodotus arguitur circa argumentum Obeliscorum

In Obelisco Hermapionis laudes Ramestis Regis contineri non possunt.

Alius error in interpretatione.

Accedit quòd cùm in Obelisco quatuor latera sint, is verò sex ponat, impossibile est, interpretationem rebus consentire posse. Verùm si quis dicat, illum tres ordines in vno tantùm vel duobus lateribus contentos descripsisse, neque sic satisfiet difficultati, cùm nec sic verba cum figuris cohæreant. Atque in primo quidem latere quod Meridionalem plagam respicit, non tres, sed quinque ordines; in latere verò Orientem respiciente, vnum tantùm ordinem, vt in interpretationis contextu patet, describit; quæ quomodo cohærere possint, non video. Est itaque interpretationis series tota confusa & ἀσύςατος. Præterea verba interpretatio-

tationis singulis ordinibus suffixa, adeo ab hieroglyphicorum abhorrent stylo, ingenioque, vt vel primâ fronte appareat; verum esse non posse, quod adeo ab Hieromystarum disciplinis dissonum, remotumque est. Quæ enim figuræ Ramessem Regem, quæ tam gloriosa epitheta, tam speciosam verborum constructionem ostendant, comperire minimè licet. Quid enim Ramessi, quid Apollini, quid Vulcano, & Heronis filio, cùm sacrificantium ritibus, cum Accipitribus, Bobus, cœterisque commune sit, non video. Accedit hisce, quòd verba illa, quibus Hermapion explicat singulos ordines hieroglyphicos, ad tantarum rerum, quas sub hieroglyphicis tegebant, significationem oppidò pauca sint. Ausim enim sanctè affirmare, tantam in singulis duodenis Obelisci ordinibus materiam contineri rerum reconditarum, vt ea non dicam folio, sed nè integro quidem volumine pro dignitate satis explicari possit: quæ omnia in huius Obelisci Sennesertei interpretatione satis superque comprobauimus. Ex toto itaque hoc discursu, ni fallor, luculenter patet, interpretationem Hermapionis ab Ammiano Marcellino proditam, consistere nullâ ratione posse; quod probandum assumpseramus. Vtrum verò Hermapion hanc descriptionem ex alio quopiam Ægyptiaco monumento descripserit, quæ postea falsò huic Obelisco fuerit imputata, credat qui volet; nostrum erat, hanc adductam Hermapionis interpretationem, Obelisci hieroglyphicis minimè quadrare, aut adaptari posse, paucis hisce demonstrare, vt si obtrectatores nobis hanc interpretationem obijcerent, quid de ea statuendum sit, cognosceretur. Atque his apertè constat, quàm cautè in huiusmodi abditarum rerum expositionibus procedendum, & quòd non cuilibet datum sit hanc adire Corinthum. Similes interpretationes inueniuntur in Annij Viterbiensis Beroso apocrypho: verùm cùm illæ ab ipso Authore confictæ sint, indignas existimo, quibus adducendis & tempus, & charta teratur. Huius farinæ est Volaterrani inuentarum literarum Hetruscarum interpretatio, quæ non ita pridē prodijt. Alter Oedipus Ægyptius posteris temporibus fuit summus quidā vir Herwartius, qui tabulæ Bembinæ interpretationem aggressus, tàm infeliciter negotium expediuit, vt vel oppidò mirer, quid insigni Viro in mentem venerit, quòd tam absonam ab Ægyptiorū intentione interpretationem molitus sit. Titulus libri est: *Admiranda Ethnicæ Theologiæ mysteria propalata*. Vbi Author lapidem Magnetem antiquissimis passim nationibus pro Deo cultum, & artem, quâ nauigationes Magnetis ope per vniuersum Orbem instituerentur, à veteribus Sacerdotibus Ægyptijs sub inuolucris Deorum Dearumque, & aliarum perinde fabularum cortice, summo studio occultatam esse, omnibus viribus demonstrare conatur. Ac primò quidem vult, per hieroglyphicam illam toto Orbe celeberrimam Bembinam tabulam nihil aliud Ægyptios veteres, nisi nauigationem per vniuersum terrarum Orbem, ope Magneticæ pyxidis, & Nauticæ seu Hydrographicæ tabulæ subsidio peractam, indigitasse; adeo vt characterismis illius tabulæ hieroglyphicæ nihil aliud, nisi plagas Mundi, ventosque significare voluerint; hoc autem vt probet, mirum

Herwartius alter interpres tabulæ Bembinæ, à scopo aberrat

Tabula Bembina non cōtinet magnetis mysteria, neque nauigandi artem.

mirum est, quàm in tota antiquitatis historia ad suum institutum detorquenda se fatiget, & quanto studio nisuque quæuis, velint, nolint, ad materiam suam applicare laboret; vt vehementer mirer, virum cæteroquin sapientem, atque antiquitatis peritissimum, variæque omnino lectionis, vel animo quidem hæc concipere potuisse. Quæ quidem non assero, quòd viro magno, doctissimo, & de Rep. Literaria optimè merito, quicquam detractum velim; laudandus enim in tanto viro, in re omnium obscurissima summus conatus; sed hæc tantùm dicta velim, vt cognoscat Lector, quàm ad mentem Veterum congruas esse oporteat interpretationes, vt teretes aures, & emunctas Criticorum nares sustinere queant.

FINIS SYNTAGMATIS TERTII

LVDOVISIVM
PRINCIPI
FILIO.

SYNTAGMA IV.

OBELISCVS SALLVSTIVS, SIVE LVDOVISIVS.

SERENISSIMO, ET AD MAXIMA NATO PRINCIPI

LEOPOLDO IGNATIO

Archiduci Auſtriæ, Ferdinandi III. Magni Cæſaris Filio.

OBELISCVM Auguſtæ Serenitati TVAE erigo, dignum efflorescentibus in tantilla ætate virtutibus trophæum; quibus quidem totum pænè Orbem ita rapis, vt maximum quid, ſublime, heroicum de inſita illa TVA viuidæ indolis lætitia, de matura in tenello corpore prudentia, de inſolita animi fortitudine, rerumque agendarum dexteritate ſibi polliceatur; atque adeo ſtupore omnium iamiam Orbi rerum rectè gerendarum argumentis plenum, dignumque, in quibus enucleandis Hiſtoricorum ingenia ſuo ſe tempore exerceant, thema dictare incipias. Quæ quidem vti ſumma cum admiratione celebrari non ſemel audiui, ita neſcio quo felici omine, monimentum hoc cedro perennius veluti gloriæ TVAE prodromum, atque vnà meæ in Auguſtam Serenitatem TVAM ſinceriſſimę obſeruantiæ ſymbolum quoddam conſecrandum duxi. Vale, Auguſtæ domus & Orbis delicium.

SYNTAGMA IV.

Obeliscus Sallustius seu Ludouisius.

CAPVT I.

De origine, erectione, translatione Obelisci Sallustij.

Sallustius Obeliscus à C. Caligula Romam aduectus, & à Claudio erectus. *Ammianus Marcellinus.*

CLAVDIVS CÆSAR prædecessorum suorum exemplum secutus, vt Vrbem nouæ magnificentiæ monimento exornaret, præter duos rasos Obel. in Mausoleo Augusti erectos, hunc præsentem quoq; in amœnissimo totius Vrbis loco exaltandum putauit. Innuit id Ammianus Marcell. l. 17. *Secutæque ætates alios transtulerunt, quorum vnus in Vaticano, alter in Hortis Sallustij, duo in Augusti monimento erecti sunt.* Quis verò primus eius in Ægypto erector fuerit, aut quo auulsus loco; omnia Historicorum monumenta silent: verisimile tamen est, eum vnà cum Vaticano Obelisco à C. Caligula peculiari naui, in hunc vnicum finem stupendæ magnitudinis constructa, fuisse Romam translatum, atque Caio fatis functo à successore Claudio in dicto loco, quem Sallustij hortum vocant, erectum, vti ex citato Ammiano Marcellino luculenter patet.

Ludouisius Obeliscus in Villa Principis Ludouisij, idem qui Sallustius.

Modò in Villa Excellentissimi Principis Nicolai Ludouisij Ducis Plumbini, amœnitate & magnificentiâ spectatissima, terrâ penè obrutus, atque in duas confractus partes, iacet; quem & à loci possessore non incongruè Ludouisium appellantes, veluti perenne quoddam beneficiorum à Gregorio XV. Pontifice Opt. Max. in Societatem nostram collatorum monimentum, trophæumque perpetuum Ludouisiæ domus honori constituendum censuimus; quem & illustre Vrbis monimentum ante ædem Ludouisianam S. Ignatio consecratam suo tempore posteritas, vti speramus, erectum videbit, & admirabitur.

Symmetria Obelisci Ludouisij seu Sallustij.

Symmetria Obelisci mediæ inter maiores & minores magnitudinis, à basi vsque ad pyramidion longitudinem habet Palmorum 72. inferioris basis latera singula sex palmorum cum dimidio latitudinem habent; est enim quadratus & ἰσόπλευρος, id est, æqualium laterum. Pyramidion ab angulis ad apicem quatuor palmorum est, vti & latera singula basis eiusdem pyramidij, quâ Obelisco coagmentatur; atque adeo totius Obelisci altitudo 76 palmorum exactè constituitur.

CAPVT II.

Argumentum Obelisci.

Sallustij seu Ludouisij Obelisci argumentum.

CӨntinet itaque hic præsens Obeliscus, (qui in honorem fontanæ triadis, seu tribus summitatibus, qui sunt Osiris, Horus, & Isis Momphtæa, erectus est) quomodo fontanæ hæ summitates in triplicem Mundum influant, quos effectus in ijs operentur, quomodo, aut quibus sacrificijs, vt effectus faciliùs consequantur, colendæ sint. Quæ vt luculentiùs pateant, paulò altiùs ordiri visum est.

Psellus. Fontanæ summitates Ægyptiorum.

Narrat Psellus in expositione Oraculornm Zoroastræorum, Aegyptios & Chaldæos tres fontanas summitates coluisse, ex quibus veluti ex perenni quadam scaturigine omnia Mundi bona emanarent; & has vocat summitates tres fontanas, videlicet, Hori siue Appollinis, Osiridis, & Mercurij. Σέβονται δὲ καὶ πηγαίαν τριάδα πίστεως, καὶ ἀληθείας, καὶ ἔρωτος, καὶ πηγαίας ἀκρότητας Ἀπόλλωνος, Ὀσίριδος, καὶ Ἑρμοῦ. *Venerantur quoque triadem fontanam fidei, veritatis, & amoris; & tres fontanas summitates Appollinis* (qui idem ac Horus est) *Osiridis, & Mercurij.* Nos Hori, Osiridis, & Isis Momphtææ, ex Obelisci inscriptione appellamus. Atque triadem primam Obelisci facies continet. Et vti abditum huius Philosophiæ sacramentum est, ita mirificis quoque symbolis adornarunt. Nam in Obeliscis propriè altissimarum rerum sacramenta, tùm in hoc, tùm in alijs insculpserunt, vt vel ipsâ Obelisci figurâ prænotarent, otiosum minimè esse, quod tam insolenti symbolorum apparatu exhiberetur. Hæc itaque est Horæa Trias, cui Obeliscum consecrandum duxerunt; Trias ad Archetypi exemplar transformata; Trias fundi Paterni triadi, cuius ministra est, analoga, à qua non nisi effectuum diuersitate distincta est. Huic in reliquos triadicorum Numinum Choros potestas omnis concessa est, fidei, veritatis, & amoris. Trias vera; ita quidem, vt fides Horo, Osiri veritas, Isi Momphtææ amor pulchrè competat. Quæcunque enim in hoc Obelisco continentur symbola, ad hanc triadem respicere videntur, in qua Horus Mundanæ domus, entibus omnibus & singulis fideli cura, tanquam sibi commissis prouidet; Osiris in veritate disponit omnia; Isis Momphtæa omnia & singula amoris nectit consortio. Videbis hoc loco, quomodo trias hæc fontana, primò in Mundum Genialem; deinde ex hoc in Sidereum, & tandem in Hylæum Mundum influat, ministerijs in tres summitates distributis. In hoc patebit, quomodo ex Mundis demum in particularium entium œconomiam, iuxta quadruplicem Mundi plagam, quam latera Obelisci indicant, descendant; quasque in singulis operationes præstent. Intueberis tanquam in speculo quodam, quomodo Sacerdotes per mystica huiusmodi symbola, per sacras tabulas, ritus, & cœremonias in adytis peractas hanc Horæam triadem placârint, placatam ad omnem felicitatem obtinendam attraxerint. Atque hoc est præsentis huius Obelisci argumentum; quare nihil aliud restat, nisi vt rem ita se habere, sequenti interpretatione demonstremus.

Trias Horæa Obelisco Sallustio insculpta.

Trias fontana in tres Mundos influit.

CA-

CAPVT III.

Sallustij Obelisci diuisio.

Obelisci Sallustij diuisio, & interpretatio.

NOta primò, hunc Obeliscum quatuor lateribus constare, quorum singula in tres columnas seu ordines hieroglyphicis Schematis insignes dirempta sunt, atque adeo totus Obeliscus, siue inscriptionem aut periochen, siue sacrarum tabularum schemata spectes, Obelisco Flaminio adeo similis est, vt eiusdem compendium iure dici possit; differentia tantùm nonnulla interuenit in minutioribus figuris, quæ tamen non ita magnam significationum diuersitatem inducunt, nec ita Sacerdotum intentionem immutant, vt quoad substantiam essentiamque rerum indicatarum diuersus dici possit, vt vnum cum altero comparanti patebit.

Sallustius Obeliscus compendium est Flaminij.

Obelisci quaterna latera literis A, B, C, D, signantur. Pyramidij trigona latera omnia, si primum A excipias, similibus prorsùs hierogrammatismis, memoratam triadem exprimentibus, signata sunt.

Hieroglyphica pyramidio Obel. Sallustij insculpta.

In primo trigono lateris Orientalis A B C vides statuam throno insidentem, cum tutulo & sceptro Cucuphomorpho, quę à latere annexum habet Hori caput, cum circulo, duobus stipatum vncinis; quem sequitur infrà alia figura ἱερακόμορφος, id est, Accipitrino capite insignita, è cuius regione Sphynx tutulata, abaco incumbens. In latere Meridionali primo loco Hori caput, duobus stipatum vncinis, cum circulo supraposito; deinde eædem prorsùs figuræ quæ in præcedenti; & in lateribus reliquis C F G, & D H I, Boreali & Occidentali, eædem prorsùs tres figuræ, quæ in latere Meridionali B D E, sese offerunt.

Hieroglyphica lateribus Obel. Sallustij insculpta.

Infra trigonum pyramidij ponuntur quatuor spacia B C E F, D E G H, F G I K, & H I L M, in quibus hierogrammatismi prorsùs sibi similes sunt; videlicet simulachrum nunc ἱερακόμορφον, nunc γυνόμορφον, cubo insidens, cum adgeniculato simulachro binas statuas præferente; neque vlla inter has imagines differentia interuenit; quibus & variæ, vti vides, notæ interferuntur.

Has sequuntur in immediato spacio, in singulis lateribus, tres Accipitres, qui Serpentes pedibus premunt, ac tres Boues. Et in primo latere Boues sequuntur tres statuæ Accipitrinâ facie deformatæ, supposito vnicuique feretro. In secundo latere post Boues sequuntur symbola inter P Q literas intercepta. In tertio latere Boues sequuntur figurę, eo habitu, quem vides, figuratæ. Similiter in quarto latere intra spacium T V. Atque adeo in omnibus lateribus eædem prorsùs figuræ sese exhibent; quod mysterium vt patefiat, iam exponere conabimur.

CAPVT IV.

Hierogrammatiſmorum qui in quaternis lateribus continentur, & ſecundùm præcedentem diuiſionem prorſùs iidem, ſi minutiora quædam excipias, ſunt, interpretatio.

NOta Lector, quòd tametſi hæc omnia in Obeliſco Flaminio expoſuerimus, quem eundem prorſùs cum hoc reperimus, vti paulò poſt patebit; quia tamen ſubinde nonnulla differre videntur, ea hoc loco exponere viſum fuit.

In primo trigono A B C lateris Orientalis, primo loco ſimulachrum occurrit, quod throno inſidet cubico, ſceptro Cucuphomorpho munitum, è latere caput Hori circulo inſignitum duobus ſtipatum vncinis, ante ſe hieralpham monſtrat; quod quidem in triade Hori Patrem poteſtate inſignem notat; hinc ſedens imperioſâ dextrâ imperat, ſceptro Cucuphomorpho varietatem rerum, quibus dominatur, innuens, inconcuſſo dominio omnia gerit, vti ſedes maieſtate plenâ docet; magnus ſanè Agathodæmon, vti hieralpha docet. Hori caput appoſitum habet, vncino & baculo recuruo ſtipatum, quia Intellectus Horæus eſt, malorum omnium auerruncator; cuius Potentia ſimulachrum Accipitrinum eſt, pariter cubicæ ſedi inſidens, ſceptro adunco munitum, & eſt Potentia diuini Oſiridis Horæi, virtute ſuâ penetratiuâ omnia attingentis, dominio inconcuſſo omnia gubernantis. E regione ſua Sphyngem abaco incubantem habet, quæ eſt Iſis Momphtæa, Mens Horæa, omnium quæ in intellectu & poteſtate ſunt Oſiridis & Hori, executrix. Ex humano capite tutulato & Leonis figura componitur, quo robur & fortitudo in exequendis mandatis Hori & Oſiridis apprimè denotatur, vti in Obeliſco Flaminio, quem conſule, docuimus. Nam vt rectè Plutarchus docet, eſt hæc Iſis Momphtæa nihil aliud, quàm vis illa naturæ fœminea, & totius ſuſceptrix generationis, vnde τιθήνη, id eſt, nutrix, & πανδεχὴς, id eſt, ſuſceptrix nuncupata fuit; omnes enim ideas & imagines admittit, habet enim congenitum amorem erga id, quod primum ac ſummum eſt inter omnia, ipſum videlicet bonum, ad hoc enim rapitur, hoc optat, hoc ſequitur; quod verò malum eſt, fugit & aduerſatur. Hinc trium Mundorum domina appoſitè nuncupatur, quemadmodum ſymbola ſuprà poſita docent ⌂ ııı, ϫⲟⲥ ✻ vbi aduertat Lector, hæc ſymbola ϫⲟⲥ ✻ ſpacio A B C interiecta, Copticam vocem eſſe, & dominiũ ſignificare, quod in Sole & Luna ſuam potiſſimùm poteſtatem exerceat; eſt & vox fœminini generis, ſicuti ⲡⲟⲥ maſculini. Verùm cùm has voces fusè varijs in locis expoſuerimus, eò Lectorem remittimus. Vide de his in Aſtrologia fol. 192. Atque hæc eſt trias Horæa, Patre, Potentia, & Mente conſtans. Horæa dicitur, quia Horus in Mundo intelligibili circa Mundanæ domus adminiſtrationem potiſſimùm occupatur; Trias verò eſt, quia triformis ſupremi Numinis ſigillo ſignata, adminiſtrationem ſuam, quemadmo-

Trigoni lateris Orientalis Obel. Salluſtij expoſitio.

Plutarchus: Iſis Momphtæa trium Mundorum domina.

ϫⲟⲥ & ⲡⲟⲥ voces Copticæ quid

Horæa Trias quæ, & cur ita dicatur.

admodum & reliqui triadici Numinum Chori, peragit. Παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριὰς, ἧς μόνας ἀρχή, *toto enim in Mundo trias fulget, cuius vnitas principium est*, vti sapienter docet Zoroaster.

Zoroaster.

Horæum caput Sallustij Obelisci quid denotet. Trigonorum reliquorum Obelisci Sallustiani expositio.

In reliquis verò lateribus primo loco semper occurrit caput circulo insignitum, duobusque stipatum vncinis, quo pari pacto triadis Horææ Patrem notant, malorum omnium propulsatorem. Circulo notatur, ad diuinitatem eius insinuandam; puerili capite fingitur, quia Mundus, vti Plutarchus dicit, quotidie noua rerum generabilium prole veluti reiuuenescit; capite solo exprimitur, quia intellectus Horæus totum sensibilem Mundum, quem sub physico sensu refert, cognoscit, cognitis rebus prouidet, omnium malorum alicubi impendentium propulsator, vti duo vncini, quibus stipatur, auerruncationis symbola, luculenter docent. Vbicunque itaque caput puerile spectatur, circulo munitum, id Hori esse censendum est. Dixi puerile, quia vix vlla Hori statua reperitur, quæ non iuuenile quid præseferat, diuersis tamen symbolis adornata, pro effectuum, quos in Mundo generationibus rerum reiuuenescente operatur, diuersitate. Nunc enim eum reticulatâ veste in turbinem abeunte, nunc Sacerdotum vlnis sinibusque veluti mammis applicatum sub pueri forma, quem lacte & pulticulis nutriebant (quæ cùm alibi recensita sint, hîc longior esse nolui) miris vtique à Sacerdotibus superstitionum ritibus cultũ, formant; & hoc ideo, quia nisi Mundus quotidie noua generationis fœturâ adolesceret, eum perire necesse foret. Hinc in paludibus Buti alitus memoratur, quia per vapores in sublime elatos resoluta humiditas Mundo necessaria est. Verùm cùm humiditas sine calido frustranea sit, hinc potentiæ Horææ est, in Mundo humido-calidum attemperare, vtpote in quo rerum omnium genesis consistit. Hanc Potentiam aptè refert Accipitrina statua sedi cubicæ insidens, quam paulò antè, & alibi sæpius iam exposuimus. Sphynx verò Horæa Isin Momphtæam exhibet, vti suprà diximus, Patris & Potentiæ conceptuum executricem: hinc incubitu Leonino calidum & humidum, Sole Leonem & Virginem percurrente, Nilo inundante, mirè roborat, fouet, animat, ad copiosam fœturæ exclusionem. Atque hinc Isis dicitur Momphtæa, quia in quantum humido-calido præest, Momphtæ; qui cum Nilotico Osiri vtplurimùm confunditur, cuius hoc tempore dominium maximè viget, vxor est, seu principium passiuum, in se rerum generabilium semina recipiens.

Horus cur pueris forma exprimatur.

Isis Momphtæa.

Sed cur trias hæc Horæa, in trigono pyramidij latere ponitur? quia hæc trias Horæa ex tribus triadibus, quibus paternum fundum componitur, vna est, immediatè supremi triformis Numinis influxui substans; de qua vide copiosè tractatum in expositione mensæ Isiacæ fol. 94.

Hieroglyphica in quaternis Obel. Sallustiani lateribus eadem. Primi lateris expositio.

Porrò explicata prima Obelisci perioche & titulo, iam ad reliquos ordine hierogrammatismos procedamus; qui quidem cùm in quaternis Obelisci faciebus ijdem prorsùs sint, vnum eorundem exposuisse sufficiat.

In spacio itaque B C E F, simulachrum occurrit, Accipitrinâ facie transformatum, sedi cubicæ insidens, baculo munitum adunco, sinistrâ

quid-

quidpiam ịubere videtur,è cuius regione adgeniculata ſtatua bouinis cornibus, binas ſtatuas Accipitriformi Numini exhibet, quibus Genialis Mundus indicatur, in quem immediatè Horæa trias influit.

Atque per haſce figuras aptè indigitatur Intellectualis ſiue Genialis aut Angelicus Mundus, in quo ſingulorum ordinum Duces ſeu Choragi ſunt, quibus reliqui inferiores ordines ſubijciuntur. Hoc pacto figura E ſubijcitur figuræ F, quod genuflexione ſat teſtatur, mandata eius ſuppliciter expoſtulans. Et ſimulachrum quidem ἱερακόμορφον adunco ſceptro, & nudum ſedi quadratæ inſidens, ſupremum Genialis Chori Principem virtute & poteſtate præpollentem, Accipitrinis oculis omnia luſtrantem, & contra Typhonia mala ſceptro auerruncatiuo formidabilem indicat; manu ſiniſtrâ Genijs ſibi ſubditis nonnihil imperare videtur; cuius diuinam ac præpotentem vim ſubiens E Genius ei ſubditus, mandata ſuppliciter expoſcit; binos Canopulos, quæ erant vaſa oblonga, tumida, & in formam pueri faſcijs inuoluti adornata, præſidi ſuo igneâ vi pollenti exhibet, ea intentione, vt is viuifico ſuo calore humidæ ſubſtantiæ, quæ per vaſa indicatur, animandi poteſtatem concedat, & quod à Genio, E, circa res ſibi commiſſas inceptum eſt, influxu ſuo continuet. Eratque hoc exemplar quoddam rerum à Sacerdotibus in adytis faciendarum propoſitum. Modus operandi ad calcem laterum expreſſus habetur, vti poſtea videbitur.

Atque huiuſmodi figuræ in ſingulis lateribus eædem ſunt, ſi minutiores characteres excipias; hi enim indiſcretâ quâdam religione, ſiue ob ornatum, ſiue ad Deorum attractum facilitandum, adijciebantur.

Sequuntur modò in ſpatio E F N O tres Accipitres, tres Boues, & tres ſtatuæ ſedentium habitu, cum charactere Tautico in manibus ſingularum; in ſingulis lateribus, tres, quæ faciunt 12. Et per tres quidem Accipitres, duodenarius arcis magnæ Geniorum Solarium numerus exprimitur, qui influxu ſuo, dum omnes Mundi duodecupartiti plagas, per quaterna Obeliſci latera (quorum ſingula tres Accipitres continent, & ſimul iuncti duodenarium numerum conſtituunt) indicatas perluſtrant, omnia animant, & ad fœcunditatem incitant. Sequuntur tres Boues in ſingulis lateribus, quibus duodenarius hylæorum Numinum Solarium Elementaris Mundi adminiſtratorum numerus cœleſti duodenario analogus exprimitur. Nam vt alibi me dixiſſe memini, erat Apis ſeu Serapis bouinâ figurâ ſpectabilis, veluti inferioris Mundi Solare quoddam Numen, Oſiris hylæus, qui influxu à cœleſti Oſiride participato, inferiora omnia igneo vigore, iuxta duodecupartiti Mundi plagas adminiſtrabat; hinc aſſeclæ eius omnes figurâ Bouis exprimebantur. De quo fuſiùs in Obeliſco Flaminio, cœteriſque ſequentibus Obeliſcis actum vide. Statuæ verò tres Accipitrinæ Agathodæmonum ſunt tutelarium, quos auerruncationis gratia, & ad Numina memorata maioris ordinis propitianda ponere, & exquiſito cultu, quem feretra monſtrant, proſequi ſatagebat Sacerdotum cerimonioſa induſtria.

Eiuſdem primi lateris reliquæ figuræ exponuntur.

Boues duodecim Obeliſci Salluſtij.

In ſecundo latere B poſt tres Boues ſymbola ſpectantur differentia,

Secundi lateris Obel. Sallustij expositio.

quorum primum est Columba, quantum singulis competit distributionis ad æqualitatem symbolum; statua verò binis Canopulis vtraque manu exhibitis Accipitriformi Numini, quod in Obelisco abrasum est, supplicans, idem significat, quod figura G H, in eodem Obelisci latere; reliqua symbola iam passim exposita sunt.

Tertij lateris expositio.

In tertio latere spacio R S, varia symbola ponuntur, quorum sensus est: *Humidi præses & dominator, beneficentiâ suâ, vitam omnibus, & rerum necessariarum abundantiam præbens, per statuam Agathodæmonum eius ministrorum attrahitur.*

Quarti lateris interpretatio.

In quarto latere spacio T V, quaternæ Accipitrinæ statuæ characteribus Tauticis insignitæ ponuntur, & sunt Agathodæmonum siue beneficorum Geniorum, vti brachia extensa notant, simulachra, quæ ad dicta Numina attrahenda magnam vim habere putabantur.

Vides igitur quomodo ex enucleatis paulò antè symbolis Trias Horæa paterno fundo proxima, eiusque administra, iuxta archetypam rationem primò in Genialis Mundi cœtus, ex his in Siderei Mundi Numina Solaria, & per hæc in inferiores hylæi Mundi Agathodæmones, ordine quodam concatenato influat. Quæ cùm ita sint, iam quomodo eadem Numina in particulares entium gradus influant, quid operentur, quibus ritibus & sacrificijs attrahantur, videndum restat; quod quidem quàm fieri poterit, paucissimis per duodecim paragraphos, iuxta duodecim columnarum series, præstabimus.

§ I.

Columnæ primæ lateris primi Obelisci expositio.

Lateris primi columnæ primæ expositio.

PRimò è regione N Accipiter crateri suo insidens, cum sceptro hircino, & thyrso papyraceo, tribusque terminis, cum segmento sese exhibet, quem piscinæ sacræ figura sequitur cum ijsdem tribus terminis; hanc excipit polymorphus Dæmon, cum thyrso papyraceo, insidens tabulæ sacræ; quorum sensus hic est: *Supernorum Numinum influxu crater Osiridis repletur, fœcundo eius dominio per tres anni stationes rerum necessariarum abundantia ex sacra piscina emanat, polymorphi Dæmonis ope procreata, qui & propitius redditur sequentis sacræ tabulæ positione & cultu, siue prophylactico Momphto-Mendesio.* Cuius mysteria vide in Obelisco Flaminio amplissimè descripta; sunt enim ferè omnia huiusmodi schemata prorsus eadem, cum ijs, quæ fusè in præcedentibus Obeliscis iam exposuimus.

Porrò figuræ è regione Z, sunt tres termini, temo, brachium extensum, ἰβζἄπυεγον, globus cum retinaculo, tribus terminis, & volucre expansis alis volatum affectante; quorum sensus sequitur: *Per prophylacticam Momphto-Mendesij virtutem tres anni stationes beantur; septem planetarum arx magna diuinâ potestate repletur; virtute motus Numinis Solaris, cuius propi-*

pitiationi sequens tabula B *sacra seruit.* Et est Horus ouali figuræ inclusus cum penna in capite, sub cuius pedibus figura Nilometrij. Oualis figura Mundum, vt aliàs diximus, indicat, cujus Mens Horus est, teste Plutarcho, quæ maximè in hoc detineri videtur, vt sufficientem humoris copiam singulis Mundi membris distribuat; quæ aptè per Nilometrium Mundani liquoris symbolum, cui insidet, signatur; eratque Sacerdotibus solenne prophylacticum Horo, quemadmodum sequens Osiri trahendo aptum, cuius interpretationem vide suprà fol. 220. vbi omnia amplissimè exposita reperies.

Deinde è regione C Serpens sequitur, cum claustro Accipitris, quæ vitæ cauea dicitur. Quod vt intelligatur, Sciendum est, Ægyptios Heliopoli in fani porticu Accipitres veluti Osiridi sacros ex arcano religionis instituto coluisse; quo ostendebant, vitam ab Osiride minimè concedi, nisi obsequijs & religiosis sacrificiorum ritibus & cœremonijs priùs veluti deuicto, vinctoque: ex huius enim religionis actu Typhonia Bubo à duodecim magnæ arcis domibus arcebatur; quo facto Chenosiris, id est, Anserinus Osiris triplici Mundo intelligentiarum ope, vitam tribus inferioribus Mundis conferebat, quemadmodum symbola inter C & D inclusa indicant. Trahebatur & idem per sequentia sacræ tabulæ prophylactica; quorum prius E Mendesio-Momphtæum, gnomonem habet cum globo, Crucem ansatam cum litera M, deinde solitas statuas Accipitrinas cum capite Bouis infrà; è regione verò phialam, cui supponitur Nilometrium; quæ symbola hunc sensum exprimunt: *Symmetria Mundi ex influxu Momphtæ & Osiridis in humorem sacrum, & Mundani liquoris substantiam deriuatur terrestri Osiri communicata.* Cæterum sacræ tabulæ prophylacticum literâ F signatum iam fusè paulò antè citato loco expositum est; vbi notandum, Anserem cum Serpente, quem rostro tenet, idem notare ac vitæ Mundanæ custodem. **Accipiter Heliopoli cultus.**

Sequuntur modò è regione G varia minuta symbola vnà cum tribus prophylacticis seu sacris tabulis; quæ cùm in præcedentibus passim exposuerimus, Lector ipsa proprio Marte facilè exponere poterit. Quid verò minores in radice Obelisci imagines sibi velint, postea explicabitur.

Nota Lector, omnia symbola in hac columna à C vsque ad finem exhibita, eadem prorsus esse cum symbolis columnæ primæ lateris secundi Obelisci Flaminij, quæ in eadem incipiunt à litera Y vsque ad finem.

§ II.

Columnæ secundæ lateris primi expositio.

Lateris primi columna secunda.

DVodecadicorum paulò antè memoratorum Numinum influxus primò in Pantamorphum rerum omnium necessariarum largitorem transfunditur, quem primò in secunda columna musca δεκανοτημορφος vnà cum thyrso papyraceo, vt in innumeris locis docuimus, demonstrat; & duobus sequentibus sacrarum tabularum prophylacticis attrahitur; quæ cùm iam fol. 220. exposita sint, non attinet repetere. Ex religioso cultu horum prophylacticorum, prouidentia dictorum Numinum, benefica Chenosiris ope, statuarumque Accipitrinarum influxu portæ aperiuntur domus mundanæ; cuius tabula sacra propitiatoria est sequens è regione B; Horus videlicet puer, id est, Mens Mundi Sensibilis, ouatæ figuræ, id est, Mundo inclusus; quæ omnia innuunt symbola inter literas Y Z A B inclusa. His enim motus sacer Chenosiris trium Mundorum curam suscipit, Typhoniam bubonem ab ijsdem sacrarum cœremoniarum ritibus propulsat, catenæ Typhoniarum potestatum propulsatrices agitantur, D porta domus magna Solis & Lunæ aperitur, sceptra Deorum eriguntur, catena vitæ & prouidentia Osiris per canalem occultum deuehitur in inferius Hori regnum, cui propitiando sequens prophylacticum constituitur; Chenosiris ouali figuræ, in qua hieralpha cum catena, duabus pennis, Horus puer cum Tautico charactere, & hydroschemate continentur; quorum sensus est: *Agathodæmonum catena humidum Hori regnum influat.* Ad quod & operam suam conferant ternæ Chenosiricorum Numinum legiones. Hæc omnia symbolis inter B C D E F G interclusis significantur. Nota Lector, vbi hoc loco tres Anseres ponuntur, in Obelisco Flaminio eodem loco tres Ibides ponuntur. Hæc columna prorsùs eadem est (paucis exceptis, quæ tamen nihil in significatione rerum mutant) cum columna secunda lateris secundi Obelisci Flaminij.

Columna 2. lateris 1. Obel. Sallustij eadem cum columna 2. lat. 2. Obel. Flaminij.

§ III.

Columnæ tertiæ lateris primi expositio.

Columna tertia lateris primi.

SVprapositorum Numinum influxu Genius Solaris anni dominator, tres efficaces potentiæ piscinæ sacræ conseruatores, Pantamorphus rerum necessariarum largitor, attrahuntur mediante sacra tabula sequenti; quæ eadem est cum tab. col. 2. ante citata. Symbola verò sequentia ob rasum corruptumque Obeliscum latent. Sequuntur duæ aliæ sacræ tabulæ, quarum prior A canalem in Mundum deriuatum, Accipitrinam statuam, globum, & serpentem continet, eorumque sensus est: *Canalis crateris Osiriaci simul ac Mundo aperitur, tùm etiam vita Mundo inseritur.*

Alter

Altera B cum Chenosiri suprapositо continet caput Hori, statuam Accipitrinam, cum Cruce Tautica, infra quæ sceptrum incuruum, cum ramo triplici inuerso; quorum sensus est: *Influxus Hori in Solem anni dominatoris anno abundantiam confert; Numinis prouidentia dodecapyrgum ea industria gubernat, vt vterque Mundus superior & inferior, per dodecapyrgon vita & beneficentia Numinum imbuatur*. Ad quæ sollicitanda sequentia duo amuleta iam superius exposita præstant. Quæ quidem omnia ijs symbolis, quæ literis B C D E F continentur, indicantur. Reliqua minutiora symbola pariter signa sunt ad Numinum prophylaxin procurandam constituta.

Nota tamen Lector, hanc columnam extractam esse ex tertia columna lateris secundi Obelisci Flaminij.

Columna hæc extracta est ex columna tertia lateris 2. Obel. Flaminij.

Sed hoc loco maiores figuras exponamus ad radicem Obelisci positas; quæ quidem prorsus eædem sunt cum ijs, quæ intra spatia huius Obelisci superiora B C E F, D E G H, F G I K, H I L M, continentur; hâc solùm positâ differentiâ, quòd figura ἱερακόμορφος siue Accipitriformis, quæ in dictis spatijs sedet, hic eadem stat, tripodem ansatam manu sinistrâ gestans, in cœteris nulla prorsus differentia est. Hoc itaque vt exponatur mysterium, nota, Ægyptios Sacerdotes in adytis suis omnia ad archetyparum rationum, siue supramundanarum Potestatum exemplar, sacrificia sua instituisse; quæ tantò putabantur futura efficaciora, quantò mystico illo symbolorum apparatu exhibebantur ἀναλογώτερα siue veris exemplaribus similiora. Quare vt catenas illas Idealium mentium efficaciùs traherent, in adytis suis horâ & tempore Dijs oportuniore, eo suas actiones habitu adornare consueuerant, vt symbolico Numinum habitui quàm esset simillimus. Hinc seminudi, laruâ Accipitrinâ tecti, sceptris baculisque muniti, manu ansatam tripodem, influxus triformis Numinis indicem gestantes, mystica Numinum munia exhibebant; quibus alij ministri, inferioris ordinis Genios referentes, pariter nudi, ingeniculati aduoluebantur, vasa Deastrunculis similia offerentes; quibus quidem cœremonijs, & laruatâ repræsentatione, nihil ad trahenda Numina efficaciùs esse posse sibi persuadebant. Verùm cùm hæc omnia in Obelisco Flaminio fusè descripserimus, eò Lectorem remittimus.

Sacrificia qua ratione instituerint Ægyptij.

§ IV.

Columnæ primæ lateris secundi expositio.

Columna 1. lateris 2. Obelisci Sallustiani.

TOta hæc columna exscripta est ex prima columna lateris Occidentalis Obelisci Flaminij à K vsque ad Q, vti vnam cum altera comparanti Lectori patebit; atque adeo vtramque ijsdem literis indigitauimus; vnde qui huius interpretationem videre vult, citati Obelisci columnam adeat, vbi omnia exposita reperiet.

§ V.

Columnæ secundæ lateris secundi expositio.

Columna 2. lateris 2. Obel. Sallustiani.

TOta hæc columna exscripta fuit ex columna secunda lateris tertij Occidentalis Obelisci Flaminij, vti vnam cum altera Lector comparare poterit; solâ & vnicâ differentiâ interueniente, quòd hîc præsens Obeliscus rudem & imperitam sculptoris manum sortitus sit, alter verò, videlicet Obeliscus Flaminius, omnium vel minutissimarum rerum sculpturam exactissimam exhibeat; vnde non eodem seculo, multò minùs ab eodem Hieroglypta incisam fuisse, sat superque diuersitas sculpturæ docet.

§ VI.

Columnæ tertiæ lateris secundi interpretatio.

Columna 3. lateris 2.

TOta hæc columna exscripta fuit ex columna tertia lateris tertij, Occidentalis Obelisci Flaminij, vti patebit ei, qui singula cum singulis exactè combinauerit.

§ VII. IIX. IX.

Columna prima, secunda, tertia, lateris Borealis.

Columna 1. 2. 3. lateris 3. Obel. Sallust.

TOtum hoc latus Boreale respondet Meridionali; vt proinde illud explicasse, hoc explicasse sufficiat; explicationem verò habebis in Obelisco Flaminio citatis paulò antè locis.

§ X. XI. XII.

Columna prima, secunda, tertia lateris quarti.

Columna 1. 2. 3. lateris 4. Obel. Sallust.

TOta hæc columna extracta fuit ex prima columna quarti lateris Obelisci Flaminij; & tota columna secunda huius lateris pariter extracta fuit ex columna secunda lateris quarti dicti Obelisci Flaminij; & tertia tota ex tertia columna lateris quarti, vti ei patebit, qui vnum cum altero ἀκριβῶς contulerit.

Consectarium primum.

EX dictis patet, ex hisce duobus Obeliscis, Sallustio & Flaminio, alterutrum ex altero, tanquam ex prototypo quodam, extractum esse. Quisnam verò alio antiquior sit, id certè facilè determinari non potest: verosimilius tamen videtur, hunc ex illo fuisse desumptum, vt suprà etiam innui. Obeliscus Flaminius magnam Sculptoris in genuinè exprimendis imaginibus peritiam præbet; hic verò præsens non adeo peritam manum Sculptoris adeptus est: interdum enim quasdam ita transformat, vt à vero alienæ videantur. Contrà in Obelisco Flaminio omissæ nonnullæ notæ spectantur, vti in trigonis pyramidij caput Hori cum duobus vncinis; quæ vtrum studio omissæ sint, vel vtrum armatura insignium Sixti Quinti eas texerit, nescio. Deinde in figura sacræ tabulæ, quæ vltimum in tribus primis lateribus Obelisci Flaminij locum tenet, post duas pennas Hori pueri figura, quæ in Sallustio Obelisco correspondentibus locis veluti antro cuidam inserta est, in Obelisco Flaminio omissa est. Verùm quid in alterutro Obelisco omissum, quid additum sit, curiosus Lector, sedulâ dictorum Obeliscorum ad inuicem comparatione, meliùs faciliùsque cognoscere poterit, quàm ego vel multis & superfluis verbis demonstrare; vnde binos hosce recensitos Obeliscos, vnum & idem argumentum continere, nobis indicasse sufficiat.

Obeliscus Sallustius & Flaminius ex se mutuo sumpti.

Differentia inter Sallustianum & Flaminium Obeliscum.

Consectarium secundum.

CVm in omnibus ferè Obeliscis similes symbolorum catenæ reperiantur; certum est omnium argumenta Ægyptiorum Theologiam respicere: vnde consequitur necessariò, Obeliscos minimè, quemadmodum multi hucusque sibi persuaserunt, historias & res gestas, laudesque Regum continere; sed plerosq; esse symbola diuinitatis vbique latentis, Geniorumque concatenationis notas, iuxta multiplices Mundorum series exhibitas. Vt proinde mirum non sit, neminem hucusque hieroglyphicorum expositionem attentare ausum fuisse; cuius quidem rei rationem aliam non inuenio, nisi quòd nemo Obeliscos, vti & cœtera Ægyptiaca monimenta ad inuicem ritè contulerit, & figuras cum figuris studiosè combinârit. Quod si, sicuti nos, ita alij fecissent, forsan iam dudum literatura illa arcanior Mundo innotuisset; cùm ex figurarum identitate, ferè in omnibus Obeliscis elucescente, simulachrorumque constitutione, situ, proprietate, cœterarumque figurarum idiotismo, non adeo difficile fuerit, in perfectam significationis omnium notitiam peruenire. Atque adeo iam pridem cessasset illa, tantopere Historicorum torquens ingenia, de vera hieroglyphicæ literaturæ significatione controuersia, dum plerique ferè Herodotum, Diodorum, Plinium secuti, Obeliscos non nisi Historicas Regum veterum commemorationes continere opinati sunt; quod tamen

Obeliscorum hieroglyphica continent Theologiam Ægyptiorum.

men falſum eſſe, ex dictis luce meridianâ clariùs patet. Verùm cùm hæc omnia amplis fuſiſque diſcurſibus tùm in propylæo agoniſtico, tùm in Anacephalæotico vltimo huius Operis Syntagmate, demonſtrauerimus; nè toties iiſdem repetendis tempus terere videamur, Lector ea adire poterit.

FINIS SYNTAGMATIS QVARTI.

FERDINANDO III CAESARI SEMPER AVGVSTO AVSPICANTE
LATVS I AVSTRAL.
BARBERINVM
FRANCISCO CARDINALI
BARBERINO
VICECANCELLARIO

SYNTAGMA V.

OBELISCVS OLIM VERANVS MODO BARBERINVS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO

Cardinali Barberino, S. R. E. Vicecancellario.

PRODIT *tandem*, Eminentiſsime Princeps, *Obeliſcus verè* Tuus, *iam ab aliquot luſtrorum curriculis deſideratiſſimus*. Tuus *eſt, quantus quantus*. Tu *enim primus ab immemorabili eum tempore in agro Verano terris obrutum detexiſti, emiſti, luci tradidiſti; & nè luci iam expoſito, myſtica eiuſdem ſculptura tenebris ſepulta maneret, vel ob vnam hanc cauſam anno* 1635. *è Gallia me in Vrbem, eiuſdem futurum interpretem, accerſiſti; in quo vti primum interpretationis ſpecimen* Tibi *exhibere viſum fuit, ita Obeliſcorum deinceps exponendorum, atque adeo totius huius præſentis Operis prima meritò cauſa, occaſio, & origo fuit. Nè verò ardui mihi impoſiti muneris laboribus cederem*, Tu *continuâ me beneuolentiâ animaſti; Prodromum Coptum ad literarium Orbem mox* Tuis *ſumptibus expediſti; & nè tanti auſus Opus neceſſariarum rerum inopiâ remoram pateretur, Bibliothecam Vaticanam*, Tuamque *propriam reconditorum Codicum, monumentorumque copiâ celeberrimam; ſemper apertam eſſe voluiſti, ad Muſea quoque* Tua *omni antiquitatum genere refertiſſima aditum reſeraſti: vt proinde ſummè ut tantâ beneficiorum congerie obligatum ſentiam. Cedat itaque Obeliſcus hic Barberinus in æternum Nominis* Tui *honorem, & tanquam magnæ mentis* Tuæ *trophæum in nunquam interituros annos, in Orbe literario triumphet. Vale*.

SYNTAGMA V.

Obeliſcus Veranus, ſeu Barberinus.

CAPVT I.

Hiſtorica Relatio Obeliſci Barberini.

Obeliſcus Barberinus in agro Verano repertus.

FRANCISCVS Cardinalis Barberinus cùm Antiquariorum Romanorum neſcio quibus coniecturis, alicubi in Agro Verano nobilem Obeliſcum latere, intellexiſſet, laudabili ſanè conatu nullum non lapidem mouit, vt is inuentus diſcooperiretur. Quod factum fuit anno 1633. Siquidem in vinea quadam, cuius poſſeſſor erat Curtius Saccoccia, eo prorſus in loco, vbi olim Circus Aureliani Cæſaris ſpectabatur, & modò non exigua eiuſdem veſtigia ex ruderibus dignoſcuntur, detectus, erutus, perſolutaque poſſeſſori eius non exigua ſumma pecuniæ, in Palatij Quirinalis, quod Barberinum vocant, aream delatus fuit, vbi & etiamnum in tria fragmenta ruptus perſeuerat. Interea dictus Cardinalis à Nicolao Pereiſcio, immortalis memoriæ Viro, de nouo hieroglyphicæ inſtaurationis, quod moliebar, argumento certior factus, inſtanter cum R. P. N. Mutio Vitelleſco Soc. IESV Generali egit, vt me propediem Romam è Gallia vocaret, eâ ſpe fretus, vt ſpecimine interpretationis in hoc nouiter detecto Obeliſco dato, aliquid ſibi certi de reliquis pari auſu exponendis polliceri poſſet: quod factum fuit. Obeliſcum, mox ac appuli, diligentiâ ſummâ delineatum mihi interpreti aduenæ exponendum tradidit. Verùm cùm ſine præuijs fundamentis in adeo incognitæ doctrinæ demonſtratione, fidem meam vacillare poſſe viderem; poſt Prodromum Coptum, & idiomatis Pharaonici ſiue linguæ Coptæ reſtitutionem, tandem Oedipum adornandum cenſui, in quo, quæ quouis modo ad tam inſolentis Operis conatum pertinere videbantur, ex omnigena Orientalium traditione eruta, ſtabilire contendi, vt ſic tandem multorum annorum lucubrationibus extortus partus eo rerum apparatu, quem opus arduum difficile, & intentatum ſuo veluti iure repoſcebat, lucem aſpiceret; quod Deo dante & Duce factum fuit. Quæ ideo fuſiùs deducenda duxi, vt originem huius Operis, occaſionemque aliam non fuiſſe, niſi præſentem hunc Obeliſcum (quem ideo non incongruè Barberinum nuncupauimus,) poſteri cognoſcerent, eique proinde, cui inſcriptus eſt, veluti primo promotori grates haberent. Verum de primo huius Obeliſci in Ægypto Erectore hæc paucis, noſtrâ coniecturâ, accipe.

Author Romam accerſitur ad Obeliſcum Barberinum interpretandum.

Oedipi Ægyptiaci adornandi occaſio

CAPVT II.

De huius Obelisci Erectoribus.

HVius Obelisci tametsi nullus Scriptor mentionem fecerit, verisimile tamen est, vnum ex ijs octo Obeliscis esse, quos Sothin & Ramessem filium eius in Vrbe Solis erexisse Plinius refert. Verba eius sunt l. 36. c. 8. *Postea & alij Regum in supradicta Vrbe; Sothis quatuor numero quadragenûm octonûm cubitorum longitudine; Ramesses verò, quo regnante Ilium captum est, 40 cubitorum,* alios scilicet quatuor erexit. Octo verò promiscua Regni administratione ab vtroque erectos fuisse, & ex illis quatuor à diuersis Imperatoribus Romam aduectos, in Obelisco Pamphilio fol. 58. ostendimus, videlicet CampoMartium horis demonstrandis destinatum ab Augusto; Sallustianum, teste Ammiano Marcellino, à Claudio; Pamphilium à Caracalla; & hunc Barberinum ab Aureliano; reliquis adhuc in Ægypto remanentibus. Hunc autem vnum ex quatuor Romam aduectis esse, hâc coniecturâ ducimur, quòd cœterorum Obeliscorum erectores ex Historicis nobis constent, de hoc autem nulla apud Historicos mentio fiat, atque adeo verisimile sit, hunc inter quatuor recensitos vnum esse, quem Aurelianus Cæsar inter quatuor istos minorem, cùm alius non suppeteret, Circo suo, prædecessorum suorum exempla secutus, intulerit. Nam vt citato loco ostendimus, cùm nullus olim Circus Obelisco careret, Circus autem Mundi figuram, & in eo Obeliscus Solem seu animam Mundi exhiberet; verisimile videtur, nè Circus Veranus hoc mystico symbolo careret, ab Aureliano hunc inter superstites Vrbis Obeliscos, & necdum erectos, maiorem, Circo suo illatum fuisse. Sed de his, vti dixi, vide citatum Obelisci Pamphilij locum.

Obelisci Barberini erector Sothis & Ramesses.

Obeliscus Barberinus in Circo Verano ab Aureliano erectus videtur fuisse.

Est autem hic inter mediocris ordinis Obeliscos, minimus; 66. palmorum longitudinem, 5 ad basin latitudinem obtinens; temporum iniurijs multis in locis variè corruptus, vti ex ectypo eius patet. Figuræ vbi integræ sunt, adeo ad viuum sunt insculptæ, vt nostris hisce temporibus insculptus videri posit.

Obelisci Barberini magnitudo.

CAPVT III.

Argumentum Obelisci Barberini.

QVemadmodum singulos Romanæ Vrbis ex Ægypto olim abductos Obeliscos, ab ijs locis, in quibus posteris temporibus vel erecti sunt, vel confracti adhuc iacent, appellamus; vt à porta viaque Flaminia, Flaminium; & Lateranensem ab Ecclesia, cui imminet Lateranensis &c. ita Obeliscum, quem Eminentissimorum Barberinorum Palatio adiacentem hîc spectandum proponimus, meritò BARBERINVM appellare licuit; Obeliscum vti omnigenâ figurarum varietate admira-

Obelisci Barberini argumentum.

Obeliscus Barberinus cur ita dictus ab Authore.

 bilem,

bilem, ita præ cœteris omnibus cumprimis mysteriosum, ac reconditori symbolorum literatura refertum.

Quibus Numinibus dicatus.

Erectus est is à priscis Ægyptiorum Sacerdotibus ac Hieromantis, supremo Numini (quem παντόμορφον vocat Trismegistus, & Plato, alij Osiridem, aut Mythram Ægyptium, alij Animam Mundi, similibusque nominibus ἰσοψήφοις nuncupant) & 48. Genijs Mundi, dicti Numinis ministris, & Vniuersi veluti præsidibus, Quod vt intelligatur,

Stationes Deorum 48. ab Ægyptijs notatæ in Cœlo. Aratus. Hyginius. Plutarchus. Mundi latus Australe & Boreale.

Nota Ægyptios 48 Deorum stationes, quas Græci eos secuti postea ἀστερισμοὺς seu constellationes vocarunt, in Cœlo obseruasse, quas ex eorum instituto recitat Aratus & Hyginius, & nos in Astrologia Aegyptiorum, duobus Hemisphærijs exhibuimus; quorum 24 ponebant in Hemisphærio Australi, totidemque in Boreali. Australe Plutarchus vrnam lucis, Osiridis regnum, dextrum Mundi latus, salubre ac beneficum vocat; quod & primum in hoc Obelisco latus indicat, in cuius primo loco Osiris Accipitrino capite spectabilis, vti postea videbimus, occurrit: oppositum verò huic Boreale, sinistrum Mundi latus, maleficum, veneficum, fœmininum, tenebrarum originem, Arimanij seu Typhonis regnum ex Aegyptiorum mente vocat; & 24. Numinum Osiridis ἀντιτέχνων stationem habet, quorum & mentionem facit Damascius, vt est apud Bulengerum

Bulengerus.

in Astrologia Chaldæorum, vbi ita loquitur: *Post Zodiacum circulum, alias 24. siderum stationes definiunt; quorum alteram partem ad Boream, alteram ad Austrum collocant, æque siderum numero, quæ sub aliorum sensum cadunt, in lucida regione viuentibus assignant, quæ aspectum fugiunt, in tenebrarum regno mortuorum esse volunt, atque hos vniuersi ordines constituunt. Hæ itaque vnà cum Sole eas annuà reuolutione perlustrante, pyramidibus actionumsuarum παραλλήλως obuersis, magnarum passim in hoc Mundo mutationum sunt causæ.*

Ouum Zoroastræum.

Atque hoc est Ouum illud Zoroastræum, id est, Mundus, in quo Orimazes 24 Deos, & Arimanius totidem ἀντιτέχνους condidit, bonorum malorumque commistionis causa. Fabulam vide apud Plutarchum lib. de Osiri & Isi, & fol. 176. Obelisci Pamphilij fusiùs pertractatam; quod & Chaldæi sub sequenti typo exhibuerunt.

Obeliscus Barberinus continet 48. stationes Deorum.

Ægyptij verò in hoc Obelisco in singulis Obelisci quaternis lateribus 48. Geniorum, quà beneficorum, quà maleficorum, stationes exhibent, ita vt singula latera eorum duodecim contineant, quæ per totidem stellas in singulis singulorum laterum frontibus indicantur; nihilque aliud sunt, quàm stationes Deorum, quas nos suprà in Astrologia Ægyptiorum duobus Hemisphærijs ad mentem Veterum exhibuimus; his enim Ægyptij putabant, omnia quæ in Mundo sunt, subijci, hisce omnia administrari, omnia contineri.

Argumentũ Obelisci Barberini. Pantamorphum Numẽ & 48 Genij ministri.

Continet itaque OBELISCVS BARBERINVS primò Pantamorphi Numinis, & 48. Geniorum Mundi eius ministrorum effectus & operationes, notis hieroglyphicis expressas, quas mediantibus quatuor primis naturis seu elementis in inferiori Mundo exercent.

Secun-



Secundò, in huius Obeliſci hieroglyphicis Syntagmatis implicitè quoque docetur, quibus ſacrificijs, adiurationibus, cœremonijs, ſinguli dictorum Geniorum alliciendi, coniurandi, & in ſtatuas compingendi ſint. Item quibus inſtrumentis, aut ſupellectile in ſacris vti, quaue ex materia ſtatuas illas certis in locis τετελεσμένας, quas στοιχεῖα Græci vocant, conſtruere debebant, vt rebus Geniorum proprietatibus κατὰ τὴν ἀναλογίαν adaptatis allecti, vocitantibus Magis faciliùs obſequantur.

Ritus & cœremoniæ quibus placandi.

Ratio figurarum magicarum.

Tertiò quibus amuletis, phylacterijs, periaptis, ad malorum omnium auerruncationem, felicitatemque conſequendam cùm publicè, tùm priuatim quiſque illorum Geniorum colendus ſit & inuocandus. Quæ omnia ſub artificioſa ſymbolorum architectura hoc in Obeliſco propoſita continentur: quorum aliqua eximia in naturali Philoſophia ac Theologia Veterum pandunt myſteria; alia Magicis & ſuperſtitioſis artibus inuoluta, vtpote Dæmonibus occultè ſeſe eorum operationibus immiſcentibus, cœcis mentibus feneſtram paſsim ad omnem impietatem, iterque ad totius perditionis præcipitium aperuêre. Quæ tamen omnia eâ cautelâ & circumſpectione à nobis explicabuntur, vt nec ſcandalo tenerioribus mentibus hæc noſtra interpretatio eſſe poſſit; nec præferfidis curioſiſque ingenijs antiquorum Magiam addiſcendi detur occaſio.

Ratio amuletorum & phylacteriorum quibus colendi.

Diabolus ſe miſcuit Magiæ naturali.

Authoris ſcopus in Obeliſci interpretandis.

Quin

Quin potiùs futurum speramus, vt sicuti huius, ita omnium aliorum Obeliscorum, quorum enodationem molimur, ope, vtpote arcanis Ægyptiacæ, Pythagoricæ, Platonicæ, Chaldaicæ, Persicæ Theologiæ penetralibus reclusis; Antiquorumque detectis ac refutatis superstitionibus, omnes nostri temporis artium suspectarum, totiusque κατοπτηχνίας officinæ, fraudibus & imposturâ Dæmonum ostensâ, suapte sponte corruant. Atque hic noster primarius finis & scopus in hoc Opere censendus est.

CAPVT IV.

Breuis quatuor primorum & principalium Obelisci Systematum interpretatio.

Finis & intentio Obelisci erecti.

ANte omnia sciendum est, finem & intentionem eorum, qui hunc Obeliscum erexêre, fuisse duplicem. Prima fuit, vt hisce profundissimæ sapientiæ suæ apud posteros relinquerent veluti μνημόσυνον, ac solertium animorum τεκμήριον quoddam, totamque posteritatem in primæuæ Sapientiæ admirationem deducerent.

Altera intentio fuit, vt hac veluti prophylacticâ quâdam imagine ab eo loco vel regione, in qua erectus erat, omnia sinistra & infortunata auerruncarent; quod quidem fiebat vel attractione Geniorum Mundi bonorum, vel fugatione noxiorum, quos bonis rectà oppositos credebant, Geniorum.

Genij 48 Mundi sub figura 48 stellarum. Asterismi 48 in Obelisco Barberino.

Quo præsupposito explicationem Obelisci felicibus auspicijs aggredimur. Ac primò quidem in fronte Obelisci supremo loco sese offerunt 48 stellæ, πεντακτινοειδεῖς seu quinqueradiales, eâ proportione lateribus incisæ, vt latera singula earum comprehendant 12. Quo hieroglyphico schemate antiqua sapientia indigitat 48 vultus, qui 48 cœli vultibus, seu Asterismorum imaginibus (nam, teste Haly Rhodan, Ægyptiorum antiqui Astrologi tot in Mundo cœlesti vultus, quot in Elementari entium gradus sunt, ceu vultus terrestres cœlestibus substantes, descripsêre) ἀλλήλοις respondent. Quorum omnium proprietates, officia, actiones, influxus, rationes mysticas, & cur cuique stellæ quinque radios attribuerint, fusè tùm dicemus, cùm particularem singularum notarum declarationem pandemus; nunc ea tantùm obiter indicasse sufficiat. Atque hi sunt 48 Genij præcipui totius naturæ præsides, in quatuor veluti δωδεκάδες cuspidatim eâ ratione ordinati, vt singulæ Geniorum δωδεκάδες singulis Mundi partibus & Elementis subiectis, iuxta analogiam proprietatum vtrisque communium, aptè respondeant.

Præcipui naturæ præsides.

Schematismi hieroglyphici quatuor elementorum.

Porrò cùm Mundi anima παντόμορφος per astra seu Genios cœlestes in inferiora agere non possit sine medio; sub ipsis stellis, quæ Geniorum symbola diximus, Ægyptij immediatè schematismos hieroglyphicos quatuor primarum naturarum, seu, Elementorum, è quibus quicquid in Mundo Sensibili est, componitur, quæque sunt veluti prima obiecta, subiecta-

iectabè, in quæ dicta Mundi anima cùm per Aſtra & Genios cœleſtes; tùm per propria ſibi Numina elementaria, in Mundum inferiorem agit, non incongruè poſuerunt.

SCHEMATISMVS I.

Genius Ignis.

AC primò quidem, quâ ratione, & quid Anima Mundi per Genios Solares ſeu igneos operetur in natura inferiori; quibus item ſacrificijs ac cœremonijs, diſpoſitionibuſque præuijs ea allicienda ſit, docet ſequens hieroglyphicum ſchema in Obeliſco ſignatum litera A, quod plagam reſpicit Meridionalem qualitate ei conformem. A

Vbi Oſiris ſeu Anima Mundi ἱερακόμορφος ſiue Accipitrino capite laruata, ſellæ quadratæ inſidens, dextrâ baculum κυκυφοκέφαλον, hoc eſt, Vpupæ capite inſignitum; ſiniſtrâ ſigillum Tauticum, ſiue Crucem anſatam; capite ſphæram, è cuius cauitate Serpens emergit, geſtat. Quæ omnia ſymbola ſunt, vti ex omnigena doctrina fusè in præcedentibus oſtendimus, virtutis & efficaciæ, quam Mundi Anima, miniſtrorum ſuorum ope, ac mediante ignis elemento, in Mundo exercet. *Syſtema rituum Genio igneo faciendorum rationem demonſtrans.*

Ac per Accipitrem quidem, auem igneis oculis coruſcam, celerem, viuacem, ardui præcelſique volatus, ſingulas ignis tam cœleſtis, quàm elementaris proprietates ſymbolicè connotant. Per baculum κυκυφοκέφαλον, tùm Regiam poteſtatem, tùm rerum vi caloris in Mundo productarum varietatem, criſtâ Vpupæ omnigenâ colorum varietate imbutâ ἱερογλυφικῶς præfiguratam; Per anſatam Crucem, quæ è duobus, circulo videlicet & Cruce coaleſcit, motum Phta, videlicet Animæ Mundi, omnia quæcunque in Mundo ſunt artificioſè diſponentis, denotant. Ac per circulum quidem corporum cœleſtium circularem motum, quo ea quadantenus animat, & ad influendum in inferiora apta reddit: per Crucem verò ſeu decuſſatas lineas, motum quem in inferiori Mundo ad generationes & productiones rerum,, iuxta elementarium corporum conditionem, peragit, ſignificant: eſt enim ſublunarium rerum motus iuxta rectas lineas, vti in motu grauium & leuium, vel mediâ naturâ conſtantium, apparet; quorum illa partim deorſum, partim ſurſum πρὸς τὰς ὀρθὰς delata; hæc à grauitate & leuitate vtrinque ex æquo participantia mediam naturam nacta, & in latera veluti diffuſa, appoſitè decuſſatas Crucis lineas exprimunt. Atque hoc vnico charactere ob dictas rationes totius naturæ proceſſum non inconuenienter connotant; quare & hunc characterem quoque omnium hieroglyphicorum reputabant myſterio- *Quid per caput Accipitris ſignificetur. Quid per baculum κυκυφοκέφαλον. Quid per anſatam Crucē. Myſteria grandia Crucis anſatæ.*

ſterioſiſſimum, eumque vim præ cœteris maximam, cùm ad Genios bonos alliciendos, tùm ad faſcinandos malos, obtinere arbitrabantur: hinc ſalutis ſymbolum, faſcinum maximum, monogramma Phta, alijſque nominibus inſignientes, in omnibus Obeliſcis, ſtatuis, tabulis, inſculptum ponebant. Tempus me deficeret, ſi omnia huius characteris myſteria modò declarare vellem; quare qui plura deſiderabit, conſulat Obeliſcum Pamphilium, in quo de eo integro tractatu, & Cap. 5. Prodromi noſtri Copti ſeu Ægyptiaci, vbi pariter multis de eo egimus. Nunc ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Per circulum porrò, è cuius profundo Serpens emergit, vim illam diuinam rerum conſeruatricem vbique latentem, ſeu ſpiritum vitali calore intus cuncta alentem, & magno ſe corpore miſcentem, innuunt. Per ſedem quadratam, conſtantiam actionum indeficientem in omnibus denotant; per ſedis verò baſin quintuplici anſatæ Crucis charactere inſignitam, quinque ſubiecta, in quæ potiſſimùm vim ſuam exerat, ſignificare volunt: quæ ſunt lapides, metalla, plantæ, animalia, rationalia. Atque hæc quoad Animæ Mundi, ſiue Genij Solaris ſeu ignei ſymbola. Quæ quidem omnia clariùs innoteſcent, vbi ſingula congruis teſtimonijs authoritatibuſque ſtabilientur.

Quid per circulum in capite Idoli.

Quid per ſedem quadratam.

Sacerdos Iſiacus linteatus.

E regione Idoli Pantamorphon referentis, ſeſe offert figura Sacerdotis Iſiaci, linteati, geſtu precantis, dextrâ ſtatuunculam tenentis, & inſigniti tutulo vario, quem nos, à Serpentibus hinc inde ceruicem arduam ſubrigentibus, à ſphæra media, à flamma vtrinque euentilata, & pennarum faſtigio, vnicò vocabulo conſultò nominare voluimus tutulum ὀφι-κυκλο-φλογο-πτερόμορφον; quo hieroglyphico ſchemate nihil aliud denotatur, niſi ratio ſacrificiorum, quæ Sacerdotes & Hieromantæ ad Solares & igneos, ſicut omnes alios, Genios placandos, alliciendoſque, in adytis ſuis varijs cœremonijs ritibuſque, vti iam ſæpius dictum eſt, peragere ſolebant. Ac per lineum quidem habitum, ſummam eorum, qui ſacris præeſſe debebant, puritatem ad placationem Deorum requiſitam, denotant. Per ſtantis verò & precantis ſitum, ſeriam & conſtantem, deuotamque in ſacris obeundis voluntatem. Per ſtatuunculam verò homunculi adorantis ſpecie, quam manibus geſtatam Genio Pantamorpho è regione conſidenti quaſi offerre videtur, denotatur, quomodo, aut quibus cœremonijs, aut quarum rerum commiſtione imagines & ſtatuæ τετελεσμέναι, ſiue in alios vſus conducentes, conſtruendæ ſint, aut Genio præſentandæ, vt ſpiritu animata diuino vim impoſterum obtineant contra malorum incurſus prophylacticam; de quibus omnibus Magiam hieroglyphicam conſule. Tutulus autem quem capite ſuſtentat, ὀφι-κυκλο-φλογο-πτερόμορφος, indicat proprietates Animæ Mundi, ſeu virtutes, quas cognitas habere oportet, vt ijs rebus ἀναλόγως adaptatis ſacrificuli Deos faciliùs alliciant; & ideo capiti imponitur Sacerdotum, ad innuendum ſacrificia huiuſmodi ratione & intelligentia perficienda; nihil enim Dijs magis placere credebant, quàm totius mentis & intellectus ad Deos cognoſcendos, honorandos, ſibique quouis modo vniendos ſeriam & conſtantem applicationem; cuius actionis veluti ſymbolum erat, vti diximus,

Tutulus ὀφι-κυκλο-φλογο-πτερόμορφος.

Lineus habitus quid denotet.

Stantis ac precantis ſitus quid denotet.

Tutulus quid ſignificet.

nus, tutulus ille multiformis. Ac per circulum quidem, seu Orbem me- Circulus.
dium immensam diuinitatis maiestatem; per flammas, vim peruadendi Flamma.
subtilem; per Serpentes, vitalem fœcunditatem; per pennas, in succur- Serpens.
su promptitudinem, in agendo celeritatem, in dignitate denique supre- Pennæ.
mam excellentiam, veluti tacitâ quâdam hymnodiâ confitentes signa-
bant. Columna denique cupella ignis media Osiridem inter & Sacer- Columna cũ cupella ignis.
dotem Isiacum, sacrificia significat igneo Genio fieri solita, sine igne ne-
quaquam perficienda; delectatur enim eo Genius ignis tanquam re
consimili, sicuti omnibus alijs rebus ipsi analogis, vt antè insinuauimus.

Est igitur totum hoc schema nihil aliud, nisi sacrorum Solari seu Genio igneo fieri solitorum arcana per hieroglyphica symbola repræsentatio, quod primo loco veluti epigraphen quandam, quâ quid in sequenti hieroglyphicorum Syntagmate contineretur, indicarent, ingeniosè posuerunt. Sed hæc de præsenti schemate dicta sufficiant; quarum expositionum authoritates cùm passim hoc in Opere adduxerimus, reiterandas non duxi.

SCHEMATISMVS II.

Aëreus Genius.

Porrò secundum schema præsens, respicit plagam Orientalem, aëreo Genio analogam, continetque ritus & cœremonias, quibus in sacris eorum aëreus Genius placandus alliciendusque. Ac Idolum quidem seu imaginem Numinis aërei refert homo A, quadratæ sedi insidens, tutulo κυκλοπτερομόρφῳ, hoc est, ex circulo & pennarum fastigio constante insignitus; tenet autem dextrâ ansatam Crucem, læuâ thyrsum lini.

B
Secundum schema est repræsentatio rituum aereo genio faciendorum.

Ac per hominem insidentem sedi quadratæ, ac tutulo pennato insignem, indicatur Genius aëreus; tutulus pennatus eius in aërem dominium, circulus eum Vniuersi fulcimentum esse denotat. Per thyrsum lini aër quoque denotatur, habet enim florem cœruleum aëri similem, teste Plutarcho. Multa alia egregia in hoc thyrso lini mysteria considerabant, quæ alibi explicabimus. Quare ad Sacerdotis Isiaci B symbola nos conuertamus. Tenet ipse manu sinistrâ ansatam Crucem, ad faciliùs propitiandum Numen; dextrâ gestat phallum oculatum Osiridis, fascinum illud præpotens in nullis non sacris adhibitum, quo Osiridem Pantamorphum moueri credebant, ad mala auerruncanda, vt ab alijs rebus, ita ab aëre, quæ à Typhonijs spiritibus ei immitti solebant. Per mensam F denique, in qua præter oua, lecythi quoque cum ramo oleæ posita videntur, significant,

Lini mysteria

Phallus oculatus.

Mensa sacra

F

aëreò Genio non ſacrificandum niſi rebus aëreæ naturæ; gaudet enim ijs Genius aëreus, veluti rebus ſibi analogis. Ouum enim præterquàm, quòd aëreæ ſubſtantiæ ſit, aëris quoque ſphæram perfectè æmulatur; & quaſi ſemen eſt aërearum animantium. Oleam quoque aëream eſſe notius eſt, quàm vt dici debeat. Lecythi verò ſeu vaſa oleo plena adhibebantur in ſacris cœremonijs, vel in lampadum accenſarum, vel in Idolorum co perlinendorum vſum. Flos verò loti columnam menſæ ambiens ſignificat, ſacrificia ad exemplar naturæ peragenda. Quæ omnia fuſè & variè ſuis locis demonſtrata ſunt. Quare hæc de ſecundo Syſtemate ſufficiant.

Ouum quid referat? *Olea.* *Lecythi.* *Flos loti quid.*

SCHEMATISMVS III.

Aquæ Genius.

Schema rituũ aqueo genio perficiendorũ rationem declarans.

Tertius ſchematiſmus in Obeliſco ſignatus litera C, reſpiciens plagam Occidentalem humidam frigidam, rituum aqueo ſeu Lunari Genio faciendorum rationem demonſtrat.



Eius ſymbola ſunt Ibimorpha facies (Ibis enim auis Nilotica) ſextilis Lunæ cornua capite fulciens, quibus in aquam oſtenditur dicti Genij dominium, quæ iuncus Niloticus confirmat cum rana ſtagnantis Nili filia; quorum myſteria omnia cùm in præcedentibus expoſita ſint, prætergredimur; quare ijs relictis ad Sacerdotem Iſiacum D progrediamur. Eſt is fœmineo habitu indutus, manu dextrâ vas Niloticum, cum malo & velo Baridis ſacri nauigij, tenens; quibus ſibi proſperari volebant aquas, Nilum, ventos, nauigationem, ſimiliaque. Menſa verò intermedia Canopis, vaſis Niloticis, alijſque Nili ſymbolis referta monſtrat, Genio aqueo ſacrificia ſine liquore Nili non peragenda; hiſce enim eum trahi putabant. Hinc ſacram lympham Nili non Canopis tantùm, ſed & alijs vaſis incluſam ſinguli domi ſuæ ad luſtrationem expiationemque, teſte Plutarcho, tenebant. Hinc brachium illud H, cum vaſe quod manu tenet, Menſæ impoſitum ad ripas Nili, veluti auerruncatiuum ponebant, Oſiridis brachium ſymbolicè denotantes. Totum igitur ſchema hoc hieroglyphicum nihil aliud ſignificat, niſi aqueo Genio ſacrificandi rationem. Quod & Ibis, & Luna ſextilis, & iuncus Niliacus cum rana, & vas Niliacum, & Baridis ſacræ nauis veſtigia, vnà cum menſa Canopis, ſympulis, alijſque vaſis referta, teſtantur. Lector figuram hanc in Obeliſco inciſam, omnia exactiùs exprimentem conſulat, quæ primum locum A B in primo latere occupat. In hoc enim ſchemate ſculptoris incuriâ nonnulla omiſſa ſunt.

Ibis, Sextilis Luna. *Thyrſus Niloticus, Rana.* *Vas Niloticũ Baridis malus.* *Menſa ſacra.* *Brachium Oſiridis.*

SCHE-

SCHEMATISMVS IV.

Terræ Genius.

QVartus schematismus respiciens plagam Septentrionalem in Obelisco sequitur, & monstrat, quibus ritibus, aut quarum rerum exhibitione Genius terræ, seu Isis attrahenda sit. Schematismum sequentem, cùm in Obelisco nostro media ex parte abrasus sit, ex tabula Bembina depromentes mutuati sumus, & est media figura in tabula Bembina, quæ hoc loco refert Isidem Genium terræ, seu magnam Matrem; quæ omnia indicantur per calathum capiti impositum cum spicis, & tutulo floreo, & cornibus bouinis. Item per mammam turgentem; est enim Isis apud Ægyptios idem quod terra, teste Plutarcho. Ei spicarum & agriculturæ tribuitur inuentio; quæ aptè per calathum spicatum, & Taurina cornua significantur. Mamma turgens ostendit eam rerum omnium nutricem. Atque hæc quoad symbola Genij terræ, quæ in dicta tabula fusiùs explicata sunt. Schema terræ sacrificandi rationem proponens. Isis Genius terræ. Symbola eius calathus spicatus, & cornua bouis.

Sacerdos verò fœmineo habitu manu dextrâ tenet monogrammata, quæ sunt Phta & Μὼθ: illo significant Animam Mundi; hoc terræ Genium, seu ipsam terram; referunt autem actiones Phta in terram. Porrò quid tutulus ille polymorphus, quid Crux, sedes, aliaque symbola significent, iam sæpe dictum est. Hoc vnicum benè notandum, per habitum fœmineum Sacerdotum significari Elementa fœminina, per masculinum masculina. Hinc ob dictam causam Sacerdotes igneo & aëreo Genio sacrificantes masculo indumento vestiuntur; aqueo verò & terrestri, fœmineo; sunt enim illa Elementa masculina, hæc fœminina. Ex quo patet, quàm nihil in huiusmodi hieroglyphicis Syntagmatis Sacerdotes sine mysterio posuerint. Atque hæc sunt quæ in hisce quatuor schematis breuiter explicanda censuimus. Monogrammata Phta, & μὼθ. Habitus fœmineus Sacerdotum.

CAPVT V.

Interpretatio primi lateris Meridionalis.

NOta Lector, ordinem laterum in hoc Obelisco non se consequi, prout in Obelisco ordine incisi sunt, vitio Calcographi; sed iuxta numeros I. II. III. IV. pyramidij lateribus incisos. Ita vt primum latus huius Obelisci, non primum, sed tertium esse censeatur, prout inscriptio docet: *Latus primum meridionale*: De quibus primò te certio- Laterum ordo in Obelisco Barberino.

tiorem reddere volui, ne primò Obelisci intuitu confunderetis?

Primum itaque latus huius Obelisci meridionale, est vitæ, caloris, & totius humoris principium, prout primus Hierogrammatismus AB, suprà expositus, sat superque suis appropriatis symbolis demonstrat. Post quem deinceps latus in duas columnas, vti & omnia cœtera latera, diuiduntur; quorum explicationem iam molimur, à columna C disceptationis nostræ initium ducturi.

NOTA

Latus primũ Meridionale Obel. Barberini.

In lateris primi Meridionalis schemata, quæ stationes Deorum Meridionalium continent.

Explicat stationes 48. Deorum, eorumq; effectus.

EXplicat hoc latus stationes Deorum, qui influunt in bonum agriculturæ, iuxta physicum, mysticum, & anagogicum sensum intelligendæ; & quibus cœremonijs attrahendi sint, & placandi in vtilitatem hominum; item quos effectus operentur in inferioribus Mundis. Sex autem in qualibet columna exhibentur Genij, quibus ad dictum bonum consequendum honorem cultumque summo studio & cura exhibebant, Omphtæ, Isi, Api, Momphtæ, Nephtæ, Horo, seu Harpocrati, vti ex interpretatione patebit.

Genij sex in qualibet columna Obel. Barber.

C

Palæ duæ, figura humana stateram & radium mensoriũ tenens.

In prima itaque columna, è regione C, spectantur duæ palæ, agriculturæ instrumenta, vnà cum figura humana vnâ manu stateram, alterâ radium mensorium tenente, & Numen denotat, quod Omphta vocant, teste Plutarcho, & erat beneficum Numen, quod vnicuique iuxta leges iustitiæ, quod suum erat, tribuere credebant, cuius symbola sunt, statera & radius mensorius; cuius festum celebrant mense Paophi, hoc enim mense post inundationem Nili huius Numinis maximè beneficia recognoscebant, vt proinde non incongruè illud inter Zodiaci duodecim signorum Præsides vnum adnumerârint; de quo fusè egimus in Astrologia, & in anni Sothiaci descriptione, ad quam Lectorem remittimus.

§ I.

Columna prima lateris primi Obel. Barber.

Columnæ primæ, lateris primi expositio, & continet stationes Geniorum Omphtæ, Ammonis, Osiris, Anubis, Momphtæ bonorum terrenorum affluxu fæcundas.

Agriculturæ Genius.

C

PRimâ itaq; figurâ per duas palas, & Omphtam statera & radio mensorio instructum nihil aliud indicatur, quàm agriculturæ Genius bonorum terrenorum affluxum præstans, hylæisque mundis omnia ad mensuram & iustitiæ æquitatem commensurans. Hic est, qui damna-

Typhonia Solis & Lunæ, suâ virtute superat, quod vel nimio calore exustum, irrigans, vel quod nimio humore suffocatum, exsiccans, omniaq; ad mediocritatē quandam reducens: quæ sanè aptè indicantur per Noctuam & Coturnicem, quarum illa Typhoniam vim adustiuam & perniciosam siccitatem, in Sole; hæc in Luna nimiam humoris affluentiam, seu vim quandam suffocatiuam, significat, quam vtramque Omphta superat, nimiamque humiditatem calore, vti & nimiam siccitatem humore ad mediocritatem reducto temperat, dominio in Solem & Lunam potens, vti bina sceptra è regione, D, ostendunt, quorum prius Luniforme, in Lunam, alterum Accipitriforme in Solem dominium notat, qui sunt inferioris Mundi, vt segmentum immediatè sequens notat, moderatores. Verùm de Noctua & Coturnice vide in proprijs Hierogrammatismis in Obelisco Pamphilio tractatum, & Horum l. 2. c. 24. Quia verò tellus horum omnium operationibus subiecta est, hinc statim supposuerunt Isin sedentem velato vertice conspicuam; in manu sinistra baculum Cucuphomorphum tenentem pingunt, quo indicatur, eam esse cooperatricem Mophtæ, & varietatis rerum causam in tribus inferioribus Mundis, animali, vegetali, & minerali, influxuque à Momphta in dictos Mundos iuxta iustitiæ normam dispositio, esse conseruatricem; quæ aptè per hæc symbola △○○○△ è regione Isis posita indicantur. Quia tamen benefica Numina nil efficere putantur nisi perpetuâ cultus religionisq; obseruantiâ sollicitata; hinc Sacerdotes E, mense Paophi in adytis semina spargentes, fundum paternum ex tribus triadibus compositū inuocantes, fœcundum totius prouidentiæ Numen, totius naturæ ignem à quo omnia progenita, situ corporis in mysticum numerum eidem competentem composito conformati, deinde, manibus post terga depressis, & ingeniculati sollicitabant: quæ omnia exactè per symbola, tres globos & duas figuras πυραμιδοειδεῖς significantur. Sed audiamus Damascium in sua Theologia sic disserentem: Ἱερεῖς καὶ μύσται ἐν τῇ τοῦ μηνὸς Παωφὶ ἐν ἀδύτοις σπέρματα προβάλλοντες βυθὸν πατρικὸν, καὶ Ἀμμῶνα τῆς πάσης φύσεως, καὶ πολυτοκίας προστάτην ἐπικαλοῦνται· καὶ τούτοις σημαίνουσι, πάντα ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἑνὸς γεγονέναι. *Sacerdotes & Mystæ in adytis mensis Paophi principio semina proijcientes, fundum paternum, & Ammon totius naturæ & fœcunditatis præsidem inuocant, innuentes hoc ipso, ab vno igne omnia progenita esse.* Hinc appositè ponunt è regione E tres figuras quasi spargentes semina. Sed cur tres pingunt? videlicet ad arcanè significandum tres triades, ex quibus fundum paternum componebatur, teste Zoroastro, de quo vide in Sphynge mystagoga fol. 147. & in expositione tabulæ Bembinæ; & significantur per figuram immediatè Sacerdotibus suppositam, cum tribus triadibus hoc pacto . III. III. III. paterni fundi, tribus triadibus compositi, notis: quas sequitur phallus oculatus, Numinis fœcundi omnia prouidentis symbolum, vt iam sæpe dictum fuit, & globus, ex quo binæ flammæ ventilantur; quæ omnia ab vno igne, quem Amun dicebant, progenita notabant. Sequuntur duo vestigia pedum, quibus superponuntur duo Rhomboides, & Serpentes; sequuntur item triangulum rectangulum cum duobus Rhomboidibus, catenâ, pennâ, phylacterio vasis Nilo-

D Sceptrum Luniforme & Accipitriforme.

Horus. Isis sedens velata, baculum tenens.

Duæ pyramides, & tres circulares figuræ quid denotent.

Damascius.

E

Paterni fundi tribus triadibus compositi nota.

F Vestigia pedum cum Rhomboidibus.

Nilotici; quibus indicatur, occulto Deorum memoratorum progressu agrorum influxum promoueri, vitam concedi, catenam phylacterio Nilotico obtineri. Occultum verò Deorum progressum per humana vestigia signari, Plutarchus docet, qui Isidem nil aliud quàm prudentem naturæ progressum dicit notare, cui & ideo semper duo pedum vestigia, vti ex varijs Romanis superstitibus marmoribus clarè patet, addebantur. Agrum autem, seu τὴν ἄρουραν, per quadrangulũ signari, docet Horus l. 1. c. 5. vas verò Niloticum appendiculo ligatum, notat phylacterium Nilotico Numini propitiando aptum; hinc, vti Plutarchus ait, in pompa Isidis, vas aquarium præcedebat, cuius & figuram Sacerdotes manibus, collo, pectori affigebant. Sed hæc, & reliqua symbola passim alibi exposita sunt. Sequuntur sequentia symbola, vbi Isis denuo velata quasi sedentis positu binis sceptris & pala spectatur, quam tres termini cum sceptro incuruo, & Scarabæo sequuntur; infra quem, cycloides, quadratum, Serpens, posterior pars Leonis; è cuius regione manus cum Capreolo vitis, quam sequitur Serpens, & χιασμὸς siue decussata Crux, Cornucopiæ, Coturnix inter duas pennas, quam tres termini cum binis pedibus globum alatum fulcientibus, cum vasis, segmentis, globis, Hydroschemate, Serpente, manu extensâ, pennâ, capite Hori sequuntur: quorum symbolorum hęc est interpretatio. Isis duplici dominio potens, frugiferaMundorum

Plutarchus. Deorum occultus progressus per vestigia indicatur. Arura, & vas Niloticum.

Figuræ litterarum F, G, H, I, K, L.

F influxum per Solis dominatoris cursum annuum accipiens, beneficum vitalis roboris augmentum in quadrifidam terræ faciem dispertit Cor-
G nucopiæ, dispulsâ Coturnice infesta bebonia, supremi Numinis ductu
H per alatum globum pedibus præpositum aptè signati, Mundis hylæis, & receptaculis eius vitalem humorem confert, cuius beneficio resuscita-
I K tur Horus, id est, Mundus Sensibilis. Sequuntur deinde inter literas K
L & L, stationes Momphtæ, Isiaci septi custos, & Apidum Soli & Lunæ consecratorum, de quibus copiosè egimus fol. 258. Obelisci Pamphilij, quem consule. Quatuor verò pilas è regione Momphtæ thalamum vocant, teste Plinio, & nil erat nisi septum, in quo alebantur, teste Herodoto in Euterpe, sacri Boues, auguria populorum. Sed hæc omnia fusè tractata vide citato loco. Horum Boum prior Solem siue Osirin, alter Lunam seu Isin (ex quorum cultu variæ diuinationes instituebantur de anni tribus stationibus, vti tres termini notant) significant: his cœlestes influxus, craterisque defluxum concatenari credebant, vti symbola intermedia ostendunt, sc. catena cycloide inclusa cum vicina crateris figura, quo influxus septi sacri præses in humidam substantiam, & in quadripartitam Mundi faciem, occulto motu dispertiebatur catenarum humidæ substantiæ dominator, X Vniuersum seu quatuor Mundi partes; figura ingeniculata ipso corporis gestu Momphta Numen, pes occultum Numinis motum exprimit, vas infrapositum Momphtæ humidam substantiam, duæ catenæ humidum superius inferiori connectunt;
M sceptrum cui M impositum vides, sceptrum Momphtæ vocatur; de
N quorum mystica significatione cùm alias dictum sit, non immorabor. Potest & per figuram ingeniculatam intelligi ritus Sacerdotum, qui in

Septum in quo alebantur boues sacri. Plinius. Herodotus.

adyti, Momphtæ Apidum custodes adolebant contra noxiam Typhoniam vim; quæ aptè per Crocodilos, qui inter N & M. spectantur, notantur; septem enim diebus Sacerdotes Apidis solennitati insistebant, quos Natales Apis vocabant, quâ durante nulla vis Typhonia nocendi locum habebat; & cùm Crocodilos Typhonis genuinum ectypon crederent, hinc fiebat vt Crocodili nullum hoc tempore damnum inferrent mortalibus, sed quasi mansuefacti, sacras fauissas accedebant, vti figura ostendit, inde aquam lingentes, quasi diei cultui vltrò subscribentes. Sed audiamus Plinium l. 8. c. 46. *Sunt*, inquit, *Apidi delubra gemina, quos thalamos vocant, auguria populorum; alterum intrasse lætum est, in altero dira portendit; responsa priuatis dat, è manu consulentium cibum capiendo; Germanici Cæsaris manum auersatus est, haud multò post extincti; cætero secretus, cùm se proripuit in cœtus, incedit submoto lictorum, grexque puerorum comitatur carmen honori eius canentium, intelligere videtur & adorari velle; hi greges repentè lymphati futura præcinunt* &c. *auream*que *pateram argentea*mque *in loco, quæ phiala dicitur, mergentes diebus, quos habet Natales Apis; septem hi sunt, mirum*que *neminem per eos à Crocodilis attingi, octauo post horam diei sextam redire belluæ feritatem*. Quæ & hisce verbis confirmat Carystus de festis Ægyptiorum: Ἐν γενεθλίῳ τοῦ Ἄπιδος φασὶ τοὺς κροκοδείλους ἐν τῇ Αἰγύπτῳ σπένδεσθαι, καὶ μηδένα ἱερὰν τὴν κολυμβήθραν προσβαίνειν εἰ μὴ ἐν ταύταις τῶν ἡμέραις. *Ferunt in Ægypto Natalitijs diebus Apidis omnes Crocodilos mansuefieri, neque vllus sacram piscinam lingit, nisi hisce diebus*. Scitè itaque stationi Apidis stationem Typhoniam per Crocodilos indicatam hoc loco subiungunt, mysticè & anagogicè innuentes, tantam cultus Numinum, quæ sub figura Boum colebant, excellentiam esse, tantam energiam, vt nulla in Mundo violentia adeo truculenta reperiri possit, quam Sacerdotes cultorum Numinum ope freti, non doment, & perfecto dominio subiugent; quod appictum sceptrum satis ostendit, dominij in eos symbolum. Erat id sceptrum ex arundine, à qua naturali antipathiâ, vti Theophrastus refert, diffident Crocodili, & vel ad eorundem stridorem sistuntur. Dictis itaque diebus Api destinatis non Crocodili tantùm mansuescunt, sed & Cornix Typhonia crocitare desinit, potenti hâc Deorum catenâ & dominio profligata, quæ symbola catenæ, sceptri, Cornicis cum penna è regione N luculenter ostendunt. Hinc Sacerdotes hisce diebus sacra beneficis hisce Numinibus, quæ per duo brachia notantur, in adytis celebrantes, nudi, brachijs in formam Crucis conformatis, ad ansatam Crucem exprimendam, incedunt, vti figura ostendit; his enim ritibus cœlestes catenæ influxus, humoremque vitalem in inferiorem quoque Mundi partem, cui Nephte præest, deriuant; hisce dispulsâ Noctuâ ab humore vitali, attrahitur occultus dictorum Numinum per duodecim Mundi portas incessus; quæ omnia pulchrè sanè per Noctuam & hydro-ophioschema, & fune cum quadrangulo in duodecim partes diuiso, cui bini pedes duplicati subduntur, è regione P, indicantur. Cœtera symbola quæ è regione literarum Q R S T interijciuntur, cùm iam nota, & sæpius exposita sint, non repeto, cùm ritus indicent Sacerdotum, & effectus in quadrifido

Apidis solemnitas à Sacerdotibus Ægyptijs celebrata.

Plinius. Apidis delubra.

Apidis solemnitatibus Crocodili mansuescunt.

Arundinem crocodili auersantur.

N

O

P

Q

R

S

T fido Mundo, in aquis, aëre, terrâ, eiusque vegetabili natura, ex cultu
V consequentes; è regione V baculus Momphtæ comparet, & eiusdem statua ingeniculata cum modio in capite, & cum Leonis anteriori parte; ac robur & dominium summum ostendunt, cui & Sacerdotes thyrsis in for-
X mam nominis eius adaptatis, vti litera X monstrat, sacra faciunt hâc statione; reliqua symbola effectus quoque ex hoc ritu consequentes demonstrant.

§ II.

Columnæ secundæ lateris primi Obel. Barberini.

Secunda columna lateris primi Australis, eiusque interpretatio.

Geniorum sex tutelariũ sacrificia apta

Tutelares sex eorumque nomina.

EXhibentur in hac columna sex tutelarium Geniorum Præsidum sacrificia, & ritus ijs placandis necessarij, effectusque inde consequentes. Primus est tutelaris œconomiæ spermaticæ; secundus est Mercurius, naturæ vegetabilis custos; tertius est polymorphus Dæmon; quartus terrestris Elementi custos; quintus Momphto-Ammoniæ œconomiæ seruator; sextus Anubici regiminis substitutus; quæ omnia sic se habere, ex interpretatione elucescet.

C

1. Statio. Tutelaris œconomiæ spermaticæ.

Figurarum literæ C explicatio.

In prima itaque secundæ columnæ facie, è regione C, comparent ex symbolis Capreolus vitis cum catena, cui subditur phallus oculatus, & figura genuflexa veluti orans, quam sequitur mitratus Genius flagello munitus. Quibus quidem symbolis nihil aliud nisi spermaticæ naturæ præsidium, quæ in germinibus maximè elucescit, indicatur. Per Capreolum vitis cum binis Rhomboidibus nouella agrorum germina, per oculum & phallum oculatum supremi Numinis de successiua rerum fœcunda generatione, prouidentia; per figuram ingeniculatam, supplicatio Sacerdotum ad eandem prosperandam; per mitratam denique & flagel-
D lo minitantem figuram Genius totius πολυγονίας præses, indicatur, qui hâc parte sedem stationemque sibi fixit. Sequentia symbola Elementa, quorum fœcunditati præest, indicant: per hydroschema aquam, per duos Scalenos geneticos cum intermedio globo, virtutem geneticam siue spermaticam Mundo insitam; per duas pennas denique aërem notant, qui omnia quæ in Nilo sunt, in virtute sceptri Momphtæ vitæ largitoris, vique temonis Canub, & pennæ Baeth administrat. quæ totidem quatuor symbolis ordine positis indicantur. Sacerdotes verò ad dictum Genium deuinciendum nudi, expansis brachijs, vt figura è regione

Baeth idem quod Accipiter seu Taustus vide Horus l. 1. c. 7

E E monstrat, Tauricam Crucem effigiando, benefieam duorum recensitorum Numinum vim, καὶ τὴν σειρὰν ἐκείνων, id est, eorundem catenã, vt Psellus docet, sollicitabant; & sic cœlestis Osiris beneficã vim in cœlestẽ & vitalem humorem, diuiniq; prouisione oculi in hylæum cornucopiæ deriuabant;

Psellus.

F quæ pulchrè sanè per symbola è regione F indicantur. Per cycloidem,
G hydroschema, & Serpentem, cœlestis vitalisque liquor; per oculum

cum

cum globo, diuina in Mundo prouidentia, per figuram cornucopiæ, affluxus rerum elementarium signatur. Nota hoc loco, vti alibi monuimus, cornucopiæ hoc triplici modo ab Ægyptijs depingi. Quando depingitur cum quatuor quadratulis illius orificio impositis, vti hic, tunc significat Elementarium rerum affluxum, quē ideo hylæum appellauimus; quando verò septem quadratulis notatur, tunc denotat affluxum rerum cœlestem per septem planetas causatum; quando denique duodecim quadratulis notatur, tunc duodecim signorum Zodiaci affluxum indicat, vt alibi dictum est. Sequitur deinde inter F & G Serpens cum pueri veluti vittati figura, Capreolus cum globo superposito & penna. Per Serpentem spiritus vitæ, per puerum vittatum Horus, qui nullibi non per pueri figuram indicatur; per globum & Capreolum, Mundus vegetabilium, per pennam motus indigitatur, quasi diceretur; virtute Sacerdotum ἀρχητικῇ Horum, id est, Mundum sensibilem, (sic enim eum Plutarchus appellat) generatione vegetabilium quasi continuò reiuuenescere, per vitalem vim Vniuerso, quæ per Serpentes & Crucem seu χιασμὸν, aut decussim notatur, infusam. Sequuntur duo pedes è regione G vnà cum Noctua; Hori enim occulto per vniuersas Mundi semitas procedentis motu, Typhonia Noctua veluti ad diuinitatis præsentiam, per globum indicatæ, dispellitur; vitalis liquor, per aquæ & Serpentis figuram notatus, inferioribus Mundis per supernum in inferiora influxum, quem Tauticus character notat, per Osirin obtinetur; quemque Typhoniæ Noctuæ aduersa vis, penitus extinctum cupit, illum supremum Numen, O vnum rerum omnium principium, quod per globum & vnitatem I notatur, restituit à Sacerdotibus ritibus solitis attractum; quæ per figuram humanam, Serpentem, & manum extensam innuuntur, ita vt figura humana ritus Sacerdotum; Serpens vitam, vt iam innumeris locis diximus; manus extensa, beneficam vim signet.

Cornucopia tribus modis pingitur ab Ægyptijs. Primus modus. Secundus modus. Tertius modus.

F G

Plutarchus.

Sequitur iam statio Genij Mercurialis seu Hermetis in Ibidem transformati, Typhonis ἀντίτεχνος, qui per Noctuam indicatur, vt iam sæpe diximus. Ibis insistit prothyræo, vnà cum tripode triangulato, & cucurbita è regione L. Subsequuntur Sacerdos cum hydroschemate, thyrso papyraceo, penna Accipitris, aure Bouis, cycloide, & è regione K, calatho, sceptro alato, tribus terminis: quæ vt intelligantur, paulò altiùs ordiri visum est.

Genius Mercurialis. II. Statio Genij Mercurialis.

K L

In delubri Mercurij, quem Ibis exprimit cirrata, prothyræo seu vestibulo, quod per tres trabes indicatur, ponebantur tripus mysticus, in quo cucurbitæ, ad obtestandum triforme Numen Hemphta, offerebantur, quæ obtestationes seu adiurationes paulò post sequentibus symbolis indicabantur, siquidem festis Mercurio dicatis Sacerdotes conueniebant, tripodem statuentes cum cucurbitis. ita Pausanias: Ἐν τῷ τοῦ Ἑρμοῦ προθύρῳ ἑορτάζοντες τὸν τρίποδα κατέθηκεν, καὶ σικυωνίας προσφέροντες ἔτυχεν. *In vestibulo Mercurij solennia celebrantes tripodem ponebant, & cucurbitas offerebant.* Tripodis figura, vt apparet, erat efformata ex globo, cuius trina sustentacula trian-

Tripus mysticus in delubris Mercurij, cum cucurbitis.

Pausanias.

gulis effigiebantur. Quibus quidem nihil aliud indicabatur nisi supremum & inuisibile triforme Numen, Idæis fœtum; nam vti in Obelisco Pamphilio exposuimus, erat globus diuini Numinis, & supremæ causæ causarum, in æterna vnitatis suæ abysso absconditi symbolum; triangulum verò diuinitatis ad extra se diffundentis, vti & triangula trino ordine in modum radiorum diffusa, omnium rerum ad æternum exemplar conformatarum, quæ ex centro globi in omnem rerum creatarum ambitum distenduntur, symbolum erant; cuius sicuti in inferiori Mundo cucurbita, in cuius meditullio semina trino ordine distensa cernuntur, index erat, ita sanè aptum ad occulta mysteria per hunc tripodem significandum, symbolum assumpserunt. Cùm præterea cucurbita Mercurialis naturæ sit, non sine ratione eam Mercurio triformis Numinis interpreti, prout analogica eius ratio suadebat, dedicandam statuerunt. Tribus triangulorum connexorum seriebus tripus constabat, quibus siderei & elementaris Mundi connexionem in catenarum formam à Deo supremo, archetypo Mundo, causarum causa deductam, è cuius quoque centro deducebantur, notabant; quibus vnicuique suum fatum destinabatur, cuius preco & interpres Mercurius, Mercurij verò nuncia Noctua reputabatur, quam Prodromam Hemphta, & faustorum aduersorumque annunciatricem Abenephius dicit lib. de religione Ægyptiorum his verbis:

Tripodis sacri Figuræ. Circulus & triangula quorum Deorum symbola.

Cucurbita cur Mercurio oblata.

Abenephius.

قالوا ان الهامة هي مبشرة همفطا الاههم الذي عندهم الاوت اولي وصدقوا ان
هي تبشر كل ما مستقبل على بني الناس ❁

Dixerunt Ægyptij, quòd Noctua est annunciatrix Hemphta Dei ipsorum, quæ est Deitas prima apud ipsos, & credebant quòd annunciaret omnia, quæ euentura essent supra filios hominum. Ægyptij itaque non tantùm per Noctuam aduersi Numinis operationes indicabant, sed Hemphta, id est, vniuersalis prouidentiæ nomen & Numen, quæ Noctuam, id est, nuncium suum ad homines certis temporibus mitteret, ijsque per eam futura significaret, de sinistris euentibus præmoneret, & quid instante quâdam calamitate prudenter agendum esset, suo cantu doceret; sapientiam verò, cuius Mercurius præses est, quæ per Noctuam quoque indicatur, vnicam esse iudicabant, quæ omnibus sinistris euentibus occurrere resistereque possit.

Noctua quid significet apud Ægyptios.

In hoc itaque prothyræo Mercuriali, quod ante Mercurij delubra passim spectabatur, mysticè per trium trabium interstitium, & tripode adornatum, Sacerdotes ex Mercurio diuinæ voluntatis interprete, varia circa futura diuinabant; prout symbola sequentia indicant. Sacerdos nudus Deum ad concedendam futurorum præscientiam adiurabat, per baculum Numinis polymorphi, per pennam Accipitris, per fluxum Momphtæ, per aurem Apidis siue Bouis sacri, per cœlestem beneficentiam Osiridis, vegetabilium moderatoris, per sceptrum eius alatum; quæ omnia per symbola è regione K posita indicantur. Deinde tres Sacerdotes, quorum duo in nomen Hemphta se transformabant, alter genuflexus

Prothyræum Mercuriale.

Ritus & cæremoniæ Sacerdotum ad placandos Genios.

K

ante

ante tripodem stabat, supremum Numen pro calamitatum auersione sollicitabant. Deniq; vnus Noctuam dirorum annunciatricem veluti flagellabat, alter adiurationem supradictam denuo iterabat. Per baculum Genij polymorphi, rerum omnium necessariarum abundantiam; per pennam Accipitris, malorum auersionem; per aurem Bouis sacri, fœcundam rerum generationem, quæ per auditum Tauri contingit; (Taurus enim auditâ voce Vaccæ statim ad fœcundum cum ea congressum sollicitatur, teste Horo l. 1. c. 47.) per cycloidem cum manu extensa, & calatho capreolato, beneficam cœlestis Osiridis vim, potestatem in omnia habentis; per alatum sceptrum, & tres terminos, despoticum in tripartitum anni tempus influxum, per motum Solis causatum, indicabant; quæ omnia cùm sine influxu Hemphtæ, in quo omnia dicta continebantur, obtinere non possent, Sacerdotes ad dicti Numinis nomen exprimendum, membrorum totius corporis coaptatione se transformantes, ante tripodem, vt è regione L patet, sacris operabantur, & Noctuâ tripartito diei tempore ad dirorum auersionem flagellabant, vti figura ostendit. Vidimus itaque ritus & cœremonias; iam effectus videamus per sequentia symbola denotatos. Primò per funiculum, cui globus annexus, & infrà craterem positum habet, diuini Numinis influxus in craterem Osiridis; per ouum, cui suppositus Capreolus, fœcunda rerum genitura; per craterem, cui perseæ flos supponitur cum figura Zanuti, id est, catenæ, significatur Mercurialis affluxus, quem intendebant, in omnia catenæ suæ subiecta, & benefica vis, per duo brachia Anubidis, significati per canem iacentem, & veluti rebus inuigilantem; liberalitas in rerum necessariarum suppeditanda copia per humorem triplicem, duos thyrsos papyraceos, & hydroschema triplex indicatum; dominium & potestas per calathum capreolatum; per temonem directio vegetabilis naturæ in agris; per figuram supplicantem, & oculum cum cycloide, prouidentia cœlestis in agros; per Chenosirin Anserem denique, vigilantia innuitur.

Horus.

L *Effectus ex placatione Deorum per ritus Sacerdotum.*

M N O

Sequitur iam statio polymorphi Dæmonis, qui per Draconem alatum, & thyrsum papyraceum significatur, qui & abundantiæ rerum humano generi necessariarum, vti aliàs fusè interpretati sumus, index est. Cœremonias huic faciendas statuæ binæ denunciant, quibus anima assurgit ad incognita, septum sacri Bouis penetratur, catena cœlestium Numinum trahitur, Coturnicis & Accipitris, id est, Lunæ & Solis Typhonia damna arcentur, Niloticus humor iustitiâ cœlestis prouidentiæ circa agriculturam administratur: quæ omnia per symbola inter P & Q inclusa notantur, quorum significatio iam ex præcedentibus constat.

III. Statio Polymorphi Dæmonis. Cœremoniæ faciendæ Dæmoni Polymorpho;

P

Statio modò sequitur è regione Q Genij terrestris, per Canis anteriorem partem, cum litera H, & calatho capitis ornamento indicata; & hoc pacto Nephten ponebant, quam eandem cum Proserpina dicunt Authores, capite canino conspicuam. Nam, vt rectè Demophilus Author peruetus, Νέφθυν Αἰγύπτιοι κυνόμορφον ζωογραφοῦσι. H terram significat, quasi duabus columnis, aquea & terrea, firmiter compactam, cui Nephte dominatur, & fundatur supra tria fundamenta, quæ per tres terminos

IV. Statio Genij terrestris.

Nephte seu Proserpina.

indicantur, in formam pyramidis constituta, suntque aqua, terra, & ignis; aqua conseruatur per cultum Nilo exhibitum, mala Typhonia pelluntur pennâ Osiridis; tres verò anni partes omnibus vitam præbent; hinc altare huic Genio erigebant quadratum cum corona tricuspide, & piscina sacra, quæ symbolis è regione R indicantur. In vitam verò animantur omnia occulto Deorum motu, potissimùm Hori dominatoris humidi & sicci cultu, & Nephte præsidio, & vsu amuletorum, sacræ Crucis ansatæ, Antennæ Kanub Noctuam profligantis periapto.

R S T

V. Statio Momphto-Ammonis. Statio Momphto-Ammonia è regione T, cuius dominium fertur supra calidum & humidum; hoc per figuram, situlam in capite gerentem, illud per Arietis caput indicatur, quorum potentiam in opus deducit Scarabæus Osiris: his enim omnium rerum generatio perficitur, & aduersa omnia ei contraria per cultum dictorum Numinum profligantur.

V

VI. Statio Anubidis. Anubidis statio è regione V ostenditur per Canis figuram incubantem, & inuigilantem rebus sibi commissis, hoc est, humori per quadrifidam terræ faciem diffuso, qui trium Elementorum, ignis, terræ, & aquæ custos est, eorundemque per Vniuersi semitas traductor, cui in prothyræo Hermetis ideo sequentes statuæ auerruncatiuæ Harpocratis, Hermetis Canicipitis tutelaris, & Ammonis ponebantur, cum appropriatis symbolis, vt è regione X patet.

X

Atque hic est symbolorum in primo Obelisci latere Australi contentorum contextus, quæ quidem nihil aliud indicant, nisi operationes & præsidia duodecim Geniorum tutelarium huic parti præsidentium, vti indicant duodecim stellæ, quæ in vertice Obelisci ponuntur, & symbola sunt duodecim Geniorum. Nam, vt rectè Horus ait, stellam pingentes Ægyptij, nunc Genium denotant, nunc fatum &c. vides quoque sex horum Geniorum in prima columna lateris, totidem in secunda poni. Quibus demonstratis iam alterum latus exponamus.

Horus.

CAPVT VI.

Lateris secundi Obelisci Barberini interpretatio.

Lateris secundi Obel. Barb. interpretatio.

QVo in duabus columnis duodecim aëreæ naturæ Præsides Genij exhibentur, vnà cum operationibus eorum, ritibus, ac cœremonijs, quibus Sacerdotes eosdem allectare solebant. Et de primo quidem Obelisci schematismo A B, qui aërei Numinis Vsiarchi cultum explicat, satis in præcedentibus egimus; restat, vt reliquam aëreæ naturæ œconomiam in sequentibus duabus columnis contentam pari passu prosequamur.

§ I.

Primæ Columnæ expoſitio.

PRimò è regione A Columba cum ſtella abſolutum aërei Genij ſymbolum eſt. Et per ſtellam quidem ſignificari Genium, Horus aſſerit l. 2. c. 1. Ἀστὴρ παρ' Αἰγυπτίοις γραφόμενος, Θεὸν σημαίνει. *Depicta Ægyptijs ſtella Deum ſeu Genium ſignificat*. & l. 1. c. 13. Θεὸν δὲ ἐγκόσμιον σημαίνοντες ἢ εἱμαρμένην, ἢ τὸν πέντε ἀριθμὸν, ἀστέρα ζωγραφοῦσι. Θεὸν μὲν, ἐπειδὴ πρόνοια Θεοῦ τὴν νίκην προστάσσει ἡ τῶν ἀστέρων, καὶ τοῦ παντὸς κόσμου κίνησις ἐκτελεῖται. δοκεῖ γὰρ αὐτοῖς δίχα Θεοῦ μηδὲν ὅλως συνεστάναι. εἱμαρμένην δὲ, ἐπεὶ καὶ αὐτη ἐξ ἀστρικῆς οἰκονομίας συνίσταται. τὸν δὲ πέντε ἀριθμὸν, ἐπειδὴ πλήθους ὄντος ἐν οὐρανῷ, πέντε μόνοι ἐξ αὐτῶν κινούμενοι τὴν τοῦ κόσμου οἰκονομίαν ἐκτελοῦσι. *Deum verò optimè Mundanum vel benè ornatum ſignificantes, aut fatum, aut quinarium numerum, ſtellam pingunt; Deum quidem, quòd Dei prouidentis victoriam decernit atque imperat, qua & ſiderum Orbiſque vniuerſi motus peragitur; exiſtimant enim ſine Deo nihil prorſus conſiſtere. Fatum autem, quòd ex ſiderum curſu ac diſpenſatione conſtituatur. Quinarium verò numerum, quoniam cùm plurima in cœlo ſidera ſunt, ſola ex his quinque motu ſuo Orbis pulcherrimam efficiunt diſtributionem.* Per Columbam verò aërem intelligit Horus Apollo l. 1. rationem ibidem dat, quòd adeò ſinceræ & puræ naturæ ſit, vt à nullo contagioſo aëre, quemadmodum cœtera animalia, infici poſſit; vt proinde optimè Columba cum ſtella, aëreum Numen indicet, eſtque hæc prima aërei Numinis ſtatio. Statua verò ſequens extenſis manibus precantis more, ſacrificantis indicat geſtus, ad Deos, quos coniurat, commouendos, & ad malignos, quos Noctua notat, propulſandos; ſupplicare autem videtur pro humore vitali, vt hydroſchema ſignat, vegetabili naturæ concedendo; temo verò cum penna ventum nauigationi neceſſarium notat; ſtatua denique precantis more genibus innixa, Sacerdotem vel Hierophantem indicat; phœnicopterum monſtrat, quod eſt ſymbolum Hori, quem Plutarchus ſpiritum dicit omnia virtute ſuâ alentem & conſeruantem, eſſeque ipſam aëris temperiem, virtute Solis calefactiuâ attemperatam. Hinc phœnicopteron, id eſt, Horum in paludibus nutritum ferunt. Et profectò ita eſt; vliginoſa enim tellus, & aquis redundans, vapores alit, qui ariditates & ſiccitates perimunt. Phœnicopterum ſequitur ſtatua velata ſedentis habitu, & pennâ in capite, quæ eſt ſtatua τετραγωνμένη, quâ phœnicopteron ſeu Horum trahi putabant, ob proprietates ſymbolicas eidem quàm maximè congruas, ſenſuſque hucuſque dictorum erat: Genius aëreus vt auerruncatiuus ſit malorum à Bebonijs ſpiritibus immiſſorum fertilitati terræ, aquæ, limitibus agrorum, nauigationi, ſacro ritu è rebus Horo congruis, ſtatua amuletaria, in virtute ſceptri Momphtæi, ſceptri Agathodæmonis cuſtodis limitum, & fauiſſæ ſacræ, colendus eſt, vt ſequentia ſymbola monſtrant.

Columna 1. lateris 2. Obel. Barb. A

Stella in hieroglyphicis quid ſignificet.

Columba hieroglyphicè aerem ſignificat.

I. Statio aerei Numinis.

B

Phœnicopterus Horũ ſignificat.

C

D

Statio trium Potentiarum Mercurialium è regione D, quæ per tres Ibides cirratas, quarum ſignificationes in Obeliſco Lateranenſi expoſuimus,

II. Statio triũ potentiarum Mercurialiũ.

mus, indicantur: vitalem liquorem in piſcinas ſacras occulto motu, &
E Sacerdotum cultu deriuari putabant, vti ſymbola E F indicant. Ex his
F verò in quadrifidam terræ faciem, vitam in camporum bonum & emo-
G lumentum deduci credebant, vti ſymbola G H docent: per cœremonias
H enim huiuſmodi factas cornucopiæ quinque entium terreſtrium abun-
I dat, vitalis liquor catenæ Geniorum aëreorum Hori aſſeclarum trahi-
K tur, vt è regione I K patet; benefica vis ritibus per ſacram barram ſa-
ctis, & ſtatuis amuletarijs à Sacerdotibus myſtico ritu conſecratis, & liquor
L vitalis vim ſummam obtinet; Noctua Bebonia ſubſiſtere non poteſt; quæ
M omnia per ſymbola inter L & M incluſa notantur. Quia verò à Sole &
N Luna ſubinde malignæ quædam qualitates, cuiuſmodi per Coturnicem
O & Noctuam indicantur; inſenſibili motu per pedes indicato, impri-
muntur; has oculus cœleſtis, inſito ſibi liquore cœleſti, Oſiris Scarabæi
ope diſſipat, beneficentiâ ſuâ vitam ijs ablatam, vniuerſali dominio re-
P ſtituit (quæ per ſymbola inter P & Q incluſa aptè indicantur) & per Ge-
Q nium Anubicum, leporinis auribus omnia in lucem tandem apertam de-
ducit. Sic Horus l. 1. c. 26. Ἄνοιξιν δὲ θέλοντες δηλῶσαι, λαγωὸν ζωγραφοῦσι, διὰ τὸ πάντοτε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγότας ἔχειν τοῦτο τὸ ζῶον. *Patulum autem quiddam ſignificare volentes, Leporem pingunt; quòd ſemper apertos habeat hoc animalis genus oculos.*

Horus.

III. Statio Bebonij Genij

Sequitur modò ſtatio Bebonij Genij per Coturnicem indicati, qui ſpermaticam naturam in aëreo Mundo, per ouum ſignato, latentem
R perſequitur, quem ideo Sacerdos coniurat, è regione R, per ſceptrum oculo inſignitum omniuidentis Oſiris.

IV. Statio Iſis, Oſiris, & Hori.

Huic contraponitur ſtatio Iſidis per velatam fœminam, & Oſiridis per
S Scarabæum, & Hori per cycloidem & Capreolum, quod idem ſignificat ac cœleſte germen, indicatorum. Sequitur

V. Statio Agathodæmonis aerei.

Statio Agathodæmonis aërei, qui per T Columbam indicatur.

VI. Statio Nephtes.

Eſtq; Statio Nephtes humoris ſubterranei conſeruatricis, cuius eſt, humorem Niloticum conſeruare, aëreorum Geniorum catenam mouere, geneticam vim ſingulis inferioris Mundi partibus inſerere, vti ſymbola
T inter T & V monſtrant. Ad recenſitorum verò Numinum catenam ſolli-
V citandam ſequentia ſacrarum tabularum prophylactica præſcribuntur, cum reliquis ritibus in adytis peragi ſolitis, quorum ſymbola cùm in præcedentibus iam expoſita ſint, Lectori expendenda relinquimus.

§ II.

Columna ſecunda lateris ſecundi Obel. Barb.

Secundæ columnæ lateris ſecundi Orientalis interpretatio.

A

I. Statio Genij tutelaris nubium, Aereæ Poteſtates apud Ægyptios.

PRimo loco comparet oculus cum ſtatua flagello inſignita, & nubis figura cum manu & brachio extenſo; quibus ſymbolis indicatur ſtatio prouidentiæ Genij tutelaris nubium. Quæ vt intelligantur, ſciendum eſt, aëreas fuiſſe apud Ægyptios poteſtates, quas magno cultu proſeque-

sequebantur. Horum officium erat, nubes attollere, & suo tempore in incrementum Nili resoluere; nubes ab omni contagione seruare immunes, & malignas qualitates, quas Bebonia vis aduersa aëri impresserat, remouere. Et hanc beneficam vim primò per manum extensam, quâ liberalitas ostenditur; deinde per brachium, quo beneficum subsidium exprimitur, signabant; duæ pennæ velocitatem; oculus inter duo hydroschemata constitutus, effectûs in aqua impressi prouidentiam docet; aëreo dominio potens, vti sceptrum incuruum cum penna monstrat, mox atque per aërem, vehiculo, quod temo ostendit, defertur, geneticam suam vim, per triangulum rectangulum indicatam, in aquis latentem primò communicat aqueæ substantiæ, Bebonia vis contagiosa profligatur, vti symbola inter B & C notant. B

II. Statio Genij auerruncatiui malorum. Sequitur iam alia prouidentia auerruncatiua malorum ab agris, è regione spectabilis; huius beneficio aërearum potestatum catena in bonum vegetabilis naturæ per resolutionem vaporum in campos exeritur; Typhonia vis à genetica virtute in humidæ substantiæ cisternis latente arcetur; quæ aptè sanè symbolis è regione D E F G H, explicantur, quorum nonnulla in Obelisco abrasa sunt. D E F

III. Statio Genij aerei. Sequitur statio Genij pariter aërei è regione I & K, sacræ tabulæ fautor, quâ Bebonia vis conteritur; sacra verò tabula vim obtinet, liquorem vitalem in aëre condensandi, & geneticam vim sub eo latentem, ex Luna in vniuersam camporum œconomiam per Numinis beneficentiam traducendi. Quod fit per Genium trium fundamentorum, aquæ, terræ, ignis; hic genetica principia terræ, aquæ, & aëris aptè connectit, & cœlestem catenam aperit. I K L M

IV. Statio Genij trium fundamentorum. Hic Genius trium fundamentorum accepto ab occulto cœlesti Numine Momphtæo, dominio, quod per cycloiden, ex qua duo pedes Leonini sceptrum tenentes prodeunt, notatur, liquorem vasis Nilotici ad germina, quæ per Capreolum, & reliqua symbola M N O P significantur, confert; siquidem aëreo vehiculo deuectus, cuius symbolum baris nauigij genus è regione P existit, vnà secum cœlestem catenam ad humorem Vniuersi, beneficâ suâ vi fœcundandum traducit. Hic idem trium fundamentorum Genius, è regione Q, Mundorum supernorum ad hylæorum mansiones deducit. M N O P Q

V. Statio Genij abrasa ex Obel. Barb. Statio quinta Genij abrasa est, qualis tamen fuerit, symbola è regione T monstrant, cornu, pes, stella pentagona, & reliqua satis ex præcedentibus nota; lucis enim suæ abdito motu in quinque inferioris Mundi entia propagatur, fauissæ omni semotâ contagione, humore replentur, & trium fundamentorum portæ per quadrifidam terrestris corporis faciem, aperiuntur. T

VI. Statio terrestrium potestatum. Sequitur vltima statio, trium terrestrium potentiarum, quæ aptè sanè per posteriorem trium Leonum partem exprimuntur, quarum cœlestis beneficentia, dominiumque in Typhonem aëreum maximè elucet, vnde ijs Momphtææ statuæ ponuntur, vnà cum sequenti sacræ tabulæ amuleto, cuius vsu cisternæ sacræ è regione X omni bonorum copia replen- X

plentur. Reliqua ſymbola vti abraſa ſunt, ita interpretationis filum abruperunt. Et tametſi nullo penè negotio ea ſuæ ſinceritati reſtituere potuiſſemus, nè tamen cuipiam noſtrâ authoritate id præſtitiſſe videremur, ingenuè ea omittenda duximus.

Vides igitur in hac Obeliſci parte Orientali, duodecim aëreas Poteſtates ab Ægyptijs pulchrè exhibitas fuiſſe, vnà cum ſingulorum officijs, operationibus, & effectibus, eorumque propitiandorum methodo & ratione: quibus quidem expoſitis, iam ad tertij lateris expoſitionem calamum conuertamus.

CAPVT VII.

Tertij lateris Occidentalis Obeliſci Barberini interpretatio.

Lateris tertij interpretatio Obeliſ. Barber. Aqueæ naturæ Præſides 12. in latere tertio Obel. Barb.

EXhibentur in hoc Obeliſco aqueæ naturæ præſides duodecim, in ſingulis binis columnis ſex; quorum in prima columna locum primum obtinet Ibimorphum Numen, cuius cœremoniæ in primo & vniuerſali ſchematiſmo C D exhibentur; cuius expoſitionem cùm ſuprà expoſuerimus, eò Lectorem remittimus. Secundus eſt Momphta; Tertius polymorphus Dæmon; Quartus tutelaris eius aſſecla; Quintus fœcundum Numen ſpermaticæ rei præſes; Sextus Typhonis ſtatio; quæ ſingula ordine exponentur.

§ I.

Columnæ primæ interpretatio.

Columna prima Obel. Barberini. I. Statio.

C D E

PRimo loco ſe exhibent inſtrumenta agriculturæ, cum manu extenſa, & Noctua, hydroſchemate, baculo papyraceo, vaſe Nilotico, figura piſcinæ magnæ: quorum hic ſenſus eſt: Ibimorphus Dæmon, Agriculturæ beneficus Genius, malorum auerruncator, aquarum trium inferiorum receptaculorum dominator, magnæ piſcinæ, & naturæ humidæ Genius, Niloſcopij contra aduerſam vim conſeruator, fœcunditatis cœleſtis in inferiora propagator, Agathodæmon vigil, cœleſtis decuſſis, id eſt, influxus vniuerſalis prouiſor, debitis ritibus & cœremonijs colendus. Exhibentur autem hæc omnia ſymbolis inter C D & E contentis. Per ſtellam Genius; per hydroſchema & Niloſcopij figuram, humidi à Typhonia Bubone tutelaris; per phallum oculatum inter duos globos, fœcunditatis ex ſupernis in inferiores partes per ſegmenta indicata, prouidentia; per *A* Agathodæmon; per Columbam cum erecto collo, & penna, vigilans rerum moderatio; per cycloidem & decuſſim, vniuerſalis influxus peruaſio; per duas tandem ſtatuas variè transformatas, ritus & cœremoniæ ei exhiberi ſolitæ ſignificantur.

II. Statio. F

E regione F ſequitur vas Niloticum, cum Leonis anteriori parte, & ſce-

ſceptro litera M inſignito, quo Momphtæa ſtatio ſignificatur, vti ex ſymbolis patet, & iam ſæpe declaratum eſt. Per vas humida ſubſtantia, per Leonis caput ipſe Momphta, vti in Obeliſco Pamphilio Hierogrammatiſmo Leonis fuſè docuimus; ſceptrum lit. M inſignitum, eius in humidum denotat dominium; M enim, vti alib i docuimus, idem eſt Ægyptiacè ac Moi, quod aquam indicat, cuius & fluxilem naturam exprimit. Hunc Sacerdotes figura corporis in nomen eius transformata tanquam occulto motu omnia mouentem, & tanquam humoris vitalis largitorem vnicè venerabantur. Vbi nota, pedes ſemper occultum Deorum motum notare, vti paſſim iam in præcedentibus ex varijs authoritatibus demonſtratum fuit. Sceptrum litera M inſignitum.

Sequitur iam è regione H, Capreolus, thyrſus, poculum Canopi figura efformatum, quod in Accipitris caput terminans aquam euomit. Quod vt intelligas, ſcias, Canopum cum Momphta eundem eſſe; quare eum nunc Leonino capite, nunc vaſis inſtar ventricoſi exprimebant. Leoninâ formâ capite expreſſus, notabat, eius poteſtatem trinam tùm maximè exeri, quando Nili incrementum inſtat, quod fit Sole Leonem ingrediente; hic verò inſtar poculi ventricoſi, cuius in vertice cooperculum Accipitrino notatur capite, quod aquam exprimit; quo quidem humidi calidi copiam, quam Accipitrinus Momphta rebus omnibus iuxta hylæorum catenam entium, & vitalem ſuiipſius ſtatuam impertitur, indicat, vti ſtatua cum Serpente inter H & I notat. H Canopus idē cum Momphta.

Polymorphi Dæmonis ſtatio per Draconem alatum è regione I, vt iam ſæpè expoſuimus, indicatur, cuius officium eſt, formarum varietate & copiâ, adminiculante Horo, Mundum exornare, vitalem humorem conſeruare, occulto vitæ præſidio, quod pedes ſedi admotæ cum Serpente innuunt, Momphtæo dominio portam aperire. I Statio III. Polymorphi Dæmonis

Per tres pennas è regione K, hoc loco ſtatio trium Intelligentiarum indigitatur; penna enim ſubinde ventum, nonnunquam aërem, interdum, vt penna Ibidis cum Crocodilo, vim cohibitiuam indicat; pennæ enim Ibiacæ tactu Crocodilus ſideratur; aliquando, vti hic, ſimulachris adiecta Mentem ſeu Intelligentiam ſignificat; quia ſicuti, vt S. Dionyſius quoque teſtatur, penna auium corpora in altum tolluntur, & in loca hominibus imperuia, ita Intelligentiæ circa perpetuam altiſſimarum rerum diuiniſſimarumque contemplationem verſantur. Sed de his paſſim in hoc Opere. Primam itaque Intelligentiam refert Ibis cum ſtatua velata ſcuticâ inſtructa, id eſt, Genium tutelarem Lunarem; è regione verò L ſimulachrum ſcuticâ munitum velatumque throno inſidens, Intelligentiam terreſtrem & tutelarem; penna Intelligentiam, ſedes terreſtre, id eſt, ſtabile & firmum; figura vel Nephten, vel Iſin; ſcutica tutelam indicat rerum ſibi commiſſarum. Figura verò ſequens pariter vittata, & nouem quadrangulis circumdata, notat Intelligentiam Solarem, quam & Plutarchus in libro de Oſiri & Iſi Apopin fratrem Solis vocat: de qua & Phlegon in Zoroaſtrum: Ἄπωπας δαίμων ἐστὶ τεταγμένη παρὰ τῶν Χαλδαίων ἐκ τῶν τριῶν τριάδων, καὶ τῶν τριῶν δωδεκάδων συνθημένος. *Apopas Dæmon Solaris eſt, à Chaldæis ex tribus triadibus, & todidem dodecadibus compoſitus.* Quæ vt intelligan-

K Statio IV. Penna in hieroglyphicis quid ſignificet. Genij tutelaris Lunaris hieroglyphicū. L Genij tutelaris terreſtris hieroglyphicum. Genij Solaris hieroglyphicum. Plutarchus.

Apopas Dæmon Solaris ex tribus dodecadibus compoſitus.

gantur, ſciendum, Ægyptios hæc omnia myſtico figurarum apparatu adumbraſſe, vt ſequitur. Figura inter L & M velata Apopin Dæmonem Solarem notat, quem circumdant nouem quadrangula, tria inferiùs, tria in medio, & tria ſuperiùs; quæ ſunt tres triades ex quibus componi dicitur; exhibent autem nouem Claſſes Geniorum ei ſubditorum; quomodo autem ex tribus dodecadibus componatur, videamus. Singula quadrangula quatuor conſtant lateribus, quæ in 9 ducta dant 36. numerum quem Plato tantopere, vti ſuprà in Obeliſco Lateranenſi expoſitum, deprædicat; & numerus erat circularis, propriè Soli competens. Vide quæ de hoc numero in Arithmetica de Sigillis planetarum vberrimè diſſeruimus. Voluntque Hieromantæ hoc numero ſignificare & triades, & dodecades totius naturæ, à qua perfectionis ſuæ complementum haurit, vt ſceptrum oculatum cum figura fulminis expreſſè docet, quo Solis penetrantem virtutem indicant, vnde & Sol à Zoroaſtro fons fulmineus rectè dicitur, vti in præcedentibus docuimus. Hic Genius per figuram è regione M pariter indicatus, tutulo ὀφι-κυκλο-πτερόμορφῳ conſpicuus, ſcuticam in manu tenet, throno inſidens, inſenſibili, vti duo pedes throno appoſiti docent, motu occulto Mundum penetrat, cuius globus index eſt, portam humoris aperit, Noctuâ abactâ dominium in quadrifidum Mundi faciem exerens.

M

Numeri XXXVI myſteria.

N

Statio V. Hori ſtatio, eiuſque habitus explicatio

E regione N puer receptaculo impoſitus, proſtratus, & ſtolâ circumdatus cernitur: quæ ſtatio Hori dicitur: recitant enim Ægyptij, Horum iuxta Butum inter ſtagnantes Nili lacunas, vaporibus & exhalationibus, Plutarcho teſte, alitum; quo quidem occultè innuunt, Mundum hunc ſenſibilem ſine humentis ſubſtantiæ alimonia conſiſtere minimè poſſe. Puer pingitur, quia Mundus humore alitus indies quaſi reiuueneſcit; ac fluxili elemento (quod figuram Hori circumdans, fluxumq; aquæ veluti exprimens, clarè oſtendit) veluti corroboratur; Oſiridis enim virtute, quem Accipiter ſequens notat, beneficâ, & directione motus ſui dominatiui humor in ſua receptacula virtute radiorum, quam appoſita cornua notant, cogitur, vbi Mophtæ induſtria noua generationis primordia fundat. Hinc Sacerdotes Mophtæ ad hunc tam beneficum humorem obtinendum, Horo, id eſt, ſenſibili Mundo, ſacrificia inſtituere ſolent, Plutarcho teſte, vaſa Nilotica portantes in capitibus, nomenque Dei transformatione corporis exprimentes, funiculos nodis, quos ſacros vocant, intricatos ſoluentes, vt figura è regione O & P notat, & mentionem eorum Iamblichus facit; his enim ſolutis, Mundum ſenſibilem, id eſt, Horum, cuius caput funiculis ſuprapoſitum, index eſt, Typhonijs nodis, quibus intricatur, ſolutum iri fabulabantur. Quibus quidē peractis, vitalis humor per Serpentem & hydroſchema, & geneticus, qui per virgam virilem indicatur, in humentis naturæ receptaculis Hori & Oſiris virtute, qui per caput & Scarabæum indicantur, ad rerum omnium generationem actuatur. Reliqua ſymbola vti abraſa ſunt, ita eorundem interpretationem conſultò omittendam duxi, tametſi facilè ex ijs, quæ remanſerunt, reſtitui poterant.

Sacrificia Horo facta.

Plutarchus.

E re-

E regione V denuò occurrunt Momphtæa simulachra, quæ sequuntur tres Crocodili, piscinæ sacræ admoti, quæ est statio Typhonis mansuefacti ritibus & cœremonijs Hori. Cœtera desunt. Statio VI.

§ II.

Secundæ columnæ tertij lateris expositio.

IN hac columna catena hydrothea continetur: qua sex Numinum humenti naturæ contraria tutantium præsidium exhibetur. Ac primò quidem prouidentiæ occurrit statio indicata per oculum, sedem, statuam, & bina brachia, quorum prius infra se binas pennas habens, beneficam in aërem, alterum in aquam prouidentiam per oculum hydroschemati suppositum indicat; hac enim aëreo vehiculo, per remonem & pennam signato, humorem vasis hydrotici in Mundum & cœlestes regiones, quæ per Scarabæum, teste Horo, & per cycloidem cum binis Rhomboidibus, indicantur, traducit, non obstantibus Noctuæ Typhoniæ machinationibus, catenæ hydroticæ custos & vigil, vt Leporina figura cum adiectis symbolis docet è regione E. Statio prima Prouidentia hydrothea. E

Sequitur Harpocrates digito silentium suadens, cum pala, & vase Nilotico, & Capreolo. Plutarchus hunc Genium imperfectæ naturæ, & & vitio pedûm impeditum, claudum pronunciat fuisse; quo indicatur, terram imperfectam adhuc ad germina producenda aptam esse non posse, nisi humoris eidem abundantia superaffusa; quod quidē tunc contingit, cùm Horus occultâ dominij sui propagatione catenam duodecim cœli mansionum è regione G per dodecapyrgon indicatarum. mouet. II. Harpocratis statio. G

Sequentia symbola vti abrasa sunt, ita & sensum quoque abrumpunt. Comparet tandem posterior pars Leonis, & statua variâ gesticulatione conspicua, quam Sole posteriorem Leonis partem subintrante, fabricandam ad effectus promouendos, sibi persuadent.

Sequitur tertia statio Anubis, humoris & vegetabilium vigilans custos, contra Coturnicem Beboniam influxum geneticum cohibentem, ad quam propitiandam, statua adornanda est ad quaternos Mundi terminos respiciens, vniuersalis influxus attractiua; vti symbola è regione K ostendunt; huius enim potestate & virtute vitalis humor in omnia inferioris Mundi membra deriuabitur. III. Statio Anubis. K

Sequitur statio Leonini Momphtæ, qui domus trium fundamentorum naturæ tutator est, occultoque influxu, per pedem Leoninum cum decussi, indicato, ab ea infaustam Noctuam profligat. IV. Statio Leonini Momphtæ.

Porrò aërei Mundi Intelligentia, & seminalis in eo latentis potestatis index est puer vittatus, cum Columba, ouo, & penna è regione M, cuius assecla Momphta, qui vehiculo velato, seu nauigio quodam, quod Barin vocant Ægyptij, spermaticam vim in aëre latentem, in humentis naturæ substantiam per triplicem Mundi portam, radiorum & catenæ V Statio Hori M

 cœle-

cœlestis beneficentiâ, vitalem defluxum traducit, infaustaque omnia & aduersa piscinæ sacræ ligat, occulto motu cœlestia & terrestria pene-
N trando; quæ omnia symbolis inter M N & O inclusis ostenduntur. Re-
O liqua symbola è regione P, cùm in præcedentibus exposita sint, non at-
P tinet repetere. Simulachra verò è regione Q Sacerdotum membris in Ge-
Q niorum nomen transformatis pro beneficio cœlesti supplicant, vt humorem ex tribus subterraneis receptaculis in agros, amuleti sacri Nili vi de-
R ducant, vti symbola è regione R posita demonstrant.

Statio VI. Intelligentiæ Lunaris.

Ibis sceptro tenijs exornato insidet, cui apponitur statua velata cum penna in capite, quâ Intelligentia Mercurio-Lunaris indigitatur; teniæ diuersi coloris, Lunarium operationum varietatem, cui dominatur, innuunt, vti in Obelisco Pamphilo docuimus; quo nihil ad humorem educendum potentius. Sequentia symbola catenam rerum, ex omnibus naturæ rebus extractarum, quibus dicta hucusque Numina attrahenda; aduersa vel placanda, vel propulsanda sunt, ostendunt; quæ cùm omnia iam in præcedentibus sint exposita, facilè Lector seipso interpretabitur.

CAPVT VIII.

Latus quartum Obelisci Barberini.

Lateris quarti Septentrionalis Obelisci Barberini interpretatio.

EXhibet hoc latus duodecim Genios terrestres duabus columnis comprehensos, eorumque operationes & effectus, cuius symbola vti ferè omnia sunt eadem cum ijs, quæ in præcedentibus iam exposita sunt, ita superuacaneum esse duxi, singula seorsim exponere; quare summatim tantùm eorundem interpretationem adducemus.

§ I.

Columna prima lateris quarti.

Primæ columnæ quarti lateris Septentrionalis expositio.

I. Statio.

IN prima columna, prima Genij terrestris statio abolita est; quantum tamen ex sequentibus signis comperire licuit, fuit ille Genius, cui agrorum tutela commissa est, in quantum ij humoris indigi sunt.
D Ita symbola D E docent, quæ cùm sæpe sæpius iam exposita sint, illa
E præterimus. E regione F per catenam, & Picum Martiam auem, indica-
F tur statio Genij, cui rerum ad agriculturam pertinentium catena subest,
G & per symbola inter F G H conclusa indicantur, quorum notitia ex præ-
H cedentibus patet.

II. Statio.

Hoc loco Genij rationem nè sciremus, corruptio saxi nobis inuidit;
I K ex sequentibus tamen symbolis, literis I K L M comprehensis patet,
L M fuisse cœlestem Intelligentiam, cui sacrarum piscinarum, & nauigationis

cura

cura commissa sit; Intelligentiamq; quæ humorem agris, & vitam aëreo spiritu iunctam infert notat, cui & tutela vicariatusque Osiridis terrestris commissus sit. M

Porrò è regione N symbola primâ fronte occurrentia significant Intelligentiam septorum sacrorum custodem; figuram cuius septi fusè expositam vide in Obelisco Pamphilio. Erant autem septa restrictus quidam ex ligneis trabibus compacti, quibus sacra animalia in templis alebantur, & mysticè eam significabant regionem, quam sacra animalia exprimebant; potissimùm autem sacro Boui seu Apidi consecrabantur, erantque terrestris Genij aptum agriculturæ præsidis symbolum, eorumque figuræ è regione N & O spectantur. III. Statio. N Septum sacrorum animalium. O

Est hæc statio Sphyngis præsidis incrementi Nili, cuius incrementum primò in piscina sacra comparebat, de cuius significatione in Obelisco Pamphilio amplissimè varijs in locis tractatum vide, eiusque operationes ex symbolis inter P & Q partim integris, partim mutilis & destructis patent. Statio IV. P Q

Statio Typhonia è regione R per Crocodilum indicata, cuius symbola inter R S T comprehensa, iam ex præcedentibus, vtpote sæpe exposita, constant. Statio V. R S

Inter T & V auis spectatur cum ramo florigero Serpenti innixo, quibus Genius vitæ vegetabilium terræ exprimitur. Cuius symbola cùm vsque ad vnum omnia iam exposita sint, nihil faciliùs erit, quàm ea proprio ingenio interpretari. T Statio VI. V

§ II.

Secundæ columnæ quarti lateris expositio.

Columna secunda lateris quarti.

PRimo loco è regione, D, occurrit terrestrium camporum, & malorum ab ijs propulsator Genius, fauissæ, & piscinæ magnæ, quadrifidæ terrestris faciei custos, Noctuæ abactor, vnà cum tribus asseclis benefico influxui cooperantibus. I. Statio. D E F G H I

Sequitur Leoninus Momphta vigilans, cuius officium est machinationes Typhonis Cœlis, aëri, agrorumque vitæ insidiantis repellere, & beneficio cœlesti naturæ terrestris terminos conseruare. II Statio. K L M

Sequitur custos septi sacri è cœlestibus terminis influxum præbens quadrifido terrestri Mundo, & vitali humore omnia, ritibus, & sacrificijs, sacrisque amuletis priùs sollicitatus, complens. III. Statio. N

Occurrit è regioue O binarum duodecadum custos, & est simulachrum inter duas duodecades, quæ per sex quadrangula, tria vtrimque, indicantur, inclusum; in cuius vertice ouum liquorem stillans, quo innuitur eum ex ouo Mundano δωδεκαπύργω, id est, in duodenas naturæ superioris & inferioris mansiones, spermaticos influxus deducere, vnde ex vegetabilis naturæ penuario magna rerum necessariarum abundantia in- IV. Statio. O Ouum liquorem stillans.

qua-

quadrifidam terræ faciem, vti & in piſcinas, & ſacra ſepta, præuio cultu deducitur.

P Q Inter P & Q abraſa ſymbola; ſequentia verò Genium Iſiacum innuunt, beneficum eſſe in agros & vegetabilem naturam inde prouenientem, proinde amuletis, & ſacrâ tabulâ vnicè colendum.

V. Statio. R S T V Genius iam ſequitur, cuius ope vitalis humor terræ, ad rerum generationem committitur, eiuſque præſidio ab aëre, terra, & germinibus Typhonia malignitas abigitur, vti ſymbola inter S & T incluſa docent. E regione V ſtatio Mercurij Canino capite conſpicui, & Iſidis velato vertice, manu pennam portantis; quibus oſtenditur, humorem eorum ope omnibus terrenis Mundi receptaculis aptè diſtribui. Atque hæc ſunt quæ de Obeliſco Barberino adducenda duximus.

Conſectarium Primum.

Geniorum 48 ſtationes reſpondēt 48. ſtationibus Deorum in Cœlo.

VIdes igitur, quomodo in ſingulis lateribus duodecim Genij in Obeliſci vertice per totidem ſtellas indicati exhibentur, qui in quatuor lateribus in vnam ſummam coniuncti 48 Genios totius naturæ cœleſtis & elementaris conſtituunt; totidem videlicet, quot in firmamento ſtationes ſeu manſiones Deorum patriorum ponere ſolebant; vt proinde hæ 48 Geniorum ſtationes apprimè congruant ijs, quas in vtroque hemiſphærio cœli Ægyptiaco in Aſtrologia exhibuimus. Putabant enim Ægyptij, certas quaſdam in firmamento Deorum vniuerſæ naturæ præſidentium ſtationes eſſe, ex quorum influxu omnia inferiora adminiſtrarentur, adeoque nullum eſſe entium gradum in inferioribus, qui non ſuum in firmamento præſidem haberet, ſuique conſeruatorem. Quia tamen quæcunque in Mundo ſunt, quatuor Elementorum promiſcuâ communicatione per commiſtionem inuicem factam, conſtant; ita quatuor Elementorum huiuſmodi præſides veluti earum ἄρχοντες in primis ſtatim Obeliſci faciebus & frontibus poſuerunt, vtpote qui Duces eſſent & Principes ſequentium in columnis ſingulis Numinum concatenatorum; ita vt ſinguli Archontes duodecim haberent veluti ſibi connexam Numinum catenam, vti ex interpretatione patuit, quorum cura & tutela particulares quadruplicis hylæi Mundi œconomiæ adminiſtrarentur: vnde & ab Ignis Archonte Meridionali, reliqui duodecim vocantur igneæ naturæ Præſides; ab Archonte Orientali aëris Præſide, aërei Mundi tutelares; ab Archonte Occiduo aquarum Præſide, aquei Mundi tutelares; ab Archonte denique Boreo, terræ Præſide, duodecim terreſtris œconomiæ Præſides nominantur. Horum enim adminiſtratione vniuerſam Senſibilis Mundi machinam conſeruari putabant.

Deorum in firmamento ſtationes.

Archontes rerum præſides.

Consectarium Secundum.

NOta Lector, nos singula in hoc Obelisco contenta secundùm physicum tantùm sensum interpretatos esse, siue in quantum sensibilis Mundi faciem respiciunt; latent tamen, vt alibi quoque monuimus, sub his, & summa Archetypi Mundi mysteria, quæ omnia tamen facilè per analogiam quandam, eidem applicari possunt. Nam quæcunque in Sidereo, vel hylæo Mundo spectantur, in Archetypo Mundo sunt conditione diuinâ, id est, intelligibilia & solâ mente attingibilia, de quibus cùm in Cabala Hebræorum, Musica, & Theologia hieroglyphica vberrimè actum sit, eò Lectorem remittimus. Latent & in hisce Politici Mundi mysteria, quæ secundùm intentam analogiam alijs applicanda relinquo. Mirum tamen est, Ægyptios sub vnis & ijsdem symbolis sub analogicæ quâdam considerationis ratione, tam varia & diuersa exhibuisse. Vide citata paulò antè loca, & reliqua huius Operis argumenta, vbi passim hanc materiam agitamus.

Consectarium Tertium.

PAtet denique ex hisce, Ægyptios Hieromantas, tùm ad illa iam in præcedentibus exposita, tùm potissimùm in Sidereo Mundo ad 48. Asterismos, quos stationes Deorum nominant, quosque in Astrologia Ægyptiorum fol. 208. sub duobus hemisphærijs exhibuimus, allusisse. Nam si bina hemisphæria citato loco exposita cum huius Obelisci schematis ritè contuleris, idem & Obeliscum, & dictos Iconismos continere luculenter apparebit; tametsi sub alio situ, dispositione, ordine, nominibus repræsentatum. Referunt enim Numinum stationes, in quibus ex particulari influxu in inferiora fidei tutelæque suæ commissa agere opinabantur, vnde & ⲙⲙⲟⲛⲏ ⲛⲧⲉⲫ︦ⲧ︦ stationes seu mansiones Deorum, vti dixi, vocabantur, quòd in ijs vigili curâ rebus sibi commissis intenderent.

Conclusio.

HAbes itaque 48 Iconismorum ab Ægyptijs in cœlo positorum dispositionem, eorundemque physicas interpretationes, quas & secundùm analogiam quandam ad archetypas moralesque rationes accommodabant; ita vt per dicta Iconismorum symbola, intellectualis Mundus intelligatur, in quo distributis officijs vnicuiq; Geniorum choro competentibus, quos tùm in triplici Mundorum serie, tùm potissimùm in animarum sphæris effectus imprimunt, subtiliter insinuabant; hinc enim fatorum ordinem deducebant. Ex hisce Iconismis Geniorum ascendentibus de cuiuscunque Nati fortuna vel fato, infallibilem se coniecturam nôsse posse credebant. Hinc sollicitè singulas dictas Deorum stationes, mox vbi ab Horizonte emerserant, aut ascensione culminarent, quà sacri- *Impia Ægyptiorum & Chaldæorum superstitio ac diuinatio ex Iconismis 48 stellarum.*

sacrificijs, quà ritibus cœremonijsque placare contendebant: vti enim ex aduerso Geniorum ascensu, omnem Nati miseriam & calamitatem dependere credebant, ita ex beneuolo propitioque Agathodæmonum ascensu fortunam & felicitatem sibi pollicebantur; hinc illos sacrificijs, nè nocerent, placare; hos vt prodessent, appropriatis ijs rebus & sacrificijs attrahere contendebant. Cùm verò septem principalia planetarum Numina continuò nunc bona bonis, iam bona malignis, subinde maligna malignis coniungantur; hinc pro ratione coniunctionis prosperæ vel aduersæ de rerum euentibus prosperis & aduersis pronunciabant. Tota hæc Iconismorum congeries quatuor principalia Numina, quæ per quatuor primos quaternorum laterum schematismos indicantur, habebat, quorum virtute influxiuâ, tùm Geniorum concatenatorum in lateribus descriptorum series, tùm inferioris Mundi œconomia gubernatur. Sed hæc de Obelisco Barberino sufficiant.

FINIS SYNTAGMATIS QVINTI.

SYNTAGMA VI.

OBELISCVS CONSTANTINO-POLITANVS

A Theodosio Imperatore in Hippodromo Byzantino erectus.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ANTONIO

Cardinali Barberino, S. R. E. Camerario.

T*HEODOSIANVM Obeliscum*, ANTONI Eminentissime Princeps, Tibi, *qui Theodosianam animam repræsentas, dico ac sisto. Interpretationem affero Ægyptiarum Notarum, vt qui non obscuris, sed apertis beneficentiæ characteribus perpetuum famæ monumentum inscripsisti, discas, etiam in postera secula transmitti, quidquid magnificentia operatur. Etenim Theodosius Cæsar magno animo præditus illum Constantinopoli erexit, vt suæ gloriæ symbolum consecraret; illum pariter ego accuratâ delineatione expressum iterum erigo, sed typis, non machinis; neque vni Byzantio, sed vniuerso terrarum Orbi spectandum, vt sit gloriæ* Tuæ *perenne hostimentum. Quamquam non eges hoc documento vt innotescas posteritati; neque hac Aegyptia mole vt appareas Orbi; Indoles* Tua, *& grandia moliens animus par* Tibi *theatrum excitabunt. Mihi potiùs consulere volui, ne hoc Opere, quo abditam Antiquitatem instauro,* Te *præterirem illaudatum, qui tam benè de nostra Societate mereris: neque enim antiquiùs aliud esse nobis debet, quàm gratam in Benefactores voluntatem ostendere. Vale Ecclesiastici Principatus gloria, & Romanæ Vrbis delicium.*

SYNTAGMA VI.

Obeliſcus Conſtantinopolitanus à Theodoſio Imperatore in Hippodromo Byzantino olim erectus.

CAPVT I.

Hiſtorica relatio de origine & erectione Obeliſci Conſtantinopolitani.

Obeliſcus Conſtantinopolitanus.

POSTQVAM omnes ferè tùm Romæ, tùm in Ægypto ſuperſtites Obeliſcos obtinuiſſem, ſolus Obeliſcus Conſtantinopolitanus, quem à Theodoſio Imperatore olim in Circo maximo Byzantij ſummâ magnificentiâ erectum fuiſſe legeram, ad Operis complementum deſiderabatur. Et vti magno eius tenebar deſiderio, ita nullum non lapidem moui, vt eiuſdem compos fierem, nè omnibus iam obtentis, ſolum illum deeſſe dici poſſet. Mox itaque literas dedi ad Excellentiſſimum Dominum Simonem Renigerum, qui tùm temporis Cæſareæ Maieſtatis apud Turcarum Imperatorem Conſtantinopoli Oratorem agebat; quibus obnixè flagitabam, vt operam ſuam in hoc Cæſareo Opere omnibus numeris abſoluendo conferret; votis autem meis precibuſq; ſatisfactũ iri ſciret, ſi Obeliſci Theodoſiani in Circo Byzantino adhuc ſuperſtitis delineationem propediem tranſmitteret. Cæſareus Orator pro ſumma humanitate ſua, ac pro zelo Reipublicæ literariæ promouendæ, votis meis obtemperandum exiſtimans, ſtatim totum negotium Panaioti Nicuſio Græco, Cæſarei Legati pro tempore in Curia Ottomanica interpreti, Viro ſanè & linguarum peritiâ, & omnigenâ eruditione conſpicuo, commiſit, qui & ipſe de Repub. lit. benè merendi occaſionem minimè negligendam ducens, Obeliſcum mox delineauit, delineatum propediem ad me Romam tranſmiſit. Verùm vt quantâ curâ & ſollicitudine vterque opus promouerit, pateſiat; hìc vtriuſque literas ad poſteritatis memoriam apponendas duxi.

Exemplar literarum Excellentiſſimi Viri Domini Simonis Renigeri Cæſarei apud Turcarum Inperatorem Legati.

Literæ Cæſarei Oratoris apud Turcã.

LIteras Admodum Reuerendæ Paternitatis Veſtræ quarta Ianuarij datas paucis ante diebus, & valde ſerò à P. Iacobo Capucino accepi: ex quibus intellexi, & illud ipſum etiam ex P. Franciſco Martino Soc. IESV oretenus mihi innotuit, Paternitatem Veſtram delineationem & literaturam hieroglyphicam

Obe-


CONSTANTINOP. AVSPICE FERD III
CAESARE

Obelisci Theodosiani hic Byzantij erecti imprimis desiderare; cuius rei curam statim Interpreti nostro Cæsareo, Domino Panaioti Nicusio, aliàs bonarum artium amantissimo, commisi, quatenus delineationem illam omni cum diligentia confectam quò citiùs transmittere possem; sed literæ nimis tardè comparuerunt, adeoque officijs meis successu temporis, quoad fieri poterit, satisfaciam; interim prædictus Dominus Panaioti, qui iam pridem Paternitatis Vestræ notitiam & correspondentiam anhelauit, delineationem quam habuit propriam, hac occasione anticipat, &, Deo volente, breui alia exactiori cum diligentia composita sequetur. Istæ hieroglyphicæ figuræ nullo peculiari colore aut pictura denotatæ, sed simpliciter insculptæ sunt. Si Paternitati Vestræ huius explicationem, aut aliud quoddam perspicacis sui ingenij specimen mihi communicare libuerit, gratiæ & summo fauori erit, promittens me cum Panaioti in alijs ad obsequia futurum, præsertim vbi qua in re Paternitatis Vestræ animus & voluntas nobis constiterit, cuius sacrificijs & deuotis precibus me demùm obnixè commendo. Constantinopoli 15 Iunij, 1654.

Admodum Reuerendæ Paternitatis Vestræ

Deuotissimus seruus

Simon Renigerus m. p.
Resid. Cæsar.

Literæ Panaiotis Nicusij, Cæsarei apud dictum Imperatorem Turcarum Interpretis.

Reu. P.

Trouandomi spesse volte nelle contemplationi delli Teoremi della sua Arte Magna Lucis & Vmbræ (che mi fù mandata, tre anni fà, d'Allemagna) non hò desiderato tanto altra cosa, quanto hò bramato la conuersatione di V. P. R. mà non me lo prometteua la mia professione, essendo costretto di stare quì alla Corte Ottomana nelli seruitij di sua Sac. Ces. Maestà mio Clementissimo Signore. Hò pensato però di scriuerle, & al manco per lettere riuerirla, e dimandarle alcuni quesiti φιλόλογοι; *mà non ardiuo di farlo senza occasione. Lodato sia pur il Signore, che mentre io non poteuo trouare l'occasione, me l'hà mandata tanto à proposito, che non potrei desiderare migliore: perche è gionta la lettera del Molto R. P. Chrisanio, & doppo pochi giorni è successi anche la di lei gratissima lettera scritta all'Illustrissimo Signore Residente Cesareo, per li gieroglifici della Colonna di Teodosio, li quali son stato commandato di procurare. Et ecco quì le mando vn* σχέδιον *delli sudetti gieroglifici, che haueuo io fatto già doi anni fà per mia curiosità; & doppo li farà pingere con maggior diligenza, & con la prima* Literæ Cæsarei Interpretis apud Turcam.

ma occaſione li manderò. C'includo anche vn piccolo Trattato Arabico di جف *Giaf, che è il più ſtimato appreſſo li Orientali in queſta ſcienza. Queſte due bagatelle ſpero che otterranno tanta gratia & familiarità appreſſo V. P. R. che per eſſe anche io ſpero d'entrare alcune volte à riuerirla per lettere. In tanto la ſupplico d'accettare queſti χέδια (che così χεδίως vengono da me chiamati) e la prego impiegarmi e commandarmi doue vaglio à ſeruirla in queſte parti Orientali; & per fine la riueriſco humilmente. Da Conſtantinopoli 15 di Giugno, A. 1654.*

Di V. P. R.

Deuotiſſimo ſeruitore

Panaioti Nicuſio Interprete di ſua Sac. Ceſ. Maeſtà appreſſo la Corte Ottomana.

His tanquam authenticis literis præmiſſis, iam hiſtoricam relationem auſpicabimur, quæ ita ſeſe habet.

Hiſtorica relatio Obeliſci Conſtantinop. Theodoſius Imperator, Conſtantini Magni Cæſaris glorioſa molimina ſecutus, cùm Conſtantinum Magnum Circum maximum Byzantij ad Circorum Romanorum formam conſtruxiſſe eo animo intellexiſſet, vt eum Obeliſco omnium maximo, quem Thebis Alexandriam iam deuexerat, veluti perenni quodam glorioſæ memoriæ ſuæ monimento condecoraret; fatis verò functo Conſtantino, Obeliſcum illum, quem Alexandriæ relictum Conſtantinus Byzantino Circo deſtinarat, Conſtantium filium eius Romam delatum in Circo maximo conſtituiſſe; nè Byzantinus ille Circus à Conſtantino ſummâ magnificentiâ conſtructus, & Romano prorſùs in omnibus par, ſine Obeliſci ornamento indecorus remaneret: peritos rerum Viros in Ægyptum amandaſſe fertur, vt quotquot melioris notæ Obeliſcos poſt Romanorum ſpolia reliquos reperirent, Conſtantinopolim deueherent. Quibus adductis mox celebriora Vrbis loca deputata ſunt, inter quæ & Circus maximus vnus fuit, qui præſentem hunc Obeliſcum excepit. De cuius magnificentia, magnitudine, Coloſſis, conſule Petrum Gyllium Gallum in Topographia Vrbis Byzantinæ l. II. c. XI. vbi omnia diligentiâ ſummâ & acri ſtudio tractata leguntur. Nos ea ſolùm, quæ Obeliſcos concernunt, ex eius Topographia hoc loco allegabimus; de quibus inter alia hæc adducit:

Petrus Gyllius. *In medio Circo, quem Græci Hippodromum appellant, Obeliſcus ex Thebaico lapide factus extat; cuius cùm non meminerit antiqua regionum deſcriptio, memineritque Obeliſci Thebaici quadrati, quem ponit in V regione; arbitrarer hunc terræ motu euerſum, tranſlatum fuiſſe in Hippodromum à Theodoſio poſt editam deſcriptionem regionum, niſi hæc Theodoſianorum operum multorum meminiſſet,*

*fit, & nisi præteriret nonnulla in commemoratione regionum, quorum postea meminit in generali Vrbis descriptione. Habere itaque plures Obeliscos Constantinopolis potuit, ex quibus nunc superest ille Thebaicus, quem in V regione ponit antiqua regionum descriptio. Duos adhuc exstantes vidi, cùm primùm venissem Byzantium; vnum in Circo maximo, alterum intra claustrum Regium, in latere primi collis vergente ad Septentrionem, quadratum, ex lapide Thebaico factum, erectum iuxta domum vitriariarum officinarum Regiarum, sed paulò post euersum, & extra claustrum elatum vidi iacentem, longum 35 pedes, cuius singula latera, si benè memini, 6 pedes lata perimetrum illius efficiebant 24 pedum. Hunc Antonius Priolus Venetus nobilis emit Venetias exportaturus, & in foro Diui Stephani locaturus. Alter verò in medio Hippodromo pro meta in hunc diem exstat supra quatuor tesseras æneas latas quoquouersus sesquipedem, altas tantundem, sustentatas basi & stylobata. A solo duos gradus habet stylobates, quorum inferior à terra altus est pedem vnum, cuius latitudo pedalis; superior gradus alios duos pedes, proiectus extra stylobaten quatuor pedes, & totidem digitos; gradus subiecti non sunt stylobatæ, sed adiecti & adstructi veluti suggestus, vt apparet ex commissura, supra quos latus quoque versus 12 pedes stylobates eminet in altitudinem 4 pedum & 8 digitorum, & extra basin proijcitur sesquipedem. Præter hos quatuor pedes & sex digitos, stylobates pedalem altitudinem excedit non extra basin eminentem; nam ex summo stylobatæ eminet striatura alta pedem & tredecim digitos quadrilatera, nempe ex perpetuo, vno, eodemque lapide constans, quo stylobates. Nam stylobates emittit suam supremam partem non solùm sesquipede strictiorem, quàm infimam, sed etiam angulis mutilatam, locoque quatuor angulorum diminutorum existunt quatuor lapides quadrati marmoris Thebaici rubentis, singuli alti sesquipedem, nempe quantum striatura stylobatæ, his quatuor angularibus lapidibus interclusa, qui cum intermedia parte suprema stylobatæ sustinent basin altam pedes 7 & 13 digitos, proiectam extra imum scapum Obelisci sesquipedem, quoquouersus patentem nouem pedes totidemque digitos; quæ tota insculpta est, vti stylobates, qui statuis eminentibus omnia latera incisa habet. Ex Septentrionali quidem latere expressæ sunt statuæ, duobus ordinibus sculptæ, quorum inferior continet 18 statuas, & duas ergatas; earum singulas quaterni homines versant vectibus, quibus funes ductarij circum ergatas voluuntur, Obeliscum iacentem trahentes. Tùm in eodem ordine sculptus est Obeliscus rectus, vt nunc est; tùm statuæ tres, quarum Constantinopolitani prædicant vnam esse Magistri, alteram Discipuli, quem Magister, nisi interposita tertia persona retentus fuisset, castigare conatur, quòd se absente Obeliscum erexisset. In superiori ordine binæ ergatæ cernuntur cum ergatis inferioribus Obeliscum iacentem trahere, versatæ singulæ à quatuor hominibus circumuoluentibus validos funes, benè eminentibus loris expressos &c. Hunc Obeliscum posse etiam Byzantios machinatores in alium locum transferre incolumem, aduerti ex columna sita in dorso vallis Constantinopolitanæ, quæ parum cedebat Obelisco. Hanc à suis sedibus deiici in terram vidi, in hunc ferè modum (*quo haud dubiè & Obeliscum erexerunt, aut erectum in alium locum transferre potuerunt. *) Circa columnam, aliquo tamen interposito spacio, trabes ingentes crebras in quadrum dispositas, in solo defixas, columna ipsa excelsiores, erexerunt,*

Obelisci Constantinopolitani Basis.

Basis Obelisci Constantinop. ornatus.

Columna Constantinopoli erecta.

xerunt,

xerunt, paribus interuallis inter se distantes; supra trabes imposuerunt transuersa tigna, omnia inter se firmissimè reuincta, ex quibus trochl as creberrimas appenderunt, per quas traiecerunt validos funes ab imo columnæ scapo ad summum surgentes, ad columnam strictissimè alligatos densis funibus, vt se contingerent, & transuersis rectos veluti tramis stamina secantibus, formam textilis operis repræsentantibus, extra quadraturam trabium similitudinem turris quadratæ gerentium. Ergatæ vtrimque multæ in terram defixæ erant, versatæ à multitudine robustissimorum iuuenum funes istos validos, quibus columna cingebatur, trahentium tam diu, quoad columnam à sedibus subtraxerunt; deinde sensim detrahentes in terram deiecerunt, & curribus impositam firmissimis, quos rotæ crassissimis ferris cinctæ sustinebant, traduxerunt incolumem in collem tertium ad Solimani Regis ædem ornandam. Sed ad Obeliscum redeamus.

Habet is in latere stylobatæ Occidentali Obelisci, teste Petro Gyllio, hoc epigramma Græcis literis incisum.

ΚΙΟΝΑ ΤΕΤΡΑΠΛΕΥΡΟΝ ΑΕΙΧΘΟΝΙ ΚΕΙΜΕΝΟΝ ΑΧΘΟΣ
ΜΟΥΝΩΣ ΑΝΑΣΤΗΣΑΣ ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ΒΑΣΥΛΕΥΣ,
ΤΟΛΜΗΣΑΣ ΠΡΟΚΛΟΣ ΕΠΕΚΕΚΛΕΤΟ, ΚΑΙ ΤΟΣΟΣ ΕΣΤΗ
ΚΙΩΝ ΗΛΙΟΙΣ ΕΝ ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΥΟ.

Obelisci Constantinop. inscriptiones.

In latere verò Orientali ex opposita plaga, Latinum epigramma inscriptum videtur, veluti Græci epigrammatis interpres quidam, & sic sese habet, quantum legi potuit.

DIFFICILIS QVONDAM DOMINIS PARERE SERENIS
IVSSVS, ET EXTINCTIS PALMAM PORTARE TYRANNIS,
OMNIA THEODOSIO CEDVNT, SOBOLIQVE PERENNI.
TERDENIS SIC VICTVS, DVOBVSQVE DIEBVS
SVB IVDICE PROCLO SVBLIMES ELATVS AD AVRAS.

Basis Obel. Constantinop. ornatus.

Pergit porrò Author describere ornatum, quo Obeliscus condecorabatur. *In Meridiano*, inquit, *latere duplex ordo statuarum exprimitur; inferior quatuor currus, partim biiuges, partim quadriiuges habet, quorum vnumquemque vnus regit auriga; superior ordo continet duos Equites, tres pedites, togatos tres, Obeliscos duos,* (Intellige pyramides duas) *quatuor columnis in quadratum dispositas epystilia sustinentes. Iam verò ex Boreali basis latere sculpti sunt quatuor ordines, continentes 35 statuas togatas. Ex latere Occidentali eminent duo ordines, quorum inferior habet nouem statuas, supplices offerentes munera Regi, qui stat in superiori ordine cum statuis decem & sex. Latus Meridianum duobus ordinibus distinctum est, inferiore decem statuas togatas exprimente, superiori 20, togatas omnes, exceptis quatuor clipeatis. Latus Orientale habet in parte inferiori tres ordines; infimus continet decem & sex personas, alias viriles, alias muliebres saltantes, alias organa pulsantes; supra quas eminent duo ordines capite tenus; puta spectatores. Superior ordo reddit 20 statuas; harum sex ab alijs, distinguuntur columnis; media coronam tenet manu. Supra basin extant quatuor tesseræ æneæ, quibus in quadratum dispositis totus Obeliscus sustinetur, cuius quidem quadrati singula latera ima lata sunt cir-*

citer

citer sex pedes, ab imo ad summum sculpta notis Ægyptiacis. Reliqua Circi ornamenta vide apud citatum Authorem.

Ex hac relatione patet Obelisci totius symmetria. Cùm enim ex suppositione basis Obelisci singula latera habeant sex pedes, pes autem palmum $1\frac{1}{2}$ contineat, erit basis latitudo in singulis lateribus necessariò 9. palmorum. Cùm præterea in Obelisco Pamphilio demonstrauerimus, Obeliscorum altitudinem vsque ad pyramidium, decuplam esse ad basis latitudinem; 9 ducta in 10, dabunt 90 palmos, dicti Obelisci altitudinem. Et cùm pyramidion vtplurimùm altitudinem habeat lateri basis æqualem, basis autem 9 palmos habeat; Obeliscus necessariò 99, aut quasi 100 palmorum altitudinem obtinebit: cui si accesserint stylobata & striatura eius, quæ 9 pedes in altum extra pauimentum emergunt; erit totius Obelisci altitudo quasi 114 palmorum; siquidem vera esset dimensio Petri Gyllij, & pedem Gyllianum sesquipalmo Rom. æquari nobis certò constaret. Quicquid sit, assignatam mensuram supra solam hypotesin fundatam interim Lector accipiat, donec eximius Vir Panaiotus Nicusius suprà laudatus exactiorem nobis, pro sua diligentia, dicti Obelisci symmetriam exhibeat. Sed iam ad interpretationem dicti Obelisci expediendam progrediamur. Obelisci Constantinop. symmetria.

CAPVT II.

Argumentum Obelisci.

COntinet hic Obeliscus primò, quomodo ritus & cœremoniæ à Sacerdotibus ad Intellectualis siue Genialis Mundi normam & exemplar, tùm ad politicum regni statum rectè beatèque administrandum, tùm ad bonorum omnium vbertatem consequendam, ordinandi sint. Nam, vt suprà in expositione Obelisci Lateranensis ostendimus, cùm regnum quodpiam, nisi in diuini Numinis rationibus fundatum, longo tempore consistere minimè posse cognoscerent; Deo autem, Genijs asseclis, ministrisque nihil gratius acceptiusque esse posse, quàm si ad eorum Ideales rationes, omnes actiones suas tam priuatas, quàm publicas constituerent, ex Hermeticis libris didicissent; certè omne eorum studium & conatus eò vertebatur, vt quàm exactissimè, iuxta præscriptas sibi ab Hermete leges, omnia peragerent; minimè fieri posse sibi persuadentes, Numina votis suis vnquam defutura, quæ tanto rituum & cœremoniarum apparatu sibi conciliassent. Quæ omnia continentur in hoc Obelisco, vbi in lateribus A R H Y primo loco occurrunt figuræ, quarum quædam ingeniculatæ, aliæ partim stantes, partim ingeniculatæ mitrato vertice, vti & varijs gesticulationibus, veluti de magnis rebus consulturæ spectantur. Quæ quidem duplicem significationem habent: prima Agathodæmonum supramundanorum operationes exhibet; quorum alij sedere videntur, quia supremi Numinis influxui immediatè substant, alij stantibus Obelisci Constantinop. argumentum. Primi loculamenti figuræ.

bus veluti potestatibus altioribus sibi præstitutis subduntur, iussa supremi Numinis operturi; nonnulli mitrato vertice & baculis illustres sunt, quia potestate à supremo Numine sibi communicata pollent; hieralpha quasi omnes adiunctum habent, quia Agathodæmones, vti dixi, supramundani sunt, benefico supremi Numinis charactere insigniti; varijs gestibus quidpiam magni momenti consulturi cernuntur, queîs quidem summa sollicitudo, cura, ac diligentia innuitur, quâ iussa Numinis promptè exequi desiderant. Atque hæc est prima significatio. Secunda significatio exemplar quoddam Sacerdotibus propositum exhibet, quo ritus & cœremonias suas instituant; qui in adytis suis de rebus magni momenti Deos consulturi eo prorsùs habitu, quo Numina symbolicè efformata spectantur, rem sacram peragere monebantur; vt si eorum operationes essent Deorum operationibus ἀναλογώτεραι, ita maiorem quoque hoc pacto instituta sacrificia effectum sortirentur. Hinc nudi, mitrati, sceptris instructi, nunc stantes, modò ingeniculati, varijsque gestibus in variam speciem transformati sacra obire solebant. Quæ omnia vera esse, Iamblichus de mysterijs Ægyptiorum pulchrè docet, & nos in Magia & Theologia, vti & in Tabulæ Bembinæ expositione fusè ex omnigena authoritate demonstrauimus, ad quam Lectorem curiosum remittimus.

Secundi loculamenti figuræ.

Quoniam verò supramundanorum huiusmodi Agathodæmonum operationes otiosæ forent, nisi in aliud tenderent; hinc in secundo loculamento quaternorum laterum B S I Z, aliam seriem Intelligentiarum exprimunt, quas Mundanas vocant, & sensibilis Mundi administrandi curam suscipiunt. Hæ supramundanis immediatè substant, eorumque influxibus illustratæ, de rerum omnium necessariarum vbertate prouident; cuius symbolum est, Papilio δερμοντόπτερος fere singularum capitibus impositus; & Mundani Agathodæmones sunt, vt hieralpha ipsis appositum docet. Quia tamen in hisce Intelligentiarum choris, ordinis necessitate sic postulante, alij præsunt, alij subduntur; Præsides rectè per tiaram & sedem, potestatis symbola, indicantur; subditi verò ministrorum munere fungentes, tiara priuati, & ante Præsides ingeniculati, suam in ijs, quæ à Præside iubentur, exequendis obedientiam, subiectionem, & promptitudinem, vel ipso corporum positu sat superque significant; hoc ipso occultè, quid in Regno quopiam ritè administrando fieri oporteat, indigitantes. Quæ omnia cùm in Politica Ægyptiaca, vti & in expositione Obelisci Lateranensis amplissimè exposita sint, eò Lectorem remittimus.

Tertij loculamenti figuræ.

Iterum cùm Mundanæ Intelligentiæ in Mundana administratione proximè Sidereum Mundum influant; hinc proximè sub secundo receptaculo tertium, C, videlicet Sidereum Mundum, non meliori ratione quàm per Accipitrem exhibendum duxerunt, id est, Osirin cœlestem, Solare Numen, potestate suâ vitam, motum, calorem in omnibus sensibilis Mundi partibus instillans. Nam hic in Osirin hylæum siue elementarem, qui per Bouem & Aspidem, statuasq; Agathodæmonum inferiorum aptè indicatur, virtutem suam propagat, ac veluti per ministros suos omnia animat, fœcundat, conseruat.

Ve-

Verùm cùm hæc in alijs Obeliſcis expoſuerimus, ijs non immorabimur. Hoc loco alicui fortaſſis dubium naſci poſſet, cur in tertio latere, in ſpacio K, non Accipitris, ſed Bouis figura collocetur? Reſpondeo, non ſolùm Accipitrem Solaris Numinis ſymbolum fuiſſe, ſed & bouem, vti fusè in Obeliſco Pamphilio, in Hierogrammatiſmo Bouis, & in tabula Bembina in triadis Serapeæ interpretatione docuimus. Accipiter & Bos vnius & eiuſdem Solis ſymbola fuerunt, non niſi diuerſitate operationum diſtincti. Hinc ſicuti Accipitrem Porphyrius ἔμψυχον τοῦ ἡλίου ἄγαλμα *viuam Solis imaginem*; ita Plutarchus Bouem ἔμψυχον Ὀσίριδος εἰκόνα, *viuam Oſiridis imaginem* dixit, vti paſſim in hoc Opere dictum fuit; vt proinde Ægyptij hæc paſſim confuderint. Quæ tametſi veriſſima ſint, quia tamen Ægyptij nihil ſine optima ratione tranſigebant, ita quoque altiori quodam conſilio adducti, loco Accipitris hoc latere Bouem poſuiſſe videntur: quod expono. *Bos Solaris Numinis ſymbolum.*

In Boreali plaga, cui hoc latus obuertebatur, videlicet in inferiori Ægypto, paſcuis & vireſcentibus agris fœcunda, maximè Bouis cultum viguiſſe, ampliſſimè in Syntagmate de Chorographia Ægypti docuimus; Oſiris ſiquidem cœleſtis, per Bouem indicatus, maximè in vbertate rerum præſtanda, alijſque naturæ beneficijs concedendis virtutem ſuam exerebat, vt brachium cum Capreolo vitis Boui ſuppoſito pulchrè docet. Hinc non inconuenienter loco Accipitris, Bouem huic lateri Boreali inſculpsère, vt Solis in agriculturæ operibus beneficia, cuius Bos ſymbolum erat, occultè innuerent; Accipitrem verò reliquis plagis calore & ſpiritu abundantibus obuerterent. Lector tamen vtramuis hîc propoſitam rationem ſine errore tenere poterit. *Bouem loco Accipitris cur poſuerint Ægyptij.*

Atque hæc eſt Epigraphe Obeliſci, quâ indicabant, quòd ſicuti à ſupremo Numine per Potentias ſuperiores influxus ordine ſanè mirifico continuatus per varias Mundorum conſtitutiones datur, ita quoque in Politico Mundo fieri deberet. In quo Rex quiſpiam ſupremi Numinis vices obtinens, per Proceres Regni influit in medij ſtatus homines, & per hos in plebem, ſingulis de neceſſarijs prouidendo. Atque hoc pacto inſtitutum Regnum ſuo in vigore conſeruari poſſe, vnicè ſibi perſuadebant. His itaq; ordine explicatis, iam ad columnas ordine poſitas explicandas procedamus. *Politici ſtatus Idea.*

§ I.

Lateris primi explicatio.

NOta Lector, hunc Obeliſcum adeo ſimilem eſſe Obeliſco Lateranenſi, vt non immeritò epitome quædam illius dici poſſit; cùm ferè eadem in hoc vbique occurrant hieroglyphicorum Syntagmata, quæ in illo, paucis tamen immutatis, vti iam apparebit. In lateris itaque primi columna poſt epigraphen è regione E frequentiſſimus ille Papilio oc- *Obeliſcus Conſtantinop. ſimilis Lateranenſi. Lateris I. Obel. Conſtant. expoſitio.* E

 cur-

F currit, cum thyrſo papyraceo, quem è regione F ſequuntur duæ figuræ,
G ſtatua ſedens cum Accipitre; huic è regione G alia ſtatua occurrit cum
H baculo incuruo, quam è regione H duæ pennæ cum hieralpha ſequuntur,
I & duobus ſceptris; & è regione I ſacra tabula, globo, heptapyrgo, Scarabæo, & Niloſcopio inſignita. Quæ quid ſignificent, aperiamus.

Diximus quomodo per epigraphen Vniuerſalis diuini Numinis, in ſubditos ſibi Mundos, Intellectualem, Sidereum, & Hylæum, influxus indicetur. Sequitur itaque modò, quomodo in particularia Numina influat, & quomodo hæc rebus ſibi commiſſis prouideant; inter quæ Principem ſanè locum obtinet Dæmon polymorphus per Papilionem indicatus, cuius munus proprium eſt ſingulis conſentaneam formam tribuere, tam in Sidereo & Elementari, quàm Politico Mundo. Quocirca tacitè per hunc indicârunt, quòd ſicuti in Mundo poteſtas quædam eſt, quam Platonici εἰδοθέαν vocant, quæ vnicuique quod ad conſeruationem ſui neceſſarium eſt, tribuit; ita in politico Mundo eſt Archetypus Regis intellectus, qui per leges ſalutiferas, vnicuique quod ſuum eſt, tribuit. Vt enim politicum corpus in ſuo vigore conſeruetur, intellectui Regis conformis fieri debet intellectus ſubditorum, Platone teſte; quà conformitate efficitur, vt quiſque bono communi prouidendo laboret. Atque hanc politicam adminiſtrationem pulchrè notat Papilio, qui iuxta diuerſæ ætatis conditionem, alia & alia forma, prout ſuæ neceſſitas naturæ poſtulat, transmutatur. Quæ omnia vberrimè tractata vide in Obeliſco Pamphilio, alijſque huius Operis locis.

Polymorphi Dæmonis officia.

Porrò polymorphus hic Dæmon potiſſimùm ſuam in Sole ſedem, tanquam in principali naturæ inſtrumento fixiſſe videtur; quod indicant binæ ſequentes ſtatuæ F accipitris, & ſtatua accipitrina. Nam in Sole ſe transformare dicitur in Accipitrem, quia vitæ, caloris, motuſque Solaris ſubſidio magnam efficit in inferioribus Mundis, qui per ſegmenta indicantur, rerum varietatem; cultuſque illi exhibebatur ſub Accipitri-
F no ſimulachro F. Eſt enim dominio potens, vti ſtatua cum baculo incuruo docet; & Agathodæmon omnia penetrans, duplici ſceptro inclytus,
H vti duæ pennæ cum hieralpha è regione H monſtrant. Quoniam verò hic ſubinde ad indignationem permouetur; ad eum placandum ſacram
I tabulam I, veluti propitiatorium quoddam monimentum poſitum eſt. Conſtat autem Orbe ſupremi Numinis indice, heptapyrgo in quod influit, Scarabæo Oſiris hylæi indice, & Niloſcopio in quod agit, & cuius cuſtos putatur. Sequuntur iam effectus ſacri geſtati periapti, ſegmen-
K tum K, heptapyrgon cum Serpente, ſegmento, circulo, & brachio, L Ac-
L M cipiter cum ſceptro & Serpente, M cycloides, oculus, & brachium, N
N X ſecuris cum litera X, Serpens G cum cycloide, duo cornua Arietis, &
G P Serpens P, tria receptacula piſcinæ ſacræ, cycloides cum heptapyrgo, &
Q Q fauiſſa cum oculo & ſceptro; quorum omnium ſenſus iſte eſt, qui ſe-
K quitur. K *Heptapyrgum tàm in ſidereo, quâm Politico Mundo vita & benefi-*
L M *centia* L *Oſiridis viget;* M *cœleſtis diuinæq; & beneficæ prouidentiæ oculus,*
N N *Vniuerſum penetrando, vita cœleſti, & Ammoniâ fœcunditate* P *ſacræ tri-*

for-

formis Numinis piscinæ receptacula, heptapyrgi cœlestis Præsidum, sauissæ dominantium subsidio implet.

Scholium.

IN hoc itaque latere ostenditur, quomodo supremum Numen in immediatas supramundanas Intelligentias primùm, deinde per has in sensibilis Mundi administratrices, per has demum in Solaria siderei Mundi Numina, & tandem per hæc in hylæā œconomiam influat; quod fig. in 1. latere A B C D notant. Deinde quomodo per polymorphum Dæmonem in Solare Numen, hoc est, Osirin, omnium inferiorum dominatorem & Agathodæmonem, vim suam diffundat; hic in heptapyrgum, & Osirin hylæum, & Niloticum, vti tabulæ sacræ symbola significant; vt proinde si quandoque Numen offensum fuerit, nullo meliori, quàm hoc amuleto id placari posse contenderint. Vbi nota, has plerasque figuras in Obelisci Lateranensis columna prima lateris primi contineri, tametsi fusioribus ibi symbolis adornatæ sint. Verùm cùm innumeris locis dictæ figuræ iam expositæ sint; operam perdam, si alibi adductam authoritatum farraginem hoc loco repetiero. Quare ad secundi lateris expositionem progrediamur.

Epitome primi lateris.

ABCD

§ II.

Secundi lateris expositio.

HVius lateris symbola (paucissimis exceptis) in Obelisco Lateranensi ijs symbolis, quæ in secunda columna lateris secundi à litera Y vsque ad B, & à C vsque ad E occurrunt, congruunt, vti vnum cum altero comparanti luculenter patebit.

Lateris 2. Obel. Constant. expositio.

YBCE

Præmissis itaque ac suprà explicatis symbolis, quæ in loculamentis secundi lateris R S T V continentur; iam sequitur è regione W Aspis striata & surrecto pectore, cum Accipitre dormiente, quam sequitur thyrsus papyraceus cum Sacerdotis figura, & catena; hæc sequuntur Y Noctua, Z Accipiter crateri insidens, cum brachio Capreolum vitis manu tenente infra craterem posito, tres termini, cum receptaculo piscinæ sacræ, & brachio extenso capreolato; quod sequuntur duo capita Leonis, cum A Papilione, thyrso papyraceo, & tabula sacra B; quam sequuntur ordine, oculus C, retinaculum, Serpens, Noctua D dodecapyrgo insidens, tres vrnæ Niloticæ, Serpens, hydroschema E, dodecapyrgum, segmentum, & reliqua symbola, eò prorsùs ordine, quo in columna secunda lateris secundi Obelisci Lateranensis ab Y litera, vsque ad E sese ordine consequuntur. Et indicant leges Niloticas Ægyptiaco Regno conseruando necessarias. Verùm cùm iam singularum interpretationem

RSTV W YZ AB CD E YE

citato loco exhibuerim, eam Lector suprà fol. 198 & sequentibus contentam consulere poterit.

§ III.

Tertij lateris expositio.

Lateris 3. Obel. Constant. expositio.
HIKL
M
N

EXplicatis schematismis H I K L, iam reliqua tertij lateris schemata exponemus; vbi primo loco M Papilio iam sæpe sæpius memoratus, cum suo thyrso papyraceo, & sequente sacra tabula N, occurrit; quibus indicatur, polymorphum rerum necessariarum largitorem Dæmonem, placabilem fore huius amuleti vsu. Sacra tabula continet circulum, Scarabæum, bina sceptra, & hydroschema. Per circulum, suprema diuinitas; per Scarabæum cum adiuncto circulo, & bina sceptra, hylæus Osiris, eiusque duplex dominium in aqueam substantiam prænotatur; & & eâ ratione se habet ad polymorphum Dæmonum, vti principium passiuum ad actiuum: quod enim polymorphum Numen sapienter dispo-nit, id hylæus Osiris, dum mille formarum discriminibus rerum inferiorum species exornat, summâ curâ exequitur. Sequitur modò è regione
O
P
O cycloides, hydroschema, circulus, & feretrum; quêis indicatur, ad cœleste humidum attrahendum, necessarium cultum dictorum Numinum adijciendum; his enim Noctua Typhonia P, quæ continuas insidias eidem struit, vnicè propulsatur; hâc propulsatâ, Q dominium catenæ Numinum per appropriatum Numini cultum trahitur, videlicet Horus beneficus R, per pueri caput indicatus, qui & piscinæ sacræ se inserit; Osiris amilictus placatur, cœloque in piscinam sacram hylæam dilapsus, occulto motu fœcundat aquas ad rerum omnium necessariarum vbertatem, triplici dominio potens, præstandam. Per Accipitrem inter R & S, & securim Osiris amilictus indicatur, estque vis quædam implacabilis potentiæ, quæ omnia superfluâ & malignâ vi prædita in Mundo resecat; cycloides cœli index est, thyrsus verò T papyraceus, & piscina sacra, cui duo pedes adiuncti sunt, indicant occultum Numinis cœlo dilapsi motum in piscinam sacram, qua rerum necessariarum abundantia spondetur; tria sceptra triplex, vt iam suprà dictum fuit, notant dominium. Sequuntur hæc, figura V, porta Thausti, quæ in solennitatibus in adytis constituebatur, flammis conspicua, quam Thaustus, id est, Accipitrinum Numen, bono omine ingressum, vbertatem rerum per congruum Nili incrementum, quod Nilometrica scala ei adiuncta signat, spondebat. Hinc Sacerdotes ante portam Mercurialem, quæ per literam W duobus Canibus munitam indicatur, varijs sacrificijs, quæ per X indicantur, intenti ad Numen propitiandum inuigilare solebant; X aram signat in arcus cœlestis similitudinem expressam, in cuius medio phiala sacrificij symbolum, quod iuxta leges Hermeticas, per tres terminos Y indicatas, peragere consueuerunt.

Q
R
R S
T
V
W
X
Y

Vides

Vides itaque in hoc latere Numinum concatenatorum in vniuersas Mundi semitas diffusam beneficam vim; & quibus illa, si quandoque ad indignationem concitata fuerint, placanda sint. Vides quomodo polymorphus Dæmon in Osirin hylæum cœlestis humidi vim deducat; & quomodo horum cultu, subditorum illi Numinum intermediorum catena trahatur, Hori benefici, Osiris amilicti, Thausti, Mercurij; & quomodo per portas singulis attributas defluxus supernus, per præuiorum tamen sacrificiorum dispositionem ex vna in alteram deferatur. Sed hæc quoque descripta vide in expositione columnæ secundæ lateris tertij, Obelisci Lateranensis.

§ IV.

Lateris quarti expositio.

SChematismis V Z A B in hoc quarto latere suprà expositis, iam reliqua declaremus. Itaque è regione Citerum nullibi non obuius Papilio cum thyrso suo occurrit, quem E sacra tabula immediatè excipit; & indicat polymorphi Dæmonis in Mundum politicum influxum, vti sacra tabula E ostendit, circulo, heptapyrgo, Scarabæo cum circulo, & oculo insignita; queîs indicatur, quòd sicuti in Mundo sensibili, supremum Numen in heptapyrgum cœleste septem planetarum, quorum omnium Osiris dux est oculus Mundi; ita & in Solem politicum, id est, architectonicum Regis intellectum, & in septemplices Regni status, quos in Politica Ægyptiorum exposuimus, iuxta intentam analogiam influat. Quomodo autem id fiat, signa sequentia ostendunt, globus F ἐφι-κυκλο-πτε-ρόμορφος, fauissa, oculus cum vase Nilotico, & sceptro, G Accipiter feretro insidens, H heptapyrgum, piscina, cycloides, corona, Noctua dodecapyrgo insidens &c. Globus itaque alatus, vti iam sæpe dictum fuit, triforme Numen indicat, siue tres in Deo potentias, vti Suidas docet; quæ cùm vnum sint rerum omnium principium, meritò ab eo veluti prædiuiti Oceano quodam emanant omnia. Sed hæc vti digna sunt consideratione, ita paulò altiùs de ijs philosophari visum est.

V Z A B
C
Lateris 4. Obel. Constant. expositio.
E
F
G H

Expositum iam sæpius est, Ægyptios primos fuisse Theologiæ conditores, posteros verò, quotquot ex primi nominis Philosophis extiterunt, Ægyptiorum sacerrima veluti quædam dogmata amplexatos fuisse; & inter hos fuêre Platonici, qui triadem diuinam, ad vnum omnes, Ægyptios secuti, confessi sunt. Quod vt appareat, Platonem hoc loco adducemus, qui l. 11. de legibus expressè asserit, Ioui supremo Mundi Architecto trinitatem quandam Numinum, quam δημιουργικὴν, id est, opificiam vocat, semper astare; in qua quidem trinitate, prima sit Pallas, secundus autem Vulcanus, Mars verò tertius. Sed quemadmodum trinitas tota ad Iouem ipsum, à quo est, refertur; ita fermè Vulcanus & Mars referuntur ad Palladem. Viget in Marte potentia, in Pallade sapientia; in Vulca-

Plato.

no igneus spiritus; quæ tria ad ipsam Iouis artem, quâ Vniuersum perficit, requiruntur. Primum quidem ratio ipsa, per quam singula sit facturus; secundum efficax eorum, quæ conceperat, expeditio; tertium eorum, quæ in effectum expedienda sunt, salus & defensio. Ideam primi Palladem; secundi Vulcanum; tertij Martem nominant. Et quia vtrumq; , sc. tam conseruatio, siue defensio, quàm expeditio vel expressio rerum indiget ratione atq; sapientiâ; ideo Pallas & Vulcano & Marti præest. Quidquid enim vel à Vulcano fabricatur, vel à Marte, postquam fabricatũ est, defenditur, & in sua forma seruatur, Pallade duce peragitur. Horum verò trium in arte diuina regnantium, tria quoque in natura videmus vestigia. Per Palladem quidem ordinem, quo singula disponuntur; per Vulcanum, efficacem progressum & promptum quasi portum, ad quæ omnia properant; per Martem deniq; munitissimam structuram à generantibus adhibitam genitis, & varia propugnacula naturâ propriam à contrarijs defendentia. Tria similiter in arte humana quidem omni, maximè verò ciuili esse debent; vt singula & sapienter, antequam fiant, excogitentur, & maturè strenuèque expediantur, & eâ formâ, quâ excogitata exprompta que sunt, seruentur atque fortiter defendantur. An non hæc aptè congruunt Trinitati supremæ quæ Ægyptijs Hemphta dicitur? Certè quos Ioui asseclas ponit Plato, Palladem, Martem, & Vulcanum, hos Ægyptij Hemphta, teste Iamblicho lib. de myst. ponunt, Amun, Phta, & Osirin; quorum Amun Opifex intellectus veritatis atque sapientiæ Dominus occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem; Phta omnia sine mendacio peragens, omnia artificiosè simul cum veritate constituit, quem & Vulcanum vocant; Osiris verò bonorum effector, omnia virtute suâ corroborat, defendit, conseruat.

F Sed vt ad institutum reuertamur; ab illo F triformi Numine, vt cum Ægyptijs loquar, à supremâ illa piscina, ab oculo illo supramundano omnibus prouidente, ab Osiride illo G Archetypo omnibus modis
G colendo, H heptapyrgum illud ciuile cœlesti munimine roboratur; No-
H ctua Typhonia K à dodecapyrgo ciuili, qui sunt Magistratus, propulsa-
K tur; beneficentiâ Numinum ijs præsidentium, ab heptapyrgo quoq; ci-
N uili omnia aduersa reuocantur. N cœlesti vigilante Anubi, Horus Vniuersi dominator vitam in omnes politici Mundi terminos diffusam largitur; vnde omnia animantur, omnia membra in boni communis curam inuigilant, qui est totus humanæ felicitatis finis.

Atque hæc sunt, quæ in hoc Obelisco Constantinopolitano hieroglyphicis figuris expressa continentur; quo Sacerdotes & ad solium Regni apti homines monebantur, vt Rempubl. suam ad supramundanarum rationum exemplar instituerent; & ad sensibilis Mundi œconomiam, si eam duraturam continuâ bonitate gaudere vellent, adornandam susciperent; hoc enim pacto Numinum sibi præsentiam, & contra aduersa assistentiam, firmum semper præsidium se habituros confidebant.

FINIS SYNTAGMATIS SEXTI.

SYN-

I. La
ientale
II. La
ntrionale
III. La
cidentale
IV. La
ridionale
A
B
C
D
E
F
G
H
Scala palmorum Romanorum

SYNTAGMA VII. OBELISCI MINORES ET SVNT

Monticælius, Mediceus, Mahutæus.

SERENISSIMIS HETRVRIÆ PRINCIPIBVS

MATTHIAE ET LEOPOLDO MEDICEIS,

Serenissimi Magni Ducis Fratribus,

Dominis meis Clementissimis.

OBELISCVM *Mediceum*, Principes Serenissimi, *in Viridario vestro Pinciano, Regia sanè magnificentia exculto Romæ superstitem, certè nulli meliori iure, vnà cum reliquis eidem similibus, Monticælio, & Mahutæo, quàm* Vobis Serenissimis Principibus, *Mediceæ, id est, altæ prosapiæ domûs decoribus, nec non omni literaturæ genere spectatissimis, inscribendum duxi. Quam quidem Obeliscorum erectionem virtutum* Vestrarum, *iam tot illustratarũ speciminibus, queîs Mundum decorastis, mira sublimitas, merito iure postulare videbatur. Quis autem* Vestram, *tùm in bonarum artium studia, eorumque cultores, benignitatem & humanitatem, tùm profusi affectus sinceritatem, verbis sat dignis explicare queat? Certè vti in* Vestra *gloriosa domo, veluti primis Sapientiæ incunabulis, bonæ literæ natæ videntur; ita earundem per vniuersum Mundum propagatum emolumentum* Vobis *cumprimis adscribi & posse, & debere, nemo Literatorum est, qui non fateatur. Accipite itaque huius præsentis Syntagmatis honori* Vestro *immortali debitam consecrationem, mei in Regios* Vestros *animos sinceri affectus veluti tesseram quandam; & quem olim hîc Romæ insolitâ beneuolentiâ prosecuti estis, eundem gratiæ & fauoris* Vestri *dulcedine porrò fouere non desinatis.*

SYN-

SYNTAGMA VII.

Obelisci minores, & sunt Monticœlius, Mediceus, Mahutæus.

CAPVT I.

De origine horum Obeliscorum.

IN Obelisco Pamphilio fusè demonstratum est, Trismegistum vti hieroglyphicæ doctrinæ Author fuit & institutor, ita primum quoque Obeliscorum erectorem fuisse, tempore Misraim & Misramuthisis. Quales tamen hi Obelisci fuerint, tametsi demonstrari non possit; verisimili tamen coniecturâ, minores fuisse, ducimur, minimè maiores: siquidem prima rerum principia non à magnis & perfectis, sed à paruis & imperfectis originem suam ducere, experientiâ notum habemus: succedentibus verò temporibus, crescente Regum superbia & magnificentia, semper maiores & maiores, non tàm hierogl. doctrinæ ostentandæ gratia, quàm ex insolentium molium magnitudine & vastitate, gloriæ apud posteros comparandæ ambitione, erectos fuisse. Cùm verò inferioris Classis Obelisci alij non reperiantur, quàm Monticœlius, Mahutæus, Mediceus, & alterius cuiusdam vicinis Collegio Romano ædibus inserta fragmenta; hosce omnes eodem tempore factos, partim ex doctrinæ symbolorumque, quibus insigniti sunt, identitate, colligimus, fuisseque veluti primæ nouæque ab Hermete adinuentæ doctrinæ multiplicata quædam exemplaria; habent enim omnes vti eosdem ferè characteres, ita doctrinam, quemadmodum ex interpretatione eorundem patebit. Cùm enim lapidis, cui incidebantur, substantia durissima esset, primisque illis temporibus, queîs artes necdum ad debitam perfectionem pertigerant, ad laborandum difficilis videretur; hinc à paruis Obeliscis eos incepisse verò haud absimile est; donec ars sculptoria frequenti exercitio prouectior, tandem Reges ad horum exemplar semper maiores & maiores exscindendos incitaret. Accedit ad hanc nostram coniecturam non exiguum argumentum, quòd inter omnes ferè Obeliscos, nulli rudiori Mineruâ & minori artificio incisi sint; apertissimum primi operis rudimentorum signum. Imò rem ita se habere, apertè Plinius docet l. 36. c. 8. his verbis: *Circa Syenen verò Thebaidis Syenites, quam ante pyropæcilon vocabant, trabes ex eo fecere Reges quodam certamine, Obeliscos vocantes Solis Numini sacratos, radiorum eius argumentum in effigie est, & ita nomine Aegypto significatur: Prius omnium id instituit Mestres,* sub intellige Misraim, *qui in Solis vrbe regnabat, somnio iussus, & hoc ipsum scriptum est in eo.* Examinemus singula. Primò dicit materiam Obelisco-

rum

rum, fuisse saxu Syeniten πυῤῥοποίκιλον, ob macularum varietatem, ita dictum, quod gens saxi Itali, *Granito rosso* appellant; atque hoc verum esse docent reliqui omnes Romani Vrbis Obelisci; siquidem nullus nisi ex hoc variegato lapide durissimo elaboratus conspicitur. Solari Numini sacratos fuisse tt, quod verum est, imitatur enim acumine suo radios Solares, vnde Ægyptiacè ⲛⲓⲧⲉⲃⲛⲏⲣⲏ id est, *digiti Solis* vocantur. Primus id instituit Mifres, quem nos eundem cum Misraim esse dicimus, cuius Consiliarium & Scribam Mercurium Trismegistum fuisse in Obelisco Pamphilio verrinè demonstrauimus; cuius & consilio monituque primùm doctrinæ à se inuentæ & institutæ Obeliscis incisæ primum hoc, quod diximus specimen, in minoribus, vti conijcimus, dedit. Quod institutum tantopere videtur placuisse Misramuthisi filio, reliquisque Regibus, vt ad horum similitudinem semper alijs & alijs erigendis animum adiecerint. Mifrmum verò diuino instinctu per somnium ad hoc præstandum fuisse incitatum, mera coniectura est, & figmentum ab Historico appositum; nisi hunc instinctum à Mercurio, qui ob suam Sapientiam tunc temporis velut vnus è Deorum numero habebatur, Regis animo fuisse insertum dicamus; quod vti verisimile est, ita non facilè negauerim. Quòd verò Plinius dicat, hoc ipsum in Obeliscis primis hieroglyphicis symbolis exhibri, falsum & commentitium est; cùm, vti ex interpretationis decursu patebit, nihil in ijs simile contineatur, nec contineri possit. Sed de hisce amplissimè traditum vide lib. 1. Obelisci Pamphilij. Quomodo verò hi Obelisci minores, & sub quo Cæsare Romam fuerint translati, vide citatum locum. Mensuram quoque eorundem æri incisam in schematismis Obelisci quærere, vt proinde nihil ampliùs restet, nisi vt interpretationem eorundem ordiamur.

CAPVT II.

Argumentum trium minorum Obeliscorum.

TRes dicti Obelisci quoad inscriptionem, adeo, si pauca excipias, similes sunt, vt qui vnum explicauerit, cœteros quoque explicasse dici possit. Sed ab argumento occipiamus.

Primò inscripti sunt hi Obelisci, Soli siue Osiridi Archetypo, rationemque quâ in subditos sibi Mundos, Genialem, Sidereum, Elementarem influat, ostendunt. Secundò quomodo per influxum in humidum & calidum tùm rerum vitæ humanæ necessariarum varietas, tùm vbertas emergat. Tertiò per sacrarum tabellarum ouata schemata non duntaxat rationem, vt dixi, influxuum Solis istius supramundani in Mundum Genialem rectè & ingeniosè indicabant, sed & præterea vim & efficaciam figurarum, quas tùm publicè, tùm priuatim appropriato cultu gestarent, magni momenti subsidium, ad Osiridem illum supramundanum, Mundique Genialis asseclas trahendos putabant; harum præterea sacrarum tabula-

Argumentū Obeliscorum minorum Montecœlij, Mahutæi, Medicei.

bularum, dicta Numina tùm ad dictam rerum vbertatem, tùm ad varietatem rerum continuò impetrandam, allicere & placari, si quandoque irata fuerint, se posse sperabant.

CAPVT III.

Obeliscus Monticœlius, eiusque explicatio.

Monticœlius Obeliscus.

OBeliscus Monticœlius dicitur, quòd in hortis Matthæorum Monti Cœlio incumbentibus erectus conspicitur. Fuit hic primò situs in horto Aræ Cœli in monte Capitolino, quem inde Populi Romani licentiâ auulsum in sua Montis Cœlij viridaria iuxta cliuum Scauri transtulit, posteritatique consecratum Excellentissimus Dux Cyriacus Matthæius erexit. Fuit autem vnus ex 44 Obeliscis minoribus, quos Publ. Victor recitat à primis Imperatoribus Romam translatos. Qui vt magnificentior appareret, illum alteri columnæ ex simili lapide Memphitico, rubeis maculis variegato supposuerunt artifices; ita vt Obeliscus, qui per se consideratus non nisi 10 palmos continebat, iam vnà cum columna eidem supposita 36 palmorum à stylobata vsque ad vltimum fastigium, altitudinem habere comperiatur. Nos omissa figura totius Obelisci, eam tantùm partem, quæ hieroglyphicis signatur, ligno incidi curauimus, vti paulò post figura sequens docet.

Monticœlij Obelisci hieroglyphica.

Quatuor huius Obelisci sunt latera A, B, C, D, si vnam atque alteram figuram excipias, prorsùs, vt dixi, similia. Sub apicibus primo loco in singulis lateribus occurrit figura Scarabæi alis expansis, volandi actum exprimens, sphærâ capiti eiusdem superpositâ. Sequuntur deinde duo ouata schemata, quas sacras tabellas nominamus, intra singula pyramidij latera inclusa, varijs simulachris imbuta. Sequitur Accipitris tutulata figura immediatè sub pyramidio; insidet autem quadrangulo, ijs figuris, quas vides, adornata. Post hæc musca dracontomorpha, siue Papilio decantatissimus, vnà cum thyrso papyraceo, quem immediatè excipit ouatum schema ijsdem figuris, quibus tertium intra pyramidion schema adornatum; cui Anser sacer succedit alteri schemati ouato insidens; quod quidem idem prorsùs est cum secundo intra pyramidion schemate. Quid verò omnia hæc sibi velint, exponamus.

1. Scarabæi volantis significatio.

Scarabæi figura circulo insignita, quæ in quatuor lateribus immediatè sub apice Obelisci ponitur, epigraphes locum obtinet, & nihil aliud indicat, quàm Solem supramundanum, Osiridem Archetypum in diuinitatis suæ caligine veluti centro delitescentem. Circulum seu sphæram capiti suprapositam habet, ad æternitatem, immensitatem, & omnia ea quæ diuinitatis propria sunt, indicanda, vt in hierogrammatismo figurarum circularium ex professo, variæque authoritatis supellectile sat superque demonstrauimus. Scarabæum autem Solem supramundanum indicare, & viuam esse, Plutarcho teste, Osiridis imaginem, in Hierogramma-

Scarabæus Solem supramundanum significat. *Plutarchus.*

matiſmo Scarabæi amplè & copioſè oſtenſum fuit; quare nè vnam & eandem rem toties repetere cogamur, ad citatos tractatus curioſum Lectorem remittimus.

Poſt Scarabæum duo ſacrarum tabularum ſchemata occurrunt; & ſacræ tabulæ dicuntur, eò quòd non tantùm ſummorum myſteriorum indices eſſent, ſed & inſuper ſingularem vim & efficaciam ad Genios quà attrahendos, quà placandos habere putarentur; quorum expoſitionem vide in Obeliſco Flaminio fol. 221. Ponuntur immediatè ſub Scarabæo, vt ordo & ſeries influxus diuini in Genialem Mundum immediatè ſibi vti proximum, ita ſimillimum indicetur. Verùm quinam ij Genij ſint, videamus.

2 Tabularum ſacrarum ſub Scarabæo poſitarum explicatio.

Primo loco intra ouatam tabulam, quam nos Oſiriacam dicimus, & numero 3 ſignatur, duæ ſtatuæ ſedentium habitu ſpectantur. Prior humano vultu & velo ſpectabilis, binas in vertice pennas tenet, manu genibus innixa ſceptrum tenet Cucuphomorphon. Quo quidem apparatu nihil aliud indicabant, quàm Genium humido-calidi Præſidem. Humano vultu pingitur, ad intellectualis potentiæ vim notandam, & ad Mundo de neceſſarijs proſpiciendum, prouidentiam; binas alas in capite gerit, ad miram tùm ſuperiori, tùm inferiori Mundo ſe communicandi agilitatem indicandam; ſitu eſt Ypſilomorphos, id eſt, in formam literæ Y, ad influxus à ſupremo Numine immiſſi receptionem, & in inferiorem Mundum diffuſionem indicandam, vt alibi fuſè probatum eſt; manibus ſceptrum tenet Cucuphæ forma, quâ varietatem rerum, quam caloris vi diſperſa Mundo communicat, indicari, alibi expoſuimus. Altera ſtatua ἱερακόμορφος eſt, id eſt, Accipitrinâ facie deformata, eodem quo prior ſitu & habitu, cui globus in vertice imminet, manibus tenens characterem Tauticum. Atque per hanc ſtatuam Genium calido-ſicci denotabant Præſidem: ſitus Ypſilomorphos idem, quod prioris ſtatuæ ſitus ſignat; globus capiti imminens diuinitatis participationem; character Tauticus notat per omnia Mundi membra influxus participati diſtributionem. Supponitur ijs feretrum, quo dicta Numina ſummo honore colenda innuebant. Cur autem tanto illa honore digna exiſtimarent, ſequentibus tribus ſymbolis aptè demonſtrant, quæ ſunt primò ramus papyraceus, quo rerum omnium humano generi neceſſariarum abundantiam; ſecundò lituus arundineus ſeu baculus fiſtularis, quo temperiem & harmoniam rebus inducendam; tertiò, ramus perſeæ triplex, quo tres anni partes ſignificabant, quas dicti Genij adminiſtratione ſuâ fouebant, ad generationes rerum ſollicitabant, & contra omnem aduerſam vim defendebant; quæ omnia in Obeliſco Flaminio ex omnigena eruditione comprobata ſunt. Atque hæc eſt ſignificatio primi ſchematis ouati. Alterum Schema ouatum, quod nos Momphto-Mendeſium dicimus, & numero 2. ſignatur, conſtituitur ſimulachro λεοντόμορφῳ, id eſt, Leonis figura ſpectabili; ſitum cum prioribus eundem obtinens, manu Tauticum characterem tenet; ſequitur ſceptrum ægimorphon, ſeu capite hircino inſignitum. Priori Momphta, id eſt, Nilotici humidi præſidem

Genij Obeliſci Monticœlij in primo ſchemate ornati.

Genius humido-calidi præſes.

Genius calido-ſicci præſes.

Alterum ſchema ouatum Obeliſci Monticœlij.

Obeliscus Monticœlius.

A Latus I. | B Latus II. | C Latus III.

nota-

D
Latus IV.

notabant. Pingitur Leonino vultu, quòd Sole in Leonem ingrediente incrementa Nilotica seu inundationes contingant. Vide Obeliscum Pamphilium fol. 283. Situ Ypsilomorphus est, ob dictam paulò antè rationem; baculum hircino capite insignitum sibi adiunctum habet, ad harmonicam vim, qua omnia Mundi membra Geniali suo influxu fœcundat, signandam; globus interpositus diuinitatem vtrique & Momphtæ & Mendeti communem indicat. Hos autem Genios Nilotici humidi præsides infraposita Nilometrij hieroglyphica figura satis demonstrat, vti paulò post exponetur.

Momphta, seu Nilotici humidi præses.

Notandum autem, in singulis Obelisci quaternis lateribus hæc bina ouata schemata eadem prorsùs replicari, vt virtutis influxiuæ in quadrifidam Mundi faciem, eadem denotaretur potestas; & ex Intellectualis Nili promptuario omnibus de rebus necessarijs prouideri, humores in proficuum temperamentum digeri, iuxta trium anni partium conditionem & naturā, signaretur. Ponuntur intra idem pyramidij trigonum vnà cum Scarabæo, vt Intellectualis Mundi Genios, omnium supremo Numini Osiridi supramundano proximos, tanquam naturæ eiusdem præ cœteris participes, innuerent. Nullaque sacra tabula hisce duobus frequentior est, in nullis non Obeliscis obuia.

Ouata schemata eadem in quatuor Obelisci Monticœlij lateribus repetuntur.

His expositis sequitur modò in quatuor Obelisci lateribus figura mitrati Accipitris; quo Solaris siue Siderei Mundi præsidem notabant. Insidet quadrangulo, vt Elementaris 4
Mundi Genij, quibus dominatur, quadrangulo inclusi indicentur. Prima figura quadrangulo inclusa Bos est, Apidis, scil. Osiris hylæi siue 5
culturæ telluris symbolum, vt suprà fol. 220 docuimus. Sequitur manus Capreolum vitis 6
continens, beneficentiæ & liberalitatis Apidis symbolum. Subijcitur tandem A litera cum statua situ Ypsilomorpho, Momphtæ Leonino 7
capite spectabilis, quo Nilotici incrementi præsidem Agathodæmona Ægypti notabant, & Alpha litera apposita apertè demonstrat; quem & agriculturæ Præsidē Scarabæus in III. lat. appositus docet. Habemus itaq; quomodo Archetypus Osiris,

Accipitris, reliquorumq; symbolorum interpretatio.

ris, per Scarabæum volantem indicatus, influat in Mundum Genialem, & hic in Sidereum Mundum, cuius animam Osirin dicunt per Accipitrem mitratum notatum, & hic in Mundi Elementaris Genios Apidem & Mophta; iam quid per sequentium symbolorum catenam indicent, videamus.

Morphæi regnum in Elementari Mundo elucet. Quoniam itaque Morphei regnum propriè in Elementari Mundo elucet, in quo cùm iuxta Ægyptios generationis principium sit aqueum Elementum aptè per Nilum expressum, in quo calido-humidi fœcundatiuâ vi rerum generationes perficiuntur; hinc aptè sanè pro huius Morphei regno post quadruplicis Mundi epigraphen primo loco posuerunt Papi-*Papilio Draconiformis.* lionem δρακοντόμορφον cum caule papyraceo: & per Papilionem quidem
9 formarum diuersitatis præsidem, Genium videlicet πολύμορφον notabant; per caulem papyraceum rerum omnium humano generi necessariarum copiam, de quo vide innumeris huius Operis locis fusè tractatum. Quoniam verò hæc rerum formarumq; diuersitas maximè in sublunaris Mundi *Tabula sacra Momphto-Ammonia.* aqueo Elemento elucet, hinc aptè posuerunt ouatam figuram, in quâ Mophtæ statua cum hircini capitis sceptro, quibus Mophta & Mendes notan-
10 tur, quorum hic fœcunditatis, ille Nilotici humidi præses est, vt Nilometrium infrà positum exactè docet, quorum operâ & continuâ prouidentiâ tùm fœcunda rerum generatio, tùm necessariorum copia suppedita-*Tabula sacra.* tur. Hinc in formam tabulæ ouatæ concinnatus est Hierogrammatismus Mophtæ & Mendetis, vt ostenderent, characterem hunc symbolicum eam vim & efficaciam obtinere, vt incisus constitutusque in locis infestis, nulla aduersa ἀντιτέχνων Numinum violentia præualere possit, Genijs beneficis in res fidei suæ commissas sollicitè inuigilantibus, per arcanam hanc & mysticam symbolorum fabricam, naturæ & proprietati Geniorum analogam, attractis. Iterum cùm Solaris Genij assecla polymorphus Dæmon Mophtæ & Mendetis viribus, formarum diuersitatem ritè quidem peragat, sine Isidis tamen seu Lunaris Genij ope, eâ ad perfectionem *Anser ouatæ figuræ impositus.* desideratam perducere minimè possit; appositè sanè Anserem, quem & Chenosirin, id est, Anserinum Osirin vocamus, alteri ouatæ figuræ im-
11 posuerunt, quo aptè Solaris Numinis in Lunarem discum influxus & vigilantia notabatur; quam quidem meliùs efficaciùsque attrahendam non *Tabula sacra.* existimarunt, quàm per sequentem ouati schematis tabulam sacram, in qua
12 Comasia Isidis statua binis pennis in capite conspicua, & sceptro Cucuphomorpho fulcita, promptum, velox, & subitaneum in varietate rerum procreanda denotat subsidium. Habet hæc è regione Osiridis statuam Accipitrinam, & Tautico charactere insignitam, quo notatur, influxu Solari in vniuersa inferioris Mundi membra facto, post debitas honoris cultusque peractas cœremonias, quæ per feretrum signantur, tandem intentam rerum necessariarum copiam, per ramum papyraceum; per lituum, rerum temperiem, & trium partium anni felicè constitutionem, per triplicem perseæ ramum notatam, consequi. Atque hæc est idealis conceptus summa, quam per expositas in Obelisco Monticœlio elucescentes figuras signabant, quas suprà cit. loco ex omnigena eruditione fusè stabiliuimus. Sequitur conceptus idealis Lectio. 1. Osi-

Lectio conceptus Idealis Obelisci Monticœlij.

Osiris supramundanus in æternitatis centro delitescens; in Ge-
nialem Mundum veluti sibi vicinum, simillimum, & immediatum subie-
ctum influit. Hic in Osirin sensibilis Mundi Numen, & animam, id est,
Solem. Hic in elementaris Mundi Osirin Apidem beneficum Agathodæ- 1
monem, qui Osiridis participatam virtutem, in omnia inferioris Mundi 2
membra distribuit. Huius minister & fidelis assecla polymorphus Dæ- 3
mon varietate quam efficit, & cui præest, omnium rerum necessariarum 4
abundantiam & copiam præstat. Quia verò benefica vis polymorphi 5
Dæmonis variè ab aduersis virtutibus impediri potest; hinc tabula sacra 6
Mophto-Mendesia gestari præcipitur, quibus humidum Niloticum robur 7
& fœcunditatem ad bonorum affluentiam sine impedimento præstandam 9
acquirit. Quia verò polymorphus Dæmon huic negotio prorsùs confi- 10
ciendo insufficiens est; hinc Isidis concursus, cuius humiditate Mendetis 11
siccitas temperetur, necessarius est; ad quod obtinendum sequens ta- 12
bula sacra Osiriaca ordinatur, quâ quid in sacrificijs agendum sit, quomodo in Comasijs solennitatibus procedendum, docetur. Per hanc siquidem, eiusque intuitum, Osiris supramundanus intentam tandem rerum necessariarum copiam præstat.

CAPVT IV.

Obeliscus Mediceus, eiusque interpretatio.

Mediceus Obeliscus.

OBeliscus Mediceus sic dicitur, quòd in hortis Pincianis Magni Ducis Hetruriæ in hunc diem erectus conspiciatur. Vnus fuit ex 44 minoribus Obeliscis, olim occasione maiorum Romam ex Ægypto, teste Publio Victore, translatis; putaturque primò in Circo Floræ positus, ex cuius ruderibus erutus, atque in Hortos Pincianos translatus, ibidem in ornamentum viridariorum erectus fuit: cuius quatuor latera æri incisa Lectori contemplanda hoc loco vnà cum interpretatione subiungimus.

Notandum itaque, Obelisci huius primos nouem hierogrammatismos prorsùs eosdem esse cum hierogrammatismis Obelisci Monticœlij paulò antè explicati; ac proinde superuacaneum esse ratus sum, illos hoc loco repetere; quare hieroglyphicorum immediatè post nouem memoratos hierogrammatismos sequentium contextum, qui quidem in singulis Obelisci lateribus diuersus est, prosequemur.

Explicauimus paulò antè, quomodo Osiris siue Sol supramundanus in trium sibi subditorum Genialis, Siderei, & Elementaris Mundi œconomias influat. Exposuimus quem insculptæ sacræ tabellæ præterea vsum, vim, & efficaciam in dictorum Mundorum Genijs attrahendis habeant. Modò in reliquo contextu sequitur, quos dicti Genij, analogo priùs cultu attracti, effectus præstent, qui in diuersis Obelisci lateribus diuersi notantur. Itaque à latere primo incipiamus.

Post sacras itaque tabellas, id est, ouata schemata suprà recensita, sequi-

Primi lateris A, interpretatio.

sequitur 21 statua ἱερακόμορφος, cum 22 ramo papyraceo, quo Sol necessariarum rerum vsum præstans notatur, quam Ibis 23 succedit Isidis symbolum, hanc 24 traha sacra excipit; quibus indicant Isiacam vim ab Osiride motam, in abdita naturæ penetralia vectam (cuius signum figura 25 labyrinthi cum 26 cycloide) propagari; quam Mophta 27 Leoninus 28 hylæo Horo Duce acceptam ab Osiride & Iside in subterraneos Mundi sinus dispescit duplici 30 dominio, veluti sceptro superno infernoque potens. Ad quod quidem bonum contra aduersas potestates faciliùs obtinendum sacra tabula præscribitur, cuius vsu cultuque in concedendis 34 sacri Nili donis 32 Mophta & Mendes ægocephalus, vnà cum 35 Osiride, debito priùs cultu peracto, veluti potenti incantamento allectantur.

Secundi lateris B, interpretatio.

Atque hæc est primi lateris expositio. Secundum latus post nouem Hierogrammatismos, & sacrarum tabularum phylacteria, has figuras obtinet: circulum, quadrangulum, & statuam ἱερακόμορφον cum sceptro; sequuntur 2 sceptra, hemicycloidis cum tribus quadratis, Horus hylæus cum quadrangulo, trabs tricornis, hemicycloides binæ cum binis sceptris, tabula sacra Mophto-Mendesia cum Accipitre bino sceptro instructo. Sed explicemus singula. Statua Accipitrina cum circulo & quadrangulo indicat Osiris hylæi vim ex Sidereo Mundo in hylæum cultu præuio propagari, hinc duplici beneficio in tres anni stationes diffundi, quam Horus hylæus, id est, Sol elementaris communicans per continuam ab Ortu in Meridiem vsque ad Occasum reuolutionem in subterraneis Horizontis partibus actuat, vtpote duplici dominio potens; quod vt quàm optimè fiat, sacra tabula Mophto-Mendesia præscribitur colenda gestandaque vnà cum sacra Osiridis statua.

Tertium latus C.

Tertij lateris reliqua correspondentia symbola, quæ post nouem primos Hierogrammatismos sequuntur, sunt duæ Ibides vase Nilotico diremptæ, cum hydroschemate, quadrangulo, & globo, quæ immediatè sequitur statua Accipitrina, cum quadrangulo, & globo; ac iugo bilancis, cui supponuntur duo brachia cum quadrangulo, segmento, cycloide, & tribus quadrangulis, & sacræ cistæ symbolo; sequitur deinde sacra tabella Comasia, quam excipiunt segmentum, temo, sacra traha, segmentum aliud, cum feretro. Explicemus singula.

Ibis siue Luna Nili Genius, & Ibis siue Isis mediante Nilo atque aqueo elemento Osiri, qui virtute ex Sidereo Mundo in hylæum transfusa, omnem superfluitatem temperat, cultuque hymnorum assiduo sollicitatus, trium anni partium stationes in inferiori Mundo, abundantiâ rerum beat; ad quod contra aduersas potestates obtinendum præscribitur sequens tabella sacra Comasia, cuius vsu prophylactico omnis promittitur felix rerum processus. Quem verò cultum adhibere debeant, vltima quatuor symbola apposita, temo, traha sacra, segmentum, feretrum, pulchrè ostendunt; per temonem, Osiridis per humidum vecturam notabant; per traham sacram, opera agriculturam concernentia; per segmentum, subterraneæ sobolis partum; per feretrum denique debitum in

sin-

ſingulis cultum innuebant: quaſi dicerent, Tunc Oſiris & Iſis vobis propitiabitur, cùm Niloticas in cultu fluminis cœremonias in terra per Comaſiarum ſolennitates ritu & cultu dictis analogo, & iuxta præſcriptas leges obieritis.

Quarti lateris reliqua ſymbola incipiunt à figura ſignata numero 21; & eſt oculus, cui ſubiunguntur figura labyrinthi, cum duobus cycloidibus, quas ſtatua Accipitriformis cum Noctua ſequitur; dein Alpha ſacrum cum alijs binis cycloidibus, & tribus quadrangulis, Serpente, & quatuor alijs quadrangulis, quos vti in præcedente, ſequitur idem ouatum ſacræ tabulæ ſchema, cum traha, temone, ſegmento, feretro. Quid ſingula ſibi velint, explicemus. Oculus cum labyrinthi figura indicat Oſiridem totius naturæ oculum 23 in 24 cœlorum Orbitis omnia diſponentem; cuius beneficus intuitus allectari putabatur per ſequentem ſtatuam Accipitriformem ypſilomorpham Tautico charactere inſignitam, quo ſymbolo vti magnam vim obtineri iudicabant, ita Typhoniam vim & ἀντίτεχνον, quæ per Noctuam indicabatur, ijs prorſus profligari exiſtimabant; quâ profligatâ, Agathodæmon ſiue bonus Genius cœlorum virtutes diſponet in hylæis Mundis, vitam in inferioribus terræ iuxta trium anni temporum rationes; ad quod obtinendum, multùm proderit ſacra tabula Comaſia &c. vti in præcedenti latere dictum fuit. Atque hæc eſt perioche rerum in Obeliſco Mediceo contentarum; contextum vt faciliùs cognoſcas, idealis Lectionis rationem hìc ob oculos ponimus curioſi Lectoris. Quartum latus D.

CAPVT V.

Obeliſcus Mahutæus eiuſque expoſitio.

OBeliſcus Mahutæus ſic dicitur, quòd ad S. Mahuti Nationis Bergomatium Eccleſiam (ſic enim Orientales S. Bartholomæum appellant, tametſi non deſint, qui à S. Maclouio Britanniæ Epiſcopo, cuius primùm honori conſecrata fuit, ſub nomine S. Mahuti, corruptè dictam velint; de quo vide Pancirolum de Vrbis topographia) erectus conſpiciatur: cuius Boreale latus dictam S. Bartholomæi Eccleſiam; Orientale, nouam Baſilicam S. Ignatij Soc. IESV fundatoris; Meridionale, plateam, quæ Gymnaſium Romanum Soc. IESV, & Cœnobium Dominicanorum interiacet; Occidentale verò Seminarium Romanum & plateam ad Pantheon ducentem reſpicit. Atque hic Obeliſcus è fundamentis templi Iſiaci erutus, vnus putatur fuiſſe ex 44 Obeliſcis minoribus, de quibus in præcedentibus egimus; cuius proportionem, ſymmetriam, vti & hieroglyphica, quæ quaternis ſuis lateribus continet, eâ quâ fieri potuit diligentiâ æri inciſa, hìc vnà cum interpretatione Lectori curioſo exhibenda duximus.

Nota Lector, hunc Obeliſcum omnia habere communia cum Obe-

liſcis Monticœlio, & Mediceo paulò antè explicatis, exceptis ijs figuris quæ in quaternis lateribus ſignantur literis A B, C D, E F, G H. Figuræ in latere eæ ſunt, 21 Anſer, 22 lancea, 23 hydroſchema, 24 ſtatua Leonina, 25 circulus cum termino, 26 canalis Niloticus, 27 Serpens, 28 brachium, flammam manu tenens, 29 cycloides, 30 ſegmenta, 31 ſceptra; & hunc ſenſum faciunt. Chenoſiris humidum cuſtodit; Momphta diuina Intelligentia per canales Niloticos rebus vitam benefico inducit calore, cœlis, & inferioribus Mundi membris virtute ſequentis amuleti.

Symbola in ſecundo latere, ſpatio C D incluſa, ſunt 30 dodecapyrgon, 31 hydroſchema, 29 duæ pennæ, cum tribus vaſis 28 Niloticis, 27 Crocodilus, 26 tres termini, 25 dodecapyrgon, 24 tria vaſa Nilotica, 23 fauiſſa, 22 piſcina, 21 ſegmentum 32 cum tribus terminis. quorum ſenſus hic eſt. Ex præcedentium amuletorum vi, dodecapyrgon humidum, motu deducitur in Nilum, Typhone profligato dodecapyrgon Nili fauiſſas & piſcinas omnes implet, virtute ſequentis amuleti, & potentia Oſiridis ſummo ſemper honore colendi.

Symbola in tertio latere ſpatio E F incluſa, ſunt 40 Accipiter cycloidi 39 inſiſtens, 38 valuæ portæ, 37 tres termini, 36 vas anſatum, 35 ſtatua Accipitrina; 33 caput humanum cum 34 ara, 32 traba, 31 ſegmenta cum tribus terminis, quæ hunc ſenſum inuoluunt: Accipiter cœleſtis Oſiris portas trium anni partium aperit, Agathodæmon verò *Solaris*, & Horus ritè culti, humorem inferioribus largiuntur, omnia virtute ſequentis amuleti, & Oſiridis ſingulari honore colendi.

Symbola in quarto latere G H ſpatio contenta ordine, hunc ſenſum exprimunt; 22 Humor 24 beneficus 25 Hori, qui 28 plantationis, 27 ſeminationis, & 26 anni diſpoſitionis author eſt, 29 occulto motu inſeritur 30 piſcinis 31 vitalibus; vnde & 32 terrenum & 33 aëreum elementum fœcundo ſpiritu imbuuntur virtute ſequentis amuleti.

Atque hæc eſt expoſitio Obeliſci Mahutæi; quæ quidem ſymbola iam expoſita, cùm pleraque in Obeliſco Lateranenſi contineantur, hìc ijs explicandis longior eſſe nolui.

FINIS SYNTAGMATIS SEPTIMI.

SYN-

SYNTAGMA VIII.

OBELISCVS HELIOPOLITANVS,

Qui in hunc diem adhuc iuxta Matarèam, Vicum Cayro Aegypti vicinum, erectus conſpicitur.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO S.R.I. PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

IOACHIMO ABBATI FVLDENSI,

Per Germaniam & Galliam Primati, nec non Imperatricis Auguſtæ Archicancellario,

Domino meo Clementiſſimo.

SI *verum eſt,* Celſiſſime Princeps, *illud Græcorum epiphonema*, ἄξιος ὀβελίσκου. *de rerum geſtarum gloria conſpicuis Viris vſurpatum; certè qui meritorum* Tuorum *amplitudinem penitiùs ponderauerit, is id præ cœteris* Tibi *appoſitè ſanè adaptari poſſe videbit. Nouit Mundus, quàm imperterritâ animi conſtantiâ, in calamitoſo Imperij ſtatu* Te *geſſeris, quàm prudenter inimicorum Eccleſiæ Fuldenſi inſidiantium technas eluſeris, quantâ aſſiduitate Catholicæ Religionis bono Principatui* Tuo *inuigilaueris, imò in tanta animorum peruerſione eum ab omni hæreſeos contagione immunem conſeruaris. Cùm itaque tantus ſit* Tuorum *meritorum cumulus; nè indecorè, tùm erga* Celſitudinem Veſtram, *cui iure naturali ſubdor; tùm erga patriam meam, ex qua & vitæ, & ſcientiarum primordia hauſi, ingratitudinis conuinci queam; ecce præſentem Obeliſcum veluti æternum gloriæ monumentum, nominis* Tui *ſplendori, erigendum duxi, in quo indelebili literarum ſculptura virtutum* Tuarum *honor fulgeat, alijs ad exemplum, patriæ verò ad nominis nunquam interituri ornamentum. Vale* Celſiſſime Princeps, *Imperij decus.*

SYNTAGMA VIII.

Obeliscus Heliopolitanus, qui in hunc diem adhuc iuxta Matarèam, Vicum Cayro Aegypti vicinum, erectus conspicitur.

CAPVT I.

De origine Obelisci Heliopolitani.

Heliopolitanus Obeliscus à quo delineatus.

Matarèa Ægypti.

Titus Liuius Burattinus multa hieroglyphica monumenta ex Ægypto allata communicat Authori.

DE hoc Obelisco primam mihi relationem obtulit Perillustris & Generosus Dominus Matthias Balbiski, variarum Nationum, morumque Gentium notitiâ comprimis clarus; quem & dum Ægyptum lustraret, in lacuna quadam iuxta Matarèam (qui locus est Christi Seruatoris nostri & Virginis Matris commoratione, in hunc vsque diem celebris) inuentum, propriâ manu delineauit. Eundum spectauit P. Marcus de Luca ex Ordine S. Francisci de obseruantia, qui dum hæc scribo, oretenus mihi retulit, eum in lacu quodam erectum hieroglyphicis spectabilem occurrere, ad quem tamen non nisi certis anni temporibus, desiccatis videlicet ex inundatione Nili aquis in dicta lacuna receptis, aditus sit. Fuit hic nobilis cuiusdam Architecti Socius sæpius in hoc Opere laudati; & est D. Titus Liuius Burattinus, Matheseos, antiquitatum, linguarumque Orientalium peritissimus, cui quicquid in hoc Opere noui ex Ægypto allatum est, pariter acceptum referet Lector, vti tùm in præcedentibus, tùm sequentibus passim dicetur: qui & hodierno die Serenissimi Regis Poloniæ Architectum agit. Hic à me rogatus, vt quæ in Ægypto circa hieroglyphica monumenta notatu digna obseruasset, communicaret; quod summâ sanè promptitudine & beneuolentiâ præstitit, dum non tantùm Obeliscorum reliquorum delineationes summâ industriâ & exactâ curâ factas misit, sed & multa alia suppeditauit, quibus hoc Opus summè locupletatum fuit. Inter cœtera verò monumenta duos Obeliscos delineatos mihi transmisit, vnum Heliopolitanum, alterum Alexandrinum; de illo priùs, de hoc postea ratiocinaturi sumus. Verùm vt Lector summam huius Viri diligentiam videat, hic eius verba, quæ ex Epistola ad me data extraxi, apponam. *Doi stadij lontano dalla Matarèa, luogo famoso per l'albero del Balsamo, pochi anni fà morto (mà più è la commune fama, che iui si fermassero la Beatissima Vergine Maria con nostro Signore, e Santo Gioseppe, quando fuggirono la persecutione d'Erode) si veggono li vestigij d'vna grandissima Città, nel foro della quale si ritroua in piedi questo Obelisco da me misurato e disegnato, essendo li gieroglifici li medesimi da tutte*

Epistola Titi Liuij Burattini de Obelisco Heliopolitano.

quattro

quattro le parti ; cosa che non hà questo d'Allessandria. Questa antica Città li Arabi la chiamano عين شمس *Ain Schemps, che vuol dire, Occhio del Sole ; e può essere che sij l'anticha Eliopoli, che si chiamaua Città del Sole, essendo ancor dalla parte di Leuante del Nilo, come anticamente si dice che sia stata Eliopoli.* Quæ pulchrè consonant Arabum relationibus. Sed audiamus Abulfedam Geographum Arabem, cuius verba rem totam explicant.

Heliopolis antiquæ situs seu locus.

Abulfeda.

وعين شمس في زماننا رسم وليس بها ديار ويقال انها كانت مدينة فرعون
وبها اثار قديمة مهولة من الصخور العظيمة وبها عمود مربع ويسمي مسلة
فرعون طوله نحو ثلاثين ذراعا وهي عن القاهرة على نصف مرحلة وعندها ضيعة تسمي
مطرية وهي عن القاهرة في جهة الشمال وشرقي على النيل ☼

Hoc est, *Ain Schemps* siue Heliopolis, quam & Oculum, seu fontem Solis appellant, *temporibus nostris desolata est, neque sunt in ea habitationes vllæ, & dicitur, quòd fuerit ciuitas Pharaonis ; sunt in ea insignia antiquitatis monumenta, constructa ex lapidibus & saxis maximis ; inter cætera verò columna quadrata, quæ vocatur Acus Pharaonis* (id est Obeliscus) *longitudo eius 30 cubitorum, estque à Cayro ferè media mergala ; est etiam ibidem villa dicta Matarèa, sita ad latus sinistrum Orientalis Nili.* Dicitur autem Solis oculus, ob Solis in ea Vrbe cultum ; & quòd in templo Solis speculum eâ arte constructum esset, vt id radiantem Solis faciem toto die referret, adeoque totum delubrum lumine suo illustraret ; de quo vide Mechanicam Ægyptiorum, & primum Tomum Oedipi fol. 29. & 30. vbi de Heliopolitano Nomo multa notatu digna reperies.

CAPVT II.

De erectione & mensura Obelisci.

QVisnam Erector huius Obelisci fuerit, difficile asserere est ; cùm in tanta antiqnitatis caligine, præter coniecturas nil nobis superfit. Quantum tamen assequi possum, dicerem esse vnum ex ijs octo, quos Plinius Heliopoli Sothin & filium suum Ramessem erexisse memorat. Verba Plinij sunt : *Postea & alij Regum in Vrbe Solis, Sothis quatuor numero quadragenum octo cubitorum altitudine, Ramesses autem, quo regnante Ilium captum est, quadraginta cubitorum.* scilicet alios quatuor. Ex hoc testimonio Plinij luculenter patet, hunc præsentem Obeliscum verè vnum ex illis quatuor esse quadraginta octo cubitorum : si enim cubitos 48 in palmos resolueris, obtinebis summam palmorum 96 ; & totidem palmorum Titus Liuius Burrattinus huius Obelisci, excepto pyramidio, altitudinem reperit ; posito Plinium per 48 cubitos altitudinem tantùm trunci Obelisci intellexisse. Et primò quidem totius molis altitudinem ponit pedum Romanorum Capitolinorum 63, & præterea 150 earum partium, in quas totus Obeliscus diuisus esse censetur. Ponit præterea basin Obelisci $6\frac{644}{970}$ pedum dictorum, qui in palmos resoluti eorum circiter

Obelisci Heliopolitani erectio, & mensura.

Plinius.

Mensuræ Obelisci Heliopolitani.

citer 10 dant. Suprema verò latitudo lateris, vbi pyramidium contingit, $4\frac{224}{970}$ pedes habet, qui conficiunt 7 ferè pedes. Pyramidium denique $5\frac{49}{970}$ pedum est, qui faciunt quasi nouem palmos; atque adeo totus Obeliscus altus est 105 palmos. Verùm hæc omnia exactiùs in symmetria Obelisci hîc appositi, & à memorato Burattino delineati, elucescent.

Obeliscus Heliopolitanus ruditer incisus & cur.

Obeliscus singulis in lateribus, vti Titus Liuius Burattinus obseruauit, eadem prorsùs symbola tenet; quæ satis rudi Mineruâ saxo incisa sunt, vnde nonnulli opinati sunt, hunc Obeliscum nullâ ratione à Sothi erigi potuisse, cùm omnes Sothiaci Obelisci symbolis admodum eleganter sint incisi, vti in Obelisco Pamphilio patet. Hisce respondeo; sicuti hodierno die sunt Sculptores boni, sunt & mali; ita & hunc Obeliscum defectu meliorum, non adeo peritæ manus hieroglyptam artificem nactum esse, ita ferente temporum conditione; non tamen inde sequi, ab eodem Rege non fuisse incisum. Potuit hoc etiam fieri hierogrammatistæ incultâ manu, quæ malè delineata symbola inconcinnam etiam in perito artifice incisionem effecit, dum ea prout prototypon ferebat, genuinè insculpsit: neque enim credendum est, semper eosdem Hierogrammatistas & hieroglyptas, operam suam in incisione symbolorum impendisse, sed varios, vti & hodie vsu venit, dum experimento docemur, in Cancellaria alicuius Principis, vti diuersi Scribæ sunt, ita etiam valde differenti manu, ac stylo scribendi munus in commissis sibi publicè scriptis expedire. Atque hæc est ratio, cur in omnibus Obeliscis diuersus quoque ac disparatus hieroglypseos stylus seruetur.

CAPVT III.

Argumentum huius Obelisci.

Obelisci Heliopolitani argumentum.

Dedicatur Intelligentiæ Solari.

OBeliscus hic Solari Intelligentiæ, & asseclis eius Mercurio-Lunaribus dedicatus est. Et primò quidem ostendit, quomodo Intelligentia Solaris in tripartitum anni tempus influat, cœlumque vitali influxu impleat; & quomodo inde polymorphi curâ omnium rerum necessariarum vbertas emanet. Secundò quomodo per sacram tabulam propitiandus sit; & quomodo inde Mercurio-Lunaris vis sopita per memoratum influxum excitetur, & conseruetur. Tertiò quomodo per tabulam sacram Mendesiam, tres Mercuriales Potentiæ Agathodæmoni Intelligentiæ coniungantur ad vitalem influxum in superiora inferioraque continuandum. Quartò, quomodo denuo per sacram tabulam vis & potestas Anubidis templorum custodis, prouidentia vitalisque influxus concilietur. Quæ omnia vera esse, ex interpretatione patebit.

Obeliſcus Heliopolitanus.

Pars I. ſuperior. *Obeliſci erectio.* *Pars II. inferior continuata priori.*



CA-

CAPVT IV.

Interpretatio Obelisci.

A

Obelisci Heliopolitani interpretatio.

PRimo Obelisci loco, A, Accipiter occurrit; quem ferè vbique in singulis Obeliscis primo loco supra quadrangulum positum reperies. Vide Obeliscum Flaminium, Mahutæum, Mediceum, Monticœlium, cæterosque: & Solem vel eius intelligentiam semper notat. Nam vt rectè dicit Horus; Θεὸν σημαίνοντες Αἰγύπτιοι, ἱέρακα ζωγραφοῦσι· Θεὸν μὲν διὰ τὸ πολύγονον εἶναι τὸ ζῶον, καὶ πολυχρόνιον, ἔτι γε μὴν ἐπεὶ, καὶ δοκεῖ εἴδωλον ἡλίου ὑπάρχειν, παρὰ πάντα τὰ πετεινὰ πρὸς τὰς αὐτοῦ ἀκτῖνας ὀξυωπῶν. *Deum significantes Accipitrem pingunt; Deum, tùm quòd fœcundum sit ac diuturnæ vitæ animal, tùm etiam quòd præ cæteris volucribus simulachrum Solis esse videatur, vtpote peculiari quâdam atque occulta naturæ vi intensissimis in eius radios oculis prospiciens.* Sedet

Solis, seu Intelligentiæ Solaris hieroglyphicum Accipiter. Horus l. 1. c. 6.

B

super quadrangulum B, in quo ramus triplex inuersus, Crux ansata, & Vultur spectantur, quo dominium & præsidium in inferiora denotantur. Et per ramum quidem inuersum denotatur tripartitum tempus anni, tribus Numinibus Osiri, Isi, & Mercurio dicatum; hæc enim anni Duces, influxum supremi Numinis, quem Crux ansata significat, in cœlorum primum, quod Vultur notat, deuehunt. Vulturem autem cœlum significare; quæ veluti mater & principium passiuum, omnem naturæ fœturam in se recipit, luculenter Horus ostendit l. 1. c. 11. Καὶ τὸ τῶν γυπῶν γένος θηλειῶν ἐστὶ, γένος μόνον διὰ ταύτην αἰτίαν, καὶ παντὶ θηλυκῷ ζῳδίῳ οἱ Αἰγύπτιοι γῦπα ὡς Βασίλειον ἐπιτιθέασι ἀφ' οὗ καὶ πᾶσαν Θεὰν γράφουσι Αἰγύπτιοι, μητέρα δὲ θέλοντες σημῆναι γῦπα ζωγραφοῦσι. μήτηρ γὰρ ἐστὶ θηλυκοῦ ζῴου, οὐρανίαν δὲ, οὐ γὰρ ἀρέσκοι αὐτοῖς τὸν οὐρανὸν λέγειν καθὼς προεῖπον· ἐπεὶ τούτων ἡ γένεσις ἐκεῖθεν ἐστί. *Quia & Vulturum genus fœminam tantùm complectitur, ideo & cuiuis fœminei sexus animanti Ægyptij Vulturem, vt in eo sexu principem & primarium apponunt, ex quo & Deam omnem significant. Insuper & matrem indicare volentes, Vulturem pingunt; est enim mater fœmineæ naturæ, οὐρανίαν autem, hoc est, cœlum (neque enim placet ipsis, vt dixi, masculino genere οὐρανόν, sed fœminino dicere) quoniam horum omnium generatio inde est.* Vides igitur quomodo Intelligentia Solaris vim suam influxiuam cœlo, quæ per Vulturem indicatur, primò communicet, & in eo veluti in vtero quodam seminalium rerum rationes efformet, quas deinde tripartitum anni tempus, Osiris, Isis, & Mercurij præsidum, qui per triplicem ramum notantur, curâ excludat. Verùm vide quæ de triplici ramo inuerso, de Cruce ansata, & Vulture, ex omnigena authoritate, tùm in Obelisco Pamphilio, tùm in hoc vltimo Tomo amplissimè demonstrauimus.

Vultur cœlum significat.

C

Sequitur C Papilio dracontomorphus, cum thyrso papyraceo, quo Dæmonem polymorphum significare passim hoc Opere ostendimus; adiunctum habet thyrsum papyraceum, necessariarum rerum abundantiæ signum; quorum omnium rationes mysticas amplè descriptas vide in Obelisco Pamphilio fol. 500, & in Diatribe IV. huius Tomi passim. Quæcunque itaque Solaris Intelligentia in cœlo veluti vtero quodam

Dæmonis polymorphi hieroglyphicum.

per tripartitum tempus influxibus suis disponit, illa. Dæmon polymorphus, vera illa Arabum Chalcodea, dum singulis rebus, in hylæis Mundis existentibus, formas proprias attribuit, in lucem educit; quam & ideo sacrâ tabulâ D allicere se posse sperabant. Continet autem sacra tabula D Scarabæum, & duas statuas sibi infrapositas; Scarabæus Solis simulachrum exhibet, de cuius mysticis significationibus ex omnibus penè veterum Authorum monumentis, integro tractatu, vti & innumeris huius Tomi locis actum est; eratque Scarabæus amuletum ad Solare Numen trahendum potentissimum; & passim in collo, pectore, brachijs portabatur. Sed & de hoc inferiùs ampliùs differemus. Simulachra bina tametsi rudi sculpturâ exhibita, qualia tamen fuerint, ex Obelisco Lateranensi, Mahutæo, alijsq; minoribus, vti distinctiùs repræsentata, collegimus. Vnum Leoninam faciem, Accipitrinam alterum exhibet, quæ & Solares Genios indicant. Supponuntur Scarabæo, vt ab ipso vim acquirant, tanquam à superiori inferiores & substituti. Sequuntur modò è regione E duæ figuræ, quarum prima Aspidem squamoso & turgido pectore conspicuum, altera Ibin contracto collo refert; quæ binæ figuræ sæpe sæpius & exactiùs sculptæ cernuntur in Lateranensis & Flaminij Obelisci vertice, vbi etiam significationem vberiùs expositam vide; indicant enim Ophionium & Ibimorphum, id est Luni-Solare Numen; ac per Aspidem quidem Solaris, per Ibin Lunaris influxus efficacia significatur, sine quorum commistione Mundus conseruari non potest: etenim cùm generatio rerum in humido & calido consistat; nec humidum sine calido, nec hoc sine illo effectum in natura rerum intentum obtinere potest, sed ideo sociantur, vt nimia per calorem Solis siccitas, humido-Lunari; nimia verò humiditas calido Solari quadantenus temperetur, & sic generationes rerum suum obtineant finem.

Amuletum ad alliciendũ Dæmonem Polymorphũ.

Geniorum Solarium simulachra. E

Ophionium & Ibimorphum Numen.

Hæc itaque Numina influxu supremi Numinis participato, seminalibus rationibus quadripartitum anni tempus in cœlesti concauo veluti in vtero quodam, disponunt, atque Chenosiri inferioris Mundi dispertiendas tradunt; quæ per symbola F G H aptè indicantur, & sunt ramus inuersus, Crux ansata, & Vultur, & Anser; quorum tria prima symbola eadem sunt cum ijs, quæ suprà in quadrangulo, B, continentur. Sequitur modò sacra tabula Mendesia I, in qua sceptrum incuruum, cùm sceptro ægomorpho, id est, Hircino capite insignito, item oui, silicis sacri, & hydroschematis figuræ continentur. Per duo sceptra; dominium indicatur Mendes (sic enim Ægyptij Hircum sacrum & fœcunditatis Numen, teste Herodoto, Strabone, Eusebio appellant) per ouum occulta in Mundo rerum πανσπερμία; per sacrum silicem, ignis; per hydroschema, aqua denotantur; & idem quod priùs, calido-humidi coniunctionem indicant, sine qua Mendesia vis per sceptrum hircinum indicata, conseruari non potest; atque hoc pariter amuletum ad dicta Numina trahenda efficacissimum putabant. Erat autem sacer silex, instrumentum, quo ignem in adytis eliciebant, de quo alibi, erantq; bina in formam pistillorum efformata, quorum prius constabat ex chalybe, alterum ex ferro, quibus

F G H I

Mendesia tabula sacra eiusq; hieroglyphica.

Herodotus. Strabo. Eusebius.

Silex sacer quid.

Pausanias. inuicem illiſis, eſca ignem concipiebat; quorum mentionem Pauſanias facit in Æolicis, vbi & χρυσόλιθον appellat: Ἐκ τοῦ χρυσολίθου καὶ σιδήρου τοῦ πυρὸς ῥιπισμα. *Ex Chryſolitho & chalybe ignis ſuſcitabulum*. Ægyptij enim omnia ea inſtrumenta, quorum in ſacris vſus erat, vtpote arcanâ quâdam ſimilitudine ad Numinum rationem, quæ ſollicitabant, conſtructa, inter ſacræ ſculpturæ ſymbola numerabant, vt alibi dictum eſt.

K Sequuntur è regione K tres Ibides, pedum intricato proceſſu tria Δ Δ Δ exprimentes. (Hæ Ibides in Obeliſco Lateranenſi, & Barberino, quæ hîc in vnum corpus coniunctæ videntur, ibi diſcretæ conſpiciuntur, vt proinde aliud hîc myſticum non lateat, niſi Sculptoris aut Hierogrammatiſtæ arbitrium.) Quibus triplex Mercurialium Geniorum influxus exprimitur (his enim cura in humidam naturam, vti vas Niloticum infrà poſitum indicat, commiſſa erat) quem in omnia Mundi membra, per figuram L indicata, diſtribuebant. Per temonem vaſi Nilotico appoſitum notabant, aquam vehiculum eſſe omnium occultarum virium humido inexiſtentium. Nota Lector, tres Mercuriales Genios dici, quòd à Genio Solari & Lunari æqualem virtutem & poteſtatem participent; Mercurius enim omnium ſe Geniorum officijs miſcet; vnde tres hi Mercuriales Genij ijdem ſunt cum ijs, quos paulò antè adduximus, ſolis effectibus differentes.

Tres Ibides pedum diuaricatione exprimentes tria delta.

L

Mercuriales Genij.

M Porrò è regione M ſequuntur duæ pennæ, cum hieralpha, quibus, vti iam ſæpe diximus, Agathodæmones Intelligentiæ indicantur, quales ſunt tres memorati Mercuriales Genij; hi enim, vti N ſymbola oſtendunt, influxus vitales cœlo primùm inſtillant, quibus deinde tripartitum anni tempus, influxu hoc imprægnatum, effectus deſideratos præſtat; quæ per ſymbola O, Vulturem, ramum inuerſum, & Crucem iam tertiò repetita indicantur; vnde & ſacra tabula P illis propitiandis congrua, eadem eſt cum ea, quam ſuprà in D expoſuimus. Hâc enim fœcundum Mendeſij Numinis dominium Q ſuprà expoſitum in I, vires acquirit, ad Mundum magnâ rerum varietate complendum, quarum in Mundana domo vigiles & conſeruatores ſunt Anubici Genij, qui ſcitè exhibentur per figuram R, quæ domum exprimit, in cuius portis duo Canes accumbunt; quæ quidem figura expreſſiſſima cernitur in Obeliſco Flaminio in latere Meridionali è regione B; vbi & myſticam eius ſignificationem expoſitam vide.

N O P Q R

S Sequitur deinde S domus Ammonis, cum ſceptro in medio cornibus Arietinis conſpicuo, quo notatur, mediante ſacra tabula præcedente, attractus Ammoniæ virtutis, id eſt, fœcunditatis ſpermaticæ; differunt autem Mendes ab Ammone in hoc ſolo, quòd quam vim ſpermaticam contulit Ammon, illam Mendes in vberrimam luxuriantis naturæ ſobolem producat, habentque ſe per modum diſpoſitoris & executoris, tametſi reuera ijdem ab Ægyptijs fœcunditatis Numen habeantur. Horum itaque prouidentia vitalis influxus in vniuerſum Mundum deriuatur, vti oculus & Serpens T, anſata Crux cum pyramide, Serpens cum ſegmento, & ſceptro, iam ſæpe expoſitis ſymbolis, docent.

Mendes ab Ammone in quo differat.

T

Vi-

Vides itaque in hoc Obelisco catenam quandam exhiberi Lunæ-Solarium Geniorum vnà cum Mercurialibus, quorum officium est, influxu suo à suprema Intelligentia Solari participato, per quandam concatenatam actionem, Vniuersum administrare; omnia conseruare; vnde non sine causa tanta Sacerdotum in ipsis propitiandis cura & industria. Atque hæc de Heliopolitano Obelisco dicta sufficiant.

Catena Geniorum Lunæ-Solarium & Mercurialium.

FINIS SYNTAGMATIS OCTAVI.

SYNTAGMA IX.

OBELISCVS ALEXANDRINVS.

ILLVSTRISSIMO ATQVE REVERENDISSIMO
DOMINO, DOMINO

IOSEPHO MARIAE SVARESIO

Vasionensi, in Gallia Narbonensi, Episcopo.

INGRATITVDINIS procul dubio, Illustrissime atque Reuerendissime Præsul, *notam incurrerem; si ex hac literaria messe, quam* Te *potissimùm fauente & fouente excultam collegi, aliquem* Tibi *fasciculum non offerrem. Neque enim adeo me profunda cepit obliuio, vt* Tui *in me affectus sinceritatem non meminerim, quàm videlicet ardenter olim egeris, vt Romam ego huius colligendæ messis gratia venirem. Impetrasti quod volebas, & simul satisfecisti Nicolai Peirescij votis, Viri illius totius sapientiæ sacrarij, qui per* Te *id ab Eminentissimo Francisco Cardinale Barberino ardenter poscebat; atque adeo meam simul excitasti industriam, mihique legem imposuisti, quâ me in hunc laborum labyrinthum conijcerem vel inuitus. Herculeum opus videbatur, nullisq; planè viribus absoluendum; adeoque non poteram non meæ metuere imbecillitati: sed prestò fuit laboranti diuinæ auræ susurrus. Immensum, intentatumq; Oceanum sulcauimus, metam attigimus; atq; idcirco, si quid in hoc Opere laudis est,* Tibi *non parum debeo. Aliò, & alias in curas, tametsi literarias, destinabar:* Tu, *suadente Peirescio effecisti, vt vnicè & impigrè in hanc incumberem. Palladem laudauit Antiquitas, quòd Argonautarum audaciam adiuuerit:* Tu Illustrissime Præsul, *non in hoc Opere mihi sis laudandus, qui & nauim, & artem instruxisti? Sit itaque hoc perenne meæ erga* Te *gratæ voluntatis monimentum; modicum quidem, sed ex animo promptum. Vale.*

SYN-

SYNTAGMA IX.

Obeliſcus Alexandrinus, eiuſque interpretatio.

CAPVT I.

De origine, & primo Erectore huius Obeliſci

Obeliſci Alexandrini duo ſuperſunt.

DVO adhuc Obeliſci ſpectantur in Alexandrina Vrbe, alter erectus, alter ſemiſepultus; de quibus ita Geographia Arabica:

وبالاسكندرية المسلتان فرعون وهما حجران على طولهما
مربعان وعلاهما اضيق من اسفلهما وطول الواحدة منها خمس قيم
وعرض قواعدها في كل واحد من وجوهها عشرة اشبار محيط الكل
اربعون شبرا وحكي صاحب كتاب العجايب انهما منحوتتان من جبل ترزيم في
غربي بلاد مصر وعليها مكتوب انا يعمر بن شداد بنيت هذه المدينة

Sunt in Alexandrina Vrbe duo Obeliſci, lapides videlicet quadrati, quorum partes altiores, ſtrictiores ſunt inferioribus; & longitudo eorum 5 perticarum (quæ Arabibus قيم dicuntur,) *baſis verò in omni latere ſeu facie 10 palmorum eſt, & circuitus 40 palm., & dicit Sahab in horto mirabilium, quòd Iaamar filius Schadad ædificauit hanc ciuitatem.* Eſt autem قيم *Kim* arundo conſtans 20 palmis, qui in 5 Kim ducti faciunt præciſè 100 palm. altitudinem, quâ vterq; conſtat; & aptè ſanè huic dimenſioni latitudo baſis 10 palm. in vtroq; congruit Obeliſco, ſiquidem baſis latitudo ad altitudinem in decupla proportione conſtituatur. Atq; ex his 2 Obeliſcis vnus eſt, quem propriâ manu ſummâ diligentiâ dimenſum delineatumq; non ita pridem ad me Romam tranſmiſit, quem ſuprà laudaui, Titus Liuius Burattinus; de quo hiſce verbis ſcribit: *Queſti gieroglifici li copiai dal lato Occidentale dell'Obeliſco d'Aleſſandria, che rimane in piedi, e li altri tre lati, per eſſer guaſti dall'aria, non fù poſſibile, che li poteſſi diſegnare, li quali ſono tutti differenti, e perciò non credo che frà tutti li Obeliſci, che hoggidì ſi ritrouano, vi fuſſe altro più adorno di queſto.*

Obeliſcus Alexandrinus à Tito Liuio Burattino ad Authorem miſſus.

CAPVT II.

De menſura & ſymmetria huius Obeliſci Alexandrini.

Obeliſci Alexandrini menſuræ.

TOtius Obeliſci altitudo à dicto Tito Liuio fuit inuenta 62 pedum Capitolinorum, cum $\frac{691}{970}$, in quales pes Capitol. diuiſus aſſumebatur. Pyramidium eſt quinque pedum Romanorum cum $\frac{674}{970}$, Obeliſcus à baſi vſque ad pyramidion 57 $\frac{17}{970}$ pedum, baſis 7 $\frac{746}{970}$ pedum, vti in figura apparet.

Epi-

Pars I. *Obeliscus Alexandrinus.*



Pars II. continuata priori.



Pars III. inferior continuata prioribus.



Epilogismus totius Obelisci Alexandrini ex literis Titi Liuij Burattini.

Altitudo E O vnà cum pyramidio pedum Romanorum Capitolinorum	$62\frac{691}{970}$
Altitudo F O pedũ	$57\frac{17}{970}$
D L pedum	$55\frac{957}{970}$
H M pedum	$4\frac{263}{970}$
Latitudo G H pedum	$7\frac{556}{970}$
I K pedum	$7\frac{746}{970}$
M K pedum	$0\frac{95}{970}$

Ad quantitatem singularum partium sustuli G H, ab I K, & remanent partes 190, cuius medietas sunt 95, quæ est quantitas lateris M K, paruuli trianguli M H K, cuius proportionis ope inueni latus L K maioris trianguli L D K, cùm sicuti K M ad M H, ita L K ad L D. Hoc itaque spacium L K duplicatum, & ab I K subtractum, remanere facit, L P, æquale à C D basi pyramidij. Atque hæc est symmetria totius Obelisci à Tito Burattino obseruata, nec sine ingenij Geometrici commendatione calculata; & nè quicquam consideratione dignum omisisse videretur, addidit situm Obelisci, qui quidem non præcisè quatuor Mundi plagas respicere compertus est, sed aliquantulum declinat, prout sequens figura ostendit.

No-

Obelisci symmetria.

Pars superior.



Nota ad Lectorem.

Cùm Obelisci altitudo, ob chartæ angustiam, hoc loco exhiberi non potuerit, eum in binas partes diuisum exhibere visum fuit. Dum itaque symmetriam eius in præcedenti facie descriptam legis, totum tibi Obeliscum erectum vt imagineris necesse est, vt hoc pacto demonstrationem verbis Burattini relatam, meliùs intelligas. Figura infrà posita, ostendit basin Obelisci, vnà cum inclinatione eiusdem à quatuor Mundi partibus.



Pars inferior continuata priori.

Atque hæc est symmetria Obelisci Alexandrini, quâ peractâ iam explicationem eiusdem ordiamur.

CAPVT III.

Interpretatio Obelisci Alexandrini.

Obelisci Alexandrini interpretatio.

HIc Obeliscus eandem imperitam manum siue Hierogrammatistæ; siue Hieroglyptæ nactus est, quam Heliopolitanus in præcedente Syntagmate expositus: sunt enim symbola ita imperitè insculpta, vt non nisi ex alijs Obeliscis cognosci potuerint; cuius vnum tantùm latus delineauit Titus Liuius Burattinus; & habet tres columnas, sicuti Obelisci Lateranensis & Flaminius; cœteris lateribus vetustate temporum, aërisque iniuria corruptis, vti ex literis eiusdem paulò antè adductis patuit. Verisimile tamen est, reliqua tria latera eadem ferè symbola continere; ita quidem, vt si restituere meâ voluntate ea voluissem, id difficile non fuisset: indubitatum enim est, reliqua latera, primam epigraphen, vti & reliquarum sacrarum tabularum schemata, eadem habuisse; quod vti dixi, difficile non fuisset, si non apud posteros malæ fidei notam inde contrahere me posse timuissem. Vt itaque maiori ingenuitate procederem, solùm huius mihi transmissi lateris delineationem interpretandam assumpsi. Cuius quidem argumentum prorsùs idem est, ac illud Obelisci Flaminij, de quo suprà videat Lector; & continet duodecim Solarium Geniorum effectus & operationes in Mundana œconomia, ex eorundem præsidio & influxu resultantes; quibusque singuli eorum cœremonijs & ritibus propitiandi sint; singuli enim suas in circuitu quaternorum laterum plagas Mundi respiciunt, quas & à malorum incursu defendunt conseruantque. Sed ad Rhombum.

Obelisci Alexandrini vnũ solum latus exhibet hieroglyphica integra.

Argumentũ Obelisci Alexandrini idẽ cum argumento Obelisci Flaminij.

Epigraphe Obelisci Alexandrini.

Continentur itaque in hoc Occidentali Obelisci latere, primo loco tres Accipitres tutulati A B, rudi scalpro effigati, qui occiduæ plagæ præsides Genios Solares indicant, vti in Obelisco Flaminio exposuimus. Sedent supra tria quadrangula, in quibus primo loco tres Boues sunt, cum totidem expansis brachijs, quæ literis C D indicantur. Et per Boues quidem inferiora hylæa Solaria Numina indicantur, in quibus Osiris hylæus habitat, qui influxu à superioribus participato totam inferiorem hylæi Mundi œconomiam beneficâ manu animat & conseruat. A B C D

Figura E simulachrum notat Hemphtæum; Z Mendesiam malorum fœcunditati contrariorum propulsatricem; F Agathodæmonem calidi suppeditatricem potestatem denotant. Qui tres Genij, tribus hylæis Numinibus Solaribus substituti sunt, vti in Obelisco Flaminio dictum est, vbi & authoritates singulorum reperies: ita vt per tres superiores Accipitres, 3 Genij Solares in Sidereo Mundo; per 3 Boues, in hylæo Mundo; per tria reliqua simulachra eorum asseclæ intelligantur; quibus quidem si reliquorum laterum figuræ adiungantur, meritò ex his duodecim Geniorum catenis, vniuersi Mundi machina, iuxta entium correspondentium connexionem administratur & fulcitur. E F

Columnæ tres lateris Occidentalis Obelisci Alexandrini.

Sequuntur iam tres columnæ, cum suis tabulis sacris seu anathema-

 tis,

tis, quæ omnia in nullo prorsùs differunt ab ijs, quæ in Obeliscis minoribus, Mahutæo, Mediceo, & Monticœlio,& in maiori Obelisco Flaminio
G passim occurrunt; in primo siquidem & tertio latere Papylio draconto-
H morphus cum thyrso papyraceo occurrit, cum sacris tabulis seu anathe-
I matis Momphto-Mendeijs I & K, quorum fusissimam explicationem de-
L dimus fol 220. In media verò columna primo loco Y Aspis Ophionei
K Dæmonis symbolum, & Ibis occurrunt, vnà cum reliquis symbolis inter L & O inclusis, quæ eadem in Meridionali Obelisci Lateranensis latere è regione Y posita reperies; quorum omnium interpretationem cùm citato loco dederimus, eò Lectorem remittimus. Has autem figuras easdem esse cum ijs, quæ in citatis Obeliscis reperiuntur, vt ostendam, nihil adeò aliud requiritur, nisi vt in fine huius Obelisci positas figuras distinctiùs expressas consulas, ex quarum comparatione ad inuicem facta, veritas luculenter apparebit.

M Sequuntur modò schematismi M O N, quorum prior M, & tertius
N N, eadem symbolorum serie exhibiti reperiuntur in latere Orientali Obelisci Flaminij, è regione Y, quorum & expositionem ibidem adduximus; medius autem schematismus sacræ tabulæ O inclusus, symbola
O quidem aliter disposita, sed minimè incognita, & vbique passim in Obeliscis obuia exhibet, & indicant symbola Geniorum humidi & calidi Præsidum, attractiua; his siquidem totius tripartiti anni status, *a*, calidi & ignei Præses, per Ibin, *b*, humidi & aquei Præses in inferioribus indicatur; per, *c*, triplicem ramum, tripartitum anni tempus, per pennam appositam, motu animandum; per, *d*, aquea substantia Mundi fulcimentum, quâ Chenosiris, *e*, tripartitum anni tempus admininistrat, indicantur.

Geniorum humidi & calidi symbola.

Sequuntur tertiò Schematismi P Q R S V T, quorum prior & ter-
P tius sunt sacræ tabulæ anathemata Osiri & Isi consecrata, & eadem
Q prorsùs sunt, quæ in citatis Obeliscis Flaminio, & minoribus Mahutæo &
R Mediceo passim occurrunt, vti vnum cum altero comparanti patebit, &
S ex adiuncto in fine schemate liquet; quorum & interpretationem citatis
T locis exhibitã videat Lector. Medius schematismus RVT habetur pariter
V in Obelisco Lateranensi partim in lateris Borealis prima columna è regione M & N, partim in lateris Meridionalis media columna è regione F; & indicant Typhoniæ malignitatis ab humido sacrorum canalium, à portis sacrarum fauissarum, à terminis agrorum propulsationem, per catenam trium Geniorum tribus principijs generationis præsidentium, efficiendam. Sed hæc fusiùs citato loco vide pertractata.

Sequuntur modò in prima columna symbola *a b c d e f g*; quæ denotant effectus ex cultu Deorum per sacra anathemata peracto, quorum sensus est: Per has sacras tabulas cœlestis prouidentia vitalem liquorem in fauissam influit, amore supera & infera replet, fauissa sacra 4 Numinum Solarium custodia (quæ aptè sanè per 4 sceptra Accipitrinis capitibus insignita, & fauissæ *g* imposita indicantur) seruatur, quorum benefica,

Hieroglyphica lectio symbolorum Obelisci Alexandrini columnæ primæ.

ſica, *h*, vi per *i* tres Mundi terminos diffuſa, *k* neceſſariarum rerum omnium abundantia per tripartitum anni tempus in *l* cœleſtibus & terreſtribus *n* duplici dominationis *m* vehiculo confertur.

Mediæ columnæ ſymbola ſunt ſignata *o p q r ſ t u x y*, quorum ſenſus eſt: Aquæ cœleſtis prouidentia per occultum vitalis humoris motum catenas pandit Pantamorpho, ope ſacræ tabulæ *a b* ſequentis, in qua Scarabæus ſiue Oſiris dodecapyrgi præſes, ouali includitur. Reliqua ſymbola inter *b* & *c* incluſa, cùm eadem ſint quæ in Obeliſcis minoribus & Lateranenſi frequentiſſimè occurrunt, non attinet exponere, cùm iam ſæpius expoſita ſint. Hieroglyphicalectio ſymbolorum columnæ mediæ Obeliſci Alexandrini.

In tertia columna ſymbola comprehenduntur literis *z a b c d e f g h i*; quorum ſenſus eſt: Cuſtos catenæ Iſis, quæ aptè per, *a*, throno inſidentem figuram notatur, Noctuam Typhoniam profligat, Agathodæmon Intelligentia allicitur, ope primò Oſiridis, inde ſacri vaſis geſtatione, Mundus vterque eius benefica vi fulcitur, vita Mundo, fauiſſæ, & ſacris ciſternis infertur per ſequentes ſacrarum tabularum ſchematiſmos LM & NO; quæ vt in nullo ab ijs, quæ in citatis Obeliſcis continentur, diſferunt, ita eandem quoque ſignificationem habent, quam citatis locis vides. Atque hæc eſt perioche interpretationis huius præſentis Obeliſci Alexandrini, quem quidem eadem prorſùs in ſe myſteria continere, quæ Obeliſcus Flaminius, paulò antè ex identitate ſymbolorum demonſtratum fuit. Hieroglyphicalectio ſymbolorum tertiæ columnæ Obeliſci Alexandrini.

Scribit verò delineator huius, ſpacia latelaria T S & T V, referta fuiſſe minutiſſimis hieroglyphicis, quæ vti ob ſummam (nam temporum edacitate raſæ erant) corruptionem, aſſequi non licuit, ita quoq; de ijs iudicium noſtrum interponere minimè viſum eſt.

Conſectarium I.

HInc patet, hunc Obeliſcum ferè eſſe compoſitum ex figuris Obeliſcorum ſuperiùs recenſitorum, vt proindè identitas figurarum, identitatem ſignificationis planè commonſtret.

Conſectarium II.

HInc patet, ex Obeliſcis veluti prototypis omnia ſchemata, quæ peculiaribus ſimulachris inſculpta cernuntur, deſumpta eſſe, ſolo ſitu ſubinde diuerſa, qui tamen nullam in ſignificando diuerſitatem inducit, vti in principio huius Operis de ſymbolicæ literaturæ proprietate docuimus.

Nota denique, in abaco Obeliſci, Arabicis literis hæc verba ſpectari مسلة فرعون, quæ idem notant quod, *Acus Pharaonis*; ita enim Arabes

Obeliſcos vocant, quæ tranſſcriptor eo ibi fine poſuit, tanquam genuinum Obeliſci apud Arabes nomen; quæ ideo appono, nè illa à Veteribus ſaxo inciſa putares.

Viſum fuit hìc apponere ſchemata diſtinctiùs expreſſa ex Obeliſcis minoribus extracta, quæ in præcedenti folio inſeri debebant.

Tabula Mophto-Mendeſia.
Hoc ouatum ſchema reſpondet præciſè in Obeliſco Alexandrino ouatis figuris I & K, vti & L & N.

Tabula Oſiriaca.
Hoc ouatum ſchema reſpondet præciſè in Obeliſco dicto ouatis figuris S & T, vti & M & O.

FINIS SYNTAGMATIS NONI.

SYNTAGMA X.

OBELISCVS FLORENTINVS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IOANNI CAROLO

S. R. E. Cardinali Mediceo,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

OBELISCVM hunc Florentinum vocò, quia Florentiæ in celeberrimæ Vrbis Museo primò detectus; vnde nulli meliori iure quàm Tibi, bonarum literarum consultissimo, eum inscribendum duxi. Etenim sicut olim Ἀθλοῦα Ἀθλοφόροις, sic Florentina non nisi Florentinis debentur, vt vbi nullo non tempore reconditarum literarum viridaria culta sunt, ibidem detecta Ægyptiacæ Sapientiæ adyta Mundo inclarescerent. Nec mirum, cùm celeberrimo Florentino Athenæo præsit Trismegistus verè rediuiuus, Summus Hetruriæ Dux, religione, sapientiâ, & Regiâ affinitate ter maximus, cuius incitamento non tantùm magna præstare possunt Inclytæ Vrbis Vestræ Sophi, sed ea factis Mundo sufficienter comprobare. Accipe itaque huius præsentis Obelisci, bonori Tuo constituti, nouam erectionem; & si quid iudicio Tuo limatissimo minùs responderit, id pro innata Tibi prudentia Te excusaturum potiùs, quàm in malam partem accepturum prorsus confido, memorem illiùs: In rebus arduis tantùm voluisse, sat esse. Vale.

SYN-

SYNTAGMA X.

Obeliſcus Florentinus, eiuſque interpretatio.

CAPVT I.

De Obeliſci huius origine, inſcriptionis ratione, & argumento.

Obeliſcus Florentinus à Nardio tranſmiſſus.

NOBILISSIMVS Ioannes Nardius, Magni Ducis Hetruriæ Medicus, primò hunc mihi Obeliſcum præſentem, vnà cum innumeris alijs fragmentis hieroglyphicis, quorum in ſequentibus paſſim mentio fiet, pro ſuà in Reipub. Litter. boni promotione, tranſmiſit. Verùm vt omnia authenticis teſtimonijs ſuis conſtent, hîc epiſtolam eius ſubſcribam, ex qua detecti Obeliſci occaſio luculenter patebit.

Adm. Reu. P. Athanaſio Kirchero
Ioannes Nardius B. A.

Nardij epiſtola ad Authorem.

Remoror volens egregios tuos conatus nupero obſequio, Vir eruditiſſime, labentiſque ſeculi decus. Nam qui te diu, multùmque inſudantem verſandis Ægyptijs cautibus conſpicor, leuidenſi munuſculo allicio in præſens, quin auoco, improbumque laborem delinio, impotens manus admouere auxiliares tantò operi, quod eſſet in votis. Dant otia vires, præcinente Vate, forſanque noſtris ex quiſquilijs margaritas colliges tu, oculatiſſime indagator, qui lynceis terebras ocellis immania ſaxa. Nihil ego te moror poſt hæc. Icones do Ægyptiacæ ſupellectilis, æneis tabulis ſeptem notatas, olimque impreſſas ad calcem noſtri Lucretij. His accedunt ſuperpondij loco tricubitale Obeliſci exemplar, tæniarum trium imago, ſtolæ fragmentum, calcatis inſuper è gemmis expreſſæ figuræ, neque paucæ, neque incurioſæ. Viæ tædium leuabit ridicula Ammonis dodrantalis facies, impiger gladiator, teſſeraque hieroglyphicis characteribus exarata. Poſtrema hæc cimelia apud nos ſunt vnà cum cœlatis, quod tunc indicauimus, quum legitimis Dominis reliqua aſſignaremus. Gemmas vltrò commodauit Illuſtriſſ. Carolus Strozza, totius antiquitatis Promus condus, iure meritoque viuentis hiſtoriæ encomio ſilente inuidia honeſtatus; & quæ viri ſingularis eſt in omnes humanitas, conſpirauit alacriter tua in commoda, Kirchere, nactiſque opportunè Clariſſimum Senatorem Philippum Vecchiettum, celeberrimi Muſei hæredem meritiſſimum, expoſito vix negotio ſummâ comitate cuncta nobis communicauit. Obuius primùm fuit marmoreus ex Praſalte Obeliſcus, literis haud tibi ignorabilibus exſculptus, quas fideliter tranſcripſit Ioannes Baptiſta Balatrus, Sereniſſimi Magni Ducis Architectus inſignis. Parem & nauauit operam ſedulus artifex in Zonis imitan-

tandis, quæ linteæ sunt, atramentoque signatæ, integræ duæ sacris, tertia quæ mutila, popularibus (ni fallor) literulis notatæ, non absque hieroglyphicis tamen superstes in margine Stolæ fragmentum viuidis adhuc renidet coloribus. Hanc extendere, vt nosti, consueuêre salitores à mucronata cartilagine ad tarsum pedis vsque curati defuncti; quod & videre est nostris in tabulis. Si quid interea noui aut curiosi occurrerit, Oedipo tuo obstetricabor. Vale mi Kirchere, meque redama. Florentiæ, Idibus Februarijs, A. S. 1651.

Quomodo verò hîc expositus Obeliscus Florentiam ex Ægypto peruenerit, latet; verisimile est, posteris temporibus vnà cum Mumiacis cadaueribus, cœterisque monimentis Ægyptiacis, quorum non exiguam copiam ex Ægypto in Musei Florentini toto Orbe celeberrimi ornamentum Magni illi literatorum hominum Duces nullo non tempore compararunt, translatum fuisse. Obeliscus Florentinus quomodo aduectus.

Obeliscus tametsi paruus mole sit, tanta tamen rerum copia instructus est, vt maioribus haud quaquam cedere videatur. Quemadmodum verò notæ insolito characterum genere (qui tamen verè hieroglyphici sunt) quos à currente manu, currentes vocant, exaratæ sunt, ita adeo hoc insolens & intricatum negotium meum exercuit ingenium, vt in nullo alio Obelisco plùs difficultatis, plùs laboris & ingenij, quàm in hoc me posuisse fatear; neque fieri posse videbatur vt ad tam incognitæ literaturæ sensum pertingerem, nisi aliorum Obeliscorum politiores figuræ, quibuscum passim conueniunt, parturienti ingenio obstetricantes manus adhibuissent; quarum combinatione vnius ad alteram factâ, tandem nodum gordium scindere, diuinâ bonitate cooperante, datum fuit. Obelisci Florentini characteres currentes.

Diuisio Obelisci.

OBeliscus hic Florentinus, hieroglyphicis vndequaque turgidus, quatuor latera habet, quorum vnumquodque in binas columnas sectum est; pyramidion rasum squalet, nullo hieroglyphico schemate, quod epigraphes loco esse posset, insignitum, vti in cœteris passim videre licet; vnde statim sine præuia epigraphe, symbolorum contextus sequitur; cuius argumentum est concatenata quædam Numinum series, quæ vel ad bonum quod intendunt, obtinendum attrahere, vel ad malum propulsandum, sympathicâ quâdam symbolorum structurâ placare contendunt. Obelisci Florentini diuisio, & argumentũ.

CA-

CAPVT II.

Primi Lateris expoſitio.

§ I.

§ I.

Columnæ primæ lateris primi, characteres, & expositio.

Characteres seu figuræ.

Columnæ 1. lateris 1. characteres.

IN hoc Obelisco quidnam pessimè effigiatæ literæ notent, & cui figuræ in alijs Obeliscis respondeant, priùs hoc loco exponamus, vt hoc pacto ductibus singularum extricatis, faciliùs ad interpetrationis nostræ scopum pertingamus.

E regione A figura Serpentis occurrit, cum brachio extenso, quod sequitur alius Serpens, cum folio Perseæ, quod è regione B excipit cycloides, binis hinc inde Serpentibus adnexis; quæ figuræ in Obelisco Barberino pariter habentur politiùs efformatæ. C, Capreolum notat, cum tiara calathoide, & Serpente; quæ sequuntur duo parallelogramma, cum figura flagelli; & hoc verum esse, monstrat similis figura in Obelisco Pamphilio colum. 1. è regione B. Sequitur postea Serpens, sub quo globus, ex quo duo Serpentes emergunt; E, oculus cum baculo, & Serpente; F vestigium pedis, cum Serpente, & canali. G tutulus calathoides, cum infundibulo, cuiusmodi videre est in Obelisco Pamphilio 1. columna. Sequitur phallus oculatus cycloides, & H simulachrum erectis manibus, cum, I, phiala Nilotica, binisque circulis; K piscina sacra, cum sauissa, & L hydroschemate; Capreolus vitis, cum sceptro hircino; M gnomon cum sphæra, N simulachrum, cuiusmodi passim in Obelisco Pamphilio, cœterisque Obeliscis occurrunt; infra quod pes cum erectis brachijs, & tetradice. O Capreolus vitis, cum sceptro hircino, gnomone, & charactere Momphtæ. P cycloides, triangulum rectangulum, & figura Lunæ; quæ excipit Q Hircus, puer portæ insitus, quem hoc symbolorum habitu refert columna 2. Obelisci Pamphilij. Hunc sequuntur sceptrum Cucuphomorphum, vncinus, Serpens, Accipiter. R simulachrum genuflexum, cum brachio extenso, S triangulum, cum figura Lunæ, & Serpente. T cycloides, oculus. V sceptrum Vpupæ, & Capreolus vitis, cum sceptro cycloidem transeunte. W Scarabæi figura tractu currente exarata, cum globo ex quo canalis emergit, & Serpente. X Accipiter, cum circulo. Y simulachrum auerruncum, sub quo barys nauigium. Z ramus triplex inuersus, cum quadrato, & gnomone. Ecce hæ sunt figuræ currente charactere exaratæ, quas vti exposui, veras esse, reliquorum Obeliscorum, quibus cum concordant, schemata sat superque vnum cum altero comparantem docebunt. Nihil porrò restat nisi vt interpretationem breuibus verbis subiungamus.

Expositio figurarum.

Columnæ 1. lateris 1. interpretatio.

VIta A benefica, B vita fructifera, fons vitarum, in vegetabilem naturam, C vita potestatiua Mundorum hylæorum, D vita Mundi totius penetratiua, E vitalis prouidentia, F occulto motu canales replens mundanos, G infundibulo naturæ fœcundatiuo anni, H per statuam Hemphta illapsam in I phialam Mundorum, K in piscinas sacras & fauissas, occulto Numinis processu, L in humidam naturam deriuatur; vnde M fœcunditas vegetabilis naturæ, & symmetria Mundi, per N simulachri Nephtæi cultum, & legitimas cœremonias in virtute tetradicis (quæ est species Seriphij) resultat, O fœcunditas Mendesia, cum Momphtæa cœlesti, P geneticas operationes mouent in Mundo sensibili, qui Horus est, vnde varietas harmonica nascitur: influente Osiri, & R assecla eius Omphta benefico, S genetici Isis influxus deriuantur in T Mundum inferiorem, cui prouidet V varietatis & fœcunditatis Numen; Osiris verò subterraneus vitam à superiori Osiri cœlesti sibi communicatam ope Nephtes transuehit in tripartiti anni stationes, vnde fœlicitatis in inferiori Mundo complementum.

Scholion in explicationem factam.

STatuæ quæ ad literas H, N, Q, R, Y, omnes Deorum sunt auerruncorum, quarum singulas in Obelisco Pamphilio exposuimus. Ingeniculatæ sunt, quia inferioris ordinis cuiuspiam maioris Numinis dominio subiecti & ministri. Varios gestus exprimunt, nunc eleuando, nunc deprimendo manus; quâ quidem gesticulatione efficacia, & intensum res fidei suæ commissas quàm optimè & fidelissimè administrandi desiderium innuitur; iussa proinde sibi præstituti Numinis ardenter deprecari videntur. Vide Syntagma de Dijs auerruncis, in quo de ijs amplè disseruimus.

Serpentis symbolum varijs rebus appositum varia significat.

Nullum symbolum frequentiùs quàm Serpentis in hoc Obelisco occurrit; Serpentem autem vitæ symbolum esse, ex Horo, alijsque iam innumeris locis passim demonstrauimus; quod quidem pro vario appositu symbolorum variam significationem exprimit: nam Serpens appositus cycloidi, vitam cœlestem; hydroschemati, vitalem humorem; fauissæ, Nilotico vasi, aut sacræ piscinæ iunctus, vitalem Nili liquorem; & sic de cæteris, indicat. Vnde tametsi Obeliscus præsens nullam inscriptionem exhibeat, ex qua certo alicui Numini consecratus dici possit; ex significatione tamen symbolorum, notarumque contextu, eum Vitæ vitarum, id est, Numini supremo omnium Hemphta consecratum esse, certum est; cùm in toto hoc Obelisco de nulla alia re, quàm de vitali supremi Numinis influxu, & virtutum omnium viuificatore agatur, vti ex sequentibus patebit.

Obeliscus Florentinus supremo Hemphtæ consecratus.

Tetradice qualis herba.

Inter literas N O figura instar virgæ posita videtur, quam nos tetradicem vocamus, cuius Plutarchus meminit, eaque Isin Osiridis corpus à Typhonijs machinis inter Nili fluenta occuluisse ait, & idem esse

ac

ac seriphium marinum, in Diatribe de plantis Ægyptijs, ostendimus, magnæque in sacris efficaciæ fuisse diximus, vtpote plantam ad lustrationes expiationesque quàm aptissimam.

Inter P & Q triangulum rectilineum occurrit, cuius mysteriosam significationem fusè descripsimus in Obelisco Pamphilio l. 3. & in Arithmetica hieroglyphica Class. 7. alijsque passim locis. Puer verò portæ inclusus, notat Hori mundanam domum, vti copiosè aliàs docuimus, & in Obelisco potissimùm Salustio, quem consule.

Inter D & E, nihil aliud nisi globus ille nullibi non occurrens, Serpentibus fœtus, & currente calami ductu solummodò expressus videtur, vti omnia alia in hoc Obelisco; significat autem vigorem vitalem, quo Mundi turgent viscera. Globus Serpentibus fœtus.

Pari pacto litera quæ è regione W spectatur, Scarabæum indicat, vim Solarem in inferiori Mundo absconditam, rudi ductu currentis manus quaternis tantummodò pedibus, quorum sex habet, delineatus; neque enim exactam alicuius symbolicæ figuræ descriptionem multùm curabant, dummodò mentis conceptum solis Numinibus cognitum quouis modo exprimerent. Atque hæc paucula sunt, quæ in facta interpretatione illustranda duxi; quare ad alteram columnam procedamus.

§ II.

Columnæ secundæ Lateris primi figuræ, & expositio.

Characteres, seu figuræ.

PRimo loco è regione, α occurrit cycloides cum quadrangulo, & duobus β brachijs extensis; sequitur puer γ piscinæ sacræ insistens, cum δ Serpente, & pede humano, & Crocodilo, & Cruce ansata. ε Statua vncino instructa, Capreolus vitis cum orbiculo. ζ Figura Ibis, cum η tribus Serpentibus. θ cycloides, cum ι Pyramide coronata, κ germen tetradix, cum tribus baculis. λ Statua auerrunca, μ Nilometrium, ν Accipiter, cum alio Accipitre, & trigono rectangulo. ξ Statua Momphtæ, cum binis brachijs erectis. ο Cidaris calathoides, & Serpens. π Ibis ambulans, statua auerrunca. ρ Quadratum, Capreolus, pes, segmenta. σ Duo brachia erecta, Crux ansata. τ Hydroschema, υ Accipiter, barys nauigium, feretrum. φ Statua, χ tetradix, Aspis surrecta. ψ Piscina sacra. ω Cycloides cum Accipitre. Vidimus figuras, expositionem singularum adiungamus. Columnæ 2. lateris 1. characteres.

Expositio figurarum.

Columnæ 1. lateris 1 expositio.

COeleſtis α piſcinæ dominator β munificus, Horus γ piſcinæ ſacræ cuſtos, virtute ſui occulti motus, δ Typhonem profligat; influxus ſupremi Numinis, Tautici ſigilli virtute deriuatur in ε auerruncum Geniũ, vegetabilis Mundi dominatorem; ζ Ibiacum Numen η vitalibus operationibus omnia, κ religioſo cultu præuio complet; robur & fulcimentum dat λ Momphtæa Potentia μ ſacri Nili canalibus; ν Oſiris geneticos motus per ξ Momphtam ſuſcitat, precibus & cœremonijs ο Sacerdotum incitatus; vnde & π Mercuriale Numen vncino auerruncum ρ hylæum Mundum occultâ vi peruagatur, σ hymnis & prophylacticis ritibus naturæ τ humor attrahitur; υ Oſiris beneficus vehiculo in inferiora delatus, per ſimulachrum φ auerruncum, & operationem Seriphij χ, Ophionium vitæ fœcundæ largitorem piſcinæ ψ ſacræ immittit, vnde ω cœleſtis caloris virtute omnia conſeruantur.

Scholium in expoſitionem.

FIguræ α β γ habentur etiam in Obeliſco Pamphilio, ſed meliùs & politiùs inciſæ; ex quo collegi, charactere δ Crocodilum notari, & rudi tractu in hoc Obeliſco effigiatum potiùs quàm depictum. Idem iudicium ſit de figura inter ζ & η, vti & de figura è regione π, quarum vtraque Ibidem notat, vti ex alijs Obeliſcis obſeruaui, vbi eædem prorſus figuræ integriùs expreſſæ videntur. Litera ξ è regione figuram habet, quæ literam Copto ϭ ſimilem exhibet, reuera tamen caput Leoninum exprimit, cuiuſmodi in Obeliſco Pamphilio bina ſpectantur in prima columna, velato vertice conſpicua. Figura verò inter χ & ψ rudi ſtylo exarata Aſpidem tumido ventre ſurrectam exhibet, cuiuſmodi paſſim in omnibus Obeliſcis, potiſſimùm in tabula Bembina iuxta thronum Pantamorphæ naturæ poſitæ ſpectantur; vt proinde non aliâ ratione, quàm combinatione notarum ex alijs Obeliſcis ſimilium, in currentium huiuſmodi characterum notitiam penetrauerim.

Nota Lector, literas vel numeros in dextra parte Obeliſci lateribus appoſitos, ad primam columnam lateris; in ſiniſtra verò ad ſecundam lateris columnam pertinere; quorum ſinguli figuras è regione ſibi correſpondentes indicant.

CAPVT III.

Secundi lateris expositio.



Residuum Lateris II.

§ III.

§ III.

Columnæ primæ lateris secundi anatomia, & expositio.

Characterum anatomia.

Columnæ 1. lateris 2. characteres.

1 SCeptrum cum tripyrga arce, brachio, thyrso papyraceo, & Cruce ansata. 2 Capreolus vitis, temo, sceptrum, Serpens tortuosus. 3 Serpens bicornis, vncinus, gnomon, cum flagello & harpagone. 4 Crater, cum 2 statuis, & oculo. 5 Serpens, cum penna, & sceptro. 6 Piscina sacra pedibus innixa, quam sequuntur 3 Cruces bifurcatæ, cum sceptro, & Serpente. 7 Capreolus vitis, quem sequuntur baculus, seu thyrsus incuruus, cum statua piscinæ sacræ auerrunca. 8 Hyæna, cum Capreolo vitis, & pala. 9 Tria hydroschemata. 10 Vncinus ansatus, & Ibis. 11 Sceptrum trinode, cum vncino & gnomone; cui subduntur 12 baculus cycloides; & huic subnectitur brachium, cum intermedia pyramide, 13 Serpens baculo circumplicatus, cum thyrso cruciato, & altero tragoide. 14 Barys nauigium, cum binis vncinis, & Capreolo vitis, duobus pedibus, cycloide, & Serpente. 15 Brachium cum cycloide, vase Nilotico, & piscina sacra. 16 Hydroschema, cum statua, & baculo Serpente complicato. 17 Sceptrum Accipitrinum, quod sequitur Aspis. 18 Tres flores Loti, quos sequitur Accipiter. 19 Triangulum cum ara. 20 Ara, Capreolus vitis, Serpens pendulus, cui subiungitur statua apotropæa.

Anatomiæ factæ expositio.

Columnæ 1. lateris 2. expositio.

1 DOminium tripyrgæ arcis beneficum per influxum suum in omnia Mundi corpora factum, vbertatem rerum omnium necessariarum confert. 2 Hinc in vegetabilis naturæ œconomiam, 3 vita rerum & harmonia exurgit, malis omnibus depulsis. 4 Cœlestis vitæ vehiculum est 6 occultus diuinitatis motus in piscinam sacram; influxus trinus & archetypus in vegetabilem Mundum deducitur per 7 Nephtam piscinæ sacræ conseruatricem, & rerum largitricem dominam, 8 omnis vicissitudinis & alterationis in humidæ naturæ receptaculis causam, 10 malorumque auerruncatricem, Ibiaci Numinis fidelem ministram. 11 Cæremonijs in sacra barra præuiè factis 12 auerruncum Numen confert igneam caloris vim, quæ Lunâ attemperante 13 vitam concipit fœcundam, influxusque 14 Ammonij vehiculum, quo occultus Numinis motus è cœlo in inferiorem Mundum beneficâ virtute suâ deducitur, beneficâ vi suâ 15 bonorum omnium complementum præstat; sacrum Niloticum humorem in piscinis sacris augmentat, 16 in virtute simulachri prophylactici vitali influxu tumentis. 17 Osiris quoque atque Ophionij Dæmonis, qui vitæ, 18 caloris, motusq; authores sunt, mandata omnia iuxta 19 archetypi trigoni geneticas leges conformantur,

10 sacrificiorum rituumque tutelari appropriato exhibitorum vigore accedente.

Scholium in expositionem factam.

INter 8 & 9 figura quadrupes Hyænam refert, vicissitudinis & alterationis in inferiori Mundo symbolum, teste Horo, lib. 2. cap. 65. Horus.

Τινὰ δὲ ἄστατον, καὶ μὴ μένοντα ἐν ταὐτῷ, ἀλλ' ὅτε μὲν ἰσχυρὸν, δὲ καὶ θρασὺν, ὅτε γὰρ ἀσθενῆ βουλόμενοι σημῆναι ὕαιναν ζωγραφοῦσι· αὕτη γὰρ ὅτε μὲν ἄῤῥην γίνεται ὁτὲ δὲ θήλεια.

Instabilem quempiam, neque in eodem consistentem statu, sed interim robustum & audacem, interim verò imbecillum & timidum, volentes significare, Hyænam pingunt; hæc enim nonnunquam mas est, nonnunquam fœmina. Quæ tametsi Horus hoc loco homini assignet; Ægyptij tamen more solito vniuersali quâdam analogiâ, naturæ actionibus potissimùm in sublunari Mundo continuæ alterationum vicissitudini subiecto, in quo omnia mutuâ vicissitudine sese, nunc maris, nunc fœminæ officia obeundo exercent, non incongruè Hyænæ ea symbola appropriare voluerunt; nam vt rectè Oppianus lib. 3. de venat. Hyæna symbolum inconstantis. Oppianus.

> Θαῦμα δὲ, καὶ τὸ δ' ἄκουσα περὶ στικτῆσιν ὑαίνης
> Ἄρσενα καὶ θηλείαν ἀμείβεσθαι λυκάβαντι.

Maius eò referunt etiam miraculum, Hyænas Alternis annis naturæ iura nouare, vt Ambiguus modò fiat mas, modò fœmina fœta. Cœtera symbola cùm nota sint, earum expositionem consultò omitto.

§ IV.

Columnæ secundæ lateris secundi expositio.

Anatomica descriptio.

21 OCulus, cum quadrato, & brachio extenso. 22 Simulachrum sceptrigerum, cum adiuncta claua, & nauicula. 23 Capreolus vitis, & semiluna, cui subiunctus crater, & piscina sacra. 24 Statua prophylactica, cum barra sacra. 25 Crux cornuta, cum statua, & quatuor vasis Niloticis. quæ omnia ordine eodem in Obelisco Barberino spectantur. 26 Statua cum Capreolo, Ibide, & nauicula. 27 Ibis. 28 Porta cum vncino, Capreolo, tribus circellis. 29 Serpens. 30 Statua, cum adiuncta falce, & cycloide, barra sacra, cum statua in crucem ansatam conformata. 31 Ibis. 32 Hyæna. 33 Statua auerruncâ, cum traha. 34 Crux cum sceptro, quibus subiunguntur binæ decusses, quarum vertici linea imprimitur; sequitur Serpens, & cycloides, cum tribus terminis, & vase Nilotico; quæ omnia & in alijs Obeliscis spectantur. Columnæ 2. lateris 2. anatomia.

35 Statua cum sceptro, cui Aspis insistit; hanc alia statua sequitur, cum phiala adiuncta, 36 Brachium extensum, cum hydroschemate, 37 Capreolus, cum pede humano. 38 triangulum rectangulum, cum Serpente, & Aspide surrecta, 39 Serpens, cum harpagone, & Ibide, 40 Statua, cum sceptro hirciniformi, feretro, & cycloide.

Exhibitorum symbolorum interpretatio.

Columnæ 2. lateris interpretatio.

21 PRouidentiâ beneficâ 22 Momphtæi Numinis defertur 23 vegetatiua vis Lunæ in craterem piscinæ sacræ, & 25 Nilotica vasa per 24 25 26 appropriatas statuas auerruncas; 26 27 Mercurialia Numina vitali vehiculo 28 portis Mundanis illata, vegetabilis naturæ Mundis 29 vitalem conferunt influxum: 30 Statuæ auerruncæ vi, ritibusque per sacram barram peractis, cœlestis supremi Numinis influxus attrahitur; vnde Chenosiris influxu in inferiorem Mundum vicissitudo rerum emanat, per cultum, 34 ritus, & cœremonias sequentium simulachrorum: 33 35 36 his enim cœlestis humor, constituto 22 dierum tempore, in inferiora deriuatur; 36 hi beneficum humorem occulto motu iuxta 37 geneticas leges agitant; 38 Ophionio Dæmone Hermanubi, & Ammoniâ Intelligentiâ opus perficientibus.

Scholium.

Barra sacra quid.

QVid sacra barra fuerit, sat superque in Obelisco Pamphilio ostensum fuit; erat enim instrumentum ligneum, instar capsæ decussatim sceptris intersectum, in quo tùm sua sacrificia, tùm suas diuinationes Hieromantæ peragere solebant, ad aliquid à Numine, cui litabant, impetrandum. Vnde prouerbium, ἐν τῇ βάῤῥᾳ μαντεύει, *in barra diuinatur*, de ijs dicebatur, qui vigili curâ & impertæso labore ardua inquirunt. Vide Demophilum de ritibus Ægyptijs. Triangulum rectangulum, geneticæ virtutis symbolum apud Ægyptios fuisse, iam multis huius Operis locis ex Plutarcho demonstratum fuit; cuius basis principij passiui, cathetus actiui principij nota est, hypotenusa verò seu tertium latus ἔγγονον, id est, *ex his genitum*, notabat. Verùm de his in Geometria hieroglyphica, alijsque passim locis tractatum vide. Penultima huius columnæ figura traham refert, eratque instrumentum sacrum, quo sacra simulachra certis anni temporibus in triumphi speciem vectabantur, vt proindè in sacrum hieroglyphicorum album translata symbolum diuini cultus euaserit; vti & feretrum, de quo alibi vberrimè tractauimus.

Triangulum rectangulum geneticæ virtutis symbolum.

Traha quale instrumentũ.

Decusses binæ symbolum numericum.

Inter 34 & 35 duæ decusses apparent; quæ symbola erant numerica, & ijs XXII. exprimebantur, vti in Arithmetica hieroglyphicâ ostendimus. Erant autem 22 dies ex veteri illis Oraculo deputati, inter quos Numina suos effectus monstrabant; quos si intra huius constituti temporis spatium non consequebantur, aut Numen minimè placatum, aut sacrificium non ritè institutum credebant. Hinc ad Numen placandum,

inter sacra virgas decussatim compositas cum ramo intermedio, quo 22 dierum tempore Numen veluti mouerent, circumgestare solebant. Oraculum Hecates Ægyptiæ vetus sic se habet, ex quo apertissimè ad dicta symbola allusum fuisse colligimus:

Opsopæus in lib. Oraculorũ.

Ἀλλὰ τέλει ξόανον κεκαθαρμένον ὥς σε διδάξω,
Πηγάνε ἐξ ἀγρίοιο δέμας ποίει ἠδ' ἐπικόσμει,
Ζώοισιν λεπτοῖσι κατοικιδίοις σκαλαβώταις
Σμύρνης, καὶ συράκος, λιβάνοιο τε, μίγματα τρίψας,
Σὺν κείνοις ζώοισι, καὶ αἰθερίζας ὑπὸ μήνην
Αὔξουσαν τέλει αὐτὸς ἐπευχόμενος τήνδ' ἀρχήν
Δὶς δέκα μοὶ δὲ δύ' ἡμέραι ἐστὶ, δὲ κλύω
Ὅσσαι μορφαί μοι τόσοις ζώοις σὲ κηδέω
Καὶ σφόδρα ταῦτα τέλει. δάφνης δέ μοι αὐτογενέθλε
Οἶκον ἐμὸν χώρημα ποίει καὶ ἀγάλματι πολλὸν
Κείνῳ ἐπευχόμενος δ' ὕπνε ἐστὲ τοι ἀναδρήσεις.

Confice verò simulachrum purum, vt te docebo,
Ex ruta syluestri corpus fac, & adorna
Animalibus exiguis domesticis stellionibus,
Myrrhæ, & styracis, thurisque miscellam tritam
Cum illis bestiolis, & collutam sub Lunam
Crescentem initia ipse, desuper dicens hæc vota,
Bis decem & duo dies sunt, & audio
Quot formæ mihi, tot animalia tibi impero,
Et sedulò illa perfice; de lauro autem mihi sponte nata
Domus meæ receptaculum fac; & simulachro multas
Illi preces fundens, & in somno me videbis.

CAPVT. IV.

Tertij lateris expositio.

§ V.

Columna prima lateris tertij

Anatomia Characterum.

PRima hæc columna *a* vicinum tenet cum oculo, circello, hydroschemate, *b* Serpente, Lunaribus fragmentis, Aspide. *c* Brachium extensum, oculus, vitis Capreolus, segmentum. *d* Statua auerrunca. *e* Accipiter, cum Aspide, & iterum Accipitre. *f* Nauicula, cum statua auerrunca, *g* Pedibus humanis, & Aspide. Atque hæ figuræ ab *f* vsque in *h* eædem sunt, quæ occurrunt in columna prima lateris secundi ab *v* vsq; ad

Columnæ I. lateris 3. anatomia.

Residuum lateris III.



ad ♀. *b* tiara Sacerdotis, cui ſubiungitur oculus, cum *i* binis ſtatuis ru- diter effigiatis, & Serpente bicorni, Capreolo, circello. *k* Hydroſchema, Hyæna, Canis iacens ruditer delineatus incubans. *l* Duo pedes, cum circello. *m* Crater. *n* Baculus incuruus, cum temone & traha. *o* Statua auerrunca, cum Cruce anſata, & triangulo capreolato. *p* Baculus, cui Serpens implicatus. *q* Ibis ſtipata binis brachijs. *r* Altare cum Cruce anſata, hydroſchemate, & quadrato, è quo bini pedes emergunt. *ſ* Circellus, cum ſceptro ſerpentifero, & oculo. *t* Serpens, cum brachio extenſo, & ſtatua auerrunca. *u* Duæ Cruces triangulatæ, cum nauicula. *x* Tiara capreolata, cum menſa, vaſe, Capreolo, & ſceptro *y* Cucuphomorpho inſtructa; denique ſtatua auerrunca.

Expoſitio Anatomiæ.

a PRouidentia ſuprema cœleſtem humorem *b* vita plenum deriuat in Ophionium *c* beneficum Agathodæmonem, quâ prouidetur vegetabili naturæ per influxum Numinum *d, e, f, g, h,* (ſuprà expoſitorum; ſunt enim eadem cum ijs paulò antè in anatomia recenſitis.) horum prouidam curam *h* Sacerdotum religio ſollicitat per *i* ſtatuas vitalis humoris præſides, vnde *k* viciſſitudo & varietas Mundo enaſcitur, per occultam *l* Anubidis motionem & vigilantiam, *m* crater cœleſtis *n* eo dominante cultu *o* Sacerdotum defertur *p* Momphtæo Genio; vnde & genitalis & vitalis influxus benefico *q* Hermanuphtæ conſignatur; qui *r* influxum hunc occulto motu ſuo in Mundanos *ſ* canales vitæ dominio propagat, & beneficâ prouidentiâ gubernat, per ſtatuæ *t* præpotentes influxus; quibus proderit cultus & religio Sacerdotum per ſacrificia ritè & legitimè inſtituta, & Numini congrua. Columnæ 1. lateris 3 expoſitio.

Scholium.

OCcurrunt ſubinde ſymbola nonnulla, quos nos characteres Numinum monogrammaticos in Syntagmate de Canopis vocamus, vbi & eos ſummâ diligentiâ expoſuimus: huius farinæ characteres ſunt, qui in hac columna è regione *o*, *ſ*, *u* occurrunt. Sed vide Iconiſmorum Canopicorum figuram III, vbi omnes huiuſmodi, vti & eorundem ſtructuram expoſitam reperies. Cœteræ notæ vti ferè ſemper eædem in præcedentibus expoſitæ recurrunt, ita tempus perdam ſi eas hoc loco repetam. Vocamus autem eos monogrammaticos, quia Deorum citato loco expoſitorum ſymbola ſunt, & magnæ efficaciæ eſſe perhibebantur apud eos, qui eos iuxta requiſitum religionis cultum portare ſolebant. Verùm hæc omnia, id eſt, characterum huiuſmodi compoſitionem, & myſticas rationes fuſè expoſitas vide citato loco, id eſt, Syntagmate de Canopis. Characteres Numinum monogrammatici.

§ VI.

Columnæ secundæ Lateris tertij Declaratio.

Columnæ 2. lateris 3. expositio.

IN hac columna secunda lateris tertij, à ꝫ vsque ad *f*, paucis exceptis ferè eadem sunt cum ijs, quæ in secunda columna lateris secundi, à 21 vsque ad 28 ponuntur; & sunt pleraque in hac symbola æquiuoca, ad alterius columnæ iam recensitæ symbola significatione æquipollentia; quod facere varietatis causâ Ægyptijs est proprium, & ex alijs Obeliscis patuit: reliqua symbola enim in præcedentibus exposita sunt, & in eandem quasi significationem cadunt, ideo vlteriori quoque expositione non indigent.

CAPVT V.

Quarti lateris expositio.

§ VII.

Columna prima lateris quarti.

HOc latus præ reliquis, magnis tricis inuolutum reperi, adeo vt vix ad figurarum ductus rectè, nisi ex contextu reliquorum Obeliscorum, pertingere licuerit; pertigi tamen, Dei gratia, ad propositum Sphyngis mysterium, Oedipus tantò felicior, quantò maiora subeunda certamina in rebus omnium abstrusissimis. Anatomiam itaque exequor.

Anatomia.

Columnæ 1. lateris 4. anatomia.

1 SErpens, hydroschema, cum sceptro, laqueo, vncino. Sic habetur in columna quarta Obelisci Lateranensis. 2 Serpens, cum duobus circellis, & capreolo, figura monogrammatica, & vncino. 3 Vncinus, circulus, & figura monogrammatica; quæ quid sit, posteà declarabitur. Sequuntur duo sceptra, & altare cum vase suprà; quæ figuræ expressiùs habentur in Obelisco Barberino latere primo. 4 Serpentes duo. 5 Capreolus, figura humi iacens, Serpens, cycloides. 6 Tiara, triangulus, vnà cum Mercuriali monogrammate, de quo vide figuram tertiam Iconismorum Canopicorum. 7 Sceptrum temone stipatum, pedes humani fauissæ affixi, cum Cruce bifurcata, & Capreolo. 9 Statua auerrunca sceptrigera. 10 Characteres monogrammatici citato loco expositi, vnà cum 11 Serpente pendulo, & fauissa. 12 Crater, pes,



pes,lingua,vncinus,cycloides,character monogrammaticus. 13 Statua Accipitrina malè efformata, cum binis characteribus monogrammaticis cit. loco,quem 2 sceptra,cum intermedio capreolo,sequuntur. 14 Sceptrum Momphtæũ,cum vncino,Serpente,quadrato,cycloide,sceptro. 16 Triangulum, cum Serpente,& tribus terminis. 17 Cidaris, tres circelli, cum bra-

brachio interposito, cycloides, cum sceptro incuruo, vncino, Cruce bifurcata. 18 Coturnix, cum sceptris, capreolus, cycloides, tres termini. 19 Characteres monogrammatici, cum hydroschemate, alijsque monogrammis. 20 Statua Isis cum sistro. 21 Instrumenta auerrunca, vnà cum traha. Reliquæ figuræ cùm ex præcedentibus innotescere possint, consultò illas omittimus.

Expositio.

Columnæ 1. lateris 4. expositio.

1 VItalis liquoris potestas in Mundis conseruatur virtute Genij 2 Momphtæi (hunc enim monogramma 3 & 4, & lectus Momphtæus, de quo vide Obeliscum Pamphilium fol. 284 indicat) 5 vitam enim vegetabilis naturæ piscinæ indit, hæc à vita cœlesti per potestatem Agathodæmonis animatur; indicat enim è regione 6 cidarim capreolatam cum hieralpha, (quam pulchrè expositam vides in Obelisco Barberino non vno loco.) Mercurialis monogrammatis virtute Numen deuehitur occulto operationum motu in piscinam sacram, per influxum 8 vegetatiuum Momphta, quæ est 9 statua (vti ex alijs Obeliscis patet) Leonino capite transformata cum sceptro Lotifero. 10 Ophionij monogrammatis vi influxus quoque defertur in 11 Ophioniæ piscinæ craterem 12 occulto motu, & prouidentiâ Numinis hieracomorphi, per statuam 13 linealibus solummodò ductibus pessimè efformatam indicati. 14 Momphtæ vitales actiones hylæo 15 Mundo insitæ 16 geneticorum effectuum causæ sunt; est enim 17 potestas eius in Mundos sibi subiectos benefica, quos & prouidentia gubernat, & influxu perpetuo conseruat, 18 Bebonia mala à concinna vegetabilis naturæ œconomia dispellit, 19 cœlestis vitæ influxum ligat, 20 per monogramma Isiaci Numinis 21 sacri sistri sono omnia infausta propulsantis, quod proinde omni honore colendum est; 23 hæc geneses promouet virtute humidi cui præest, 24 in Mundi hylæi, quem fulcit, portæ vitam ingerit, Osirin ad vitam reuocat virtute tetradicis, 25 sapienti rerum dispositione, quæ per folium & fructum perseæ indicantur, Vniuersum sustentans.

Scholium.

HÆ notæ tametsi propter rudem illam effigiationem veri literarum ductus videri possint, nullâ tamen ratione tales putandæ sunt, sed notæ sunt prorsùs similes illis, quas tùm in Obeliscis, tùm cæteris Ægyptiacis monumentis passim spectamus, id est, hieroglyphici minutioris genus quoddam. ita in hoc præsenti Obelisco lineas pro sceptris, puncta pro circulis, quaslibet tortuosas lineas pro Serpentis figura positas reperias; pedes quoque humani non nisi lineæ videri possunt. Auget difficultatem hoc consideratione dignissimum, quòd sceptra, statuę, volucres quam compositionem habeant, dispici nullâ ratione possit, ex quo

quo tamen verus hieroglyphicæ literaturæ sensus eruitur; atque adeò ἀδύνατον fuisset, hanc adeo incertam & dubiam interpretationem moliri, nisi praxis longa, & experientia multorum annorum labore comparata per assiduam combinatoriæ artis applicationem, ex similibus hinc inde in Obeliscis cœterisque monimentis, Ægyptiacis schematicis inscriptionibus, nonnihil lucis attulissent; ex horum enim venatione, tanquam ad Ariadnæ filum, dum mentis aciem dirigo, id tandem, quod primò fieri vix posse cogitabam, consecutus sum; atque adeo si quandoque aqua hæsit, non ideo Lector vitiosam interpretationem censere debet, cùm essentialis idealis conceptus ratio semper sibi constet; idemque contingit in hisce, quod in nobis vsitatis rerum descriptionibus; in quibus etiamsi verba, voces, & diuersa phrasis positio aliquid mutationis adferre videantur, essentialis tamen rerum descriptarum significatio eadem permanet. Quæ quidem hoc loco adducere volui, vt si quis Aristarchus hanc nostram interpretationem seuerioribus Obeliscis notare attentaret, huius instituti nostri rationem non ignoraret.

§ VIII.

Columna secunda lateris quarti.

HÆc columna à 30 numero vsque ad 33 easdem, paucis exemptis, figuras habet, quas columna 2. lat. 2. à numero 21 vsque ad 24; & à numero 39 vsque ad 42 eædem sunt, quæ in secunda columna lat. 2. à 30 vsque ad 32; in reliquis verò symbolis nihil adeo noui occurrit, quod in præcedentibus non sit expositum, Subiungamus tamen interpretationem. Columnæ 2. lateris 4. expositio.

30 Benefica Momphtæi Numinis prouidentia influxum suum defert in craterem piscinæ magnæ, per 33 statuam àuerruncam in hylæo septo vitalis humoris custodem; 34 prouidentia Ophionij Numinis humorem vehiculo benefico deuehit in piscinas & fauissas sacras, & hinc in domus mundanæ seminaria, virtute statuæ triplici dominio præpotentis; 40 Chenosiris & 41 Hermanubis 43 radijs fœcundis vitam infundunt 44 hylæi Mundi receptaculis; cui accedit 45 Osiris prouidus humoris conseruator, qui 46 statuæ auerruncatiuâ virtute, Ophionio Numine, 47 Solaribusque Genijs 48 cooperantibus, in multiplicem fœtum actuatur. 49 Mendetis verò potestas & dominium, humidum 50 in hylæis Mundis iuxta 52 geneticas leges fœcundat & animat, quod est vltimum 53 complementum Osiridis hylæi, & sacrorum humidi receptaculorum, ad quod necessaria erat 54 statuarum appropriatarum positio, quarum virtute 55 humidum Osiris 56 virtute in locis 57 desideratis proueniret.

Conclusio

EX huius itaque interpretatione Obelisci patet, quomodo vita Mundo, sine qua Mundus consistere nulla ratione potest, concatenatorum Numinum ministerio in membra, per influxus vnicuique particulares, à supremo Numine participatos, infundatur; & quomodo omnia quæ visu percipiuntur, ab ijs fœcundentur, animentur, multiplicentur; & quomodo semper superiora Numina suum in inferiores sibi subditos ministros influxum deriuent; inferiores verò, qui sunt præsides rerum Genij, singuli in suas sibi commissas partes, quas piscinas, crateres, fauissas vocabant, ad Mundi bonum traducant. Quia verò nonnunquam dicti Genij humanâ iniquitate offenduntur, pulchrè quoque ostenditur, quibus ritibus ac sacrificijs ij placentur, propitijque reddantur; ac proinde optatâ felicitate Numinibus fauentibus frui possint; qui est finis & vltimus hieroglyphicæ descriptionis scopus.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMI.

SYNTAGMA XI.

OBELISCI RASI

QVI SVNT

EXQVILINVS, ET VATICANVS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO ANGELO RAPACCIOLO,

S. R. E. Cardinali, Episcopo Interamnati.

TANTA *virtutis eminentia est*, Cardinalis Eminentissime, *tam potens Magnetismus*, *vt ignotos etiam & quantumuis dissitos in sui admirationem rapiat, suâ dulcedine demulceat, in discolis etiam atq; refractarijs mores suauiter componat*. *Equidem non infrequenter de summa vitæ* Tuæ *innocentia, de sanctæ conuersationis, quâ omnibus præluces, exemplo, de disciplinarum omnium, quas capacissimo ingenio* Tuo *possides, culturâ tantò sanè illustriori, quantò arctiùs summo humanitatis atque beneuolentiæ* Tuæ, *quâ in literatos diffunderis, affectui iungitur, varia à varijs non sine voluptate intellexi*. *Vt proinde tantarum virtutum complexui inuidus non immeritò videri possim, si tam illustre Ecclesiastici Principis prototypon sine immortali Obelisci* Tuis *meritis debiti erectione præterirem*. *Duplicem itaque* Tuis *virtutibus dignum erigo Obeliscum, Exquilinum & Vaticanum; qui tametsi nullis hieroglyphicæ literaturæ schematismis insigniantur, continent tamen nescio quid in se diuinum, & abditorum sacramentorum maiestate venerandum; quo, quæcunque cœteri innumerabili figurarum varietate exhibent veteris sapientiæ Oracula, eadem & hi veluti sub Sileno quodam vel solis mysticæ figuræ reconditis conceptibus exprimunt, verum proinde animi* Tui *eminentissimi ectypon quoddam, quo tametsi sub extrinseco velamine, pro insita* Tibi *modestia, virtutem tegas, tanta tamen eius in interiori animi centro diffusi fulgoris vis est & efficacia, vt ea non immeritò omnium corda veluti lucidissimo quodam radio accendere videaris*. *Sit itaq; hoc triumphantis virtutis veluti monimentum quoddam alijs ad exemplum*, Tibi *ad immortalem nominis gloriam constitutum, atq; vnà mei in* Te *sinceri affectus τεκμήριον*. *Vale Ecclesiastici Principatus decus & gloria*.

SYNTAGMA XI.

OBELISCI RASI ET SVNT EXQVILINVS ET VATICANVS.

CAPVT I.

Obeliscus Claudianus, siue Exquilinus.

Obelisci rasi qui dicantur.

OBELISCI rasi dicuntur, qui nullo hieroglyphicorum apparatu præditi sunt. Causa fuit, vel quia Reges, quorum intentio quidem erat, eos hoc honore cohonestandi, aut morte præuenti, aut alijs impedimentis negotijsque distracti, id perficere non potuerunt; vel quia Hierogrammatistæ, aut Hieroglyptæ rudi sæculo, qui id præstarent, defuerunt; vel quia ipsam figuram Obeliscorum oppidò mysteriosam, sufficientem putabant, ad arcana sub ijs latentia, intelligentibus & peritis Sacerdotibus insinuanda. Nam vti in Obelisco Pamphilio amplè demonstratum fuit, erat Obeliscorum figura adeo plena mysterijs, vt nullum esset in mundana œconomia mysterium, quod non vel numero laterum, linearum, angulorumque exprimerent; quæ vti citato loco vberrimè demonstrauimus, ita hîc ijs repetendis longiores esse noluimus. Fuerunt autem ex Ægypto inter cœteros Obeliscos tres potissimùm rasi adducti, quorum duos Claudius Cæsar ad Mausolæum Augusti, tertium in Circo Vaticano Caius Caligula erexit. De prioribus primò dicemus, de tertio postea vberiùs differemus.

Rasi Obelisci duo à Claudio Cæsare aduecti. *Ammianus.*

Duos itaque Obeliscos rasos ex Ægypto aduectos Mausolæo Augusti apposuit Claudius Cæsar. Ita Ammianus Marcellinus l. 17. *Secutæque ætates alios transtulerunt, quorum vnus in Vaticano, alter in hortis Sallustij, duo in Augusti Mausolæo erecti sunt.* Et tametsi nihil apud Historicos de hoc Claudij molimine legatur, nullos tamen præter hos illum erexisse, inde patet, quòd Strabo synchronus Augusto, cùm exactissimè Mausolæum descripserit, Obeliscorum tamen nullam mentionem fecerit; ergo à Pronepote Claudio, in æternam aui sui memoriam, à quo tanta beneficia receperat, erectos certissimum est, vti & in Obelisco Pamphilio ostendimus; quod & ex ipso Plinij testimonio constare potest, qui eorum his verbis meminit: *Sunt & alij duo, vnus à Smarre positus, alter ab Eraphio,* (veriùs Vaphrio) *sine notis, 48 cubitorum.* Cùm verò Plinius 70 ferè annis Augusto inferior eorum meminerit; inter hunc autem & Augustum præter Neronem & Claudium alij non intercesserint Cæsares, Neronemque alijs intentum nihil circa Obeliscos machinatum legamus; Claudium eos erexisse luculenter patet. Horum itaque duorum Obeliscorum, quos Claudius honori & immortalitati aui sui, in Mau-

Plinius.

solæo

solæo dedicauerat; vnum Sixtus V. in Exquilini collis ornamentum, ante Basilicam S. Mariæ Maioris erexit, eo situ & architecturâ, quam præsens tibi figura demonstrat. Obeliscus Exquilinus seu S. Mariæ Maioris.

Symmetria & proportio Obelisci Exquilini.

Obelisci Exquilini symmetria & proportio.



Basis supra quam Obeliscus requiescit, à terra vsque ad basin Obelisci, est palmorum	36 & $\frac{2}{12}$
Obeliscus ab infima base vsque ad pyramidium, quod ei deest, palmorum	66
Obelisci inferior singulorum laterum latitudo palmorum	6
Obelisci singulorum laterum superior latitudo palmorum	4 $\frac{1}{2}$
Totus Obeliscus à terra vsque ad ornamenta, quæ sunt montes, stella, Crux, Obelisco imposita, est palmorum	102

Coagmentatus est Obeliscus ex quatuor fragmentis, in quæ Gothorum deiectione discissus erat; quorum primum erat 45 palmorum; secundum 5 palmorum & $\frac{1}{2}$. Tertium 12. Quartum 3 & $\frac{1}{2}$, quæ totum Obeliscum integrant, vti ex additione patet, palmorum 66.

Inscriptiones Obelisci.

Inscriptiones Obelisci Exquilini.

Inscriptiones antiquæ in hoc Obelisco nullæ sunt; quæ verò à Sixto V. positæ sunt, ordine sequuntur.

In Meridionali latere, quod Basilicam Liberianam, & Sacellum S. Præsepis respicit, hæc inscriptio habetur:

CHRISTVS per *Crucem* *populo pacem* *præbuit*	*Qui* *Augusti pace* *In præsepi nasci* *voluit.*

Ex parte Orientali hæc inscriptio habetur.

CHRISTI DEI
In æternum viuentis
Cunabula
lætissimè colo,
qui mortui
sepulchro Augusti
tristis
seruiebam.

Ex plaga Boreali.

CHRISTVM DOMINVM
Quem Augustus
de Virgine
nasciturum
viuens adorauit,
seque deinceps
Dominum
dici vetuit,
adoro.

Ex parte Occidentali.

SIXTVS V. PONT. MAX.
Obeliscum Ægypto aduectum, Augusto
in eius Mausolæo dicatum, euersum deinde,
& in plures confractum partes, in via
ad S. Rochum inuentum, in pristinam
faciem restitutum salutiferæ Cruci
felicius
Hic erigi iussit,
Anno M. D. LXXXII. Pont. III.

CAPVT II.

Obeliscus Moncoreus seu Vaticanus

Obeliscus MONCORIVS seu VATICANVS, qui vnus ex omnium maximis est.

HVius historiam fusè pertractatam vide in Obelisco Pamphilio folio 70. & fol. 81. & vnus è rasis est, à Moncoreo Rege filio Sesostris, erectus primùm in Ægypto; deinde Romam aduectus à Caio Caligula Cæsare in Vaticano à se constructo, reerectus, quemque Augusto & Tiberio cognatis suis & antecessoribus dicauit, vti ex inscriptione patet, quæ ita sese habet;

Inscriptio Obelisci Vaticani.

DIVO CÆSARI DIVI IVLII F.
AVGVSTO, TIB. CÆS. DIVI
AVGVSTI F. AVGVSTO
SACRVM.

Obelisci Vaticani conductor & erector.

Conductor & Erector huius Obelisci (vti Pier Franciscus Giambollarius l. de antiquitat. Tuscis, testatur) fuit Arnobius Florentinus, cuius epigra-

graphen suo tempore in base repertam fuisse asserit, his verbis conceptam:

Arnobius Florentinus
Huius miræ magnitudinis lapidem
ex Aegypto naui argonautica
aduectum suo ingenio
ad astra euexit.

De veritate huius inscriptionis disputare nolo; certè Florentini nomen, necdum Caligulæ tempore in vsu fuisse, facilè ex serie temporum ostendi potest; adiungendam tamen hîc duxi, nè quicquam omisisse videremur rerum ad hunc Obeliscum pertinentium. Hunc tandem terra ferè semisepultum, à sede sua auulsum, ausu omnibus sæculis memorando, in Campo Vaticano è regione Basilicæ S. Petri per Dominicum Fontanam Architectum erexit Sixtus V. P. M. & est post Lateranensem, omnium qui visi sunt in hunc vsque diem, maximus, integer & incorruptus; cuius conspecta mole iam dudum præcedentibus sæculis Pontifices Nicolaus V. Paulus III. & Gregorius XIII. PP. MM. nihil non egerunt, vt eum oportuniori loco erigerent; sed in executionem nunquam redigere potuerunt, siue sumptuum magnitudine, siue impossibilitate exequendi operis abterriti. Hunc tamen pro ingenti animi magnitudine, tanto digna Pontifice, Architecti dicti summâ ingenij vi & industriâ confisus erexit, eo, qui sequitur, modo. Obeliscum Vaticanum erigi curat Sixtus V. P. M.

Erectionis Obelisci Vaticani modus & ratio.

Obelisci Vaticani erectio

Sixtus V. Pontifex Maximus semper prægrandibus operum molimi- nibus intentus, cùm Obeliscorum erectionem agitaret animo, & Architectos timidiores ob difficultatem operis reperisset, hoc solo argumento operis possibilitatem conuincente vsus esse dicitur. Quod aliàs ab Ægyptijs Regibus & Romanorum Imperatoribus factum est, id nequaquam hisce temporibus denegatum videtur. Sed ex Historijs, Ægyptios non vnum, sed plures, imò innumeros, & maiores Obelisc. erexisse constat, quos & Romani Imperatores secuti ex Ægypto adductos in Vrbis ornamentum denuò reerexerunt. Quod itaque olim factum fuit, & hodierno tempore tanto fœcundorum ingeniorum copia fieri posse, nemo dubitare debet. Quòd si prætenderit quispiam excessiuam sumptuum quantitatem, is non sibi persuadeat velim, tantâ nos æris penuriâ laborare, vt ea ab huiusmodi animum nostrum diuertat, quin potiùs exacuat, & ad, non dicam similia, sed maiora præstanda, dummodò nostrorũ studio & diligentiâ non destituamur, extimulet. Agedum Dominice Fontana, cuius ingenium iam antehac in multis occasionibus nobis innotuit, seriò

huic negotio incumbere non desistas, neque curæ tibi sit sumptuum magnitudo; si vnus millio non sufficiat aureorum, addantur duo, aut quot eorum opus fuerint, dummodò quod imperamus, executioni mandetur.

Dominicus Fontana erigit Obeliscũ Vaticanum.

Hisce verbis animatus Dominicus Fontana Eques Architectus, ex eo tempore seriò huic negotio incubuit. Et primò quidem, optimo sanè consilio, quantitatem molis dicti Obelisci per exactissimam dimensionem explorauit; quâ habitâ se ad potentias mechanicas contulit, inter quas quidem, huic negotio expediendo oportuniores Ergatis machinas non inuenit; quarum etiam tantum numerum constituit, vt potentia harum simul iunctarum Obelisci pondus multis parasangis superaret. Porrò modus erectionis hic fuit, qui sequitur.

BOMBAY BRANCH

Pegma vulgo il Castello Quo Obeliscus Vaticanus erectus fuit a Dominico Fontana Equite & Architecto.



Modus erectionis Obelisci Vaticani

Primò fundamentum pro ratione loci positum erat quadrum, cuius vnum latus, maximi lateris latitudinem ter continebat, id est, 36 palmorum erat.

Secundò in medio huius quadrati fundamenti extra profundum ad planitiem deducti, positus fuit abacus; supra hunc basis quadrata cum omnibus rebus ad Obeliscum sustinendum necessarijs.

Castellum pro Obelisco Vaticano erigendo.

Tertiò, hoc peracto Castellum Obelisco erigendo destinatum hoc ingenio perficiebatur. Ex oppositis Abaci lateribus, Ecclesiæ Diui Petri parallelis, octo foramina, quatuor vtrinque, intra interiora fundamenta vergentia relicta erant, æquali ab inuicem in vtroque latere inter-

interuallo remota, quæ in figura exprimuntur per F G. eratque primus ordo trabium, quæ tamen in figura ob rationem opticam non comparent.

Quartò, in hisce octo foraminibus, quorum vtrinque quatuor relicta fuisse diximus, columnæ totidem fundabantur, id est, quatuor ab vtroque latere, tales, quales F A & C G monstrant primi ordinis trabes, vti foramina, sic & illæ inter se æquidistantes, eâ tamen proportione, vt mediæ duæ columnæ ex vtroque latere distantiâ suâ latitudinem Obelisci adæquarent, ea in parte, vbi latissimus est; hæ quidem columnæ latitudinem quatuor palmorum habentes, altitudinem Obelisci altitudine suâ aliquousque excedebant, vt in figura apparet. Quoniam verò tantæ latitudinis & altitudinis trabes non semper suppetunt, hinc singulæ columnæ F A, G D, quatuor alijs trabibus in vnum ferreis retinaculis & funibus cannabinis, non secùs ac mali nautici, strictissimè compingebantur, vt sic ad onus sustinendum sufficientes forent. Quia tamen solis hisce columnis Architectus non fidebat; hinc in summitate octo harum columnarum alias quatuor trabes ordinabat, quæ binas ex vtraque parte columnas correspondentes arctâ commissurâ connectebant; vnde fiebat, vt columnæ sibi oppositæ hoc veluti arcto quodam vinculo connexæ, nullam introrsum paterentur ex Obelisci pendentis pondere inflexionem.

His trabibus quatuor alij transuersim trabes, A B C D, inserebantur, quarum officium erat, Obeliscum pendentem sustinere. Quoniam verò tota hæc machina necdum ad tanti oneris molem, robur sufficiens obtinuisse videbatur, hinc

Quintò, columnæ quatuor mediæ, vtrinque binæ, quatuor alijs trabibus veluti Arietibus quibusdam admotis fulciebantur, & in figura signantur literis F T V X. Extremæ verò columnæ angulares octo, vtrinque quatuor sub recto angulo comprehensis, fulciebantur, iuxta columnarum partitionem nunc maioribus, nunc minoribus, crassitie suâ columnarum crassitiem adæquantibus, & varijs retinaculis, circulis ferreis, funibus, transuersisque lignis arctissimè firmatis; eratque in medio tota fabrica Obelisco dirigendo peruia & aperta. Atque hæc est Castelli fabrica, quam veluti fundamentum quoddam totius machinationis præmittere necesse erat, machina tùm Obelisco ex primo situ auellendo, tùm in secundo loco erigendo, peropportuna.

Sextò, hisce peractis multorum operariorum labore stratum fiebat à primo Obelisci situ vsque ad locum Obelisco erigendo præparatum. Agger erat ex aggesta terra, vtrimque trabibus tabulisque ligneis firmiter, nè cedere posset, constructus, & hoc pacto dispositus, vt semper altiori & altiori ductu vsque ad basin, cui Obeliscus insidere debebat, extolleretur. His quoque peractis *Stratum seu agger ad Obeliscum Vaticanum promouendū*

Septimò, ergatarum in Campo Vaticano plantatio, lectusque Obelisci fit, qui erat ex quatuor ingentibus arboribus, alijs transuersis trabibus in formam craticulæ insertis, rotisque subtus dispositis concinnatus, cui Obeliscus impositus ergatarum ope per dictum aggerem ad constitutum locum deuoluebatur. Obeliscus duodecim longissimis ferreis, *Ergatæ pro Obelisco Vaticano eleuando.*

ijſque robuſtiſſimis perticis veſtiebatur, quarum tres à ſingulis lateribus in longum Obeliſci protenſis vſque ad $\frac{1}{4}$ ducebantur; hiſce tranſuerſim tria alia ferrea cingula craſſiſſima ſingulari induſtriâ circumcirca vncis ferreis, & retinaculis validis, quæ longioribus perticis annexa erant, eo fine, nè cingula loco dimoueri poſſent, arctè inſerebantur; & nè Obeliſcus ferreâ hâc armaturâ cinctus quicquam detrimenti accipere poſſet, infra ferream hanc veſtem induſio è ſtoreis contexto, inuoluebatur. Porrò ad cingula ferrea ex ea parte, quæ columnas reſpicit, trochleæ, quarum ſingulæ duobus orbiculis veſtiebantur, appenſæ erant, & numerum ergatarum numero ſuo adæquabant; totidem quoque trochleæ in ſupremis quatuor trabibus AB & CD, & totidem aliæ in radice machinæ diſponebantur; quarum nos ad confuſionem vitandam duas poſuimus. Hiſce tribus trochlearum ordinibus ritè diſpoſitis, rudentes, ſingulis ſui, applicabantur; rudentes trochleis Obeliſci obuolutos excipiebant trochleæ trabibus affixæ, & ab his deriuabantur ad trochleas radici machinæ affixas; & hinc demum tympanis ergatarum circumuoluebantur. S locus ergatæ funem trochleæ vicinæ G circumplicatum trahebat, quæ ſuperiori trochleę N, & trochleæ M in Obeliſco circumducta videtur, & tractu machinæ Obeliſcū paulatim ergatæ ſollicitabant. Habebant ergatæ quatuor vectes longos, quibus ope partim hominum, partim equorum, machinæ in gyrum ductæ, rudentes tympano paulatim circumplicabant; quarum circūuolutione paulatim Obeliſcus eleuabatur. Nè verò in opere tanti momenti, ergatæ inæquali motu agitarentur, ad ſonū tubæ omnes ad machinam agitandam commonebantur, & ad campanæ machinæ affixæ ſonum, agitationem inceptam vnà omnes ſiſtebant; ſic fiebat, vt æquali motu & æquidiuturno tempore Obeliſcus paulatim cornua ſua erigeret. Quòd ſi vna ex ergatis, ſune lenteſcente, non laborare deprehendebatur, omnibus reliquis quieſcentibus hæc ſola, donec reliquis æquitenſum rudentē nanciſceretur, agitabatur. Hâc arte Obeliſcum nunc eleuabant, nunc demittebant, modò ad arbitrium Architecti, quò volebant, inclinabant, & tandem ſupra quatuor Leones baſi Obeliſci priùs implumbatos, eo ſitu, quem cum admiratione hodie intuemur, conſtituebant. Atque hic fuit modus & ratio, quo tùm Obeliſcus Vaticanus, tùm cœteri, in Romanæ Vrbis ornamentum à Sixto V. immortalis memoriæ Pontifice, ingenti ſanè auſu, erecti ſunt.

De Ergatarum potentia ad Obeliſci pondus comparata.

COnſtat in omni Mechanico negotio, potentiam machinarum, pondus, quod eleuandum ſuſcipitur, ſuperare debere. Hinc Architectus huius præſentis machinationis, neceſſariò primò Obeliſci pondus exactè compertum exploratumque habere debebat; deinde ad id ſuperandum numerum ergatarum, ordinare. Pondus Obeliſci hoc pacto reperiebatur. Ex lapide quem *granito roſſo* vocant, & communis omnium Obeliſcorum materia eſt, cubum palmarem formabat, quem diligentiſ-

Pondus Obeliſci Vaticani quomodo exploratum.

ſimâ

ſimâ ponderatione peracta 86 librarum comperiebat; huius ope pondus totius Obeliſci, eo modo, quo in Obeliſco Pamphilio fol. 50. & 57. Geometrico ratiocinio demonſtrauimus, inueniebat, videlicet primo cubicorum palmorum 11118, qui in 86 ducti libras pendebant 956148, quæ eſt totius Obeliſci moles, & materiam 370 Carrucis (Carrettatas Romani vocant) onerandis ſufficientem continet.

Porrò experientia conſtabat, ſingulas ergatas potentiam habere quaſi 33000 librarum. Itaque 30 ergatæ huic operi diſpoſitæ, ductæ in 33000, producunt 990000, potentiam ergatarum; ab his ſubducta 956148, ſcilicet pondus Obeliſci, relinquunt 33852, qui eſt exceſſus, quo potentia ergatarum, pondus Obeliſci ſuperat. Præterea armaturæ ferreæ, quibus Obeliſcus cum annexis trochleis & tabulis ligneis veſtiebatur, pondus ferè ad 50000 librarum pertingebat, quæ Obeliſci ponderi 956148 additæ conſtituunt pondus totius molis erigendæ librarum 1006148. hinc opus fuit 40 ergatis, quarum vnaquæque, vt dictum eſt, 33000 lib. potentiam habebat, quę in 40 ducta potentiam 1320000 librarum motiuam exhibent, quæ Obeliſci pondus 313852 lib. excedebant.

Ergatarum potentia pondus ſuperare debet.

His itaque præmiſſis, vltimo die Aprilis 1586, inuocato primùm diuini Numinis auxilio, erigendo Obeliſco initium datum fuit, primò cum quinque vectibus, 40 ergatis, 75 equis, & 900 hominibus, partim Officialibus, partim fabris, & machinæ impulſoribus. Et primò quidem duodena ergatarum circumuolutione Obeliſcus à pauimento promotus fuit ad duorum palmorum altitudinem, & conſequenter 648 ergatarum circumuolutionibus, in conſtitutum locum fuit deductus. Singulæ agitabantur à duobus equis, & 20 ferè hominum applicatione. Totum Obeliſci pondus vnà cum armatura, perticis ferreis, cingulis, trochleis, tabulis ligneis, ferè ad 2060000 librarum pondus pertingebat.

Erectio actualis Obeliſci Vaticani.

Epilogiſmus exactiſſimè, quantum fieri potuit, ſymmetriam & proportionem totius Obeliſci, ſingularumque partium, vnà cum ornamentis exhibens in palmis Romanis.

Crux quam Sixtus V. Obeliſco impoſuit ex ære inaurato, vnà cum ſtella & montibus, eſt alta palmis	26
Crux ſola alta palmis	10
Latitudo Crucis quoad brachia, palmis	8
Obeliſcus vſque ad pyramidion altus palm.	$107\frac{1}{2}$
Obeliſci baſis inferior Meridionalis lata palm.	12
Baſis verò Orientalis	12
Occidentalis	$13\frac{1}{2}$
Lateris Borealis	13
Pyramidion alt. palm.	6
Baſis pyramidij ex omni ferè parte eſt lata	8

 Ex

Ex quo colligitur, 2 in hoc Obelisco inferiora ad basin latera deinceps esse inæqualia, vnde basis Obel. non quadratũ, sed parallelogrammũ exprimit.



Basis Obel.

Abcus 3.

Abac. 2.

Abac. 1.

Soliditas totius Obelisci palmorum cubicorum 1118

Pondus verò nudi Obelisci librarum 956148

Totum pondus Obelisci armati librarum 1006148

Sustentaculorum, abacorumque proportiones.

Sustinetur Obeliscus extra fundamentum tribus abacis.

Primus abacus fundamento impositus ex marmore candido altus palm. 4$\frac{1}{2}$

Abaci latitudo duorum laterum oppositorum palm. 22$\frac{1}{4}$

Reliqua 2 latera opposita lata pal. 15

Vbi se restringit per certos gradus 13

Secundus abacus altitud. habet pal. 13

Latitudinem verò 12$\frac{1}{4}$

Coronis huic circumposita alta 4

In superiori parte lata 15

In inferiori parte lata 13

Tertius Abacus altus palm. 11$\frac{1}{2}$

Latus 12$\frac{1}{2}$

Super hunc impositi sunt quatuor Leones ærei, & suffulciunt Obeliscũ; altitudo spacij 4$\frac{1}{4}$

Tota hæc abacorum structura à pauimento vsque ad basin Obelisci, est palmorum 38$\frac{1}{2}$

Totus Obeliscus à pauimento vsque ad vltimum pyramidij punctum, altus est palm. 152$\frac{1}{2}$

Tota verò structura à pauimento vsq; ad vltimum punctum Crucis, est palmorum 178$\frac{1}{2}$

Verùm totam hanc symmetriam expressam vide in præsenti figura.

In-

Inſcriptiones Obeliſci.

Inſcriptio Occidentalis.

Chriſtus vincit,
Chriſtus regnat,
Chriſtus imperat,
Chriſtus
ab omni malo
plebem
ſuam defendat.

Inſcriptio Meridionalis.

Sixtus V. Pont. Max.
Obeliſcum Vaticanum
Dis Gentium
impio cultu dicatum
ad Apoſtolorum limina
operoſo labore
tranſtulit.
Ann. M D LXXXVI. Pontif. II.

Inſcriptio Orientalis.

Ecce Crux Domini,
fugite partes
aduerſæ,
vicit Leo
de tribu Iuda.

Inſcriptio Borealis.

Sixtus V. Pont. Max.
Cruci inuictæ
Obeliſcum Vaticanum
ab impura ſuperſtitione
expiatum iuſtiùs & feliciùs
conſecrauit.
Ann. M. D. LXXXVI. Pont. II.

FINIS SYNTAGMATIS VNDECIMI.

SYNTAGMA XII.

De fragmentis variorum Obeliscorum, quæ in Vrbe hodie supersunt.

EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO
COMITI
LAZARO HENCKEL
Baroni Montis Sancti Georgij.

HOC de fragmentis Obeliscorum, quæ in Vrbe hinc inde dispersa spectantur, Syntagma, beneficiorum in me nullo non tempore collatorum memor, Tibi Excellentissime Comes, *gratitudinis ergo dicandum statui; vt quantus fuerit* Tuus *in Republica literaria promouenda zelus, quanta in Literatorum conatibus fulciendis profusa benignitas, grata posteritati constaret. Vale bono communi diu superstes.*

CAPVT I.

De Obelisco Campomartio subterraneo.

Obeliscus Campomartius subterraneus.

OBELISCVS hic sanè ingens, magnitudine Flaminio non cedit, & in hunc vsque diem spectatur in Campo Martio ad radices Montis Citatorij, ex parte S. Laurentij in Lucina, vbi basis eius incipit, & reliquam molem extendit vsque ad cellam Pallatij vulgò dicti de'Conti. Qui tametsi totus terrâ obrutus sit, per cellas tamen vinarias vicinarū domuū nonnullæ eius adhuc partes cernuntur. Fuit autem hic à Sothi Rege Heliopoli primùm erectus; quem postea Augustus inde auulsum Romam transuexit, atque vt tam nobilem molem debito honore condecoraret, eum in Campo Martio amplissimo & celeberrimo loco erexit, vt sicuti à priscis erectoribus Soli dedicatus putabatur, ita Soli quoque ad horas, quas in dicto loco sub amplissima horologij, æneis lineis conspicui, forma elaborauerat, commonstrandas loco gnomonis seruiret, cuius vertex à terra in 115 palmorum altitudinem erectus, aureoque globo insignitus spectabatur.

Verùm de origine, erectione, dein usu in monstrandis horis munere, de horologij forma & ratione, de magnitudine & symmetria huius Obelisci, alijsque, cùm amplissimè in Obelisco Pamphilio fol. 76. tractauerimus, eò Lectorem remittimus. Quare hoc loco solummodò adducemus exiguam illam Obelisci, quam nobis per cellam videre licuit, vnà cum symbolis suis delineatam portionem, & est illa, quæ sequitur.



Vbi primo loco intra tabulæ sacræ ouatam figuram occurrit Accipiter, cum baculo incuruo, laqueo, & segmento; & est amuletum Osiridis auerrunci. Sequitur deinde Serpens, segmentum, bina sceptra, crater, duo brachia in oppositas partes vergentia, oculus, hydroschema, Coturnix, duæ pyramides. Quorum sensus est: *Osiris rerum dominator vitam in craterem deriuat, beneuolè & mirificè omnibus affluentem, prouidentiâ suâ ab omni maligna & Bebonia vi immunem*. Atque hæc non nisi paucula symbola ex dicto Obelisco obtinere licuit. Et quoniam singula Obelisci latera vnicam tantùm epigraphen columnarum habent, ac proinde figuræ maximæ & distinctissimæ apparent; certè non exiguo adiumento tam distincta figurarum omnium expressio, ad multa dubia maiori luce declaranda, esse poterat; quare dolendum sanè est, omnibus penè quotquot in Vrbe superstites sunt, Obeliscis, huius Oedipi ope iam dilucidatis, hunc vnum præ cœteris & mole, & celebritate nominis maximum, vtpote tot veterum Scriptorum encomijs nobilitatum, lucem videre non potuisse, sed perpetuis condemnatum tenebris veluti in lethæa quadam fossa submersum, literarium Mundum abstrusis dogmatum suorum sacramentis defraudare. Verùm non dubito, venturum suo tempore magni & cordati animi Principem, qui tot iam sæculis despectæ sepultæque molis nobilitatem animo voluens, illum postliminio in eum honoris gradum, quo dignus est, toto Mundo literario applaudente, sit exaltaturus. Atque hæc sunt, quæ de hoc Obeliscò paucis dicenda duxi; reliqua fusiùs vide in Obelisco Pamphilio citato loco.

Hieroglyphica nonnulla Obelisci Campomartij.

CAPVT II.

De Obelisci fragmento quod reperitur in Insula Tyberis.

Pomponius Lætus in sua Topographia alteriùs cuiusdam Obelisci olim in Insula Tyberis erecti, qui loco mali nautici seruire videbatur, mentionem facit. Quod verum esse, experimentum me docuit; siquidem nouis semper & nouis Ægyptiacis monimentis detegendis summo mentis æstu agitatus, cùm dictæ Insulæ angulos penè omnes discussissem, tandem exiguum Obelisci fragmentum, ante Ecclesiam S. Bartholomæi, detexi, quod inter alias columnas, quæ data opera ante dictam Basi-

Obelisci fragmentum in Tyberina Insula.

Basilicam ad rhedarum equorumque impetum cohibendum positæ sunt, versus partem quæ aditum ad Monasterium S. Francisci de obseruantia præbet, vltimum locum obtinet, & repaguli loco seruit. Fuit autem, vti Topographiæ Romanæ Authores scribunt, in medio Insulæ Tyberinæ seu Æsculapij, quam natura in figuram nauis adaptauerat, constitutus, vt arboris nauticæ formam exprimeret; quemadmodum & in Circis, qui Mundum referre videbantur, eandem ob causam constituebantur. Obeliscus fuit ex eorum Classe, qui Minores vocantur, cuiusmodi sunt Mahutæus, Monticœlius, Mediceus. Fuisse autem fragmentum ex ea parte, quæ proximè contingit pyramidion, auulsum, ipsa hieroglyphica inscriptio, quam hic apponendam duxi, sat superque demonstrat; vbi vides in singulis lateribus primo loco quatuor Accipitres tutulatos eo prorsus habitu, quo in recensitis minoribus Obeliscis occurrunt: in op-

I. Latus. *II. Latus.*



III. Latus. *IV. Latus.*

positis verò lateribus sub Accipitrum figuris ponuntur duo pisces; in aliorum duorum oppositorum laterum vno, globus Aspidibus stipatus; in altero barys nauigium cum statua Accipitrina in medio collocata; quorum omnium typum in apposita figura contemplare. Quid in hisce schematis Accipiter, quid globus Serpentifer, & alius Aspidibus turgidis pectoribus surrectis stipatus significet, sæpius in aliorum Obelisco-

rum

rum expositione dictum fuit. Quare quid pisces sibi velint, exponendum restat. Pisces ponuntur cum symbolorum ratione, quâ in nullo alio Obelisco, aut monimento Ægyptiaco me obseruasse memini; quibus quidem ad nihil aliud, quàm ad eam malorum, quibus Osiris Accipitrinus vitæ author, auertendis inuigilat, auerruncationem alludunt. Erat enim piscis symbolum τοῦ Ὀσίριδος ἀντιτεχνῆ: siquidem Oxyrinchus, Phagrus, aut Lepidotus, quos hi pisces exprimunt, apud Ægyptios nullo non tempore in summa abominatione habiti fuerunt, eò quòd pudendum Osiridis à Typhone in Nilum proiectum deuorauerint; nam vt Plutarchus docet. Μόνον δὲ τῶν μερῶν τοῦ Ὀσίριδος τὴν Ἶσιν οὐχ εὑρεῖν τὸ αἰδοῖον, εὐθὺς γὰρ εἰς τὸν ποταμὸν ῥιφῆναι, καὶ γεύσασθαι τόν τε λεπιδωτὸν αὐτοῦ, καὶ τὸν φάγρον, καὶ τὸν ὀξύρυγχον, ὡς ἃς μάλιστα τῶν ἰχθύων ἀφοσιοῦσθαι, τὴν δὲ Ἶσιν ἀντ᾽ ἐκείνου μίμημα ποιησαμένην καθιερῶσαι τὸν φαλλόν, ᾧ καὶ νῦν ἑορτάζειν τοὺς Αἰγυπτίους. *De omnibus membris solum penem Osiridis non fuisse ab Iside repertum; hunc enim statim fuisse in Nilum abiectum, gustatumque à Lepidoto siue squameo, Phagro, & Oxyrincho piscibus, quos præ alijs piscibus execrantur Ægyptij; Isidem autem eius loco phallum eius imitatione confecisse, atque consecrasse, quo hodieque in sacris vtuntur Ægyptij.*

Hinc Sacerdotes, Plutarcho teste, πάντων τῶν ἰχθύων ἀπέχονται, πρώτου δὲ μηνὸς ἐνάτῃ τῶν ἄλλων Αἰγυπτίων ἑκάστου περὶ τὰς αὐλείας θύρας ὀπτὸν ἰχθὺν κατεσθίοντος, καὶ οἱ ἱερεῖς οὐ γεύονται μὲν, κατακαίουσι δὲ περὶ τῶν θυρῶν τοὺς ἰχθῦς. *Sacerdotes omnibus piscibus abstinent; primi autem Mensis nono die, cum Ægyptiorum reliquorum vnusquisque ante fores domus suæ assum piscem edat, Sacerdotes non gustant, sed ante ianuam ædium comburunt pisces.* Cuius & rei duas rationes adfert: sacra altera & subtilis, est quam paulò antè, ob deuorationem videlicet pudendi Osiridis, adduximus; altera manifesta & in promptu est, piscem cibi genus esse non necessarium, sed superuacaneum; viuunt enim in mari elementorum finibus excluso, quod neque Mundi pars sit, neque elementum, sed alienum excrementum corruptum & morbosum. Quod quidem in tantum abominantur, vt & Nautas, cœterosque maritimos homines ferre non possint, vtpote homines Typhoniæ naturæ; mare siquidem Typhonis spumam appellabant. Atque ex hoc Capite quoque piscem In odij symbolum assumptum fuisse, testatur Clemens Alexandr. l. 5. Strom. In Sai (inquit) pro vestibulo templi Palladis huiusmodi symbola incisa fuisse, infans, senex, Accipiter, piscis, Hyppopotamus: puer & senex humanæ naturæ à pueritia vergentis ad senium, iterumque repuerascentis conditionem innuebant; Accipiter Deum, & quidquid in nobis diuinum est, & vitam ipsam signabat; piscis odium simul ac mortem, quod perniciem & exitium vocabant; Hippopotamus verò impudentem violentiam, & vehemens naturæ dissidium indicabat. Quæ quidem symbola ordine posita sic legebantur. *Nascimur, senescimus, viuimus, morimur, naturæ dissidio.*

Sed vt ad institutum reuertamur; pisces in hoc Obelisco propositi, vnà cum Accipitre mysteriosa habitu conspicuo, ἀντιτεχνίαν, quæ Osiridem inter & Typhoniam sobolem, cuiusmodi pisces erant, fœcunditatis Osiriacæ destructiuam intercedebat, significabant; atque adeo Osiris

nihil

Pisces in Obelisci Tyberini fragmento quid significent.

Plutarchus.

Pisces abominabantur Ægyptij Sacerdotes.

Piscis symbolum odij.

Piscium significatio in Obelisco.

nihil aliud, quàm vim quandam ma[illegible]um omnium, quám in huiuſmodi è ſpuma Typhonis prognata ſobole obtinet, apotropæam poteſtatem ſignat. Eſt enim Oſiris vis illa Vniuerſi penetratiua, omnibus motu, caloreque fœcunditatem præbens. quæ aptè ſanè per globum Serpentiferum, aliumque orbem binis Aſpidibus ſeptum, innuitur. Et per nauim Barym, Accipitrinam ſtatuam vehentem, quid aliud, niſi virtutis paulò antè memoratæ in humido potiſſimùm ſtabulantis, per vniuerſas Mundi ſemitas traductionem innuunt? cui cùm Typhoniæ poteſtates per piſces indicatæ aduerſarentur, Oſirin ex omni parte ἱερακόμορφον contra eas veluti efficaciſſimum quoddam Alexiterium prophylacticumque amuletum, ponendum cenſuerunt. Quæ omnia fuſiùs exponerem, ſi totius Obeliſci hieroglyphicum contextum ab interitu vindicatum videre licuiſſet, ex cuius concatenatorum ſymbolorum complexu ſolo veram & indubiam rerum ſignificationem venari licet. Sed hæc de Obeliſco Tyberino ſufficiant.

CAPVT III.

De nonnullorum Obeliſcorum fragmentis, quæ circa Collegium Romanum ſpectantur.

Obeliſcorum fragmenta circa Collegium Romanum.

STabat multorum annorum tempore ante portam poſticam Collegij Romani paruum Obeliſci fragmentum, donec tandem hoc anno, veluti publicæ plateæ non leue impedimentum, ab Ædilibus Vrbis ſublatum, in Collegium tranſlatum fuit, vbi ſpectandum proponitur. Fragmentum eſt ſex palmis altum, parallelepipedum, cuius duo tantùm latera inſcriptiones hieroglyphicas habent, cæteris duobus edacitate temporis corruptis. Inſcriptiones verò in ſequenti pagina tibi exhibemus Lector in figura A.



Præſens fragmentum B videtur è regione Eccleſiæ S. Ignatij, angulari lapidi domus cuiuſdam Pharmacopæi inſeruiens. Eſt ſeptem palmis altum, quadrangulum, cuius duo tantùm latera ſpectantur, hiſce hieroglyphicorum ſchematiſmis inſignita, reliquis duobus lateribus muro inſertis.

C

Tertium fragmentum è regione Collegij Romani & Palatij Saluiatini, via quâ ad plateam, quæ Curſus dicitur, tenditur, angulari domui lapidi inſeruire ſpectatur, ex quo duo tantùm, vt in priori, latera cernuntur, reliquis duobus lateribus intra murum abſconditis. Hieroglyphicæ apparentium laterũ inſcriptiones, eæ ſunt, quæ in appoſ. fig. C cernuntur.

Quæ-

Fragmentum Collegij Romani.



Quæritur itaque hoc loco, vtrum hæc tria fragmenta vnius Obelisci sint, an diuersorum? Respondeo, diuersorum Obeliscorum esse, quia idipsum luculenter demonstrat & mensura fragmentorum, & hieroglyphicorum contextus: mensura siquidem nulli ex hisce tribus fragmentis competit, neque aptè committi possunt, fragmentis nunc ex superiori parte angustioribus, nunc in inferiori latioribus; quæ quidem difformitas partium, & in commissione disproportio apertè docet, vnius Obelisci fragmenta minimè esse posse. Accedit dispar fragmentorum color, quæ pariter indicant vnius Obelisci partes esse non posse. Secundò ex hieroglyphicorum contextu apparet, qui in singulis dictis fragmentis disparatam rationem habet. Vnde concludo trium diuersorum Obeliscorum hæc fragmenta fuisse, Obeliscos autem ex eorum numero esse, quos minores vocant, & æquales Mahutæo, ac Mediceo, quo ad magnitudinem, quorum 44 differentis magnitudinis Romam ex Ægypto delatos Publius Victor testatur. Vbinam verò locorum huiusmodi Obelisci erecti fuerint, paucis accipe.

In Obelisco Pamphilio contrarium diximus, quia tunc ita nobis videbatur modo re diligentius explorata, aliter reperimus.

Constat ex Topographiæ Romanæ Authoribus, eo in loco, vbi modò templum Beatæ Virginis, quod à Minerua nomen habet, & celeberrimum Ord. S. Dominici Cœnobium est, olim Isidis templum constitisse; in quo vti omnes religiones Ægyptiacæ (veriùs superstitiones) summo feruore exercebantur, ita omnigeno monstrosarum imaginum apparatu, Ægyptiorum more adornabatur, ita vt posteris temporibus ex nullo Romanæ Vrbis loco tanta Ægyptiorum simulachrorum copia eruta fuerit, quàm ex hoc loco; quod apertum & luculentum πολυμορφίας Ægyptiacæ, quæ in dicto templo vigebat, testimonium est. In hoc itaque delubro Isiaco haud dubiè inter cœtera Niloticæ religionis argumenta, & Obelisci quoque erecti fuerunt, quorum hæc fragmenta tantummodò supersunt, reliquis vel terrâ subrutis, vel nouarum fabricarum fundamento iniectis. Lege quæ de hoc Isidis & Serapidis templo fusè tractant Pomponius Lætus, Boissardus, & P. Alexander Donatus in Topographia Vrbis Romæ; qui totum illud spacium, quod Collegium Romanum & Cœnobium Ordinis S. Dominici vsque ad Pantheon occupat, ad Isidis & Serapidis

Obelisci minores 44. olim Romæ erecti.

Templum Isidis olim Romæ.

pidis regionem pertinuisse aiunt, & ingens antiquitatum Ægyptiacarum copia, quæ dum hæc scribo, ex ruderibus loci effossa est, quarumque non exiguam partem in meo Museo spectandam exhibeo, luculenter demonstrat.

Hoc eodem loco erutum fuit vasis Nilotici fragmentum hieroglyphicis notis refertum, ex quo apertè Niloticorum vasorum ratio & forma dignoscitur. Videtur illic linea in duodecim partes distributa, in qua per interiorem vasis superficiem, vsque in fundum, duodecim ordine æqualiter inter se distantes veluti termini quidam eminentes disponuntur; qui termini haud dubiè vel ad incrementum decrementumque fluminis, vel ad horas in hydrologio commonstrandas, deputabantur. In exteriori verò vasis superficie, ad extremum vasis limbum, circulus est in 365 stellas diuisus, tot Geniorum, quot in anno dies sunt, singulorumque præsidum index. Sequuntur deinde varia Apotropæa Numina, quæ cùm aliàs exposuerimus, hîc ijs recensendis longior esse nolui, sed loco longioris discursus ipsam figuram apponam, vt sequitur.

Fragmentum vasis Nilotici ex Museo Authoris.

Inter alia fragmenta magnæ considerationis sunt ea quoque, quæ in tabula VIII. proponit Nardius, ex Museo Gaddiano Florentino deprom-

prompta. Fragmenta sunt ex lapide pyrite, & pari pacto margo vasis sacri videntur fuisse, quemadmodum ex rotunditate colligitur; in cuius

extima superficie superioris labri A B stellæ, vt figura prima docet, in circuitu, non secus ac in præcedenti, 365, quemadmodum ex portione circumferentiæ patet, totidem nimirum Geniorum, quot dies in anno,

quorum & præsides sunt, constituuntur. Stellæ siquidem notam Genium indicasse, iam sæpius ex Horo, cæterisque Authoribus docuimus; infra quas stellas varia Numinum simulachra visuntur, quorum singula suis literis G D C E F H M N O notauimus, præcipua videlicet ab Ægyptijs coli solita, Deastrorum iam sæpe memoratorum. Statua, G, Canino capite, Cruce ansatâ, & sceptro Cucuphomorpho insignem Anubin refert; C Isidem globo & bouinis cornibus, quæ capite gestat, cæterùm fœmineo habitu, sceptro Cruceque ansatâ spectabilem; è cuius regione simulachrum Genij Isiaci tiara calathoide venerabile, ambabus manibus Isidi duo porrigit vascula; quo indicatur, terram, quam Isidem dicebant, muneri suo non satisfacturam, nisi Osiridis Nilotici humoris præsidis beneficium, quo fœcundatur, accepisset. Potest etiam per figuram D, Sacerdos intelligi, qui assumpta figura Osiridis, Isidem veluti sacro ritu, ad id, quod prætendebat, obtinendum sollicitabat. Porrò figura E Horum notat, vti iam sæpe exposuimus, cui Sacrificulus F sub forma Horæi Genij litare videtur, per circumfusorum symbolorum mysticam rationem obtestando; quem sequitur alterius Numinis simulachrum H, fœmineo habitu indutum, & Nephtam indicat Hori ministram, ijs, quibus videtur, symbolis munitam. Columnæ verò I K, quarum vtraque baculum Cucuphomorphum præpositum habet, inscriptiones hieroglyphicæ vti sunt eædem, ita eandem significationem habent, eam videlicet, quam adiungo. *Agathodæmon vitæ vniuersalis præses, humorem crateris magni diffundat ex superiori cratere, immensâ rerum varietate ditatum, cui dictus Agathodæmon præest, in inferiores crateres, ad vitarum fœcundam propagationem.*

Figura secunda aliud fragmentum exhibet, quod tamen superiori primæ figuræ exhibitæ non congruisse videtur, cùm stellas non contineat, sed intermedium vasis fragmentum fuisse verisimile est; vbi M Accipitrinus Osiris cum Iside sua occurrit, eo prorsus modo, quo in Abacis Obeliscorum passim spectantur; vt proinde tanquã notissimorum, & iam alijs non semel expositorum simulachrorum expositionem superuacaneam ducam. Quid Accipiter P quadrato S T insidens signet, in Obelisco Rameſſæo, vbi ijsdem omninò figuris comparet, explicauimus. Hieroglyphicæ verò inscriptiones V & X cùm ferè eædem sint cum inscriptionibus I & K, sensum quoque non variant. Inscriptiones quoque limbis circumfusas P Z Q R, expositas vide in Sphyngis Burghesianæ interpretatione, cui congruunt.

Itaque omnes huiusmodi inscriptiones sacro vasi fuerunt insculptæ eo fine, quem iam sæpius diximus, quòd videlicet ad sollicitanda Numina magnam vim, ob occultam proprietatem Dijs maximè congruam, habere putarentur. Figura III. Hori caput refert. Figura IV. Lucernam Isidis capite insignitam; de qua vide Syntagma de Lucernis Ægyptiacis. Sed hæc ex innumeris pauca de fragmentis sufficiant.

FINIS SYNTAGMATIS DVODECIMI.

SYN-

SYNTAGMA XIII.

De Mumijs, earumque conditorijs, & hieroglyphicorum, quibus inscribuntur, significatione.

EXCELLENTISSIMIS ET CELEBERRIMIS
VIRIS
IOANNI NARDIO
Magni Ducis Hetruriæ Medico,
IOANNI MARCO MARCI
Regni Boëmiæ Archiatro,
Nec non
Cœteris Clarissimis Viris Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Belgij, Batauiæ, Daniæ, quorum, ob suam in subministranda huic Operi hieroglyphica supellectile collatam operam, in sequentibus Syntagmatis mentio fit, hoc de Mumijs Syntagma, gratitudinis ergo æternùm dicat & consecrat Author.

CAPVT I.

De Metempsychosi.

MOS erat Priscorum Ægypti Hierogrammateon, corpora eorum, qui vel religione cultuque Deorum, aut beneficentiâ, cœterarumque rerum in patriæ vtilitatem cedentium collatione, in hac vita maximè celebres fuissent & conspicui, terrestrium quorundam veluti Deorum corpora certâ quâdam, & singulari studio ad hoc adinuenta aromatum misturâ, ad perennem durationem, contra omnem corruptionis labem ac putredinem, condire, condita subtili carbaso, varijs notis hieroglyphicis insignito depictoque, inuoluere; inuoluta deni- (Mos condiendi cadauera Ægyptiorum)

que

Mumiarum schematismi. que Idolis hinc inde dispositis, veluti corporum conditorum custodibus, sub sacris pyramidum structuris condere. Quæ quidem nullâ aliâ probatione indigent, nisi præsentium horum schematismorum, seû Mumiarum inspectione, quæ ab immemorabili tempore variâ vnguentorum commistione in Mumiam coalitæ, inuolutæ cernuntur subtili è lino telæ, certâ quâdam è cera, pice, ac pulte cretacea misturâ, cùm ad telam contra omnem corruptionem muniendam, tùm ad pingendas notas, ac characteres hieroglyphicos faciliùs firmiùsque telæ imprimendos, superinductâ. In hac itaque tela dictâ ratione præparata primò imagines eorum, quos inuoluit, colore quodam perennante depictæ, manibus sacræ religionis symbola vnà cum fructibus Dijs offerri consuetis gestantes spectantur. In reliqua tela nescio quæ redimicula veluti limbi quidam & lemnisci ex minutis, ijsque vitreis diuersorum colorum orbiculis assuti, vbique conspiciuntur. Sunt deinde Zonæ materiâ quæ gemmis assimilatur, vbique punctatim refertę, quibus supernè linteamina illa fimbriata pręcinguntur. Dictorum verò limborum intercapedine sacrorum animalium, aliorumque hieroglyphicorum characteres inscriptos videas. Hinc quidem Solis & Lunæ figuræ; inde, *Saturæ Serpentibus Ibis, effigiesque sacri nitet aurea Cercopitheci.* Hic Anubis Caninam ceruicem arduam attollens adest, adsunt Leones fœcundi Nili symbola, non deest Scarabæus lutulentus ille Orbis Opifex, ac perpetuæ Isidis pedissequæ Maleagrides. Forma denique totius Mumiæ trunca, & indistinctis pedibus, Hermæas statuas, vel clariùs infantis fasciolis circumligati imaginem ad viuum exprimere videtur. Quâ quidem mysteriosissimâ rerum repræsentatione; occultum illum animarum per μετεμψύχωσιν, ad παλιγγενεσίαν regressum indigitabant, vti postea exponetur. Est autem μετεμψύχωσις nihil aliud, nisi animarum fatali quâdam necessitate corporibus alligatarum, donec magno illo Mundi anno reuoluto per παλιγγενεσίαν corporibus pristinis restituantur, reuolutio. Ægyptij enim hoc dogmate imbuti, animas eorum, qui sanctitate & sapientiâ in hac vita eminuissent, vitâ functas humana in corpora abire, sacrorum animalium, ac Deorum ibi vicariorum munere fungi, Ægyptum non secus ac dum sub humana forma adhuc degerent, magnis beneficijs cumulare, credebant. Hanc autem animarum in brutorum corpora migrationem tantum abest vt vilem & indignam censerent, vt potiùs nihil dignius & honorificentius eâ sibi contingere posse crederent; cùm & illa Deorum communia quoque habitacula fuisse, imò adhuc eos sub dictorum animalium laruis omnem terram circumire, hominum virtutes & vitia inspicere, teste Diodoro, assererent. Verba Diodori sunt: *Tradunt præterea, quinque illos Deos totum Orbem peragrare, nunc sacrorum animalium formis indutos, nunc in hominum speciem conuersos, mortalium sese oculis exhibere: Idque minimè fabulosum, sed facultati ipsorum conueniens esse; siquidem reuera hi sunt, qui omnem generationem efficiant.* Quod & Homerus in Ægyptum profectus, vti à Sacerdotibus accepit; sic in hunc modum fieri in opere suo Poëtico alicubi affirmat.

Mumiarum pictura.

Mumiarum hieroglyphica.

Mumiarum Forma.

Metempsychosis quid.

Metempsychosin Ægyptij credebant. Diodorus.

Hospi-

Hospitibusq; Dei similes aliunde profectis
Introeunt Vrbes varia sub imagine formæ,
Vt videant, quæ prava Viris, quæ iusta gerantur.

Homerus. Dij sub figuris animaliũ hominibus comparebant apud Ægyptios.

Quemadmodum igitur dicta Numina, ob egregias virtutes & beneficia Ægypto in vita collata, per animalium sacrorum corpora μετεμψυχωτικῶς, reuoluta in cœlum assumpta, diuinos honores meruerunt, vt impiè credebant; ita post mortem omnes, qui virtutes Heroum in vita æmulati fuissent, simili transitu, ad similes honores peruenturos esse asseuerabant. Vnde Mercurius Trismegistus in Pimandro: *Animarum humanarum*, inquit, *permultæ mutationes partim in melius feliciusque, partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur; aquatilium animæ in terrestria migrant; terrenorum in volatilia scandunt; aëreorum vertuntur in homines, hominum deinde immortales animæ in Dæmones transeunt, demum in Deorum Chorum feliciter volant.* hæc Trismegistus. Quæ omnia confirmat Herodotus l. 2. *Hi primi extiterunt, qui animam dicerent immortalem, quæ de corpore mortuo subinde in aliud atque aliud corpus, vt quodque gigneretur, immigraret, atque vbi per omnia se circumtulisset, terrestria, marina, volucria, mersa in aliquod corpus hominis genitum introiret; atque hunc veluti circuitum fieri intra 3000 annorum spatium volebant.* E quibus patet, Ægyptios sensisse, Sanctorum animas in animalia sancta, reproborum verò in reproba & abominanda, veluti in Crocodilos, Asinos, Hippopotamos, pisces, vti de Typhone, & Ocho narrant, pro merito vniuscuiusque descendere. Atque hinc prodigiosa illa Ægyptiorum ζωολατρεία, veluti Canum, Accipitrum, Felium, (quos contra omnem Gentium consuetudinem communi secum mensæ adhibebant, exquisitissimis cibis nutritos) originem inuenit. Quæ superstitiosa dogmata paulatim ad Hebræos & Græcos serpentia, totum denique Mundum fanaticâ superstitione repleuerunt. Hebræi quidem, vtpote nouorum dogmatum præ cœteris appetentiores, ea in Synagogam trahentes, primi nouæ istius de reuolutione animarum subterranea, quam גלגלות הנשמות מחלות vocant, hæreseos fuerunt conditores: de qua sic Elias Leuita in Thisbi.

Herodotus. Trismegistus. Ægyptij credebant animas piorũ in animalia sancta, impiorum in reproba migrare. Zoolatria Ægyptiorum. Elias Leuita.

ומזה מה שאומרים בעלי הקבלת גלגול הנשמות ודעתם שכל נשמה ונשמה נבראת שלשה פעמים ר״ל שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם וכן אומרים שנשמתו של אדם הראשון נתגלגלה בגוף דוד של המלך ומדוד התגלגלה בגופו של משיח וכן אדם ר״ת אדם דוד משיח וכן אמרו שהנשמות של בעלי עבירות יתגלגלו בגופי בעלי חיים כל אחד לפי עונו:

Hinc est, inquit, *quod Authores Cabalistici differunt de reuolutione animarum, quorum opinio est, vnamquamque animam tribus vicibus creari: quasi dicerent, quòd ea voluat se per corpora trium filiorum hominis; vnde sic dicitur,*

quòd

Hebræorum figmentum de animarũ transmigratione.

ℵ Adam

ד David

ם Messias

quòd anima primi hominis volutauerit se in corpore Dauid Regis, & inde reuersura sit in corpus Messiæ, idque significari per literas, quæ sunt in voce אדם *Adam, quarum vnaquæque integram dictionem constituit, Adam, Dauid, Messias. Dixerunt etiam, quòd animæ hominum præuaricatorum migrent in corpora animalium, vniuscuiusque animam secundùm id, quod peccauit.* Atque hæc est opinio Cabalistarum. Porrò alter huius Philosophiæ apud Græcos Author fuit Pythagoras; quem à Canuphæo Ægyptio Sacerdote instructum, animalia quædam, veluti Gallos, Pauones, Boues, Picas, honore singulari culta familiari quoque ea dignatum alloquio, Iamblichus in eius vita narrat; quam quidem philosophandi rationem ita altè animo imbiberat, vt animam suam priùs in Pauone fuisse, & ex hoc in Euphorbum Troiani belli Ducem, ex Euphorbo in Homerum, ex Homero denique in Pythagoram transmigrasse, dicere non sit verecundatus. Iulianus verò Apostata Alexandri Magni animam in se reuolutam asserere solebat; & Helenam Troiani excidij causam in Tyriam quandam mulierem, Simon Magus asserebat. Plato, & ipse Ægyptiorum Sacerdotum discipulus, ausus est dicere, animam è corpore migrantem in id, quo abundauit, euadere; vnde inferre erat solitus, teste Olympiodoro, quòd arbor sit futurus, qui nutritioni deditus diu noctuque torpebit; Miluus, qui raptu viuet per concupiscentiam; Leo, qui egregiè militabit; Draco, qui crudeliter in genus humanum debacchabitur; Homo, qui ciuiliter viuet; Heros, qui naturalia scrutabitur; Dæmon, qui mathematica; Angelus, qui diuina: talis enim fiet animus, qualem induit habitum.

Pythagoras metempsychosin ab Ægyptijs hausit.

Iamblichus.

Iuliani Apostatæ error circa metempsychosin.

Platonis error circa metempsychosin.

Vnde Orpheus in ipso Mercurij terrestris hymno, κωκύτου ναίων ἀνυπόστροφον οἶκον ἀνάγκης. *Cocyti habitans irremeabilem necessitatis domum*, animam, aiebat, post vitam adepturam, secundùm quod opera eius in vita. Cui consonant Zoroastri verba in libro cui titulus: Μαγικὰ λόγια τῶν ἀπὸ Ζωροάστρου μάγων· Σοὶ γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι. *Vas inquam tuum habitabunt bestiæ terræ:* Hinc Persæ in Mythriacis sacris, vt cognationem, quæ nobis est cum animalibus, alijs indicarent, mystas omnes sacrorum participes vocabant Leones, Hyænas fœminas, ministros Coruos. Ita Porphyrius l. 3. de abstinent. Τὴν μετεμψύχωσιν ἐν τοῖς τοῦ Μίθρου μυστηρίοις ὁμολογοῦσι· τὴν γὰρ κοινότητα ἡμῶν τὴν πρὸς τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι δι' ἐκ τῶν ζώων ἡμᾶς μηνύειν εἰώθασι ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας καλεῖν λέοντας. Quæ omnia aliunde non nisi ab Ægyptijs promanarunt, qui Deos Regesque suos sub laruis animalium circumeuntes omnibus modis cognoscere studebant; cuius rei exempla hîc aliquot adferre non ingratum me facturum esse existimaui. Huiusmodi scientiam Apollonium Thyanæum habuisse l. 2. eius vitæ Author Philostr. testatur. Nam Amasidem potentissimum quendam Ægyptiorum Regem sub Leonis forma ab eo cognitum, verbis sequentibus tradit. *Mirabile*, inquit, *illud est, quod in Ægypto adhuc existenti contigit Apollonio. Vir quidam Leonem mansuefactum ex loro veluti, Canem quocunque volebat, ducebat, qui non solum ei blandiebatur sed & cæteris omnibus, qui obuiam accessissent. Tali modo vir mercede quærens multas iam lustrârat Vrbes, quin etiam templa ingrediebatur, quòd mundus à cædibus esset & impollutus; neque enim hostiarum sanguinem lambebat,*

Orphei & Zoroastri opinio circa metempsychosin.

Orpheus.

Zoroaster.

Persæ vocabant mystas Leones hyænas coruos.

Aegyptij Deos, Regesq; sub laruis animalium cognoscere satagebant.

Philostratus.

Fabula de Rege Aegypti sub Leonis imagine circumeunte.

bebat, & excoriatas atque in frusta sectas sacrorum carnes non attingebat. Sed mellitis placentulis, ac pane etiam, & bellarijs vescebatur; coctas quoque carnes edebat, & vinum quoque bibere visus est, cùm antiquam seruaret consuetudinem. Is itaque Leo ad Apollonium veniens, qui tùm fortè in templo sedebat, & ad eius genua procumbens, blando strepitu deliniebat, & alijs quoque supplicare videbatur: quod videntes qui astabant, eum mercedis causa id facere arbitrabantur. Respiciens autem ipsum Apollonius; Hic, inquit, Leo me rogat, vt vos doceam, cuiusnam hominis animam habeat: est autem Amasis Rex Ægypti circa Saiticam Præfecturam. Quibus verbis auditis, Leo miserabiliter frendens lamentabilem rugitum edidit, tùm dentibus infrendens lugere eum procul dubio videretur, lachrymarum vim fundebat. Demulcens igitur ipsum Apollonius: Ego, inquit, Leonem censeo Leontopolim mittendum esse, ibique in templo collocandum; Regem enim maximè in regiam belluam & Dijs sacram conuersum, tanquam egenum mendicare indignum iudico. Post hæc congregati Sacerdotes Ægypti, Amasidi sacrificabant, & belluam torquibus vittisque redimitam in interiorem Ægyptum misère, tibijs ante ipsum hymnos & carmina decantantes. Hæc Philostratus. Aliam Centir Arabs in libro qui intitulatur de seruitute terræ, في عبدة مصر *De cultu Idolorum Ægyptiorum*, non minùs priori iucundam narrat de quodam Persa & Ægyptio iter facientibus, historiam. *Persa enim dum Scarabæum Ægyptijs sacrum, lutoso opificio per semitam occupatum fortè calcasset; Ægyptius calamitosum casum intuitus, manibus in cœlum extensis, omnia Numina, ab hoc se scelere immunem esse, protestabatur. Persa verò, quid sibi protestatio illa vellet, rogante; Neque tu, inquit Ægyptius, vindictam Deorum, ob sacram & viuam magni Osiridis imaginem, in quo habitans, voluendo stercoream pilam, nos motus cœlorum, & omnem agriculturæ rationem docet, temerè & indignè tractatam formidas? Instructus itaque Persa imposterum cautiùs incessit, nè fortè Deastrum hunc stercoreum lædens indignationem Numinum incurreret.*

Centir Arabs

Historia de Persa Scarabæū calcāte.

Egit stolidum hoc Metempsychoseos dogma tam altas in animis maleferiatorum hominum radices, vt per totum penè Orientem eas diffuderit. Nam Pythagoras ab Ægyptijs, à Pythagora Plato, ab his Saraceni, à Saracenis Brachmanes, Persæ, & vltimi Sinarum & Iaponum populi decepti sunt. Auicenna c. 2. l. de Almchad, siue de conditione Animæ post vitam hanc, scribit à Mahumete dictum esse, animalia progredientia super terram, & aues suis alis volantes non aliud esse, quàm turbam copiosam hominibus similem, & in ipsius anima naturæ cum ijs communicationem. Atque quod in illius Saracenorum Principis Mahumedis Alcorano positum est, non priùs animarum humanarum in noua corpora transitum, finem esse habiturum, quàm Camelus per foramen acus penetrare possit, hoc idem, ait, nonnullos ita interpretari, vt significare voluerit, animam hominis vitiosi non priùs gratissimâ quiete frui posse, quàm per varia corpora iactata, à Camelo transierit in eum vermem, qui corporis sui tenuitate & paruitate per foramen acus possit penetrare. Non dicam hîc de Iudæorum, Brachmanum, Sinarum metempsychoseos ridiculis commentis. Qui de hac materia plura desiderat, is adeat Theo-

Metempsychosis dogma latissime diffusum fuit.

Auicenna.

Mahumedis opinio de metempsychosi.

Poetarum fabulæ variæ ab Ægyptiorum metempsychosi originem traxere.

Diodorus lib. cit. c. 6.

logiam hieroglyphicam, vbi hanc materiam ex professo traditam reperiet. Præterea quidquid de Elysijs campis, de Stygе, eiusque fluminibus, de Mercurio animarum translatore Poëtæ finxerunt, id ab Ægyptijs originem traxisse Diodorus hisce verbis demonstrat: *His ab Orpheo ad Græcos traductis, Homerus Orpheum imitatus idem in suo Poëmate scribens, ait; Mercurium Cyllenium animas Heroum euocare, habentem virgam in manibus; Rursusque, erant prope Oceani fluxum, & Leucados petram, Solisque portas, somnia populorum. Sequebatur virens pratum, vbi iuniorum erant animæ, simulachra mortuorum. Oceanum igitur Nilum vocat, quoniam ab Ægyptijs proprio nomine Nilus Oceanus appellatur; Solis portas Heliopolim dicit. Pratum verò habitationem confictam putat eorum, qui trans paludem delati sunt, quæ Acherusia nominatur. Et prope Memphim, circumque prata amœna, paludesque calamis plenæ. Prosequitur deinceps mortuos hæc incolere loca, quoniam Ægyptiorum sepulchra maiori sanè ex parte in eis locis sint posita. Corpora verò per fluuium & Acherusiam paludem ad sepulchrum delata, ibique condita, aliaque plura, quæ nunc etiam seruant Ægyptij, dant fabulis, quas Græci de inferis finxerunt, locum. Nam nauis quæ vectat corpora, Barys appellata, hæc apud Græcos est ὀπίβαθρα. Obolum ait dari portitori, cui nomen inditum est ab incolis Charon. Asserunt circa hæc loca Hecates vmbrosæ templum esse, Cocyti portas, atque obliuionis, vectibus distinctas. Esse & alias portas Veritatis, quas prope statua sit Iustitiæ absque capite. Multa quoque alia fabulosa de Ægyptijs feruntur, quæ adhuc nomine & opere perseuerant.*

C A P V T II.

Cur tanto studio Cadauerum incorruptioni studuerint Aegyptij.

Ægyptiorum cura in humandis mortuis.

NVllam vnquam in Mundo Gentem fuisse reperio, quæ maiori curâ & diligentiâ corpora mortuorum conseruare, maiori apparatu exornare studuerit, quàm fuerit Ægyptia. Cuius rei causa inuestiganda est; quod modò præstabimus, vbi priùs nonnulla cognitu necessaria præposuerimus.

Ægyptiorum dogma de rerum reuolutione.

Suppono itaque primò, propria Ægyptiorum dogmata fuisse, primum Mundi statum post 36000, vel vt alij volunt, post 40000 annos ad pristinum statum reuoluendum; à quibus id Plato edoctus ad posteros traduxit, tametsi is animarum reuolutionem 10000 annorum circulo definiat: *In ijs autem omnibus*, inquit in Phœdro, *quicunque iustè vitam egerit, sortem postea nanciscitur meliorem; qui verò iniustè, deteriorem; in idem enim vnde profecta est, cuiusque anima annorum 10000 spatio, non reuertitur. Alas siquidem ante hoc tempus non recuperat, præter illius animam, qui philosophatus est sine dolo, vel vnà cum sapientiæ studio pulchritudinem amarit; Hi siquidem tertio ambitu mille annorum, si ter hanc ipsam deinceps elegerint vitam, sic recuperatis alis post tria millia annorum euolant.*

Plato. Platonis opinio de animarum reuolutione.

abeun-

abeuntes. Et quæ sequuntur. Abenephi verò dicit, animas singulis septem millibus annorum ex vera Ægyptiorum sententia per varia reuolutas corpora, tandem corpori quidem suo, sed non nisi summè ab omni corruptione conseruato, Numinumque assistentia munito restitui vsque ad 49000 annorum, qui numerus septenarij quadratus est, quo animæ Ideæ tandem suæ restituentur æternùm beatæ. Hanc sententiam, seu veriùs dementiam, & Cabalistas amplexos esse, in Cabala docuimus, ad sex dies Creationis, & septem quietis, occultâ analogiâ alludentes.

Suppono secundò, ex eadem doctrina, vti in Astrologia docuimus, singulis septem millibus annorum, septem tutelarium principalium Ægypti dominatorum Mundi regimen finiri, & ad primum reuolui, vsque ad 49000 annos, vbi fit status consistentiæ rerum, ex mente Aegyptiorum. Horum verò regiminis mutatione in pristino quoque corporis statu mutationem fieri, id est, animam vitâ probè peractâ, post 7000 annorum intercapedinem, variâ reuolutione peractâ, corpus quidem suum in sepulchro relictum repetituram, sed ad altiorem sphæram promotam iri, vsque dum omnibus sphæris peragratis Ideæ suæ restituatur æternùm beata, nulli ampliùs Adrastiæ seu mutationis legi subiecta. Quæ omnia haud dubiè ab Aegyptijs accepta posteritati tradidit Plato his verbis in Phœdro. *Regula Adrastiæ Deæ, id est, ineuitabilis Numinis, hæc est, vt quæcunque anima Deum comitata, aliquid rerum inspexerit, ea vsque ad circulum alium sit indemnis; & si semper hoc facere queat, sit semper illæsa; si verò impotens assequendi non inspexerit, & casu aliquo vsa, repleta obliuione & grauitate grauetur; grauata autem pennas confregerit, in terramque reciderit; tunc prohibet lex, hanc in prima generatione, in aliquam brutalem ire naturam; sed iubet eam, quæ plurima viderit, in genituram viri Philosophi, aut pulchritudinis auidi, aut Musici, aut Amatorij; eam verò quæ secundo loco, in Regem legitimum, aut bellicosum Virum & Imperatorium descendere; tertiò in gubernatorem Reipublicæ; quartò in laboriosum Gymnasticum, aut Medicum; quintò in Vatem, aut Mystam; sextò in Poëtam, aut &c.* Et in Phœdone: *Animæ malorum*, inquit, *circa sepulchra oberrare coguntur, pœnas dantes vitæ improbæ transactæ. Itaque tamdiu circumaguntur, quoad cupiditate naturæ corporeæ comitante, rursum induant corpus. Induunt autem vt decens est eiusmodi mores, quales in vita exercuerunt.*

Aegypti tutelarium regiminis duratio

Plato. Platonis doctrina de animarum transmigratione.

Quòd verò animæ iustæ de sphæra in sphæram promoueantur, probat ex Trismegisto Marsilius Ficinus in Theologia Platonica l. 17. c. 3. *Sicut enim*, inquit, *omnes Mundi sphæræ per animas variant formas, ac tandem proprios repetunt recursus; sic animæ nostræ animorum cœlestium similes varias formas corporum induunt, certisque curriculis temporum ijsdem, quibus antè, corporibus inuoluuntur; quam palingenesiam regenerationem Zoroaster vocat, de qua multa Mercurius cum filio suo Tato disputat.*

Animas de sphæra in sphæram migrare dicebat Trismegistus. *Marsil. Ficin.*

Sed ad propositam nobis materiam explicandam reuertamur. Ægyptij itaque in vita rectè sanctèque instituenda mirum in modum anxij, hunc vnicum scopum mysteriosa cœremoniarum exhibitione in cadaue-

Aegyptiorum in condiendis corporibus scopus.

rum conditura sibi præfixisse visi sunt, vt animæ eorum dignum meritis in reuolutione habitaculum post hanc vitam inuenirent, Deo quàm coniunctissimæ. Et quoniam ex traditione nôrant, animas vitâ improbè peractâ, circa sepulchra versari, corpus aliquod humanum, quod intrarent, operturas, nè Iudicis sententiâ, brutorum corpora, operationibus suis brutis condigna, subire, & vitam perpetuò miseram ducere cogerentur; hinc tantis cœremonijs, ac tantis conditorijs corpora æternitati destinabant. Præterea persuasum illis erat, animas, corruptioni obnoxia, aut in fauillas redacta, aut quouis modo mutilata corpora intrare minimè posse. Hinc tanta illis circa mortuorum corpora ab omni corruptionis labe immunia conseruanda cura & sollicitudo; hinc tantâ diligentiâ incumbebant, vt locis abditis, & contra omnes temporum iniurias munitissimis, ea omni priùs cœremoniarum solennitate expiata, totque Numinibus & tutelaribus Genijs contrà aduersorum Numinum vim summo studio munita, tutò reconderent; spe firmâ freti, futurum vt reuolutione animarum ab Adrastiæ lege præscriptarum peractâ, ea denuò repeterent, & ad altiores sphæras promotæ, tandem tota reuolutionis periodo peractâ, ideæ suæ æternùm beatæ, nullis ampliùs mutationis & circumuolutionis legibus obnoxiæ restituerentur. Nam vti excellentissimus Medicus Ioannes Nardius ex Lucretio docet, *Ægyptij nefas rati vario exponere discrimini corpus illud, quod exactis tribus myriadibus futurum erat animæ reducis domicilium &c. omni proinde ingenio formidatas arcebant iniurias, quæ tamen ex duplici fonte cùm oriri valerent, domestico scilicet atque externo, vtrique magnâ cautelâ prospexerunt: Valentissimo primùm vnguine, altèque penetrante, obstabant putredini, cuius postrema soboles sunt caries & vermes, occursantibus verò eadem liturâ nouisq; munimentis.* Certè adeo nullo non tempore prima Ægyptiorum indoles in ipsam immortalitatem & metempsychosin prona fuit, vt non tantùm firmiter à prædecessoribus sibi traditam crederent, sed & alijs Gentibus omninò eam persuaserint, ac inter cæteros Pythagoræ, qui hanc, vti dictum fuit, ad Græcos primùm, vt Herodotus luculenter docet, traduxit. *Perennitatis enim studiosissima gens Ægyptia,* ait Nardius, *cùm benè consultum præstantissimæ hominis portioni existimarent, diuersorij vicissitudine atque transmigratione, caducæ quantum in illis erat, opem tulere immensam, postq; peracta, dispendiosâ curâ ac pompâ, funera putrilaginem omnibus ingenijs à cadauere arcebant: Nam Diodoro teste l. 2. paruifaciendum esse putant præsentis vitæ tempus, futuræ verò gloriam, quæ virtute comparatur, maximè æstimandam. Domus nostras diuersoria appellant, tanquam breui à nobis inhabitandas; defunctorum sepulchra sempiternas domus vocant. Ideo domus ædificandæ curam contemnunt, circa sepulchrorum magnificentiam summum studium operamque, vti Pyramidum vastissimæ moles, & inaudita Simandij sepulchra luculenter docent, impendunt.* Sed hæc ita esse, ex sequentium schematum interpretatione luculenter patebit.

Ioannes Nardius.

Bitumine liniebant Ægyptij mortuorum corpora.

Herodotus.

CAPVT III.

De Mumiarum præparatione, id est, de modo condiendi cadauera.

§ I.

MOdum condiendi & sepeliendi corpora defunctorum Aegyptijs vsitatum fusè describunt Herodotus in Euterpe, & Diodorus Siculus l. 1. c. 6. cuius & mentionem amplam fecimus Tomo primo de Politica Aegyptiorum. Eundem ritum Ioannes Nardius Medicus in commentarijs, in Lucretium circa finem fusè describit. Herodoti verba nos hoc loco παραφραστικῶς deducemus. *Luctus eorundem Aegyptiorum ac sepulturæ tales sunt. Quibuscunque domesticis aliquis decessit homo alicuius momenti, ibi omnis muliebris sexus familiæ caput sibi & vultum oblinit luto. Denique relicto domi cadauere, ipsæ per Vrbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatis mammillis, & cum eis proximæ quæque. Altera ex parte viri, & ipsi expectorati se verberant. Interim neque lauantur, neque vinum aut cibum, nisi vilem sumunt, neque vestibus vtuntur splendidis. His actis, ita demum ad condiendum portant. Sunt autem certi ad hoc ipsum, qui hoc artificium factitant. Qui cùm ad ipsos cadauer portatum est, ostendunt his, qui portauerunt, exemplaria mortuorum lignea pingendo assimilata. Et eorum vnum accuratissimè fabrefactum esse aiunt, cuius ego nomen, si nuncupauero, haud faciam sanctè. Alterum illo inferius, ac vilioris pretij. Tertium vilissimi. Sepulchrorum tres habentur species, sumptuosa, mediocris, humilis. In prima argenti talentum exponunt; in secunda minas viginti; in vltima parum quid sumptus erogant. Qui funera mortuorum curant, eo exercitio à maioribus tradito, funeris impensam domesticis descriptam ferunt, scrutantes quanti velint celebrari funus. Ante omnia incurno ferro cerebrum per nares educunt, vt quamque partem educentes, ita locum eius medicamentis explentes. Dehinc acutissimo lapide Æthiopico circa ilia conscindunt, atque illac omnem aluum protrahunt, mortuum verò exenteratum Soli monstrant; hinc intestina in amnem abijciunt, non absque contestatione. Sol rerum Domine, vosq; Cœlites, qui mortalibus lucis vsuram largimini, me accipite, & cœlestibus contubernalem addite; equidem piè, ac religiosè Numina à maioribus mihi commonstrata, semper, dum vixi, excolui, genituræ meæ auctores semper honoraui, hominem occidi neminem, aut deposito fraudaui, nec aliud quicquam infandum patraui. Quòd si quid à me patratum est, edendo, bibendoue, quod non oportuerit, id omne non meâ, sed huius causâ commissum est; simulque cum dicto arcam, in qua ventriculus erat conditus, in profluentem proijciebat, corpus reliquum, vt purum & labis immune condiens. Aluum vbi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleuerunt, rursus odoribus contusis referciunt; tum omenta complentes contusâ myrrhâ purâ, & cassiâ, & cæteris, excepto thure, odoribus iterum consuunt. Vbi hæc fecêre, saliunt intrà abditum septuaginta dies. Nam diutius*

Herodotus. Diodorus. Nardius.

Ægyptiorum modus condiendi ac sepeliendi corpora.

Sepulchrorũ Ægyptiorum species tres, sumptuosa, mediocris, humilis. Sumptuosa sepulchrorũ species.

tiùs salire non licet. Exactis septuaginta diebus cadauer, vbi abluerunt, sindone byssinâ, incisis loris, inuoluunt gummi illinentes; quo Ægyptij glutinis loco plerumque vtuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inserunt mortuum, inclusamque ita thesaurizant, id est, reponunt.

Mediocris sepulchrorũ species.

Hi autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes sumptum, ita comparant. Clysterem vnguine, quod è cedro gignitur, complent. Deinde ex hac aluum mortui, ipsam neque scindentes, neque extrahentes, sed per secessum, prehenso viæ posterioris hiatu, inferciunt: & tot, quot dixi, diebus sale condiunt: quorum dierum vltimo, cedrinum vnguen, quod priùs ingesserant, ex aluo egerunt; quod tantam habet vim, vt vnà secum aluum, atque intestina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & ossa relinquuntur. Vbi ista fecêre, ex quo sic tradidêre mortuum, nihil ampliùs negotij suscipiunt.

Infima sepulchrorum species.

Tertia conditura est adornandi eorum mortuum, qui tenuiori sunt fortunâ. Dilutionibus ventrem abstergunt, arefaciuntque sale per septuaginta dies; deinde tradunt reportandum.

Sepeliendi ritus Aegyptiorum.

Antequam sepeliatur corpus, prædicitur à Cognatis, tùm Iudicibus, tùm defuncti amicis sepulturæ dies. Asserunt verò illum, nomine mortuum appellantes, paludem transiturum. Adstantibus Iudicibus ampliùs quadraginta numero, sedentibusque in præparato vltra stagnum hemicyclo, trahitur nauis ad id composita ab ijs, quibus ea cura iniuncta est, regente Magistro, quem suâ linguâ Ægyptij Charontem vocant. Vnde & Orpheum (quâ de re paulò post dicetur) *asserunt cùm hunc morem apud Ægyptios conspexisset, finxisse postmodum Inferos, partim quæ viderat imitatum, partim quæ ipse commentus esset. Perducta in stagnum naui, antequam condatur in arca cadauer, permittitur lege volenti mortuum accusare. Si quis comprobatur malè vixisse, iudices sententiam ferunt, quâ censent corpus eius sepulchro priuandum. Qui deprehenditur iniustè crimen obiecisse, magnâ mulctatur pœnâ. Cùm deest accusator, aut per calumniam accusatum constat, Cognati finito luctu, ad laudes mortui vertuntur; nil de genere eius, sicut Græci consueuerunt, narrantes* (existimant enim omnes Ægyptij pariter se nobiles esse) *sed ordientes à pueritia, in qua vitæ institutionem eruditionemque recensent, ad Viri ætatem descendunt, eius erga Deum religionem, iustitiam, continentiam, virtutesque cæteras commemorantes. Inuocatis verò Inferis Dijs, precantur, vt eum inter pios locent. Ad quæ verba omnis multitudo correspondet, gloriam mortui extollens, tanquam apud Inferos cum beatis semper futuri. Sepeliunt postea quique suos; hi in proprijs sepulchris; alij quibus ea desunt, domi apud firmiorem parietem arca corporis erecta. Qui verò ob crimen, aut fœnus sepultura prohibentur, domi absque arca ponuntur; Quos posteri ditiores facti, ac debita & crimina luentes, honorificè sepeliunt. Gloriantur enim Ægyptij suos parentes maioresue magnificè esse sepultos.*

§ II.

De Mumia.

Mumia, vox persica, significat corpus exsiccatum & conditum.

MVmia siue موميا vox Persica est, & idem notat, quod exsiccatum cadauer certâ ratione conditum, corruptionis expers. Cuius

virtu-

virtutes tametsi complures Medicorum copiosè descripserint, nulli tamen fuerunt, qui eorundem condiendorum rationem ac methodum non dicam tradiderint, sed nè attigerint quidem. Plerique cadauera, quas Mumias vocant, nullâ certâ conditurâ præparari, sed solo naturæ puro puto artificio ad hunc incorruptionis statum peruenire putant, eo, qui sequitur, modo. Est in TransNilana Africæ regione desertum ingens, sabuli, arenarumque cumulis in immensum exporrectum, vnde & sabulosi maris non immeritò nomen obtinuit; hæ siquidem arenæ ventis concitatæ tam sæuas subinde tempestates mouent, vt arenis in cliuos aggestis, turbinum violentia, & iumenta & viatores vnà cum mercibus suis, nullâ euadenti spe relictâ, viuos sepeliant. Expertus est, Herodoto teste, huius sabulosi maris sæuitiem Cambyses, toto ferè exercitu, in expeditione ad Ammonios facta, æstuantis arenæ impetu absorpto. Refert Pomponius Mela de rupe quadam in hoc deserto existente, Austro consecrata, quæ simul atque vel manu tacta fuerit, Austro mox prouocato sæuissimas procellas moueat, sabulo in tantum intumescente, vt pelagus vndarum vorticibus, fluctuumque æstibus concitatum videri queat. Hanc rupem dum olim Sylli inconsultiùs adeunt, siue occultiori naturæ impetu, siue Magicis incantationum præstigijs, vento mox exoriente, & sabulosos cogente montes, ad vnum omnes extincti feruntur. Est & in hoc deserto Ammonium Oraculum, & Serapium, Sphyngesque ingentes, quarum aliæ vsque ad caput, aliæ ex dimidio arenâ obrutæ, Strabone teste, spectantur. Hoc itaque celeberrimum Oraculum consulturus olim Alexander Magnus, dum pleno aleæ itineri se accingit, ad illud quidem incolumis peruenit, sed quos milites ex suo exercitu non sabulosi pelagi turbines, hos æstus sitisque confecisse traditur. Sed vt vnde digressus, reuertar; in hoc sabuloso deserto dicunt nonnulli Mumias, solius naturæ industriâ confici; dum aiunt, viatorum deserti tempestatibus extinctorum corpora tùm Solis, tùm feruentissimæ huius arenæ pinguioris virtute, longo tempore siccata tostaque in hunc statum ἀφθαρσίας degenerare. Sed tametsi subinde, in hoc Lybiæ deserto, huiusmodi à Sole exsiccata corpora reperiantur, illa tamen minimè Mumiæ dicendæ sunt; cùm Mumia propriè cadauer sit singulari arte conditum. Quæ qualis sit, iam aperiamus.

Africæ solitudo dicta mare sabulosum.

Herodotus.

Mela. Rupes Austro consecrata in Africæ solitudine sabulosa.

Sphynges in deserto & arenis Africæ, *Strabo.*

Mumiæ non sunt cadauera Solis ardore siccata in Libiæ deserto.

Haly Medicus Arabs, in suo de medica humani corporis virtute libro, Mumiarum haud infrequenter meminit, easque incorruptionis munus, solius Asphalti, Opobalsami, Myrrhæ, simillium que specierum beneficio adeptas esse asserit; quod tamen non de omnibus, sed ditiorum corporibus dicendum est. Certè solertissimus Philosophus & Medicus Ioannes Nardius hoc præ cœteris in Mumijs, tùm quas proprias domi suæ, tùm quas Magnus Dux Hetruriæ in Ergasterio suo opulentissimo tenet, experimentum sumpsit; corpora siquidem fascijs suis euoluta summo studio dissecuit, at præter Asphaltum nullo alio Aromatici generis apparatu condita reperit. Verba Authoris hìc apponenda duxi; sic autem fol. 635 Commentariorum in Lucretium ait. *Speraui olim miram*

Haly.

Nardius. Mumiæ Asphalto solo seu gummi condiebantur.

fra-

fragrantiam à medicato funere, tot tantisque infarcto aromatibus: verùm spes me fefellit, solaque fuit obuia gummi graueolentia post denudatum cadauer; Quanquam verò non vnius illud erat sortis, & vetustati licet plurimùm darem, attamen non nisi gummi vestigia, quin coactas homogenei gummi glebulas, in ventre recens dissecto, obseruaui. Sciscitor interim curiosus caluariam, eodemque gummi intus illitam deprehendo: tunc verò me operam lusisse omnem liberè sum fassus; dum partes cadaueris singulas attentiùs examino, altèque gummi imbibitas video. Fregi, discerpsi, ossibus neque peperci, gummi vbique redolent atque sapiunt. Serus ego damnaui tandem propriam crudelitatem, longumque valedixi Ægyptijs technis. Quonam igitur modo solo Asphalto aut bitumine corpora incorruptionis donum consecuta sint, dubium est. Multi putant, salis adiuncti copiâ conseruata; at hoc subsistere non potest, cùm salita corpora facilè diffluant, vti ex historia patet, quam & Baronius ob euentum memoria dignum, historiæ Ecclesiasticæ inseruit. Dum in montibus Salisburgi fossili sale prægnantibus, fossores in subterraneis antris in fossam salinâ aquâ refertam, & satis profundam inciderent, aquamque in vsum coquendi salis deriuarent; contigit, vt inter euacuandum, humanum in ea corpus detegerent, prorsùs integrum incorruptumque; cutis colore prorsùs niueo candebat; oculi aperti vitam ipsam spirabant; capilli pilique suis locis ab omni corruptione immunes; cæterùm totum corpus rigidum ad instar saxi. Stupefactis ad tam inusitatum naturæ prodigium fossoribus, res ad Bauariæ Ducem delata fuit, qui & ipse rei nouitate attonitus, portentique videndi desiderio percitus, illud propediem ad se deferri præcepit. Quod vbi factum, & iam triduo hoc salis figmentum, omnium oculis expositum fuisset; ecce id tandem aëris veluti impatiens intra paucos dies, in aquam resolutum, suoque elemento restitutum prorsùs diffluxit. Ex qua historia satis liquet, corpora salita, tametsi certo tempore corruptioni resistant, longo tamen tempore defluere. Cùm itaque, teste Nardio suprà laudato, totum corpus Asphaltum seu bitumen oleat; id eo conditum, luculentum indicium est. Quomodo verò, & qua arte & industria hoc peractum sit, & quomodo per intimam substantiam corporis bitumen imbibitum, in duram & consistentem essentiam degeneret, id quidem difficile cognitu, at non inscrutabile. Nardius rem acu tetigisse videtur. Verba eius sunt: *Quandoquidem Asphaltus liquabile mistum est, caloreque præsente mollescit, præsertim si congener accedat substantia auxiliares in partes, quale est fluidum bitumen, quod Naphtam appellant. Vt igitur congruo in lebete iungebantur hæc simul, igne cogente, bituminoso immergebant balneo cadauer, macerabantque tamdiu, donec altè imbibisse conijcerent contubernalem liquorem. Neque controuertere fas est, dum hæc agerentur, an pepercerit tunc ignis cadaueris adipi atque carnibus: par namque est credere, his liquescentibus insigne accessisse auctarium arescenti bitumini. Non est nostrum in præsens litem dirimere de viribus Mumiæ, cuiue debeantur celebratæ dotes, Asphaltone, an cadaueri; & si non dubitem valere indicatam miscellam turbas omnes plenissimè sedare, finemq; controuersijs imponere. Exemptum tandem inde cadauer deponere cogebant superfluum humorem*

Salis copia conditis corporibus adiuncta non reddit illa incorruptibilia. *Baronius.* Historia de cadauere in salinis reperto.

Asphalto seu bitumine qua ratione condita fuerint cadauera. *Nardius.*

morem

morem calidi ambientis opera, dum interim illius membra ad libitum componerent. Quæ verò me inducunt, vt prænarrato adhæream artificio, sunt æqualis illa bituminis distributio in singula membra, compacti adhuc bitumine crines, cilia, superciliaque in frustula eiusdem bituminis comæ nonnunquam hærentia. Atque hanc ego arbitror fuisse condiendorum, atque à corruptione conseruandorum corporum methodum; quam & apud Arabes me legisse memini; & consentiunt quæ & ego sæpenumero in Mumijs Petri à Valle obseruaui. Iam cryptas, in quibus condi solebant paulò antè dicta præparata corpora, examinemus.

CAPVT IV.

De Cryptis, locisque subterraneis, in quibus condi solebant Mumiæ, siue medicata corpora.

NOn satis erat Ægyptijs, cadauera dicto aromatum apparatu adornare, sed nè imposterum aëris, aquæ, caloris, temporumque iniurijs, aut animalium insidijs corroderentur, summâ sanè cautelâ, non in locis inundationi Nili expositis, non in patentibus campis latrocinio peruijs, sed vel in æternùm duraturis pyramidibus, vel in cryptis subterraneis summo labore in rupe viua excisis, vario priùs inuolucrorum fasciarumque amictu summâ ac vix imitanda industriâ velata infarcinataque reponebant. Sed locum condiendis corporibus destinatum priùs, deinde singula ornamenta exploremus. Locus cœmiterij, erant cryptæ subterraneæ, ex viuo, vt dixi, Alabastro excisæ, varijs concamerationibus, veluti ingentibus aulis discriminatæ, tam multiplicibus ambagum, viarumque gyris intricatæ, vt labyrinthus videri posset: cuius Ichnographiam non ita pridem ad me transmisit sæpe laudatus Titus Liuius Burattinus, qui pro laudabili sua curiositate, non sine sumptibus, dum Ægypti antiquitates inquirebat, & has quoque cryptas penetrauit, omnia singulari studio delineauit, delineata ad me, pro suo singulari Reipublicæ literariæ promouendæ zelo, transmisit. Verùm antequam figuram exponamus, eius primùm hoc loco epistolam Italico sermone conscriptam, deinde Ichnographiam subterraneæ fabricæ, hîc apponendam duxi, ex qua Lectori curioso cuncta luculentiùs patebunt. Cryptæ in quibus Mumiæ reponebantur.

Epistola Titi Liuij Burattini ad Authorem huius Operis, in qua quicquid circa subterraneas cryptas notatu dignum obseruauit, exactè describitur, vnà cum Ichnographia earundem. Epistola Titi Liuij Burattini de cryptis Mumiarum.

Circa le Mumie sono diuerse opinioni, frà le quali la più commune è, che si ritrouino frà l'arene nell' Arabia deserta, e che siano di quelli corpi, che sono sepolti in quelle quando spira il vento Australe. Quanto questi s'ingannano, non occorre manifestarlo, essendo notissimo l'errore loro à quelli, che sono stati nell' Egitto; essendo che le Mumie non sono altro, che li corpi imbalsamati dalli antichi Egittij, delli quali ancora hoggidi se ne ritroua nelle caue tanta gran quantità, special-

 men-

mente sotto, oue già era la famosa Città di Memfi, la quale era posta frà le pyramidi di Giza, e quelle delle Mumie, delle quali ne darò quel più minuto e vero ragguaglio, che per me si potrà. Ogn'vno, che di leggere l'antiche historie diletto si prende, hauerà veduto, che doppo hauere li antichi Rè dell'Egitto, chiamati in loro lingua Faraoni, habitato per longo tempo nella famosissima Thebe, fabricorono poi la Città di Memfi dalla parte di Ponente del Nilo, essendo stata quella dalla parte di Leuante, oue poi habitarono fino al tempo d'Alessandro Magno, dal quale fù poi fabricata la Città appresso il mare Mediterraneo, che dal suo nome fù detta Alessandria, nella quale habitauano Tolomeo Lago suo Capitano con li suoi successori. Memfi adunque fù l'vltima Metropoli delli antichi Egittij, e per consequenza appresso quella si vede maggior vestigio dell'antichità di quello si vede in niun altro luogo, perche li Greci vsauano altre cerimonie nell'essequie delli loro morti, che non li Egittij. Sotto, & attorno doue era quella Città, si vedono grandissima quantità di caue, oue sepeliuano li loro morti, tanto dell'ordine de' Sacerdoti, quanto quello de Caualieri; nelle quali entrauano per vn pozzo quadrato, mà tanto largo solamente, quanto vn huomo può allargare vn piede dall'altro, mettendo li piedi nelli buchi fatti dalle parti per quest'effetto, e che dal disegno si vede. La profondità frà di loro è diuersa, secondo che più e meno cauano, non hauendo però veduto di minor profondità, che di sei huomini; auuertendo che tutte queste caue sono fatte nella pietra, laquale è assai tenera, e di color bianco, e in questi deserti cauandosi sotto l'arena non più che per vn braccio, immediatamente si ritroua la pietra, nella quale, come di sopra hò detto, cauano li loro sepolcri, per li quali tutta la Città di Memfi restaua vuota con molto spatio ancor all'intorno di quella. Smontati nella caua si ritroua vn buco quadrato della capacità della caua, nella qual s'entra, ma chinato per la sua bassezza; la longhezza sua è varia, essendo in alcuni luoghi longo diece piedi, in altri quindici, & in altri più e meno. Alla fine di questa s'entra in vna stanza quadrata fatta à volta, ogni lato della quale è intorno 15, e 20 piedi, e nella metà d'ogn'vno di questi quattro lati vi è della medesima pietra fatto vn focolare longo incirca piedi cinque, largo doi e mezze, e alta vno, e sono vno di rimpetto all'altro: sopra li quali poneuano li loro morti, posti alcuni in casse di pietra della sorte del medesimo monte, & alcuni di casse di legno di fico moro, il quale hà per natura di mai tarlarsi. Queste casse tanto di pietra, quanto di legno, sono fatte à guisa della figura humana con le braccia distese come noi sepeliamo li nostri morti, tutti adornate di gieroglifici, & indorate; come ancora sono adornati di dentro li corpi imbalsamati, molti delli quali hanno sotto la lingua vna piccola lametta d'oro, di valore al più di doi ò trè Ongari; per ingordigia della quale li Arabi guastano tutti quelli corpi, che possono ritrouare intatti, in molti delli quali non ritrouano nulla; e poi il rimanente del corpo vendono per vilissimo à Mercanti Maumettani, delli quali corpi nella Città di Cairo ne sono in grandissima quantità, che da Mercanti Christiani sono comprati per condurre in Italia. Tutte le casse di questi cadaueri hanno dal capo vn Idolo, e da piedi vn vccello, che pure adorauano; nel muro poi sopra la cassa, in alcune di queste caue sono delli gieroglifici, li quali credo fossero Epitafij scritti in lode delli defonti. In molte di queste stanze vi sono ancora oltre le quattro casse principali poste sopra le pietre, altre ancora poste in-

Memphis multa antiquitatis vestigia retinet.

Cauernæ circa & infra Memphim.

Cauernarum Memphiticarum varietas & profunditas.

Cauarum Memphiticarum forma.

Capsę Mumiarum e saxo, aut ligno.

Aurea lamina sub lingua Mumiarum.

Capsarum ornatus & hieroglyphica

ter-

A
B
C
Ex Magni
Ducis Hetruriæ
Museo
N
M
V
X
hæ notæ ha
bentur in dor
so figuræ B.
domo H.


Ex Museo D: Hieronym
Van Werle
ercator. A Ambsterodam.
Ex Museis
Magni Ducis
Hetruriæ, et
Ernesti Brinckij.
Posterior
pars
Arca seu repositorium
Mumia
fig. ponitur. in pectore figuræ. D.
Mercatoris Ambsterodamensis quam exactè
delineatam ad me transmisit Bartholdus Nihusius. A. 1652.


Inseratur tom. III. inter folia 400. et 401
ICHNOGRAPHIA CRYPTÆ MVMIARVM
PROSPECTIVA CRYPTÆ MVMIARVM
Quæ omnia lustrauit et delineauit in Ægypto Titus Liuius Burrattinus Regis Poloniæ Architectus

terra, attorno quelle, e specialmente Bambini; e si deue auuertire, che di queste stanze, che corrispondono da vn pozzo, saranno 25, e 30, più e meno, vna apresso l'altra, poste nel modo, che dal disegno si vede; e perche non v'è altra luce, ne altra entrata, che il pozzo dalla prima stanza, ouero caua in fuori, non v'è luce veruna, per questo bisogna portar seco delle candele, e buona guida, altrimente si vâ à pericolo.

Quæ Burattinus hactenus narrauit in epistola sua, in hoc præsenti schematismo exhibentur. Ichnographia monstrat structuram cryptarum, vnà cum abacis quibus corpora capsulæ inclusa imponebantur. Hoc in loco Ichnographia nouem cameras exhibet vacuis spatijs signatas, cuiusmodi vna est D, omnesque sunt æquales; singulæ habent in quatuor lateribus abacos marmoreos eius magnitudinis, quæ receptaculo, quo Mumia condebatur, recipiendo capax esset; hi abaci, vti & quatuor parietes singularum cauernarum in Ichnographia, signantur numeris 1, 2, 3, 4; quæ verò litera X notantur, murorum vestigia, suprà quæ parietes assurgunt, significant. Hæc verò exactiùs spectantur in Scenographia, in qua S & T duæ cameræ sunt fornicibus suis instructæ. Intra quatuor muros cameræ S vides quatuor abacos A, O, P, K, quorum singuli sua medicata funera, id est, Mumias, eo quo scripsimus apparatu exornatas, continent. His vt plurimùm Idola spectantur apposita, & sunt fasciati quidam pueri tutelarium Deorum statuæ, ad caput; ad pedes Accipitrem reperies (de quibus fusiùs in sequentibus) horum enim assistentiâ corpus ab omni violentia immune futurum credebant. Secunda camera T totidem abacos continet, qui signantur literis L, M, N, B, in quibus medicata corpora posita vnà cum Tutelaribus Dijs ijs appositis, vides. Q & R literæ duarum aliarum vestigia camerarum monstrant, & locum abacorum G & H; G monstrat accessum seu aditum in alias & alias cameras, quarum tantam esse multitudinem olim mihi retulit Michaël Schatta Ægyptius Coptita, earum sedulus inspector, vt ad multa milliaria sese extendant, & numero & magnificentiâ Romanis cœmeterijs multò superiores; imò addidit nouas & nouas quotidie detegi. Hinc nonnulli in ea opinione sunt, subterraneos huiusmodi meandros ad ipsum Ammonio Oraculo ac Serapæo celeberrimum locum, magno Sacerdotum eò vltro citroque commeantium, & ab omni Solaris æstus, arenarumque turbinibus immunium commodo, fuisse exporrectos. Quod haud verò absimile ei videbitur, qui multa alia Ægyptiorum opera penitiùs fuerit contemplatus. Imò *recitant nonnulli Arabes alibi citati*, Heliopolim Memphi vnitam fuisse per occultum meatum, vel infrà Nili aluum stupendo opere structum.

Ichnographia & Scenographia camerarum in quibus Mumiæ condebantur.

Cauernarum, in quibus condebantur Mumiæ, numerus ingens.

Sed ad cryptas reuertamur. Habent singula latera in ouali figura hieroglyphicos schematismos incisos, qui in Scenographia literis E, Y, Z, F, signantur, & nihil aliud sunt, quàm schemata, quas nos in Obeliscorum interpretatione sacras tabulas appellauimus; quarum prior E, & posterior F prorsùs eædem sunt cum illis, quæ in Obeliscis frequentissimè occurrunt. Hanc vocamus Osiriacam, illam Momphto-Mendesiam;

 & hîc

& hic appositis, & ex dictis Obeliscis depromptis schematismis respondet. Reliquæ verò duæ Y & Z, quarum prior baculum Hircino capite cum cycloide & hydroschemate, altera Scarabæo cum globo insignitur, pariter ex Obeliscis excerptæ sunt; & ter in Obelisco Heliopolitano reperiuntur; quarum interpretationes cùm in citatis locis adductæ sint, ea Lector consulat. Cur autem hæc hieroglyphica Numina obliquo situ, non recto, muro incisa sint, eo Numinum tutelarium inclinationem sympathicam, quam ad corporum conseruationem habebant, occulto veluti symbolo notabant. Erant enim hæc sacra quædam amuleta, magnæ apud ipsos efficaciæ & virtutis, vti suis locis probatum est, vt proinde mirum non sit, ea veluti prophylactica quædam funeribus fuisse apposita, ad conseruationem corporum vnicè conducentia.

Quæ omnia confirmant, quæ Excellentissimus Nardius in suo Lucretio adducit, & de memoratis subterraneis Ægyptiorum cœmiterijs memorat. Quorum quidem situm & dispositionem sequenti figurâ luculenter sanè expressum contemplare. A Memphis moderna, quæ Cayrus; B rudera antiquæ Memphis seu Babylonis; C Nilus ab Austro in Aquilonem præterfluens; D lapis cælatus, operaculum putei; E ostium per quod descenditur in camerata cubicula; F Arca lapidea hieroglyphicis signata, custos alterius ligneæ G; quæ visenda exponitur vnà cum simulachro stante, & tutelaribus Numinibus. Per E puteum descendit seruus, apprehenso fune insidentem humeris herum portans; hunc vbi deposuit, primò in imo putei latere foramen occurrit, per quod repentes, magnificum ingrediuntur cubiculum cameratum, cuius in medio sita erat arca illa marmorea, magnifico funere grauida. Hinc varia in cubicula multiplex patet adytus, ita vt subinde de reditu periclitetur viator, nisi filo Thesei ad exemplum vtatur Ariadnæ. In hac Crypta seu hypogæo adeo tutè collocabantur corpora, vt nec Nili inundatio, nec humiditas, quæ in torrido solo nulla est, quicquam officeret; fauebat artificium industriæ, plurima desuper congesta arena, quibus incognitus reddebatur & locus, & locatum. Quæ omnia Excellentissimus Vir Petrus à Valle confirmat in Itinerario suo fol. 372. his verbis.

La mattina non era ancora vestito, che haueua più di cinquanta contadini attorno; e chi mi portaua idoletti, chi diceua di menarmi in vn luogo, e chi in vn'altro: io dauo spaccio a tutti; e mi auuiai allegramente. Haueua con me, senza questi contadini, venticinque ò trenta huomini; perche oltra i miei, & alcuni soldati, che haueua menato per guardia (che i luoghi non son sicuri) molti

amici

amici del Cairo mi si erano anche affilati appresso, quando seppero, che voleua andare, per la commodità, e per la sicurezza; & io di buona voglia li haueuo con-

dotti. Andauamo dunque tutti armati come San Giorgi, che pareuamo vn'essercito. Giunti alle Mumie, andai scoprendo vn poco il paese; e viddi essere vna campagna grandissima, come le altre, di arena: & in essa, a passo a passo, per sepol-

polture, non Piramidi, ma vi furono fatti anticamente di fabrica sotto terra infiniti pozzi profondissimi; nel fondo de' quali attorno attorno in volta, come nelle nostre cisterne, vi sono pur di fabrica alcune tombe, ò grotticelle basse; dentro alle quali riponeuano i corpi accommodati come appresso dirò, e sotterrati, per conseruarli meglio, nella medesima arena; con la quale poi riempiuano anche il pozzo, e lo copriuano tanto alto al pari del terreno, che non si vedeua, nè si cognosceua doue fosse. Et in vno di questi pozzi si poneuano molti e molti corpi, che doueuano esser forse tutti di vna famiglia, ò parentado; come facciamo noi, che per tutta la nostra gente hauemo particolari sepolture. Che fosse così, lo sò e per la relatione del Belonio, e per molti di questi pozzi aperti, e voti, che io viddi nella campagna; le Mumie, ouero corpi sotterrati de' quali, da i contadini, che di continuo li vanno cercando, erano stati in diuersi tempi trouati e cauati. Non mi curai di scender, come fanno molti, e come dubito, che facesse il Bellonio, in alcuno di quei pozzi voti; perche il mio principal desiderio era di vedere i corpi come stanno, per poter parlar di veduta, e non di vdito da quei contadini ignoranti. Però, lasciando i pozzi voti a parte, & hauendo quantità di lauoratori prattichi con me, volsi far cauar da quelli in luoghi nuoui, per trouarne alcuno pieno, e non più tocco, se fosse stato possibile. Ma perche, non sapendosi doue siano, bisogna cercare alla ventura; considerai doue il terreno mi pareua manco smosso, e men tastato (che si conoscono i segni, doue tastano molte volte i contadini, e non trouano) e là, in diuersi luoghi, che mi paruero più a proposito, diuisi i miei lauoratori, sparsi per vna gran parte della campagna; e per dar loro più animo, piantai lì in mezo il mio padiglione, con determinatione, e promessa, che non sarei partito da quel luogo, se prima non hauessi trouato qualche cosa. E perche io solo non poteua esser per tutto, misi in guardia ciascuno degli huomini miei ad vna di quelle caue, che si teneuano, per assicurarmi di ogni fraude; & accioche mi chiamasse subito chi prima hauesse scoperto sepoltura, ò cosa di bello. Mentre si attendeua al lauoro con feruore, vno di quelli contadini, che dalla sera si era lasciato intendere di hauer non sò che cosa da vendermi, si accostò alle orecchie del mio Interprete, e gli disse pian piano, che egli haueua vna Mumia intera e molto bella, che se io la voleuo comprare, me l'hauerebbe mostrata, che era lì vicino: ma che non voleua, che lo sapesse alcuno degli altri contadini, perche hauerebbono voluto participare essi ancora del prezzo, che così deuono vsar frà di loro: però che se io voleua vederla, bisognaua, che andassi senza loro doue egli mi hauerebbe guidato. Rapportatemi queste parole dall'Interprete, fui subito contento; e lasciato bon'ordine a tutti quei, che cauauano, presi con me Tomaso, e'l Pittore, e seguitai a piedi il contadino, co'l quale vennero anche due ò trè suoi parenti. Ci fecero caminar più d'vn miglio, e forse due; parendo a me molto lontano, quel che egli, accennando co'l dito, diceua sempre quì, quì, quì, assai vicino. Arriuammo finalmente in vn luogo, doue presso ad vn pozzo cauato, che mi disse essere stato scoperto da lui trè ò quattro giorni prima, di dentro a certa rena, sotto alla qualle la teneua nascosta, cauò vna Mumia, ouero corpo intero di vn' huomo morto, che, per essere benissimo conseruato, e curiosissimamente adorno e composto, a me parue cosa molto bella, e galante. Quæcunque hoc loco narrat Pe-

Petrus à Valle, consentiunt ijs, quæ & olim Bellonius, & nuper Burattinus detexit. Asserunt præterea Arabum monimenta, tantam esse horum meandrorum multitudinem, vt quemadmodum suprà diximus, sese vsque ad ipsum Ammonij Oraculi templum extenderint; atque adeo totum hoc arenosum pelagus, subtus vacuum sit, innumeris distinctum corporum defunctorum receptaculis. Certè qui veteris Memphis vastitatem, incolarumque frequentiam apud citatos Authores legerit, facilè sibi persuadebit, minimè vero absimile esse, quod tot Authorum testimonijs stabilitum est. Sed ad propositum. Pergit deinde Author minutim detectas Mumias describere, quarum prima signatur litera A in præsenti figura.

A B

La Mumia dunque scoperta, si vedeua esser l'huomo disteso, e nudo: ma fasciato strettamente, & auuolto in vna gran quantità di panni lini, imbalsamati con quel bitume, che incorporato poi con la carne, fra di noi si chiama Mumia,

mia, e si dà per medicina. Quelle fasce, e legami mi fecero souuenir subito di Ioann. *Lazaro risuscitato, che è facil cosa, che stesse in questo modo. V'era di più, sopra'l corpo attorno attorno, vna copertura de' medesimi panni, tutta dipinta, & indorata, che era molto ben cucita, & impegolata, come io credo, da tutte le parti, e sigillata da ogni banda con molti sigilli di piombo; cose tutte, che dauano inditio di persona di rispetto. Ma, quello che importa, nella parte di sopra del corpo, che, per la quantità degli auuolgimenti, veniua ad esser piana, quasi come il coperchio di vna cassetta, vi era dipinta vna effigie di huomo, di età giouanile, che senza dubbio è il ritratto del morto; & era adornata nell'habito, e da capo a' piedi, con tante bagatelle fatte di pittura, e d'oro, con tanti hieroglifici, e caratteri, e simili capricci, che V. S. mi può credere, che è la più gratiosa cosa del Mondo; oltra che gli huomini curiosi di lettere ne possono cauar mille argomenti per la certezza delle antichità di quei tempi. Il vestir di quest'huomo si vede esser lungo fin'al collo del piede; e mostra, che era di panni lini, de' quali a punto* Herodotus *habbiamo in Herodoto, che gli Egittij antichi del suo tempo vsauano di vestirsi: però l'habito di costui, sopra'l bianco del lino, si vede esser tutto sparso di piastrelle d'oro, con varij ornamenti di gioie, e di segni, ò caratteri ignoti, in quelle impressi. La testa è pur coperta d'ornamento d'oro, e di gemme, sotto al quale si vedono spuntar fuori i capelli, neri, e ricciutelli; e così anche nera, ricciuta, e poca hà la barba: a che, come anche al color del viso, e delle mani, che è bruno assai, & a punto di color di terra, non dissimile a quello de i più chiari Ethiopi, mi par di poter credere, che costui fosse natiuo delle parti dell'Egitto superiori, e più meridionali, e non di quelle del Delta, doue gli huomini di ordinario non arriuano ad esser tanto bruni. Si conosce chiaramente, che era persona grande, tanto a gli ornamenti degli ori, e delle gioie, che di sopra hò detti; quanto a quei sigilli di piombo, che pendono d'ogn'intorno da i lati della inuoltura del suo corpo, ne i quali par, che si mostri più che ordinaria premura della sua conseruatione; e nella impronta di essi, che non bene si scorge, par, che vi sia scolpito vn'animale. È inditio ancora della qualità grande della sua persona, vna collana di oro, che porta al collo a guisa de' nostri Tosoni; in mezo alla quale, sopra'l petto, stà attaccata, come gioiello, vna piastra grande d'oro, che rappresenta la figura di vn'vccello, e dentro in mezo è scolpita con vari segni non conosciuti. Secondo Diodoro Si-* Diodorus. *culo, i Pretori de' Giudici portauano anticamente in Egitto di sì fatte collane, co'l simolacro della Verità: forse costui era vno di quelli: e forse l'effigiato vccello, che porta al petto, ò vn cotal segno della Verità, ò altra somigliante cosa, vuol significare. Nella man destra, tiene vna tazza d'oro, piena di liquor rosso, che, ò* Herodotus. *sia vino, ò sia sangue (se ben vino credo io più tosto, conforme a i detti di Herodoto) hò per certo, che denoti qualche libamento di sacrificio. Con la sinistra (in due diti della quale, cioè nell'indice, e nel piccolo, hà vn'anello d'oro per ciascuno, negli vltimi articoli presso alle vnghie) tiene vna certa altra cosa, di forma come ouata, e di colore scuro, che, se io non m'inganno, mi par, che sia vn di quei frutti, che in buon Toscano si chiamano Petronciani, ma da i Lombardi son detti Melanzane, & in Roma dal volgo Marignani; e, se mal non mi ricordo, in lingua grossa Napolitana Molegnane: e'l tenerlo costui in mano, haurà pur qualche misterio. Le gambe, & i piedi, gli hà nudi, solo con sandalij neri, che non cu-*

pro-

prono altro, che la pianta del piede; e passando vn laccio di essi pur nero, che vien di sotto dalla suola, frà'l dito grosso, e l'altro dito al grosso più vicino, si allaccia con due orecchiette, che vengono di dietro dal calcagno, e fà ornamento sopra'l piede, con vna gratiosa cappietta. Pergit iam describere Author, vocabulum ⲉⲩⲧⲩⲭⲓ in pectorali fascia descriptum, & est vox Ægyptiaca, & idem notat; ac *prosperetur*, vti alibi copiosè ostendimus. Ex quo patet, Ægyptios hieroglyphicis suis subinde voces quasdam patrio idiomate immiscuisse; quod cùm multi negent, ij apertè vel ex hoc paradigmate conuinci possunt. Vide quæ de hoc argumento varijs huius Operis locis tradidimus, & ipse Petrus à Valle sequentibus verbis demonstrat: *Il più curioso, che vi sia, è vna fascia, come alla cintura; doue con tinta nera, in lettere Egittie, delle quali appresso parlerò, è scritta questa parola* ⲉⲩⲧⲩⲭⲓ, *cioè Eutiche, ò Eutichio, che, come c'insegna la lingua Greca, significa Buonauentura, che io non posso credere altro, se non che sia il suo nome proprio; e l'essere scritto per I in vltimo, e non per H S, come in Greco dourebbe stare, sarà forse corruttione Egittia; come anche Egittia è la lettera* ⲧ, *che essi hora chiamano Dei, vsata quiui in vece della T; & è senza dubbio quel famoso Tau degli antichi Ebrei, e di altre nationi, in forma di Croce, secondo Origene, e San Girolamo, che è il segno degli eletti, accennato nell'Essodo, e nell'Apocalisse, ma più chiaramente in Ezechiele, la figura del quale gli Ebrei più moderni, in odio della Croce, come ben dice il dottissimo Genebrardo, frà i loro caratteri, in altra figura, nel modo, che l'vsano hoggidì, malitiosamente hanno mutata. Potrebbe essere ancora, che quella parola* ⲉⲩⲧⲩⲭⲓ *fosse Verbo, in modo Imperatiuo, & in seconda persona, ò pur in terza; dato che, per qualche ragione della lingua Egittia, in questo differente dalla Greca, non ripugnasse a ciò la terminatione della vltima sillaba; e che volesse dire: Sia felice: motto vsato per ventura di dirsi all'hora a i morti per vltima cerimonia, quasi come hoggi il nostro, Habbia pace, ò Vada in pace; nel modo a punto, che Enea, mandando il corpo di Pallante al Padre & alla sepoltura, nell'inuiarlo, viene indotto da Virgilio a dir, per vltimo,*

Origenes. S. Hieron. Exodi. Apocalypsis. Ezech. Genebrardus

Salue æternùm mihi maxime Palla,
Æternùmque vale.

Virgilius in Aeneid.

Comunque sia, vedendo io vna cosa tale, hebbi vn gusto grandissimo: feci il prezzo co'l contadino, e contentandosi egli di darmela per trè piastre, gliele diedi subito profumatamente, facendomi quasi coscienza, che fossero troppo poche. Gli domandai, se ne haueua più, che di gratia facesse presto, & me le mostrasse. Mi rispose, che dentro al pozzo ne haueua vn'altra, non men bella: gli dissi, che la lasciasse stare, che voleua calare io a vederla giù; ma egli, allettato dalla prima vendita, tanta era l'auidità, che haueua di toccar presto i denari della seconda ancora, che non mi volse dar tempo, e mandato giù nel pozzo vno de' suoi compagni con vna corda, la fece subito tirar fuori in mia presenza. Progreditur iam Valleus ad secundam Mumiam describendam, quam nos in figura signauimus litera B, & fœminæ mentitur figuram. Quibus verò symbolis, characteri-

Fff bus,

bus, ornamentis fuerit insignita, sequentibus minutâ relatione describit. *Era quest'altra ancora parimente bella, & accommodata nel medesimo modo: ma il ritratto di sopra (e questo mi piacque più) era di vna donna giouane, che senz' altro doueua essere, ò la moglie, ò la sorella dell'huomo già cauato; perche i contadini mi dissero, (& io ancora viddi il luogo) che stauano amendue nel medesimo luogo della tomba, vno a lato dell'altro. L'habito della donna è assai più ricco d'oro, e di gioie, che non è quello dell'huomo. Nelle piastre d'oro, che vi sono sparse sopra, oltre degli altri segni, e caratteri, vi sono anche scolpiti certi vccelli, e certi animali, che a me paiano Leoni; & in vna più giù nel mezo, vn Bue, ò Vacca, che sia, che deue esser simbolo di Apis, ò d'Iside. In vn'altra, che pende al petto dalla più bassa collana, perche di collane ne hà molte, vi è l'impronta del Sole. Hà di più i pendenti alle orecchie con gioie: maniglie doppie alle braccia, & anche alle gambe: anelli molti in amendue le mani, cioè nella sinistra, vn per dito, in tutte le dita, fuor che nel grosso; e nell'indice vn altro ancora nell'vltimo articolo presso al vnghia; e nella destra, due solamente, amendue insieme al luogo solito nel dito, che si chiama dell'anello. Con la man destra tiene vn vasetto d'oro assai piccolo, quasi della forma di quei boccali, co'i quali in Roma si suol dar l'acqua alle mani a mensa; e par che lo tenga come scherzando con due sole dita. Nella sinistra tiene come vn mazzo di certe cose lunghe, e rotonde, che io non sò conoscer quel che siano: tanto più, che per far vedere in qual modo le Mumie stiano sepellite nella rena, questa della donna non la hò nettata affatto della rena: anzi a bella posta ve l'hò lasciata in molti luoghi attaccata, il che però in quei luoghi offusca vn tantino la pittura. Il color della donna è vn poco manco bruno di quello dell'huomo: essa ancora hà i capelli neri, e più tosto ricciutelli, che altro, e per tutto intorno al viso scoperto: neri medesimamente gli occhi, e le ciglia, che son grosse, e congiunte, conforme anche hoggidì le vsano in questi paesi: così ancora hà gli occhi molto aperti, e grandi, e par che le palpebre siano vn poco infoscate sotto e sopra, che forse deue esser con lo stibio, come pur' infin hoggi è vso molto familiare di portarle frà tutte le Orientali; al modo che conta la Sacra Scrittura dell'antica Iezabel. Del resto, non deuo tralasciar di dire, che la pittura, tanto dell'huomo, quanto della donna, non par, che sia di buona mano: ma di quella maniera à punto, della quale vediamo in Roma alcune figure di Santi di quei tempi bassi e rozzi.* Nè verò quicquam ad subterraneam locorum constitutionem omisisse videretur; magno sanè animo sese, ad singula curiosè obseruanda, intromisit; quænam verò aut qualia in sepulchris obseruauerit, sequentibus verbis describit. *Io contai subito al contadino altrettante piastre, prima che egli me le domandasse; e gli dissi, che mi aiutasse a scendere, che io voleua calar nel pozzo in ogni modo. Ma perche era molto alto (secondo me, da cinquanta, ò sessanta palmi, se non più) & era tanto largo, che io, che non son Gigante, dubitaua di non poter stender le gambe, che arriuassi co'i piedi di quà e di là, e con le mani a tenermi ne i sassi; non fidandomi di vn'huomo solo, che era giù, per sicurezza di non rompermi il collo, feci calare vn'altro, che venisse con me aiutandomi di sotto; e Tomasetto ancora, che andasse prima giù con qualche pezzo di arme, per ogni buon rispetto. Legatomi poi ben bene nella cintura con vna corda, che la raccommandai a quelli di sopra, mi*

feci

feci mandar giù allegramente: ma trouai nell'andare, la scesa assai più facile, che io non pensaua; di maniera, che, senz'altro aiuto, calai benissimo, e molto presto, da me. Giunto nel fondo, trouai le tombe intorno tutte piene di corpi morti; che veramente, come il contadino diceua, bisognaua che il pozzo allhora allhora fosse stato trouato. I corpi stauano senza ordine, sotterrati, come hò detto a V. S., nella rena, che, come aridissima, gli mantiene, e preserua da corruttione; e giaceuano vn sopra l'altro in quella inuolti, come a punto i maccheroni trà'l formaggio. Erano accommodati tutti nel medesimo modo, con le stesse fasce e bitumi: ma vi era questa differenza, che con oro, e pittura, oltra de' due, che haueuamo cauati, non ve n'era altro, che vno; e quello ancora non così ben conseruato; perche forse da i contadini era stato guasto nel trouarlo. Gli altri tutti, che erano gran quantità, haueuano solo l'inuoltura de semplici fasce, e bitume, senza oro, senza pittura, e senza altro ornamento. Questo mi fece pensare, che gl'indorati e dipinti fossero di persone di qualità, e de' padroni; e quegli altri, ò di serui, ò di gente di minor conditione; secondo'l detto di Herodoto, come anche di Diodoro Siculo, che riferiscono esattamente questo modo di condire i corpi degli Egittij di varie sorti, con più, ò manco spesa, conforme alla qualità delle persone, de quibus vide quoque Brasauolum. *Quell'vno, che trouai giù con pittura, & oro, oltra del riuuolgimento di tela, fù trouato da i contadini dentro vna cassa di legno, intagliata sopra con vna effigie di donzella; e si conosceua esser tale al portamento della testa con quella benda larga, & vguale attorno al viso, che pende da due bande verso il petto, simile a punto al portamento del capo della Sfinge: la quale, significando la fertilità dell'Egitto per le inondationi del Nilo, che sono a punto quando il Sole in Leone, & in Vergine si troua; tempo, come dice Giulio Solino, da i Sacerdoti Egittij stimato per lo natale del Mondo; vien però finta di figura dal mezo in giù di Leone, e dal mezo in sù di Vergine; onde si fà chiaro, che il portamento suo della testa è portamento di Vergine; il qual portamento haueua la figura intagliata sopra la già detta cassa, differente assai dal portamento della testa di quell'altra della donna, che trouai insieme con quella dell'huomo; che però dobbiamo creder che fosse maritata, e moglie di colui, presso a chi staua sepolta. Dell'vso di conseruarsi in Egitto i cadaueri, in vece di casse, dentro a statue di legno, rappresentanti l'effigie del morto, mi ricordo, che l'istesso Herodoto, Autore antichissimo, ne fà mentione. Hor questa cassa ò statua della donzella era stata aperta là nella medesima tomba, e guardandola io, ci trouai sopra molti hieroglifici intagliati, e piacendomi assai, la volsi, e feci tirar fuori. Ma il corpo, che c'era dentro della donzella (che tale si conosceua essere ancora per la picciolezza sua) non mi curai di cauarlo fuori intero, non essendo, come hò detto, conseruato bene. Ma lo feci spezzare in mia presenza: prima per veder come stauano dentro le fasce, e gli ossi co'l bitume; poi, per hauer di quella materia, che è medicinale, e stimata, come V. S. sà; e quì dicono, che quella delle donzelle, e de' corpi vergini è la migliore: & anche per veder se dentro, ò attorno frà le fasce, ci hauessi trouato alcuna curiosità d'idoletti, ò cosa simile; perche in Cairo mi diceuano, che questi idoletti, che in gran quantità se ne vedono, & io ne hò di varie sorti, si trouano dentro a queste Mumie, perche quando condiuano i corpi, ce li metteuano, ò dentro al petto, ò a canto, per custodia come Dei tutelari:*

Herodotus. Diodorus

Brasauolus de examine terrarum.

Iulius Solinus

& in questa, che era delle più ornate, e ricche, e forse la figliuola delli due già cauati, era verisimile di trouar, più che in ogni altra, qualche cosa di curioso. La spezzai dunque, ma dentro non vi trouai niente: anzi, al modo, che viddi che staua, mi par difficile, che dentro a quei corpi si possano trouare idoletti, massimamente della grandezza d'vno diaspro, che in Cairo mi era stato mostrato: tanto più, che habbiamo in Herodoto, che i corpi non sempre gli sparauano: ma alle volte gli nettauano dentro, e faceuano vscir loro le interiora con christieri di cedria; e'l ceruello lo tirauan fuori dalla testa con ferri per lo naso, conducendogli in questa guisa, senza rompere i corpi in parte alcuna. Però di questo particolare degli idoletti, che vi si trouano, ò dentro, ò con essi infasciati, mi rimetto a chi ne hà veduto meglio di me. Io, disfacendo il corpo della donzella, non trouai altro, che grandissima quantità di fasce, e di bitume, nel che consiste tutto il massiccio dell'inuoltoglio; perche gli ossi con la carne, son talmente secchi, abbruciati, & impiccioliti, che son ridotti a punto come stecchi; da che comprendo, che quel bitume sia molto potente. E così ancora dentro al corpo, ò che fosse intero, e riempiuto co' christieri, ò che fosse sparato, il che non si poteua conoscere, era pieno ogni cosa di bitume, e talmente, che faceua tutto vna massa insieme impastata, che rompendosi a pena si conosceua qual'era il bitume; e quali erano le ossa. Quæ omnia exactè consonant ijs, quæ suprà ex Nardio retulimus. *Vna cosa non è da tacere, che era quella materia tanto dura, che volendo io romperla, bisognò darle con sassi e con ferri di buonissimi colpi, e con fatica la spezzai: dalle quali cose V. S. può comprendere, quanto si affaticauano i poueri Egitij, per conseruare i corpi ancora, insieme con le anime, se possibile fosse stato, alla eternità. Di questa Mumia spezzata, volsi per me la testa tutta intera, & vn buon pezzo di bitume, con vna mano di quelle fasce: il resto, perche mi pareua di hauerne d'auanzo per li denari, che spendeua, lo lasciai tutto a quei poueri contadini, che sogliono in quel modo spezzarla, e venire a vender la materia in Cairo a coloro, che la comprano, con gran guadagno, per mercantia.* Multa alia curiositate plena reperit ibidem, quæ & in hunc vsque diem in Museo dicti Petri à Valle cernuntur; sed vti temporis angustiâ ea incidi non permisit, ita ea consultò omittenda duxi. Sunt autem inter alia, aurea larua capite fœmineo spectabilis, tota hieroglyphicis referta, cum varijs idolis, & capite Apidis, aliaque, quæ apud Authorem tùm leguntur, tùm spectantur; quorum & nos in sequentibus mentionem faciemus.

Herodotus.

Atque hæc sunt, quæ, antequam hieroglyphicorum inscriptionem, quæ corporibus Mumiacis inscripta reperiuntur, interpretationem aggrediamur, præmittenda duximus. Nihil igitur restat, nisi vt iam interpretationes eorum hieroglyphicorum, quæ varijs ex Europa locis ad me transmissa sunt, subijciamus.

CAPVT V.

Hieroglyphicarum Mumiarum, quæ partim ex Magni Ducis Hetruriæ, partim ex Ioannis Nardij Museis, extractæ sunt, interpretatio.

APposuit in aureo illo Commentario in Lucretium in fine nonnullos Mumiarum siue Medicatorum funerum schematismos Ioannes Nardius, Magni Ducis Hetruriæ Medicus, Vir inter primos huius temporis Medicos doctrinâ & eruditione conspicuos minimè secundus; apposuit autem non tam ad eosdem explicandos, quàm vsitatam apud Veteres condendorum corporum rationem demonstrandam. Vnde officij mei esse ratus sum, eorundem hoc loco interpretationem opportunè adducere. Nè verò superuacanei in ijs denuò incidendis sumptus fierent, pro summa sua humanitate laminarum, quibus sua iam impresserat, ectypa transmisit, vt denuò vnà cum interpretatione recusa nouum Reipublicæ literariæ inde emolumentum accederet. Schematismi quos referunt, ex prototypis Mumiarum, quæ partim in Magni Ducis Hetruriæ prædicto Gazophylacio, partim in proprio suo Museo conseruabantur, extracti sunt, vt sequitur.

Nardius. Ioannis Nardij schematismi Mumiarum.

Mumiarum ex Museo Ducis Hetruriæ extractarum schematismi.

Nota hic Lector, duo considerari posse in Mumiarum constitutione, primò thecas seu capsas, quibus corpora varijs hieroglyphicis insignita reponebantur; deinde ipsam Mumiarum multiplici fasciarum inuolucro vestitarũ substantiam: hæc vti omni hieroglyphico apparatu destituta, ita interior tùm capsarum, tùm Mumiarum ornatus solus hieroglyphicis splendescit. Hoc pacto vides in tabula II figuram primam & secundam. Prior exteriorem inuolutæ Mumiæ ornatum refert, quæ ligneæ arcæ includebatur. Figura secunda ostendit capsulam vnà cum inuoluto corpore eidem imposito. Nam vt suprà ex Diodoro probatum fuit, singulis defunctis capsula parabatur pro qualitate & conditione hominum minoris vel maioris pretij; quæ semper aut Numinis, cuius custodiæ tradebatur, aut etiam hominis, qui in ea condebatur, effigiem referebat, vti in prima & secunda figura Tabulæ secundæ præsentis Iconismi patet. Vbi vides fœminæ imaginem velo polymito, & vario striarum ordine veluti Phrygio quodam opere contexto spectabilem; cuius pectus varijs circularibus limbis visendum; infra quos figura fœminea extensis brachijs, cuius manus vtraque pennâ instructa est; sequitur deinde trinus alarum ordo; reliquum corpus turbinato ductu in varias Zonas reticulato opere, & proportionatâ diminutione distributum abit; in cuius medio columnarum discrimen hieroglyphicis symbolis refertum descendit; in tribus primis sex Numinum schemata ponuntur. Sed quidnam tam mystici apparatus sibi velint, exponamus.

Mumiarum thecæ seu capsæ hieroglyphicis ornatæ.

Hieroglyphica Mumiarũ tabulæ II. Nardianæ.

Figura fœminæ Isidem refert, vnà cum apotropæis Numinibus, vti peplum variegatum, sine quo nunquam cernitur, sat superque demonstrat.

ſtrat. Septem limbi circulares, quibus pectus ornatur, ſeptem orbitas ſeu Zonas cœleſtes notant, in quarum receptacula animam migraturam

Fig. I. TAB. II. Fig. II.



putant. Vltimus limbus plenus eſt phallis oculatis, & notat cœleſte firmamentum geneticarum rationum ideis refertum, quas per reliquos Orbes vſque ad terram, quæ per circellum aptè notatur, tranſmittit.

Totum

Totum corpus reticulato amictu, & turbinato ductu versus inferiora coalescit, quo indicatur, naturam occultis & subtilibus rationibus veluti implicari, & perplexam reddi inaccessamque. Figura verò infra limbos constituta Iyngem, cuius Isis ministra est, siue fundum paternum ex tribus triadibus compositum notat; quæ quidem aptè per trium alarum ordinem, id est, diuersos Intelligentiarum choros, vti in Theologia Ægyptiorum docuimus, signatur, quibus vniuersum Mundum administrat. Brachijs extensis cum reliquo corpore Crucem exprimit, quâ in omnia Mundi membra influxus significatur; pennam vtraque manu tenet, ad celeritatem operationum ostendendam; vbere tumet, quia genitalibus principijs fœta est; sedet, quia dominium in omnia habet; circulum in capite gestat, quia diuinorum maximum: Isidis pectori insidet, quia in natura rerum, quæ Isis est, maximè se spectandam præbet. Infra hanc intra tres Zonas sex auerrunca Numina ponuntur, quorum custodiæ ac tutelæ corpus commissum est, vti laquei, quos manibus tenent, quibus aduersarum potestatum vim ligare dicuntur, monstrant. Quorum prius sub forma pueri Horum notat; secundum sub forma Canina Anubin; tertium ingeniculatum, Nephten; quartum Cynocephalum, siue Isin Lunarem sub forma Cercopitheci; quintum sub forma Accipitris, Osirin; sextum pariter ingeniculatum, Aruerin significat. Atque hæc sunt Numina, quæ animarum per Zonas traductionem perficiunt, vt proinde in omnibus ferè Mumijs ea de causa depicta cernantur. Hisce enim symbolis ea defunctis propitia reddi, & ad tuenda corpora quadantenus allici existimabant. Limbus verò hieroglyphicis intermedijs hymnos seu adiurationem continet, quibus ad corporum tutelam dicta Numina compellere se posse credebant; quas hîc libenter symbolatim explicarem, si fideliter essent descripta; verùm cùm hæc in sequentibus distinctiùs exhibituri simus, eò Lectorem remittimus.

Alteram formam operculi secunda figura tabulæ exhibet, & est cista lignea, hieroglyphicis vacua, nisi quòd fœmineum vultum cum velato capite mõstret; intra quam ponebatur fascijs inuolutum cadauer, conditumque, vti in figura II Iconismi I suprà positi patet.

§ I.

Hieroglyphicorum quæ in ligneis funerum thecis primæ & secundæ figuræ tabulæ tertiæ depicta spectantur, interpretatio.

HAbet eruditissimus Nardius in suo Museo sequentes Mumiarum thecas, quas I & II figura exhibent in tabula III.

Prior trinum hieroglyphicorum ordinem exhibet, quorum interpretationem paucis accipe. Prima columna hunc sensum conficit. *Ape-*

ria-

Hieroglyphica figuræ I, tabulæ III. Nardianæ.

riatur defuncto huic benefica Osiridis porta; baryde in locum constitutum vehatur, per tres potentis sectionis Intelligentias; vita detur ab illo, qui insensibili



motu omnia percurrit; adsit Apis Numen cum Intelligentia Solari, quorum vehiculis trahatur ad crateris cœlestis scaturiginem, & vigili prouidentiæ Numinis ductu soporem inueniat contemplationis, & inter Numinum choros feliciter degat.

Se-

Secunda columna hunc sensum habet: *Vita superna viuat, Numini supremo per contemplationem iunctus & vnitus; omni aduersitate profligata in cratere Hempbta intellectuali submersus, catenæ Numinum inseratur beneficorum; in zonis beatitudinis regnet, ab inferiorum appetitu liber, rore supramundano rigatus, alas acquirat robustas & nunquam reciduas, perpetuò vigil.*

Tertia columna hunc sensum exprimit: *Supremæ prouidentiæ per contemplationem adhæreat; vehiculo supremæ prouidentiæ ad zonam suam reuertatur; absit ab hoc geneticus appetitus, absit corruptibilium desiderium; alæ firmentur vi contemplationis Mundi superioris, si post longum tempus, fato sic constituto, corruptibili sphæræ redditus fuerit, hoc suum inueniat habitaculum.*

Atque hæc est interpretatio Idealis horum trium schemarum hieroglyphicorum. Quæ vti partim ex tabula Bembina, partim ex Obeliscis extracta sunt, & huic operculo insculpta, ita quoque in authoritatum allegandarum comprobatione longior esse nolui; cùm hæc symbola passim iam sæpe sæpius explicata sint. Nota tamen, has inscriptiones vti incuriâ transcriptoris nonnullam corruptionem passæ sunt, ita exponi quoque non potuisse, nisi ex Ludouisiana Isidis statua, in qua eædem prorsùs incisæ spectantur, integritatem suam nactæ fuissent. Sed de hoc postea fusiùs.

Altera theca Nardiana figuræ secundæ tabulæ tertiæ exhibet operculum, quod vides peplo venerabile, & reliquo corpore in quatuor Zonas distinctum, cum intermedio columnari limbo hieroglyphicis referto. Intra primam Zonam vtrinque occurrit phallus oculatus, ex quo brachium humanum veluti occultâ machinatione moliturum quidpiam exporrigitur cum penna in manu, & circulo eidem imposito. Quid phallus oculatus indicet, iam innumeris locis sat superque expositum fuit; hoc verò loco quid brachium humanum, quod extra phallum emergit, indicet, videamus. Cõnstat ex præcedentibus, Osirin per oculum & phallum passim indicari; per oculum, quoniam omnia videt, omnia prospicit, omnia omnibus prouidet; per phallum verò, quem Typhon è corpore eius resectũ in Nilum proiecit, indicatur genetica rerum fœcunditas, quæ in humido potissimùm consistit; vnde & fabula de Cœlo à Saturno castrato abiectis in mare genitalibus eius, vnde Venerem natam Mythologi fabulantur. Osirin quoque per brachium extensum, beneficentiæ & liberalitatis notam, multis locis ostendimus; atque adeo phallus hic oculatus cum brachio occultè ex eo emergente nihil aliud innuit, quàm prouidentiam beneficam diuini Osiridis, in fœcunda generatione elucescentem, quâ occultâ & insensibili operatione omnia fœcundat; eratque potentissimum apud Ægyptios amuletum; quod non brutis tantùm animalibus, sed & vtriusque sexus hominibus appendebatur, vti ex tabula Bembina patuit. Hanc eandem ob causam hîc amuleti loco appositum est, ad absterrendas aduersarum potestatum machinationes. Sequuntur hunc phallum in secunda zona quatuor Cynocephali, seu Simij Cercopitheci, quibus Lunares Genij, quibus corpus committitur, indicantur; de quorum mystica significatione vide Obeli-

Hieroglyphica figuræ II. tab. III. Nardianæ.

Brachium humanum extra phallum prominens quid significet.

Phallus oculatus amuletum Ægyptiorum.

scum Pamphilium l. 3. de Hierogrammatismo Cynocephali, & fol. 468, vbi hæc figura passim occurrit erecto corpore, quasi ad succurrendum festina. In tertia zona duo Canes occurrunt, flagellis instructi, quibus Anubici seu Mercuriales Genij auerrunci indicantur, quorum vigilantiæ corpus commissum, indicabatur; de quibus in Obelisco Pamphilio consule Hierogrammatismum de Cane. In quarta zona sequuntur duæ Iynges, quarum capita ἀνδρόμορφα, aues reliquum corpus monstrant; quibus Spiritus Mundi seu pantamorpha Mundi anima indicatur, cuius est, Mundi receptacula cuique congrua assignare, vt proinde non incongruè hîc eam ad corporis tutelam assumpserint, & minuta scriptura luculenter docet. His itaque quadruplici Numinum choro corpus conseruandum tradebatur, vti hieroglyphica inscriptio limbi intermedij docet, quæ partim ex præcedente, partim ex Obeliscis extracta fuit, vti vnum cum altero comparanti patebit. Patet itaque, hieroglyphicorum symbolorum virtute & efficaciâ operculis inscripta Numina tutelaria ad corporum conseruationem attrahi potuisse, Ægyptios existimasse.

Canes cum flagellis quid significent.

Iynges andromorphæ quid significent.

Sequitur modo è Nardianis tabulis IV, cuius I & II figura demonstrant Mumiarum fascijs inuolutarum modum, qui tanto artificio constitutus est, vt ad simile quid præstandum, tota meritò Chirurgorum modernorum industria deficere videatur. Figura I monstrat fasciatam Mumiam detracto exteriorum ornamentorum apparatu; II verò figura sub priori latitans, artificiosas præfert byssinarum fasciarum circumuolutiones, vti in sequenti typo apparet. Figura III cooperculum capitis exhibet, cuius in I & II figura punctatæ lineæ locum monstrant; Constatque tribus tabellis ligneis, in quarum media, pantamorphum Numen scuticâ & vncino formidabile apparet, cuius in Canoporum Iconismo figura IV expositionem vide: in reliquis lateralibus tabellis binæ vtrinq; statuæ spectantur, quarum prior in dextro latere Accipitris faciem mentitur, globo candido corusca, sacro chlamyde vestita, & manibus laqueum tenens; altera Cynocephali capite deturpata spectatur, in reliquis priori similis: in sinistro latere prima est humanâ facie, quam altera sequitur socia Caninâ facie spectabilis, seminudæ, & sacris chlamydibus indutæ singulæ laqueos manu gestant. Quibus quidem nihil aliud nisi suprà expositorum Numinum Osiridis, Nephtę, Isis, & Anubis simulachra indicantur, & excubitores funeris, à quo nullibi desunt, spiritusque vagabundi in sibi congruam zonam transportatores putabantur. IV Figura fragmentum Alabastrinum est, & cooperculi loco seruiebat, forsan ex ipsis cryptarum parietibus auulsum: & exhibet ritus & cœremonias, quibus tutelaria funeris Numina paulò antè recensita placare contendebant. A dextra tres I imagines Sacrificulos exhibent, quarum prior manibus erectis Numina sollicitare videtur; altera, similis priori pyramidem manu sinistrâ gerit, & laqueum; tertia dextrâ vas Niloticum. Quibus innuunt animarum lustrationem per ignem, & per aquam supramundanam ab omni pollutione quam in carne contraxerant, emundationem. Numina sunt, Pantamorphum Numen, & Isis, vti ex symbolis patet, ea-

que

que iam sæpius exposuimus. In medio mensa posita est, in adytis semper medium locum, vti suprà fol. 83. docuimus, obtinens, & sine quo nul-

lum penè sacrificium peragebatur. Hieroglyphicæ verò inscriptiones quaternis spacijs exhibitæ, sacrificiorum, quæ Numinibus peracta sunt, vim & efficaciam notant, vbi & charactere minuti sparsim hinc inde, vti

in adytis mos erat, delineati; quicum alibi expositi sint, & plerique quoque malè efformati, eorum interpretationem consultò omittendam duxi; sufficiat interim, nihil eos aliud, quàm quod dixi, significasse. V Figura dicitur fuisse operculũ alabastrinum, quo puteus cryptæ tegebatur; verisimile tamen est, illud non eo fine & data opera factum fuisse, sed ex adytis excisum, huic artificio accommodatũ fuisse. Exprimit autem leges mactandi Boues in sacrorum vsum, quas quia Herodotus l. II. tradit, hic libens omitto. Figuræ verò hieroglyphicæ temerè hinc inde interfertæ symbola sunt propitiationis Numinum; quæ cùm innumeris locis exposuerimus, operam perdam, si ea denuò repetam.

§ II.

De inuolucris Mumiarum, varijsque hieroglyphicis Iconismis, qui vnà Mumiæ inuoluti reperiuntur.

Idola Mumijs assuebantur. IDola non tantùm extrinsecus sepulchris Ægyptiorum apponi ad tutelam solita fuisse, quemadmodum in præcedentibus dictum fuit; sed & intrinsecùs vnà cum fascijs consuta, ex ijs patet, quæ nuper Excellentissimus Nardius, & olim Nicolaus Peirescius ὁ μακαρίτης, medicatorum corporum dissutione compererunt. Huius generis sunt à dicto Nardio mihi communicata idola figulina variæ magnitudinis, reperta olim in Mumiarum ventre consuta. Iconismum sequenti pagina exhibemus.

Idola Nardiana. Primum Idolum fœmineo vultu, & velato vertice, decussatisque manibus, sinistrâ quidem vncinum iam sæpe memoratum, altera hieralpham gestat, cum inscriptione hieroglyphica quam vides; reliqua verò, vti primæ iam memoratæ quoad omnia simillima sunt, ita & inscriptiones eædem comperiuntur. Reliqua schemata solas inscriptiones exhibent diuersorum idolorum, quarum quæ numeris 1, 2, 3, 4, 5, 11, signantur inscriptiones, eædem prorsùs sunt cum inscriptione, quam prima figura præfert; quare hanc exposuisse sufficiat.

Idolum auerruncum tabulæ VII., Nardianæ. Idolum auerruncum exhibet Agathodæmonem, funerisque custodem, vti vncinus & hieralpha, quæ decussatis manibus gestat, sat superque innuit. Hieroglyphica symbola vti imperitam manum sortita sunt, ita ex alio idolo, in quo eadem exactiùs & politiùs expressa sunt, vti sequitur, emendamus, eorumque sensus is est qui sequitur. *Influat Genius tutelaris canalium piscinæ sacræ, iuxta anni dispositionem ordinatorum, in hoc depositum; prouidentia Genij Solaris, id benefico suo influxu ab omni aduersa vi & potestate conseruet; quod fiet, si debitus cultus Anubidi prouido, & cæteris Genijs piscinæ vitalis custodibus, exhibeatur.*

Inscriptiones tabulæ VII. Nardianæ. Quæ verò in Iconismo numeris 6, 7, 13, 15, 16, signantur, eandem pariter inscriptionem continent; quare vna exposita, reliquarum significationem facilè subministrabit. Ita autem corrupta inscriptio à nobis ex alijs emendata est, sensumque sequentem exprimit. *Cultu baculorum*

Hori

Hori annorum dominatoris, ad catenam cœlestem euolabit huius depositi spiritus, vita benefici & prouidi Numinis beatus. Inscriptio perpendicularis hunc

sensum efficit. *Prouidentia Agathodæmonis cœlestis, & beneficentia superni Nili phialâ potabitur, rerum necessariarum vbertate replebitur in zonis supramundanis*. Denique inscriptiones quæ numeris 8, 9, 10, 12, 17, 18, 19, signantur,

tur, quæ eædem sunt, hunc sensum exprimunt. *Cukus prouisoris rerum necessariarum, occulti motus beneficentia vitam per Horum annorum dominatorem influat in hoc depositum.*

Atque hæ sunt interpretationes inscriptionum hieroglyphicarum, quibus idola hic exposita insignita sunt. Est in meo Museo aliud ex cedrino ligno Idolum, vnius pedis longitudinem habens, in quo eædem prorsus inscriptiones habentur; quod ex Ægypto mihi attulit P. Marcus de Luca Ord. S. Francisci de obseruantia, Sacræ Congregationis de propaganda fide Missionarius, quod aiebat intra Mumiam repertum esse; cuius figuram cùm perfectè exprimat huius Iconismi typus, eam non apponendam duxi.

Idolum Cedrinum Musei Kircheriani.

Nemo dum hosce minutiores characteres considerat, eos vulgares Ægyptiorum literas, quemadmodum multi sibi persuaserunt, esse putet; sunt enim pura puta hieroglyphica, ex Obeliscis, alijsque monumentis, in quibus sæpe sæpius occurrunt, deprompta, & primæuorum Sacerdotum opera idolulis hisce inscripta. Atque hoc ita esse, non aliâ authoritate ad probandum indiget, nisi sedula horum symbolorum cum ijs, quæ in præcedentibus tradidimus, comparatione. Accedit quòd in omnibus hìc exhibitis schematismis eædem inscriptiones symbolorum sint; quod non fieret, si vulgarem Ægyptiorum scripturam notarent. Videbis etiam symbola variè permutata esse, vt quæ in primo à dexris collocantur, illa inuerso ordine in alijs ponantur à sinistris; quod hieroglyphicorum proprium est, quemadmodum in præcedentibus copiosè demonstrauimus. Quæ ideo hìc apponere placuit, vt errorem quorundam, qui huiusmodi minutiorem hieroglyphicum characterem vulgò vsitatam scripturam esse existimant, corrigerem. Ægyptij enim præter sacram hanc hieroglyphicam scripturam, aliam scripturam, videlicet Pharaonicam, Clemente teste, habebant, quâ politica negotia, epistolas familiares, historias, Regumque gesta, & inscriptiones quæ laudem & encomia Regum exhibebant, exarabant; quarum nonnullas in hoc Opere ex Diodoro & Herodoto exhibuimus: Libris verò huiusmodi, vtpote papyraceis & corruptibilibus voluminibus exaratis nè frueremur, nobis immemorabilium temporum edacitas inuidit.

Minutiores characteres hieroglyphici non sunt literæ vulgares.

Clemens. Alexand.

Diodorus. Herodotus.

§ III.

De fascijs Hieroglyphicis.

INueniuntur subinde intra Mumias fasciæ quædam innumeris hieroglyphicis signatæ, in voluminum morem contortæ, cuiusmodi binas mihi inclytus Nardius transmisit. Quæ quid indicent, iam tempus est, vt exponam. Iam sæpe sæpius demonstratum est, Ægyptios non solùm hieroglyphica, arcanorum insignium symbola esse, sed & ipsa magnam vim possidere ad Numinum tutelam ijs, quibus insigebantur, acceleran-

Fasciæ hieroglyphicæ Mumiarum.

dam,

dam, credidisse; vt proinde mirum non sit, tanto studio in Dijs pro funeris depositi tutela propitiandis versatos esse, & ex hisce papyraceis voluminibus luculenter patet, quæ omnia ferè præcipuis hieroglyphicorum schematismis exornata vides. Comperies in hisce præcipuas Numinum statuas, quas aut Obelisci, aut Isiaca Mensa refert, expressas, eo prorsus ordine, quo eadem simulachra in solennioribus festis Comasiarum portare solebant in morem processionis, vti ex Herodoto, Clemente Alexandrino, alijsque passim docuimus; magnum in concinno Deorum se consequentium ordine mysterium reponentes, Deorumque infallibilem ex hoc religionis actu attractum sibi pollicentes. Eandem ob caussam, inquam, funeribus huiusmodi apponebant schemata, vt videlicet corpus ab omni aduersarum potestatum violentia foueretur immune, animæ verò Deorum benignitate in peracta reuolutione bene esset. Fasciæ itaque hìc nihil aliud exhibent, quàm pompam funeris; quam quantum fieri poterat, magnificentissimè peragebant, præsertim in Regio, aut Sacerdotali, aliorumque vitæ nobilitate conspicuorum hominum exequijs. Statuas penè Deorum omnium feretris sacris impositas, ad propitiationem eorum defuncto conciliandam, gestabant, & ipsi in varias formas transmutati. Quam pompam concinnè sanè more suo describit Apuleius lib. 11. Metamorphos. quem paulò post allegabimus.

Fasciarum Mumicarum schematismi.

Fascijs Mumiarum impressa pompa funebris.

Sed iam singula exponamus. Fasciæ cùm longiores essent, quàm vt libro huic commodè inseri possent figuræ, ideo seriem interruptam iuxta numerorum appositorum ordinem exhibemus; quas ita sibi imaginabitur Lector, ac si secunda series primæ, tertia secundæ, & sic de cœteris, esset agglutinata. Sed his præmonitis ad figurarum expositionem procedamus.

Fasciarum Mumicarum expositio.

In prima serie primo loco occurrit Accipiter, stolâ & pallio tectus pectori incumbens, eratque Solaris Numinis symbolum, vt alibi dictum est. Sequitur Isis Momphtæa, tenijs & vittâ conspicua, manus & bra-

Fasciarum prima series.

chium

chium in formam M contorquens; quâ Lunaris Genius indicatur, vti alibi expoſuimus. Sequuntur deinde parui characteres, qui cùm corrupti fuerint, legi non potuerunt.

Faſciarum ſecunda ſeries. In ſecunda ſerie primo loco duæ figuræ ſtantes; (quarum prima fœminam Nephten, altera marem ſub Anubis forma refert) inſtrumentis auerruncis, telis & flagellis, inſtructæ. Sequuntur duæ ſtatuæ ſacræ Anubidis & Nephtes, ſitu ingeniculatæ, flagellis vncisque pariter inſtructæ; binæ autem præcedentes rectà incedentes, videntur eſſe Sacerdotes in formam Nephtes & Anubidis, quorum ſacra adminiſtrabant, quorumque ſtatuas ad Numina placanda ſequebantur. Sequitur haſce ſtatua alia auerſo vultu, quam præcedit Aſpis illa ab Apuleio, vt paulò poſt videbimus, deſcripta, ſurrecto pectore, & ſquamato vertice, ſtriatoque tumore ſublimis, quam fusè tùm in Obeliſco Pamphilio fol. 347. tùm in Menſa Iſiaca ex profeſſo deſcripſimus.

Faſciarum tertia ſeries. In tertia ſerie ſequitur ſtatua humanâ facie, & reliquo corpore in Aſpidis formam coagmentato, ſpiritus Mundani ſymbolum; quam ſequitur tripus idealis triformis Numinis, ex triangulis conſtitutus, cuius innumeris huius Operis locis mentionem fecimus. Sequuntur duo Canes ſedentes ſacrorum cuſtodes, intra quos faſciculus ex inſtrumentis auerruncis, ad Anubicos tutelares, omnem aduerſam vim profligantes, indicandos, conſtitutus ponitur.

Faſciarum quarta ſeries. In quarta ſerie, primo loco ſequitur idem qui antè faſciculus inſtrumentorum auerruncorum, & anſata Crux ſpectabilis cum globo, ex quo Serpens velatus emergit; cuius expoſitionem iam paſſim traditam, conſultò omittimus. Hunc intra ſacra fulcra ſequitur feretrum, ſupra quod duo Accipitres ſacro velamine tecti, poſiti ſpectantur, quorum expoſitionem vide in Menſa Iſiaca.

Faſciarum quinta ſeries. In quinta ſerie continentur ſacra fulcra, ideo ſic dicta, quòd in pompis ea de cauſa gererentur, vt Numinum onere ijs impoſito, Sacer-

dotes

dotes aliquantiſper quieſcerent. Sequitur Lectus Momphtæus, & ſub eo excubitor Anubis; cuius expoſitionem in Obeliſco Pamphilio fol. 284. & in Menſa Iſiaca longo diſcurſu tradidimus. Sequitur ſacra vitta Hori, cum ſceptro Momphtæ, alijſque figuris vetuſtate temporum corruptis.

In ſexta ſerie vaſa ponuntur Nilotica, cum Naui quam Baryn vocant; quorum omnium expoſitionem vide in Menſa Iſiaca. Sequuntur iam figuræ perſonatæ, varia Numina variâ geſticulatione mentientes, quos tandem apparatus feretri ſequitur, id eſt, cadauer ſeu Mumia, ea faſciarum & ornamentorum ſupellectile, quam deſcripſimus, feretro impoſita, & triformis Numinis irradiatione perfuſa. Funus excipit duo- Faſciarum ſexta ſeries. Faſciarum reliquæ ſeries.



rum brachiorum ſurſum tendentium ſymbolum, cum intermedio phallo oculato, quem in pompis circumportatum fuiſſe, varijs in locis tradidimus. Sequuntur quatuor ſtatuæ ὀφιο-ἱερακομόρφαι, id eſt, ex Aſpide & Accipitris facie conſtitutæ, de quarum ſignificatione vide Obeliſcum Pamphilium loco paulò antè citato. Agmen tandem claudit Omnipotentis Deæ, vt cum Apuleio loquar, fœcundum Numen, id eſt, in octaua & nona ſerie ſeptem Boues ſacro pallio veſtiti; quibus ſeptem dierum feſtiuitas, quibus Apidis natales celebrabantur, innuitur, quâ durante nemo à Crocodilis infeſtabatur, id eſt, omnis infauſta & infeſta vis aduerſorum Numinum quieſcebat. In decima ſerie continuatur triumphus, variâ ſtatuarum exhibitione ſolennis.

Vides itaque hîc abſolutiſſimam quandam pompæ funebris formam & rationem, in qua funus ipſum medium, varia Numinum ſpectra præcedunt & ſequuntur, quam tanquam rem myſticam & plenam myſte-

rijs, fascijs hisce inscriptam exhibuerunt, sibi omninò persuadentes, futurum vt funus hoc ab omni aduersa vi tutum, horum Numinum præsidio persisteret; atque adeo non significat duntaxat res quas exhibebat, sed & Numinum, pro symbolorum exhibitorum efficacia, & mystica ratione, ad depositi tutelam attractionem desideratam.

1 2 3 4 5 6 7



Fascia alia Mumica, eiusque expositio

Erat porrò hisce alia apposita fascia, quarum prima series Accipitrem & Ibin exhibet, quos sequitur baculus oculo spectabilis, deinde ara stipata thyrsis Cucuphomorphis; quæ omnia in Mensa Isiaca exposita sunt. In secunda serie occurrunt duæ figuræ humanæ, pessimè tamen expressæ, vtrinque baculis Cucuphomorphis instructæ; quas sequuntur minuti characteres corrupti. Et in tertia serie tandem funus ipsum triformis

formis Numinis irradiatione perfusum, vti in priori fascia; quod sequitur hydroschema cum baculo oculiformi. In quarta serie mensæ ponuntur sacræ cistæ, seu aræ, in quarum priori Accipitrina statua in Mumiæ morem inuoluta spectatur; & hoc ipso alludunt ad transmutationem animæ defuncti in Genium Solarem. In altera vas ponitur, quo supramundani Nili liquor connotabatur, quo animas potari credebant, & à fato solui depositi spiritum, vti alibi dictum fuit, & phiala sequens apertè docet. In quinta serie vrnæ Niloticæ species occurrit, & hanc Androsphynges cum intermedia Aspide, & globo Serpente fœto; quorum expositionem sæpius iam dedimus. In sexta & septima serie ponuntur varia sceptra cum statuis partim recto, partim geniculato situ conspicuis, nec non instrumentis auerruncatiuis instructis; quas cùm iam varijs locis interpretati simus, ijs diutiùs immorari noluimus.

Verùm, vt quæ diximus, ita se habere pateat, Apulæi hoc loco verba adducemus, quibus totam hanc pompam ita appositè describit, vt ei interfuisse videri possit. *Ecce pompæ magnæ paulatim procedunt anteludia vocibus cuiusque studijs exornata pulcherrimè; hic incinctus baltheo militem gerebat, illum succinctum chlamyde, copides & venabula venatorem fecerant; alius soccis obauratis indutus sericâ veste, mundoque pretioso, & adtextis capite crinibus, incessu perfluo fœminam mentiebatur; porrò alium ocreis, scuto, ferroq́ insignem, è ludo putares gladiatorio procedere. Nec ille deerat, qui Magistratum purpurâ fascibusq́ luderet, nec qui pallio baculoq́, & baccis, & hircino barbitio Philosophum fingeret; nec qui diuersis harundinibus alter Aucupem cum visco, alter piscatorem cum hamo induceret; vidi & Vrsam mansuetam, quæ cultu matronali sellâ vehebatur, & Simiam pileo textili crocotijsq́ Phrygijs catamiti pastoris specie aureum gestantem poculum, & Asinum pinnis agglutinatis adambulantem cuidam seni debili, vt illum quidem Bellerophontem, hunc autem diceres Pegasum, tamen rideres vtrumque. Ibant & dicati magno Serapidi tibicines, qui per oblongum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi, Deique modulum frequentabant: sed & Antistites sacrorum Proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale ad vsque vestigia strictim iniecti potentissimorum Deûm proferebant insignes exuuias.* Cœtera vide in Obelisco Pamphilio fol. 433. Hucusque Apuleius, qui graphicè sanè propositum à nobis in fascijs hisce triumphum descripsit, cuius & vestigia inueniuntur in Horto Mediceo Montis Pinciani, in columna quadam rotunda è regione Obelisci, hoc schematum apparatu, quem paulò post apposita figura exprimit. Apuleius. Funebris pompæ descriptio lepida ab Apuleio.

Certè veteres Romanos huiusmodi funebres apparatus studiosè imitatos, Gutherius scitè demonstrat lib. de iure Manium. Nam primò quidem tibicines magnificentiam funeris sequentes per compita & fora interuallis paribus personabant; post tubicines progrediebantur qui munera ferebant proximorum & amicorum, odores, vnguenta, epulas, vestes; quæ Tibullus recitat l. 2. eleg. 4. & Statius l. 5. Syl. 1. Funebris pompa Romanorum. Gutherius. Tibullus. Statius.

dona malè feralia pompæ

Proceditque illis stipatum examine longo
Vas Arabum Cilicumque fluit, floresque Sabæi,
Indorumque arsura seges.

Pompa Isiaca iuxta Apuleij descriptionem, ex hortis Mediceis.



Odores lancibus portabantur, vnguentum vasculis, silicernij epulæ ferculis, vestes fulcris. Post hæc imagines Deorum curribus vehebantur, aut ferculis etiam portabantur. In fronte proposita thoro effigies, quæ mortui vultum exprimeret. ita Polybius l. 6. & Tacitus l. 3. Annalium. Interiectis tubis & cornibus Scribæ, & viatores Magistratibus aderant; quos Senatus Equitesque positis dignitatis insignibus comitabantur. Exin funebres lectuli lentè procedebant; lectuli coronas vectitabant, aliaque Magistratus insignia, & innumera huiusmodi, quæ pompæ amplitudinem commendabant. Quæ omnia fusissimè descripta reperies apud Stuckium lib. de funeribus Antiquorum. Quæcunq; porrò apud veteres Romanos de compositura cadaueris, eiusdemque productione, de cantilenis & lamentationibus, de precibus quæ in mortuorum memoriam fundebantur, & imprecationibus, quêis eorum Manes sedarent, de propitiatione & expiatione Manium, & aris titulisq; sepulchrorum leguntur apud Authores; illa omnia ex Ægypto originem suam accepisse nulli dubium esse debet, qui dicta hucusque rectè inter se contulerit, & variè Authores paulò antè citati probant; quæ quidem cùm vulgaria, & nulli non erudito nota sint, consultò omitto.

Polybius. Tacitus.

Stuckius.

Fasciæ Peiresciana expositio.

TRansmisit olim mihi hanc præcedentem fasciam hieroglyphicam Vir æternâ memoriâ dignus Nicolaus Peirescius, quam intra Mumiam à se dissutam repererat; quæ cùm longior esset, quàm vt libro inseri potuerit, eam in binas columnas diuidendam existimaui, vt in præcedenti folio vides, quam & hoc loco opportunè exponemus.

Fasciæ Peiresciana expositio.

Hæc fascia nihil aliud ostendit symbolis suis, quàm imprecationem quandam, quâ animæ depositi, ignis vitalis cœlestibus lymphis insiti resocillationem desiderabant, vti symbola ordine posita indicant, eorumque sensus idealis ille est, qui sequitur. A Vitali igni cœlestibus lymphis insito, benefici Numinis ignei prouidentia resocilletur huius depositi spiritus; B & cultu religioso C per ipsius prouidi Numinis statuam, & per statuam D Mophtæ religioso E cultu adornatam ab eo auertantur F omnia infausta typhonia; siquidem in vita operationes G Deo conformes habuit, quibus se Dijs per contemplationem vnire semper curauit; beneficum Numen Mercuriale H I annorum dominator eam K cœlestis Nili lympha perfundat; L Amon triplicis Mundi phialis M inebriet; N cœlestis Osiris igneo calore O foueat, per virtutem beneficæ statuæ P eiusdem efficacem. Symbola cùm iam ex præcedentibus nota sint, neque explicatione, neque authoritatibus, quibus stabiliantur, vtpote iam aliàs fusè confirmata, indigent.

CAPVT VI.

De Mumijs hieroglyphicis, partim ex Museis Magni Ducis Hetruriæ, partim Batauorum extractis, & in præsentem Iconismorum congeriem coniectis, vnà cum interpretatione.

Mumiæ variæ ex variis Museis excerptæ.

IN hoc præsenti Iconismo variæ Mumiæ continentur, quæ partim ex Museis Magni Ducis Hetruriæ ab Excellentissimo Nardio, partim ab officiosissimo Bertholdo Nihusio ex Batauicis Cimeliarchijs extractæ, & Oedipo propositæ sunt. Et primò quidem loco occurrunt hieroglyphica schemata literis G, H, I, K, signata, quæ situ quidem diuersa, vnum tamen Mumiacum idolum efficiunt. Et primò quidem G anteriorem, H dextram, I sinistram, K posteriorem partem exhibet; quod hodie spectatur in domo Hieronymi van Werle Mercatoris Amsterodamensis, idque summo studio depromptum ad me transmisit suprà citatus Nihusius. Refert autem capsulam, intra quam cadauer Mumiacum fuit conditum; longitudo eius est octo palmorum Romanorum & octo digitorum. G Anterior capsulæ pars velatam fœminam siue Deastram exprimit, circulis, strijsque, vti L demonstrat, variè exornatam; quorum expositionem vide in præcedentium Mumiarum exhibitione. In pectore signatur triplici illa mystica ala literâ M notata, quam suprà in pri-

Hieronymi van VVerle Mumia.

Hieroglyphica capsulæ G Mumiæ VVerlianæ.

Inseratur inter fol. 428. et 429. Tom. III.

prima figura Mumiæ Mediceæ exposuimus. Sequuntur hieroglyphicæ inscriptiones, & in extremo quidem limbo custodes funeris Numina polymorpha, in prototypo auro depicta, cum baculis Cucuphomorphis; quæ cùm in præcedentibus iam explicauerimus, & in sequentibus amplius simus declaraturi, ijs immorari nolumus. Et quoniam hieroglyphicorum inscriptiones magna ex parte vitiatæ sunt, eæ tamen in alijs simulachris integriores, & politiori sculpturâ exhibitæ reperiuntur; hinc Lectorem remitto ad Iconismum Canoporum, & Syntagma de statuis Apotropæis Ægyptiorum, vbi hæc eadem ex professo exponentur. Quæ in columnis *a b c* habentur inscriptiones, adeo detritæ sunt & vitiatæ, vt quid referant, vix coniecturâ assequi potuerim; quare ijs relictis ad columnam *d* & *e* progrediamur; quarum vna *d*, cùm eadem omninò symbola exhibeat, quæ figura IV, in sequenti Iconismo Canoporum, in columna G & H, ad ibidem peractam expositionem Lectorem remittimus. Inscriptionem verò columna *e* contentam, in sequentibus quoque melius expressam & expositam vide. Porrò in H dextro latere capsulæ duæ columnæ ponuntur, P O. In priori columna P hæc symbola sunt, incipiendo ab X (reliqua enim duo quid referant, dispicere non potui, ob malam eorundem formationem) statua cum ara, Noctua, fauissa, baculus papyraceus cum phiala ansata, hydroschema, statua, hemicyclum, duæ columnæ quadripartitæ, laqueus, vrna, Anser, Noctua, Barys, baculus papyraceus, cum ramo triplici inuerso, segmentum, piscina, duo brachia extensa, tetrapyrgum, hydroschema, oculus, tres termini, cum statua. Quorum sensus hic est. *Statuæ sacræ cultu Typhonia vis expellatur à fauissa, & aqua Nilotica, rerum necessariarum largitrice, virtute octo legalium constitutionum quas in vita seruauit; Chenosiris custos profliget Noctuam Typhoniam Bary insidiantem; dominator temporum introducat eam in piscinam supramundanam, vbi tetrapyrgicâ regione, & aquis Niloticis triformis Numinis prouidentia præparatis fruatur.* Secundæ columnæ O inscriptio composita est partim ex præcedenti, partim ex lateris sinistri I inscriptione, quæ notatur literâ T, vt proinde vnam explicasse sufficiat.

Hieroglyphica capsulæ H Mumiæ VVerlianæ.

Tertia figura I latus sinistrum exhibet, cuius columna T V, quemadmodum paulò antè diximus, eandem prorsùs inscriptionem habet, quam habet columna P lateris dextri, vti vnum cum altero comparanti patebit; & quæ sequitur columna S, composita est ex columna *d* primæ figuræ G anterioris partis, & ex columna O dextri lateris figuræ H, vt proinde semper ferè eadem symbola repetantur.

Quarta figura K posticam Idoli partem exhibet, cuius columna Z A, eandem prorsùs inscriptionem exhibet, quam figuræ I. columna T V; Præterea columnæ S, T, V, W, prorsùs eandem quoque inscriptionem continent cum dictis; verùm cùm illæ corruptissimæ sint, tempus perdam, si diutiùs ijs recensendis inhæsero; curiosum Lectorem singula cum singulis conferendo, vera esse quæ dixi, comperturum nihil dubito; vt proinde eandem epigraphen toties non alia de causa repetiuerint, quàm ornatus gratiâ, & supplendis limbis Idoli vacuis. Eandem

Eædem figuræ sæpius repetuntur in eadem Mumia.

ob causam crepidinē statuæ circumcirca ijsdem semper figuris expresserunt, quæ sunt bina sceptra Cucuphomorpha, quæ Crucem ansatam intercipiunt; quo mysticè indicant, influxum superni Numinis, quo Vniuerso dominatur, varietatis rerum causam esse, tam in Mundo Intelligibili quàm Sidereo, & Elementari. Sed hæc alibi exposuimus. Et vt tandem concludam, sciat Lector, hisce inscriptionibus minimè vitam & res gestas defuncti, vt nonnulli sibi falsò persuaserunt, indigitari, sed Deorum obsecrationes & adiurationes per symbola effectiua expressas, quibus Numina motum iri credebant, ad tutelam funeris suscipiendam, vt ex inscriptionibus ijsdem semper & identidem repetitis patet; quod non fieret, si res gestas, aut laudes defuncti continerent. Lector mentem meam ex his paucis satis percipiet; quare ad alia progrediamur.

Symbola Mumijs impressa non significant res gestas defuncti.

Figuræ, quæ signatur litera Y, expositio.

Expositio figuræ a tabulæ VVerlianæ.

FIgura secunda capsulam simul & statuam refert, ac fœminam vultu & velato capite exhibet, quæ decussatis manibus, hâc flagellum, illâ hieralpham gestat, quæ auerrunci Agathodæmonis symbola sunt, vti alibi explicauimus. Hieroglyphica inscriptio quam in antica parte præsefert, hæc est. Duo vncini, Horus puer cum oculo, Serpente, & globo; quo ostenditur Horum prouidentia Numinis è Nilo extractum ad vitam reuocatum. Sequuntur postea globus dorso volucris baculum incuruum pedibus gestantis superimpositus, quem sequitur ouum cum puero Horo; & culter cum manu contracta; deinde baculus papyraceus, cum triplici ramo inuerso; claudit tandem agmen volucris cum hydroschemate, quorum sensus est ille: *Intellectualis potentia ex Ideali Mundi ouo educit Horum, id est, Vniuersum, quod efficaciter dominium suum in tripartiti anni periochen exerit, virtute & dominio Osiris humidæ substantiæ dominatoris.* Volunt autem hoc indicare, quòd sicuti Mundus ex ouo diuinæ prouidentiæ archetypo emersit, atque adeo tempus hinc emanans, omnium mutationum causa est, Solis potissimùm virtute, ita omnia educta ex corporis ergastulo, temporum reuolutionibus pro meritis suis immutanda reseruantur.

Figuræ D ex Museo Hieronymi van VVerle extractæ interpretatio.

Expositio figuræ D Mumiæ VVerlianæ.

EXposuimus in præcedentibus quadripartitam capsulam Mumiaco corpori reseruatam, iam corpus quoque, quod eidem imponebatur, inspiciamus. Et capsulam quidem refert ambitus signatus literis A C D F H K L I G E B: & nigra quidem spacia C D F H K exprimunt foramina capsulæ, quibus per paxillos L I G E capsulæ superior pars inferiori committebatur; intra quam & Mumia suis inuoluta fascijs complicata reponebatur, eo quo vides modo. Forma cadaueris fœminam

nato capillis pansamentitur; in pectore Iynx picta cernitur, eius prorsus formæ, quam suprà in primæ Mumiæ fol. 413. expositæ corpore expansam cernis; quam & infra pedes luculentiùs expressam denuò apposuimus. Sequitur deinde reliquum pectoris, sex tutelarium Numinum simulachris insignitum; quæ quidem eadem sunt cum ijs, quæ suprà fol. 413. exposuimus; & nunquam ab huiusmodi Mumiarum adornamentis absunt. Iyngis expositionem mysticam vide suprà loco citato.

Figuræ A, ex Magni Ducis Hetruriæ Museo extractæ, expositio.

PIctum cernitur huius Mumiæ inuolucrum mirâ ornamentorum varietate concinnatum, vti patet; quorum mysticam significationem vide fol. 412. Inscriptio hieroglyphica N M, etsi ferè eadem sit cum ea, quæ habetur in columna B sinistræ partis Mumiæ I suprà expositæ, eam tamen hoc loco repetendam duxi. Symbola sunt, Serpens, ara binis circumdata sceptris, oculus, quatuor phialæ connexæ, ex quibus liquor effluit, segmentum, cum Accipitre, baculo papyraceo insidente, quem sequitur sceptrum cum capite Hireino, cratere cycloide, tria item brachia quæ Capreoli cingunt, bina segmenta, corona, pyramis; eorumque sensus hic est. *Vitale prouidi Numinis dominium, quadruplicem Mundani liquoris substantiam dominio confert Osiridis, cuius vnà cum Mendesio fœcundi Numinis dominio, beneficâ virtute influente, omnia quæ in Mundo sunt, vegetantur, animantur, conseruantur.* Innuunt autem hoc ænigmatico dicendi genere, animam huius depositi, si rectè vixerit, per quadruplicis Mundani liquoris refrigerium, Numinis prouidentia transferendam, vitamque mentalibus operationibus fœcundam Mendesij Numinis assistentiâ, inter cœlestes potestates traducturam. Mumiæ Medicex expositio. Idolum A

Sequitur Mumiacum Idolum B, priori haud absimili ornamentorum varietate concinnatum, ex Magni Ducis Hetruriæ Museo pariter extractum, cuius tamen hieroglyphicam inscriptionem pectori insertam, cum detrita & corrupta sit, consultò omittendam putauimus. Habet verò aliam dorso insertam, quam columna seorsim posita, atque literâ C signata, exhibet. Verùm cùm figuræ partim pessimè expressæ, partim etiam detritæ sint, eam hoc loco omittimus, præsertim cùm eandem hanc in Syntagmate de Idolis auerruncis politiùs expressam vnà cum eiusdem expositione exhibeamus. Idolum B

De statua lignea ex Museo Ernesti BrincKij, & alia simillima ex M. Ducis Hetruriæ Museo extracta.

HAbet hæc statua lignea, teste Nihusio, duarum spithamarum longitudinem, quam ex Ægypto quondam à Paludano Medico Enkusano allatam, modò Hæredes Ernesti Brinckij Harderuici in Geldria possident. Est autem facie obaurata, velato vertice, corymbis, strijs au- Statua lignea ex Museo Ernesti Brinckij

reis, cœterisque ornamentis diuersicoloribus, quibus insignitur, spectabilis, cum inscriptione hieroglyphica duplici, antica, & postica; literis E & F signata. Antica E hunc sensum efficit. *Vitale prouidi Numinis dominium, per cultum Mendetis iuxta tripartitum anni tempus piscinas hylæas fœcundo influxu animat, fauissam cœlesti influxuum beneficio vbertate beat, & ne ab vbertate deficiant, Mercuriale Numen, per sceptrum Caninum indicatum, influxu suo salutifero fauissæ supramundanæ domum contra aduersam vim munit ac protegit.* Alludunt autem hisce, ad animam depositi funeris, cui fauissas ad eam, si benè vixerit, resocillandam, præparatas credunt; à Mercurio verò vigili istarum custode illuc traductam contra omnes aduersas sortes muniri.

Antica pars E

Postica pars F

Postica inscriptio hunc sensum efficit: *Vnde cœlestis liquoris vehiculo seu Bary porta aperitur benefica, per quam prouidum Numen, animas post transactam religiosi cultus in vita operationem, transuectas Osiri supremo sistit, hic in fauissis cœlestibus purgatas, vitâ imbuit supramundanâ.* Huic statuæ ligneæ prorsus similem, ex Magni Ducis Hetruriæ Museo, nobis subministrauit Nardius, in quibus nulla prorsus differentia est, nisi quòd illa, vt diximus, statuam ligneam, hæc medicatum funus referat; cœterùm siue ornamenta, siue inscriptiones hieroglyphicas spectes, pares sunt.

De Mumijs ex Museo Petri à Valle extractis.

Petrus à Valle amicus, dum viuebat, cumprimis singularis, & cui multùm, ob summa in hoc Opus merita, obstrictum me esse fateor, dum vniuersum ferè Orientem peragrasset, Ægyptumque summo studio ad antiquitates omnes maximè cognoscendas perlustrasset, inter alia Ægyptiacæ magnificentiæ monumenta cryptas subterraneas audacissimo mentis æstu penetrauit; ex quibus nobis duas deprompsit Mumias, seu condita corpora; prior A septem cum dimidio palm. longitudinem habet, & Virum refert; altera fœminam septem palmorum longitudinis cum duobus digitis. Prior varijs per totum contexta veluti gemmis & pretiosis lapidibus fictis, pectore protensis alis Ibin gestat, pateram dextrâ tenens, sinistrâ fructum, infra quam veluti in diaphragmate quodam vox ΕΥΨΥΧΙ vulgaribus characteribus olim Ægyptijs vsitatis inscripta cernitur; deinde per totam superficiem in varios quadratos, rhombos, circulos diuisam, varia passim Numinum Ægyptiacorum effigies interseruntur. Quæ omnia meliùs ex ipso schemate paulò post apposito, quàm multis verborum ambagibus, cognosci possunt.

Altera Mumia B, quæ fœminam refert, maiori adhuc rerum varietate conspicua est, vt ex sequenti eius Icone patet: in quo cùm nihil sit hieroglyphicum, quod interpretatione indigeat (sunt enim iam sæpius exposita, & funeribus imprimi solita tutelarium Numinum simulachra, quorum assistentiâ & præsidio deposita hæc ab aduersa sorte immunia futura existimabant) ita in ijs repetendis vlteriorem laborem impendere, superuacaneum esse ratus sum. Vnde qui minutiorem horum omnium

nium descriptionem desiderat, is epistolam 11. suprà allegatam Itinerarij dicti Petri à Valle consulat, vbi innumera circa Mumiarum conditionem,

A B



& cryptarum constitutionem, consideratione dignissima, minutim & singulari curâ, & diligentiâ, nec non summâ eruditione descripta reperiet.

Quonam verò tempore condita sint hæc cadauera, num veræ hieroglyphicæ literæ ijs impressæ sint, non leue dubium est. Putant nonnulli, antiquitatis Ægyptiacæ ignari, ea nullo non tempore ad nostram vsque ætatem fuisse condita; quod verum est de ijs hominum cadaueribus, quæ intra Lybicos arenarum aceruos calore Solis & arenæ siccitate excocta subinde inueniuntur. Verùm has minimè Mumias dicendas, suprà sat superque demonstratum fuit. De veris itaque Mumijs, quæ intra pyramides & cryptas subterraneas, vario hieroglyphicorum apparatu adornatæ reperiuntur, dubium est. Quod vt explanetur,

Notandum, quod & varijs locis huius Operis ostendimus, Camby-

 sis

ſis in Ægyptum irruptione, vti omnes ritus & cæremoniæ veterum Sacerdotum vna abolitæ fuerunt, ita hieroglyphicæ quoq; literaturæ vſum periiſſe, ritibus Perſarum in patriarum conſuetudinum locum introductis; atque adeo certum ſit, poſt hæc tempora, paulatim omnia dicta expiraſſe, Sacerdotibus partim occiſis, partim in exilium amandatis; omnia quoq; hieroglyphica monumenta flammis ferroq; vitiata fuiſſe; odij ingentis indicium ſanè luculentum, quo Ægyptios, eorumque doctrinam Perſæ perſequebantur. Contigerunt autem hæc eo ferè tempore, quo Numa Pompilius II Rex Romanorum, rerum in Vrbe potiebatur. Cùm itaque hieroglyphica literatura eo tempore eſſe deſierit, Mumiæ verò quaſi omnes hieroglyphicis inſcriptionibus refertæ ſint; conſequens eſt, eas ante dicta tempora præparatas, & intra dicta loca conditas fuiſſe; non verò poſteris temporibus, lege Perſarum Græcorumque, nè ſimilia fierent, obſtante, Ægyptijſque iam tùm alienarum Gentium moribus imbutis: tametſi patria traditio in eorum mentibus tantas radices fixerit, vt Deorum à Veteribus traditum cultum vel vſque ad Romanorum Cæſarum tempora nunquam dimiſerint, vti ex hiſtorijs alibi traditis patet. Vnde & alia difficultas ſoluitur, Characteres videlicet vulgares Ægyptiorum ſubinde hieroglyphicis fuiſſe inſertos; quod quidem alio, quàm diximus, tempore contigiſſe non potuit, videlicet ante Cambyſis irruptionem; & vel apertiſſimè liquet ex voce [illegible], quæ in pectore Mumiaci inuolucri ſuperiùs deſcripti reperitur. Si enim poſteris temporibus dicto corpori ea inſcripta fuiſſet, neceſſariò ſequeretur, hieroglyphica, quibus dictum inuolucrum ſcatet, tunc temporis quoque in vſu fuiſſe; quod cùm ampliſſimè in varijs huius Operis locis, tanquam Hiſtoricis ferè omnibus contrarium, repudiauerimus, luculenter patet, & hanc Mumiam, & eius inſcriptionem ante Cambyſis tempora conditam, inſcriptamque fuiſſe.

Atque hæc ſunt, quæ longiori forſan, quàm par erat, diſcurſu de Mumiacorum cadauerum conditura dicenda exiſtimauimus.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMITERTII.

SYN-

CANOPORVM ÆGYPTIORVM.
CANOPVS
Ex Museo Francofurtensi cuiusdam anonymi
Fig. V.
Pars posterior

SYNTAGMA XIV. DE CANOPIS HIEROGLYPHICIS.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO MARIAE S. R. E. CARDINALI BRANCACCIO,

Episcopo Viterbiensi & Tuscanensi.

SINGVLARIS illa Tua *omnium rerum diuinarum humanarumque cognitio*, Eminentissime Princeps, *exigit iure suo locum in Ægyptio hoc theatro, in quo literarum abditarum scena recluditur. Et profectò quem spectatorem gratiorem habere potest hæc arena quàm* Te, *abditæ antiquitatis, linguarumque Græcæ & Latinæ notitiâ instructissimum; qui vti artis, quam tracto, peritissimus iudex es, ita quoque nosti quàm sit difficile ac laboriosum in hac scena gestum facere. Ægyptios Canopos offerimus, hoc est, primaria veteris eruditionis simulachra, quæ tanto fastu, veluti præcipua Mundi Numina, veriùs monstra & portenta, simpliciùs celebrauit Antiquitas. Sed hæc nôsse plurimùm refert ad Christianæ Religionis excellentiam, veritatemque firmandam. Dum enim hæc rudera vetustæ superstitionis eruuntur in lucem, liquidius sanè constat, quanta fuerit Ægyptiæ Theologiæ Nox, & quantum Cœlo Roma debeat, quæ extra has tenebras longè semota veri Numinis interpres, sincera Theologiæ Magistra, & germana Oraculorum sedes constituta fuit. Qualecunq; tamen fuerit hoc munus, eo nomine velim* Tibi *placeat, quòd proficiscitur ab homine, qui* Te *& singulariter amat, & amare debet. Certè ob insolitam beneuolentiam, quam dum Viterbiensis agri naturam scrutarer, tenuitati meæ benignè exhibuisti, adeo me obligatum* Tibi *sentio, vt non nisi monimento quodam perenni virtutum* Tuarum *veluti trophæa quæpiam, & in me meosq; partûs merita sanè amplissima, posteritati testificanda duxerim. Vale* Cardinalis Eminentissime, *& quem plenis Charitum effusis visceribus prosecutus es, eum porrò prosequi non desistas.*

SYNTAGMA XIV.

De Canopis hieroglyphicis, eorumque interpretatione.

CAPVT I.

Quid sit Canopus.

Canopus quid. CANOPVS, Ægyptiacè ⲕⲁⲛⲱⲃ, simulachrum erat in vasis formam tumidum, sacri Nili, aquarumque præsidis Numinis simulachrum præseferens; de quo tùm varijs in huius Operis locis, tum potissimum in Tomo I. Syntag. III. fol. 208. ex professo egimus; ad quod Lectorem remittimus; hoc loco mysticas duntaxat Canopicorum Numinum, quorum ingens nullibi non copia occurrit, significationes exposituri. Inueniuntur autem huiusmodi simulachra sub varia forma fuisse exhibita, quemadmodum in sequenti Iconismo patet, vbi omnia, quantum fieri potuit, in vnum collecta vnà cum singulorum interpretatione exhibuimus, nè quicquam Oedipus noster rerum reconditarum omisisse videatur.

Canopi Fig. I. in Iconismo exhibiti expositio.

Canopi Gualdiani expositio. INuenitur in prædiuite Gazophylacio Pinciano Francisci Gualdi Equitis S. Stephani, Canopus eius magnitudinis, quâ hic expressus est, ex subuiridi seu porracei coloris lapide efformatus; & tametsi vasis formam præseferat, intus tamen minimè concauus est, sed ex solido lapide elaboratus; cuiusmodi & fragmentum simile huic in meo extat Museo. Est autem totum hieroglyphicis figuris refertum, quæ vt distinctiùs paterent, totum simulachrum in quatuor partes, hoc est, in anteriorem, posteriorem, dextram, & sinistram portionem, diuidendum duximus, quemadmodum ex figuris A, B, C, D, præsentis Iconismi luculenter patet.

Canopi pars anterior. Itaque simulachrum mirâ quadam hieroglyphicorum metamorphosi concinnatum spectatur; caput fœmineum refert, nescio quo mysterioso velamine ornatum; pectus Cruce ansatâ, alijsque periaptis præmunitum, quod vtrinque stipant primò duo Accipitres, quos Thaustos nominant; secundò, duo Harpocrates; tertiò, duo Cynocephali sedentes super Crocodilos, in quorum medio globus, è quo duo vtrimque tumido pectore striati Aspides assurgunt; infra quæ Rana Testudinis crustâ tecta, & ridiculo quodam alarum remigio spectabilis occurrit. Pars posterior Posteriorem deinde partem obtinent duo Cynocephali Anubidis in habitum desinentes; in quorum medio αἰδοιόμορφον simulachrum pari habitu, symbo-

lisque auerruncis, ii tutulum, & humanam, quâ notatur, faciem excipias, instructum; infra quod duo Canes in contrarias partes nitentes constituuntur. Quid verò hoc oppidò mysteriosum spectaculum sibi velit, aperiamus.

Constat Veteres Aquam rerum omnium principium existimasse, imò Deorum omnium Matrem, quam & Oceanum siue Nilum dixerunt. Ita Homerus; Aqua rerum omnium principium iuxta Veteres.

Ὠκεανὸν δὲ Θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. Homerus.
Oceanum Deorum genituram, & Matrem Tethyn.
Deorum scilicet, qui sub cœlo sunt, omnium.

Homerus stirpis suæ vetustissimum Orpheum secutus est, dum ita canit:

Ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσιν πάντεσσι τέτυκται, Orpheus.
Ὠκεανὸς πρῶτος καλλίρροος ἦρξε γάμοιο,
Ὅς ῥα κασιγνήτην ὁμοπάτορα Τηθὺν ὄπυιεν.
Oceanus qui genituram cunctis profert,
Oceanus primus pulchrifluas cœpit nuptias,
Qui sororem eadem Matre genitam Tethyn &c.

Sed nullo mystico velamine aliter sic:

Ἐστὶν ὕδωρ ψυχῇ θάνατος δ᾽ ὑδάτεσσιν ἀμοιβή
Ἐκ δ᾽ ὕδατος γαῖα τὸ δὴ ἐκ γαίας πάλιν ὕδωρ
Ἐκ τοῦ δὴ ψυχὴ ὅλον αἰθέρα ἀλλάσσουσα.
Est aqua animus, mors aquis est permutatio,
Ex aqua terra, ex terra aqua rursum,
Ex quo animus totum æthera mutat.

Orpheus hanc doctrinam haud dubiè ab Hermete didicerat, qui in Pimandro expressè primum rerum omnium principium Aquam fuisse docet, dum σκότος εἰς ὑγρὰν τινα φύσιν ἀφάτως τεταραγμένην, id est, *tenebras in humidam quandam naturam ineffabiliter turbatam* mutatas fuisse dicit, ex qua omnia postmodum emerserunt. Sine aqua enim nihil videbant subsistere posse; aquam omnia rigare, fœcundare, animare, transmutare Mundi corpora, experientia docebat. Vnde mirum non est, Homerum Oceanum Deorum patrem & matrem vocasse; cuius prima incunabula sunt tenebræ, vti iam ex Hermete ostensum fuit, id est, materia prima, ex qua immediatum elementum primumque aqua, ex aqua terra, ex terra denique aër, & dein ignis eruperunt, vt ipsi arbitrantur, & ex contextu Hermetis colligitur; quam & Oceanum dixerunt Veteres ab Ægyptijs docti, qui Nilum primò non alio quàm Oceani nomine nuncuparunt, vti Tomo I. Cap. 1. dictum est. Vnde & Ægyptus Oceaniæ terræ nomen inuenit. Cùm itaque Nilum tam admirandis proprietatibus præditum viderent, eum aliquid naturâ sublimius existimarunt; vnde diuinis eum mox honoribus primùm extollebant, sacra instituebant, statuas erigebant, cuius-

Trismegistus. Aquam Veteres vocabât Oceanum. Nilum venerabantur Ægyptij.

cuiusmodi præsentes Schematismi præseferunt, vasa videlicet tumidis ventribus prædita, quæ à Temonario Osiridis Canopos appellabant; de quibus vide quæ citato suprà loco amplissimè tradidimus. Sed vt ad institutum reuertamur,

Hieroglyphica anterioris partis Canopi Gualdiani.

Erat primi huius Iconismi figura vna ex Canopicis statuis, quâ arcanè Canopici Numinis in aqueam substantiam præsidium expresserunt. Et per fœmineum caput simulachri, passiuum rerum omnium principium physicum, supramundanam verò Mentem illam fœcundam, vnde veluti ex perenni scaturigine quâdam omnia emanant, indigitarunt. Velato vertice conspicitur, quia natura eius abscondita est, & humanis mentibus inaccessa. Tumido ventre distenditur, quia panspermiâ quâdam rerum prægnans est; Collo Crucem ansatam, quæ in binos testiculos desinit, & amuletum, intra quod gemini pueri nudi, pyramides in manibus gerentes, & sedentium habitu ponuntur, affixum habet; quibus quidem nihil aliud indigitatur, nisi fœcundus influxus per Crucem testiculatam, in Mundum hunc sensibilem, per *b* geminos pueros indicatum. Pueros geminos in Astrologia Horum & Helitominum appellauimus, id est, filios Osiris. Et Horus quidem Mundum sensibilem, alter eundem multis imperfectionibus adhuc obnoxium, teste Plutarcho, indicant, quem Mens Canopica ad perfectionem instaurat. Pyramides portant ignis symbola, quia Mundus sensibilis caloris diuini receptaculum est, quem Osiriacæ Mentes, id est, Solares Intelligentiæ per *a* binos Accipitres indicatæ Mundo dispertiunt; quas sequuntur vtrimque Isiacæ Mentes, quæ per bina fœminea simulachra Accipitribus postposita indicantur. Symmetriam & harmoniam præstant *c* Mentes Harpocrateæ, quæ signantur per binos vtrimque Harpocrates digitis silentia suadentes, & gnomones manibus gerentes, vt quemadmodum impolitum corpus gnomone seu amussi adhibita suam perfectionem nanciscitur, ita Mentium Harpocraticarum sapienti dispositione Mundus multis adhuc imperfectionibus obnoxius suam nanciscatur symmetriam, occulto quodam motu & insensibili, quæ silentij nota est, digito ori admoto, peractam. Quoniam verò Intelligentiæ Solares arctâ catenâ Intelligentijs Lunaribus connectuntur, vtpote sine quarum concordia nihil confici possit; hinc aptè sanè binos Cynocephalos supra Crocodilos sedentes, & Lunâ sextili conspicuos apposuerunt, quibus Intelligentiæ Lunæ-Solares intelligũtur, vti in Obel. Pamph. dictum est. Supra Crocodilos sedent, quia, Eusebio teste, motus Solis & Lunæ in humido ad rerum generationem fit: & per Crocodilum quidem aquam dulcem quam suo Sol calore purificat, notant. Hanc eandem ob causam, Eusebio teste, Solis imaginem in naui collocabant, quæ Crocodilos ferebat. Sequitur globus *d*, è quo vtrimque duo emergunt surrecto pectore striati Aspides, quibus vita fœcunda, seu vitalis fœcunditas, quâ Mundus ad rerum omnium generationem, vti alibi dictum est, ingrauidatur tùm per recensitos, tùm per Ophionios Agathodæmones Canopicæ Mentis supremæ administros, signatur. Sequitur deinde Rana alarum remigio spectabilis, & Testudinis crustâ, ridiculo sanè amictu,

Rana in Canopo Gualdiano.

cir-

circumdata; quæ arcanâ quâdam similitudine notat materiam sublunarem, in quantum Osiridis virtute, quæ per crustam Testudinis indicatur, adiuncta, innumerabilium formarum fœtura, quæ per alas multiplici pennarum ordine exporrectas signatur, imbuitur, ex quibus Mundus deinde κόσμος dictus est. Vides quomodo Ranà materiæ symbolum ex cœlesti vita, id est, globo Serpentigero omne suum nutrimentum exsugendo acquirat; de quibus cùm in Mensa Isiaca fusè actum sit, eò Lectorem remittimus.

Vides quoque quomodo materia, quæ per Ranam indicatur, primum sit influxuum supernorum subiectum. Cùm enim diuina Mens, & Canopica prouidentia omnium rerum formis sit decorata, & apprimè fœcunda; magnâ quâdam beneficæ naturæ pronitate efficit, vt suæ perfectionis vmbras alijs impertiatur corporibus; quod sanè fieri minimè poterat, sine communi aliquo subiecto, quod efficienti subderetur, vmbrasque idearum reciperet. Ideo congruè sanè globo cœlesti vitalibus influxibus referto supposuerunt Ranam crustâ Scarabæi tectam, id est, materiam sublunarem cœlestibus influxibus fœtam, ex quo deinde omnium formarum pulchritudo existit. Materia prima, per Ranam significata.

Vides denique quomodo in quadruplicem Mundum ventrosus hic Deaster distinctus sit. Et caput quidem velatum, Mundum Archetypum; Accipitres, Harpocrates, Horus, & Helitominus, Mundum Genialem; globus cum binis Serpentibus, Sidereum; Rana denique alata, Materialem seu Hylæum Mundum indicat, atq; adeò vtrumque extremum, mens in efficiendo, materia in recipiendo, infinitudinis quandam rationem habet.

Quoniam verò beneficis formis à Canubica Mente aquis impressis se opponunt ἀντίτεχνοι malitiâ insignes, hinc contra eos in dorso vasis non sine ratione insculpserunt triadem Anubicam, quæ sunt tres statuæ *f*, *g*, *h*, in figuræ posteriori parte D incisæ, quarum media *g* Anubicæ triadis Patrem, *f* Mentem, & *g* Potentiam eiusdem indicant. Vestibus induuntur turbinatâ superficie deorsum vergentibus, quo influxus ex superiori in inferiora notatur. Vnâ manu gnomonem, alterâ falcem tenent; per gnomonem symmetriæ in Mundano corpore conseruatio, per falcem verò inconcinnorum notatur abscissio. Canino capite exprimuntur, quia sagacissimi, & inuentionis humanæ præsides sunt, & apotropæi, rerum fidei suæ commissarum conseruationi summo studio, vti duo Canina simulachra demonstrant, inuigilantes. Atque huius Canopi, seu Vrnæ mentionem facit Apuleius l. 11. Met. quam in Isiaca pompa circumferre solebant, his verbis: *Sed & ad istum Mundum fulgente auro figurata Vrnula, faberrimè cauata, fundo quàm rotundo, miris extrinsecus simulachris Ægyptiorum effigiata; quam contorto nodulo supersedebat Aspis squameæ ceruicis striato tumore sublimis*; quæ Aspides sanè apertè in vase delineatæ spectantur. Sed de hoc Canopo hæc pauca sufficiant. Posterior pars Canopi explicatur.

CAPVT II.

Canopi figura II. signati interpretatio.

Canopus ex theatro hieroglyphico Herwartij.

FVit hic Canopus ex Theatro Hieroglyphico Georgij Herwartij depromptus, cui & quo ad figuram, & inscriptionem hieroglyphicorum prorsus similis est Canopus ille, qui in hunc vsque diem superstes spectatur in palatio Legati Ord. Equitum Melitensium, & indicatur per figuram VI. bipartitus in anteriorem & posteriorem. Est autem effigiatus vterque in modum vasis ventroso tumore conspicui, cui supraponitur caput fœminæ velo spectabilis; per vasis verò concauum duæ manus decussatis brachijs foras porriguntur, quarum vna pennam Ibidis in manu tenet; in anteriori verò parte per octo columnas hieroglyphicæ descriptiones ponuntur, quæ Ibimorphorum Dæmonum vires, effectus, & influxus signant; quorum expositione nè Lectori tædium pariamus, omissis authoritatibus iam in præcedentibus non semel adductis, solùm idealem, seu symbolicum sensum iuxta totidem columnas apponemus. Quoniam verò columnæ hieroglyphicæ in Canopo figuræ II, infidâ manu ex Archetypo depromptæ sunt; hinc Canopi figura VI exhibiti hieroglyphicas inscriptiones, quæ si pauca excipias, cum priori quasi eædem sunt, vt vnum cum altero comparanti patebit, hoc loco prius interpretabimur.

CAPVT III.

Interpretatio Canopi figura VI. exhibiti.

Canopus palatij Legati Melitensis.

COlumna prima hunc sensum habet: *Ibimorphus Agathodæmon Momphtæ minister intellectu dirigat piscinam sacram, & Niloticos canales benefico suo dominio per tres anni partes suffulciat; Osiridis dominium viuificum in dodecapyrgo promoueat in vitam & fœcunditatem rerum.*

Columna II. *Sacræ humorem piscinæ gubernet, à fauissa aduersa propulset, influxum suum ad archetypi rationes adaptet, occulto humidæ naturæ motu irroret vegetabilia, Ibimorphus phialam Niloticam humore vitali impleat, quorum executores sint Momphtæ Intelligentia, & Mercurius vitalis humoris præses.*

Columna III. *Prouidentia humoris piscinæ sacræ ex dodecapyrgo aquis influet, si sympathicis ritibus & cæremonijs vitales in eas potentias Sacerdotes euocauerint, & aduersa depulerint per statuas trium triadum, Patrem, Potentiam, Mentem.*

Columna IV. *Hinc piscinæ sacræ occulta agitatio, materiam occulto motu ad formarum conceptionem in natura rerum disponit, per motum Solis virtutem suam sympathicam in quadrifidam Mundi plagam diffundentis; quo fœcundum Momphtæ seu Canubicæ Mentis imperium ligatur ad vitam Mundo concedendam per beneficam humoris vim, quem dodecapyrgon fundit.*

Co-

Columna V. *Fauissæ beneficum Numen Typhonem propulsabit, vnde vitalis humoris dominator Osiris vitalis fulcimento cuncta complebit, Nilometrium occultis Deorum ritibus beneficam rerum vbertatem exhibebit.*

Columna VI. *Incrementis Niloticis agri irrigabuntur arcano aquæ dominio; catenæ Numinum per hymnos & preces Sacerdotum trahentur; ad benefaciendum, pantamorphus Dæmon influxu suo & potenti dominio omnia inferiora liquarum receptacula fœcundabit.*

Columna VII. *Thaustus siue Osiris prouidentia virtute sacri vasis Nilotici fauissam rerum necessariarum abundantia replebit, & profligata Noctua Bebonia quadrifidus Mundus fulcietur, vita cum abundantia incrementi conferetur, humida Mundi dodecapyrgi & fauissæ magnæ substantia, quadrifido Mundo librminabitur.*

Columna VIII. *Per igneam vim polymorphi Dæmonis, per portas dodecapyrgi, per trabam Osiridis, per Ammonis influxum in fauissas & canales Niloticos, per brachium Thausti, per vasa Nilotica, per Baryn sacram Hermanubis.*

Quid verò penna Ibidis in manu Idoli sibi velit, aperiamus. Iam sæpe ex Horo ostensum fuit, Ibidis pennam solo tactu suo Crocodilum siderare. Cùm itaque per Crocodilum Typhon signetur omnium malorum origo, hoc signum in manu Canubicæ Mentis ponebatur, ad significandum eam omnes aduersarum potestatum insidias dissipare, & ab aquea substantiæ fidei suæ commissæ œconomia propulsare. Pennam itaque Ibidis auerruncatiui Canubici Numinis aquarum Præsidis symbolum esse, ex dictis patet. Penna Ibidis in manu Idoli Canopici.

Atque hic est sensus symbolicus inscriptionum in octo Canopi figurâ VI. exhibiti columnis contentarum; quarum quidem symbola cùm in præcedentibus passim sint exposita, suisque authoritatibus stabilita, superuacaneum esse censui, easdem irrito labore hîc denuò repetere.

Nota tamen Lector, inscriptiones Canopi, quem figura II. refert, quoad substantiam, quoad numerum columnarum, & symbolorum significationem, prorsùs esse easdem, symbola quoque prorsùs eadem esse, cum illis, quæ iam exposuimus, nisi quòd pessimè transformata ex Archetypo extracta sint, & nonnulla ibi ponantur, quæ inter hieroglyphica nunquam reperiuntur; vnde in suspicionem veni, transcriptorem cùm aliqua symbola ferè in Canopo exesa non caperet, quicquid ipsi imaginatio suggerere potuit, effinxisse. Et tametsi valdè in prototypum ad figurarum veritatem explorandam inquisiuerim, nullâ tamen diligentiâ id consequi licuit. Sextæ tamen figuræ Canopus cum suo prototypo summo studio à me priùs fuit comparatus, vnde eum primo quoque loco interpretandum suscepi; cum alio quoque Canopo, qui in Museo Pinciano Francisci Gualdi continetur, hunc contulimus, prorsùsque eadem symbola exhibuerunt. Porrò inscriptiones, quæ dorso huius Canopi quaterna columnarum seriè inscribuntur, cùm vnusquisque ex iam dictis illas exponere possit, eas exercitij gratia studioso Lectori explicandas reliqui.

CAPVT IV.

Figuræ III, quæ Canopicum Oraculum exhibet, interpretatio.

Canopicum Oraculum Gerardi Reinstij.

FIguræ tertiæ ſchematiſmus Canopicum exhibet Oraculum, ex Muſeo Perilluſtris Viri Domini Gerardi Reinſtij, Senatoris, & Scabini Ambſtelodamenſis, patrocinante doctiſſimo Viro, & amico ſingulari, Domino Bertholdo Nihuſio extractum, transmiſſumque. Lapis eſt parallelogrammus quatuor digitos craſſus, architecturam templorum Ægyptiacorum exhibens, in cuius medio inſtar aræ ponitur Canubicæ Mentis ſimulachrum, manu flammam ignis euentilans, & è regione eius ſtatua in conſultantis morem effigiata; baſis cui Canubicus Genius inſiſtit, quadrata eſt, duobus triangulis, ſibi mutuò in formam hexanguli inſertis, ſingulis in lateribus inſculptis, cum lucerna appoſita. In abaco verò lapidis triginta characteres ponuntur, qui ſunt triginta Numinum vniuerſæ terræ Ægypti, in triginta Nomos diſtributæ, indices. Quid autem hæc omnia & ſingula indicent, aperiamus.

Oraculum in Vrbe Canopo Ægypti. Plutarchus.

In Vrbe Canopo Oraculum fuiſſe celeberrimum Pauſanias refert, & Suidas, ad quod vndique confluebant de rebus futuris conſulturi Ægyptij; de quo & Plutarchus: Καὶ ὁ Ποντικὸς Ἡράκλειτος τὸ χρηστήριον ἐν Κανώβῳ Πλύτωνος ἡγούμενος ἦν. id eſt, *Et Ponticus Heraclitus Oraculum in Canobo Plutonis fuiſſe exiſtimat.* Plutonem autem Græcorum cum Serapide Ægyptiorum paſſim confundi, multis iam locis dictum fuit.

Serapis & Canub idem ſunt.

Serapidem autem & Canubum idem eſſe, inde patet, quòd quem Ægyptij communi voce Serapim, eum Sacerdotes & Myſtæ arcano nomine ⲕⲁⲛⲟⲃ dicunt, quaſi diceres, ſubterraneum aquarum Numen. Et quoniam aqua igneis ſpiritibus ſecluſis vim fœcundatiuam obtinere non poteſt; hinc dictum Numen igneo cultu proſequebantur, vti ex ſtatua ſatis apparet, quæ pileum in cucurbitæ formam adaptatum portat, ſignum humoris abundantiæ, cui præeſt; præterea amictu ſimplici & nullis rugarum plicis aſperato induitur, quo ſimplicis elementi ratio exprimitur; manu dextrâ flammam euentilare videtur, quo ignea portio, quæ aquis Numinis beneficio inſeritur, notatur, vtpote ſine qua nulla rerum generatio effectum ſuum ſortiatur. Cultum verò igneum eidem exhibendum, lucerna appoſita notat. Vniuerſum verò ſuâ virtute calido-humidâ ad vitam rebus omnibus concedendam peruadere, hexagona figura abaci impreſſis lateribus abundè docet, quod Vniuerſi Elementaris ſymbolum eſſe in Arithmetica oſtendimus, & confirmat quod Oraculum Serapidis de ſeipſo dicit, teſte Opſopæo fol. 69. in lib. de Oraculis.

Opſopæus

Σφαιδρὴ μὲν καὶ σῶμα Θεοῦ καταλάμπεται αὐγὴ,
Ἠλίου γὰρ, ἐυτιβόλησε μέγας Θεὸς, εἶδεν ἐμεῖο,
Κάρηνον ἀμφιμάκετον λαμπηδόνα φλοισμωτύραννον,
Βόστρυχον ἐκ κεφαλῆς νεάτης χαροποῖσι μετώποις
Ἀμφὶς ἰαινόμενον πλοχμοῖς θ' ἱεροῖσι γενείου.

Cla-

Clara quidem per domum Dei splendet lux,
Venit enim, occurrit magnus Deus, vidit meum
Robur inexpugnabile, lampadem vrentem Tyrannos,
Cincinnum ex capite summo, iucundo vultu
Vndique exhilaratum; cirrisque sacris menti.

Canubicum verò Numen, teste Suida, omnium Deorum maximum habebatur, eò quòd quæcunque in cœtera Ægypto Numina essent, in hoc vno exhiberentur, quemadmodum de seipso loquitur per Oraculum teste Opsopæo in Oraculis Veterum fol. 7. Canubicum Numen omnium maximum.

Ἥλιος, Ὦρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων,
Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων δὲ καὶ ὄμβρων,
Ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρος ἡνία νωμῶν
Ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς ἠδ' ἀθάνατον πῦρ.

Ego Sol, Horus, Osiris, Rex, Bacchus, Apollo,
Tempestatum & temporum promus, ventorum & imbrium,
Auroræ & noctis multùm stellatæ habenas regens,
Valde flammantium astrorum Rex, & immortalis ignis.

Ὕδωρ πολύγονον κόλπους γαίας διαπεῖρον,
Αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Ὄνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
Τοῦτο Θεός· μικρὰ δὲ Θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Aquæ liquor omnigenis seminibus refertus, & sinus terræ penetrans,
Ex seipso ortus, à nemine doctus, sine matre, inconcussus,
Nomen nè verbo quidem capiendum, in igne habitans.
Hoc Deus est; modica autem Dei portio Angeli nos.

Patet itaque in Canubico Numine omnia dicta Numina veluti diuersos in sua causa effectus includi. Quæ omnia patent ex triginta characteribus, qui in basi lapidis incisi sunt; quorum vnusquisque certum Numen significat. Et sunt ijdem characteres, quos in Magia hieroglyph. fol. 484, & sequentibus exposuimus; videlicet mystica quædam signa Deorum, ex Hermeticis Planetarum characteribus, vti in Astrologia docuimus, composita. Hinc duodecim Præsides δωδεκαπύργοι, & septem Præsides Planetarum, totidem characteribus hieroglyphicis, quorum ferè plerique ex vnico charactere Hermetico seu Tautico sigillo emerserunt, exprimebant; quorum figuras simulachro áuerrunco incisas vide citato loco in Magia hieroglyphica antè citata. Sed iam singulos characteres exponamus. Characteres Canopici Oraculi basi incisi.

1 Primus character Mercurij figuram exprimit, & denotat Hermanubin. Secundus Serpentem pendentem, & significat Ophionium Numen,
2 Ægyptiacè ⲡⲓⲟⲫⲓⲱⲛ, apud Horum corruptè Vræum. Tertius character
3

ex

ex triangulo & Cruce Tautica compositus Deltæ Niloticæ Præsidem no-
4 tat; Ibis enim incessu suo hanc exprimit. Quartus iterum Δ exhibet
cum duabus Crucibus Tauticis, quibus Ibiacum Numen exprimitur.
5 Quintus Serpentis non erecti, sed iacentis situm exprimit, & vitam seu
6 vitæ præsidium notat. Sextus Leonis incedentis formam notat, de quo
vide in Hierogrammatismo Leonis Obelisci Pamphilij, vbi de eo fusè
7 actum est. Septimus triangulum cum Cruce Tautica aliquantulum incli-
8 natum; idem quod tertius character signat. Octauus character piscem
stipite portat Tautico, & Ichtonium Numen significat; de quo vide in
9 Astronomia hieroglyphica fol. 167. Nonus Sagittarij figuram exhibet,
10 cuius & Præsidem notat, Solis videlicet vim in terra abditam. Deci-
mus ex circulo & duabus Crucibus Tauticis componitur, & Solis fulcrum
11 dicitur. Vndecimus character ex circulo & semicirculo, seu Sole & Lu-
na componitur, cum Sigillo Tautico ei à latere affixo, & tutelam Sole-
12 Lunarem indicat. Duodecimus ex circulo maiori & minori cum Cru-
ce Tautica, quo Solari-Venerea vis exprimitur; circulus enim maior So-
lem, reliquus ♀ Venerem exprimit; de quo fusè in Alchimia Ægyptio-
13 rum fol. 401. tractatum vide. Decimus tertius ex semicirculo & nota
14 Tautica compositus est, & Lunæ influentiam notat. Decimus quartus
character ex duabus notis Tauticis, & Veneris figura componi, & Ne-
15 phtæ Venereæ Ægyptiæ motum significat. Decimus quintus triangulum
Tautico signo impositum est, idem quod tertius character significat.
16 Decimus sextus stipiti Tautico Serpentem circumuolutum indicat, cu-
17 ius in Mensa Isiaca expositionem vide. Decimus septimus characterem
18 Momphtæ exhibet, quem innumeris passim locis exposuimus. Decimus
octauus Sagittarij character iacens idem est ac noni characteris figura.
19 Decimus nonus idem significat quod character vndecimus. Vigesimus
20 character Hermeticus Lunæ-Solaris, de quo suprà in decimo charactere,
21 cui æquiualet. Vigesimus primus character idem cum tertio, situ tan-
22 tùm differens. Vigesimus secundus idem cum secundo, à quo situ tan-
23 tùm differt. Vigesimus tertius idem cum decimo. Vigesimus quartus
24 ex tribus notis Tauticis, & circulo in formam tripodis effigiatur, vnde &
25 tripus Solis dicitur. Vigesimus quintus idem cum decimo tertio, à quo
26 situ tantùm differt. Vigesimus sextus idem cum secundo, & vigesimo se-
27 cundo. Vigesimus septimus idem cum vigesimo quarto est. Vigesimus
28 29 octauus idem cum sexto. Vigesimus nonus idem cum decimo. Trige-
30 simus idem cum decimo.

Characteres hi quid significent.

Tota igitur illa mystica characterum congeries nihil aliud indicat,
nisi diuersorum Numinum vires effectusque, quos tùm in superiori, tùm
in inferiori Mundo sub Canubicæ Mentis præsidio operantur. Vides
quoque, inferiores characteres ferè plerosque, tametsi ijdem sint cum
superioribus, situ tamen differre, sicuti operationes Deorum in superio-
1 ribus corporibus ab inferioribus differunt, dum hæc se habent per mo-
2 dum principij passiui, illa per modum principij actiui, quorum coniun-
3 ctione omnia in Vniuerso perpetrantur. Verùm cùm hæc omnia citatis
locis

locis fusè descripta sint, hìc longiores esse noluimus: Lector ex his paucis mentem Veterum facilè percipiet.

In hoc itaque præsenti Oraculo Canopico incidebantur, quia dum Canubicum inuocant, omnia cœtera eius præsidio subdita Numina implicitè inuocare censebantur; & pulchrè id ipsum Oraculum Canubicum docet, quod habetur inter cœtera Oracula ab Opsopæo collecta fol. 55. vbi Oraculum iubet inuocare Numina temporibus opportunis, alijsque cœremonijs, vt sequitur.

Κλήιζειν Ἑρμῆν ἠδ' ἠέλιον κατὰ ταὐτὰ
Ἡμέρῃ ἠελίου; μήνην δ' ὅτε τῆσδε παρείῃ
Ἡμέρῃ· ἠδὲ Κρόνον, ἠδὲ ἑξείης Ἀφροδίτην
Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρε μάγων ὄχ' ἄριστος
Τῆς ἑπταφθόγγου Βασιλεὺς, ὃς πάντες ἴσασιν.

Voca Mercurium, & Solem eodem pacto
Die Solis; Lunam verò, cùm huius adfuerit
Dies; ac Saturnum, & consequenter Venerem,
Vocationibus non sonoris, quas reperit Magorum optimus
Septies sonantis Rex, quem omnes nôrunt.

Atque hæc sunt, quæ de hoc schematismo dicenda putaui.

CAPVT V.

Figura IV. Genius Apotropæus Canopicus, eiusque interpretatio.

Figura IV. in Iconismo Canoporum exhibet Genium Apotropæum Canopicum, quem ad me non ita pridem Francofurto ad Mænum misit Anonymus quidam Architectus & Mathematicus insignis, ex saxo nigro. In quo primò globus alatus occurrit: deinde simulachrum, in cuius capite cydaris in vasis Nilotici formam effigiata spectatur, vnco & flagello formidabile; Limbi verò lapidis hieroglyphicas inscriptiones continent, vti in ectypo patet. Genius Apotropæus Canopicus.

Per globum alatum Hemphta seu supremum triforme Numen indicatur, vti iam sæpe declaratum est; simulachrum, ministrum Hemphta, Canubicum Genium tutelarem indicat. Cydarin in vasis seu cucurbitæ Niloticæ formam adaptatam capiti impositam habet, quia in aqueam substantiã potestatem habet. Vncum manu dextrâ tenet, quia is Osirin à Titanibus in Nilum proiectum dum extrahere dicitur, Nilum, quem cum Osiri passim confundunt, supra terram aridam, siccam, & inaquosam, per inundationem eius ad necessariam vitæ sustentationem educit, omnibus Typhonijs potestatibus profligatis; quod flagellum indicat, & inscriptiones hieroglyphicæ G, H, sat superque demonstrant. Nôrant enim, quantope- Hieroglyphica.

tope-

topere Dæmones ἀντίτεχνοι, flagellis arcanâ quâdam ratione confectis, & in manibus Deorum positis, terreantur; dum sustinere nequeunt id, quod potentiæ superioris sigillo munitum, tam ipsis est contrarium; vt proinde Oraculum consulturis Ægyptijs, quânam ratione ab infaustis potentijs tuti esse possent, Oraculum responderit:

Δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον,
Ἀκάματοι δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι Θεοῖο.

Dæmones qui ambulant circa terram, & circa pontum
Indefessi, domantur sub flagello DEI.

Sed ad propositum. Itaque in hoc schematismo primo loco G, occurrit pyramis cum sceptro papyraceo, iugum bilancis, quadratum, cum ouo, & oculo; sequuntur hæc phialæ Niloticæ, sacrum Alpha, brachium extensum, piscina sacra cum vestigio pedis, & binis vasis Niloticis; sequuntur deinde caput Accipitris, cum Luna sextili pyramidi insistente; post hæc brachium extensum, ouum, sceptrum papyraceum, sphœra, oculus, pyramis, altare. In latere H eadem prorsus, si tria symbola excipias, occurrunt. Sed hæc omnia exponamus.

Interpretatio

Rectè itaque pyramis primo loco ponitur cum sceptro papyraceo, quia Canubica Mens aqueæ substantiæ præses sine ignea portione rerum necessariarum abundantiam producere non potest, neque temperare ad iustitiæ leges Mundum Elementarem; vti pulchrè indicat iugum bilancis, & quadratum cum ouo, quorum illud iustitiæ exactam mensuram, hæc duo Mundum hylæum indicant. Canubicæ itaque Mentis prouidentia per oculum indicata, necessaria est, & per cultum sacrum, quod Altare sequens notat, ad id, quod necessarium fuerit, concedendum, dum occulto motu Niloticis se vasis miscet; quæ aptè indicantur per brachium extensum, vestigium pedis, & Nilotica vasa vtrimque apposita. Sol enim Lunæ commixtus influxu precibus Sacerdotum impetrato, quæ per caput Accipitrinum, & Lunam sextilem pyramidi innexam, & duo brachia sursum porrecta indicantur, prouidâ benignitate rerum omnium necessariarum abundantiam confert, per sacri ignis cum substantia aquea mistura, concessam. Atque hic est idealis hieroglyphicorum in latere G positorum sensus. Estque hæc inscriptio eadem cum ea, quæ suprà in Iconismo Mumiarum, figura G, col *d*, exhibetur.

Ponebantur autem hæc symbola ex vtroque latere eadem, quoniam efficaciam magnam habere credebantur, ad Canubicum Genium Apotropæum alliciendum, & ad id quod volebant, impetrandum, vti in Magia fusè docuimus. Ex his characteribus præterea Sacerdotes precatoriam formulam ponebant, quâ Numen Canubicum adiuratum se constringere, compellere, & sui iuris facere posse credebant; eratq; ferè huiusmodi; *Per Hemphta triforme Numen, per sacrum ignem, per sceptrum Pantamorphi, per bilancem Omphta, per oculum omnia videntis Osiridis, per sacram*

aram,

aram, & sacri Nili phialas &c. *te adiuramus & obsecramus, vt id quod intendimus, nobis concedas.*

Porrò in abaco huius monumenti alia hieroglyphicorum series occurrit; & primo loco, æquilibrium cum gnomone, Serpens volans, duæ pennæ, volucris cum transuerso baculo, circulus cum quadrato, oculus cum figura aræ; quadratum cum brachio extenso, quæ sequitur sceptrum papyraceum, denique canalis Niloticus. Per æquilibrium indicatur iustitiæ lex, per Serpentem volantem igneæ virtutis efficacia, quâ omnia inferiora per tres globos indicata penetrat; quia verò hæc effectum suum habere nequit, nisi aëreâ Intelligentiâ patrocinante, hinc congruè duas pennas cum volucri, & sceptro, quæ decussim exprimunt, posuerunt, vt ostenderent, hanc totius Vniuersi membra motu suo peruadere, calidi-humidi influxu veluti vehiculo quodam: hæc enim ritè culta, omnibus, vt ara cum supraposito oculo indicat, prouidet, & hylæo Mundo hâc beneficentiâ rerum omnium necessariarum abundantiam per Niloticos canales confert, quæ quadratum, brachium extensum, thyrsus papyraceus, & canalis Niloticus aptè designant. Atque hæc est huius nobis propositi monumenti interpretatio. Quorum omnium veritas cùm in præcedentibus passim per varias authoritates demonstrata sit, hinc easdem repetere superuacaneum duximus. *Hieroglyphica in abaco Apotropæi Genij.*

CAPVT VI.

Figuræ V. vasis Canopici interpretatio.

Figura V. vasis Nilotici binas facies ostendit, anteriorem & posteriorem, quæ ligaculo connectuntur; quod vas inter alia quæ passim hoc Opere adducuntur, ab humanissimo Viro Bertholdo Nihusio ex Museo Gerardi Reinstij Senatoris Ambstelodamensis extractũ, mihi transmissum fuit. Et est vas Canubicum portatile, vti ansæ E, F, & A, B, apertè demonstrant, quo sacram Nili aquam Fanis Adytisque inferebant. In cuius anteriori facie figura B infantulus, id est, Horus hoc apparatu mystico, vt aliàs docuimus, exhibetur. Binas notas C, D, vtrinque appositas habet, quarum prior C in sagittæ formam effigiata indicat curam huius Genij esse, nimiam siccitatem à Typhonia potestate immissam, virtute suâ omnium attemperatiuâ destruere; altera in formam vncini efformata, indicat, Osirin Horum, àqua suffocatum, id est, nimiam humiditatem quâ Mundus subinde opprimitur, extrahere, & ad temperiem reducere. Est enim Horus, teste Plutarcho, hoc loco nihil aliud, quàm spiritus quidam virtute suâ omnia alens & conseruans, estque ipsa aëris temperies virtute Solis calefactiua attemperata; quem & ideo circa Butum in paludibus educatum fabulantur Ægyptij. Et profectò ita est: vliginosa enim tellus & aquis redundans vapores alit, qui ariditates & siccitates perimunt. *Vas Canopicum. Vasis anterior facies explicatur.*

Vasis posterior pars explicatur.

Altera facies signata literis A B C D, characteres hieroglyphicos, omnis generis promiscuos, quos suprà in Oraculo Canopico figura III. exposuimus, continet; qui tametsi pessimè transformati sint, ex alijs tamen inscriptionibus facilè innotuerunt. Primus character est ramus inuersus, cuius significationem integro capite exposuimus suprà in Obelisco Flaminio, & in Obelisco Pamphilio Hierogrammatismo de plantis sacris. Sequuntur hunc duo thyrsi ad inuicem inclinati, qui passim in Tabula Bembina occurrunt; deinde duo characteres, tametsi oppidò corrupti, ex Obelisco tamen Flaminio, vbi sæpius occurrunt, nihil aliud sunt, quàm Serpens, sceptrum Hircinum, duo quadrata; vltimo denique loco, figura sagittæ, Serpens globo caudam inserens, & laqueus, quibus supponuntur Noctua cum hydroschemate. Quorum omnium hic sensus est; *Cæremoniæ Thyrsianæ Libus Genijs iuxta tres anni stationes ritè peractæ, Momphtam Niloticum Numen allicient, ad vitam rebus omnibus fœcundam in hylæis Mundis concedendam, ariditate Typhonia ab aquis profligatâ.* Ponebanturque in vase veluti prophylactica, ad id quod significant, efficiendum.

CAPVT VII.

Figuræ VII. interpretatio.

Vas Niloticum eiusque interpretatio.

FIgura VII. ex Museo Petri à Valle habetur, & nihil aliud quàm Canopum notat, vti ventrosum vas, & hieroglyphica eidem inscripta expressè docent, vti *a*, hydroschematis figura, sub figura ⲙ; *b* sub figura ⲡ; *c* sub figura ⲫ; qui tres characteres sunt Coptici, vti in Alphabeto hieroglyphico docuimus, & idem significant ac ⲙⲟⲫϯ Numen aqueum; ⲙ enim aquam significat, ⲡ Numen, ⲫ verò sphæram indigitat amoris, quo omnia Mophtæâ virtute connecti indicantur. Porrò hieralpha Agathodæmonem, baculus incuruus regimen & potestatem influxiuam, C hydroschema aquam, denique *f* vasis figura, aquam Niloticam indicat, vt iam innumeris locis docuimus; atque adeo tota hæc inscriptio hunc sensum refert: *Mophta Agathodæmon cum potestate summa, aqueæ substantiæ & Nilo præsidet.*



CAPVT VIII.

Figurarum VIII. XI. XII. interpretatio.

FIgura VIII. ex Museo Hippolyti Vitelleschi extracta fuit; quam & apud Petrum Stephanonum olim me vidisse memini; figura vasi foraminoso & aquas spargenti imposita, & varijs characteribus insignita; quos paulò post exponemus. Figura XI. ex Museo Petri Stephanoni, &

XII.

XII. Canopus μαστοειδὴς mammatus ex eodem extractæ fuerunt. Atque hæ omnes figuræ historiam illam exhibent, quam apud Suidam legimus, & ita se habet: *Olim vt fama fert, Chaldæi suum Deum, qui est ignis, magnificis verbis extollentes, passim circumferebant, vt cum omnium Prouinciarum Dijs compararetur, & vt ille, qui cæteros vicisset, ab omnibus iudicaretur Deus. Cæterarum autem Prouinciarum & Nationum Dij, quod ex ære, vel argento, ligno, aut lapide, vel alia huiusmodi materia confecti, & in templo, locisq; sacris essent collocati, & huiusmodi materia facile ab igne consumeretur; necesse erat, vt vbique ignis semper vinceret; hoc audito Canopi Sacerdos, quoddam huiusmodi callidum consilium inijt: in varijs Ægypti partibus fictiles hydriæ minutis, & continuis foraminibus interpunctæ fieri solebant, vt per illa foramina aqua turbida percolata, pura redderetur & limpida. Canopi Sacerdos cum harum vnam accepisset, & illa foramina obturasset cera, & varijs coloribus depinxisset,* in Græco est, καὶ διαφόροις ζωγραφήσας χρώμασι, hoc est, varijs animalium hieroglyphicis figuris, coloribusq; delineatis, *aquâ repletum, vt Deum collocauit; cumq; veteris statuæ caput amputasset, quæ Menelai cuiusdam Gubernatoris fuisse dicebatur, id illi suæ nouæ statuæ imponens accuratè accommodauit. Aduenerunt postea Chaldæi: accensus est ignis, & cera quâ obturatâ erant illa foramina, liquescebat; hydria autem sudante, & aquam ejciente per foramina, ignis extinguebatur. Hâc igitur calliditate & versutiâ, Canopus victor Chaldæorum declaratus est, & ab eo tempore vt Deus colitur.* Atque hanc quidem historiam exactè referunt numismatum paulò antè propositorum figuræ VIII. IX. XI. XII. Sed exponamus præ reliquis mysteriosam, quæ numero VIII. signatur. Et figura quidem vasi imposita Canopicam Mentem indicat humoris copiam omnibus rebus largientem, quam & Canopus μαστοειδὴς mammatus fig. XII. notat, vt alibi exposuimus; hunc Ægyptij postmodum more suo in omne superstitionis genus præcipites, iuxta relatæ historiæ seriem in certa materie effingentes, inter sacra symbola collocarunt, eoque phylacterij loco postmodum illos contra ignis flammarumque violentiam vsos, πεντάλφα seu πεντάγραμμον à latere ei adiunctum abundè docet; hoc enim, eò quòd hanc vocem Græcam, ΥΓΕΙΑ, quæ salutem significat, vario situ referat, prosperitatis symbolum apud Ægyptios fuisse, tritum est ex historia Antiochi Soteris, qui contra Galatas decertaturus, huius symboli vexillis impositi subsidio, de quo faciendo in somno monitus fuerat, insignem victoriam reportasse fertur. Quadratum autem ex altera parte nihil aliud quàm μονόγραμμα nominis Kanub, hoc est, Canopi esse, ostendunt literæ ΚΑΝΟΥΒ quæ omnes in dicto monogrammate continentur. Et ratio scribendi fuit Ægyptijs propria, vt alibi dicetur. Atque hisce duobus symbolis Canopi Numinis contra ignis flammarumque nocumenta prophylacticam imaginem adhibendam esse, ἱερογλυφικῶς significarunt. Literas verò singulis vasis canalibus appositas Coptas esse, alia quidem ad id probandum authoritate opus esse non arbitror, nisi parallela quadam dictorum characterum inter se factâ comparatione, quam Lectori relinquo ex hac tabula iudicandam.

Historia & origo Canopi.

Monogramma Canopi.

Literæ capitales earum vocum, quæ 10 entium gradus indicant.

ϭⲁⲧ	Mineralia.
ⲛⲓϭⲣⲓⲡⲓ	Flores metallici
ⲥⲁⲗⲏ	Mare.
ⲑⲏⲣⲱⲧ	Arbores.
ⲟⲩⲣⲟ	Natura ſpermatica
ⲁⲫⲑⲏⲣⲓⲟⲛ	Senſitiua natura
ⲁⲓϭⲁⲧϥⲓ	Reptilia.
ⲙⲱⲓ	Aquatilia.
ⲕⲁⲗⲁⲓ	Volatilia.
ϩⲁⲗⲧⲉⲓ	Quadrupedia

Literas verò 10 vaſi circumſitas, tametſi in Prodromo Copto ignorabiles faſſus ſim; multorum tamen annorum labore in hieroglyphica diſcipli-na exercitatus, tantùm abeſt vt ignorabiles iudicem, vt potiùs nihil illis explicatu faciliùs mihi fuerit. Indicant enim 10 entium gradus, de quibus in Arithmetica hieroglyphica, quibus Canopica Mens bonitatis ſuæ aſ-fluentiam affundit.

ϭ Prima litera, Mineralia indicat.
ⲛ Flores, ſuccos ad metallorum generationem ordinantes, vti in Obeliſco Pamphilio docuimus.
ⲥ Mare, lacus, flumina &c.
ⲑ Natura vegetabilis.
ⲟ Vires & ſemina ſingulis indita.
ⲁ Natura ſenſitiua.
ⲁ Inſectorum & reptilium natura.
ⲙ Aquatilium natura.
ⲕ Volucrium natura.
ϩ Quadrupedium natura.

Atque in 10 entium gradus Canopica Mens humoris ſui fœcundi abundantiam ſpargit, eoſq; in ſuo eſſe conſeruat. Quòd autem hæ literæ dictorum entium gradus indicent, inde docetur, quòd hæ literæ ſint capi-tales literæ vocabulorum, quæ dictos gradus indicant, vti in præcedenti tabula oſtenditur.

Statua Canopica ex muſeo Smithij.

Inter alias ſtatuas Canopicas & hæc non infimum locum occupat, à Clariſſimo Nihuſio ex Batauico Muſeo Clariſſimi Viri Ioannis Smithij extracta. Vas marmoreum eſt, caput cooperculi loco ſeruiens, teſtaceum quid olet; myſtico illo velaminis amictu fœminam mentitur barbâ è men-to prominente ſpectabilem, more cæterarum velatus cum prominente

barba

barba vultus deformatus; cæterùm toto corpore venter est, in cuius antica parte hieroglyphica tribus columnis contenta spectatur inscriptio, quorum sensus is est, qui sequitur. (nos notas rudi & imperitâ manu exaratas in prototypo, paulò politiùs hìc exhibuimus.)



Prima columna. *Huius virtute simulachri vita superna Barydis Thausticæ vehiculo defertur in tres inferiores Mundos, vbi eam Hermanubis Niloticus inserit liquoris claustris, per Baryn malorum propulsatricem, & auerruncam, sequentium simulachrorum virtute & efficaciâ.*

Secunda columna. *Infausta & aduersa à Nilometrio remouentur; Hylæi Mundi liquore Hemphtæo, à triformis supremi Numinis influxu participato, malis depulsis, rerum omnium necessariarum abundantia confertur, Anube Horizontis, & humidæ naturæ custode inuigilante.*

Tertia columna: *Vitalis liquor in inferiores Mundos defertur, vi statuarum sequentium, quarum concatenatus influxus humorem congruum tripartitis anni temporibus confert; vnde religioso semper cultu obseruandæ; beneficentia enim earum, quâ Mundus seminalis humoris copia repletur, vnicum felicitatis complementum sequitur.* Verùm cùm omnia symbola iam sæpe, vtpote notissima, exposita sint, ijs authoritatibus stabiliendis non immorabimur.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMIQVARTI.

SYNTAGMA XV.
DE SPHYNGIBVS NILOTICIS.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI

BERNARDINO
S. R. E. CARDINALI SPADAE,

Sabinorum Episcopo.

NON habet *Sapientia nobiliores Heroës*, Eminentissime Princeps, *quàm doctos Purpuratos, quorum doctrina Solis instar in Ecclesiæ Cœlo refulget; vnde suam haurit lucem Orbis terrarum, & vniuersa generis humani amplitudo accipit disciplinæ iubar. Quare non immeritò Ægyptiam meam Sphyngem euoluturus, ad* Te *accedo, eamque volo in* Tuo *nomine apparere, vt eiusdem abstrusa interpretatio non aliunde quàm ex insigni* Tuæ *Purpuræ lumine illustretur. Roma illa Sapientum, ingeniorumque æstimatrix satis testatur, quo in Viros Sapientiæ studio deditos sis animo, quàm impensè eorundem conatus promouere studeas.* Nec *mirum; æstimare non potest is, qui quod æstimat, non possidet. Vt vel ex hoc capite meritò suspiciant & admirentur viuidam* Tuæ *indolis energiam in omni prudentiæ, sapientiæque genere, in omnibus arcanarum artium mysterijs, atque in vniuersis penè Reipublicæ officijs amabiliter simul & magnificè versantem. Quamquam, vt ingenuè fatear, alia me non minus ratio commouit, vt hanc mei Operis partem* Tibi *repræsentare iamdudum obæratus auderem; singularis videlicet illa* Tua *benignitas, quâ me semper excepisti, meaq; complectens effecisti vt crederem non futura alijs ingrata, quæ* Tibi *probarentur; ac reuera in hoc Sphyngem meam superasti, dum Sapientiæ* Tuæ, *cui nonnisi summa quæque probantur, haud ingratas esse meas myricas ostendisti. Vale omni Sapientiæ laude* Eminentissime Princeps, *meisq; conatibus faue.*

SYNTAGMA XV.

De Sphyngibus Niloticis, earumque vera ſignificatione.

Sphynx Nilotica quid ſignificet.

SPHYNX Nilotica, compoſitæ naturæ hieroglyphicum, vti toto paſſim Opere indicatum fuit; cuius quidem anagogicam ſeu myſticam ſignificationem nihil aliud eſſe dicimus, quàm arcanæ Sapientiæ ſymbolum: nam vti Plutarchus dicit, Πρὸ τῶν ἱερῶν ἐπιεικῶς ἱστάντες, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης. *Ante templa Sphynges plerumque collocantes, quo innunt, ſuam ſacrarum rerum doctrinam conſtare perpetua, & ſub inuolucris latente Sapientia:* Οὐδὲν γὰρ ἄλογον, οὐδὲ μυθῶδες, οὐδὲ ὑπὸ δεισιδαιμονίας, ὥσπερ ἔνιοι νομίζουσι ἐγκατεσπείρετο ἱερουργίαις, ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα καὶ χρειώδεις αἰτίας, τὰ δὲ ἄμοιρα κομψότητος ἱστορικῆς, καὶ φυσικῆς ἐστι. *Neque enim irrationabile, neque fabuloſum, neque ſuperſtitioni ſubditum hoc doctrinæ genus; ſed Ethicas ſuas & obſequentes cauſas habet, argutiæ hiſtoricæ & Phyſicæ expers.* Sphynx itaque erat arcanæ Sapientiæ, virtutumque à materia abſtractarum ſymbolum, & hoc pacto in templis paſſim eam collocabant, vt monerentur, ad θεομορφωσιν impetrandam nihil efficaciùs eſſe poſſe quàm per occulta huiuſmodi ſymbola animum ad diuinitatis conſortium præparare. Hæc verò ſub phyſica ratione conſiderata, nil aliud indicat, quàm incrementum Nili. Ponitur autem ab Ægyptijs ſub duplici ratione: vel enim illam ſub Leonis abaco incubantis figura, vel ſub figura quæ corpore Leonem, facie Virginem exhibet, exprimunt. Priori modo indicat Momphta incrementi Nilotici præſidem Agathodæmonem; cuius vires, effectus, officiaque fusè tùm in præcedentibus, tùm in Obeliſco Pamphilio fol. 282. deſcripſimus, ad quæ Lectorem remittimus. Poſteriori, ipſum incrementum Nili, quod potiſſimùm Sole Leonem & Virginem tranſeunte durat, indicat; de quo in ſequentibus fuſiùs. Verùm vt res ab ouo demonſtretur, de Nilo primò, deinde de Niloſcopijs, & demùm de Sphyngum ſignificatione, quantum ingenij vires permittent, tractabimus.

CAPVT I.

De Nilo, eiuſque cultu ab Aegyptijs vſurpato; vti & de Niloſcopijs, eorumque vſu.

DE Nilo, eiuſq; origine, eiuſq; maximis inter cœtera flumina prærogatiuis, ex profeſſo dictum eſt in primo Tomo fol. 48. Quare hoc loco tantùm nobis de cultu eius agendum eſt, vt cur Ægyptij tanto eum

to cùm nullo non tempore cultu affecerint, Lectori curioso patefiat; atque adeo hieroglyphicorum structura, quæ huic magna ex parte innititur, luculentiùs demonstretur. E cœlo itaque à Ioue lapsum Nilum non Ægyptij duntaxat, sed & posteri Græcorum Philosophi existimabant; vnde alij eum Iouis donum, alij Deorum lachrymam, alij venam Paradisi, Deorum semen, Prothei piscinam, maritum Isidis appellabant, alijsque Epithetis, vti citato loco ostensum fuit, cohonestabant. Siquidem Nilum non tantùm veluti diuinum quiddam, & à Deo singulari fauore concessum, sed & veluti ipsum Osiridem venerabantur, & diuino cultu prosequebantur, teste Plutarcho, qui libro de Iside & Osiride, *Sacerdotum*, ait, *Sapientiores non Nilum duntaxat Osiridis, mare Typhonis nomine accipiunt, sed Osiridem in vniuersum omne principium facultate humectandi præditum, vtpote causam ortus, & substantiam seminis censuerunt, Typhonē verò omne siccum, igneumq; & quidquid denique exsiccandi vim habens aduersum est humori.* Hinc Hecatombarum frequentia circa exundationis initium, quas in honorem Nili fœcundi Numinis faciebant Ægyptij. Principem verò causam incrementi Protheus aperuit, cùm dixit, Ioui hecatombas faciendas, iuxta illud:

Nilus donum Deorum putabatur.

Nilo cultus diuinus exhibebatur.

Plutarchus.

Nilo, fiebant hecatombæ.

Ægypti donec fluuius Iouialis ad vndas
Rursus eas, facies que Dijs sacras hecatombas.

Et flumen Diapetes appellauit, id est, è Cœlo delapsum. Si enim hecatombæ offerendæ cuipiam Deorum, illi certè maximè, cui augmentum fluminis præcipuè acceptum ferebatur. Is igitur cùm Iuppiter siue Osiris ille toties à nobis decantatus sit, quis non videt apertè denotari à Ioue incrementum profluxisse? Quæ verò aquæ a Ioue proueniunt, nisi illæ quæ pluuijs è Cœlo veniunt? Quamuis igitur in Ægypto non pluat, Nilus tamen non incongruè ideo Diapetes vocatur, quòd imbribus crescat. Igitur Ioui hecatombas faciendas putabant, eò quòd is pluuijs è Cœlo cadentibus præsideat, quibus Nilus augeatur.

Erat autem hoc Ægyptijs, teste Eusebio, Plutarcho, Diodoro, Herodoto citatis Tomo I. locis vsitatum, vt eas res, è quibus insignem aliquam vtilitatem atque sustentandæ vitæ emolumentum perciperent, præcipiti quodam zelo, & insana stolidaque superstitionis Religione colerent; hinc æstro perciti vanissimam Religionem, non ad Ibides tantùm, Crocodilos, Accipitres, Canes, Scarabæos, aliosque immundos, quos portentorum Mater Ægyptus ferebat, Deastros, sed & ad stulta illa & ridicula hortorum Numina, cæpas, allia, pepones, extendebant, in quæ non immeritò Satyricè inuehitur Iuuen:

O Sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Hæc inquam cùm colerent, Nilum quoq;, quia vtilitate, commodis, alijsque diuinitatis argumentis cæteros Orbis fluuios excellebat, singula-

Nilum cur coluerint Aegyptij.

gulari quodam cultu colebant & venerabantur; præsertim cùm primos hominum afferercnt apud se creatos, tùm bonitate soli felicitateque, tùm Nili multa generantis, ac suapte natura, quæ genuit, facilè nutrientis, fœcundo genio, cùm ab eo vno veluti à perenni fonte omnem suam felicitatem pendere perspicerent. Hunc enim terram cœteroquin sterilem, arenosam, infructuosamque fœcundi limi profluuio veluti bonorum omnium alluuione fœcundare videbant. Hunc herbarum, fructuum, plantarum, frumentorum, animalium terrâ marique copiosi prouentus vnicam causam cognoscebant. Huius præter dictas vtilitates lympham non gustui tantùm gratam; sed & medendis corporibus saluberrimam nôrant; quin ampliùs non bestiarum tantùm, sed & hominum fœcunditati multùm prodesse, atque proinde non malè fœtiferum dixêre; adeo vt prodigiosam hominum multiplicationem (qua Plinius mulieres subinde quaternos fœtus excludere solitas asserit, quod & alij confirmant Authores) nulli alteri rei quàm Niliacæ lymphæ fœcunditati adscribere sint ausi: ac proinde huic omnia sacrificia deputabantur; huic veluti Deorum omnium, & superstitiosorum Numinum parenti omnes ritus ac solennitates festorum exhibebantur, vti paulò post videbimus; vt proinde Phallophoria, Pammelia, aliaque execranda solennia non aliunde quàm hinc originem duxerint. Hinc per Nilotica incrementa iurat Apuleius, quasi per diuini Numinis reuerentiam. Nilum ergo veluti Numen quoddam Ægyptij colebant, imò veluti ipsum Osiridem, vt quem & Momphta dicebant, vti Plutarchus verbis suprà citatis testatur.

Nilus fœcunditatis causa.

Sicut verò Deorum origo mortalibus incognita, & difficilis inuentu Deus; sic & Nili originem nulli vnquam perspectam, testatur Herodotus. Sicut Deus maximam mortalibus præstat animis corporibusq; illapsus voluptatem; sic & Nilum cœlitùs delapsum omnis felicitatis suæ causam confitebantur. Iterum sicut Dij in inferiora illapsi ea suo aduentu ditant; ita & ille. Vnde vt Elias Cretensis scribit, sicuti omne Deorum genus ab cœlesti illa Iside Luna, hominum Deorumque (vt cum Apuleio loquar) matre descendit; sic & Nilus dicitur descendisse è montibus Lunæ. Sicut cœlestis Osiris, seu Iuppiter ille cœlestis, Sol inquam 365. dierum spacio vltrò citròque currendo rerum omnium in sublunari Mundo productionem causatur; sic & Nilus paulatim crescendo decrescendoque ad exemplar Solis, totam Ægypti regionem fœcundo limi profluuio beat; quod & numeris in nomine suo reconditis monstrare videtur. Numerus enim è nomine Νεῖλος collectus 365, tot nimirum, quot dies in anno, constituit. Præterea quemadmodum Luna à Sole aspecta certa quædam præbet terrestribus virtutis suæ incrementa vel decrementa, siquidem nunc cornuta, nunc integra, nunc per eosdem gradus descendens penitùs euanescit; sic & Nilus, teste Plutarcho, iuxta Elephantinam Vrbem ad viginti octo cubitos excrescens nobis periodicum motum Lunæ, seu Lunæ & Solis Syzigiam refert; ad hos verò gradus pertingens totum euanescit plenitudine fluminis Nilometrium, iuxta Mendesium verò & Xoin quatuordecim cubitos excrescens

Herodotus. Nili comparatio ad diuinas virtutes. Nili encomia & commoda.

N	50
E	5
I	10
Λ	30
O	70
Σ	200
	365

Nili incrementa ac decrementa.

plenam in nobis Lunam exactè demonstrat, cùm enim instrumenti Nilometrij medium infra, medium supra aquas eminebat. Iuxta Memphim verò, vbi ad septem excrescebat cubitos, Lunam cornutam maximè referebat. Porrò sicut has phases Lunæ mirabilium in sublunaribus effectuum causam credebant, & ex ijs veluti ex infallibilibus quibusdam indicijs de constitutione temporum, de fœcunditate aut sterilitate rerum diuinabantur; sic & de incremento decrementoque Nili. Sicut enim cornuta Luna & imperfecta, inter malignos reputabatur aspectus, teste Ptolomæo; sic & septem cubitorum incrementum sterilitatem minabatur. Et sicut Luna plena pro configuratione mediocri futura & fœcunda reputabatur; sic & quatuordecim cubitorum incrementum. Denique sicut Luna 28 dierum maximos præstat coniuncta Soli effectus, & efficacissimè agit; sic & Nilus 28 cubitorum incrementum excedens coniungitur terræ, hoc est, Isidi, ad eam vegetabilibus principijs fœcundandam. Quæ omnia pulchrè Plutarchus lib. de Osir. & Iside indigitat.

Nilus phases Lunæ, eiusq; effectus æmulatur.

Misit non ita pridem ad me ex Batauia Sphyngis figuram ex Museo Gerardi Reinstij, Senatoris & Scabini Ambsterodamensis extractam, Bertholdus Nihusius. Simulachrum ex marmore subnigro fabrefactum est, fœmineo vultu, reliquo corpore in Leonem transformatum, in quo maximè elucet, quod paulò antè indigitauimus, V amuletum seu sacra tabula, Accipitrinâ Statua, Hircino sceptro, & Nilometrio eidem subiecto, vti sequens figura docet, conspicua: quod & in præcedentibus passim

Plutarchus. Sphyngis simulachrum ex Museo Reinstij.

tabulam Mompheo-Mendesiam appellauimus. Vt proinde nemo miretur, si Ægyptij ad trahendum Numen, similia sacra amuleta adhibuerint. Et sacra quidem tabula V. dextro Sphyngis lateri incisa spectatur; P, verò sinistro, vt apparet, quam & Osiriacam tabulam vocamus; quæ duæ

 tabu-

tabulæ in omnibus passim Obeliscis spectantur simul innctæ, vti hìc in appositis figuris AB & CD patet; apertum signum, magnæ eas apud Ægyptios virtutis fuisse, cùm nulli non loco, nulli non statuæ, aut Obelisco ipsas inciderint; quarum proinde significationes mysticas singulari tractatu Obelisco Flam. præfixo prosecuti sumus, ad quem Lectorem remitto. Figura verò S medietatem figuræ V exhibens, pectori Sphyngis incisa spectatur.

Sphyngis fragmentum.

Alterius Sphyngis fragmentum, quod literâ X notatur, in dorso hieroglyphicam habet inscriptionem; quæ hieroglyphica cùm in sequentibus exposituri simus (sint enim eadem quæ in Sphynge Burghesiana occurrunt) ea suo loco reseruauimus.



Sphyngis Reinstianæ expositio.

Sed ad sacri huius præsentis amuleti, quod in Sphynge signatur, expositionem reuertamur. Statua est Leontomorpha, Osiridis Mophtæi

vertice pennigero conspicua, cum Hircini capitis sceptro apposito, quibus subiungitur feretrum, & sub hoc Niloscopij figura. Quid enim aliud pinnatus ille Osiridis Leontomorphi vertex, nisi impenetrabilis Momphteæ naturæ vis, & ab intellectu longè remotissima? Quid aliud mysteriosum illud symbolum ansatæ Crucis, nisi rerum omnium creatarum fœcundo influxu suo conseruatio? Caput verò Hircinum nihil aliud significare videtur, nisi fœcundum dicti Numinis influxum, & igneam quandam vim; quæ quidem non nisi per radiorum, qui sunt veluti cornua quædam, diffusionem, omnia penetrat. Capiti verò immediatè supponitur symbolum Nili, indicans quòd ex ignea illa Solis virtute, & calore mixto aquæ seu humido, rerum omnium generatio resultaret; cùm tota generationis vis non nisi in humido & calido consistat, id est, omnia Momphto-Mendesia virtute perficiantur. Certè non incongruè symbolum Nili immediatè sub Hircini capitis canalem posuerunt, vt ex ignea virtute seu colore & humido vegetali, hoc est, è Sole & Nilo rerum omnium resultare generationem monstrarent. Sicut verò, vt fœcunda illa Solis & Nili vis effectum habeat, necessariò requirat vti subiectum, quod cœlesti Soli correspondeat, virtutis receptiuum, Lunam inquam, seu Isidem cœlestem, in quam vegetabilia principia seminet; ita & subiectum terrestre, quod terrestri Osiridi correspondeat, id est, terram seu Isidem terrestrem, quam fœcundaret, requirere videbatur; vt ex aqua & terra, id est, ex Osiris & Isis congressu & copula, intenta inferioris Mundi generatio prodiret, quod in Nili inundatione potissimùm contingit; vt proinde Isis non malè à Plutarcho dicta sit ea naturæ pars, quæ quasi fœminea omnes in se recipit ortus, tanquam nutrix quædam, & omnium commune receptaculum, πανδεχὴς à Platone dicta, à plerisque μυριώνυμος, id est, innumeris prædita nominibus, quòd eam in omnes formas speciesquè vertat rerum generandarum. Sed ad Niloscopium hircino capiti infrapositum quod attinet; est illud idem instrumentum, quod Aben Vaschia & Abenephius Nili mensuram appellat. Verba eius Arabica suprà in Obel. Flam. allegata vide, interpretatio eorum sequitur: *Vt fæcundam naturam Nili monstrarent, illam structuram ponunt, qua incrementa Nili mensurantur sub forma Leonis.* Cuius vestigia adhuc aliquibus in locis videntur. Apparet autem in similitudine animalis caudati & iacentis fuisse. Nilometrium Strabo hisce verbis describit: Συνεγγὺς νῆσος ἐν ἡμισταδίῳ, καὶ ἐν ταύτῃ πόλις ἔχουσα ἱερὸν Κνούφιδος, καὶ νειλομέτριον ἐν μονολίθῳ κατεσκευασμένον ἐπὶ τῇ ὄχθῃ τοῦ νείλου σημειοῦντα τὰς μεγίστας δὲ, καὶ ἐλαχίστας, καὶ τὰς μέσας. hoc est, *Altera Insula dimidium stadium in Nilo ante Srenem posita, in qua ea Vrbs, quæ Knuphides templum, & Nilometrium habet; hic autem est puteus quidam in ripa Nili ex integro lapide constructus, in quo & maxima, & minima, & mediocria Nili incrementa denotantur.* Meminit huiusmodi instrumenti quoque post Herodotum, Diodorum, Apuleium, Plutarchum Ioannes Leo Aphricanus, qui huius structuræ se oculatum testem dicit; sic enim ait: *E regione Ciuitatis veteris in medio Nili Michios, hoc est, mensuræ videtur Insula, ex qua pro ratione inundationis Nili eius anni*

Vide figuram A B.

Symbolum Nili quid significet.

Niloscopium

Ioan. Leo Africanus l. 8.

pro-

prouentum per totam Ægyptum certissimâ ratione à priscis Ægyptijs adinuenta colligunt. Diodorus Siculus Nilometrij his quoque verbis meminit. *Quoniam enim,* inquit, *curâ molestiaq; vrgebat accolas Nili inundatio, excogitata est in Memphi incrementi mensurandi à Regibus antiquis obseruatio; nam quibus id negotij demandatum est, per epistolam Vrbibus vicisque significant, quot cubitis, quotue digitis fluuius auctus sit, & simul quo tempore cœperit decrescere; hoc modo vacuus redditur à solicitudine populus, & incrementi magnitudine decrementique nota, vbertatem futuram, e vestigio ab inundationis modo, notatis prioribus temporibus, noscit.* Quam exactiùs adhuc describit Geographia Nubiana lib. 2. quam nos I. Tomo fol. 33. vnà cum figura Nilometrij adducimus.

Verùm de Niloscopio, vtpote re passim notissimâ, non moror; vnum me in Arabico textu Auen Vaschia Arabis de Ægyptiorum cultura suspensum perplexumque summoperè reddidit, neque quid per iacentis & caudati animalis imaginem voluerit, intelligere valui; donec variam antiquitatem consulendo, tandem id, quod erat, subolfaciens, occultum verborum contextum inuestigauerim. Vult autem Auen Vaschia hisce verbis nihil aliud dicere, nisi quòd fuerit in similitudinem Sphyngis; quod apud Authores inundationis Nili symbolum reperitur. Erant autem Sphynges (sicuti apparet ex ijs, quæ Romam ex Ægypto deductæ passim hinc inde in Vrbe videntur) bisormes statuæ, quarum prior humanam faciem, cœtera Leonem referebant, vti paulò antè sat superque docuimus. Erant autem hæ figuræ ab Ægyptijs expressæ, non quòd crederent, similia animalia vllibi reperiri, sed ad connotanda reconditiora mentis sensa. Sphynges itaque sic expressæ stationem Nili Ægyptum inundantis denotabant. Cùm enim in toto Iulio & Augusto Nili incrementa durarent, Sol autem dictis mensibus maxima ex parte Leonem & Virginem peragraret; genti ad portentosas & polymorphas rerum compositiones cœteroquin propensissimæ facile fuit ex Virgine & Leone formare monstra, quas Sphynges appellabant, erantque propriè statuæ Nilo consecratæ, ventribus incumbentes, quibus stationem inundantis Nili repræsentabant. Huiusmodi Sphynges hodierno adhuc die ad Thermas Dioclêtiani aquæ felicis, vndas magno faucium hiatu vomentes, item in horto Quirinali, ad fontem Capitolij, & in Villa Burghesia, vti & in Principis Iustiniani ante Flaminiam Portam horto omnigena antiquitatum supellectile celeberrimo, quarum interpretationem hoc in Syntagmate molimur, spectantur. Earumque Sphyngium magnus numerus, teste Plinio, in Aegypto erat; quarum aliquæ ingentis molis in celebrioribus Aegypti locis; maximè verò circa loca, in quibus solet inundare Nilus, sicuti Heliopoli, & Sai, & in deserto Memphitico, collocabantur; in quo inter cœteras vna prodigiosæ magnitudinis 143 pedes longa, & 62 pedes lata. Videntur autem habuisse simul officium designandi incrementa Nili, vti ex verbis Aben Vaschia apparet. Imò dicam aliquid ampliùs. Certè ipsa figurâ Nilometrij, quam hic Aegyptij pro symbolo fœcunditatis Nili posuerunt, rudi suâ effigie nil aliud insinua-

Sphynges quales figuræ & cur ita effictæ.

Sphyngium simulachra varia Romæ.

Plinius l. 36. c. 13.

Sphynges in diuersis locis Ægypti.

quare videtur. Confirmat opinionem nostram Pierius, qui ait, Aegyptios ad incrementum Nili, quod Aegyptia lingua Nun significat, Leonis iacentis hieroglyphico vsos esse, eò quòd cùm Sol Herculei Leonis terga adit, Nili diluuium excitet, duplumque recentis aquæ Sole in eo signo commorante sæpius exundet; quæ vis aquæ per spatiosam Aegypti planitiem latè diffusa, solum ea fertilitate grauidum reddit, quâ non tantùm indigenæ sibi alimentum colligant, sed magnam Orbis partem fame leuent. Quæ aptissimè sanè omnia exhibentur in gemma quadam Petri Stephanoni Ciuis Romani, quam hic exhibere visum fuit.

Sphyngium officium Nili incrementa notare. L. 1. Pierius.

[library stamp]



Vides in hac Sphyngem aligeram & mammis turgidam, supra duos Leones, qui taurum vehementi impetu dilacerare videntur. Certè per Sphyngem nihil aliud nisi Genius Nili inundationis præses designatur; per Leones astrum illud, quod cùm subit Sol, Nili incrementum incipit; per Taurum Terra seu agriculturæ opera insinuantur, quæ à Leone Momphtæo aquarum diluuione veluti absorbetur. Sed hæc cùm potiùs Græcanicum, quàm Ægyptiacum ingenium sapiant, relinquamus.

Propter eam verò aquarum redundantiam, quam Leonis beneficio consequi se quotannis experiuntur, institutum est, & apud omnes Gentes vsu iam receptum, vt canales, tubique & siphones, qui aquam eructant, per terebrata foramina in Leonina capita ad id locis opportunis adsculpi solita aquam immittant, quæ inde Leoninis rictibus euomi videatur. Atque hæc ita sese habere, testantur non pauci, qui in hunc diem Romæ visuntur Leones, vt dixi, ad radices Capitolij, & fontem iuxta Ædem Diuæ Virginis de Victoria, qui plenis rictibus aquam eructant. Nè verò in hieroglyphicis inscriptionibus semper integram Leonis aut Sphyngis fig. ad Nili incrementū denotandum ponere cogerentur, hinc

per

Characteres Astronomici ♌ & ♒.

per ipsum eundem characterem, quo Ægyptij Astrologi Leonis figuram præfigurabant, id est, per ♌ caudam Leonis, illud ponere consultiùs iudicarunt. Characteres enim Astronomicos signorum & planetarum ab Ægyptijs primò excogitatos suprà ostensum fuit, & Deenus in Monade hieroglyphica fusè probat; de quibus & nos ex professo in Astronomia Ægyptiorum. Sed & signum infra positum ♒ id manifestè monstrat; hoc enim symbolum aquæ esse, à similitudine figuræ aquæ vndulatæ depromptum, alibi copiosissimè demonstratum fuit; & ob eandem caussam ab Ægyptijs, & communi Astrologorum consensu & approbatione pro symbolo aquarum assumptum fuit. Quod & proinde vbicunque in hieroglyphicis occurrit, humidum refert, & vel aquam, vel humorem quemuis indicat. Sed de his fusiùs suis locis.

Aquarij signū Leoni cur apposuerint Ægyptij.

Verùm posset quis hîc obijcere, quid Aquario cum Leone? Huic respondeo. Cùm Ægyptij excellentiam alicuius rei vellent demonstrare, eos id maximè per contrariorum appositionem fecisse. Nam cùm Nilum præ cœteris Mundi fluminibus mirandis quibusdam naturæ dotibus ditatum perspicerent, vtpote qui non tantùm totius anni decursu maxima fœcunditatis argumenta monstret, sed maximè eo ipso tempore, quo Sol Leoninò æstu inflammatus omnia adurit, & cùm reliqua omnia flumina humoris quoque inopiâ deficiunt, ille omnia plenitudine suâ adimplere videatur; & contrà, in Aquario maximum habeat suæ diminutionis statum, reliqua verò flumina non nisi in Aquario Leoni opposito signo diluuijs sint obnoxia; ideo vt hanc præeminentiam Nili symbolicè exprimerent, Leonis signo supponere voluisse videntur signum oppositum Aquario.

Quare siue hoc symbolum Nilometrium, siue Sphyngem, siue Leonem referat, perinde est, errare non poterit Lector, quodcunque elegerit; nam & Nilometrium, & Sphyngem, & Leonem singula inundationis hieroglyphica fuisse, paulò antè demonstrauimus, & potuit fieri, eas structuras illos construxisse, quæ & Sphyngem, ac Leonem referentes, Nilometrij munere fungerentur; quod sanè simile quid fuisse & verba Authoris non tacitè, & Strabo, lib. 17. Herodotus, alijque Antiqui, imò quotquot modò Nili statuæ inueniuntur, innuunt. Sed hæc omnia subtili Lectori vlteriùs inuestiganda relinquimus.

C A P V T II.

De Sphyngibus Ægyptiacis, earumque interpretatione.

Sphynges aquæ Felicis Romæ.

DE Sphyngibus, & cur facie Virginem, & reliquo corpore Leonem referant, sat superque innumeris iam in locis actum fuit. Quare nihil superest modò, nisi vt exactam eorum hieroglyphicorum, quæ abacis Sphyngium vtplurimùm circumscriptæ spectantur, interpretationem exhibeamus. Quas inter principem non immeritò locum occu-

occupant, duorum Leonum ſimulachra, quæ olim ex Ægypto vnà cum Obeliſcis adducta fuerunt, & modò ad ſontes aquarum felicium iuxta Thermas Diocletiani, è regione Eccleſiæ Carmelitarum Diſcalceatorum, quæ à Victoria nomen habet, aquarum vomitu celebria ſpectantur; quorum figuras hic apponendas duxi vnà cum hieroglyphicorum inſcriptione, quæ in abacis Leonum habetur.

Leones Nilotici ſeu Momphtæi, quorum limbi ſequentibus hierogl phicis inſigniuntur, & extant ad aquas felices, iuxta Campos Thermarum Diocletianæarum.

Latus dextrum A *Leonis dextri.*

C

a b c d e f g

A fronte Leonis A

D

h i k l m n o p

Latus ſiniſtrum Leonis A.

E

q r s t u

F

Latus dextrum Leonis B.

A fronte Leonis B.

Latus sinistrum Leonis B.

Leo Momphtam Nilotici incrementi præsidem significat.

Et primò quidem simulachrum Leonis A dextrum, in abaco suo hieroglyphica tenet, quæ nos signauimus literis C D E F, à dextris incipiendo vsque ad finem, videlicet ad retortam Leonis caudam; quorum significationem antequam exponam, Notandum est, Leonem hunc mysticè nihil aliud significare nisi Momphtam, incrementi Nilotici præsidem, vti suprà ostensum fuit, ad cuius virtutem, efficaciam, effectusque omnes mysticæ notarum significationes alludunt. Hunc enim si quandoque minùs se beneuolum propitiumque ostenderet, huiusmodi arcana notarum efficientia placari, & ad id, quod desiderabant obtinendum, videlicet felix Nili incrementum, pellici posse sibi imaginabantur. Hinc tot sacræ tabulæ seu amuleta Mophtæ attrahendo apta in abaco positæ cernuntur. Totius inscriptionis argumentum nihil aliud est, quam dictum Momphtam sacrorum huiusmodi symbolorum virtute ad fœcundum Nilotici fluminis incrementum, vnde meritò totius Ægypti salus pendebat, concedendum, propitiari, sacrisque ritibus & cœremonijs ad votis eorum obsecundandum attrahi.

Amuleta varia ad Momphtam attrahendum.

§ I.

§ I.

Interpretatio hieroglyphicorum, quæ in primi Leonis Abaco inscripta cernuntur.

PRimo loco Crux ansata literâ *a* signata; deinde sacra tabula *b*; postea segmenta bina obuersa *c*, cum tribus terminis; quæ excipit Anser *d*; hunc sacra tabula *e*; tandem hæc excipiunt ordine sequentia symbola *f*, *g*, *h*, *i*, *k*. Quoniam itaque nihil in hoc Mundo sine influxu Numinum prosperari potest, hinc aptè primo loco Crucem ansatam ponunt magnæ virtutis periapton, & diuinum in vniuersum Mundum influxum indicat, vti alibi copiosè ostendimus. Hanc sequitur tabula sacra cum Accipitre, brachium extensum cum segmento circuli; quibus indicatur memoratum influxum in Nilum non impetrari, nisi ab Osiri summo bonorum largitore, quæ aptè per Accipitrem, brachium, & segmentum indicantur. Hinc enim omnia inferiora per triplicem anni portionem bonorum augmentum acquirunt, & per bina segmenta, & tres terminos pulchrè indicatur. Quia verò ea durare non possunt, obsistente aduersarum potestatum violentia, nisi continuâ protectione custodiantur; hinc sequitur Anser sacer, seu Chenosiris, qui per sequens amuletum perpetuæ custodiæ alligari posse putatur. Continet autem sacra tabula *e* amuletaria duo brachia erecta, cum Scarabæo, & globo: per brachia erecta Sacerdotum in precibus Numini fundendis occupatorum cœremoniæ faciendæ indicantur; per Scarabæum & globum, Osiridis in terrestris Mundi œconomia labores, dum influxu suo spermatico omnia animat & conseruat. Pantamorphus verò Agathodæmon per *f* & *g* indicatus, omnia inferiora in formas rerum vniuscuiusque naturæ congruas dispescit, ad necessariarum rerum abundantiam & varietatem producendam. Verùm cùm & huius operationibus vtplurimùm aduersæ potestates obsistant; hinc *h* trium potentiarum efficacium prouidentiæ supplicandum præcipitur: harum enim virtute crater Osiridis, id est, humidæ naturæ receptaculum, ab omnibus inimicis potestatibus defenditur, videlicet triplicis dominij iam trium recensitorum Numinum Osiridis, Chenosiris, & Pantamorphi Agathodæmonis virtute; & per tria sceptra Lotifera scitè signantur, quæ sicuti Lotus ad Solem continuò conuertitur, ita sympathicâ quâdam vi hæc tria Numina ad res fidei suæ commissas tutandas, iuxta ideas à triformi supremo Numine præscriptas, conuertuntur.

Hieroglyphica Leonis A abaco inscripta.

Hieroglyphica in latere dextro abaci.

Sequitur iam fronti Leonis expositum aliud magnæ virtutis synthema, quod Thausticum ab Accipitre vocant; & sunt Aspis surrecto capite, cum Accipitre contracto collo veluti dormituriente, quæ sequuntur *m* brachium extensum, canalis sacer cum figura piscinæ, claudit tandem agmen Accipiter cum *n* Crucibus ansatis mediante fasce funiculorũ. Quæ quidem symbola retrogrado ordine eadem & eodem ordine ad Cru-

Hieroglyphica in fronte abaci.

cem terminantur & indicant, machinationes Typhonias, nè canalibus sacris noceant, per sacri Osiridis influxum, ligatis quodammodo, Thauticæ Crucis sigillo stipatas, interceptasque sisti. Notandum tamen est, Ægyptios non tantùm multum virtutis hieroglyphicis symbolis, ob arcanam quandam eorundem compositionem, tribuisse, sed & ordini, eorumque dispositioni. Nam Dijs maximè rerum ordinem arridere, iam dudum cognôrant. Hinc summo studio satagebant, nè symbola, temerè, aut tumultuaria quâdam congerie tùm Obeliscis, tùm cæteris monimentis inciderentur, sed ordine quodam Dijs beneplacito & peraccepto; quem hoc loco maximè obseruasse visi sunt, dum vides symbola *l m n*, illa eadem *q p o n* retrogrado ordine recurrere; ita vt bini Accipitres Crucem ansatam, mysteriosissimum omnium symbolum, veluti in medio tenerent, & cætera omnia ad eam veluti ad supremi Numinis influxus symbolum, vtpote à quo originaliter omnes reliquæ coucatenatarum mentium series vim suam haurirent, conuerterentur. Vnde non incongruè magnæ virtutis amuletum & Thausticum à Thausto Intelligentia Solari indigitatur; siquidem supremi Numinis influxus, qui per hanc Crucem, vti iam sæpius indigitatum fuit, in Solaris Intelligentiæ mentem diffusus, hinc atque illinc piscinas sacras, sacrosque canales munificentia, quæ aptè per figuras *m* indicantur, replet; quibus Ophionium Numen, & Accipitrinum, quæ per Aspidem surrecto pectore, & dormiturientem Accipitrem indicantur, vitam & motum illis præstat. Nota tamen, Accipitrem hoc loco oscitantia sculptoris non congruè exhibitum, sed potiùs Coturnicem referre; at perperam; siquidem in omnibus Obeliscis nunc Maleagridem, nunc Accipitrem refert, vti patet ex Obelisco Pamphilio fol. 514. vbi & veram huius symboli significationem fusè expositam inuenies.

Hieroglyphica cum ordine insculpebantur.

Porrò ponitur hoc hieroglyphicum synthema in fronte abaci Leonis; quod mysterio non caret; siquidem Idealis supremi Numinis Momphtæi influxus ex intellectu supramundano originem suam habet, ex quo veluti perenni quadam scaturgine in omnes Mundi partes, & hinc in omnes Mundi plagas, corporaque ijs subiecta diffusus, omnia bonitate suâ, vitâ, motu, replet.

Hieroglyphica sinistri lateris abaci.

Sequitur iam sinistri lateris hieroglyphica inscriptio EF. Verùm cùm ea retrogrado ordine considerata prorsùs eadem sit cum ea, quæ recto ordine ponitur in dextro latere Leonis, cuius explicatio iam innotuit; ideo eiusdem expositionem iterare superuacaneum esse ratus sum. Causam verò, cur toties eadem symbola repeterent, paulò antè indicauimus. Quare ad alterius Leonis B hieroglyphicam epigraphen describendam nos conferamus.

§ II.

§ II.

Simulachrum Leonis B sinistri, abaco insistentis, eiusque significatio.

IN abaco Leonis sinistri B in ouata figura, & in formam sacræ tabulæ contorto, hieroglyphica inscriptio literis EF notata spectatur. Quæ quidem vti priori inscriptioni prorsus similis est, imò eadem, quemamodum, vnam cum altera comparanti patebit; ita quoque eandem significationem continere certum est. Quare qui prioris inscriptionis interpretationem ritè intellexerit, eum quoque huius significatio latere non potest. *Hieroglyphica Leonis B abaco insculpta.*

Notæ in factam interpretationem.

QVæritur primò, cur abacus Leonum in sacræ tabulæ ouatam figuram contortus sit? Respondeo, id à Sacerdotibus mysterij causa factum esse: nam quo mysteriosior structura alicuius monimenti hieroglyphici existebat, tantò maiorem vim obtinere putabant, ad Numen illud Momphtæum, cui dedicabatur, alliciendum. Cùm itaque sacræ tabulæ seu amuletariæ sequentes in hac inscriptione ponantur; vel ipsam Leonis, cui incubabat, basin in sacræ tabulæ ouatam figuram, nè quicquam mysteriorum deesset, adaptandam existimabant; adeoque Leo Momphtæus sacræ tabulæ incubans, eandam tabulam referret, quam passim inter hieroglyphyca reperimus huius figuræ, id est, Mundi fœcundâ geniturâ impraegnati. *Abacus Leonis cur sit oui formis.*

Quæres secundò, cur in binis hîc expositis abacis, singula ferè repetantur? Respondeo id factum esse tùm mysterij causa, vt quemadmodum ouata figura Mundum refert, ita Numina Mundi præsides ex omni parte harum notarum occultâ proprietate attraherentur; tùm etiam vt ipsa concinna characterum dispositio, quâ delectantur, Numina faciliùs alliceret, vt paulò antè innuimus; potissimùm autem Momphtam totius humidæ substantiæ, quam Niloticus humor refert, præsidem. *Cur eadem hieroglyphica in vtroque abaco repetantur.*

Notandum verò, hanc periochen hieroglyphicam, non tantùm Nilotici liquoris beneficium significare; sed & liquorem illum supramundanum in Ideali supremi Numinis essentia latentem, ex qua veluti ex vbertimo quodam fonte omnium bonorum affluentia redundat. Quam primò quidem Genij supremi Numinis administri participatam in omnia mundana corpora deriuant. Sed ex his facilè Lectori patebit verus huius hieroglyphicæ inscriptionis sensus & ratio. Quare iam ad Sphyngum interpretationem procedamus.

CAPVT III.

Sphyngum quæ in Villa Burghesia spectantur, interpretatio.

Sphynges Burghesiæ Villæ.

SPectantur hæ duæ Sphynges in Villa Burghesia retro Palatium, è sinistra regione areæ, hieroglyphicis conspicuæ, quibus è regione dextra duæ aliæ respondent, sed nullis hieroglyphicis insignitæ. Quare ijs relictis ad propositas nobis primo loco Sphynges exponendas conuertamur.

Sphynges hæ denotant incrementa Nili.

Sphyngis sinistræ interpretatio.

Notandum verò, has Sphynges propriè Nili incrementum referre; sunt enim ex corpore Leonino, & vultu Virgineo compositæ, abacis suis in sacræ tabulæ ouatam figuram fabrefactis, & hieroglyphicis eleganter incisis, conspicuis, incubantes. Sinistra Sphynx sequentem hieroglyphicorum seriem in dextro latere inscriptam habet, literis terminalibus V X signatam; frons eam, quam literæ X T continent; sinistri verò lateris inscriptio literis S R comprehenditur, quæ quidem inscriptio retrogrado ordine eadem est cum priori, quæ literis V & X comprehenditur, si pauca quædam symbola excipias. Quare ad huius lateris significationem exponendam, priorem explicasse sufficiat. Notæ denique quæ literis R, P, continentur, posteriorem abaci partem obtinent. Sed hisce præmissis, iam interpretationem ordiamur.

Differentia inter Sphynges & Leones Momphtæos.

Aduertendum porrò, inter Leonem Momphtæum & Sphyngem nonnullam differentiam existere. Leo enim Momphtæus, nihil aliud nisi Osirin, in quantum Nilotico humori præest, signat. Sub figura Leonis pingitur, quia Sole Leonem ingrediente, maximum virtutis suæ robur exhibet, vti iam passim docuimus. Sphynx verò compositæ naturæ simulachrum ex Leone & Virgine transformatum, hoc loco nihil aliud nisi congressum Osiridis Momphtæi seu Nilotici cum Iside signat, vti innumeris passim locis ostensum est. Nam vt rectè Plutarchus ait:

Plutarchus.

Τῶν δὲ ἄστρων τὸν σείριον Ἴσιδος νομίζουσι, ὑδραγωγὸν ὄντα, καὶ τὸν λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος ἡλίου τὰ πρῶτα συνερχομένου λέοντι· ὡς δὲ Νεῖλον Ὀσίριδος ἀπορροήν, οὕτως Ἴσιδος σῶμα γῆν ἔχουσι, καὶ νομίζουσιν οὐ πᾶσαν· ἀλλ᾽ ἧς ὁ Νεῖλος ἐπιβαίνει σπερμαίνων, καὶ μιγνύμενος. ἐκ δὲ τῆς συνουσίας ταύτης γεννῶσι τὸν Ὧρον· ἔστι δὲ Ὧρος ἡ πάντα σώζουσα, καὶ τρέφουσα τοῦ περιέχοντος ὥρα, καὶ κρᾶσις ἀέρος. *Et de sideribus Sirium Isidi adscribunt, vtpote qui aquam ducat; Leonem verò venerantur, rictibusque Leoninis ianuas templorum ornant, quia Nilus exundat Titanis primum curru tangente Leonem. Sicuti autem Nilum Osiridis defluxum, ita corpus Isidis terram putant, non vniuersam, sed quam Nilus inundans ac coiens fœtam reddit; hoc ex coitu Horum nasci perhibent. Est autem Horus tempestas ac temperies aëris ambientis, omnia seruans & alens.* Sole siquidem Leonem & Virginem subeunte, Osiris dicitur cum Iside concumbere, id est, Nilus cum terra, ex quo concubitu meritò fœcundum & omnia nutriens Numen Horus nascitur. Ex Nilo enim terram Ægyptiam fœcunditate & humore suo imprægnante, totius felicitatis

Ægy-

Ægyptiacæ origo reſultat; vt proinde nemo miretur, tot tamque diuerſis cœremonijs & ritibus Nilum nullo non tempore cultum, tam impenſâ ſollicitudine, hunc ſalutiferum Oſiridis & Iſidis concubitum, qui per Sphyngem ex fœminino Iſidis vultu, & Oſiri Leonino occultâ & myſticâ ratione transfigurabatur, fuiſſe expreſſum. Elucet hic concubitus maximè in hieroglyphico ſchemate, quod Tabula Bembina exhibet, & illud eſt quod ſequitur. Vbi vides Niloticum Leonem ſeu Oſirin Momphtæum in formam lecti compoſitum, cuius anteriora pedes Leonis referunt; intus autem reticulato cooperculo inuoluta Iſis Oſiri miſta Horum producit. Sed vide interpretationem citato loco adductam, vbi quæ ad hunc locum pertinent luculentiùs expoſita comperies. Sed jam ad interpretationem.

Sphynges cum abacis hieroglyphicis ſequentibus inſignitæ ſunt, & extant hodie in Villa Burgheſia retro Palatium, è regione fontis ſiniſtra.

Sphyngis ſiniſtri latus dextrum.

V a b c d e f g h i k l m

A fronte Sphyngis.

n o p X T

Sphyngis latus ſiniſtrum.

S

In

R

P

Hieroglyphica dextro lateri abaci Sphyngis inciſa.

Niloticorum canalium conſecratio,

Herodotus.

In inſcriptione itaque Lateris dextri ſiniſtræ Sphyngis, primo loco occurrit ſegmentum cum abaco canalium Niloticorum; quo quidem ſymbolo nihil aliud indicatur, niſi Niloticorum canalium conſecratio, quod in Ægypto vnum è celebrioribus feſtis habebatur. Menſe ſiquidem vltimo Meſori, & inundationem futuram præcedente, Sacerdotes conueniebant (Herodoto teſte, in Clio) in Adytis, & impoſitis in abacum canalium figuris, eas conſuetis ritibus & cœremonijs conſecrabant. Nam Horo teſte l. 1. c. 21. *Tubos canaleſque ſacrorum fontium ſolent ij, qui ſacris præſunt operibus, Leonis figurâ fabricare; quapropter in hodiernum vſq; diem, qui pro ingenti inundatione ſe in preces effundunt, Leonis ſigno vti ſolent.* Diuinum obteſtantes influxum, quem tunc obtenturos ſperabant, cùm, ſacris amuletis *a b c d e f g h* ordine circumgeſtatis, ſacra Numina placaſſent. Amuletum *a* prius Accipitrino capite inſigne, anſâ inferiùs circulari ad geſtandum aptum, quo Oſiridis cœleſtis poteſtas innuitur. Secundum eſt palma Solaris vbertatis ſymbolum, & ſummas, quas Solare Numen per huiuſmodi aquarum incrementum Ægypto conferebat, vtilitates denotabat, quarum 365, tot quot dies in anno, palmam largiri Plutarchus docet. Sequitur, *c*, Crux anſata ſupremi Numinis influxum ſollicitans; poſtea pyramis, *d*, igneam vim & qualitatem, quæ ſi humidum deſtituatur, nihil parturit, ſed iners ac ſterile manet, indicans; ſequuntur, *e*, binæ pennæ Accipitris, perpetuum Numinum ornamentum, & ſublimis Intelligentiæ Agathodæmonis, quem Sphynx refert, ſymbolum. Has excipit, *g*, Crux anſata inter duo lotiſera ſceptra poſita, ſympathici ſupremi Numinis dominij in inferiora ſymbolum, ex quo vita inferiorum reſultat, vti Serpens cum ſegmento, *h*, notatur. Atque hiſce amuletis Sacerdotes vtebantur in ſacris cœremonijs ritè obeundis, ad obtinendum felix Niloticum incrementum, & rerum omnium neceſſariarum abundantiam, vti Nilometrium, *i*, & thyrſus papyraceus ei adiunctus, dictorum ſymbolum, ſatis docet: hiſce enim *k* catena Numinum mota inferiori hylæo Mundo vitam largitur per diuini Numinis influxum, id eſt, anſatæ Crucis virtute, & per ſequentis tabulæ ſacræ potentem efficaciam; in qua primò Serpens cum hydroſchemate, deinde alius Serpens in formam vaſis Nilotici transformatus cum ſceptro, Accipitre, & tribus terminis, quibus Capreolus apponitur. Per Serpentem & hydroſchema vitalis liquor innuitur; per vas Niloticum, quod Serpens effingit, ſigna-

Amuleta quibus vtebantur Ægyptij ad Niloticum incrementū obtinendum.

tur

tur vita humorem Niloticum vndequaque penetrans, virtute & dominio Osiris, vegetabilium tribus anni stationibus congruorum præsidis; quæ aptè per Accipitrem, sceptrum, tres terminos, & Capreolum indicantur; ad quam vitam attrahendam sequens quoque amuletum positum est: Anser sacer, id est, Chenosiris, vitalis memorati liquoris custos. Amuletum verò *n* tres secures continet cum feretro supposito, quod sequitur sacer Apis sub forma Tauri, cum hydroschemate; quibus indicatur trium efficacis sectionis potestatum, quos Hypozocos Ægyptij vocant, cultu, Apin sacrum humore concesso in agriculturæ opera influere. His quoque in inferiora dominium polymorphi Dæmonis *o* attractum rerum necessariarum abundantiam confert, recisa omni potestate aduersa.

Porrò in fronte aliud amuletum continetur, quod literis X T comprehenditur; & sunt baculus in formam literæ, sceptrum ægomorphum, & Accipiter siue Thaustus cum Cruce ansata; cui ex altera parte eadem symbola ordine retrogrado respondent, & indicant influxum supremi Numinis à Thausto, fœcundo & harmonico quodam dominio in omnes Mundi partes diffundi. Cur verò eadem symbola repetantur, suprà dictum fuit. *Hieroglyphica fronti abaci Sphyngis incisa.*

Restat sinistri lateris S R inscriptio exponenda. Verùm cùm illa ordine retrogrado eadem prorsùs sit cum ea, quam iam exposuimus, inter literas V X comprehensa, superuacaneum esse ratus sum ijs repetendis tempus perdere. In posteriori denique abaci parte, inter R & P, hæc symbola continentur, scilicet segmenta bina, globus cum parallelogrammo, globus ansatus, Serpens cum segmento & sceptro; quæ symbola retrogrado ordine explicantur, vt vides; quibus quidem nihil aliud indigitatur, nisi quòd vita Mundi huius virtute periapti, in omnia Mundi corpora transfundatur. *Hieroglyphica sinistro lateri abaci Sphyngis incisa.*

Dextræ Sphyngis interpretatio.

NOtæ quas in antica & postica abaci parte hæc sequens Sphyngis figura continet, eædem prorsùs sunt cum notis in præcedentis abaci antica & postica parte positis; & anterior quidem pars in hoc abaco comprehenditur literis Q R; posterior verò A B; reliqua intermedia symbola vti differunt, ita eorundem expositionem non negligendam duximus. Omissis itaque symbolis in antica & postica parte positis, reliqua à B incipiendo ita exponimus. Primo loco se offert palma; secundo Crux ansata; tertio pyramis; quarto duæ pennæ; quinto sacrum Alpha; sexto tres thyrsi linei; septimo duo segmenta; octauo duæ catenæ intermedio globo; nono statua Accipitrina cum tutulo ἰφι-κυκλοπτε-ϱμόϱφω in capite; decimo brachium extensum, figura fauissæ, & hydroschema; vndecimo sceptrum lotiferum cum Cruce ansata. Symbola quæ primò sequuntur, vti ab imperito huius temporis incisore ad verorum corruptorum defectum supplendum, posita sunt, ita quoque non genuinam hieroglyphicorum rationem obtinent, atque adeo consultiùs *Sphyngis dextræ interpretatio.* *Hieroglyphica fronti abaci incisa.*

Sphyngis dextræ hieroglyphica.
In postica parte.

In fronte Sphyngis dextræ.

Sphyngis dextræ interpretatio.

ea omittenda, quàm exponenda duximus. Symbola itaque paulò antè recensita nihil aliud indicant, quàm vtilitates immensas, quas supremi Numinis influxus mediantibus Agathodæmonum catenis, legitimarumque cœremoniarum exhibitione, præstat; quorum quidem symbolorum significationem cùm in præcedentibus exposuerimus, ea Lectori euoluenda relinquere visum fuit.

Sacræ tabulæ D & E.

Binæ sacræ tabulæ, quæ signantur literis D & E, restant exponendæ. Prior ordine E Crucem ansatam cum Nilometrio F sibi præpositam habet; quibus luculenter signatur, influxum supremi Numinis, felix Nili incrementum minimè concedere, nisi per præcedentes immediatè sacras tabulas E & D; quarum prior E continet Leonis procumbentis signum cum phallo eidem superposito, quem sequitur Ibis cum piscinæ sacræ figura. Quibus indicatur fœcundus Momphtæ, & Mercurij sacræ piscinæ custodis, influxus. D verò seu tabula primo loco posita cum vase Nilotico, pennâ, statuâ Accipitrinâ, Niloscopij figuram continet;

tinet; quibus indicatur, ad felix Nili incrementum ſtatuam Accipitrinam cum penna & ſacro Nili vaſe ponendam, vt Momphta exoretur ad id concedendum. Myſticas rationes Niloſcopij amplè deſcriptas, vti & reliquorum, vide in præcedentibus.

Ex his itaque fuſiùs, quàm par eſt, deductis, luculenter patet, has Sphynges hieroglyphicas eò fine poſitas, vt per occultam ſymbolorum cum ſuprema diuinitate connexionem, Numina quæ inferioribus præſunt, ad neceſſariarum rerum omnium abundantiam, per felix Nili incrementum concedendam, vel irata placarent, vel propitia veluti ſympathicis quibuſdam illicijs, ad votis eorum obſecundandum, attraherent. Hinc toties eadem ſymbolorum repetitio; hinc myſterioſa in ouatam figuram ſingularum inſcriptionum deductio. Quæ omnia ſagaci Lectori vlteriùs ex præcedentibus iam inſtructiori, conſideranda relinquo.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMIQVINTI.

SYNTAGMA XVI.

DE PENATIBVS, LARIBVS, ET SERAPIBVS AEGYPTIORVM.

ILLVSTRISSIMIS, NEC NON EQVESTRIS ORDINIS DIGNITATE CONSPICVIS VIRIS DD.

CASSIANO, ET CAROLO ANTONIO DEL POZZO

Germanis Fratribus apprimè colendis.

MERITA Vestra, Illustrissimi Viri, *in Rempubl. Lit. nullo non tempore collata, tanta sunt, vt ex literatis Viris nemo sit, qui in suam rem, quæ est* Vestra *singularis humanitas, comitas, & beneuolentia, à* Vobis *insignia literarum promouendarum subsidia se adeptum non fateatur. Testis & ego in huius Operis Ægyptiaci editione iam à multis lustris* Vestræ *huius in bonis artibus promouendis sollicitudinis esse possum; dum Bibliothecam* Vestram *omni librorum antiquitatisque reconditioris supellectile instructissimam, benigno voluntatis affectu semper apertam esse voluistis. Nè itaque præstitorum beneficiorum immemor esse videar, ecce hoc præsens de Penatibus Ægyptiorum argumentum, honori* Vestro *inscribendum duxi, vt si quid in hoc Opere rarum & singulare, id* Vestrâ *curâ & diligentiâ collectum, grata posteritas recognoscat. Valete.*

CAPVT I.

De Penatibus, Laribus, & Serapibus in genere.

Penates & Lares ac Serapes apud Ægyptios quid.

ÆGYPTII nullo non tempore in summa veneratione habuerunt statuas quasdam, quas Serapes, Latini Penates seu Lares appellarunt. Et primò quidem quid Penates & Lares apud Latinos, deinde quid Serapes fuerint apud Ægyptios, exponemus. Referunt nonnulli, Penates nihil aliud esse, quàm Genios seu Deastros illos, per quos

spi-

ſpiramus, per quos cognoſcimus, per quos videmus, per quos Solem intuemur, Iouem videlicet, Iunonem, Mineruam, & Veſtam. Nam Iouem æthera medium, imum Iunonem, Mineruam ſummam ætheris partem, quæ vis eſt diuinæ Intelligentiæ, Veſtam terram eſſe dixerunt. Hos & Deos Patrios, & Genethlios, & Ciuitatum præſides, & priuatarum domuum cuſtodes nominarunt, & crediderunt. Dionyſius Halicarnaſſæus: Dionyſ.Halic.

Τοὺς δὲ Θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν, οἱ δ᾽ ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσι, οἱ δὲ γενεθλίους, εἰσὶ δ᾽ οἳ κτησίους, ἄλλοι δὲ ἑρκίους, οἱ δὲ μυχίους. *Deos autem hos Romani Penates vocant, atque nonnulli in Græcam linguam transferentes, genethlios ſeu genitales interpretati ſunt; alij vocant Deos domeſticos ac familiares, alij poſſeſſionum præſides, alij Arcanos.* At cur dicuntur Genethlij? quia cuſtodiæ hominum, mox ac naſcerentur, deſtinari putabantur; vel quia ipſorum vigilantiâ omnia generantur, vnde & Genij dicuntur, rerum generandarum præſides. Cur Patrij? quia ijs ſolummodò rebus, quæ Regno alicui aut Prouinciæ communes ſunt, præſidere credebantur; in qua non modò Ciuitates ſingulas, ſed & ſingulas domus, atque adeo ſingulos homines, plantas, animalia, pro cura ſibi commiſſa, ſummâ diligentiâ adminiſtrabant; hinc & tutelares appellati ſunt. Penates à Laribus non officio, ſed origine diſcrepant; officia enim vtriuſque communia in cura priuatarum rerum. Verùm de his conſule fuſiùs primum Tomum Syntagmate III. (Genethlij quid; Serapes Ægyptiorum quid)

Serapes verò Ægyptiorum nihil aliud erant, quàm imagines ſine vlla membrorum eminentia veluti faſcijs quibuſdam inuolutæ, quarum magna ex Ægypto copia, differentiſque magnitudinis deportatur, partim ex appropriato lapide, partim metallo, ligno, aut teſta confectæ. Harum nonnullæ veluti tutelares publicis locis ad cuſtodiam eorundem ponebantur; aliæ verò horum cuſtodiæ deſtinabantur, erantque tutelares ſtatiui; quædam aliæ portatiles, quas quòcunque tenderent, ſecum portabant; quaſdam etiam loco amuletorum collo, cingulis, manibuſque portabant. Porrò variâ vultus figurâ exprimebantur. Quædam enim vultu fœmineo, & vertice velato; quædam ſub forma pueri vittati; aliæ alijs modis exhibebantur, vt poſtea videbitur. Inſtrumentis quoque differebant; nonnullæ, quas Auerruncos ſeu Apotropæos dicebant, varijs inſtrumentis, vti ſcuticis, flagellis, retibus ab humeris dependentibus figurabantur. Omnia tamen huiuſmodi ſimulachra anticâ & poſticâ facie variâ hieroglyphicorum ſculpturâ exornabantur, vti poſtea in explicatione eorundem patebit. Theraphin Hebræorum

Atque hæc ſunt ſimulachra quæ Hebræi Theraphin vocant, quæ Rachelem patri ſuo Laban furatam ſacer textus Geneſ. cap. 31. teſtatur; de quibus integro tractatu Tomo primo, Syntagmate IV. fol. 254. egimus; & ex Ægypto per ſeruos Abrahæ in Palæſtinam portata, propagataque ibidem docuimus. Theraphim dicebant, quia cùm S pronunciare non poſſent, mutato S in T, more Chaldæis ſolito, & mutato vltimo S in im, Theraphim ea ſimulachra dicebant, quæ Ægyptij Serapes dicebant.

Erant autem Penates Ægyptiorum ijdem, qui Oſiris, Iſis, Nephte, Ho-

Penates Ægyptiorum qui?

Horus, Harpocrates, Arueris, Apopis, & innumeri huius farinæ Deastri; qui tametsi vniuersales totius naturæ Genij haberentur, & ijdem quoad substantiam, effectibus tantùm differentes; in quantum tamen ij priuatarum rerum custodiæ deputabantur, in tantum Tutelarium nomen obtinebant, & pro priuatis Numinibus colebantur. Verùm cùm de hisce amplissimè locuti simus Syntagmate III. & IV. primi Tomi, eò Lectorem remittimus.

Penates Ægyptiorum cur informes.

Hoc loco solùm meritò quispiam dubitare posset, cur omnes Ægyptiorum statuæ ita constructæ sint, vt nullum corporis membrum exstitium sit, sed omnia corpori ita incisa, vt vnum truncum efficere videantur? Respondeo, Ægyptios maximam curam habuisse integritatis statuarum; putabant enim statuas Deorum immortalium tanto ritu & cæremonijs consecratas tam diu vim & efficaciam suam habituras, quàm diu debitam integritatem conseruarent; quæ si vel membri alicuius læsuram, aut nocumentum, aut fracturam accepissent, eodem quoque tempore omnem simul Deorum assistentiam influxumque desiturum superstitiosiùs credebant. Hinc non tantùm è durissimo lapide & quasi incorruptibili statuas suas conficiebant, sed & membra ita corpori adaptabant, vt impossibile esset, membrum aliquod, sine totius statuæ fractura, frangi posse. Hinc quoque soluitur illud sculptorum dubium, cur Ægyptij soli sine exstitijs membris statuas confecerint, contrà Græci; quia Græci artis peritiam ambientes, simulachra Deorum, eâ maiestate & decore, quo eas decere putabant, viuum exemplar naturæ intuentes, constituebant; Ægyptij verò superstitiosiores, nimium de indignatione aut offensa Deorum, si quandoque mutilarentur, solliciti, ea tali construebant modo & ratione, quæ ab omni ruptura aut mutilatione immunia, integritate suâ Deorum per sacrificia attractorum assistentiam & influxum continuò conseruaret; quod minimè futurum rebantur, si vel minimum membrum, aut incuriâ, vel malitiâ hominum vitiaretur. Cùm prætereà simulachra sua prophylactica secum, quòcunque pergerent, portarent; si membris exstitijs essent, facilè fieri poterat, vt aut brachium, manus, digitus, aut pes, vel aliud instrumentum, quod vtplurimùm manibus gerebant, continuo vsu & circumlatione frangeretur. Hinc talibus incommodis præuidentes, eas eo sculpturæ apparatu faciebant, quem sequentes imaginum, quarum ingens multitudo ex Ægypto translata nullo non tempore fuit, typi luculenter ostendunt; hæ enim saccis, cistisque sine vllo rupturæ alicuius membri periculo inclusæ, non exiguam etiam violentiam facilè sustinebant. Vnde patet etiam Labanis idola, quæ Rachelē patri suo furatā Sacra scriptura dicit, huius farinæ idola fuisse ex Ægypto translata, aut ad imitationem eorum in Chaldæa constructa, cubitales nimirum statuas, membrorum eminentiâ destitutas, quæ facilè de loco in locum transferrentur, & etiam intra fœnum, paleas, ligna, saxa sine periculo absconderentur. His itaque præmissis, iam tandem propositam nobis materiam prosequamur.

Ægyptij statuas Deorum fere informes, Græci contra effingebant.

CA-

CAPVT II.

De hieroglyphica Penatum seu Tutelarium Aegyptiorum Numinum significatione.

Condebatur in pyramidibus genus quoddam statuarum tutelarium, quas corporibus custodiendis, animabusque in sphæras suas transferendis destinabant, cuiusmodi duæ sequentes statuæ sunt; quæ quomodo ad me peruenerint, paucis accipe.

Anno 1632 cùm Marsiliæ negotiorum causa morarer, recens ex Ægypto secum adduxerat duo ingentia simulachra Mercator istius Vrbis; quæ cùm dignissima visa essent, quæ Oedipo insererentur, eorum effigiem, eâ quâ fieri potuit, diligentiâ exprimendam curaui, quam vnà cum historica relatione postmodum ad me Auenionem destinauit Pater Ludouicus Brusettus Societatis nostræ Sacerdos, cuius verba hìc ex Gallico in Latinum traducta ad totius negotij authenticationem apponenda duxi. Penatum Ægyptiorum statuæ binæ earumque explicatio.

Reuerende Pater in Christo.

Ecce mitto tandem duorum simulachrorum, quorum R. V. desiderabat effigiem, vnà cum hieroglyphicorum in ijsdem contentorum exacta delineatione.

I. Nôrit itaque primò R. V. statuam nigram ex phario lapide exsculptam esse, alteram ex communi marmore; illam fœmineum, hanc masculinum vultum referre.

II. Idola memorata fuerunt inuenta in Prouincia Said, in loco non adeo remoto à mari rubro, intra magnam quandam pyramidem, quæ edacitate temporis ex vno latere corruptionem passa, adytum aperuerat, per quam Turcæ intrantes inuenerant dicta idola, credebantque ea esse, quæ olim Pharao huius Prouinciæ adorabat, adorarique ab omnibus suis subditis præceperat; qui & post mortem eius hanc ei pyramidem extruxerunt, intra quam vnà cum binis hisce idolis sepultus fertur. Et dicunt Sapientes huius Prouinciæ, hunc Pharaonem sedulò horum cultu confisum, animalium, quæ in dictis simulachris hieroglyphicè expressa cernuntur, operâ se in Paradisum portatum iri credidisse. Atque hic vetusta Gentis huius mos erat, mortuos suos vnà cum idolis paruis, cuiusmodi hodiernâ die intra Mumias adhuc reperiuntur, sepelire.

III. Hæc idola ex Said in Cairum summo cum labore allata fuerunt, siue ob distantiam itineris longitudine sexaginta dierum, siue ob pericula latrocinantium Turcarum, qui huius Prouinciæ deserta passim oberrare solent.

IV. Pondus singulorum idolorum inuentum fuit esse octingentarum librarum; quæ naui imposita opportunè Genuam primùm appulerunt; vbi Princeps Doria raritatem idolorum admiratus magnam pecuniæ summam, si Mercator ei vendere voluisset, obtulit.

V. Alti-

Ægyptiorum Numinum
Typus
Quæ nunc Serapes, nunc Ephori aut Lares uocabantur,
et erant Numina Ἀποτρόπαια, siue malorū auersiua.
Extant Marsiliæ apud Mercatoꝝ dictæ urbis.

Fig. prima — Fig. Secunda



V. Altitudo idolorum est septem pedum, quæ tandem feliciter in portum Marsiliensem appulerunt 4. Septemb. 1632. vbi & in hunc diem cum spectatorum admiratione ostenduntur.

Atque hæc sunt quæ R. V. paucis intimare volui circa dictorum idolorum historiam: si plura huius generis mihi occurrerint, de singulis R. V. propediem certiorem me facturum promitto; atque hisce vnà me R. V. sacrificijs & orationibus commendo. Marsiliæ 28. Decemb. 1632.

R. V. Seruus in Christo

Ludouicus Bruset.

Figuras memoratorum idolorum æri incisas hic, vnà cum eorundem hieroglyphicæ inscriptionis interpretatione, apponere visum est.

Interpretatio primæ figuræ A.

PRima figura ex lapide phario existit, velato capite, fœmineo vultu, reliquo corpore turbinato habitu in basin desinente; cuius anteriori parti inscripti sunt hieroglyphici Iconismi hoc ordine. *Primæ figuræ seu statuæ Serapis explicatio.*

Primo loco figura latè expansis alis, Accipitrino capite, & lotiferis sceptris vtrique pedi insertis conspicua occurrit, & vtraque ala in duas extremas hieroglyphicas columnas A B terminat. In medio verò, recto ordine descendendo septem similes priori figuræ sequuntur, quarum singulæ hieroglyphica schemata adiuncta habent. Quid verò mysteriosus horum hieroglyphicorum apparatus sibi velit, eâ quâ potero breuitate aperiam.

Diximus in Theologia & Medicina Ægyptiorum, Ægyptios certas quasdam Deorum catenas, quas σειρὰς appellabant, constituisse, quibus totius Mundi cura & administratio commissa esset, per continuum vnius in alteram influxum. Hæ catenæ initium sumebant à prima omnium Mente, & per Mundi sphæras deriuatæ, singulæ suum ducem & ministrum habebant, primæ Menti similem. Quas quidem catenas tantæ efficaciæ & potestatis esse credebant, vt mox ac mystici eorum characteres, iuxta legum sacrarum præscriptionem, simulachro fuissent insculpti, hoc ipso virtutem acquirere admirandam contra omnes aduersarum potestatum machinationes putarent. Atque talem quoque catenam exhibet præsens hieroglyphica inscriptio, quam catenam Iyngæam vocabant. Erat autem Iynx nihil aliud apud Hieromantas, quàm Mens prima solo intellectu comprehensibilis, in intimo Deitatis recessu abscondita, cuius & ineffabilem incompræhensæ naturæ caliginem apposite sanè per nigri coloris marmor, per velatum simulachri verticem, & turbinatum habitum indicabant, veluti ab omni corporeæ materialisque contagionis labe longè remotissimum. Character verò hieroglyphicus, quem litera A signat, eius naturam & proprietatem abditis symbolis oppidò luculenter *Catenæ seu Siræ Ægyptiorum.* *Iyngæa catena.* *Iynx quid apud Ægyptios.*

 expri-

exprimit. Globum capiti superpositum gerit, ad diuinitatem eius exprimendam; Accipitrino capite fingitur, ad intellectus ignei vim & potestatem indicandam; alas extensas habet, vt indicetur, nihil esse; quod non eius virtute foueatur & conseruetur; sub alis nescio quid triangulare elucet, ex cuius duobus angulis loco pedum canales se duo extendunt in circulum desinentes; ex circulo verò bina sceptra exsurgunt loti flore insignita; sub triangulo demum cauda volucris, cum extremo pedum veluti Crucem quandam ansatam efformat. Quæ omnia ordine mysterijs fœta hoc pacto interpretamur. Triangulum notat hanc Iyngem omnem vim suam & potestatem ex archetypo trigono accipere. Et primò quidem Mundum, quem circuli notant, vnà secum ex eiusdem vberrimis canalibus profluxisse, adeoque omnia quæ in Mundo sunt, ad huius exemplar producta esse, cuius symbolum loti flos est: sicuti enim lotus ad Solem, sic omnes Mundorum substantiæ ad archetypum suum conuertuntur, in idem reflexæ. Ex quo satis apparet, cur Ægyptij volucrem loco pedum mysterioso canalium in Mundos dispositorum apparatu exhibuerint; cùm enim pedes hieroglyphicè manifesta & sensibilia Deorum in Mundis vestigia, quæ in mirifica rerum ad diuinas virtutes analogia consistunt, notent; Iyngis autem supremæ vires effectusque non nisi mentis flore attingantur; hinc mirum non est, ipsos Iyngis effigiem non nisi symbolis abditis, & non nisi profundâ mentis contemplatione attingibilibus exhibere voluisse.

Septem Iynges sibi inuicem concatenatæ.

Quoniam verò in catena Iyngica omnia ex primæ Iyngis mente participatam virtutem habent, hinc septem Iynges, quæ septem Mundi sphæris præesse dicuntur, ordine sibi inuicem concatenatæ, & similibus prorsus symbolorum schematis adornatæ spectantur: quarum officium est, primæ Iyngis ideis in omnibus sese in Mundi administratione conformare, defluxusque ab altissima omnium Iynge per medias in infimam Mundi sphæram concatenatâ quadam propagine in omnium, quæ Mundi ambitu continentur, membrorū bonum deducere. Nam vt rectè Zoroaster:

Zoroaster.

Σύμβολα γὰρ πατρικὸς νόος ἔσπειρεν κατὰ κόσμον, ὃς τὰ νοητὰ νοεῖ, καὶ ἄφραστα καλλωπίζεται, ὁ λόφνης μερισμὸς, καὶ ἀμέριστος. *Symbola enim paterna mens seminauit per Mundum, quæ intelligibilia intelligit, & ineffabilia exornat tota partitio & impartibilis.* Quænam sunt paternæ mentis semina secundum Zoroastrum & veteres Hieromantas, nisi Intellectus secundus, immediatum Dei opus? Et quænam sunt in sidereos hylæosque Mundos sparsa semina, nisi paternus ex intellectualibus mentibus emanantium virtutum in commissarum sibi sphærarum œconomiam influxus? Quæ sunt illa intelligibilia & ineffabilia, quæ paterna mens & intelligit & exornat, nisi ideæ rerum omnium possibilium in diuina mente existentes, in exemplari suo sempiterno impartibiles, partibiles cum diffusione virtutum earum ad extra? Atque hæc sunt semina illa Zoroastræa diuinæ mentis, in vniuersas Mundorum series diffusa per Iynges. Nam vt in Zoroastræis Oraculis docuimus:

Paternæ Mentis semina quæ?

Zoroaster.

Ἴυγγες γὰρ πολλαὶ ἐπεμβαίνουσι φαεινοῖς κόσμοις ἐνθρώσκουσαι, καὶ ἐν αἷς ἀκρότητες εἰσὶ τρεῖς. ὑπόκειται αὐταῖς ἀρχὸς, καὶ ὑποκείμεναι ἄλλαι αἱ πατρὸς ἔργα νοήσασαι νοητὰ καὶ αἰσθητοῖς ἔρ-

γοῖς, καὶ σώμασι ἀποκάλυψεν. *Iynges enim multæ aſcendunt lucidos Mundos inſilientes, & in quibus ſummitates tres ſunt, ſubiectum ipſis princeps, ſub hoc aliæ, quæ patris opera intelligentes intelligibilia ſenſibilibus operibus & corporibus reuelarunt*. Quid aliud hiſce ſignatur, niſi trium ſummitatum profundum paternum, quod Aegyptij adorabant, cuius immediatus conceptuum in eo latentium executor Iyngicus chorus eſt, ipſis ſubiectus, qui hoſce trium triadum paterni fundi Mundos empyreos contemplatione dum intelligunt, eos ſenſibilibus operibus & corporibus reuelant, id eſt, iuxta diuinarum legum præſcripta Mundi membris per ineffabiles quaſdam virtutes inſerunt; & vti Zoroaſter ait: Διαπόρθμιοι ἑστῶτες φάναι τῷ πατρὶ, καὶ τῇ ὕλῃ, καὶ τὰ ἐμφανῆ μιμήματα τῶν ἀφανῶν ἐργαζόμενοι. *Tranſuectrices ſtantes dicere patri, & materiæ, & manifeſta imitamina latentium operantes*. καὶ τ' ἀφανῆ κοσμοποιίαν ἐγγράφοντες. *Et latentia in manifeſtam Coſmopæian inſcribentes*.

Verùm rem ita ſeſe habere, hieroglyphica apertè docent. Vides figuram A, Iyngem cæteris vti primam in ordine, ita maiorem quoque eſſe, imò Iyngicæ veluti hierarchiæ choragum; vides in ventre eius trigonum, ex cuius angulis canales in globum deducuntur, & hinc in ſceptrum lotiferum reflectuntur; quo quidem nihil aliud indicatur, niſi Iyngem immediatum fundi paterni triadici opus ex trigono archetypo per occultos & ineffabiles quoſdam canales opera patris & fundi eius deducere in Mundos, & hinc in ipſum patrem perenni quâdam contemplatione & amoris affectu reflecti: Mens enim ſuprema, vt Hermes ait, vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſima, in ſeipſum ſuum reflectit amorem. Fœcunda itaque paterna Mens non ad intra tantùm, ſed ad extra, dum ex trigono ſuo archetypo Mundum genuit, teſte Platone, in eum quoque perenni virtutum ſuarum emanatione influens, Iyngici chori adminiſtratione conſeruat; quæ omnia per Crucem Tauticam ſub trigono emergentem ſcitè ſignantur. Præterea Iynx prima à prima Mente igne imprægnata, calore omnia Mundorum membra implet; vnde non ſine cauſa ſub Accipitris alis extenſis, veluti omnia fouentis figura expreſſa cernitur. Nam vt rectè Zoroaſter: Τροφὴ δὲ τῷ νοοῦντι τὸ νοητόν. *Cibus enim intelligenti intelligibile eſt*. Μάνθανε τὸ νοητὸν ἐπεὶ νοῦ ἔξω ὑπάρχει, καὶ τοῦ νοῦ, ὃς τὸν ἐμπύρειον κόσμον ἄγει· νοῦ γὰρ νοῦς ἐστὶν ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου. *Diſce intelligibile, quia extra Mentem exiſtit, & Mentis, quæ extra empyreum Mundum ducit; Mentis enim Mens eſt Mundi ignei opifex*; & deinde igneam amoris vim in omnia Mundi membra diffuſam ſequentibus verbis docet: Νοεραῖς ἀστράπτει τομαῖς ἔρωτος δ' ἐνέπλησε τὰ πάντα, ἄμορφα μορφοῦσα, σμήνεσσιν ἐοικότα φέρονται ῥηγνύμεναι κόσμου περὶ σώμασι. *Mentalibus ſectionibus fulget, amoreq́; impleuit omnia, infigurata figurans, examinibus ſimiles feruntur perrumpentes per Mundi corpora*. Iynx verò ſuprema ſui ordinis choraga, vti à fundo paterno immediatè emanauit, intellectum paternæ Mentis ſimillimum adepta, ſic in ſubſequentes ſe Iynges ſeptem ſphærarum præſides ſimili igneæ Mentis influxu agit, ita quidem, vt ipſa ſuprema Iynx in ſtellato cœlo, in intelligibili Mundo omnis generis ideis referto ſedem ſuam figens, in octauum cœlum igneo influxus vigore ſecundùm analogiam quandam agat; & deinde hinc in ordi-

Prima ſeptem Iyngum cæteris maior.

Hermes.

Iynx ſuprema in cæteras influit.

ordine sequentem Iyngium Chorum, hic in sphæram Saturni, & hoc pacto ordine Iynges in correspondentes sibi sphæras Siderei Mundi vsque ad Lunam influxum suum pandant. Nam vt apposité Zoroaster; Νῷ μὲν κατέχει Ἴυγξ τὰ νοητὰ, αἴσθησιν δ' ἐπάγει κόσμοις· νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, ψυχὴν δ' ἐπάγει κόσμοις. *Mente quidem Iynx continet intelligibilia, sensum verò inducit Mundis; Mente quidem continet intelligibilia, animam verò inducit Mundis.* Nam vti in Theologia docuimus, omnes à paterna Mente Pantamorphis ideis referta emanant, mentali igne disponuntur, dispertitis septem Mundi canalibus vitam largiuntur & motum. Quæ omnia adeo luculenter descripsit Zoroaster, vt eius verba interpretationis loco esse possint; verba eius allego. Νοῦς πατρικὸς ἐρροίζησε νοήσας ἀκμάδι βουλῇ· παμμόρφους ἰδέας, πηγῆς δ' ἀπὸ μιᾶς ἀποπτᾶσαι ἐξέθορον· πατρόθεν γὰρ ἦν βουλή τε τέλος τε δι' ὧν συνάπτεται τῷ πατρὶ ἄλλην κατ' ἄλλην ζωὴν ἀπὸ μεριζομένων ὀχετῶν, ἀλλ' ἐμερίσθησαν νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι εἰς ἄλλας νοερὰς; κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ προύθηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, ἴχνος ἐπειγόμενος μορφῆς καθ' ἃ κόσμος ἐφάνθη παντοίαις ἰδέαις κεχαρισμένος, ὧν μία πηγὴ ἐξ ἧς ῥοιζοῦνται μεμερισμέναι ἄλλαι, ῥηγνύμεναι κόσμου περὶ σώμασι καὶ κόλπους σμερδαλέους. *Mens paterna striduit intelligens vigente consilio; omniformes ideas fonte ab Vno euolantes exilierunt. A patre enim erat consilium, & finis; per quæ coniunguntur patri per aliam atque aliam vitam à compartitis canalibus, sed partitis & mentali igne dispositis in alias mentales; Mundo namque Rex multiformis proposuit mentalem typum incorruptibilem, Vestigiumque promouens formæ per quæ Mundus apparuit omnifarijs ideis gratiosus, quarum vnus fons, ex quo strident aliæ dispertitæ perrumpentes circa Mundi corpora & sinus* ἀμείλικτους. Quæ & hieroglyphicæ inscriptiones in columnis B & C, satis indicant; nihil enim aliud significant, quàm effectus & operationes, quas in Sidereo Mundo, & deinde in Elementari præstant. In columna C primo loco Serpens occurrit cum pennis Accipitrinis, quæ sequuntur octo Accipitres; quibus indicatur Iyngem primò in Solem influere, per quem deinde reliquis octo sphæris, per totidem octo Accipitres indicatis, virtutem Solarem diffundit; hæ verò virtute Iyngica Solari imprægnatæ, inferiorem Mundum pariter virtute suâ in Mundi bonum imbuunt. Minutiorum hieroglyphicorum significationem consultò omitto, partim nè Lectorem intricatissimis characteribus confunderem, partim, quia nihil aliud, quàm quod dixi, continent, & facilè Lectori curioso, hasce inscriptiones cum alijs ijsdem passim in hoc opere occurrentibus, comparanti constare possunt.

Hoc loco solùm quæri posset, cur præsenti Idolo tam sublimem Philosophiam insculpserint? Respondeo, hoc ideo factum esse, quia quemadmodum suprà demonstrauimus, cùm Iynges immediatæ diuinæ seu paternæ voluntatis executrices essent, animas verò post exuta corporis inuolucra suis singulas sphæris vnde defluxerunt, quarum mentes Iynges, restituendas crederent; hinc Idolo, quod supremam Mentem indicabat, Iynges paternæ Mentis administras, eo consilio insculpserunt in sepulchrisque collocauerunt, vt sacrorum symbolorum tam eximia mysteria in se continentium ornatu aduersarium potestatum insultus infringerentur, atque adeo hoc religioso cultu anima, cuius corpus sepulchro

Zoroaster.

Hieroglyphica columnis B & C simulachri Serapis incisa.

Cur simulachro Serapis tot hieroglyphica insculpta.

chro continebatur, post varias reuolutionum permutationes tandem sphæræ suæ Iyngum ope restitueretur. Iynx enim religiosi operis exhibitione, id est, hieroglyphico hoc sacramento concitata, mox se, vti opinabantur, coram sistebat, & corpus ab omni noxa tuebatur, donec anima iuxta fatales Adrastæ leges, varijs transmigrationibus agitata, eidem restituta, beatamque in eo vitam ducendo, soluta denique in sphæram vnde defluxerat, Iyngis ope deportaretur. Hinc non incongruè illas Zoroaster διαπορθμίας, id est, transuectrices vocat, vti suprà visum fuit. Nam dum in Mente paterna leges fatales contemplantur, καὶ αὐταὶ φθέγξονται ἀφθέγκτοισι κινούμεναι; *Et ipsæ consilijs ineffabilibus mouentur*, vt animabus, quarum curam habent, congrua habitacula præparentur. Atque hinc patet cur hæc Iyngis figura in nullo non Mumiarum inuolucro expressa cernatur, vti ex Mumiarum Syntagmate luculenter patet.

Iynges animarum transuectrices.

Cùm itaque hæc statua pyramidi inclusa fuerit, vti relatio historica hoc Syntagmate proposita docet; certè ad nihil aliud, nisi ad ea quæ exposuimus, hâc mysteriosâ Iyngum exhibitione allusisse videtur. Est enim Iynx hoc loco nihil aliud, quàm Intelligentia illa Deo proxima; cuius munere animæ paterno fonti restituuntur, & vt Psellus ait, δεσμὸν μεταξὺ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς ψυχῆς. *Vinculum inter patrem & animam*. Octo verò Iynges ponuntur, quarum prima choraga cœterarum septem, vt octo sphæræ indicarentur, quibus animæ pro meritorum congruitate nunc huic, nunc illi, ab Iyngibus singulis suæ curæ commissis sphæris insererentur.

Iynx Intelligentia Deo proxima.

Psellus.

Iyngos octo cur insertæ idolo Serapis.

Quid verò minuti characteres Iyngibus circumpositi? Dico explicare effectus Iyngum; quas quidem libenter hoc loco exponerem, verùm cùm ij infidelem pictoris manum in designando experti, & insignem mutilationem passi sint, vti passim in omnibus alijs minutioribus figuris videre est; consultiùs eos intactos relinquere volui, quàm eos mea industria substituere. Accessit quòd eadem passim in alijs & alijs simulachris repræsentata spectentur, de quibus singulis suis locis tractabitur inferiùs.

Characteres minuti Iyngibus circumpositi.

§ II.

Secundæ figuræ interpretatio

EST hoc præsens secundùm simulachrum, priori quoad figuram, si hieroglyphica & colorem excipias, prorsus simile. Quid verò id significet, hieroglyphica nos docent anticæ simulachri parti triplici ordine inscripta. Dicimus itaque hoc Tutelaris pariter Numinis, sensibilis Mundi administratoris simulachrum esse. Quod vt intelligatur, Notandum est, quòd sicuti primum simulachrum ex intelligibili Mundo Numinis, vt ex hieroglyphicis patuit, simulachrum est, ita hoc sensibilis Mundi præsidis simulachrum esse; siquidem quæcunque mens Iyngæa sapienter disposuit, hæc sensibilis Mundi mens iuxta participatum Iyngum influxum in executionem deducit. Mundum sensibilem supernorum

Secundæ figuræ seu statuæ Serapis explicatio.

Secundum hoc simulachrum ex Mundi Sensibilis præsidibus.

rum

rum influxuum ideis imprægnando. Hinc aptè Iyngæo Numini coniungitur, veluti rerum ab eo sibi commissarum executrix. Nam hos fontanorum craterum ideales influxus ab Iynge impressos in singulas sphæras deriuat. Sicuti etiam ab Iynge suprema catena efficitur Iyngæa, sic ab hâc Zonæa, id est, Numinum sphæris assistentium catena deriuatur; illa Intelligibilem, hæc Sidereum Mundum spectat, ita vt Siderei Mundi præsides superintelligibilis Mundi præsidibus parallelè veluti inferiores superioribus subdantur, vti in Theologia Ægypt. fusè deduximus; hinc illa nigro saxo, ob inaccessæ caliginis profunditatem, intellectui inexplorabilem; hæc candido, ob Siderei Mundi fulgorem constituta fuit.

Hieroglyphica secundo simulachro incisa.

Sed hæc ita esse, iam ex hieroglyphicorum structura pandamus. Sunt in hoc simulachro tres hieroglyphicorum series, quæ totidem literis M, N, O, signantur. In primæ seriei columna, brachium conspicitur cum catena & circulo, feretrum, alterum brachium, Serpens cum hydroschemate & cratere, quem sequuntur quatuor hydroschemata. Quid brachium, feretrum, Serpens cum hydroschemate, & reliqua significent, iam sæpe sæpius expositum est; vnde omissa vlteriori descriptione sensum tantùm assignemus, qui is est vt sequitur in prima columna M. *Benefica Numinum Sidereo Mundo præsidum catena vitalem humorem in crateres fontanos deriuat*; vti Genius Solaris, & statua Accipitrina notant; *eos committit Isi beneficæ*, quemadmodum sequens statua docet; *humidam substantiam crateri inferiorum & hylæorum Mundorum inserit, catena Genij Solaris ope, cuius prouidentiâ porta aperitur Mendesio Genio* per Hircum indicato, *& omnia inferiora animantur.*

Columna M.

Columna N.

In secunda columna N occurrit statua Genij alterius, cuius officium est & dominium in tripartitas anni partes affluxus supernos deducere, vnicuique suam congruam proportionem assignando, cuius symbolum Columba est, teste Horo, & nos in Obelisco Pamphilio fusè ostendimus. Primò enim beneficâ quâdam prouidentiâ, quæ consuetis religionis ritibus concitatur à Sacerdotibus, ad exemplar Archetypum adaptatis attractâ, flos Loti in manu statuæ indicat; rerum omniũ vbertatem inferioribus Mundis indit, & cornucopiæ cum tribus circulis luculenter docent; catena quoque Solaris Numinis inde mota, humore replet fontanos inferioris Mundi crateres.

Columna O.

In tertia columna O Serpens occurrit cum duabus pennis, hydroschemate, oculo, sceptris, Columba, gnomone, cui sphæra insistit, & vase è quo emergunt tres Loti flores; sequitur quadratum, cui Accipiter includitur, cum cycloide, hydroschematis binis, cycloide, Scarabæo, penna, brachio extenso; quorum hic sensus est: *Vitalis Intelligentia humidi prouisor, omnia mirâ quâdam ratione temperat per symmetriam & amorem, quem singulis rebus in hoc Mundo indit.* De qua amoris sphæra cùm ampliè disseruerimus in Geometria hieroglyphica, eò Lectorem remittimus.

Amor rerum in quo consistat.

Consistit autem amor rerum in conformatione, quâ omnia archetypum suum appetunt, vt tres Loti flores aptè docent; hi enim ab Ortu, Meridie, & Occasu constanti motu, Solé, veluti Sideris amore conciti, sequuntur

vtpo-

vtpote à quo vitam & alimentum omne habent. Hâc enim conformatione Osiris ille supramundanus Mundo inferiori includitur, veluti sympathicâ quâdam operatione attractus; ex hoc denique benefica rerum omnium vbertas. Atque hæc omnia non tantùm ad physicas considerationes traduci possunt, sed & moralibus & physicis quàm maximè applicari; ostenditur enim hisce ijsdem, quomodo anima piè sanctèque corpore soluta per catenas Numinum ad supramundani crateris delicias transferatur, & ab Osiri, Isi, Ammone, vitâ, motu, fœcunditate cœlesti imbuatur; quomodo bonis omnibus repleatur, si præsentis vitæ rationem Numinibus conformem instituerit. Quare vel ex hoc patet, huiusmodi hieroglyphica non alio fine huic præsenti simulachro fuisse incisa, quàm vt Numen ijs motum primò corpus ab omni noxa conseruet, animam verò bonis omnibus repleat, suæ sphæræ restitutam.

Atque hæc sunt quæ de binis hisce simulachris paucis indicanda duxi.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMISEXTI.

SYNTAGMA XVII.

De magnæ efficaciæ Idolis, siue de Dijs Auerruncis primi ordinis.

ADMODVM REVERENDO AC RELIGIOSISSIMO
PATRI,

P. VINCENTIO FANO,
ORDINIS PRAEDICATORVM,

SS. Theologiæ Magistro, & Reuerendissimi S. Apostol. Palatij Magistri, Socio meritissimo.

SAPIENTIA, quâ Tu, Religiosissime Pater, *oppidò polles, lux est, tantæ virtutis, vt nullum non radiorum suorum fulgore trahat; radij huius lucis sunt magna animæ* Tuæ *ex eodem Sapientiæ fonte deducta talenta, ingenij sublimitas, iudicij limatissimi perspicacitas, diuinarum humanarumque rerum absoluta notitia, cum insolita beneuolentia & humanitate ita aptè connexa, vt inde mira quædam resultet harmonici animi* Tui *temperies, quâ corda rapis omnium. Censuisti hoc Opus cæteroquin sanè difficile, & intellectu arduum; & ita quidem censuisti, vt nihil quod ad debitum decorem splendoremque consequendum vllatenus necessarium ei videretur, omiseris. Qua virtutum omnium & humanitatis complexu adeo me non tantùm vicisti, sed ita deuinxisti, vt* Tuum *me penitus ex asse feceris. Et cùm meum in* Te *affectum aliâ re commonstrare non liceat, hoc* Tibi *argumentum inscribendum duxi, veluti perenne quoddam* Tuorum *in me meritorum mnemosynon. Vale.*

CA-

SYNTAGMA XVII.

De magnæ efficaciæ Idolis, siue de Dijs Auerruncis primi ordinis.

CAPVT I.

Auerrunci Dij qui dicantur.

INTER cætera Ægyptiorum simulachra, quàm plurima eorum Deorum, quos Græci ἀποτροπαίους, Latini Auerruncos, alij Curetas vocant, reperiuntur. Dicebantur autem Auerrunci, eò quòd omnes malorum impendentium occursus auertere crederentur; vnde à Græcis ἀποτρόπαιοι, ἀπὸ τοῦ ἀποτρέπειν, id est, *auertere*, dicuntur. Sunt autem huiusmodi simulachra in varias diuisa Classes. Quorum omnium interpretationem hoc loco opportunè sanè adducemus. Auerrunci Dij qui dicantur.

Primo quidem loco ea occurrunt, quæ magnæ efficaciæ dicuntur, eò quòd situ, gestu, ἀντιτέχνοις potestatibus formidinem incutere videantur; cuiusmodi præsens statua est ex Museo Hippolyti Vitteleschi extracta, minax vultu & manibus; cuiusmodi præ foribus delubrorum ponere solebant, ad assultum contrariarum potestatum impediendum. In hac velatus vertex latentis diuinitatis indicium est; vultum minacem præsefert, & brachijs pendulis, manibusque validè contractis, stimulis quos manibus gestat, ad terrorem incutiendum intenta, pedibus quoque ad resistendum cum impetu compositis, plena minarum & indignationis nescio quid ferociter exhibeat. Spectantur huius generis gygantea magnitudine in hunc vsque diem Tibure, ante Cathedralis Ecclesiæ vestibulum, bina simulachra, quos Goeios vocant. Hos vide in Iconismo Obelisci Barberini, genuinâ delineatione exhibitos, eiusdem prorsùs formæ & habitus, quo præsentem intueris; nisi quòd Canophoræ sint. Statua Auerrunca magnæ efficaciæ.

De Statua loquente.

DÆmones non tantùm ex ſtatuis varijs, veluti Oraculis quibuſdam, ſed & vel ipſos Sacerdotes ad populum maiori erga Deos cultu & veneratione detinendum locutos, plebi ſimpliciori callidâ arte impoſuiſſe, varijs huius Operis locis oſtendimus; fuitq; adeo huiuſmodi loquentium ſtatuarum vſus in Ægypto frequens, vt vix Nomus eſſet, qui ijs careret. Atque adeo principalis Sacerdotum finis in hoc conſtitutus fuiſſe videtur, Dæmones per Magicas adiurationes variaque incantamenta, in ſtatuas legitimis ritibus in adytis priùs conſecratas attrahere, atque attractos varijs deinde quæſitis conſulere. Et quoniam Dæmones non ſemper reſponſa dabant veritati conſentanea, ſed conſulentes varijs modis illuſos prorſùs dementabant; hinc factum eſt, vt Sacerdotes officio Dæmonis functi, & ad fraudes conuerſi, eo artificio ſtatuas adornarent, vt per occultos meatus deductis vſque ad caput ſtatuæ ſyphonibus per eos, quæ vellent ad ſuperſtitioſæ plebi imponendum, quaſi Deorum voces & pronunciata immurmurarent; quemadmodum de Sphynge Memphitica in Mechanica, & in Magia de Oraculorum ratione, ſtatuarumque loquentium conſtitutione fusè diſſeruimus.

Ex Muſeo Franciſci Serræ.

Atque talis fuit ſtatua hæc præſens, quæ in Muſeo Illuſtriſſimi Equitis Franciſci Serræ Romani, Viri & nobilitate, omniumque bonarum artium cultura eximij, ſpectanda exhibetur, adeo præcedenti ſimilis, vt nulla prorſùs differentia inter illas dignoſci poſſit, niſi quòd illa ex nigro, hæc ex fuſci coloris lapide ſit efformata. Habet hæc præterea os patulum & vſq; ad occiput pertuſum, ab occipite verò vſque ad medium dorſi meatum habet, per quem haud dubiè canalis ex bucca Deaſtri meatui huic inſertus per parietem in abditum quoddam receptaculum deducebatur, in quo per eum Sacerdotes immurmuratis compendioſi ſermonis effatis, de varijs conſulentibus reſponſa dabant; hoc enim pacto contingebat, vt à reſponſo dato, veluti à Numinis ore pronunciato pendentes, non tantùm in Numinis iſtius (veriùs Dæmonis) cultu ſuperſtitioſiores obſtinatioreſque fierent, ſed & hoc impio Sacerdotum dolo illuſi ad oblationes & munera Dijs debita, vti ipſi putabant, veriùs doloſis Myſtis offerenda magis magiſque animarentur; magnũ quid-

piam

piam se patrasse opinati, si illud, quod fraudulenti ingenij astutiâ actum erat, in simplicioris plebis animis, diuinæ Numinum operationis, & miraculi cuiusdam existimationem obtineret.

Auerruncorum Deorum statuæ varijs auerruncationis symbolis conspicuæ spectantur. Sunt quæ vncinos & harpagones manibus decussatis portant; aliæ flagellis ex sacrorum animalium caudis instructæ; nonnullæ retibus ab humeris dependentibus; quædam hieralpham manu gestant. Quæ omnia ordine exponentur.

Auerruncorũ Deorum instrumenta auerruncatiua varia.



Et primò quidem in præsenti figura, antica & laterali, vides fœminæ vultum velato vertice conspicuæ, & manibus decussatis harpagones gestantis, cuius in dextra harpago annexum habet rete ab humero dependens; quæ quid significent, aperio.

Isis Dea auerrunca.

Iam passim hoc Opere ostensum fuit, Isidem Auerruncum Numen

ab vniuersa Ægypto creditam esse; quæ, Plutarcho teste, cadauer Osiridis à Typhone in Nilum proiectum, vncino extra Nili fluenta reti excepisse memoratur. Atque hoc est, quod aptè sanè hoc loco exprimitur per vncinum & rete ab humeris dependens; Isis Nili Genius est, aduersas ab eo potestates sistri sono prohibens, citato Plutarcho teste; sistrum itaque proprium Isidis symbolum. Et nè Typhoniæ potestates denuò nonnihil contra Osiridis corpus, id est, Nilum (Osirin enim iam sæpè dictum fuit pro Nilo sumptum fuisse) vel immodicâ siccitate, aut humiditate suffocatiuâ, in damnum totius Ægypti machinarentur; statuam hanc vncinis & harpagonibus, vti & reti terribilem, ἀντίτεχνον statuerant; vt symbolis potestati eorum contrarijs, à nocendo lædendoque desisterent, magnæ, vt vocant, ad eas cohibendas efficaciæ; & hieroglyphica anticæ parti statuæ incisa luculenter docent; vbi primò statua sedentis in morem exposita, manibus extensis, infra se fauissam cum canali Nilotico & Accipitre continet; sequitur mox alia statua, malè tamen efformata, cùm tribus terminis, cùm vncini figura, quæ tamen non, vt hìc, separata est, sed edacitate temporis detrita, atque adeo nihil aliud quàm statua est manu vncinum gestans; quod verum esse, similes inter hieroglyphica vncino instructæ statuæ passim docent. Sequitur hemicyclum, cum penna; deinde oculus; quem sequuntur bini flores Loti cum Cruce & penna; hos verò duo pistilla cum sceptro, Accipiter quoque crateri insistens, cum Cruce; deinde hemicyclum cum securi inter duos terminos locata, quam sequitur oculus, vas Niloticum, securis, altare, vas Nili, altera statua vncino instructa, & denique Ibis cum apposito vase Nilotico, & sceptris. Quorum omnium sensus est qui sequitur: *Statua Isidis auuerrunca malorum à fauissa & canalibus eius, vti & crateris Osiridis tutrix; Isis auerrunca malorum à tribus hylæis Mundis; prouidentia ad archetypum adaptat omnia, quadrifido in Mundum inferiorem influxu cohibet Typhonias potestates, Osiridis craterem in quadrifidum Mundum deriuat; noxia & perniciosa auertit, prouidentia humidæ substantiæ omni honore veneranda; Isis extractrix ex Nilo Osiridis, humiditatis Lunaris domina & administratrix.* Huic congruunt complures statuæ, ex diuersis doctorum Virorum Museis extractæ, & inter cœteras haud absimilis est statua, quam olim eruditissimus Medicus Bartholus Bartholinus Danus mihi communicauit, & ferè eadem est cùm ea quæ sequitur, vti & hieroglyphica inscriptio eadem est, vt proinde ob similitudinem denuò incidendam non duxerim; quare consule sequentem. Fœmina velato vertice, sinistrâ vncinum cultriformem, dextrâ hieralpham, cui annexum est rete, gestat, in antica parte hieroglyphicâ inscriptione insignita. Vncinum & hieralpham, cui rete annexum est, manibus portat, & indicant Agathodæmonem auerruncum, quem statua refert; velatus vertex diuinitatis latentis symbolum est; hieroglyphica verò ea sunt quæ sequuntur: Sceptrum, oculus, sed cuius pupilla desit, statua Accipitrina, Altare, brachium extensum, canalis sacer, Crux, baculus incuruus, ramus triplex inuersus, oculus, tria quadrangula cum hemi-

Hieroglyphicæ statuæ Auerruncæ.

Alia statua Auerrunca.

hemicyclo, cycloides, baculus incuruus cum Coturnice: quorum sensus est; *Prouidentia Numinis venerandi, canales beneficâ vi suâ imbuat; tres anni partes prouidentia dirigat, à tribus Mundis hylæis auertat omnia Typhoniarum potestatum molimina.* Nota has notas meliùs in sequenti simulachro



exprimi. Huic prorsùs similis est, quam non ita pridem ad me propriâ manu delineatam per Nihusium transmisit Clarissimus Vir Philippus Cæsius, quam & apud hæredes Ioannis Volckeschen ex testa fictili subcærulei coloris extraxit.

Tertiò sequuntur statuæ binæ prorsùs præcedentibus similes, quarum maior manu dextrâ, hieralpham & rete à tergo dependens, sinistrâ verò cultrum tenet; quæ quidem symbola nihil aliud quàm potentis sectionis Agathodæmonem notant. Hieroglyphicorum inscriptio Aliæ binæ statuæ Auerruncatiuæ.

cùm

cùm prorſùs eadem ſit cum præcedenti, vti vnam cum altera comparanti patebit, ita eundem quoque ſenſum refert. Simulachrum minus fo-

lium perſeæ manu ſiniſtrâ tenet, dextrâ hieralpham, cœterùm vti præcedentia velato vertice; quæ quid indicent, iam dictum eſt. Perſeæ folium ſapientiæ ſymbolum eſt, habet enim fructum perſea cordi, folium linguæ ſimile, teſte Horo, geſtabaturque ad Mercurium attrahendum, cui perſea dicabatur, vti ad eiuſdem poteſtates ἀντιτέχνες profligandas apta.

Alia ſtatua Auerruncatiua.

Sequitur aliud ſimulachrum pariter vertice velato, quod ſuperiori anno ſummâ diligentiâ delineatum mihi Illuſtriſſimus Dominus Guilielmus Huſtlerus Anglus communicauit; manibus hieralpham & vncinum geſtans cum barba reticulari, totum reliquum corpus anticum varijs hieroglyphicorum ſchematis inſignitum eſt, vt in ſubiuncta figura apparet; quam nihil aliud eſſe dicimus, niſi Agathodæmonem Auerruncum, vt ipſa

auer-



auerruncationis symbola abundè testantur. Quid verò velatus vertex, quid symbola velint, iam suprà dictum est; quid hieroglyphica significent, aperiamus.

Primus ordo continet Serpentem cum quatuor lineolis, quæ tamen quid repræsentent, dispici non potuit; hæc sequitur ampulla sacra cum hemicyclis, & brachio extenso (tale enim exhibere debet, licet depictor id non exactè assecutus sit). Sequuntur Ibides binæ mediante quadrato, postea ramus triplex inuersus, post hunc sequitur figura, quæ vti ex alijs hieroglyphicis schematis patet, aliud non refert, nisi statuam sedentem; hanc pyramis piscinæ sacræ insistens, quam denuò Ibis cum securi, & Altari, oculo, Serpente, & baculo nodoso; agmen claudit thyrsus. Quorum sensus hic est. *Vitalis humor inferioris Mundi beneficentiâ Mercurialium Geniorum Mundo hylæo præsidentium, tripartito anni tempore communicatur per statuam quæ sacræ piscinæ influit; quâ Mercuriale Numen attractum prouidentiâ suâ vitam largitur suæ curæ commissis.* Hieroglyphica huius statua.

Secundus ordo hunc sensum efficit. *Mercuriale Numen tripartitum anni tempus influit; & posita sibi statua propitiatoria, canales laxat, aduersa repellit, Mercuriale Numen debito honore cultum, aërem inferiorisque Mundi substantiam fœtura rerum imbuit, per statuas sibi appropriatas religiosè cultas.*

Tertius, vti ex symbolis patet, hunc sensum efficit; *Typhonicæ potestates per Ibiacas intelligentias, supremi Numinis influxum in inferiora propagantes religioso cultu Sacerdotum, profligantur, vnde hylæo Mundo magnum stabilimentum nascitur.*

Quartus. Hâc symbolorum serie hic sensus efficitur; *Mundi superiores inferioresque Ibiacorum, id est, Mercurialium Numinum catena dominatrice, malis expulsis conseruantur.*

Quintus. *Vita datur Crateri magni Osiridis per statuas mysticas, & Momphtæas ipsum circumstantes, & beneficâ vi fouentes.*

Sextus. *Cœlestis Crater ope Intelligentiarum magnam vim acquirit ad abundantiam inferioribus conferendam.*

Reliquas tres series non expono, tùm quia ex figuris ipsis notæ sunt, tùm etiam vt nonnihil exercitij curioso indagatori relinquatur: continent enim symbola nota, & iam sæpe sæpius explicata.

CAPVT II.

De simulachris Aegyptiorum portatilibus.

Simulachra portatilia Ægyptiorum.

NIhil his simulachris vulgarius est, cùm vix sit Museum in quo non reperiantur; & magna eorundem quotannis ex Ægypto multitudo adfertur. Sunt autem longitudine vnius digiti, aut etiam cubitales, & eodem penè habitu, quo maiores statuæ, exornantur. Quæritur itaq; quid Deastri huiusmodi significent? Respondeo ex eorum numero esse, quos Auerruncos siue Apotropæos diximus, & quos Hebræi Theraphim vocabant. Atque hoc ita esse, symbola quibus exornantur, apertè docent; sunt enim vt plurimùm hieralphis, harpagonibus, vncinis, flagellis, scuticis, similibusque auerruncationis symbolis instructa. Sunt etiam partim ex testa, partim ex ligno, & metallo subinde fabrefacta. Horum simulachrornm tria in Museo meo spectantur; quorum prius testaceum pro suis in Rempublicam literariam meritis donauit Clarissimus ac summè eruditus Vir Nicolaus Heinsius; alterum metallicum priori prorsus simile Illustrissimus Hispaniæ Inquisitor; tertium ex cedrino ligno, in Ægypto Mumiæ fascibus inuolutum eruerat P. Marcus Ord. S. Francisci, à S. Congregatione propagandæ fidei in Ægypto Missionarius, quod & pro sua in me humanitate sanè singulari, ex Ægypto translatum in Museo meo constituit. Singula decussatis manibus arma ferunt malorum auersiua. Inscriptio quoque hieroglyphicorum cùm eadem sit, vnam hîc explicasse sufficiat.



	Hieroglyphica.	*Lectio.*
1	Serpens	1 Vitalis 2 trium elementarium Mundorum
2	Tres termini	
3	Hydroschema	3 humor
4	Brachium extensum	4 beneficus
5	Ara cum penna	5 cultu religioso allicit
6	Ibis	6 Mercurium, qui
7	Serpens cum duobus terminis	7 vitam deriuat in hylæos Mundos,
8	Vas Niloticum cum catena	8 in aquam Niloticam, ope catenæ Numinum aquaticorũ.
9	Hieralpha	9 Agathodæmon humorem naturæ deducit
10	Hemisphærium	10 in inferiores
11	Figura piscinæ	11 piscinas adytorum;
12	Musca Ægyptia, cum thyrso papyraceo.	12 Vbi polymorphus Dæmon singulis distributâ suâ portione, inde necessariarum rerum abundantiam confert.

Com-

Conplura huiusmodi in Museo Gualdi, Angelomi, Barberinorum, cæterisque priuatis domibus spectantur. Melitæ tres bipalmares huius generis statuas possidet Clarissimus Vir **Io. Francis.** Abela, Ordinis Vicecancellarius, quas hoc loco libenter proponerem; verùm cùm eædem prorsùs sint cum ijs, quas paulò antè descripsi, nè temporis iacturam paterer, eas consultò omisi.

Atque hæ quidem statuæ nihil aliud sunt, quàm Hebræorum Theraphim, quas Rachelem patri suo furatas, abscondisse sacræ literæ testantur; de quibus cùm primo Tomo in Pantheo Hebræorum, capite de Theraphim, amplissimè egerimus, eò Lectorem remittimus. Teraphim Hebræorum.

Ad hanc quoque Classem reuocantur eæ statuæ, quæ Mumiarum inuolucris insutæ reperiuntur, de quibus cùm postea Syntagmate XVIII. fusè acturi simus, Lector id consulere poterit.

CAPVT III.

De statuis Auerruncis alia forma, quas μεσίτας *vocant.*

Occurrunt complures Deastrorum Ægyptiacorum statuæ quas μεσίτας, id est, mediatrices vocant; & ita dicuntur, quia maioris ordinis Numina ab inferioris ordinis Numinibus supremæ Menti ad id, quod prætendebant, obtinendum, sollicitanda exhibebantur. Meminit horum Chrysippus in Libro de Antro Mythræ; Τὰ τείχη τοῦ σπυλαίου παντοποικίλοις εἴκοσι κοσμούμενα, καὶ τὰ τῶν Θεῶν, ἃς μεσίτας καλοῦσι, ἀγάλματα περιϊστάμενα. *Muri speluncæ omnigenis imaginibus ornati, & Deorum, quos mediatores dicunt, simulachra circumstantia.* Et sunt iterum in varias Classes diuisæ: nonnullæ ingeniculatæ, quædam stantes, aliæ sedentes Deorum μεσίτων simulachra ante se posita exhibent; quibus quidem figuris omnes Obelisci referti sunt, vti suo loco patuit; quæ & seorsim lapidibus appropriatis incisæ adytis, delubris, ædibus priuatis auerruncationis malorum causa imponebantur, & maximam habere putabantur ad superna charismata adipiscenda virtutem & efficaciam. Statuæ auerruncæ dictæ μεσίτ. Chrysippus.

Spectatur iu hunc diem Romæ in Palatio Farnesiorum simulachrum ingeniculatum formâ fœmineâ, quod ante se gestat aliud simulachrum Numinis turbinato habitu indutum; manu sceptrum tenet, capite cydari in cucurbitæ formam adaptata, cui globus insidet, spectabilis, vti in sequenti figura patet. Fœminea forma Isidem, id est, tellurem indicat; Idolum verò quod ante se tenet, Canopicum Numen exprimit, cuius proprium est, terram fœcundo humore beare, cuius cucurbitalis tiara quam capite gestat, symbolum est, quam & duo cornua ambiunt cum globo intermedio, quibus humorem, nisi radiorum cœlestium virtute haberi minimè posse, indicabant. Sed vide quæ de hoc Idolo fusiùs locuti sumus in Syntagmate de Canopis, in expositione figuræ VI. Iconismi Canopici, vbi huic haud absimile exhibuimus. Habet hoc simulachrum

in dorso sequentem hieroglyphicam epigraphen, duabus columnis comprehensam. Prioris columnæ sensus hic est. *Ignea* A *vis & potestas* B *Osiris ad supremi Numinis* C *archetypon disposita*, D *vitam Mundo inserit*, E *precibus & cæremonijs Sacerdotum*; *queîs Ammonia vita attrahitur Typhonijs malis eliminatis dispulsisque*; G *catena Deorum occulto motu concitata, vitam largitur* H *benefica vegetabili naturæ*; I *occultus Deorum motus* K *beneficus iterum vitam influit Mundo aqueo*, *vnde* L *rerum necessariarum vbertas*; M *vitali Nilotici liquoris fœcunditate, quadrifidi Mundi facies repletur*, N *Osiris Mundi inferioris præsidis fauore.*

Nota, inter D & E omissa esse à sculptore 2 brachia cum capite Arietino.

Statua Farnesiana.



Secundæ columnæ sensus hic est. O *Quadrifidæ Mundorum facies cœlesti & elementari liquore replentur*; P *beneficio statuæ Isiacæ*, Q *cuius cultu Polymorphus Dæmon* R *cœlestem vtrem exonerat in inferioris Mundi piscinas, potestate cui omnia substant, portas Mundorum inferiorum* S *portas* T *naturæ humidæ vegetabili naturæ summo* V *dominio & sapientia aperit*; *vnde* T *religione à Sacerdotibus ei ritè peractâ*, V *dispulsis malis*, & X *Typhonia sobole*, Y *quadrifidi Mundi inferioris facies* Y *Osiridis luce repleta cœlestis vter in inferiora exoneratur*; Z *catena Geniorum Solarium & Agathodæmonum, ad eius ideam conformata*, a *tres anni stationes benefico & fœcundo* b *humore pro cuiusque exigentia replentur*, c *bubone profligato*.

De statua Mesitica Orignana, quæ in Orignano Oppido spectanda exhibetur.

EST Orignanum Oppidum ad radices montis Soractis 24 mill. pass. Roma dissitum, in cuius cœmiterio, quod est ante dicti Oppidi Ecclesiam, statua cernitur ex phario lapide, ingeniculata situ, prorsus & per omnia similis præcedenti, nisi quòd multò maior sit; neque enim maiorem, si Tyburtinæ Basilicæ appositas statuas excipias, Ægyptiam statuam me vidisse memini: genibus enim nixa iuxta corporis humani proportionem, septem palmorum altitudinem habet; iniuriâ temporis capite, & aliquantum pectore mutilata est; ante se tenet aliam statuam quadrangulo impositam, prorsùs eandem, quam statua Farnesiana superiùs apposita, cum duobus alijs Idolis & Serpentibus, obtinet; retrò ingentem hieroglyphicorum congeriem tribus columnis digestam exhibet; quæ quidem à me transcripta, attamen ob temporis breuitatem & angustiam non licuit incidere. De qua statua in epistola quadam Fabius Ghisius olim in Germania Nuncij Apostolici munere functus, modò S. R. E. Cardinalis longè Eminentissimus dignissimusque, dum illac transiret, & de statua certior factus eam examinasset, ita scribit.

Statua Orignana.

Admodum R. P. Athanasio Kirchero Soc. IESV Fabius Episcopus Neritonensis. S. P. D.

DIscessi Roma die XVI. perueni que subnoctem ad Rignani Oppidum, quod est sub ditione Excellen Principis Burghesij (modò Ducis Muti) *XXIII. ab Vrbe lapide. Inueni ibidem signum perantiquum, licet non integrum, hominis sedentis, è lapide nigro, ni fallor, substinentisque duas paruulas figuras, & circumquaque arcanis distinctum notis, quales tu, eruditissime Vir, rimaris & conspicis in vnaquaque Pyramidum. Opus ego iudico Ægyptium, & multâ eruditione refertum: ideo volui ind care tibi, vt accedas aliquando ad locum, & vberem inde copiam habeas doctissima volumina, quæ moliris, exornandi &c. Cluenti die 19. Iunij 1639.*

Aliud ex Museo Excellentissimi Viri Ioannis Rhodij Medici Patauini.

Simulachrũ auerruncum à Rhodio missum.

QVadruplicem tibi huius simulachri faciem exhibemns; anteriorem, posticam, sinistram, & dextram. Anterior fœminam tibi exhibet velato vertice, more Ægyptiaco, conspicuam, quæ ante se aliud exponit Idolum sine capite stans, & decussatis brachijs binas clauas gestans. Figura fœminea Isis est, fœmineum sexum mentiens, & masculina quâdam virtute præditum, vti in tabulæ Bembinæ exposi-

tione demonstratum fuit. Quod repræsentat, simulachrum Hori est, filij Isidis; sine capite est, quia quem Typhon diuinitatem eius abolitam cupiens, occiderat, Isis ad immortalitatem restauratum resuscitauit: nam vt rectè Plutarchus, Isis est vis illa fœminea, & totius susceptrix generationis

tionis

tionis, & non incongruè τιθήνη & πανδεχὴς, nutrix & susceptrix inde dicta fuit; habet enim congenitum amorem erga id quod primum ac summum est inter omnia, ipsum scilicet bonum, ad hoc enim rapitur, hoc optat, hoc sequitur; quod verò malum est, fugit & aduersatur. Hinc non abs re Osiridis animam incorruptam & sempiternam testantur, corpus verò à Typhone dilaceratum, Isidem verò id quærere, atque in artus restaurare. Nam quod perpetuum est, id desultorio ac mutabili multò præstantius, & quas à mutabili imagine sumit, nec perennant, nec semper eædem sunt, sed quasi è cera sigilla & impressiones vestigiaque delentur. Cùm has itaque præter rationem admittit ac mutuatur, tunc aduersus Horum manus conserere dicitur, eumque conficere Typhon, quem Isis ceu sensibilem intelligibilis Mundi imaginem progenuit. Habentur huius vestigia in Museo Gualdino montis Pinciani, vbi bina simulachra spectantur Isidis sedentis genibus Horum puerum exceptum lactantis, quæ omnia ad dicta alludunt. Quid verò partes Hori ex Iside & Osiride? Quid sine oculis & capite mutilatum corpus Hori, nisi primam adhuc & imperfectam generationem factam, vti putabant, ante visibilem Mundi constitutionem, aut rude quoddam, vt cum Plutar. loquar, & imperfectum Mundi nascentis simulachrum? Quæ simulachrum Hori, quod Isis exhibet, nudum & ἀκέφαλον satis superque demonstrat. Isis itaque Horum veluti μασίτην exhibet Osiridi Patri, vt dissipatis Typhonis moliminibus, sensibilem Mundi imaginem, quam Isis natura rerum, & passiuum principium vtero produxit, tueatur, instauret, atque perficiat. Hinc Sacerdotes huiusmodi simulachrum mysticis hisce rationibus adornatum, magnam potestatem obtinere ad Typhonias potestates eliminandas arbitrabantur. Hieroglyphica verò in abaco & postica parte posita, effectus indicant rerum, quas huius cultu simulachri se consecuturos sperabant; quæ libenter hoc loco ordine exponerem, verùm cùm adeo malè efformatæ sint, & magna ex parte mutilatæ, malui expositionem intactam relinquere, quàm illas varijs coniecturis supplere. Hæc autem quæ dixi, ita se habere, confirmat

Isis totius generationis susceptrix.

Hieroglyphica huius simulachri.

Aliud huiusmodi apud Petrum Stephanonium, Idolum, & est Isis sedens, & Horum μασίτην tabulæ insculptum exhibens, ijs symbolis adornatum, quibus passim eum exhiberi in hoc Opere vidimus. Horus turbinatæ vesti inuolutus, & vittâ redimitus, manibus baculum Cucuphomorphum gerit, vt sequitur. Quorum omnium symbolorum significationes, cùm varijs huius Oedipi locis passim expositæ sint, Lectorem eò remittimus. Huiusmodi Idolum quoque se offert in Hortis Quirinalibus PP. Theatinorum, quod olim ijs Marcus Milesius Iurisconsultus Romanus legârat, aliaq; similia innumera passim in celebrioribus Museis spectantur, quæ huc alludunt; quæ quidem omnia si hîc adducere vellem, illud non aliud foret, quàm tomos tomis addere: Lector curiosus ex his paucis, quid de similibus, si quæ alicubi occurrerint, statuendum sentiendumque sit, nullo labore discernet. Est & in ædibus Cardinalis Verospij in Sarcophago excisa statua μασίτης; cuius hieroglyphica cùm

tem-

temporis iniuria exesa sunt, consultò omittenda duxi; vbi fœmina comparet exhibens statuam auribus cornibusque pectore tumido, spectabilis, cœtero corpore Hermarum more in conum abeunte.

Ex Museo Francisci Serræ.

Est & alia statua in ædibus Francisci Serræ Equitis Romani, quem suprà laudaui, ingeniculata, ante se positam habens sacram tabulam, cuiusmodi passim in Obeliscis occurrunt; cuius in postica parte hieroglyphica inscriptio hunc sensum habet: *Ignea vis dominatrix humidi, huius Genij vi & efficaciâ, vti & Sacerdotum ritibus, vitam inserit Momphtæam tribus Mundis elementaribus; piscinam sacram benefico liquore implet; craterem supernis influxibus fœcundat.*

CAPVT IV.

De statuis Polymorphis, & Auerruncis omnis generis.

Polymorphæ statuæ quæ.

POlymorphæ statuæ vocantur, eò quòd humanâ formâ in varios sacrorum animalium vultus transformatæ spectentur; quarum iterum magna, pro Numinum exprimendorum varietate, multitudo reperitur, cùm vix vllus Obeliscus aut monumentum Ægyptiacum sit, in quo non insculptas reperias; vt proinde vel ex hoc capite constet, Obeliscos nihil aliud fuisse, quàm idolorum quandam hieroglyphicõs descriptorum

con-

congeriem, ex quibus deinde veluti ex archetypis quibusdam Sacerdotes & Sacri Scribæ in publicum, atque priuatum vsum simulachra seorsim excerpta formarent. Ex quorum numero sequentia quoque sunt, partim stantium, partim sedentium situ, variâ transformatione conspicua simulachra. Sequens statua hodierno die in Museo Palatij Barberini asseruatur, ex ruderibus Ecclesiæ PP. Dominicanorum, quæ vulgò Minerua dicitur, egesta; quæ vti olim delubrum Isiacum extitit, ita nullus in Vrbe locus, maiorem Ægyptiacorum monumentorum copiam nobis suppeditauit. Simulachrum est ἱερακόμορφον, id est, Accipitrinâ facie constans, velato vertice, situ recto, manibus pendulis, quarum vnâ Crucem ansatam gestat, corpore nudo, si velamen, quo verenda teguntur, excipias. Hæc statua Osiridem auerruncum exhibet; cuius symbolum est Accipitrina facies, & Crux ansata, nullis non idolis ei consecratis annexa; cuius mysteria cùm innumeris huius Oedipi locis exposita sint, hìc ijs repetendis non immoror. Similis huic in Hortis Barberinis Monti Quirinali adnexis spectatur, altitudine decem palmorum, & Cruce ansata spectabilis.

Simulachrū ex templo Mineruæ eru tum.

De Polymorphi Dæmonis simulachro.

MIsit non ita pridem ad me, pro summa sua erga Remp. Lit. quouis modo ditandam, beneuolentiâ, & affectu incredibili, Serenissimus Princeps Magnus Dux Hetruriæ, simulachri Ægyptiaci, vndique & vndique innumeris hieroglyphicis exornati ectypon; cuius litera A anteriorem, B posteriorem partem significat. Huic iam aliqua similia hìc Romæ repereram: quorum prius ex Ergasterio Barberino extractum, in Obelisco Pamphilio exposuimus; alterum habebatur in Museo Francisci Angelomi, quo mortuo, & Ergasterio subhastato, id possessorem obtinuit Torquatum de Alexandro Capitaneum. Tertium prorsùs simillimum continetur in Museo Regio Montis Pinciani Francisci Gualdi. Verùm cùm nullum hoc præsente Mediceo integrius repererim, id hoc loco minutim exponendum censui.

Polymorphi Dæmonis simulachrum

Statuæ anterior portio formam fœmineam toto corpore nudam, mammis turgentibus, binis Crocodilis insistentem, sexu androgynam exhibet, capitis cincinnus in Arietinum cornu contortus; capiti verò immi-

Anterior simulachri pars.

minet Leoninum caput, cui in ſuperiori parte, vti in ſecunda figura patet, globus alatus imminet; præterea vtrâque manu binos Serpentes cum Scorpione continet, dextrâ Canis quoque figuram appoſitam habet, ſiniſtrâ verò caudâ Leonem quaſi efferatum ſuſtinet. Conſiſtit verò intra duos baculos, quorum vterque in florem Loti deſinit; horum, primus Androſphyngem ſuſtinet, alter plantam, quam Ægyptij Motmuti dicunt; circumdant in ſuperiori parte imaginem iam deſcriptam Genij varij, dicti Numinis aſſeclæ; denique per totam interiorem ſuperficiem complura paſſim hieroglyphica inſerta ſpectantur. Sed quid inſolitus hic polymorphorum Numinum apparatus ſibi velit, exponamus.

A



Simulachri hieroglyphica explicatio.

Totum hoc complexum magnæ efficaciæ amuletum eſt apud Ægyptios, in quo ſimulachrum exhibet Polymorphum Dæmonem, ſiue Mentem ſupremi Numinis omnium executricem, dum in totius naturæ amplitudinem deſcendit. Capite geſtat Leoninum caput, cornibus Lunam ſextilem mentientibus inſertum; quo poteſtas & dominium in Solem & Lunam demonſtratur: cincinnum capitis gerit in Arietis cornu contortum, ad fœcunditatem & Ammoniam vim, quam rebus confert, indican-

candam; vberibus tumet, ad rerum vbertatem, quam præsidio suo præstat, signandam; vtrâque manu binos Serpentes cum Scorpionibus tenet, quibus absolutum eius in vitam & mortem, in bona & mala, in generationes & corruptiones dominium docetur; sinistrâ Leonis renitentis caudam, dextrâ Canem tenet, quibus potestas in Momphta & Anubin signatur, quos inhibere videtur, nè nimiâ suâ potestate vtantur, sed in tantum, in quantum legibus à suprema Mente præscriptis conforme est.

B

Per Scorpiones, exitialia animalia, mors & interitus, siue malorum paratio, teste Horo l. 2. c. 34. indicatur: per binos Serpentes duplex Mundi, Horus.

di, cœleſtis & elementaris, vita: per Leonem, Momphta humidæ naturæ præſes; per Anubin vigil craterum mundialium cuſtos ſignificatur, vnde & dextrum pedem crateri impoſitum habet. Androgynam exhibet, quia reſpectu inferiorum fidei ſuæ commiſſorum ſe habet per modum principij actiui; in quantum verò ſupramundanis influxibus ſubſtat, per modum principij paſſiui. Binis Crocodilis inſiſtit, eoſque quaſi conculcare videtur; ſiquidem hoc Numen, omnem Typhoniam vim virtute ſuâ domat & exterminat. Bina ſceptra vtrinque appoſita habet, in Loti florem deſinentia, in quorum dextro Androſphynx collocata videtur, & Mentem ſupramundanam exprimit, iuxta cuius idealium rationum influxus operationes ſuas efformatas dirigit & gubernat; alterum ſceptrum plantam impoſitam habet, quam ⲙⲟⲩⲧⲙⲉⲧⲥⲓⲛ appellarunt Veteres, eò quòd liberet à morte, cuius virtutes deſcriptas vide in capite de Herbis Ægyptiacis; & erat antidoti ſymbolum, quo contra peſtiferas & contagioſas Typhoniarum virtutum antitheſes vtebantur. In ſuperiori parte varios Numinum aſſeclarum typos vides, qui tutelares rerum Genios, & pantamorphi Numinis miniſtros denotant, quorum expoſitionem in Obeliſco Pamphilio fol. 464. fusè peractam vide. Reliqua verò hieroglyphica intermedio ſpatio ſparſim interiecta, non tam ad ſignificandum, quàm ad aduerſos Genios occulta myſteriorum, quæ exprimunt, alluſione abſterrendos ſunt poſita. His enim & ſimilibus non Adyta tantùm, ſed & Obeliſcos, ſtatuas, cœteraque monumenta, vt in huius contextu Operis ſat ſuperque patuit, ſignabant.

ⲙⲟⲩⲧ-ⲙⲉⲧⲥⲓⲛ herba.

Poſterior Amuleti pars.

Poſterior ſimulachri pars.

Figura hæc Momphtæ reperitur in Palatio Excel len. Ducis Muti.

PRimo loco continet cyclum ὀφι-πτερόμορφον ſupremi triformis Numinis indicem, vt iam innumeris locis dictum fuit; quem ſequuntur Genij rerum præſides, varia vultus habituſque transformatione, id eſt, Accipitrinâ, Hircinâ, Leoninâ, Caninâ, humanâque ſpecie depicti, ac baculis, Serpentibus, flagris, vncinis, clauis muniti; quorum ſignificationes cùm in præcedentibus vbertim intepretati ſimus, ſuperuacaneum eſſe ratus ſum ijs diutiùs inhærere. Videtur autem inter cœteras in ordine ſeptima Serpentibus variè, vti & Leoninâ facie terribilis figura, quæ Momphtam exhibet, cuiuſmodi ſimulachrum non ita pridem in Horto domeſtico Eccellentiſſimi Ducis Muti, prope Villam Ludouiſianam ſito, reperi. Figuram hic appono Leoninâ facie, iubarumque diffuſione formidabilem. Binis clauibus

quas

quas vtrâque manu gestat, in omnia Mundi arcana receptacula potestatem iurisdictionemque se habere demonstrat. Serpens cuius gyris inuoluitur, & globus cui insistit, luculenter docent, vitali calore Momphtam omnia quæ in Mundo sunt, fouere, ac sustentare. Atq; hâc quidem formâ Ægyptij, Momphtam illum suum exprimere solebant. Sed iam filum dimissum repetamus. Sequuntur modò 16 ordines inscriptionum hieroglyphicarum, quibus quidem nihil aliud notant, quàm effectus & operationes, quas singuli dicti Genij in Mundo perficiunt; quorum significationem libenter hoc loco adducerem; verùm cùm pessimè sint efformatæ figuræ, & vix nisi anxijs coniecturis dignosci potuerint, ijs exponendis longior esse nolui, cùm ex ijs figuris, quæ cognoscuntur, facilè mihi reliquarum significatio innotuerit; adeoque nihil aliud sunt, quàm Geniorum, vt dixi, Pantamorphæ Mentis asseclarum effectus & operationes, & prorsùs eædem, quas in Isiacæ tabulæ expositione Pantamorphæ naturæ eiusque ministris assignauimus; quare Lector citatum locum adeat. Spectantur & aliæ statuæ polymorphæ sub larua Accipitris, Ibidis, Canis, Lupi, Leonis, Cercopitheci; verùm cùm hasce omnes partim in Obelisco Pamphilio, partim in hoc tertio Tomo varijs in locis exposuerimus, eò Lectorem remittimus.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMISEPTIMI.

SYN-

SYNTAGMA XVIII.

De Statuis Aegyptiacis Polycharacteristicis, id est, toto corpore hieroglyphicorum contextu conspicuis.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

ADALBERTO S. R. E. TIT. S. Praxedis Presbytero Cardinali ab Harrach, Archiepiscopo Pragensi, & Boëmiæ Primati.

T*IBI vni*, Cardinalis Eminentissime, *Principi verè πολυειδέκτῳ hoc meum de polycharacteristicis Ægyptiorum simulachris debebatur argumentum. Siquidem inter paucos* Te *summum nullo non tempore obseruaui, qui non duntaxat literarij negotij dignitatem ex æquo dignoscere & æstimare soleas, sed & datâ opportunitate eruditorum hominum labores impensè promouere studeas. Est* Tibi *non solùm ob politicæ disciplinæ notitiam animus ad ardua quæuis peragenda idoneus; sed & in penetrandis naturæ adytis, atque in diuinarum humanarumque rerum scientia mirè capax ingenium: vt interim sileam* Tuum *ad diuinam gloriam propagandam zelum ardentissimum, in pastoralis* Tibi *commissi officij cura sollicitudinem, in Lupis à Dominica caula coërcendis vigilantiam. Quibus cœlitùs* Tibi *concessis muneribus, tantò virtutum* Tuarum *ramos cæteris extollis sublimiùs, quantò altiùs emines. Suscipe itaq; hoc mei in* Te *affectus perenne quoddam veluti symbolum. Quod si ingenij* Tui *limatissimo iudicio in huius Operis decursu minus quidpiam responderit, veniam à* Tua *benignitate vel ex hoc capite facilè me obtenturum confido, si præstitæ operæ causam non meæ tenuitatem personæ, sed magni Cæsaris imperium fuisse intellexeris.*

CAPVT I.

De statuis Aegyptiacis Polycharacteristicis, id est, toto corpore hieroglyphicorum contextis conspicuis.

Statuæ πολυχαρακτηριστικαί.

INVENIVNTVR in antiquissimis Romanæ Vrbis ruderibus nonnulla statuarum fragmenta, miro hieroglyphicorum ornatu per totum corpus contexta, quas ea de causa πολυχαρακτηριστικὰς appellamus; cuiusmodi duæ in Museo meo ab Antiquarijs amicis donatæ reperiuntur. Quæ quid indicauerint, paucis aperiamus.

No-

Notandum itaque, Ægyptijs nonnulla ſimulachra, quibus primæ Claſſis Numina, & quæ immediatè ſupremo triſormi Numini ſubderentur, cœterorum Numinum veluti quoſdam Archichoragos exhibebant, extitiſſe. Quæ quidem Numina vti vniuerſalem non intellectualis tantùm, ſed & ſenſibilis Mundi curam ſortiebantur, ita peculiari quoque ſacrarum ſculpturarum cultu exornabantur, vt hoc pacto & Numinum, & rerum mundialium arcana ſymbola, vninerſali dictorum Numinum intellectui aptiùs quadrarent. Hinc arcanorum quæuis ſymbola tùm ex Obeliſcis, tùm ex alijs monumentis deprompta dictorum Numinum ſimulachris eo ingenio incidebant, vt nullus ferè ijs in ſimulachris locus vacuus appareret; quemadmodum ex præſentis ſtatuæ fragmento videre eſt, vbi vides primò truncum ſtatuæ ſine capite, totum hieroglyphicis exornatum. Amuletum verò F ligaculo pectori appenſum, eſt omninò idem cum eo, quod in præcedentibus ſolijs deſcripſimus. Figura præ-

Numina primæ Claſſis Ægyptiorum

Truncus ſtatuæ ſine capite.



terea pectori inciſa, & C literâ ſignata, ſtatua eſt auerrunca, tutulo polymorpho inſignis, ingeniculata, & forma fœminina, quam vtrinque duo ſtipant Accipitres, verſus humeros verò octo Genij Solares ἱερακόμορφοι ordine ponuntur, Pantamorphæ naturæ adminiſtri, cui & expanſis brachijs ſupplicare videntur; quorum expoſitio hæc eſt. Simulachrum fuit Pantamorphæ naturæ, cuius principalis miniſtra figura eſt pectori inciſa & ingeniculata, immediatè inferioris Genialis ordinis choraga, vti tutulus globo ὀφιμόρφῳ, & tribus cucurbitis, id eſt, ſignaculo triſormis Numinis, & fundi paterni, id eſt, Pantamorphæ naturæ ſignaculo

Hieroglyphicorum dictæ ſtatuæ explicatio.

culo conſpicuo ſignificat. Accipitres E aſſidentes Intelligentias Solares eiuſdem adminiſtras notant. Circulo imponitur, quia in Vniuerſum dominium ſuum exerit; cui & octo Genij Solares Accipitrino capite transformati, manibus extenſis veluti ſupplicare, eiuſq; iuſſa, rerumq; fidei ſuæ commiſſarum influxûs executionem operiri videntur. Reliqua hieroglyphica tùm quia nota ſunt (nihil enim aliud quàm effectus & operationes dictorum monſtrant,) tùm quia minutiora ſunt quàm vt dignoſci poſſint, ob magnam corruptionem quam, vti in huiuſmodi ferè omnibus minutioribus characteribus vſu venit, paſſa ſunt, omittenda duxi. Quare ad ea tantùm hieroglyphica maiora, quorum figuræ certò ſibi conſtant, exponenda nos accingamus.



Duo

Hieroglyphica dorso prædictæ statuæ incisa.

Dorsum statuæ pariter innumeris hieroglyphicis ornatum est; inter quæ medium spatium continet figuras in varias Classes diuisas: verùm cùm statua truncata sit, prima & vltima hieroglyphica schemata desunt; medias autem schematum Classes signauimus literis A B C D E. In spacio A ponitur figura Bouis alati humanâ facie, cuius capiti flammas euibranti globus imminet, Serpentique vndulato insistit. Bos humanâ facie flammas capite euibrans cum globo superposito, indicat Mentem Apidis, vitalis motûs per quatuor Mundi stationes propagati præsidem, cuius symbolum Serpens est, cuius 4 gyris 4 pedibus insistit; globus diuinitatem, flammæ igneam vim, ala velocitatem quâ omnes peruadit Mundi semitas, significant. Quem sequitur paulò post in spacio B principalis eius minister Cynocephalum Numen, Scarabæum in capite globis intermediũ pro tutulo habens, manibus binos Serpentes, infra pedes pariter vndulatum Serpentem continens; quibus symbolis vita Lunæ-solaris indicatur, quam in inferioris Mundi portiones distribuit; è regione Crocodilus receptaculo inclusus cum phallo oculato, quem sequitur globus Serpente fœtus cum alio Crocodilo; quo indicatur Typhonia vis, vitalis, & fœcundæ propagationis destructrix, quã Cynocephalus vi suâ antitechna dissipat & eliminat. Porrò in plano C sequitur Scarabæus raniformis Accipitrino capite conspicuus, pedibus anterioribus tutulum è tribus phialis Niloticis compositum continens, posterioribus pedibus aræ insistens; quo significatur Solaris vis materiali potentiæ, quæ in humida Nili substantia consistit, dominans, quæ per Scarabæum raniformem & tres phialas indicatur; quem Ibis Mercurialis, siue Lunaris Agathodæmon stipite in hieralpham transformato, promouet. Figura verò humana pennam in capite gestans, & manibus bina vasa præferens, ei quasi supplicare videtur, ad humidam substantiam virtute suâ imbuendam. In plano D sequuntur Momphtæa Numina Leoninis capitibus transformata, quorum prius Crucem portat, alterâ manu alteram statuam ingeniculatam, manu capiti eius imposita, veluti protegere videtur; quæ omnia symbola sunt Momphtææ Potentiæ aquæ inferioris Præsidis, & notæ sunt imperij & dominationis. Figura verò quæ immediatè sequitur ingeniculata, calathum in capite gestans Serpente fœtum, indicat auerruncum Momphtæi Numinis administrum, quem ponere oportebat ad eas, quæ vitæ, bonorumque inde resultantium vbertati insidiantur, potestates aduersas reprimendas. Quæ denique in vltimo plano E continentur, trium Numinum effigies sunt, Agathodæmonis ministri polymorphi Numinis, Anubis, & Osiridis; quæ cùm aliàs sæpe sæpius expositæ sint, ijs non immoror.

Bos humana facie flammas capite euibrans.

Nota pictorem capita Leonina non benè expressisse, iuxta originale.

Momphtææ Potentia symbolum.

Quæ verò è latere ponuntur vtrimque quaterna Numina, omnia ansatis Crucibus instructa, & miris modis transformata, hucusque dictorum Numinum administri sunt, qui omnia Mundi corpora peruagantes, quæ ad bonum Vniuersi sunt, exequuntur, omnibus aduersis Potestatibus profligatis. Verùm cùm hæ figuræ in Mensa Isiaca fusè expositæ sint, vti & in alijs Obeliscis, tempus perdam si ijs diutiùs inhæsero.

Con-

Consectarium.

Simulachrũ ſupremi Choragi Mundi Genialis.

EX his itaque patet, ſimulachrum hoc præſens totum hieroglyphicis ex omnibus naturæ ordinibus compoſitis inſcriptum, nihil aliud expreſſiſſe, niſi ſupremum Genialis Mundi choragum; reliqua verò recenſita Numina eius adminiſtratores; dicuntur Mundi duces ſiue rectores, quia dicto archichorago ſubſtant, & ad imperium eius mouentur. Quæ omnia pulchrè ſanè deſcribuntur à Pſello in Zoroaſtræorum Oraculorum expoſitione his verbis: Δυνάμεις ἐν τῷ κόσμῳ οἱ Χαλδαῖοι τίθενται, καὶ ὀνόμασεν αὐτὰς κοσμαγοὺς, ὡς τὸν κόσμον ἀγούσας προνοητικαῖς κινήσεσι. Ταύτας οὖν τὰς δυνάμεις αἰοχῆας καλεῖ τὸ λόγιον, ὡς τὸν πάντα κόσμον συνέχουσας, καὶ τῷ παντάρχῳ ὑπακούειν. *Chaldæi poſuerunt Potentias in Mundo, quas nominarunt Mundi Duces & Rectores, quòd Mundum motibus cum prouidendi curâ regant; quas Potentias Oraculorum ſuſtentatores vocant, eò quòd Mundum vniuerſum ſuſtineant; & hæ ſubduntur imperio ſupremi Ducis, quem Pantarchum vocant.* Stant, quia, vt Pſellus ait, Τῷ μὲν ἀκαμπεῖ τῆς σαθερᾶς αὐτῶν δηλουμένης δυνάμεως, *immobili videlicet ſtatione illarum vis firma & ſtabilis declaratur.* Τῷ δὲ αἰοχικῷ τῆς φρουρητικῆς, *Suſtentatione vero cuſtodiæ atque conſeruationis cura.* Ταύτας δὲ τὰς δυνάμεις διὰ μόνης τῆς κόσμων αἰτίας καὶ ἀκλινοῦς ὁρίζονται. *Iſtas autem Poteſtates per ſolas Mundorum cauſas & immobilitatem deſignant.* His enim vti ſubſunt omnes inferiores Dæmones ita veluti ipſis ſupplicare videntur, ab ijs benignas imperiorum executiones depoſcentes, vti figuræ vltimæ poſt quatuor hinc inde coſmogagos, genibus inclinatis luculenter demonſtrant. Nam vt rectè Pſellus in libello de Dæmonibus, ſicuti ſeſe habet Princeps in regno ſuo ad officiales ſuos, ita Numina maiora ad ſibi ſubditos Dæmones. Hoc itaque ſimulachro ab Ægyptijs poſito, & rectè culto, omnem ſibi felicitatem, ob infandorum ſymbolorum poteſtatem & efficaciam, ſpondebant. Hieroglyphica minora, cùm, vt dixi, vix diſcernantur, non explico, cùm nihil aliud quàm effectus & operationes dictorum Numinum contineant. Quare hæc pauca de ſtatuis Polymorphis ſufficiant, & Lector curioſus ex huius vnius expoſitione, quid de ſimilibus ſtatuendum ſit, facilè iudicabit.

Pſellus.

Potentiæ Mundi Duces & Rectores iuxta Chaldæos.

Pſellus.

Græci Deorum ſimulachra literis exornabant.

Ægyptios ſecuti Græci, & ſua pariter ſimulachra ſimili literarum contextu exornare ſunt ſoliti, quemadmodum in Magia Hieroglyphica de Diana Epheſia dictum fuit; quam literis, quæ ea de cauſa Epheſiæ dictæ ſunt, exornare conſueuerunt; imò in Circis poſitas paſſim huiusmodi polygrammatiſmis exornatas Bulingerus l. de Circis docet; verba eius ſunt: *Circum non modò ſtatuis & columnis ornatum fuiſſe, ſed eas ſtatuas vtplurimùm literis exaratas, quæ aliquid ſignificarent, & à Magis Philoſophiſq; poſitas, quibus verbis fatum contineretur.* Græcos ſecuti Arabes, quibus cùm ex legis præſcripto ſtatuas fabricari non liceret, vtenſilia ſua, vti vrnas, pocula, conchas, innumeris literis paſſim exornare ſolent, ſententijs ex Alcorano deductis, Magicisque characteribus, quos ex Cabala deprompſerant, admiſtis. Quæ quidem conſuetudo tantum potuit, vt & in vltimas terrarum partes, vti Chinam & Iaponiam, ramos ſuos extenderit,

Bulingerus.

Arabes vtenſilibus literas inſculpebant.



vbi in hunc vſque diem huius farinæ polygrammatica ſimulachra ſpectantur, & in Europam paſſim tranſportantur. Huius generis Idolum quoque illud eſt quod ſequitur, à Gerardo Reinſtio mihi communicatum, cuius characteres ex eorum numero ſunt, quos ſuprà in Syntagmate de Canopis figura IV. expoſuimus, ad quod Lectorem remitto.

Eſt autem ex eorum numero ſimulachrorum, quos Hermas Ægyptij nuncupabant, quorum Martialis meminit: *Truncoq; ſimillimus Hermæ*; Hebræi מרקוליס *Marcolis* vocant, dicebanturque à Mercurio viarum Numine Hermæ, de quibus amplè diſcurrimus Tomo I. fol. 388. quorum rationem pulchrè ſanè Empedocles apud Tzezem 11. Chiliad. oſtendit, dum Hermas ita deſcribit.

Non enim mortali capiti membra adiuncta ſunt,
Non quidem ab humeris duo rami emicant,
Non pedes, non cita genua, nec pudenda lanuginoſa,
Sed mens ſacra, atque immenſa eſt ſolùm
Cutis Mundum omnem quâ mouet celeriùs.

CAPVT II.

De prophylacticis Statuis, ſeu Amuletis portatilibus.

Minorum ſimulachrorum, quæ ſecum geſtare ſolebant Ægyptij, quæ & prophylactica, à conſeruando & cuſtodiendo ab omni malorum occurſu, dicebant, maxima quoque copia in Cimeliarchijs diuerſis reperitur; ex quorum numero nonnulla medicatis funeribus vtplurimùm inſuebantur; quædam collo, brachijs, cingulis alligata geſtabantur; de quibus hoc loco nonnihil dicemus, à prophylacticis funerum initium ducturi. *Prophylacticæ ſtatuæ.*

Excellentiſſimus Medicus Ioannes Nardius Lucretio ſuo annectit Iconiſmos quoſdam, in quibus ſimulachra aut Mumijs inſuta, aut tumbis circumpoſita ſpectantur, vt ſequens Iconiſmus ſiue Tabula V. docet, vbi omnes imagines eo ferè cultu & ornatu, quo Mumias ipſas amictas fuiſſe ſuprà docuimus, manibus & pedibus deſtitutas, ſolo turbinato habitu, figurarumque varietate ſpectabili decoratas vides. Quorum myſteria citato loco expoſita vide Lector. Vides hîc figuras ſignatas numeris 1, 2, 3, 4, reliquaſque, eodem ornatu figuriſque hieroglyphicis inſignitas eſſe, quibus inuolucra Mumiarum ſuprà fol. 421. expoſita; vt proinde expoſitionem eorum hîc iterare ſuperuacaneum ducam. Quod verò in Tabula V. figura II. ſchema exprimitur, id modum rationemque *Nardius.*

que corporum tùm ſecandorum, tùm condiendorum, quo typo nonnulla medicata corpora inſigniri ſolebant, docet; ſunt autem hic linteus pectoris amictus, varijs coloribus diſtinctus, quem in vna è ſuis Mumijs ſpe-



ctari ſcribit ſæpe laudatus Ioannes Nardius. Figura ſimulachrorum, præſens eſt Tabula V. tribus figuris diſtincta.

CAPVT. III.

De vasis sacris.

FIgura III eiusdem Tabulæ V, Vas indicat asphalto refertum, quo ad corpora condienda vtebantur. Hieroglyphicæ verò binæ inscri- Vas sacrum eiusque hieroglyphica.



ptiones 2 columellis comprehensæ, hanc imprecationem continent. Prior: *Dominator Osiris humore cœlesti latas transmigrare faciat in ideam suam.* Po-

 sterior:

ſterior: *Vitâ cœleſti imbuantur ob ſupremi Numinis cultum temporum dominatoris, cuius prouidentiâ locum ſortiantur ex præſcripto Deorum debitum.* Alludunt ad myſticas operationes aſphalti ab incorruptione ſeruantis, quaſi dicerent: *Sicuti aſphaltum à corruptione immunia facit corpora, ita prouidentia Numinis Anubici ſeu Mercurialis,* quod operculum Canino capite inſignitum indicat, *hoc animæ habitaculum conſeruet incorruptum ad immortalitatem.*

Vaſa ſacra à Nihuſio miſſa

Similia huic Clariſſimus Nihuſius ex Batauorum Muſeis extracta ad me tranſmiſit; quorum prius vas cooperculum habet κυνοκέφαλον, vti præcedens; hieroglyphicam verò ſculpturam paulò maioribus notis expreſſam in paulò antè poſita figura ſeorſim exhibemus. Quatuor columnis A B C D notæ continentur, quarum prior, A, hanc imprecationem efficit.

A I. *Cœleſtis Intelligentia inferiorum dominatrix & cuſtos, auertat aduerſam Beboniam vim ab hoc depoſito.*

B II. *Cœleſtis Intelligentia ex hylæis Mundis, eorumque contagione transferat per Mercuriale Numen ad lucidam Zonam Oſiridis dominatoris temporum.*

C III. *Per cultum Numinis ſepto incluſi, per influxum Oſiris, per ſceptra Poteſtatum grandium, per Ibiforme Numen aquæ præſidis, per pennam Arueris, per Momphtæum Numen, triformi dominio & prouidentiâ omnia ſibi ſubijciens.*

D IV. *Per vitam piſcinæ influentem, per Thauſtum auerruncum malorum Typhoniorum auerſorem, per Ibin & Accipitrem auerruncos malorum à piſcina ſacra.*

Atque hæc eſt idealis lectio inſcriptionis in vaſe poſitæ, vti ex ſymbolis iam ſæpenumero expoſitis patet, & nihil prorſus difficultatis habet.

Vas ſacrum ab Heurnio tranſmiſſum.

Aliud vas cum operculo Accipitris capite inſignito, cineritij coloris, ad me per Nihuſium tranſmiſit Clariſſimus Vir Otho Heurnius. Verùm vt ipſius conditio & ratio vaſis liquidiùs pateſiat, hîc eius ad Nihuſium verba vnà cum figura vaſis addere viſum fuit.

Literæ Clariſſimi Viri D. Othonis Heurnij ad Nihuſium datæ.

V*Rna feralis Ægyptia, Canopum Ægyptiacum repræſentans, in qua priſca Ægyptiorum artificioſa encheireſi ante illuſtratam Ægyptum almo Chriſtianæ religionis lumine (quod contigit anno 300 à Saluatoris noſtri ſalutifera Natiuitate ſub Conſtantino Magno) repoſitus fuit aromatibus in Mumiæ maſſam conditus fœtus humanus, iſque, vt corporis exiguitas oſtendit, abortiuus, lethali Matris profluuio muliebri præcipitatus. Hoc deſignat hieroglyphicum capitis Noctuæ in operculo conſpicuum, cruentis ſtigmatibus reſperſum, præcipuè latere ſiniſtro. Nam apud Ægyptios Sacerdotes myſtico ſolemni ritu Noctua mortem deſignabat, eamque (vt coniectura abblandiri videtur) cruentam, cùm ſanguinolen-*

nolentis notis latere sinistro insigniretur. Adiacet Mumiæ huic latere sinistro filiis Icuncula Isidis, aromatum conditura impacta, & bona sui parte immersa; quod solenne fuit Ægyptijs in omni huiusmodi cadauerum adornatione. Extrinsecus vrnæ insculptus est casus miserabilis historia à Sacerdotibus conscripta vetustissimis characteribus hieroglyphicis. Est hæc vrna columnæ apex, nam inferiùs manifestè apparet quòd sit à saxi soliditate rescissa. Hanc ex subterraneis concameratis latebris eruit quatuor milliar. à Cayro vltra Nilum in Pyramidum vicinia Vir præstantissimus D. Dauid de Willem anno 1619, & in Theatri Anatomici ornamentum ibidem loci reposuit. D. Otho Heurnius, Med. Anat. & Chirurg. Prof.

Dicit itaque eruditissimus Vir, statuam Canopum exprimere, vetustâ Sacerdotum literaturâ exaratam; quod verum est. Dicit præterea Ægyptum Christianæ religionis lumine illustratam post Christum anno trecentesimo sub Constantino Magno; de quo dubito, cùm ab ipsa primæuæ Ecclesiæ origine, id est, à S. Marco Euangelista, vsque ad irruptionem Saracenorum nullo non tempore Ecclesia Ægyptiaca mirum in modum, vti ex tot SS. Patribus, Anachoretis, Monasterijs in Ægypto florentibus abundè constat, floruerit, eo videlicet tempore, quo iamdudum Ægyptiaca literatura defloruerat, imò prorsùs perierat. In vrnula quoque cadauer nescio cuius abortiui conditum fuisse non abnuo, sed casum in ea hieroglyphicis descriptum, id nullâ ratione, bonâ Viri eruditi veniâ, approbare possum. Quare vt veritas dictorum pateat, hìc expositionem scripturæ ordiar; quod optimè fiet, si quædam ad veritatem penitiùs dilucidandam, præmisero.

Ægyptus fidem suscepit statim à Christi passione.

Ostendimus innumeris huius Oedipi locis, Literaturam Ægyptiacam, non temporibus Romanorum Cæsarum, aut immediatè ante Christi in carne aduentum, multò minùs tempore Constantini Magni, vsitatam fuisse, sed iam tùm à Cambysis Ægyptiacum Imperium inuadentis impietate & temulantiâ destructam & deperditam esse; quod verum esse, ex innumeris Authoribus passim tùm in Obelisco, tùm in præsentis Operis, vti diximus, contextu docuimus. Dicimus itaque hanc vrnulam priscis temporibus, quibus hieroglyphica literatura, vti & conditura corporum, quas Mumias vocant, iuxta Sacerdotales leges, adhuc in vsu erant, in cryptis subterraneis cum eo hieroglyphicorum apparatu, quem exhibet, conditam fuisse; cadauer verò fœtus humani in ea conditum, fuisse aut Regis, aut ex Proceribus Regni filium. Nam suprà in tractatu de Mumijs diximus, omnia medicata Ægyptiorum cadauera tanto studio condita, tot fasciarum inuolucris amicta, tam denique artificioso hieroglyphicorum contextu adornata, non plebeiorum hominum, sed vel Regum, vel Procerum, aut Sapientiæ laude conspicuorum hominum, qui-

Hieroglyphica literatura Cambysis temporibus periјt.

Vas ab Heurnio missum priscis temporibus sculptũ.

bus

bus solis ad Regni gubernacula spes erat, fuisse, idque ex Herodoto, & Diodoro, alijsque Historiographis, ostendimus. Quòd verò Mumiacum in vrnula conditum, fœtum abortiuum fuisse, ex pusilla corporis quantitate colligi posse asserat, id nihil probat, cùm experientia diuturna iam innotuerit, Mumiarum constrictiua asphalti vi, quæ vel ipsa ossa peruadit, corpora successu temporum ita contrahi, tantumque à naturali statu dimoueri, vt quæ in vita iustæ staturæ hominem referrent, iam pueros referre videantur. Quod experimento mihi in multis Mumiarum partibus, scilicet manuum, pedum, capitis, quarum magna in pharmacopolijs Romanis copia est, quas summo studio dimensus cum viui corporis proportione comparaui, innotuit. Quem itaque Vir eruditus embrionem putat, illum ego puerum fuisse assero, siue Regis, siue alterius cuiuspiam Primatis filium. Accedit hisce, quòd si fœtus fuisset abortiuus, nunquam ab Ægyptijs solito hoc cœremoniarum apparatu fuisset cohonestatus. Cùm enim omne abortiuum tanquam maligni Dæmonis opus execrarentur, illud vel comburebant, vel in Nilum proijciebant, veluti maledicto boni Dæmonis subiectum, vti alibi à me demonstratum fuit. Puerile itaque corpus id esse, & asphalti qualitate in tenerrimum corpusculum maiorem vim obtinente, in huiusmodi paruitatis statum temporis diuturnitate contractum, imaguncula quæ corpusculi tutelarem Genium exprimit (quæ omnibus ferè Mumijs apposita videtur) sat superque docet; imò & hieroglyphica inscriptio, cuius interpretatio vera & genuina ea est, quæ sequitur. Cooperculum non Noctuæ, sed Accipitris caput exhibet. Cùm enim Noctua Typhoniarum peruersæ & exitialis naturæ Potestatum symbolum sit, eam neutiquam in sacrorum simulachrorum vsum adhibebant: neque enim inter omnia hieroglyphica statuam sacram reperies, aut Noctuæ, aut Coturnicis, aut Crocodili capite insignitam; foret enim hoc contra propositum finem, ad quem collimabant. Omnes igitur statuæ sacrorum tantummodo animalium vultibus, ad terrorem ἀντιτέχνοις ijs incutiendum, transformatæ conficiebantur. Cuiusmodi & hoc vas est, cuius operculum Accipitrino capite insignitum; Accipitre autem Solare Numen innuebant, vti ex innumeris huius Operis locis constat, cuius tutelæ corpusculum vasi inditum committebatur. Inscriptio verò hieroglyphica vasi incisa quatuor columnas habet, quæ signantur literis N O P Q, quarum duæ priores N & O, eadem prorsus symbola habent, reliqua verò duo P & Q differunt.

Asphaltus cadauera contrahit.

Abortiua Ægyptij proijciebant, non sepeliebant.

Hieroglyphica interpretatio prædicti vasis.

Statuæ Ægyptiorum sacrorum tantum animaliũ vultibus ornabantur.

N O P Q

In prima itaque columna primo loco vas occurrit, ex quo Serpens emergit; cui supponitur Hori caput, cũ penna; sequitur cycloidescum figura oculi; deinde gnomon, cum figura Altaris; quem excipit oculus,

cum

cum tribus terminis; hos sequitur cycloides; & hanc phœnicopterus, cum tribus vasis; sequitur deinde sceptrum, cum brachio extenso, & Ibis cum quadrangulo; claudit agmen in prima columna sacrum vas piscinæ canalibus suis instructum, cum quadrato. In secunda verò columna omnia sunt eadem, excepta vltima figura, quæ est statua Accipitrina cum duabus pennis. Hanc inscriptionem inuenies quoque suprà in Mumiarum tractatu adductam. Symbola porrò hunc sensum efficiunt: *Liquor crateris Intelligentiæ Horææ cœlestis prouidentiæ religioso cultu & ritibus attractus, huic deposito superaffundatur; liquor prouido Numine in hylæorum Mundorum vasa deriuetur ope Chenosiris, id est, Osiridis conseruatoris rerum, & Ibimorphi Numinis Mercurialis, beneficorum dominatorum; hi enim liquorem per canales deriuatum in piscinam sacram in humanarum mentium lustrationem deriuant.* Columna O eandem, vt dixi, quam prima, inscriptionem habet, exceptis duabus vltimis figuris.

In columna P primò Anser occurrit, cum Serpente, Sceptro, & Hydroschemate, & duobus apicibus angulatis; quem sequitur eadem statua cum ea quæ in secunda columna vltima est, Accipitrino capite conspicua; cui subditur Hydroschema, cum duobus Rhomboidibus, & hemicyclo; sequitur deinde Ibis cum baculo incuruo; denique statua Ibimorpha cum figura septi; quorum sensus hic est: *Chenosiris custos liquore diuino depositi Spiritum cœlesti influxu beet, Solaris intelligentia liquore cœlesti reficiat, Hermanibis influxu suo dominatiuo Osiridis septo introducat.*

In columna Q primum locum obtinet Serpens cum hemicyclo, & brachio extenso; statua auerrunca, cum ara; funiculus contortus, cum tribus floribus Loti; auis cirrata volatum affectans insistens duobus sceptris; sequitur fauissa sacra, sceptrum, cycloides, oculus, auis volatum affectans, baculus incuruus, cum pede humano. Quorum sensus est: *Huic vitam largiatur tutelare Numen, sacrificijs & congruis sympathicisque ritibus attractum; Spiritum huius corporis cœlestibus sphæris inuehat, Numinum occulto consortio beatum.*

Atque hic est sensus huius inscriptionis. Quod verum esse, monstrat alia prorsùs huic similis inscriptio, quam Iconismo de Mumijs figuræ II. dorso insculptam seorsim exhibuimus, ex qua & hanc non adeo benè formatam correximus; vt proinde in hac inscriptione nequaquam casus huius pueri contineri putandus sit, sed is, quem expressimus, sensus verus & genuinus. Cur verò primis duabus columnis eandem inscriptionem imposuerint, id efficaciæ causa factum est, cùm nihil ferè frequentius occurrat huiusmodi inscriptionum symbolorumque repetitione in vno & eodem subiecto, vti in præcedentibus fusè demonstratum est. Eadem inscriptio hieroglyphica cur aliquando repetatur in eodē loco.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMIOCTAVI.

SYN-

SYNTAGMA XIX.

De Amuletis, & Periaptis, cœterisque portatilibus Icunculis, quibus Aegyptij vtebantur.

CELEBERRIMO VIRO

BERTHOLDO NIHVSIO

THEOLOGO EXIMIO.

VT Tuorum *in hoc præsens Opus meritorum amplitudinem grata posteritas cognoscat,* Tuo *huius Syntagmatis argumentum honori dicandum statui. Quid enim mei causa non egisti, mi* Nihusi? *Si* Tua *interfuisset, vereor vt plura fecisse dici potueris. Tu vnus omnes penè Septentrionis literatos in Operis auxiliares manum sollicitasti; mei causa Batauiæ Musea, nullis sumptibus aut laboribus, non grandæuæ parcens ætati, adisti; vt si quid, quod ad meam rem faceret, reperires, excerptum in Lit. Reipub. bonum Oedipo transmitteres. Verbo, omnes sinceri amici partes explesti. Sit itaque hoc, qualecunque tandem, meæ in* Te *gratitudinis symbolum, meritis* Tuis *quidem impar, at ex animo depromptum.*

CAPVT I.

De varijs Aegyptiorum Amuletis, & Periaptis.

QVID Amuleta seu periapta Ægyptiorum fuerint, innumeris huius Operis locis dictum est; quare remisso Lectore ad iam tradita, nos in particulari eorundem interpretationem hoc loco adornandam censuimus, vt si quando in huiusmodi Antiquitatis studiosus inciderit, quid de ijs sentiendum sit, sibi constare possit.

Amuletorum variæ Classes. Fuerunt autem variæ horum amuletorum classes: nonnulla simplicem sacrorum animalium, Deorumque formam referebant; quædam

mistæ

mistæ seu compositæ naturæ rationem exhibebant; non desunt quæ insecta, vti Scarabæum, exhibeant; quorum ingens iterum varietas est. Fuerunt & humani corporis partes in vsum Amuletorum assumptæ, imò instrumenta omnis generis in sacrorum vsum adhibita; adeo quidem, vt nihil sit in omnibus ferè Obeliscis ita minutum, quod non in Amuletorum vsum cesserit; adeoque clarè mihi innotuerit, sacram hieroglyphicorum literaturam nihil aliud, quàm Amuletariæ artis Syntagma quoddam summâ diligentiâ, nec minori ingenij industriâ dispositum indicasse, ex quibus veluti prototypis quibusdam Amuleta, seu magnæ virtutis hierogrammatismi, in peculiarem priuatumque vsum decerperentur. De singulis itaque dictorum Amuletorum Classibus nonnihil dicamus.

CAPVT II.

De Amuletis quæ Deorum & sacrorum animalium formam referunt.

INter Amuleta, quæ collo, brachijs, cingulis, fœmoribus, & cuilibet corporum parti alligabantur, erant primò Scarabæi sacrorum animalium formâ expressi; vti sunt Ibides, Accipitres, Arietes, Feles, Boues, Canes, Cynocephali, & complura alia, quorum imagines hìc apponimus. Quæ quidem omnia periapta fuerunt in certos fines ab Ægyptijs destinata, qui vti diuersos Nomos sortiebantur, ita diuerso quoque cultu Nomorum Numina venerabantur.

Amuleta Deorum, & sacrorum animalium formam referentia.

Ibidis Mercurialis Numinis Periapton ad dona Mercurio propria ab eodem obtinenda gestabatur, vti donum intellectus, & assiduum in notitia rerum naturalium obtinenda subsidium.

Amuleta ad bonorum impetrationem.

Accipiter Solis symbolum, tùm ad perfectam sanitatem, & vitalem cordis vigorem obtinendum, tùm ad contrarias cordis infirmitates dispellendas gestabatur.

Aries, & Hircus, Amuleta ad fœcunditatem obtinendam adhibebantur, vtpote Ammoni & Mendeti consecrata.



Bouis figuram ad Apidis influxum obtinendum seruire sibi persuadebant; in publicis verò eadem figura posita ad agriculturæ bonum promouendum.

Canis Amuletum, siue homo κυνοκέφαλος, ad sagacitatem in scientijs, & vigilem rerum custodiam obtinendam passim à Sacerdotibus in Anubidis honorem gestabatur.

Amuleta ad malorum propulsationem.

Ad malorum verò propulsationem sequentia Crocodili, Piscis, Lupi, efficacissima Periapta portabantur. Nam vt in Magia diximus, sicuti Numinibus beneficis, vt varijs beneficijs prodessent, varij honores exhibebantur; ita, malignis Dæmonibus nè nocerent, summo feruore sacrificabatur. Tanti autem momenti sacra literarum synthemata putabant, vt se sine ijs à nullis infaustis occursibus immunes esse posse arbitrarentur. Hinc de hoc consulturis Oraculum respondisse fertur:

Κλυθί μου οὐκ ἐθέλοντος, ἐπεὶ μ᾽ ἐπεδήσατ᾽ ἀνάγκῃ
Οὔνομ᾽ ἀπαγκαίης τόδε καρτερὸν ἠδ᾽ ἔτι βριθὺ
* Μολὲ δ᾽ ἐσσυμένως τοῖσι δὲ μύθοις
Οὓς ἀπ᾽ ἐμῆς κραδίης ἀνάγω ἱεροῖσι τύποισι.

Audi me nolentem, quia me illigastis necessitate,
Nomen necessitatis hoc validum, imò etiam graue
* *Veni autem festinanter his verbis*
Quæ è corde meo educo sacris notis.

Amuleta alia diuersa.

Sequuntur iam Amuleta Iouis Accipitrini, Hori, Panos, Canopi, Isidis, Harpocratis, quorum gestatione diuersos sibi fauores pro Numinum proprietate obuenturos sperabant; de quibus qui plura desiderat, is adeat Obeliscum Pamphilium, vbi libro tertio de Hierogrammatismis omnia amplissimè exposita reperiet.

Sunt & alia Parte Secunda Secundi Tomi Oedipi



K



S



fol. 450. expressa phylacteria, puer perseæ folio inclusus, Harpocratem exprimens, quem sequuntur K Osiris ἱερακόμορφος, & Ammon κριόμορφος, quorum expositionem citato loco vide. Est & figura S pueri ad instar alati, pharetrâ instructi, baculo Serpente inuoluto innixi, pedibus adiunctis Leone, Scarabæo, & Accipitre. Puer Horum notat Solarem Genium; ala motus pernicitatem, pharetra cum spiculis, Solarium radiorum efficaciam, virtute suâ omnia penetrantem; Luna capiti insidens vim influxiuam in dictam Lunam; baculus Serpente inuolutus annuum motum, quo omnibus influxu suo salutifero vitam præbet; Leo pedibus appositus Momphtam refert; Accipiter Solarem Genium, & Scarabæus

rabæus Solem hylæum, qui sunt dicti Hori ministri. Hoc autem potentissimum Amuletum fuisse, ansula dorso affixa vnà cum dicto hieroglyphicorum apparatu luculenter demonstrat. Vide in Magia hieroglyphica à fol. 445. vsque ad finem huiusmodi prophylactica schemata magno numero proposita.

CAPVT III.

De mixtæ & monstruosæ rationis Amuletis.

PRoposuit sæpe laudatus Nardius in fine sui Lucretij è Museo suo peculiarem phylacteriorum figulinorum coloris varij, vitro obductorum, tabulam; quorum expositionem hoc loco opportunè apponendam duximus. Tabulam sequenti pagina contemplare. Amuleta mixta & monstruosa.

Tabula dicta mixtæ & monstruosæ naturæ phylacteria exhibet; quæ quid ex mente Ægyptiorum significent, paucis explicandum duxi. Notandum itaque, phylacteria à Græco φυλάττειν, id est, à custodiendo dicta, eò quòd qui ea portarent, contra aduersarum potestatum insidias immunes esse crederentur. Et quia nouerant, Agathodæmones terribiles luctas cum antitechnis Dæmonibus perpetuò exercere, terrorem hunc non meliori ratione, quàm per formidandas species exprimendum duxerunt; siquidem formidinem vel ipsa bonorum Geniorum terribili quâdam & monstrificâ architecturâ concinnata simulachra dictis aduersis Genijs incutere putabant; vnde & conceptis verbis, & adiurationibus horrore quodam ex barbararum vocum minis plenarum eadem in adytis consecrabant, quemadmodum amplè in Magia Hieroglyphica deduximus. Phylacteria vnde dicta.

Hinc 1. 2. 3. 4. 7. 8. 9. statuæ combinatis manibus & horrendâ facie tùm hominum, tùm animalium transformata, minas nescio quas intentant; vnde & ἀμυλητήρια Græcis, Coptis ⲙⲡⲧⲟⲗⲙⲉⲕⲟ ab audacia dicebantur. Et prima quidem, ac nona, Leonino vultu terribilis, Mophtæos Genios referunt; secunda & octaua, Caninâ facie instructæ, Anubicos; tertia & septima, monstruosis capitibus & barbis, Isiacos; quarta & sexta, Nephtæos; quinta tandem puerum monstruosi capitis Horum indicat; duodecima & 14, vti & 21, & 25, eosdem quos prima & nona, Genios videlicet Mophtæos significant; vndecima & 15 eosdem quos 4 & 6; decima sexta, terrificâ facie ingens saxum humeris gestans, vti & 11. 23, 19. minas intentant antitechnis, quas Demophilus describit l. de Sacrificio & Sacerdotum exorcismis; *Nisi cesseris, montibus te inuoluam, rupibus iniectis sepeliam, Baryn sistam, Osiridis claustra perfringam*, &c. Nam vt Psellus, lib. de Dæmonibus, nullis verborum minis maligni Dæmones adeò, quàm carcerum & exterminij, percelluntur; non quòd exterminari possint, aut carceribus claudi, sed quia sunt contra ordinem ijs à naturæ authore præscriptum, cuiusmodi sunt perpetua ad vnum locum condemnatio: adeo enim huiusmodi minis terrentur, vt Statuæ minas intentantes. Minæ Dijs antitechnis intentatæ. Demophilus. Psellus à Minas Dæmones abominantur.

ipsi putant, vt sustinere nequeant, neque imagines quippiam horum exprimentes tolerare. quæ omnia fusè prosecuti sumus in Magia hieroglyphica fol. 454.

Serapis statua Alexandriæ.

Figura decima octaua omnium monstruosissima modium in capite gestat, cœtera tota aut caput, aut venter; notatque Serapidem; cuiusmodi statua fuisse legitur Alexandriæ, ex omnibus naturalium rerum classibus adornata, & tam prodigiosæ magnitudinis, vt amplitudine corporis molisque vastitate vtrumque delubri seu Serapæi latus attingeret,

ret, de quo plura adducta vide Tomo I. fol. 199. Phallus verò oculatus numero 13 signatus, quid significet, iam innumeris penè locis expositum fuit, vnumque ex præcipuis amuletis contra sterilitatem portabatur. 26 figura Harpocratem notat, de quo pluribus egimus Tomo I. fol. 212. & in Magia hieroglyphica fol. 448. & sequentibus. Figura 27 Apidem refert, de quo consule Tom. I. fol. 199. & sequentia. Figura 28 Isidis Horum filium lactantis simulachrum exprimit, de qua vbertim Tomo I. Synt. III, c. 4. Figuræ numeris 17 & 20 signatæ Crocodilorum sunt, & passim Typhonis placandi gratia gestabantur; siquidem, vt passim docuimus, Ægyptij non tantùm Agathodæmonum fauorem huiusmodi phylacteriorum gestatione procurare intendebant, sed & aduersarum potestatum molimina, nè nocerent, symbolis ijsdem congruis auertere omnibus viribus studebant. Atque hæc sunt periapta Ægyptijs propria; & portatilia fuisse ansulæ, quibus singula instructa videntur, apertè monstrant.

CAPVT IV.

De Scarabæis prophylacticis.

NVlla frequentiora in toto hieroglyphicorum ambitu Periapta reperio, quàm Scarabæorum figuris insignita, vt proinde illa magna in æstimatione apud Ægyptios fuisse, ipsa frequentia satis superque doceat. Sunt qui coronas integras ex eorundem contexuerunt multitudine. Amuleta nullis non Museis obuia, eaque variæ magnitudinis: sunt minima, mediocria, prægrandia: differunt & antiquitate, cùm nonnulla Gnosticorum, alia verè Ægyptiorum partus sint, vt hieroglyphicorum quibus signati sunt, varietas satis docet; quorum quantum ingenio nobis permissum fuerit, expositionē hoc loco ordiemur. Primi quatuor ex Museo Reinstiano extracti sunt, vt sequitur. Qui literâ A signatur, eius quam Scarabæi Prophylactici Scarabæi ex Museo Reinstij.

vides, magnitudinis est. A, Scarabæum refert, in cuius ventre in planam superficiem elaborato, Draco spectatur, circulo B demonstratus, Gnosticisque characteribus circumdatus. Per Scarabæum masculus regis animus, vti alibi docuimus, notatur, cui gestatione huius Periapti fortitudo, Primus Scarabæus.

do, robur, & vigilantia, quas Draco siue Ophionium Numen indicat, promittitur. Characteres verò Gnostici sunt, qui cùm pessimè formati sint, eorum interpretationem omittere malui, quàm fallaci coniecturâ in ijsdem resoluendis tempus perdere.

Secundus Scarabæus.

Alter eiusdem speciei C, superiori parte Scarabæum, inferiori D Draconem pariter exhibet, quem duo circumstant Genij, Ophionij Numinis nimbo illustrati asseclæ; & est, vti prius, Gnosticorum Amuletum; quod docent characteres Crucibus misti supra infraq; Draconem exhibiti. Characteres vocem ΙΑΛΙ exprimunt, quod idem est corrupta lingua Hebræa, aut Arabica, quod Deus; Cruces verò influxum Numinis indicant. Reliquam schedæ intermediæ factam inscriptionem, nè penetraremus, pessima nobis characterum corruptio inuidit. Posita autem est dicta inscriptio ea in Scarabæi parte, quam E litera signat.

G

Tertius Scarabæus.

Tertium Amuletum F Scarabæi figurâ purè hieroglyphicum est, vti G inscriptio ventri eiusdem insculpta docet: quæ tametsi pessimè sit efformata, neque figuræ aut instrumenta dignosci possint; quantum tamen colligere ex varijs circumstantijs licuit, illa nihil aliud indicat, quem Regem perpetuis Osiridis, quem Scarabæus indicat, influxibus substare; quem si Rex religionis amore ritè coluerit, Genios in eo hieroglyphicè expressos ei perpetuò adfuturos, regnumque ab omni aduersa fortuna liberaturos. Huic prorsùs simile, olim ad me transmisit Reuerendissimus & Illustrissimus D. Georgius à Buchaim Episcopus Laubacensis, & Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis meritissimus Canonicus;

Scarabæus à D. Buchaim transmissus.

cus,& Excellentiss. quidam è Gallia Philologus non ita pridem transmisit, quorum vtrumque quia eandem inscriptionem habet, in tertio schemate immediatè antè expositam, reiterandam non duxi.

I.

Quartus Scarabæus.

Quartum Amuletum pariter Scarabæi figura H, in ventre inscriptionem portat, signatam literâ I, & est Eques gladio euaginato minax; quem ambiunt characteres hieroglyphici, sed eius formæ, quas currentes vocant; quorum genuina interpretatio est, vt sequitur. Prima & octaua figura indicat statuam Cynocephali seu Genij Anubici; Secunda duos pedes exhibet hemicyclo insistentes; quo occultus Numinis inferioribus se insinuantis motus notatur; Tertia & Sexta Accipitrinos Osiridis ministros indicant; Quarta Dæmonem polymorphum; Quinta Crucem ansatam diuini influxus indicem; Septima Isidis caput refert. Horum itaque Numinum præsidio, in bello (quod per Equum & armatum hominem notatur) Regi stipato victoria contra inimicos promittitur.



C



D.

Figuræ ex Reinstiano Museo.

Præsentes binæ figuræ C & D, ex Reinstiano Museo extractæ sunt; quarum prior Isidem auerruncam notat, vti instrumentum docet; cuius capiti Scorpionis insidet figura, Typhoniæ potestatis symbolum, quam ipsa profligat, vnà cum asseclis suis, quos characteres, quibus circumdatur, indicant.

Altera D, Canopum nobis exhibet, similem illi, quem suprà in Iconismo Canoporum expressimus, binis Scorpionibus circumdatum in superiori parte; Serpente tortuoso infrà posito; quod Amuletum contra vim adustiuam Typhonis, quâ omnis Canopici humoris copia exsiccata consumitur (quod fit Mense Athyr, Sole Scorpionem subeunte) constitutum

tutum eſt; Serpens verò vitalem humentis naturæ vigorem Typhoniâ vi ſuppreſſum medio Canopico Numine αὐτιτέχνῳ vi ſuâ reſuſcitare putatur. Reliquos characteres ob ſummam eorundem transformationem penetrare non licuit. Habent autem hæ figuræ ex Achate lapide ſculptæ, in poſtica parte concauitatem quandam, vti ſigna *O O* monſtrant,

cœterùm planæ, huius, quam vides, magnitudinis; quæ geſtationi idonea fuiſſe, foramina immediatè ſupra capita vtriuſque excauata ſatis oſtendunt. His adiecta eſt gemma vtrinque modicè conuexa, teſte Nihuſio, ligamine argenteo inaurato circumdata, quaſi pellucida, obſcuri cryſtalli inſtar rubedine quâdam perſuſæ, duobus perfoſſa foraminibus, vti duo circuli monſtrant in facie X; in Y verò latere ſcriptura tenetur, quam ob malè formatos characteres dignoſcere non licuit. Huic adiungere libuit aliud huius farinæ Numiſma, quod præterlapſo anno pro ſumma ſua humanitate ad me tranſmiſit Clariſſimus, idemque doctiſſimus Drepanitanæ in Sicilia Vrbis Secretarius Iacobus Scaphilus, vt ſequitur.

CAPVT V.

Phylacterium lapideum ex Muſeo Clariſſimi Viri Iacobi Scaphili.

Phylacterium à D. Scaphilo miſſum.

Est hoc Phylacterium Gnoſticorum, quod contra febres calidas & malignas, quas vis quædam maligna Solis, quam vim Typhoniam vocabant, tribus anni temporibus, videlicet Sole in ♈, ♌, ♐, ignei trigoni ſignis conſtitutus efficiebat, geſtare præcipiebant. Tacite itaque Solare Numen ternâ inuocatione tribus ſignis correſpondente obteſtabantur; quod & corrupta vocabula Græca & Hebraica, quibus vt plurimùm in ſuis ſuperſtitioſis ſacrificijs vti conſueuerant, ſat ſuperque demonſtrant: IAI ſiquidem Ægyptiaca vox eſt, à Græco ἥλιος, deriuata, quæ Solem innuebant; voce verò IAω ab Hebræo Iehoua corrupta Deum inuocabant, hâc verborum formulâ, quam ſchemati inſertam vides. DA ✠ ſcilicet ſubſidium ΔωC ✠ IAI IAI IAI *Sol, Sol, Sol,* IAω, Numen Iehoua,

πολι-

πολιμινς *polimins*, id eſt, contra inimicum Draconem, qui eſt Typhon, atq; in ♈ ♌ & ♐ potiſſimùm ſæuientem. Quæ omnia Vir Leonem equitans, Arietem ante ſe conſtitutum veluti conculcans, manu ſpiculo armatus, ſub pedibus Draconem habens, ſignat. Lateris verò poſtici characteres ſic leguntur: DEVN EDNVMAV IAOLPDO KOLPOTOP MNPLAP. Quæ quidem verba ficta ſunt, & certum numerum κατὰ τὴν ἰσοψηφίαν reſoluta monſtrant, ad virtutes peculiares alicuius Numinis alludentem; de quibus omnibus fuſè actum vide in Magia hieroglyphica.

Phylacterium lapideum ex Muſeo Drepanitano Excellentiſſimi Viri Domini Iacobi Scaphili.

Sequitur aliud ſchema Scarabæum exhibens à Tito Liuio Burattino tranſmiſſum, cuius poſtica pars reddit hoc quod ſequitur ectypon. Et

continet Aſpidem Ophioniam caudâ inſignem, quæ tamen ſculptoris vitio à corpore ſeparata ſpectatur, cum Canis iacentis forma & ſiſtro; & erat Amuletum, quo vigilantiâ Anubidis, & ſiſtri motu, illa aduerſa vis & poteſtas, quæ calori Solis vitali inſidiatur, profligatur. Vide quæ de Aſpide, Anubi, & ſiſtrorum Ægyptiorum variâ formâ & ſignificatione, varijs huius Operis locis tractauimus.

Præſens figura ex Muſeo Magni Ducis Hetruriæ extracta Dianam exhibet, cornucopiæ, temone, & tutulo, Caniniſque auribus inſignem.

Verùm cùm hæc Græcanicam potiùs quàm Ægyptiacam literaturam sapiant, & symbola trita sint, illis explicandis tempus non terendum duxi.

CAPVT VI.

De humani corporis partibus in vsum Periaptorum ab Aegyptijs assumptis.

Amuleta quæ humani corporis partes repræsentant. Phallus varijs modis ab Ægyptijs efformatus.

INter cœtera hieroglyphica, quibus Obelisci turgent, Phallus celeberrimus ac frequentissimus est. Est autem phallus imago ad veretri humani similitudinem efficta. Et inter phallos potissimùm locum obtinet phallus oculatus, nullibi non obuius; de quo vide, quæ amplissimè tractauimus in primo Tomo, in Pantheo Hebræorum de Phegore seu Priapo, vbi & totius superstitionis originem tradidimus. Consule quoque Indices trium huius Operis Tomorum, vbi innumeris locis de eo actum reperies. Fuit autem multiplici schematum ornatu adaptatus; modò sub forma simplici, vt in Canoporum Iconismo in VI. figura videre est; modò ὀφθαλμοειδής, id est, *oculari figurâ*, quemadmodum in præcedenti Iconismo Nardiano 13 figura ostendit; & hoc pacto innumeris locis inter hieroglyphica Ægyptiorum monumenta occurrit. Fuerunt qui eum sub Serpentis alati, triplici pennâ, in cauda, capite, & loco naturali conspicui, forma fingerent, cuiusmodi non ita pridem mihi communicauit amplissimus idemque doctissimus Vir Dominus Franciscus Serra Eques Romanus, Reipublicæ Literariæ promouendæ ardentissimus zelotes; cuius tamen effigiem nè ponerem, pudor & verecundia inhibuerunt. Alij humano brachio eundem inseruerunt. Hoc pacto conspicitur apud Laurentium Pignorium in Mensæ Isiacæ expositione. Huius quoque vestigium apparet in Iconismo seu tabula III. Nardiana, vbi & mysteriosi schematis rationem dedimus. Tempus me deficeret, si ridicula Veterum circa tam propudiosi simulachri cultum deliramenta & insaniæ falsæ describendæ forent. Sufficiat Lectori, non alia de causa huiusmodi periapta, nisi ad fascinum prohibendum, fœcunditatemque impetrandam, gestata atque adhibita fuisse. Sed de his, vt dixi, vide citata loca, vbi omnia exactè descripta reperies.

Hieroglyphicum quod sequitur numero 1 signatum, Græco Ægyptiacum est, & notat Mercurium totius Sapientiæ Præsidem. Canino capite est, quia sapiens sagacitate multa ad res inuestigandas valet. Lunam sextilem, cui Noctua, quæ hoc loco malè expressa est, insidet, capite gestat, vt innuatur sapientiam silentio, & nocturnis ab omni hominum strepitu semotis lucubrationibus, comparandam. Pennam manu gestat prægrandem, qua literarum scriptionis indefessum studium signatur. Manu gestat Pauonem Serpente bicipiti & ventroso implicatum; quo notatur, Sapientem perpetuò memorem esse debere, pulchritudinem mentis quam Sapientiæ studio acquisiuit, terrenorum affectuum, quæ per

Serpentes notantur, mortificatione in vberrimos fructus tandem excrescere. Secunda & tertia figura manum indicant, ex Magni Ducis He-



truriæ Museo extractam, eandem prorsus cum illa, quam in Magia hieroglyphica fol. 451. exposuimus; quare Lector eius interpretationem citato loco videre poterit.

FINIS SYNTAGMATIS DECIMINONI.

SYNTAGMA XX.

DE LVCERNIS VETERVM AEGYPTIORVM.

EXCELLENTISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO COMITI

DOMINO

FRANCISCO DE NADASD

Equiti Aurato, S. C. Regiæque Mai. Cubiculario, Consiliario, ac per Vngariam Curiæ Regiæ Magistro, &c. Domino meo vnicè colendo.

DVM hasce veterum Ægyptiorum Lucernas è tenebris euolutas in lucem vindico, Lucerna non dicam Cleanthæa, sed vel Diogenis opus fuit, vt nonneminem, cui tam dignum argumentum apposite congrueret, reperirem. Tu inter paucos vnus occurristi, Illustrissime Comes, cuius celebre, & iamdudum Mundo notum nomen, harum splendore Lucernarum illustraretur. Tu siquidem Lucerna es, in qua tam illustre fidei lumen accendit Deus, vt augustissimus Catholicæ veritatis splendor, curis Tuis verè cælestibus, complures à densa Ægypti caligine prouocârit ad lucem. Cui luci exaggerandæ Sopronij veluti igniarium (veriùs Prytanæum sacrum) auxisti adeò, vt Societatis IESV istic Fundatori Te immortalium lychnuchorum Collegam Dei & Patriæ amor adiunxerit. Vt quemadmodum Magni Nicolai Esterhasij Soceri Tui Proregis affinitas Te Generum haud constituit degenerem; ita is vnà cum Ladislao Tuo, Te heroicarum virtutum exemplis hortatur, vt intermicantium tenebris cœli Lucernarum imitatus mores, pergas inclytæ pandere vela virtuti, & sacrosanctum æterni honoris thema Tibi Tuoque in spes excelsas nuper nato Hæredi, factis luculentissimis conscribas. Vt dum Hungariam sua fata canentem audis, adscitis in gloriæ societatem alijs Patriæ Patribus, quoties nobilem & generosam animam illustrissimo anhelitu reciprocas, toties Te, Tuos, ac Patriam æterno diuinæ gloriæ sacramento authoratam, sacris religionis legibus, & empyreâ quâdam Nadasdiani & Esterhasiani nominis, sanguinis, virtutis indole, granditate, immortalitate illustres. Vale Lucerna Deo ardens, lucens Patriæ; cuius elychnium seu pretiosum vitæ filum, affuso abundè diuini sui nominis & Numinis oleo diu & semper prosperè foueat Deus, ac perpetuâ diuinitatis flammâ in lucem afferat gratiarum, & omnium gloriarum.

SYNTAGMA XX.

De Lucernis veterum Aegyptiorum.

CAPVT I.

De origine Lucernarum.

IGNEM subterranei Osiridis, quem Græci Plutonem vocant, alij Vulcanum, symbolum fuisse, alibi copiose docuimus. Quemadmodum enim singulis Mundis Osirin preponebant, Archetypum in Intelligibili, in Intellectuali Pantamorphon, in Sidereo Solarem; ita iuxta analogiam quandam ignis, id est, Solis hylæi præsidem in Hylæo Mundo ponebant; qui quidem ita ad inuicem disponebantur, vt influxus supernus per intermedios in infimo terminaretur. Et vti nihil igneo colore in inferiori natura rerum præstantius est, & magis necessarium, vtpote Soli analogo; ita summo quoque studio, contentis viribus, ac miro cultu cœremonijsque eum, ne quandoque deficeret, aut Numen muneri suo in eo conseruando deesset, prosequebantur. Hinc celeberrimum illud Lucernarum festum & solennitas originem inuenit, quo certis anni diebus tota Ægyptus Lucernarum fulgore illustrabatur; cuius mentionem amplam facit Herodotus in II. libro quem Euterpen inscripsit. Ἐς Σάϊν δὲ πόλιν ἐπεὰν συλλεχθῶσι τῇσι θυσίῃσι ἐν τῇ νυκτὶ λύχνα καίουσι πάντες πολλὰ ὑπαίθρια περὶ τὰ δώματα κυκλῷ, τὰ δὲ λύχνα ἐστὶ ἐμβάφια ἔμπλεα ἁλὸς, καὶ ἐλαίου ἐπιπολῆς δ' ἔπεστι αὐτὸ τὸ ἐλλύχνιον, καὶ τοῦτο καίεται παννύχιον, καὶ τῇ ὁρτῇ οὔνομα κέεται λυχνοκαΐη· οἳ δ' ἂν μὴ ἔλθωσι τῶν Αἰγυπτίων ἐς τὴν πανήγυριν ταύτην, φυλάττοντες τὴν νύκτα τῆς θυσίης καίουσι, καὶ αὐτοὶ πάντες τὰ λύχνα· καὶ οὕτω οὐκ ἐν Σάϊ μούνῃ καίεται, ἀλλὰ καὶ ἀνὰ πᾶσαν Αἴγυπτον, ὅτευ δὲ εἵνεκα φῶς ἔλαχε καὶ τιμὴν ἡ νὺξ αὕτη ἐστὶ ἱρὸς περὶ αὐτοῦ λόγος λεγόμενος. id est; *Vbi verò Sain Vrbem sacrificatum conuenerunt, noctu sub dio vniuersi circa domos frequentes lucernas accenderunt, imbutas sale, & oleo plenas, cum multo lychno, quod tota nocte ardet; cui festo nomen impositum est, accensio lucernarum* λυχνοκαΐη. *Ad hunc conuentum quicunque Ægyptiorum non ierint, obseruantes sacrificij noctem & ipsi vniuersi lucernas accendunt, atque ita accenduntur lucernæ non in Sai modò, sed per vniuersam Ægyptum. Qua vero gratia nox hæc lumen & honorem sortita sit, sacra quædam ratio commemoratur.* Ita Herodotus. Quænam verò sacra ratio, ob quam tantum festum institutum fuerit, Manethon apud Syncellum docet, Typhonem occiso Osiri vniuersam Ægyptum tenebris & densa caligine offudisse; quo portento exterriti Sacerdotes Ægyptij Oraculum consuluêre, quod respondit, caliginem terræ obfusam non desituram, nisi Osirim à Typhone occisum frequenti lucernarum fulgore placarent; quod vbi factum fuit, caligine mox discussa, desiderata lux redijt, atque adeò Lucernarum accensionis festum institutum, maximo imposterum ardore celebratum fuit. Non desunt tamen qui velint, accensionis Lucernarum festum originem

Ignis symbolum subterranei Osiridis.

Ignis cultus apud Antiquos Ægyptios.

Lucernarum festum apud Ægyptios.

Herodotus.

Lucernarum festum cur institutum.

suam traxisse à decem plagis Ægypti, quibus Ægyptum Moyses diuinâ virtute percussit, inter quas tenebræ propè palpabiles vna fuit; quibus non dissentio, præsertim cùm passim toto hoc Opere ostenderimus, pleraque Ægyptios ab Hebræis mutuata sui iuris fecisse, tametsi alijs & alijs fabulis commentisque deprauata, vti ex dictis patet. Hieromantas tamen mysticis rationibus inuolutum negotium Osiri cœlestium lucium astrorumque rectori id potissimùm instituisse, verisimilius videtur: fuit enim nullo non tempore & loco, vti passim docuimus, Osiris veluti Numen quoddam Solare, in summa veneratione habitus, & cùm Soli, quem ignem cœlestẽ dicebant, nihil in inferiori Mundo similius sit igne, non aliâ meliori ratione eum, quàm Lucernarum frequentium vsu colendum censuerunt; adeo quidem, vt lucerna, Seneca teste de beata vita, c. 27. & Suida, religionis hieroglyphicum euaserit, idque scitè exponit Beroaldus in 11. cap. Asini Aurei apud Apuleium. Imò Plutarcho Authore l. 7. Symp. 14 c. lucernam extinguere violentâ quâdam extinctione, summæ sibi religioni ducebant; vnde oleo posito inextinctam Lucernam dimittebant, quousque ignis oleum totum consumpsisset, & deficiente nutrimento, ipsa quoque deficeret Lucerna seipsa; quo facto, nouum suppeditabant nutrimentum, idque sacri reuerentia ignis præstabant, vti apud Plutarchum Cosenus refert, vel vt ibidem Lucius, nè necem inferre elemento quodammodo animato, vel vt Florus ibidem existimabat, nè Lucernam extinguentes lucem alijs inuidere viderentur. Sed vt eò, vnde digressi, redeamus; de festo siue solennitate accensionis Lucernarum varij variè sentiunt: alij ad inquirendum cum Iside Osiridem Lucernas accendere Ægyptios consueuisse existimant; quæ quidem inuestigatio Isidis vti magnâ lachrymarum profusione contigisse fertur, ita luctus quoque Isiacus, lamenta, ploratusque nunquam ab huiusmodi solennitate deerant; siquidem, Plutarcho teste, in plenilunio sub dio inter tenebras quasi Lunam, id est, Isidem comitaturi Lucernis accensis magno cum luctu Osirin quærebant, magnam sibi ex vana huius cultus obseruatione rerum abundantiam spondentes. Sed audiamus Pausaniam: *Ægyptij festum Isidi celebrare consueuerunt, quando ipsi Osiridem lugere dicunt; & illis quidem diebus Niliacum incipere incrementum, argumentum fluminis, agrorumque inundationem non nisi Isidis lachrymis procurari*, iuxta illud Statij lib. 1. Theb.

Ignis cur tanto honore habitus ab Ægyptijs.

Seneca. Suidas. Beroaldus. Plutarchus.

Lucernarum accensio cur instituta.

Pausanias.

Statius.

> - - *melius vobis mareotica fumat*
> *Coptos, & ærisoni lugentia flumina Nili.*

Quidquid sit, ille nunquam satis quæsitus Osiris, vt cum Lucano loquar, nihil aliud nisi Solem indicabat, quem veluti vitæ authorem cùm sibi palpabilium tenebrarum diuinitùs immissâ caligine ereptum putarent, tenebrasque mors primogenitorum Aegypti secuta fuisset, magnus mox in Aegypto clamor, teste Sacro textu, exortus est; neque enim erat domus in qua non erat mortuus; vnde non est dubium quin ex tam

memo-

memorabili & inaudito euentu Lucernarum solennitas ad Osirin placandum quotannis per vniuersam Aegyptum instituta apud posteros viguerit; nam id Apuleius citato paulò antè loco apertè ostendit his verbis: *Magnus præterea sexus vtriusque numerus lucernis, tædis, & alio genere facium luminis siderum cœlestium stipem propitiantes*. Qui verò plura de superstitioso Lucernarum cultu desiderat, is legat Clem. Alexandr. l. 1. Strom. Eusebium l. 10. de præparatione. Lactantium l. 6. diuin. instit. Sideribus quoque quibuscunque ignis cultum, ex analogia quadam ignei fulgoris ad ignium cœlestium lucem, exhibitum, vide si placet, Tom. I. Synt. 3. de Sacrificijs & ritibus Aegyptiorum. Verùm ante omnia consulat rarum, doctissimum, & omnigenâ eruditione refertum Opus, quod non ita pridem in lucem summo Reipub. liter. bono emisit Excellentissimus Fortunius Licetus de Lucernis Veterum; in cuius vberrimam messem nè falcem immitteremus nostram, hoc loco tantùm, quæ ad instituti nostri argumentum propriè spectant, id est, Aegyptiacas Lucernas aut ibi omissas, aut non nisi superficie tenus expositas, hoc Syntagmate prosequamur.

Apuleius.

Fortunius Licetus.

CAPVT II.

De loco, figura, alijsque lychnuchorum, Lucernarumque Aegyptiarum proprietatibus in genere.

Loca in quibus Lucernæ apud Ægyptios ponebantur.

Loca in quibus Lucernæ poni solebant, erant Delubra, Adyta, Cryptæ seu cœmiteria subterranea, de quibus singulis ordine dicemus. In Delubris pro qualitate Numinis, cui litabant, Lucernam ponere consueuerunt. Ita in Fano Anubidis Lucernam ponebant vel Canino capite, vel integrâ Canis figurâ conspicuam, vt postea ostendemus. In Delubro Osiridis vt plurimùm Accipitrino vultu, aut etiam totius volucris habitu spectabilem. In Fano Isidis, ipsam Isidem Lunari hemicyclo, & flammis è vertice surgentibus venerabilem. In Templo Canopi, Canopici Numinis ventripotentis, & dolij instar protuberantis similitudinem adumbrabant. Haud secus in cœteris Deorum Fanis, eo ornatu Lucernas adornabant, quo ipsa Numinum in ijs coli solitorum simulachra effigiabant. Quæ omnia vera esse, testantur Lucernæ in hunc vsque diem superstites ex Ægypto deportatæ, quas postea adducemus. Hanc consuetudinem Græci, Romanique, qui nullo non tempore Ægyptiacæ religionis, veriùs superstitionis, veluti Simiæ quædam fuerunt, imitati sunt, vti ex Lucernarum à Clar. Fort. Liceto adductarum inscriptione patet, quæ eas nunc Ioui, modò Dianæ, aut Mineruæ, cœterisque Numinibus consecratas apertè docent.

Figuræ variæ Lucernarum apud Ægyptios.

Ignes quales in adytis Ægyptiorum.

In Adytis quoque secretioribus Sacerdotum conuenticulis, præter Lucernas, ignes quoque mirâ industriâ adornatos adhibuisse comperio; nam ignes non ex cuiuslibet materiæ nutrimento, sed Dijs sacrificijsque appropriato deputabant. Sic Horo ignis ex perseæ lignis, Osiri ex lauri,

Lucernæ in Cryptis & Sepulchris.

Isi ex seriphij, alijsque ex alijs lignis adhibebant; & ex fumo & fuligine, qui in hunc vsque diem, teste Burrattino, similium Adytorum fornicibus adhæret, luculenter apparet. In Cryptis denique mortuorum depositis destinatis in hunc vsque diem Lucernæ vario hieroglyphicorum apparatu ornatæ in magna quantitate, teste Vallæo, & Burrattino, reperiuntur; apertum signum, ibidem proprium fuisse locum Lucernarum depositioni deputarum, de quibus nunc aliquantulum fusiùs disceptare visum est.

Ignibus cœlestes Deos colebant Ægyptij.

Ægyptios vt floribus, fructibusque terrenos Deos, ita ignibus cœlestes coluisse, aliàs dictum fuit. Fuit autem ignis diuinæ naturæ, immortalis, incorruptibilis, insectilisque symbolum; atque eam ob caussam Deorum capitibus, vti Mensæ Isiacæ simulachra monstrant, vtplurimùm imponebant, igneam in diuina Mente vim & efficaciam mysticè indigitantes. Hinc pyramides, ignis pariter symbolum, conficiebant eius soliditatis, quæ & omnes temporum iniurias facilè superare possent, & mentium immortalitatem vel ipsâ figurâ suâ demonstrarent. Verùm cùm de hisce in Geometria hieroglyphica copiosè disseruerimus, eò Lectorem remittimus.

Quæ quidem colendi ignis consuetudo tantū in exterarum Gentium pectoribus obtinuit admirationis, vt nulla non natio hanc ab Ægyptijs edocta πυρολατρείαν omnibus modis receperit ad se propagatā. Quid enim Mythræ sacrificia aliud sunt quàm ignis illius cœlestis, Solis inquam cultus, qui apud Persas potissimùm magnum sumpsit incrementum? Nam vt rectè de Perseo Gregorius Monachus: Ἐδίδαξε δὲ αὐτοὺς καὶ τὴν μυσαρὰν τελετὴν, καὶ μαγίαν τὴν λεγομένην Μεδούσης· ἐφ' ᾗ καὶ πῦρ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατῆλθεν ἐν τῇ Περσίδι, ἐξ οὗ καὶ ἀνάψας, καὶ κτίσας ἱερὸν ἔθηκεν αὐτὸ ἐν αὐτῷ καλέσας τὸν ναὸν πυρὸς ἀθανάτου, καταστήσας δὲ ἄνδρας εὐλαβεῖς διακονεῖν αὐτῷ, καὶ φυλάττειν ἐκέλλωσε, (lege ἐκέλευσε) τοὺς μάγους· ὅπερ ἕως ἄρτι ἐν πολλῇ τιμῇ ἔχοντες οἱ Πέρσαι πυρολατροῦσι. id est, *Docuit Persas ipsos execrandas cæremonias & magiam, quæ dicitur Medusæ, quo regnante in Persia ignis è Cœlo delapsus est, ex quo ignem alium accendens ei fanum extruens in eo reposuit, vocauitque templum ignis immortalis, & constituens viros prudentes, vt seruirent seruarentque ignem, Magos eos appellauit, quos ritus in multa dignatione habentes Persæ ignem colunt.* Sed ignem multò ante Perseum cultum, & à Zoroastro introductum, Cedrenus his verbis notat.

Cedrenus.

Ἐκ τοῦ γένους τοῦ Βήλου καὶ Ζωροάστρης ὁ περιβόητος ἐν Πέρσαις ἀστρονόμος, ηὔξατο ὑπὸ πυρὸς ἀστρείου κεραυνωθῆναι, καὶ ἀναλωθῆναι ἐντειλάμενος τοῖς Πέρσαις τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν καῦσιν ἀναλαβεῖν, καὶ φυλάττειν, καὶ τιμᾶν. *Is à Belo ipso duxit originem, & inter Persas clarissimus Astronomus fuit, qui cùm nouisset, optassetque igne de cælo tangi, præcepit Persis, vt ossa sua post exustionem legerent, seruarent, & colerent.* Hunc Zoroastrum ex Chamo seu Belo filium Misraim nullum alium fuisse, quàm corrupta à Persis voce Mithram (quem & Osirin dictum fuisse, constat) in Obelisco Pamphilio amplè deduximus. Hic enim primus fuit, qui ignis cultum Ægyptios Chaldæosque docuit; vt proinde quæcunque de Osiri, Mythra, Zoroastro ibidem diximus, exactè ijs, quæ hìc tradimus, congruant. Quemadmodum enim Ægyptij in Adytis, ita Persæ in speluncis, ignis cultum magno cœremoniarum apparatu docebant, his verbis,

Zoroaster docuit Persas cultum ignis.

vti

vti Firmicus Maternus l. 5. testatur, Μιθραϊκῷ μυστικῷ ὁ κλέπτης συνεδρίῳ πατρὸς ἀγανοῦ. Adeoque huius πυρολατρείας insania dementabantur, vt non ignem modò; sed & omnia ea, quæ vel ignis speciem referrent, sacro cultu, teste Dionysio de situ Orbis, πάντα πυροειδῆ φύσει, prosecuti sint; vnde & pyropo quasi flammas emittenti honorem habebant Authore Strabone l. 15, quem neque ad mortuum admouebant, non magis quàm ignem ipsum. Ex quo & illa superstitio nata videtur, vt ijs nihil denegaretur, qui ignem in fluuium detulissent; & ni compotes fierent, ignem se mersuros aquâ minarentur, vti Plutarchus asserit. Ignis inter prima primò in Perside, non autem à plebecula tantùm, sed maximè à Regibus in ædibus ad eam rem sanctè comparatis, Theodoreto teste l. 5. Eccles. histor. colebatur; vnde ædes istæ πυρεῖα dictæ, ignis verò πῦρ ἄσβεστον, inextinctus; in Pyræo verò ignem seruabant ad diuinationes, eo eum loco habentes, quo Vestam Romani, ait Procopius l. 2. Strabo l. 15. Ὅτῳ δ' ἂν θύωσι θεῷ πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται. *Cuicunque Deo sacrificarent, primò igni vota nuncupabant*, τιάρας περικείμενοι πιλωτὰς καθηκούσας ἑκατέρωθεν μέχρι τοῦ καλύπτειν τὰ χείλη, καὶ τὰς παραγναθίδας, *Tiaris operti ex lana densa vtrinque demissis, vt labra & genas tegant*, καὶ πυρὶ θύοντες ἐπιφωνοῦσιν αὐτῷ τὴν πυρὸς τροφὴν ἐπιλέγοντες, πῦρ δέσποτα, ἔσθιε. *Sacrificaturi igni, ei pabulum præbentes dicebant, Ignis Domine comede*. Quæ quidem omnia ab Ægyptijs ad Persas, & hinc ad Græcos, Romanosque propagata, maximum semper incrementum habuere.

Firmicus Maternus. — *Dionysius Geographus.* — *Strabo.* — *Theodoretus.* — *Procopius.* — *Strabo.*

Sed vt ad propositam nobis de Lucernis Veterum narrationem redeamus, Notandum est, Lucernas variæ omninò figuræ fuisse, siue lychnos spectes, siue figuram ipsam Lucernarum. Fuerunt ijs μονόμυξοι, πολύμυξοι, id est, vnius, & plurium, pro ratione Numinum quæ colebant, ellychniorum seu myxorum Lucernæ; τρίμυξοι id est, 3 ellychniorum in trianguli formam concinnatæ supremo triformi Numini; τετράμυξοι, quatuor Elementorum præsidibus Dijs; quorum vnusquisque eâ figurâ animalis, quæ Numina referebant, concinnabatur. Non defuerunt in honorem septem Planetarum ἑπτάμυξοι, septem ellychniorum Lucernæ constitutæ; δωδεκάμυξοι, duodecim Zodiaci Genijs ordinabantur, cuiusmodi vnius ad me ex Ægypto transmisit delineationem Michaël Schatta, quem suprà citaui, meus olim in Copticis Amanuensis. Scribit Demophilus peruetus Author, in Templo Solis Heliopolitano Lucernam fuisse tot lychnorum, quot diebus annus constituitur. Quos secuti videntur Tarantini tempore Dionysij Iunioris, Athenæo teste l. 15. Ταραντίνους εἰς τὸ πρυτανεῖον ἀναθεῖναι λυχνεῖον δυνάμενον καίειν τοσούτους λύχνους, ὅσος ὁ τῶν ἡμερῶν ἐστὶν ἀριθμὸς εἰς τὸν ἐνιαυτόν. *Tarantinis in curia lychnuchum positum fuisse, tot instructum ardentibus lychnis, quot dies essent in anno*. Et tametsi Athenæus nuperum inuentum lychnum dicat, Παλαιὸν δ' εὕρημα λύχνος· φλογὶ δ' οἱ παλαιοὶ τῇ τε δαδὸς, καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο, *Veteres enim igne tædæ & aliorum lignorum vtebantur*; negandum tamen minimè est, iam primæuis temporibus vsum lychnorum fuisse, siquidem in hunc vsque diem in abditissimis Cryptarum reconditorijs inueniuntur huiusmodi πολυλύχνοι, siue Lucernæ, tùm vnico, tùm pluribus myxis instructæ, hieroglyphico ornatu spectabiles, quas

Lucernæ Veterum variæ fuerunt figuræ. — *Nota Lector, huius Lucernæ figuram ex Ægypto à Schatta transmissam ob angustiam temporis incidi non potuisse.* — *Demophilus. Lucerna in templo Helio politano.* — *Athenæus.* — *Lucernæ antiquissimis temporibus in vsu fuere.*

non nisi ante Romam conditam impositas fuisse, suprà in Syntagmate de Mumijs fusè docuimus. Voco autem lychnum ellychnium, lineam, seu papyraceam stupam, oleo imponi solitam, ignis quoddam nutrimentum, quæ scitè sanè describit Prudentius in hymnis:

Prudentius.

Viuax flamma viget seu caua fistula,
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

Ægyptij itaque non Lucernis tantùm, ellychnijs stupeis, papyraceis, iunceis instructis, sed & cereis, facibus seu tædis è cortice, quam λεφνίας vocat Athenæus (Alexidi dicitur ξυλολυχνοῦχος, Ciceroni lychnuchus ligneolus & obeliscolychnus, cùm lignum in verruculo pro lampade ardet) thyrsis iunceis, quas λύχνου θρυαλλίδας vocat Aristophanes in Vespis; thyrsis lotinis cera & resina circumductis, vt interim varias lignorum strues in Adytis omittam, vtebantur; accensionem verò ipsam vocat Aristophanes λυχνοκαυτίαν, λυχναψίαν, φωσφόρους, Herodianus l. 4. δαδουχίαν. Sed & in hisce omnibus magna differentia intercedebat. Erant aliæ Lucernæ pendulæ, aliæ posititiæ; de ijs Virgil. l. 1. Æneid.

Aristophanes. Herodotus. Virgilius.

dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem funalia vincunt.

Paul. Nat. 9.

Tectoque supernè
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, undantes flammas leuis aura fatigat,

De hisce idem Nat. 3. Paulinus

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte diuque micant.

Ex his, ni fallor, luculenter patet, ratio Lucernarum Ægyptiarum; quare iam ad particularem earundem descriptionem paulò propiùs accedamus.

CA-

CAPVT III.

De Lucernis Aegyptijs in peculiari.

§ I.

Lucernæ à Rege Myceri no filiæ posita.

MYcerinum Regem tùm sibi, tùm filiæ suæ Lucernas affabrè factas posuisse ante Bouem, cui cadauer filiæ incluserat, Herodotus ad longum describit; sed quoniam historia digna est, quæ ex ipso Authore percipiatur, verba eius hic apponam:

Herodotus.

Post hunc Chephrenem *regnasse in Ægypto dicebant Mycerinum Cheopis filium, eumque paterna perosum facta, & templa reserasse, & populo ad vltimum calamitatis afflicto fecisse potestatem res agendi & sacrificandi: quin etiam super omnes Reges iustitiam exercuisse. Quo nomine ex vniuersis Regibus hunc Ægyptij maximè prædicabant, tùm ob alia quæ benè iudicabat, tùm verò quòd conquerenti de ipsius sententia, de suo donabat, vt indignationi hominis satisfaceret. Cùm autem esset in ciues ita clemens Mycerinus, atque ita studiosus, principium ei malorum contigisse obitum filiæ, quæ domi vnica soboles erat. Quâ clade supra modum dum doleret, velletq; filiam excellentiori aliquo genere sepeliri quàm cæteros, fecisse ligneam Bouem cauam; quam cùm inaurasset, in ea filiam sepelisse defunctam. neque humo Bos hæc condita est, sed ad meam vsque memoriam in propatulo fuit in vrbe Sai apud regiam, in conclaui quodam exornato posita, cui singulis diebus omnifarij odores inferuntur: noctibus autem perpetuò incensa Lucerna astat. In altero contiguo conclaui imagines stant Concubinarum Myceriini, vt in vrbe Sai Sacerdotes aiebant. Stant enim Colossi,* id est, grandia simulachra, *circiter viginti, è ligno fabricati, nudi plerique: qui quarum sint mulierum, non possum dicere, præterquam quæ narrantur. Sunt qui de hac Boue & Colossis hæc referant: Mycerinum amore filiæ suæ captum, vim ei intulisse: deinde illam cùm præ mœrore se suspendisset, patrem in hac Boue sepelisse: matrem autem manus ministrarum quæ filiam patri prodidissent, præcidisse: & nunc earum hæc esse simulachra eius mali quod viuæ passæ fuissent. Hæc (vt ego opinor) dicunt nugatores, vt alia, ita & de manibus Colossorum: quippe quas ipsi vidimus temporis diuturnitate delapsas, quæ ad meam vsque ætatem ad pedes eorum stratæ visebantur. Bos quoque cùm cæterum corpus operta est Phœniceo pallio, tùm verò ceruicem & caput crasso admodum auro: cuius inter media cornua circulus annexus inest, Soli assimilatus. Neque stans est Bos, sed in genua cubans, magnitudine quanta est grandis Vacca viua. Effertur autem è conclaui quotannis. & postquam Ægyptij verberarunt Deum quendam, quem in tali negotio non puto mihi nominandum, tunc & Bouem in lucem proferunt. Aiunt enim eam orasse patrem Mycerinum, vt defuncta quotannis semel Solem intueretur. Huic Regi, post calamitatem filiæ, secundo loco hoc accidisse: ex vrbe Buti venisse Oraculum, fore vt sex omninò annos viueret, septimo defuncturus. Id hunc ægrè ferentem, vicissim misisse ad Oraculum contumeliosas querimonias: quòd, cùm pater suus & patruus, qui Deorum immemores templa*

clauserant, hominesque perdiderant, tamdiu vixissent, ipse piè faciens tam citò foret vita defuncturus. Rursus ei venisse dicuntur ex Oraculo responsa, eapropter ipsum properè vitam finiturum, quòd non id faceret quod deberet. Oportuisse enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi: idque duos qui ante eum fuissent Reges didicisse, ipsum verò nequaquam. Hæc vbi accepit Mycerinus, se iam à Numinibus damnatum, Lucernas fecisse permultas, quibus cùm noctesceret accensis, potaret ac se oblectaret, neque diu neque noctu intermittentem quin per paludes perque nemora vagaretur, vtque audiretur, iuuenilibus in rebus studiosissimè versari. Hæc autem idcirco excogitârat, quòd vellet Oraculum conuincere mendacij, vt duodecim pro sex fierent anni, diebus factis ex noctibus. Vtrum verò Herodotus Lucernas perpetuò ardentes habuerit, vti inclytus Licetus existimat, dubium est; quid nos sentiamus, in sequentibus patebit.

§ II.

De Lucernis Aegyptiorum in sacra animalia transformatis.

Lucernæ à Duce Hetruriæ missæ.

MIsit pro suo in Rempub. Literar. affectu iam dudum sapientissimus Princeps, Magnus Dux Hetruriæ, è suis Museis omni antiquitatis

Lucerna Bouis figura in Apidis Fano.

genere instructissimis, nonnullas veterum Ægyptiorum Lucernas, quas hoc loco opportunè inserendas existimaui. Quarum prima Bouis procumbentis figuram refert, cum puero dorso eius incumbente, & folijs fici, vti præsens figura docet. Bouem Apidis figuram, Apidem verò agriculturæ præsidem Genium expressisse, passim hoc Opere docuimus. In Fano itaque Apidis Lucernam ponebant in honorem huius Numinis adornatam; & per Lucernam quidem pium & religiosum erga Numen affectum, per ignem verò calorem vitalem notabant; qui si ab agricultura abesset, omnia in vltimum exitium ruitura existimabant. Numen itaque tacitè, vt hunc vitæ calorem agris campisque concederet, hoc symbolo sollicitabant. Puer dorso Bouis incubans, cum folio fici, vitam vegetabilem notat, cuius calore vitali à Numine communicato omnia re-

iuue-

iuuenescere videbantur per vim fœcundatiuam, quam folium fici, quam Ægyptiacè thrio vocant, notat; siquidem hoc folium, eò quòd pudendorum virilium formam exprimeret, non incongruè, teste Plutarcho, pro fœcundæ generationis symbolo assumpserunt. Huiusmodi autem Lucernas in Apidis Fano positas expresse docet Demophilus de priscorum religione; Ἐν τῷ ναῷ Ἄπιδος ἔθηκεν τὸν λυχνοῦχον βούμορφον, τὸ τῆς γεωπονίας σύμβολον. *In templo Apidis ponebant Lucernam sub Bouis forma, symbolum culturæ agrorum.* Rectè igitur Numini agrorum præsidi Lucernam hanc mysticam ponebant, eâ spe freti, futurum vt Numen religiosa ignis cœremonia sollicitatum attractumque maiori vigilantiâ in rerum fidei suæ commissarum curam incumberet. Aliam Bouino capite conspicuam vidi apud laudatissimum Licetum in Opere de Lucernis Veterum fol. 906.

Plutarchus; Demophilus.

Lucernam Apidi cur posuerint Ægyptij.

Licetus.

§ III.

Lucerna Aegyptia tetralychna.

HAnc Lucernam vnà cum Mumijs ex Ægypto Magno Duci Hetruriæ allatam refert Nardius, & est τετράλυχνος; quâ quidem nihil aliud, quàm eorum Numinum, quæ quatuor anni stationibus præerant,

Lucerna tetralychna.

cultum indigitasse videntur. Hanc in solenni Comasiarum pompa, & Adytorum consecratione adhibitam fuisse, refert Scholiastes in 11. lib. Metam. Apuleianæ. *Præferebatur,* inquit, *& Lucerna* τετράμυξος *in quatuor*

Numi-

Numinum, quæ in Comasijs circumferre solebant, honorem accensa; & ea indigitabant eorum Deorum, qui quatuor anni tempestatibus præsidebant, propitiationem. Cùm enim totius Reipublicæ salus & prosperitas à rerum ubertate, cui quatuor dicta Numina, in quadripartiti anni curriculum distributa, præerant, dependeret; aptè sanè τετράμυξον hanc Lucernam, nè quicquam mysteriosarum cœremoniarum deesset, præferebant. Nam vt suprà diximus, Ægyptij Lucernas suas tot lychnis instruebant, quot numerus Numini alicui consecratus vnitates contineret.

Lucerna tetralychna in Comasijs circumferebatur.

§ IV.

De Lucerna Canubica seu Canina, aut Κυνομόρφῳ.

Lucerna Canubica.

NIhil frequentiùs fuit Ægyptijs, quàm Lucernas suas Canis figurâ exprimere: erat enim Anubis inter tutelares eorum Deos præcipuus. Huius farinæ Lucernam, vnà cum alijs, Serenissimus Dux Hetruriæ transmisit vnam, integrâ Canis iacentis figurâ expressam. Reperiuntur & aliæ Lucernæ loco lychni Canino capite conspicuæ; quæ quidem omnes ad tutelaris Numinis vigilantiam alludunt, quâ deposita in Cryptis subterraneis corpora custodire putantur. Hinc eadem de causa omnibus ferè Mumiarum inuolucris Canis figura impressa cernitur. Verùm, cùm hæc omnia amplissimè exposita sint in Syntagmate de Mumijs, hìc non immorabimur. Hæc dum tracto, occurrit mihi in eximio Opere Fortunij Liceti de Veterum Lucernis fol. 1178. ex gemma deprompfus schematismus, in quo si vllibi, sanè in illo Ægyptiorum ingenium maximè elucescit. Tres in eo figuræ conspiciuntur, quarum prima, τρίποδ@, ἢ τρικέφαλ@, id est, trium femorum, cum tribus capitibus, quorum vnumquodque vni corporis adnexum trunco, Loti flore insignitum est, quæ binis manibus Lucernas gestat, tænijs hinc inde volitantibus, & Mercurium Trismegistum notat. Secunda seminuda, & palliolo tecta, in capite modium gestat, in cuius dextra arundo, vel vt Licetus putat, thyrsus liliaceus, cum Cane adstante, eique abblandiente; & Serapidem signat; cui similem à nobis propositam vide in primo Tomo fol. 198. Tertia Isin exhibet, sistro, situlâ, & in capite Loti flore spectabilem, de qua simili habitu exposita vide Tom. I. fol. 189 Verùm cùm eruditissimus Licetus pulchrâ, & ad mentem Ægyptiorum aptissimâ expositione singula libro & folio citato illustrârit, operam meritò perdam, si vlteriori interpretatione arcanam eorundem significationem euoluere attentauerim.

Lucerna Ægyptia apud Licetum.

§ V.

De Lucerna Sphyngis.

INter cœteras Lucernarum figuras, quas Sereniſſimus Magnus Hetruriæ Dux Oedipo communicauit, Sphyngis integræ figura ſpectabilis eſt, quæ tamen vtrum Lucernæ vſum habuerit, dicere nequeo, cùm foramina lychnorum non compareant; & illa eſt quæ ſequitur. Quamuis Lucerna Sphyngis.

non ignorem, Ægyptios Lucernas ſuas ſubinde in Sphyngis figuram adaptaſſe, cuius ſignificationem cùm ex profeſſo tradiderimus Syntagmate de Sphyngibus, eò Lectorem remitto. Protulit & nobis huius generis Lucernas binas in eximio ſuo de Lucernis Opere Licetus, cuiuſmodi eſt illa, quam folio 997. exponit, & alia in Sphyngis formam efficta, quam fol. 822. exhibet, quæ neſcio quid Ægyptiaco-hieroglyphicum oleant. Nam vt alibi docuimus, ſolebant Ægyptij Sphynges paſſim Delubrorum coronidi, teſte Clemente Alexand. incidere, tanquam intellectualium Potesta-

testatum symbola; in Lucernas verò eadem adaptabant symbola, vt innuerent vel ipso lumine igneæ mentis ingentem, qua inferiora omnia illustrat, virtutem; vsusq; harum maximè in Adytis, insolenti mysteriorum exhibitione celeberrimis, fuisse videtur. Sed de his passim in toto hoc Opere actum vide.

§ VI.

De Lucernis phallicis.

Lucernæ phallicæ.

QVanto honore Ægyptij nullo non tempore propudiosum phalli cultum prosecuti sint, innumeris huius Operis locis ostensum est. Hunc enim non duntaxat in phallophorijs siue pammelijs Osiri dedicatis festiuitatibus semper primo pompæ loco portabant, sed & eundem vtriusque sexus homines collo, fœmori, brachijs alligatum contra fascinum, sterilitatisque opprobrium gestare solebant; quin & sacris animalibus, Deorumque simulachris passim adnexum spectamus; quid mirum, si hunc Lucernis quoque impresserint? Nam vt sæpe diximus, Lucernæ pro Numinis, cui sacrificabant, ratione efformabantur; Anubi enim Lucernam Cynomorpham, Osiri Solari, Accipitrino vultu transformatam, ita & Osiri Nilotico fœcundo Numini, Lucernam φαλλόμορφον statuebant, & sic de cæteris Numinibus idem iudicium esto, vniuscuiusque videlicet effectibus & operationibus congruam. Harum nonnullas Licetus exposuit fol. 910. & fol. 1142.

§ VII.

De Lucerna Typhonia

Lucernæ Typhoniæ.

ÆGyptij non Dijs tantùm beneficis, sed & maleficis, illis vt prodessent, hisce nè obessent, Lucernas statuebant; cuiusmodi ex Ægypto olim allatam, ex Museo Mediceo transmisit inclytus Nardius, Asinino capite, quod Silenus tenet, vt sequitur, fidiculam. Asinum Typhonis symbolum fuisse, passim docuimus; & Plutarchus refert, Typhonem vocem habuisse, Asininum ruditum proximè referentem, vnde & tubæ clangorem tolerare nequibant, vtpote ruditui & Typhoniæ voci similem; imò Mense Payni pœnas luisse Asinos, execrandi Typhonis gratia, quem Asinum tùm inertiâ, stoliditateque, tùm colore retulisse narrant: Καὶ πόπανα ποιοῦντες ἐπιπλάττουσι, verba Plutarchi sunt, παράσημον, ὄνον δεδεμένον, *Placentas facientes ijs Asini figuram imprimunt*. Cur verò Lucernam hoc Typhonij Asini symbolo exornârint, explicemus.

Lucernæ Asini figura cur exornatæ.

Constat ex passim dictis, Typhonem omne id malum ab Ægyptijs habitum, quod sterilitatem, contagionem, adustionem, vim quandam ad cor-

corruptionem aptam, omniumque destructionem referret. Hanc vt amoliantur à fœcundo Nili profluuio, Lucernas hoc ei apparatu, quem vi-

des, adornabant, spe freti futurum, vt imagine sui cognitâ à malis perpetrandis cessaret. Hinc Silenum eidem veluti inequitantem, & caput Asini constringentem aptè apposuerunt, eò quòd Silenus fœcundi Numinis symbolum, & Osiridis stipator potentiam malignitate & adustiuâ vi refertam quadantenus, ob insitam ei ἀντιτεχνίαν, cohibeat. Insistit autem Lucerna hoc typo adornata pedi Aquilino, seu Accipitrino, vt ostenderetur, Typhonia vis nociua & adustiua in Sole latens, quam Silenus Bacchi

ſeu Oſiris Dionyſij aſſecla, humore cui præeſt, temperat. Nam vt rectè Plutarchus, Iſis non omninò interemptum Typhonem, ſed vinctum eſſe voluit, quia aduſtiua ſeu ignea vis tametſi ſubinde ob nimiam ſiccitatem perniciosa eſt, humori tamen nimio temperando ſuo tempore confert. Patet itaque Lucernæ Typhoniæ vis & genuina ſignificatio.

Plutarchus.

§ VIII.

De Lucernis polylychnis, quæ in Cryptis ſubterraneis Aegypti paſſim reperiuntur.

Lucernæ in Cryptis Ægypti repertæ.

LVcernæ multiplici myxorum ordine conſtructæ ſubinde in cœmiterijs Ægypti reperiuntur; de quibus oculatus teſtis Titus Liuius Burrattinus, quem ſæpe ſæpius in præcedentibus allegauimus, literis ad me datis ita ſcribit: *In queſte caue ſi trouano ancora gran quantità di vaſi di creta cotta, fatti in guiſa di Lucerne, mà capaci alcuni di quattro, & altri di ſei, otto, e dodici ſtuppini; li quali dicono li Arabi, che erano lumi perpetui, mà io credo che foſſero lumi ordinarij, poiche tutte le caue ſono nella volta affumate. Affermano però li Arabi, di ritrouare ſpeſſe volte di detti lumi perpetui, quando s'aprono li ſepolcri nuoui; mà non hauendone io mai veduto, non poſſo affermare coſa niſſuna.* Quæ quidem ea quæ de polylychnis Ægyptiorum Lucernis ſuprà diximus, apprimè comprobant, & Michaël Schatta ſuprà memoratus in ſuis ad me Arabicis literis datis apertè docet, his verbis:

وتعرف ابونا لاني وجدت في مغارات المنف عتيقة كثيرين من الاسراج وحدهم ثلثة ومن احرين اربعة وثمنة سعاع النار وصورتهم بصورة الكلب والانسان والثور والبزي والحية ومثل غيرهم كما تنظر في الصورة التي سلحت اليك ☼

Scias quoque Pater, quòd in cryptis ſubterraneis Memphis antiquæ inueni multas Lucernas, quarum aliquæ tres, aliæ quatuor, octo, aut duodecim lychnos habebant, in ſimilitudinem Canis, Hominis, Tauri, Accipitris, & Serpentis effigiatas, & cætera ſimilia hiſce, vti vides ex figura quam miſi ad te. Et eſt illa, quæ ob anguſtiam temporis incidi non potuit, δωδεκάλυχνος, haud dubiè duodecim Aegypti Numinum Principum honori conſecrata. Non parua hoc loco nobis difficultas occurrit de Lucernis, quas perpetuo lumine fulgere in Cryptis ſubterraneis Burrattinus ex Arabum mente dicit; quæ vt decidatur, ſit

§ IX.

§ IX.

Vtrum Aegyptij verè in subterraneis Cryptis Lucernas perpetuo lumine ardentes constituerint; & quod eorum fuerit artificium.

QVamuis Licetus in suo de Lucernis Opere fusè & doctè hanc materiam tractet, nè tamen nos tam luculentæ dignitatis argumentum transiisse videamur, nostram hoc loco de eo sententiam apponendam duximus. Multi hucusque ex nonnullis Lucernis, quas in Cryptis subterraneis, indicio nescio cuius apparentis luminis repererunt, Veteres magnum hoc perpetui luminis secretum calluisse, firmiter sibi persuaserunt, idque varijs exemplis docent, ex quibus duas adducunt Lucernas proauorum nostrorum memoria detectas. Prima est Lucerna Pallantis, quæ temporibus Henrici tertij Imperatoris anno 1401 ab Agricola quodam non procul ab Vrbe ad Tyberim, vnà cum prodigiosa & gygantæa corporis Pallantini magnitudine reperta fuit, perpetuo igne à bis mille & ampliùs annis ardens, quæ nec flatu, nec aquæ, alteriusue liquoris superaffusione extingui potuerit; sed simul ac nescio quo casu fundo perforata & rupta ab importunis miræ lucis osoribus fuit, statim effuso liquore flamma euanuit. Illud autem corpus Pallantis Arcadis fuisse, filij Euandri, & à Turno olim interfecti, Volaterranus refert, cum hac inscriptione:

Lucernæ putatæ perpetuæ

Lucernarum dictarum exempla duo.

Volaterranus

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, mole suâ iacet hìc.

Altera Lucerna in via Appia reperta fertur tempore Pauli III. Pontificis Maximi, in sepulchro Tulliolæ Ciceronis filiæ, vti inscriptio tumbæ docet.

TVLLIOLÆ FILIÆ MEÆ.

Hæc inquam Lucerna inuenta, dicitur à mille septingentis ferè annis perpetuo igne succensa, & ad patrum nostrorum memoriam perdurauit, sed ad aëris subeuntis ingressum, vix dum flamma comparuit, ecce disparuit. Ita Quido Pancirolus in suo de memorabilium rerum deperditarum libro tradit, & fusiùs totum negotium examinat Licetus.

Pancirolus.

Certè lubricum, & vix satis à quoquam explicatum argumentum de lumine perpetuo aggredimur; quod si neges, habebis, adductas hoc loco authoritates tanti esse momenti, vt ijs fidem non adhibere, idem sit, ac tantorum Authorum sinceritatem tacito quodam dissensu reprobare. Quid itaque de hoc negotio sentiendum sit, & quem modum Ægyptij in Lucernis perpetuo lumine fouendis adhibuerint, tùm exponemus, vbi priùs nonnulla ad inceptum argumentum luculentiùs demonstrandum, supposuerimus.

Lucernæ perpetuæ dictæ, diuersis modis constructæ. Nempe primò miraculosè.

Supponо itaque primò, inter Veterum Lucernas, quas perpetuo lumine fulsisse Authores referunt, earumque ingentem numerum ex omni antiquitate extractarum adducit Fortunius Licetus, scriptor sanè fortunatissimus, diuersâ ratione & modo constructas fuisse. Fuerunt quæ præternaturali & miraculoso lumine perpetuò arserunt, vti fuit Lucerna Antiochena, quæ ad quingentos annos lumen in propatulo & publico loco supra portam Ecclesiæ conseruasse fertur, vt Author est Cedrenus apud Franciscum Citesium Pictauiensem Medicum in Opusculo, quod nuncupatur *Abstinens consolentanea*. Verùm qui stellas perpetuo lumine animat, eidem minimè quoq; difficile est, materialem Lucernarum ignem omnipotenti dextrâ suâ, non in quingentos duntaxat annos, sed in perpetuas æternitates conseruare; vt proinde de huiusmodi Lucernis minimè nobis sermo sit.

Cedrenus.

Secundò frau de Dæmonis.

Supponо secundò, non paucas quoque earum Lucernarum, quæ perpetuo lumine ardere repertæ sunt, opera Dæmonum, ad malè feriatorũ hominum siue curiositatem, siue auaritiam, siue falsorum Deorum cultum in animis eorum accendendum, per mille fraudes, quarum Diabolus artifex est, fuisse repræsentatas. Ita S. Augustinus l. 21. cap. 5. & 6. de Ciuit. Qui enim legit, quanta prodigia & pseudodogmata in Veterum consultatione Oraculorum ope Dæmonum contigerint, is apertè fatebitur, hanc ijs in Lucernis perpetuo igne putaticio lucentibus conseruandis potestatem minimè esse denegatam. Est enim proprium Cacodæmonum, homines primò prodigiosarum rerum obiecto, veluti illicio quodam trahere, tractis ad superstitionem, & falsum Deorum cultum viam sternere, & sic tandem sui iuris facere. Hominibus itaque Deorum sepulchra explorantibus, nihil faciliùs fuit, quàm earum rerum specie, quæ diuinum quid saperent, vti Lucernæ ab immemorabili tempore conditæ viuâ flammâ primò in admirationem, deinde etiam in illius Numinis, cuius beneficio Lucerna perpetuo igne constituta fuisset, cultum & venerationem trahere. Potuit itaque ad primum Cryptæ cuiuspiam introitum Dæmon hominibus flammam, vel aliam quampiam fulgidæ rei speciem oculis hominum obgerere, quam dum viribus naturæ altius quiddam existimant, soli illius Deastri, cui Lucerna consecrata fuerat, potestati adscriberent; qui quidem primus est ad idololatriam gradus. Atque tales ego puto fuisse omnes eas Lucernas, quas in sepulchris Gentilium ad certi alicuius Numinis cultum positas, & deinde casu repertas perpetuo igne flagrantes, tradunt Authores; non quòd perpetuo igne arserint, sed quia Dæmon vel ad primum ingressum, vti dictum est, talem speciem obtulit, quæ illis veluti quidam ad impium Deorum cultum lapis foret offensionis. Quod idem in Chimicis operationibus præstare solet, ea intentione, vt homines incautos auaritiæ, χρυσολατρείας perpetua sibi deuinciat mancipia, quorum proprium est, dum irrito conatu ad abditum artis Sacramentum pertingere nequeunt, stygium mouere Acherontem, Dæmones, qui artis secretum doceant, prouocare, ac tandem cum æterno animarum exitio ijsdem se deuouere. His itaque suppositis, iam discutien-

S. Augustinus.

Lucernę perpetuæ putatitiæ, à Dæmone constitutæ.

cutiendum nobis restat, vtrum vi quâdam naturali tam mirificum perpetui luminis machinamentum confici possit.

Lucerna perpetuo lumine vtrum naturaliter confici possit.

Magnam de hoc argumento inter Authores controuersiam reperio. Sunt qui id fieri posse naturaliter, apertè negent; atque ita argumentantur: Omne quod in vaporem fumi resolutum tandem contabescit, perenne esse non potest: sed ignis nutrimentum pingue quodcunque dum accenditur, in vaporem mox resolutum contabescit; ergo ignis nutrimentum perenne esse nequit.

Negatiuæ sententiæ argumentum.

Aduersæ verò sententiæ sectatores, negant hoc loco minorem, aiuntque dari in natura rerum certas quasdam species, quæ ad æqualitatem resistunt igni, neque vnquam ab eodem penitùs superantur; vrgentque argumentum inductione empyricâ, Asbesti, Amianti, auri potabilis nescio cuius; & talibus adminiculis paulò antè citatas Lucernas perpetuo lumine fulgidas fuisse. At mirum est, à tot adeoque curiosis rerum scrutatoribus huiusmodi Asbestinos lychnos, quibus dictæ Lucernæ instruebantur, nunquam fuisse repertos. Fateor & ego, si vlla res in rerum natura perpetui luminis τέχνασμα præstare posset, id Asbestum, & Amiantum præstare debere, quorum lychnus stupaceus vti inconsumptibilis est, ita ex eo extractum oleum irresolubile esse nemo negare potest, qui naturam vtriusque penitiùs inspexerit. Et lychnus quidem ex Amianto confectus (quem iam à biennio Lucernæ meæ ardentem video, nec in minimo quidem defecisse reperio, neque desiturum puto) ἀφθαρσίας luculenter probat inditia; de oleo tantummodo irresolubili difficultas est, quòd si quis mihi ex Asbesto extraxerit, eum vnà mihi perpetui ignis nutrimentum suppeditaturum esse, nullum dubium est; at quis est hic? & laudabimus eum. Certè iam dudum cum summis Chimicæ artis magistris & insignibus distillatoribus de hoc negotio suscipiendo à me transactum fuit; nec defuerunt, qui in eo extrahendo nullum non lapidem mouerunt; at frustra; oleum enim inde extractum, vel non concepit ignem, vtpote aqueæ substantiæ quàm oleagineæ similius; vel adeo fæculentum euasit, vt igni concipiendo prorsùs ineptum inidoneumque existeret; vnde desperato negotio in eam opinionem deueni, huiusmodi olei extrahendi mysterium si non ἀδύνατον, saltem difficilius esse, quàm vt ad illud humanæ operationis industria pertingat. Quare meritò, vti τετραγωνισμὸς, perpetuus motus, lapis Philosophorum, similiaque hucusque inaccessæ materiæ argumenta, ita & ignis perpetui artificium, pro desperatis habenda sunt.

Affirmatiuæ sententiæ argumentum.

Ellychnium inconsumptibile dari potest.

Oleum inconsumptibile dari non potest.

Lucerna perpetua dari non potest.

Sed dices, quod aliquando fuit, & factum est, id & modò esse & fieri potest; at irrefragabiles authoritates suprà allatæ apertè monstrant, huiusmodi Lucernarum apparandarum rationem priscis fuisse cognitam; ergo & moderno tempore eam à sagacibus ingenijs peruestigari posse, non est ἀδύνατον. Respondeo nullâ ratione euinci posse, Lucernas suprà allegatas fuisse perpetuo lumine instructas, cùm subitanea illa lux varijs modis se se operarum oculis ingerere potuerit, vel ex Dœmonum præstigijs, vel etiam naturali causa. Cùm enim aër temporum longitudine

Obiectio.

Responsio.

Flammæ subitaneæ ex Cryptis apertis subinde erumpunt.

inclu-

inclusus, exhalantium corporum pinguedine infectus fuerit, nihil faciliùs esse potuit, quàm vt is vel ad primum subeuntis noui aëris accessum per antiperistasin accenderetur; idque experientia docet quotidiana in Cœmiterijs, vbi huiusmodi flammæ plerumque cernuntur; imò fossores metallorum, quibuscum sæpè hac de materia consultò transegi, fassi sunt, vix vnquam se nouas cauernas aperire, quin huiusmodi flammæ erumperent. Accedit quòd in huiusmodi prodigiosis luminibus primò detectis, imaginatio magna efficacia polleat ad quidlibet sibi imaginandum, præterquàm quod fuit. Hoc pacto, quòd fossores suprà memorati perpetuæ Lucernæ effectum putabant, ego subitaneum meteorologicæ impressionis effectum fuisse assero; fumum se vidisse putant, at nullũ alium quàm proprij oris halitum, quem vtplurimùm in crassiore aëre diffundere solent. Verùm cùm hanc materiam integro libro, & ex professo in Mundo subterraneo, Deo dante, discussuri simus, hìc diutiùs non immorabor. De lumine itaque perpetuo Ægyptijs vsitato, & quomodo id instruxerint, nonnihil dicendum restat.

Ægyptij Lucernas perpetuo fulgentes lumine qui construxerint

Ægyptios Sacerdotes Lucernas perpetuo lumine fulgentes habuisse in Adytis, Cryptisque sepulchralibus reconditas, non tamen ex Asbesto concinnatas, sed alio summo sanè ingenij conatu adornatas, tùm ex Burrattini, tùm ex Arabum Scriptorum authoritate constat; vti postea videbitur. Sed vt omnes videant, quem in dicta Lucernarum adaptatione modum tenuerint, rem ab ouo demonstrare aggredior.

Prisci Sapientes vti summo ingenij acumine, nec minori naturalium rerum peritiâ instructi erant, ita nihil quoque aggrediebantur, nisi altum, arduum, insolens, & diuinis operibus proximum. Inter cætera quoque machinamenta, cùm animarum statum extra omnes mortis limites, ab omni contagione immunem cognoscerent, defunctorum corporibus Lucernas quasdam constituebant, quas, vt quantum fieri posset, animarum naturæ responderent, perpetuo igne animare conati sunt. Verùm cùm nulla res in natura rerum reperiretur, quæ hunc effectum præstare posset, id naturæ perennis operationibus & auxiliatrice manu perfici posse cogitarunt, eo quo sequitur modo.

Bituminosa loca Ægypti.

Sunt in Ægypto multa loca bitumine & petroleo, vti omnes Ægyptiacarum rerum exploratores, Bellonius, Radziuilius, Vallæus, & Burrattinus testantur, inexhaustæ multitudinis referta, & abdito naturæ consilio ibidem constituta. Ægyptij itaque occulta naturæ molimina penetrantes, è puteis similibus occultos canales deriuabant in ipsas subterraneas corporum sepulchris destinatas Cryptas, vbi & Lucernam adaptabant, quæ canali pinguedinis vehiculo inserto, continuò aliunde deducti liquoris, quo Asbestinus & inconsumptibilis lychnus seu myxus Lucernæ inditus inebriebatur, suctu nutriebatur. Cùm itaque liquoris oleacei affluxus perennis esset, & stupa Asbestina inconsumptibilis, perpetuum lumen ex consequenti durare necessarium erat. Atque hoc ita esse, Schiangia Arabs in historia memorabilium Ægypti testatur his verbis;

وكان في مصر بقاع مملوا بقار وبقفر والفلسفة كان يعرفون هذه قوة
الطبع واهدوا الجدول منه حتي المغاراتهم وفيهم السرج الذي يتصل بالجدول
مذكورين وكان في السرج الخيط من الفتيل الذي لا يمكن ان هو يحترق
من النار وهكذا السرج كان يشرق ابدا من اجل القفر الذي هو يجري ابدا
ومن اجل الفتيل الذي هو لا يحترق من النار ※

Fuit autem in Ægypto campus, cuius fossæ plenæ picis & liquidi bituminis, vnde Philosophi vim naturæ cognoscentes constituebant canales quosdam ex huiusmodi locis vsque ad cryptas subterraneas, in quibus Lucernam ponebant, quæ coniungebatur cum canalibus memoratis; Lucerna verò habebat filum ex lino, quod ab igne comburi non potest; & hoc pacto Lucerna semel accensa perpetuò ardebat, ob perpetuum bituminis affluxum, & ob lini filum incombustibile. Sebiangia.

Atque hæc, meâ quidem sententiâ, verissima perpetui luminis construendi ratio est; quæ cùm purè naturalis sit, non magnâ, præsertim in locis quæ petroleo abundant, ad similes Lucernas construendas, difficultatem habet; vt proinde Arabes de lumine perpetuo inter Cryptas dispositis ardentibus Lucernis non sine fundamento ratiocinentur. Scopus denique & finis, ob quem Lucernas huiusmodi concinnabant, alius non fuit, quàm vt monstrarent, quòd sicut ignis natura Deorum operationibus simillima est, ita Numina quoque custodiæ corporis deputata, ob abditam quandam sympathiam consensumque, quem ad eundem obtinent, veluti sensibili quodam diuinitatis symbolo, tùm ad depositi tutelam, perennemq; præsentiam, tùm ad animæ perpetuam illustrationem, attracta hisce assistere putarentur. Atque hæc de Veterum Ægyptiorum Lucernis sufficiant.

Lucernas perpetuo ardentes cur posuerint Ægyptij in Cryptis.

FINIS SYNTAGMATIS VIGESIMI.

ANA-

ANACEPHALAEOSIS TOTIVS OPERIS.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

LVCAE HOLSTENIO

Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodi,

NEC NON

LEONI ALLATIO

ΦΙΛΟΛΟΓΩ ΠΟΛΥΣΟΦΩ,

Viris merito ſuo celeberrimis, & vndiquaque doctiſsimis.

AΧΑΡΙΣΤΟΣ *καὶ ἀπρεπὴς non immeritò videri poſſem,* Viri doctiſſimi, *ſi bonori meritiſque* Veſtris *longè ampliſſimis non aliquam mearum lucubrationum partem conſtituerem, quorum auxilijs, conſilijſque plurimum me debere ingenuè fateor.* Vos *enim me Herculeâ argumenti mole vacillantem ſulciuiſtis, difficultatum ſcopulis implexum extricaſtis, neceſſarijs librorum ſubſidijs inſtituiſtis, & quod caput eſt, authoritate quâ polletis maxima contra Criticaſtros vindicaſtis. Ardua, ſateor, auſu forſan temerario aggreſſus videri poſſim; ſed noſtis* τὴν σοφίαν ἐν τοῖς γόνασι συντεθειμένην τοῖς πόνοις πωλεῖσθαι· οὐχὶ τὰ τῶν κακοζηλούντων κριτήρια φοβητέα; μηδαμῶς, ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται ψόφους· ὑμῶν παρεστώτων, ἅπαν ἄπορον πόριμόν ἐστι· μᾶλλον δὲ τῇ τόλμῃ δικαίᾳ, καὶ Θεὸς συλλαμβάνει. Veſtris *itaque meritis hæc totius Operis, tanquam peritis rerum in ea digeſtarum Cenſoribus, debebatur* ἀνακεφαλαίωσις: *quam ſi haud* Vobis *diſpliсuiſſe cognôrim, oppidò gaudebo,* ὀλιγωρήσων τοῦ δοκεῖν τῶν ἄλλων, *aliorum nunquam veriturus iudicium, ſi* Veſtro *vndiquaque limatiſſimo reſponderit.*

ANA-

ANACEPHALAEOSIS TOTIVS OPERIS,

Quâ abditarum, abstrusissimarumque rerum expositionem & interpretationem ab Authore verè iuxta Veterum Aegyptiorum mentem factam esse, Aegyptiosque nihil aliud per celebres hieroglyphicorum notas, quàm quod dictum est, intellexisse, varijs iisque irrefragabilibus argumentis & rationibus demonstratur.

PRAEFATIO.

ANTEQVAM ex immenso huius Operis Oceano, & pelago prorsùs inexhausto, contractis velis portui nos committeremus, hoc loco ostendere visum fuit, nos hoc in Opere veri, genuini, & ab omni fuco alieni Oedipi munere functos, interpretationem nostram ita veterum Sacerdotum menti accommodasse, vt ipsa præter id, quod ipsi senserunt, nihil aliud diuersum, aut commentitia ingenij impostura fucatum exhibeat; sed hanc, quam interpretati sumus, veram priscorum seculorum doctrinam esse, ab Ægyptijs primùm inuentam, à cæteris deinde propagatam, ac tandem, quæ est ineuitabilis temporum inconstantia & vicissitudo, perditam abolitamque; denuo à nobis singulari Dei beneficio instauratam, quemadmodum contra nescio quos Zoilos & Sycophantas paulò post demonstrare conabimur.

Rogo autem ante omnia Lectorem beneuolum, vt ea quæ de hoc argumento tradidimus vberrimè in Epistola parænetica, quam Obelisco Pamphilio præfiximus, consulat, vbi Lector occasionem, quâ primò in huius molitionem Operis deuenerimus, reperiet; modum quoque quem in eruderanda euoluendaque omnium disciplinarum abstrusissima obseruauimus, mirabitur; Authores Latinos, Græcos, Hebræos, Chaldæos, Arabes, Armenos, Æthiopes, Coptos, Persicos, innumerorumque Orientalium idiomatum monumentis celeberrimos Scriptores, quorum vsu & lectione profecimus, ordine allegatos contemplabitur; Antiquitatum quoque Cimeliarchia totius Europæ celeberrima, quorum scrutinio vsi sumus, inueniet; Obiectiones denique Philologorum quorundam, & Nasutulorum imperitas censuras confutatas intuebitur. Hanc itaque paræneticam epistolam antequam Canino nos dente, & præpostero liuoris æstu agitatus impetat, adeundam censeo, vt tandem æquiori iudicij trutina operam meam in hoc Opere præstitam ponderet. Ne itaque eadem cum nausea Lectoris repetere cogamur, remisso ad citatam paranesim Lectore, hoc loco tantùm ex expositarum rerum conditione, & hieroglyphicæ literaturæ contextu & proprietate, doctrinam à nobis expositam, eandem esse quæ olim à Sacerdotibus intenta fuit, Deo dante demonstrabimus. Epistola parænetica Obelisci Pamphilij legenda.

Tria sunt, quæ maximè Oedipum Ægyptiacum scire oportuit. Primum Oedipum Ægyptiacum tria oportet scire.

 est,

est, veræ & genuinæ veterum Ægyptiorum doctrinæ seu sapientiæ notitia: Secundum, Obeliscorum cæterorumque monimentorum, quibus hieroglyphica doctrina incisa fuit, in hunc vsque diem, ab immemorabili antiquitatis tempore superstitum, duratio: Tertium, modus tùm doctrinæ Ægyptiacæ cum Obeliscis, tùm horum cum illa exactè combinandi peritia. Quibus instructus Oedipus, tantæ molis Opus, diuinâ cooperante gratiâ aggressus, ni fallor, perficit. Verùm singula per totidem Capita, non vti nonnulli sibi persuadere possent, demonstratione Mathematicâ, sed illâ, quam moralem vocant, & veterum authoritate Scriptorum potissimùm innititur, cum bono Deo demonstrare conabimur.

CAPVT I.

De veterum Aegyptiorum doctrina & sapientia.

Ægyptiorum Veterum doctrina hoc Opere restaurata.

Nihil passim toto hoc Opere egimus, quàm quòd ex Vetustorum monimentis Authorum, hanc sapientiam ab omni æuo memorabilem venati, longè sublimiori carpento quàm quo Triptolemum vectum legimus, per omnium artium & scientiarum Hieromantis vsitatarum adyta diuagati inquisiuerimus. Quo quidem intenso studio, speculatione pertinaci, & Herculeo prorsùs labore id consecuti esse videmur, vt hanc doctrinam vetustate temporum veluti abolitam, aut non nisi sparsim Veterum Authorum monimentis insertam, ac veluti in mille frusta discerptam, studiosè collectam suæ integritati restituerimus; vt proinde superuacaneum esse rear, illam hoc loco repetere.

Huius incunabula in primo Tomo tradunt Syntagmata ferè omnia; hanc in secundo Tomo per Sphyngem Mystagogam reconditis Veterum effatis definitam, ac sub vario scientiarum cortice veluti medullam latentem eruimus; hoc vltimo tandem Tomo hieroglyphicis symbolis expressam, integram exposuimus; scopumque ac finem, quo Prisci impulsi Mystæ, eam adeo abditis notis obuelarunt, enucleauimus. Vt proinde modò nihil aliud restet, nisi vt nos recto tramite, & ad filum Ariadnæ, quæ est Sapientum Ægypti mens & ratio, adyta à bis mille annis clausa inaccessaque adijsse, claustra reseraſſe, thesaurum abditum, tanto tempore conditum, non fucatum, aut in minimo adulteratum, sed veris genuinisque veteris Sapientiæ sigillis obsignatum, eruisse demonstremus.

Obelisci superstites continent doctrinam Veterũ Aegyptiorum.

Si non superfuissent Obelisci, aut cætera monimenta hieroglyphica, certum est, omne studium in hieroglyphica doctrina instauranda irritum fuisse. Cùm verò illos in hunc vsque diem à bis mille annis & ampliùs durasse tùm in Ægypto, tùm hîc Romæ cernamus; certè in illis quidquid hieroglyphicorum à Priscis prolatum fuit, contineri nullus inficiabitur, qui nostrum hoc Opus studiosè peruoluerit. Si itaque doctrina paulò antè indigitata, atque in Authoribus sparsim hinc inde dissipata cum hisce assidua mentis trutina ritè comparetur combineturque; nulli dubium esse debet, quin sagaci mentis scrutinio Oedipus ad veram eorundem significationem sit penetraturus; quemadmodum nos, vti totius

tius huius Operis perioche docet, diuinâ gratiâ præstitimus. Nam ficuti in phrenoschematis seu impresijs, nec sententia sine adiuncta symbolica figura, nec symbolicæ figuræ sine adiunctæ sententiæ vocibus intelligi possunt, sed ad latentis argutiæ vim penetrandam vtriusque positione opus est; ita prorsus in hieroglyphicis vsu venit. Doctrina seu Sapientia hucusque incorrupta ad nos veluti per fragmenta quædam & frusta hinc inde dispersa, propagata fuit, at sine symbolis: symbola quoque solis Obeliscis cœterisque monimentis incisa extiterunt quidem, at nemo hucusque fuit, qui symbola cum doctrina combinaret, combinando examinaret; vt proinde mirum non sit, à tanto tempore, veram hieroglyphicorum significationem latuisse. Ego ab ineunte ætate, nescio quo instinctu agitatus, Opus tandem aggressus, symbola cum doctrina spacio viginti annorum, continuo mentis scrutinio fatigatus, combinaui, singula singulis iuxta combinatoriæ artis regulas scitè adaptando comparaui, & tandem adytis reseratis, corticibusque ruptis, nucleum inueni, id est, veram & infallibilem hieroglyphicæ significationis veritatem adeptus sum; quam & hoc ingenti Opere posteritati consecrandam statui. Sed vt Critici imperiti videant, dictarum rerum irrefragabiles rationes, nonnulla argumenta, quibus dictorum veritas luculentiùs patefiat, primò proponam.

Authoris studium in eruenda Ægyptiorum doctrina ex monumentis hieroglyphicis.

ARGVMENTVM I.

Symbolorum Hieroglyphicorum multitudinem non esse innumerabilem, vti nonnulli Censores obijciunt.

FVerunt nonnulli, qui in hanc opinionem deuenêre, hieroglyphicorum doctrinam, ob innumerabilem symbolorum multitudinem, ἀδύνατον esse; contra quos hîc decertandum duxi. Verumtamen cùm tota hæc ab exhibitione figurarum dependeat demonstratio, exhibitio autem in singulari & specifica consistat rerum omnium enumeratione; fieri non potest, vt proposito fini satisfiat, nisi omnes Anatomici partes probè expleam: explebo itaque.

Hieroglyphica non sunt innumerabilia.

Totus sacrarum sculpturarum contextus ex triplici potissimùm ordine constitutus absoluitur. In primo ordine diuersa constituuntur animalia, ex hominum, quadrupedum, volucrium, Serpentum, insectorumque Republica in symbolorum fabricam assumpta. Quæ quidem vario ac diuerso significandarum rerum munere funguntur: vel enim significant integra per se posita, vel per positas eorum partes, vel per assumptam alterius diuersi animantis portionem, cum quo vnum quid constituunt multiforme, quales sunt sculpturæ ἱερακόμορφοι, κυναιδέρητοι, ἱερακόσφιγγες, aliaque sexcenta monstra, quæ passim in Obeliscis nostris exhibuimus.

Hieroglyphicorum triplex ordo.

In secundo ordine diuersi generis res continentur, veluti sunt her-

bæ, flores, vasa, baculi, sceptra, cruces, aræ, sedilia, instrumenta artificum, habitus varij, ornamenta capitis, mitræ, calathi, tutuli, instrumenta Musica, figuræ Geometricæ; verbo, omnia ea, quibus vel in festis & solennitatibus Deorũ passim vtebantur, aut quæ Osiridem, vel Isidem, vel reliquorum Deorum progeniem aliquando vsurpasse credebant, tanquam sacra ad significandum symbola assumebant.

In tertio ordine ea continentur, quæ à Clemente Alexandrino κυριολογικὰ dicuntur, hoc est, quæ similitudinem quandam ad res, quas denotant, obtinent, vti figura Solis & Lunæ, portuum, murorum, coronarum, limitum, flammarum, ignis, aquæ, craterum, piscinarumque figuræ, similiaque plurima; quæ quidem nihil aliud, quàm rem, quam referebant, significabant; quæ omnia hoc libro passim exposita vide. Præmissa itaque hac Anatomia videamus iam, quænam sit infinita animalium, ferarumque in hieroglyphicis Obeliscis occurrentium multitudo, quam nobis ceu scitu ἀδύνατον imprudentes obtrudere possunt. Ac primò quidem supponendum est, Ægyptios raró, vel etiam nunquam philosophandi gratiâ patrium solum egredi solitos; vt qui, teste Strabone & Herodoto, reliquas gentes veluti barbaras, ignaras, & sapientiæ suæ indigas reputarent; artes quoque & disciplinas, veramque philosophandi rationem nullibi nisi in Ægypto, sicuti prima terrarum, sic prima quoque rerum productrice quærendas existimarent. Atque ex hoc supponendum secundò, nullam quoque animalium extra Ægypti limites degentium singularem cognitionem habuisse Ægyptios, sed eorum tantùm, quæ fœcunda Mater Ægyptus illis producebat. Quod inde luculenter apparet, quia cùm Ægyptij toti essent in animalium virtutibus, proprietatibus, indole, ingenio, sympathicis & antipathicis eorum affectionibus, alijsque naturæ dotibus perscrutandis, omnes eorum nutus, teste Plutarcho, & gestus, minimasque actiunculas ad superstitionem vsque obseruarent, imò maximam in hisce cognoscendis secretioris Philosophiæ suæ partem ponerent; certè earum virtutum proprietatumque obseruationem, nisi in animantibus maximè obuijs, ijsque familiaribus minimè fieri potuisse verisimile est. Quod si ita, sanè nulla alia animalia præterquàm Ægyptia, quorum virtutes & proprietates ex quotidiana inspectione cognitæ erant, ad symbolorum seu hierogrammatum structarum assumpta fuisse, ex dictis patet. Vnde satis mirari non possum, quid Ammiano Marcellino l. 17. in Const. & Julian. in mentem venerit, quòd in Obeliscis præter formarum innumeras notas, volucrum ferarumque etiam alieni Mundi genera multa Ægyptios insculpsisse, audeat dicere. Mihi certè huiusmodi alterius Mundi animalia in Obeliscis nostris Romanis nunquam deprehendere licuit; nisi forsan Ammianus hic nobis vtopiam aliquam, eiusque tùm Obeliscos, tùm animalia describat; quod ipse viderit. Quid enim inter hæc symbola, ignota animalia, veluti Gulo Septentrionalis, & Americus Vulpilupus, quorum indolem ingeniumque nè famâ quidem percepissent, agerent? Frustra sanè Scarabæus pro Solis symbolo poneretur, nisi actiones eius ad operum Solis similitudinem conformes

Ægyptij non egrediebantur patrio solo philosophandi gratia. *Strabo.*

Quadrupedia Ægyptia tantùm assumpta ad significandum ab Ægyptijs.

Plutarchus.

Ammianus Marcellinus.

cogno-

cognoſcerentur. Gratis quoque Ibis, aut Simia v. g. pro ſymbolo Lunæ, niſi in actionibus ſuis omnibus Lunæ Simias experti eſſent, aſſumerentur. Nam quòd in ſacris ſculpturis nunquam & nuſquam intueri liceat Elephantes, Camelopardales, Rhinocerotes, Lynces, Ceruos, Biſontes, Alces, Vrſos, Struthiones, Apodes Paradiſiacas, Pſittacos, ſimiliumque virtutibus maximis pollentium animalium imagines; certè nulla alia ratio eſſe poteſt; niſi quòd nullam huiuſmodi animalium habuerint intimam cognitionem. Eandem ob cauſam ſpecies piſcium veluti ignotas, & quorum virtutes difficile eſſet inquirere, veluti hieroglyphicis ſymbolis ineptas, repudiabant, præter Oxyrynchum & Phagrum, genus quoddam piſcium, quod in omnibus paſſim hieroglyphicis monimentis obuium eſt. Cùm enim Sapientes Solaria & Lunaria maximè inquirerent, aut quæ dotibus naturalibus Deorum ſuorum proprietates referrent; timebant, nè ſi incognita animalia admitterent, Arimania ſeu Typhonia pro Oromaſdæis & Oſiriacis ſelecta, quod fugere deberent, allicerent; & ideo magnâ cautione in ſymbolis per animalia conſtituendis vtebantur. Hinc etiam Gallum gallinaceum in hieroglyphicis videntur neglexiſſe, non alia de cauſa, niſi quòd Leoni, Solari nimirum animali, eſſet contrarius & inimicus, Typhonio ſpiritu plenus. Quòd ſi verò in multis antiquis fragmentis figuræ ſuperiùs indicatorum animalium, veluti Ceruorum, Elephantum, Gallorum, Vrſorum, ſimiliumque inciſæ reperiantur; nequaquam Ægyptiorum, ſed Græcorum figmenta cenſenda ſunt. Totam igitur infinitam illam quadrupedum in ſacris ſymbolis vſitatorum multitudinem nobis ſuperiùs obiectam vel vnico hoc verſiculo comprehendimus:

Piſces non aſſumebantur ab Ægyptijs pro hieroglyphicis.

Gallus gallinaceus cur non reperiatur inter hieroglyphica.

Simia, Bos, Arieſque, Hircuſque, Leoque, Caniſque,
Ælurus, Lepus.

quibus ex amphibijs accedunt Crocodilus, & Hippopotamus. Inter Simiarum verò genus ponimus Cynocephalum quoque. Atque præter hæc inquirat quicunque & quantumcunque velit, columnas omnes diſcutiat, nulla alia in toto hieroglyphicorum ambitu inueniet ſiue integra, ſiue ex alijs miſta.

Sed quæret fortaſſis quiſpiam, quæ cauſa fuerit tantæ quadrupedum in Ægypto raritatis? huius ego ſanè aliam rationem reddere nequeo, niſi quòd nullam in ea, ſiue ob crebras Nili inundationes, ſiue ob maxima incommoda, quæ à Muſcis, Culicibus, Serpentibus, alijſque noxijs beſtiolis ſtagnantis Nili reliquijs patiuntur, inuenirent ſtationem. Vnde ex hoc capite mihi admodum ſuſpectus redditur Horus, vt qui eas animantium ſpecies paſſim in hieroglyphicorum referat album, quæ nuſquam tamen in vllis hieraticis ſchematiſmis occurrant; quæque non dicam Ægypto, ſed nec alijs quidem nationibus, vt Hyæna, Phœnix, ſimiliaque, cognita reperiantur; niſi forſan ipſe Horus propriâ authoritate ſuâ eas hoc ἀποθεώσεως honore cohoneſtaſſe dicatur; quod veriſimile eſt. Non negauero tamen, multa paſſim animalia in Ægyptum fuiſſe aliunde intro-

Raritatis quadrupedum in Ægypto cauſa.

Horus cur numeret inter hieroglyphica, animalia in Ægypto non reperta.

introducta; sed cùm eorum virtutes & proprietates Ægyptijs essent incognitæ, pro symbolis nequaquam fuisse assumpta: Ægyptias enim notas non decebant, nisi Ægyptiæ soboles. Exiguus itaq; fuit & omnium opinione minor quadrupedum numerus; volucrum aliquantùm maior, non tantus tamen, quantum ignari rerum sibi imaginantur. Nam si Accipitres, Ibides, Columbas, Anseres, Ciconias, Vpupas, Meleagrides, Hirundines, Phœnicopteros, Cornices, Noctuas, Coturnices, Passeres, & ex insectorum familia Scarabæum, Muscam, Papilionem δερκοντόμορφον cognôris; omnem volucrum hieroglyphicarum notitiam complexus fueris. E reptilium verò numero Serpentes, Ranas, Aspides, Dracunculos si adsciueris; totam animantium hieroglyphicorum summam confeceris.

Volucres paucæ inter hieroglyphica numeratæ.

Altera porrò classis symbolorum tanta quoque non est, nec tam difficilis, vt earum significatio ex Authoribus antiquis haberi non possit. Et ad plantas quidem quod attinet, illarum certè, si Perseam, Palmam, Lotum, Colocasiam, Satyrium, Seriphium, Hederam, Omomi Papyrum, Arundinem, Acaciam, Motmuti, Iuncos, folia Querus & Ficus excipias; nullæ aliæ inter sacras notas conspiciuntur, de quibus vide Diatribem de herbis hieroglyphicis suprà fol. 65. propositam.

Kyriologica symbola paucæ sunt.

Tertiæ denique Classis symbola cùm κυριολογικὰ sint, eaque, quæ referunt, significent; superuacaneum esse existimaui de ijs hìc fusiùs loqui; quis enim Solis, aut Lunæ imaginem conspiciens, non subitò conceptum Solis & Lunæ in animo exprimit? sunt enim eiusmodi symbola talia, vt ea vidisse tantùm, explicasse sit.

Atque ex his omnibus positis colligo primò, non tantum esse sacrarũ notarum, quantam ad nobilia ingenia à tam egregio conatu absterrenda, ignari rerum censores passim obtrudunt, multitudinem. Quare idem ijs contingere videtur in sua censura, quod rudiori plebi, quæ stellatam Cœli faciem intuens, Astronomos, eò quòd innumerabilem stellarum multitudinem ad calculum reuocare audeant, nescio cuius temeritatis insimulant, cùm tamen tantum abest, vt sint innumerabiles quo ad visum, vt etiam quotquot hactenus astra libero humani oculi acumine conspici potuerunt ab Astronomis, non nisi ad 1022 (exceptis ijs, quæ hisce nouissimis temporibus telescopij ope in galaxia & in nouo Orbe notata sunt) reducantur. Pari ratione illa hieroglyphica, quæ multi, cùm pyramides tanta scriptilium elementorum varietate insignitas intuentur, in infinitum excurrere falsò sibi persuadent, mihi rem ad calculum reducenti, corrasis hinc inde ex Asia, & Africa, atque è celebrioribus Germaniæ, Galliæ, Italiæ, ac Romanæ Vrbis Antiquarijs, sacris sculpturis, instituta singulari industriâ comparatione, certaque combinatoriæ artis adhibita methodo, destincta hieroglyphicâ vltra trecenta deprehendere non licuit; quod quidem παράδοξον videri posset.

Hieroglyphica vltra 300 non extent.

Colligitur ex hoc secundò, symbola hæc non ad quamuis materiam, & quosuis animi conceptus indifferenter significandos exprimendosque, sicuti in reliquis literarum notis fieri videmus, vniuersali ratione fuisse accommodata; sed solùm à Sapientibus ad sublimia de Deo, de

Hieroglyphica ad res sublimes significandas adhibita.

de Genijs Mundi, de Dæmonibus, de Astris & Elementis, mysteria indicanda, fuisse instituta. Maiorem quoque hieroglyphicorum partem nihil aliud esse, nisi amuleta quædam seu philacterica, ad malorum incursus ab Aegypto arcendos posita, vti passim in hoc theatro ostendimus. Hieroglyphica multa sunt amuleta.

Quare maximopere falluntur ij, qui sub hieroglyphicis inscriptionibus res gestas, diuitias, itinera, victorias, redditus annuos Sesostris, Psammetici, Ramessis, aliorumque Regum Aegypti, contineri fabulantur. Non parum quoque errant ij, qui Aegyptios nullam aliam præter scripturam hieroglyphicam primis temporibus habuisse, eâque proinde gesta Regum expressisse arbitrantur. Quæ sanè opiniones ijs, qui vel pauxillum de reconditiori Ægyptiorum literatura hauserunt, ridiculæ videbuntur, nulloque nixæ fundamento. Si enim ad æterni nominis gloriam consequendam, hæc veluti suæ apud posteros excellentiæ testimonia relinquere statuissent; quid opus erat, rerum gestarum gloriam ex se suaque natura lucis appetentem, adeo obscuris & abditis ænigmatum inuolucris, qualia hieroglyphica erant, obscurare? Irritum enim, nè dicam stolidum foret, egregiè peractas à quopiam Rege aut Imperatore res gestas, incognito omnibus velle characterum genere explicare. Quòd si res gestæ, Regumque potentissimorum admiranda molimina ijs referebantur, cur nulli profanorum communicabantur? Cur ab earum lectione plebs (cui tamen maximè ad admirationem & reuerentiam erga Reges concitandam prælegi debebant) arcebatur? Vides igitur non hîc historias scriptas, non vitas Principum, non præclarè gesta Regum, sed mysteria nulli, nisi ijs, qui rerum in Ægypto potiebantur, quique ea applicare nôrant, communicata fuisse. Hieroglyphica non continent res gestas Regum.

Quod porrò Herodotus dicat, in pyramidibus nihil aliud contineri, nisi sumptus in earum erectione factos, & sexcenta talenta in allium, cœpas, aliaque cibaria operarum expensa literis hieroglyphicis scripta; omnes superat fabulas. Et apparet sanè hunc Herodotum simplici ingenio fuisse, & nimis ad cuiusuis etiam leuissimæ narratiunculæ credendum facili, obuia quæuis etiam ioco dicta pro veris & certissimis arripientem, quemadmodum alibi quoque de ridicula illa Nili è duobus montibus Crophi & Mophi scaturientis origine, à sacro Scriba iocosè narrata & credita apparet. Hermapionis denique apud Ammianum Marcellinum interpretationem hieroglyphicam magna ex parte confictam esse, ex eo patet, quòd ille plurima in ea ponat ab hieroglyphicorum ratione penitùs aliena, quorũ nè concipi quidem potest ex Obelisci sacris notis veritas. Sed quia hæc omnia fusè in Obelisci Pamphilij interpretatione ostendimus, de ijs plura dicere modò supersedemus. Herodoti error.

De

De requisitis ad Hieroglyphicorum interpretationem.

Requisita ad hieroglyphicorum interpretationem.

CVm hieroglyphica symbola non idem semper significent, sed pro diuersitate situs, partium, aliarumque notarum ijs adiunctarum, diuersam sortiantur significationem(aliud enim v. g. Accipiter sedendo, aliud volando, aliud solo capite, pennâ, tutulo, aliud in alio habitu refert, vti in hoc theatro hieroglyphico visum fuit) Sysiphi saxum absque dubio hoc in negotio voluet Oedipus, nisi duobus maximè ad negotium expediendum conducentibus probè fuerit instructus. Ac primò quidem, vt sacrorum animalium virtutes & proprietates, item plantarum, seu herbarum, quas Ægyptus profert Dijs consecratarum, instrumentorum ad hæc occurrentium qualitates & accidentia non optimè tantùm perspecta habeat, verùm aptè quoque ac congruè iuxta intentam à priscis ἀναλογίαν secretiori Philosophiæ & Theosophiæ, quæ in trium Mundorum similitudine & concatenatione consistit, dextrè nouerit applicare. Ad quod cum ea, quâ par est, sagacitate præstandum, alterum continuò requiritur, Philosophiæ nimirum & Theosophiæ dictæ omnimoda cognitio, vt in quo eius ratio, & quod dicitur, essentia potissimùm consistat, quis eius in rebus humanis vsus, quis in sacrificijs, quis in diuinatorijs artibus, quis in coniurandis Dæmonibus, & alliciendis Mundi Genijs, similibusque abditis actionibus modus & ratio. Quæ quidem nequaquam haberi poterunt, nisi ex occultis totius Philologiæ penetralibus; ex varia quoque antiquorum Poëtarum, Mythologorum, Historicorum collatione summo ingenio, & studio pertinaci facta; quin ex Hebræorum etiam, quorum(vti suprà diximus) æmuli fuerunt Ægyptij, ex Arabum quoque, Æthiopum, Persarum, Græcorum, qui in ea præ alijs Gentibus hæreditate successisse videntur, relictis monumentis deducantur. Nisi itaque quispiam mediocri saltem linguarum Orientalium, Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, Chaldaicæ, vtpote ex eorum fontibus petendâ cognitione fuerit imbutus, nisi totius Antiquitatis consultus, nisi eximiè reconditioris Philosophiæ notitiâ præditus; ad perfectionem requisitam Opus deducere minimè poterit, vt ex præsenti Opere satis patet. Quicquid enim in Masura Hebræorum, Chaldæorum Cabala, Persarum Magia, Astrologia Phœnicum, Græcorum Philosophia, Pythagoræ Mathematica, Arabum Chimia, Theologia denique Platonis arcanum & reconditum, hoc vnicè sibi sacra & symbolica Ægyptiorum Sapientia vendicare videtur. Vides igitur quantus apparatus necessarius, quot monumenta peregrina adeunda fuerint. Ex quibus, ni fallor, clarè liquet, Oedipum non nisi dicta artium reconditarum suppellectile institutum, intentam hieroglyphicæ doctrinæ veram significationem exhibuisse; cùm hæc omnia, non nisi ex Ægyptiorum Gymnasio, vti vberrimè docuimus, prodierint.

ARGVMENTVM II.

Hieroglyphica non syllabis, vocibus, ac periodis constare, vti reliqua idiomata, sed idealium rerum cognitionem esse.

MVlti perperam opinati sunt, Aegyptios, non secùs ac in reliquis idiomatis vsu venit, alphabetaria quâdam methodo hieroglyphica, quæ voces reddat, periodos distinguat, & non secùs atque orationem quandam oculis legentium præfigat, concinnasse. Quod falsum esse, passim toto hoc Opere demonstratum fuit, & ex suppositionibus huic Tomo præfixis satis patet. Siquidem ex Obeliscorum inscriptione prorsùs patet, hieroglyphica symbola, non secùs ac Chinensium literaturam, quomodocunque posita semper suum sensum integrum conseruare. Patuit hoc ex varijs tùm Obeliscorum, tùm cœterorum monimentorum inscriptionibus in hoc Tomo adductis, quæ vti prorsùs eædem sunt, ita nullam situs differentiam seruant, cùm eæ in alijs iam perpendiculari, modò sursum, modò deorsum, iam situ decliui, nunc dextro, paulò post sinistro ordine descriptæ exhibeantur; quod minimè fieret, si ex alphabeticis elementis contextæ fuissent; in quibus tamen sinistra lectio nil aliud docet, quàm quod dextrâ exhibetur; nam hieroglyphica, quomodocunque lectio instituatur, semper integrum ac perfectum sensum obtinent.

Hieroglyphica non sunt literæ.

Præterea hanc literaturam minimè ex Alphabeto quopiam compositam, sed purè symbolicam esse, ex eo patet, quòd omnes ferè Obelisci in superiori parte eandem quasi inscriptionem figurarum exhibeant. Primò enim semper spectatur hæc epigraphe simulachris symbolicè adornatis mirè trásformata; quas literas esse, nullâ ratione dici aut debet, aut potest. Vel enim tota figura, v. g. Accipitrinus homo sceptro Cruceque armatus, vnam vocem, vel multas simul, quæ deinde vocem reddant, indicat: neutrum dici potest: si enim singulæ figuræ eandem literam figurant (loquor semper de elementis seu literis Alphabeticis) & in singulis lateribus Obelisci quinque prima schemata, vti in apposita figura liquet, ferè semper eadem sunt; necessariò inde pentasyllaba vox emergeret, quæ in singulis lateribus ter posita eadem prorsùs foret, sine vllo fructu duodecies repetita. Sic hæc vox v. g. *Anima*, duodecies repetita, nullum prorsùs in legentis animo conceptum formaret, nec quicquam determinaret, sed otiosa foret, sine vlla determinata significatione; quod vti ridiculum stolidumque figmentum foret, ita longè à priscæ Sapientiæ Mystarum instituto abesse is solus nescire potest, qui quæ in hoc Opere tradidimus, penitiùs non ponderauerit. Neque dicas, sensum de-

Hieroglyphica literatura est symbolica.

terminari consequentium literarum contextu: cùm enim in vel maxima columna, vna normalis inscriptio nunquam vltra centum literas contineat; fieri non potest, vt tot ac tanta mysteria, quæ Ægyptij in huiusmodi inscriptionibus exhibebant, tam exiguo literarū numero contineantur. Literæ itaque Alphabeticæ nullâ ratione dici possunt. Neque dici potest, figuras huiusmodi complurium literarum congerie adornatas, ita, vt aliam literam corpus humanum aut belluinum, aliam tutulus, sceptrum denique, aut Crux ansata aliam, aliam sedes constituat: si enim ex pluribus huiusmodi literis constitueretur hierogrammatismus, quæri iam posset, quemnam locum prima, quem secunda, quem tertia, & sic de cœteris, ad vocem quampiam constituendam, obtineat; cùm literæ nulla certo ordine, vti ex ipsis columnarum selidibus patet, vbi nunc recto, nunc inuerso ordine exhibentur, constet. Nullâ itaque ratione fieri potest, vt schematismi hi ex alijs literis veluti ex syllabis conflatæ voces constructi componantur. Accedit quòd sacræ tabulæ seu amuleta, quæ oualibus inclusa figuris in nullis non Obeliscis spectantur, nullâ ratione Alphabeticum sensum constituere possint; frustra enim toties vel in vno Obelisco repeterentur. Magna itaque illa virtutis symbola censenda sunt, Numinum attractiua, & idealibus rationibus expressa, quibus veluti ad occulta & appropriata symbola Numina sese sisterent, & votis supplicum fauerent. Hinc ea non Obeliscis tantùm, sed & reliquis simulachris Sphyngibusque, quin & Mumiarum inuolucris inscripta eadem de causa fuerunt. Symbolica itaque & mystica quædam scriptura est, in qua, vt rectè Iamblichus docet, *dimitte voces, & accipe sensum*. Nam sicuti, vti antè diximus, & Tomo secundo de institutione phrenoschematon seu Impresiarum fol. 8. affatim docuimus, in Impresia quauis duo continentur, symbolum, & sententia, quârum coniunctione in abditam tandem eius, quod præsefert, symboli significationem deuenimus; Verbi gratia in hoc Phrenoschemate præsente Magnetem vides, à quo concatenata annulorū series trahitur; vidisti symbolum, considera gnomen, quæ est, *Arcanis nodis*: quæ verba nisi apposita fuissent, nihil in symbolo certi innotuisset, sed gnomen addita symbolo, iam Parthenia Congregatio Collegij Romani Soc IESV, cui inscripta est, hoc veluti occulto interioris animi incitamento docetur, incrementum dictæ Congregationis non nisi occulto quodam diuinæ inspirationis tractu perfici; in qua dum quisq; boni exempli, sanctæ conuersationis, ac mutuæ ædificationis attractu proximos quosque allicit, fit vt omnes fraternæ dilectionis & concordiæ vinculis colligati, vberrimam iunctis viribus frugem eo in statu, ad quem eos diuina bonitas constituit, reportent, ac tandem cum beatis mentibus socientur æternùm beati. Ecce quanta significationum & contemplationum vel sub vno phrenoschemate copia latet. Eodem prorsùs pa-

Tabulæ ouatæ Obeliscorum non sunt literæ.

Hieroglyphica similia Phrenoschematis.



pacto, dico, in hieroglyphica doctrina contingit, in qua per abstractos conceptus, vel in vnico symbolo, integræ alicuius Philosophicæ speculationis materia & argumentum comparet, vt in sequenti figura, vbi vides statuam variegato throno insidentem Accipitrino vultu transformatam, cidari calathoide, cucurbita, & capreolo ei insertis spectabilem, dextrâ thyrsum præ se ferentem, sinistrâ imperiosè aliquid mandantem; quo quidem mysterioso symbolorum apparatu supremi intellectus operationes occultè, non per verborum in discursum quendam concinnatorum modum, sed per idealem quendam conceptum, virtutes in suprema Mente latentes significantem, intellectus contemplatiui vi, veluti in speculo quodam repræsentatum innuuntur; ita vt literaturæ hieroglyphicæ peritus dum schematismum hunc præsentem intuetur, mox diuinæ mentis operationes, in Mundorum œconomiam imperium, lucis, vitæ, & caloris copiam, quâ omnia producit, animat, conseruat, infinitâ maiestate & potestate corruscans, Numen cognoscat; hîc comparet idealium fœtura conceptuum; hîc vitæ, lucis, calorisque in omnes Mundi semitas diffusa potestas; hîc Mundi sensibilis & elementaris varietas rerum, ac summa consono dissonorum harmonicâ miscella, ex immensa diuini intellectus vnitate resultans, aliaque innumera, quæ cùm alibi exposuerimus, Lectorem eò amandamus.

Iterum in omnibus ferè Obeliscis epigraphes loco vides huiusmodi ideales diuinarum virtutum schematismos, quos sequitur tandem Accipiter, deinde Bos, iam in singulis lateribus vnus, iam triplicatus; quibus quidem nihil aliud, quàm diuinæ vnitatis in trium Mundorum ordines diffusa vis & influxus, vti passim in hoc Opere demonstrauimus, indicatur. Atque hanc minimè syllabicam esse literaturam, sed intellectualem, vel ipse Aristoteles cognouit, & his verbis docet in sua Theologia Ægyptiaca l. 14. & . *Conceptus animorum acceptos Ægyptij Sapientes scribebant, vti oculatâ fide legimus, in lapides per figuras, idem in omnibus scientijs artibusque facientes, quos locabant in templis, tanquam paginas perlegendas, talesque erant eorum libri vtensiles; quod fecerunt, vt indicarent etiam, quòd intellectus agens immaterialis creauit omnia secundùm propriam essentiæ cuiuslibet rationem similitudinemque; quod optimum fuit, pulcherrimumque documentum*, &c. Deinde l. 1. c. 1. prorsùs huius paulò antè allatæ interpretationis rationem his verbis attingit. *Nostra in hoc Opere intentio est, considerare Vniuersum secundùm mentem eorum, qui docuerunt per notas figurarum adeo occultas, vt non alius possit ad secreta huiusmodi scientiæ peruenire citra difficultatem, quantumuis ingenij sit subtilis & recti, nec vtatur negligentiâ. Indi-* Aristoteles.

cant itaque hisce Sapientes, quomodo Deus differt ab alijs, quòd Mundus
A *& tempus existant sub eo; ampliùs quòd Deus est author causarum, quòdque creauit singula pro ratione singulorum: & quòd in ijs illuminat Intelligentias, per eas autem medium intellectum, per intellectum verò mediam animam vniuersalem, cœle-*
B *stemque, & per animam mediam illustrat naturam generabilium corruptibilumque.* Quis non videt, hæc aptissimè huic præsenti Iconismo congruere? Vbi globus diuinæ mentis ac triformis Numinis symbolum exhibet, quod pyramidij vertici proximum,
C ostendit diuinæ Mentis veluti ex centro quodam in omnes Mundorum series ordine consequentes effusionem, primò in Intellectualem seu Angelicum, vti figuræ B docent; deinde in Sidereum C, quem Accipiter Solaris Numinis symbolum exprimit; ac tandem in Hy-
D læum D, cuius Bos typus est, videlicet, Osiris Archetypus & Supramundanus, in Osirin Pantamorphum, Intellectualis Mundi choragum, & hic in Osirin Solarem Siderei Mundi animam, & hic in Hylæum Osirin, Elementaris Mundi præsidem, mirâ quâdam analogiâ diuinorum influxuum communicationem continuat.

Ægyptiorum sapientia à sacra Scriptura commendatur.

Ex quibus, ni fallor, luculentissimè patet, nihil aliud hac interpretatione, quàm quod dixi, innui posse & debere. Quod adeo ipse Plato, & Aristoteles, eorumq; sectatores non tantùm asseruerunt, sed tanquam dogma sacrosanctû amplexati sunt. Authoritates circa hoc negotium propositas, vide in huius Tomi vestibulo folio secundo, & in Classe Sexta Systematica Mundorum circa finem allatas, ex quibus

bus apertè constat, hanc doctrinam non aliam, quàm mysticam & arcanam Supremæ & Archetypæ Mentis explicatricem fuisse. Quod si quis negare audeat, is eâdem audaciâ summorum humani generis ingeniorum apertè id asserentium authoritati, imò dicam ampliùs, vel ipsis sacris literis, se obtrectaturum nôrit, in quibus Sapientiæ Aegyptiacæ frequens fit mentio, Moysemque in ea institutum manifestè docetur; notum autem est omnibus sublimiorum palæstrarum exedris, Sapientiam non aliam scientiam esse posse, nisi altissimarum rerum in abdito diuinitatis recessu latentium inuestigatricem, prout allata huius Operis fol. 2. prima docet definitio; vt proinde frustra quis sub hisce symbolis rerum à Regibus Aegypti gestarum historias inquirat: vti enim sapientia artium omnium & scientiarum regina est, ita sibi omnes quoque subditas habet; vnde & ordinis necessitate sic postulante in hieroglyphicam doctrinam ex consequenti præter Theologiam, Medicina quoq;, Magia, atque Mathematicæ scientiæ irrepserunt, tanquam à fonte vnde omnia scaturiunt dependentes riui. Sed iam hæc omnia luculentiùs ostendamus.

ARGVMENTVM III.

Hieroglyphica ex mente Aegyptiorum non tantùm symbola significatiua rerum altissimarum, sed & ob occultam quandam cum supramundanis causis connexionem, attractiua Numinum, atque ab aduersis præseruatiua fuisse.

Symbola hieroglyphica vti ex omnibus mundialium rerum Classibus assumpta fuerunt, ita magnæ quoque virtutis & efficaciæ, ob miram & occultam cùm supramundanis causis connexionem fuisse, ex Ægyptiorum opinione amplè in hoc Opere demonstratum ex omnigena eruditione fuit: neque enim quisquam sibi persuadeat, primos huius literaturæ institutores temerè & fortuitò quarumlibet obuiarum rerum imagines ad sacræ sculpturæ institutum adhibuisse, sed eas sibi potissimùm, quas longo studio & experientiâ ex abditis naturalium characterismorum sigillis, ad mundanas Geniorum catenas magnam habere similitudinem, proprietatem, & analogiam nôrant, assumendas duxerunt. Quæ quidem tantò putabantur efficaciores, quantò maiorem ad mundanæ alicuius catenæ Numen choragum similitudinem exprimebant; vt proinde hinc Numinum catenæ, quas Syras vocant, originem traxerint; ad quas omnia ea, quæ siue in Sidereo, siue Hylæo Mundo, in quadrupedibus, volatilibus, vegetabilibus, mineralibus, ad Numen certæ catenæ cuiuspiam præsidem, analogiam quandam virtutibus suis præseferre videbantur, tanquam Numini istius catenæ tutelæ commissa, assumerent. Hoc pacto catena Osiriaca, Hermetica, Isiaca, Serapica, Momphtæa, atque innumeræ aliæ, quas in Astrologia & Medicina adduximus, erant cer-

Hieroglyphica ad Numina attrahenda vim habere putabantur.

Catenarum quas Syras vocant, origo.

certæ quædam rerum ex diuersorum Mundorum ordinibus assumptarum Classes, in quibus singulæ res, quantumuis etiam disparatæ, Numinis catenæ alicui præsidentis virtutes & proprietates exprimebant. Et quemadmodum dictas res ab istiusmodi catenæ Archichorago profluxisse autumabant, ita eam quoque sympathiam cum Numine illo habere credebant, vt illâ positâ Numen infallibiliter & necessariò, tanquam ad rem vehementer sibi symbolam & maximè appropriatam, afficeretur, attraheretur que; vnde Magia nata est, quâ per magicam inferiorum cum supernis Entibus veluti passiuorum cum actiuis applicationem mirificos effectus producere se posse credebant. Ex hoc fonte quoque Oraculorum architectura profluxit, quâ per dictam Magicam peritiam Dæmones in statuas compingebant, eorumque verbis barbaris & prodigiosis ad quæstiones propositas responsa extorquebant; vnde diuinatoria ars natales suos inuenit. Ex hoc denique capite ars Amuletaria reperta, quâ sacra symbola dicto modo catenis mundialibus accommodata, loco periaptorum, ad bonum, quod ambibant, assequendum, ad malum verò, quod fugiebant, auertendum, portabant. Quæ quidem magnæ efficaciæ symbola summâ connexione ad rationes in idearum idea contentas primò quidem in Obeliscorum durissimis saxis, veluti prototypa quædam æternùm duratura insculpebant; ex quibus deinde quisque sibi depromeret in priuatos vsus, siue bonorum attractiua, siue malorum auersiua periapta prophylactica. Sacerdotes quoque iuxta ideales rationes, quas multiplex symbolorum in simulachris apparatus exhibebat, sacrificia sua, in ordine ad θεομόρφωσιν obtinendam, in Adytis peragebant. His itaque suppositis

Magiæ origo. *Oraculorum* *Amuletariæ artis origo.*

• Dico primò, Hieroglyphicam literaturam in Obeliscis exhibitam, nihil aliud fuisse, quàm scientiam theoricam & practicam de Deo, diuinisque ordinibus Mundorum Præsidibus, ex quorum concatenato influxu omnia in Mundorum œconomia administrarentur. Atq; hanc Theorica sectabatur; Practica verò Numinum quam Theoria demonstrabat, quà propitiandorum, quà sui iuris faciendorum rationem suppeditabat. Sed hoc ita esse, sic ostendo.

Hieroglyphica literatura quid.

Si Obelisci, præter hanc Theosophiam aliud quidpiam, vti historias, prophetias, laudes Regum, similiaque continerent; certum est, Obeliscos singulos vti diuersa exhibebant, sic diuersis symbolis, diuersoque eorundem contextu fuisse insignitos: quod tamen nullâ ratione dici potest, & res ad oculum patet; siquidem vix Obeliscus est, qui non eadem quasi contineat; in singulis non tantùm symbola eadem, sed & integra figurarum syntagmata, vti in actuali interpretatione demonstrauimus, ex vno in alium translata spectantur. Et vt paulò propiùs rem adoriar; Minores Obelisci, quos Monti-cœlium, Mahutæum, Mediceum nuncupauimus, adeo similes sunt, vt eos sine iniuria eosdem dicere possis. Obeliscos quoque maiores, tametsi fusiori pro argumenti ratione contextu signati sint, ad eundem tamen scopum, ad eandem prorsùs metam tendunt, in quam minores. Iterum Obeliscus Flaminius & Sallustius, vti ostensum fuit

Obelisci minores inter se similes sunt.

fuit suis locis, prorsùs ijdem sunt. Patet id quoque ex epigraphe omnium ferè Obeliscorum, quæ influxum supremæ Mentis veluti ex centro quodam in vniuersas Mundorum sibi subiectorum Classes diffusum indigitant. Atque adeo idem Ægyptijs contigisse videtur, quod moderno tempore in nostræ Christianæ religionis mysterijs exhibendis præstari videmus; in quibus tametsi diuinitatis mysteria, vt SS. Triadis, Incarnationis Verbi æterni, sub alia & alia ratione depicta videas, vnum tamen semper & idem, quoad essentialem significationem, exhibent. Quemadmodum itaque Ægyptij supremam causarum causam pro virtutum ab ea promanantium varietate vnà cum Fundo Paterno, Verbo suo, diuersis omninò modis & symbolorum structura exhibebant; ita hodie SS. Triadis, & Christi in terris peracta mysteria pro conceptu cuiusque passim varia & differenti pictura exprimuntur; ita tamen, vt nullus ferè sit, qui dum huiusmodi, tametsi differentes picturas penitiùs inspicit, non mox quò collimment, intelligat. Idem de Geniorum, Secundeorumque, quos Orthodoxa doctrina Angelos nominat, ectyporum varietate sentiendum est. Vt proinde Obeliscos nihil aliud, quàm quod dixi, repræsentare ex dictis pateat.

Dixi suprà, Obeliscos non Theosophiæ duntaxat maxima quæuis sacramenta symbolis suis expressisse, sed & insuper fuisse apud Ægyptiorum existimationem magnæ virtutis sigilla, ad Numina non placanda tantùm, sed & eadem attrahenda, & sui iuris facienda, à Sacerdotibus constituta. Quod adeo verum est, vt ad id demonstrandum nihil aliud requiri videatur, nisi vt quæ suprà in Syntagmatis proprijs, de Mumijs, Canopis, Sphyngibus, cœterisque àuerruncis simulachris tradidimus, assiduâ comparatione examines: nam ipso facto, nullam ferè siuè simulachri formam, siue symboli alicuius ectypon seorsim extare, quod non in ipsis etiam Obeliscis spectatur, reperies; Argumentum sanè prorsùs irrefragabile, omnia symbola nó tantùm significatiua, sed & effectiua apud in ipsos fuisse, id est, magnæ efficaciæ Sigilla, quæ Amuleta, Periapta, Phylacteria, vel Alexiteria ab Authoribus passim nuncupantur. Cùm verò huiusmodi Amuleta non nisi ad supernas potestates propitiandas dirigantur; certum est, præter hanc, altissimarum quoque rerum, diuinarumque virtutum fuisse symbola, quæ mirum cum supramundanis causis ordinem & proportionem dicebant. Ita dictorum ordinum Choragos, quos exprimebant, ad id quod intendebant impetrandum, reciprocæ & occultæ actionis proprietate, solis Sacerdotibus nota, mirè sollicitari opinabantur, eo ferè pacto (si superstitiosa veræ religionis nostræ ritibus comparare fas est) quo hodierno die laudabili sanè Christi fidelium instituto sacrosanctæ Crucis, Beatissimæ Virginis, & Agni Dei cæræ sacræ impressas imagines, medalia, sacrasancta lipsana collo, brachijs, lateribus, tùm ad perpetuam beneficiorum in nos collatorum memoriam, tùm ad honorem & reuerentiam cultumque Deo, Christo, Beatæ Virgini, Sanctisque debitum attestandum, tùm denique in aduersis succursum viuâ fide impetrandum, laude dignissimâ consuetudine, portare consueuimus: sunt enim hæc efficacia conceptæ in Deum Sanctosque fiduciæ sigilla,

Hieroglyphica ad Numina attrahenda putabantur efficacia.

quæ

quædam, miræ Deo beneplacita, & quæ Deum ad gratiam animæ amorosis in Deum actibus agitatæ conferendam, hâc veluti dispositione præuiâ sollicitant. Differentia itaque priscæ religionis in hoc tantùm intercessit, quòd Sapientes vero fidei lumine destituti, ac proinde Satanicæ illusionis versutia in transuersum acti, latricum soli Deo debitum cultum ipsis creaturis & insensatis rebus attribuerint. Sed ad institutum nostrum reuertamur.

Continebant itaque Obelisci, non tantùm symbola rerum diuinarum significatiua, sed & effectiua Numinum attractûs; quin ipsi singuli Obelisci, tùm in templis, tùm locis publicis, veluti prototypon quoddam seu catholicum ex innumeris particularibus constitutum Amuletum, mysteriosa pyramidis figura spectabile præseferebant; quod quàm diu duraret, tamdiu tellurem Ægyptiam, Deorum immortalium, quos referebant, munere, ab omni hostium assultu, bellorumque sinistris euentibus immunem fore sibi persuadebant, vti aliàs passim docuimus.

Ægyptiorum sntentio in Obeliscis erigendis.

Cùm itaque Obelisci tales sint; certè hinc concluditur, aliam priscos Sacerdotes in Obeliscis tùm erigendis, tùm tanto figurarum apparatu insigniendis intentionem nullam habuisse, nisi eam, quam tùm paulò antè, tùm in operosis apparatibus huius Oedipi passim demonstrauimus. Manet itaque, interpretationem nostram verè & genuinè ad Veterum mentem esse institutam.

Hieroglyphicorum interpretatio difficilis.

Sed objiciet hoc loco forsan nonnemo hisce verbis: Fuisse hanc Veterum Mystarum sapientiam, & in hoc constitisse, minimè abnuo; verùm cùm hæc tantùm sub vniuersalibus quibusdam conceptibus demonstrata sit, non proinde video, quomodo ad particularia, aut quibus subsidijs descenderis, aut singula verè ad mentem Veterum descripseris. Sed qui huius Operis contextum ritè examinauerit, & Epistolam parenæticam attentè legerit; apertè videbit, nihil eorum me, siue vniuersalia, siue particularia spectes, præterijsse, quorum rationem non reddiderim. Fateor tamen, nonnullorum symbolorum typos adeo primâ fronte mihi ignotos visos esse, vt parum àbsuerit, quin cum Apuleio ignorabiles dixerim. Quia tamen constans & impertæsus animus omnia vincit; hinc factum est, vt omnia cum omnibus, & singula cum singulis combinando, quod primò incomprehensibile, id vnda trudente vndam, non dicam ἀδύνατον, sed facile diuini Numinis gratiâ, visum fuerit.

Hieroglyphicorum notitiã quibus subsidijs acquisiuerit Auctor.

Et prima quidem difficultas sanè maxima, tùm in instrumentis, vasis, sceptris, similibusque, tùm in animalium specie genuina dignoscenda, quæ omnia rudi tantùm Mineruâ saxis incisa spectantur, occurrebat. Verùm diuinâ potiùs, quàm humanâ dispositione factum est, vt nihil ferè in monumentis Ægyptiacis ruditer tantùm expressorum symbolorum occurreret, quod inter Museorum latibula idolis & fragmentis, vti & Amuletis hieroglyphicis, politissimè incisum non repererim: vt proinde genuinæ animalium species, vti & dictorum instrumentorum, sub simili figurarum, quo in Obeliscis exhibebantur, Syntagmate, mox innotuerint. Accessit hisce non Latinorum duntaxat, Græcorumque, sed & Hebræorum, Chaldæorum, Arabumque,

que, vti & Coptitarum authoritas, quâ dictæ res ita confirmabantur, vt eorum verba adduxisse, vel totum mysterium explicasse, prout toto hoc Opere passim demonstratum vides, sufficeret. Fontibus itaque vniuersalium detectis, nihil faciliùs fuit, quàm riuulos vndiquaque diffusos, id est, particularia, detegere; cùm hæc ab ijs tanquam effectus à causa, ideatum ab idea, signatum à sigillo dependerent; adeoque fieri non potuerit, vt diligenti mentis indagine ex vno in alterum transilientes, tandem in particularium notitiam non deueniremus. Vides itaque Lector beneuole, quibus subsidijs, quâ arte in vniuersalem paulatim hieroglyphicorum notitiam deuenerim; atque adeo verè inferre possum, hanc, quam hoc Tomo protulimus hieroglyphicorum expositionem, non fictam aut commentitiam, sed veram & genuinam, à Priscis intentam, esse. Quod ita ostendo.

Hieroglyphica Ægyptiorum Sapientia, testantibus omnibus Veterum Scriptorum monumentis, nihil aliud erat, quàm scientia de Deo, diuinisque virtutibus, scientia ordinis Vniuersi, scientia Intelligentiarum Mundi præsidum, quam Pythagoras & Plato, teste Plutarcho, ex Mercurij columnis, id est, ex Obeliscis didicerunt. At hanc nos toto hoc Opere non tractauimus tantùm, sed & eam, quæ abditis hieroglyphicorum inuolucris in dictis columnis comprehendebatur, exposuimus: Ergo. Si enim aliam contineret præter dictam scientiam Theosophicam, illa vel Mathematica, aut Historica, aut Physica, aut Moralis foret; sed iam in præcedentibus demonstratum fuit, nihil horum in Obeliscis contineri, & non contineri quidem posse. Aliam itaque non exposuimus, nisi quam diximus, veram & genuinam Ægyptiorum sapientiam, in cognitione Dei, diuinarum virtutum, eiusque in vniuersas Mundorum series diffusione consistentem: reliquas enim scientias Mathematicas, Physicas, Morales, Diuinatorias, quas in publicis palæstris tradere solebant, non hieroglyphicis, sed linguâ omnibus notâ, & idiomaticâ, quam Pharaonicam & Coptam appellamus, Ægyptij consignabant. Et vti hieroglyphica Sapientia maximarum rerum arcanarumque sacramenta continebat, ita quoque non nisi ijs, quibus ad Regni solium spes erat, Sacerdotalis ordinis hominibus, sub arcto & rigoroso silentio in Adytis, vti probatum fuit, tradebatur. Cùm enim totius Regni spes & salus, in sola Numinum tutela, posita videretur, Numina verò hieroglyphicæ sapientiæ cultu & religione, mirum in modum in Regni conseruationem sollicitari crederentur; certè nulli maiori iure ad eam addiscendam tenebantur, quàm Sacerdotalis ordinis homines, è quorum numero primus Rex erat, qui per sacrificia, iuxta hieroglyphicas leges instituta, consortio Deorum beati, vel ipsis Numinibus imperare, mala Regno imminentia auertere, atque adeo Regnum ab omni hostili assultu tutum securumque solis hieroglyphicorum Amuletorum præsidijs reddere se posse credebant. Sed vide quæ de hisce copiosè in Politica Ægyptiorum, & alibi tractauimus. Quòd si quispiam versutioris ingenij, aliam nostrâ hâc præsenti traditâ meliorem, magisque Ægyptiorum ingenio mentique consentaneam attulerit,

Hieroglyphica sapientia quid sit.

Hieroglyphica doctrina vera hoc Opere exposita.

Hieroglyphica doctrina solis Sacerdotibus tradebatur.

ei non tantùm me subscripturum, sed ambobus illam brachijs me amplexurum polliceor.

ARGVMENTVM IV.

Consensus omnium Philosophorum, & Poëtarum, circa Theologiam Aegyptiorum, demonstratur.

Trismegistus hieroglyphicorum institutor.

HErmes Trismegistus, Ægyptius, vti primus Hieroglyphicorum institutor, ita meritò totius Theologiæ & Philosophiæ Ægyptiacæ Princeps & Parens, primus fuit omnium & vetustissimus inter Ægyptios qui de diuinis rebus rectè sensit; suamque de ijs opinionem veluti æternùm duraturis lapidibus & ingentibus saxorum molibus insculpsit, vti fusè aliàs probatum fuit. Ab hoc, quidquid Orpheus, Musæus, Linus, Pythagoras, Plato, Eudoxus, Parmenides, Melissus, Homerus, Euripides, cœterique laude dignum de Deo, diuinisque rebus protulerunt, profectum esse, non Ethnici tantùm veteris Philosophiæ commentatores, sed & orthodoxa Sanctorum Patrum monimenta sat superque demonstrant. Et primò quidem Trismegistus in Pimandro & Asclepio Deum vnum & bonum essentialiter asserit, quem deinde reliqui Philosophi secuti sunt. Verùm vt hæc omnia pateant, totidem singula paragraphis expediemus.

§ I.

De vnitate & bonitate Dei, vti & rerum omnium causa, & rerum principio productiuo.

Trismegistus Dei Vnitatẽ cognouit.

Trismegistus.

TRismegistus ex Ethnicis primus diuinam descripsit Vnitatem. A Patriarchis enim primitùs didicerat vnum esse Deum, cœli terræque Conditorem omnium supremum; ob id in secunda parte Pymandri sermone primo sic loquitur Mens ad Mercurium. *Quòd autem hæc omnia genita sint, ò dulcissime mi Mercuri, nequaquam opus est, vt me disserente perdiscas; nam corpora sunt, habentq; animam, & mouentur. Hæc autem in vnum congredi absq; congregantis virtute impossibile est. Oportet igitur aliquem esse talem, & penitus vnum. Nam cùm multi varijque sint motus, & dissimilia corpora, vnus autem ordo velocitatis in omnibus; impossibile est duos, aut plures esse factores: neque enim ordo vnus seruaretur in multis. Præterea qui inter illos imbecillior esset, potentiori nimium inuideret, ex quo seditio quædam exoriretur. Itaque si vnus eorum Author mutabilium animantium extitisset, cuperet quoque immortalia gignere, quemadmodum genitor immortalium affectaret mortalia. Quinetiam vna existente anima, vnaque materia; ad quemnam illorum potissimùm fabricatio pertineret? Quòd si ad vtrumque, ad quem Prouincia maior?* &c. Et paulò inferiùs: *Esse itaque horum omnium vnum Authorem præ cœteris, est conspicuum: nam anima vna, vita vna, vnaque materia.*

ria. Quisnam iste? Quis alter præter vnicum Deum? Num alteri cuipiam, quàm soli Deo conuenit procreare viuentia? Vnus itaque Deus Mundum vnum esse confessus est, Solem vnum, vnicam Lunam, vnam quoque diuinitatem, ipsum verò Deum quotum vis esse? Vnus igitur singula facit in multis. Sic ibi. Subdit autem quasi horum rationem reddens. *Num censes arduum quiddam, & laboriosum Deo, vitam, animam immortalem, mutationemque efficere? Dum enim tu tot tantaque potes, vides, audis, odoras, gustas, tangis, loqueris, graderis, spiras, intelligis, nec alter est in te qui videt, quiue audit alter, nec loquitur vnus, graditur alius, hic odorat, ille gustat, hic spirat, intelligit ille, at vnus hæc omnia præstat, neque etiam possibile est illa sine Dei numine fieri. Vt enim qui cessat ab his, non est ampliùs animal, sic qui ab illorum constructione cessaret, minimè Deus; id autem suspicari nefarium. Quòd si concessum est, nihil in rerum natura consistere, cui non insit naturalis quidam agendi vigor, simulque certi operis exequutio: quantò magis asseuerandum est Deo non deesse potestatem omnium & effectum? Nam quicquid otiosum, imperfectum; imperfectum dicere Deum nefas. Facit igitur vnus omnia Deus.* Sic ille.

Deus vnus iuxta Trismegistum.

Altissima & profundissima est hæc Mercurij Theologia, quandoquidem viuis rationibus diuinam probat vnitatem; quotquot verò alij de Dei vnitate disputarunt, ijsdem vsi sunt rationibus, vt Xenophanes Colophonius, Zeno Citticus, & Aristoteles Stagirites. Hinc Parmenides, hinc Melissus omnia quoad vnitatem Dei desumpserunt. Ab hoc Empedocles didicit, omnia ab vno profecta visibilia, inuisibilia, præsentia, præterita, & futura, quicquid marî terraque nascitur, feras, aues, pisces, demum & Deos ipsos; intellige, Angelos. Huius igitur vetustissimæ Philosophiæ primum Sacramentum fuit Dei vnitas, quod admiratus & imitatus Pythagoras ab Ægypto reuersus, sub ænigmatica numerorum significatione propalauit dicens. *Vnitas radix omnium, fons & origo*, Vnitatem appellans Deum, quod Syrianus Simplicij Præceptor in Metaphysicis apertissimè scripsit, vbi collaudans & defendens sententias Pythagoræ & Platonis de numeris, sic perhibet. Archemachus & diuinus Plato, quos secutus est Plotinus; qui quidem Viri Vnitatem dicebant Deum, vt Vnitatis in rebus omnibus causam, omnisque rei vitæque Authorem. Eudoxus etiam referens placita vetustæ Theologiæ, præcipuè Pythagoræorum, Authore Simplicio primò Physic. ait: *Et secundùm alium modum principium dixerunt omnium rerum ipsam Vnitatem, quòd ab ea nata sint omnia, etiam materia prima.* Damascius Platonicus ad aures Pythagoræ de Vnitate differens scripsit. *Vnitas tanquam Sol procul obscurè quasi videtur; si propiùs accesseris, obscurius; demum cœterarum rerum tollit apprehensionem. Verè igitur est lux incomprehensibilis, inaccessibilis, & profundè Soli comparatur, in quem quò magis intuearis, eò magis cœcutias & caliges, oculosque stupefactos reportes.* Rursus ait Damascius. *Vnitas honoretur silentio.* Et alibi. *Vnitas omnia producit. Ferax rerum omnium Vnitas.* Hæc autem, & si quæ alia sunt, à Trismegisto desumpta cognoscuntur, qui eodem pariter modo de Vnitate philosophatus est, dum in quarto sermone Pymandri sic scripsit: *Monas, id est Vnitas, omnium principium, radix, atque origo, absque*

Philosophi Veteres Dei Vnitatem à Trismegisto didicerunt.

Pythagoras.

Vnitas secundùm Pythagorã Deus est.

Damascius. Vnitas, id est, Deus rerum omnium principium.

Trismegistus.

vero principio nihil. Initium autem ex nullo, nisi ex se ipso dependens. Initium autem non est principij, sed alterius. Monas ergo principium omnem numerum continet, à nullo contenta. Et paulò inferiùs. *Id sanè quod augescit, virtute Monadis augescit; euanescit autem imbecillitate propriâ, cùm alterius Monadem capere nequeat.* Hinc non sine causa circulo vsus est veluti hieroglyphico quodam Vnitatis diuinæ. Quæ omnia fusè prosecuti sumus in 12 Classe Tomo II. quæ est Theologia Ægyptiorum, & in Geometria hieroglyphica. Hunc secutus Anaxagoras Clazomenius, cuius hæc est sententia; *Mens author vna omnium quæ cernimus. Omnia inquit simul erant, deinde accessit Mens, eaque composuit.* Scitiùs sanè Pythagoras Deum absolutè Monadem dixit; *Ipse,* inquit, *extra Mundum est, quia infinitus est, in ipso etiam est totus in toto, omnes circumquaque considerans generationes*; quæ omnia hieroglyphicâ ratione inuoluta ab Ægyptijs iam sæpe exposuimus. Sed audiamus aurea Pythagoræ Carmina.

Pythagoræ sententia de Deo.

Si quis Deus præter vnum? is debet
Mundum hunc parem condere, & dicere, hic meus est,
Nec solùm condere, & dicere, hic meus est, sed habitare
Ipse in eo quem fecerit, hic autem ab eo factus est.

Digna sanè Pythagorâ sententia. Cùm enim opus Dei sit Mundus, quisquis se Deum dicit præter vnum illum Deum Mundi effectorem, alterum Mundum producat necesse est, vt se Deum comprobet. Quem secutus Parmenides, tanta de Deo sublimitate discurrit, vt Christianus Theologus altiora dicere vix possit. Hic Socratis Præceptor, & Ægyptiorum Discipulus cùm diuinam considerasset naturam rerum omnium fontem, altius eleuatus Deum ipsum congruentissimâ vocis significatione, *Id quod est,* appellauit, atque id ipsum, vnum, immobile, immateriale, inuariabile, infinitum, æternum, ingenitum, & independens esse voluit, atque hanc ob causam omnia vnum esse, & vnum omnia arbitratus est; contra quem temerè inuehitur Aristoteles 1. Physic. damnans eum quòd omnia confuderit. Etenim nec de materialibus rerum principijs egit Parmenides eo in loco, in quo reprehenditur, quæ constat alibi explicasse; sed de principio principiorum omnium Deo, qui vnus quidem est, & solus, & in quo omnia sunt vnum. Etenim in eo sunt omnia, & in omnibus ipse est solus.

Parmenidis de Deo sententia.

Deum igitur per id, quod est, intellexit Parmenides, atque illud ingenitum, & ab interitu alienum, sine principio, sine fine asseuerat, integrum item & vnigenum, seu totum & vnum. Ei etiam conuenire illud simul totum, & quòd in eo nullum locum habeat id, quod non est, & præterea quod diuidi nequeat, sitque immobile in omni specie diuisionis & motus, & quod eodem modo & similiter se habeat, & quod sit extremum, id est, finis omnium; qua de re illud finitum appellat, quasi dicat, absolutum, perfectum, & completum. Finitum enim perfectionem quandam & absolutionem indicare consueuit, ex eo quòd imperfectum quod habe-

Parmenides quo sensu vocet Deum finitum.

betur, id infinitum, hoc est, fine frustrari & egere dici consueuerit. Vnde à posterioribus Theologis infinitum priuatiuè dici solet, quia priuatum est congruenti fine, quo modo infinitam primam materiam dixêre multi, hoc est, debitâ formâ & termino suapte natura carentem. Deum autem, cuius virtutis & potestatis nullus terminus, nullus limes, finis est nullus, negatiuè dixêrunt infinitum. Quare primâ illâ acceptione infiniti, qua infinitum pro carentia perfectionis capitur, Parmenides primum illud Ens noluit infinitum haberi, sed finitum & perfectum; vnde cecinit:

Parmenides.

Permanet id firmum, valida illud namque coërcet
Vis finis.

Quasi nihil ei perfectionis addi possit, cùm nulla re indigeat. *Si enim Deus* (vt inquit Simplicius 1. Physic. comm. 3.) *est id quod est, nullâ re indiget, & est perfectus; quod autem perfectum est, habet finem, & non est expers finis; quòd autem finem habet, finitum est. Finitus ergo est,* id est, completus, *in essentia perfectione, licet virtute infinitus.* Atque hoc modo à Parmenide & Melisso, modò finitus, modò infinitus appellatur. Quod etiam à Bessarione obseruatum est primo libro contra Trapezuntium, licet id optimè explicet citato loco Simplicius, vbi Xenophanis ac Parmenidis sententiam, dicentium vnum esse & finitum principium, cum Melisso concordat asserente illud vnum esse & infinitum; illi enim finitum appellarunt perfectum, quod omnibus finis & termini causa sit, sicut est etiam omnium principium; ille verò pronunciauit infinitum, quia infinitam in eo considerauit tùm in vigore, tùm in duratione potentiam. Indiuisibile etiam illud esse voluit, & simile sibi vndique totum; quod desumpsit à Trismegisto, qui 2. parte Pymandri, sermone primo sic inquit: *Nihil quippe simile eius est, quod dissimile, solumque & vnum est.*

Simplicius.

Finitus quo sensu dicatur Deus.

Trismegistus.

Sed vide quò Parmenidis cognitio peruenerit, vt id quod est, idem manens, & positum quoque per se esse dixerit, non indigum, non egenum? non enim bonorum nostrorum eget Dominus, suumque intelligere idem esse contendit cum Intellectu, & re quæ intelligentia percipitur. Ex omni etiam vndiq; parte integrum nominat, & in totis finibus æquum, instar circuli, qui circumferentiam habet lineis omnibus æqualem. Quâ fortasse ratione moli orbis benè tornati illud persimile asseuerat, vt eius perfectionem, & absolutam in omnibus monstret æqualitatem: sicut enim æqualis est vndique circulus, sic etiam vndequaque vniformis est DEVS. Id autem ab eo poëticè dictum putat Simplicius, sicut etiam ab Orpheo dictum existimat.

Circulus est DEVS, ex Parmenidis & aliorum sententia.

Sed & alij quoque Deum vel circulum, vel circulo similem esse designarunt. Primus enim omnium Trismegistus Deum dixit esse Sphæram Intellectualem. Democritus quoque Deum in igneo circulo contineri demonstrauit ex Gal. lib. de hist. Philosophica. Aegyptij Deum etiam ex circuli hieroglyphico intelligebant, sicut & Persæ Iouem Cœli circulum nuncupabant. Verùm Parmenides id habuit à Xenophane

Præ-

Præceptore, qui Dei ſubſtantiam rotundam eſſe & globoſam aſſeruit, nihilque cum hominibus habere commune, ex Laërtio in vita Xenophanis; omnes ab Hermete, qui hieroglyphicè Deum diuinaque ſemper per circulum expreſſit.

Parmenidis Theologia noſtræ ſimilis eſt.

Hæc igitur altiſſima illa eſt Parmenidis Theologia, noſtræ quidem valde conſimilis, quæ credit Deum à ſe, ex ſe, & per ſe eſſe, eſſeque ingenitum ſine principio, ſine fine, immaterialem, indiuiſibilem, perfectum, æternum, eſſe in omnibus, eſſe omnia, idem ipſum, per ſe poſitum, independentem, inuariabilem, impermixtum, incomprehenſibilem, inæſtimabilem, quod nec ſubſtineri, nec ferri, nec indagari poſſit. Vnde enim, & quò, & vbi, aut quomodo, aut qualis ſit, ignotum eſt, vt præter noſtros Mercurius etiam in Aſclepio ſcriptum reliquit. Ex quibus patet Parmenidem non inter Phyſicos, ſed inter Theologos eſſe numerandum; ſua enim dogmata profundo indigent natatore, vel Platone ipſo teſte in Parmenide. Theologum autem appellant eum, & Xenophanem eius Præceptorem Theophraſtus ex Simplicio, Nicolaus ſimiliter Damaſcius, & Alexander Aphrodiſæus ex eodem; vt profectò accuſandus ſit Ariſtoteles, qui ſcripta illius de Deo vno, ingenito, incorruptibili, æterno, inuariabili, infinito, ad principia naturalia traduxerit, eumque reprehenderit, quòd dixerit principium rerum omnium vnum & immobile.

Ariſtoteles malè repræhendit Parmenidem.

Meliſſi de Deo ſententia.

Meliſſus igitur Parmenidis Præceptoris veſtigia ſecutus eadem profectò de Deo protulit, quem ſimiliter, id quod eſt, appellauit; hoc vnum addidit, quòd nihil de Deo definiendum cenſuit, neque enim illius certam dicebat à nobis haberi cognitionem ex Laërtio. Ipſe autem primum omnium Ens, quod vnum, verum, ingenitum, incorruptibile, infinitum, independens aſſeruit, hac methodo rationis inueſtigauit. Sic enim incepit opus ſuum, vt primo Phyſic. refert Simplicius comm. 18. *Si nihil quidem eſt, quomodo de eo dicitur aliquid tanquam ſit aliquid? Si autem eſt aliquid, aut eſt genitum aut ſemper eſt. Sed ſi eſt genitum; vel genitum ex eo quod eſt, vel ex eo quod non eſt: ſed neque fieri poteſt, vt ex eo quod non eſt, fiat aliquid, nec aliud quidem nihil quod eſt, multò autem magis id quod eſt abſolutè: neque ex eo quod eſt; ita enim illud fuerit id, quod eſt, non autem fiet, aut gignetur. Non gignitur ergo id quod eſt; eſt ergo ſemper id quod eſt. Neque interibit id quod eſt; neque enim fieri poteſt, vt id quod eſt, mutetur in id quod non eſt, neque in id, quod eſt: ita enim manſerit, & non interierit. Non ergo genitum eſt id quod eſt, neque interierit; ſemper ergo fuit, & erit. Sed quoniam quod genitum eſt, habet principium; quod non genitum eſt, non habet principium. Id autem quod eſt non genitum, non habuerit ergo principium. Præterea quod interit, habet finem; ſi quid autem eſt, quod non poſſit interire, finem non habet. Quod autem non habet principium, neque finem, eſt infinitum; eſt ergo id quod eſt, infinitum; ſi autem infinitum, vnum eſt; ſi enim duo fuerint, fieri non poterit vt ſint infinita, ſed inter ſe fines habuerint. Infinitum autem eſt id quod eſt. Non ſunt ergo plura quæ ſunt. Vnum eſt ergo id quod eſt. Atqui ſi vnum eſt, eſt immobile. Id enim quod eſt, eſt ſibiipſi ſemper ſimile; quod eſt autem ſimile, neque perierit, neque maius euaſerit, neque in alium ornatum conuerti poterit,*

Meliſſus.

terit, neque vllo dolore aut molestiâ afficietur. Si quid enim horum in eum caderet, nequaquam vnum esset. Quod enim aliquo motu mouetur, ex aliquo & in aliquid aliud mutatur. Nihil autem erat aliud præter id quod est, id ergo non mouebitur, cùm præsertim nihil sit vacuum eo quod est: non mouetur igitur id quod est, secedere enim non potest, cùm nusquam sit quod est vacuum. Vacuum autem nihil est. &c.

Vniuersam profectò Hebræorum & Christianorum Theologiam in his licuit agnoscere. Deum enim appellat Melissus, sicuti & Præceptor eius Parmenides, id quod est, secutus non tantùm Moysem Exodi tertio, verùm etiam & Trismegistum in Asclepio cùm dixit; *Solus Deus est, & meritò solus ipse in se, & à se, & circum se totus, plenus atque perfectus. Isque sua forma stabilitus est, nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cùm in eo sint omnia, & in omnibus ipse sit solus.* Sic ille. Hac de causa Melissus id quod est, principio & fine carere asseruit, quia ingenitum & à se est. Quod si ingenitum, & nunquam interiturum sit, infinitum meritò dicitur: si infinitum, vnum; neque enim duo, vel plura potuerunt esse infinita, cùm inter se fines habeant: & si infinitum, immobile & sibi semper simile, non diuisum, non fluens, non distinctum, sed totum simul, semper idem, semper plenum, semper perfectum; non igitur mouetur, quia ex aliquo in aliud non mutatur, nec de loco transit in locum, cùm impleat omnia, contineat omnia, ad omnia se extendens: vt enim dicebat Trismegistus. *Extra Deum nihil; extra nihil Deus.*

Melissi Theologia nostræ similis est.

Trismegistus.

Trismegistus

Hæc est illa altissima Melissi Theologia de Deo, quam reprehendit Aristoteles, eam deducens ad Physica. Hoc est illud Ens vnum, quod & Plato quoque tradidit in Parmenide, eius excellentiam celebrans. Hoc etiam est illud vnum, quod Aristoteles, parum sibi constans, in opere quod dicitur Metaphysica, adeo celebrauit exclamans, Deos plures esse non posse, & necesse esse vnum esse Deum. *Multorum*, inquit, *haud bonus est principatus, nolunt enim Entia malè disponi. Vnus ergo sit Princeps, vnus sit Rex.* Hoc idem est Ens illud vnum, cuius Intelligere & Intellectus idem est cum re quæ intelligentiâ percipitur, sicut dixit Parmenides, & à quo illud ipsum mutuatus est Aristoteles tertio de Anima tex. 19. Hoc est illud Ens vnum Parmenidis intransmutabile, simplex, purum, sincerum, & quod nullius eget, à quo mutuatus Aristoteles 1. de Cœlo tex. 100. scripsit. *Diuinum ipsum intransmutabile esse necesse est omne primum, ac maximè summum; neque enim habet prauitatem vllam; neque indigens suorum bonorum vllo est.*

Aristoteles malè reprehendit Melissum.

Sed & Plato in Parmenide hæc eadem ab horum Theologorum fontibus hausta confirmauit, vt vel ex his agnoscas altissimè hos Viros de Deitate locutos. In eo enim Dialogo, in quo de vno edisserit Plato, similia profectò docet, quæ Parmenides & Melissus de Deitate statuerunt. Hæc autem hinc inde per Dialogum illum sparsa sic in vnum collecta sonant ex Camperio libro tertio de Platonica Philosophia cap. primo. *Vnum ipsum* (inquit Plato) *non multa est, nec partem, nec totum, nec principium, nec finem, nec medium habet, infinitum, informeque est, nullo loco circumscribitur,*

Platonis de Deo sententia.

bitur, nusquam permanet, nullo siue loci, siue alterationis motu mouetur, nec vllo modo fit, nec sibi alterius idem aut diuersum est, nec simile aut dissimile, nec æquale aut inæquale, nec antiquum aut nouum, nec in tempore vllo, sed omnino sine tempore, quamobrem nec generatum, nec generatur, nec erat vnquam, nec modo factum est, nec fit, nec est, nec post fiet, nec generabitur, nec erit, nec substantiæ particeps seu Princeps est. Ista enim verba, erat, fiebat, generatum est, præteritum tempus significant; erit autem, & fiet, & generabitur, futurum; est verò, & generatur, & fit, præsens. Quod autem nulli subiacet tempori, id nec erat, nec est, nec erit. Ex quo fit, vt nullum etiam nomen ei inditum sit, nulla definitio detur, nulla scientia, nec dicitur, nec cogitatur, nec cognoscitur, nec ab aliquo ente sentitur. Hæc Platonis verba sunt in Parmenide, licet ex multis pauca collecta.

Plotini de Deo sententia.

Sed & Plotinus libro quinto Enneadis 6. hoc ipsum multis confirmauit, probans quòd Ens vnum idemque existens simul sit vbique totum. Quæ profectò à Parmenide & Melisso deprompta, Plato primus accepit, atq; ipse postmodum tanquam à Theologicis fontibus hausta, propalauit. Multis etiam ibi probat, omnia vnum esse, vt Parmenides Melissusque dicebant, non quidem indiuiduali essentiæ vnitate; id enim nullus dixisset; sed quia omnia sint in vno tanquam in idea, & ab vno tanquam à principio effluant, & ad vnum tanquam ad finem naturali quadam desiderij inclinatione reducantur & confluant. Plura ibi de his, quæ altissimæ huic Theologiæ consona, reperies, quam Parmenides & Melissus tradiderunt.

Delphici templi inscriptio.

Templum Delphicum, Plutarcho teste, hanc inscriptionem præferebat, Εἶ: id est, *Es*; in quod ingredientes Deum salutantes dicebant εἶ, id est, *Tu es*; quasi dicerent, Tu solus vnum es, in quo nihil prius est, nihil posterius, nihil futurum, nihil præteritum, nihil antiquius, nihil recentius; sed vnum cùm sis & verum Ens, in vnico nunc sempiternam imples durationem, & huius ratione quod esse dicitur, verè es, non futurum, non præteritum, neque ortum, neque desiturum. Quibus omnibus Orthodoxi Scriptores consentiunt.

Non sine causa itaque Ægyptij incomprehensam Dei naturam expressuri Sigalionem pingebant puerum digito silentium suadentem, quo innueretur, Deum incomprehensum non tam curiosa inuestigatione, quàm sacro silencio colendum & adorandum. Verùm qui hæc omnia luculentiùs cognoscere desiderat, is adeat Sphyngem Mystagogam, Arithmeticam, & Geometriam, vti & Musicam, & Theologiam hieroglyphicam, vbi omnia de Deo, de bonitate, prouidentia eius, & quomodo ab vno igne omnia, quomodo in creaturas influat, amplissimè iuxta mentem Veterum hieroglyphicè descripta reperiet. Quæcunque enim dicti Authores de diuina natura fusè tradiderunt, illa omnia ex columnis Mercurij processisse is solus nescire poterit, qui interpretationes hoc Opere allatas non penetrauerit.

Con-

Consectarium.

EX dictis patent Illationes illæ sequentes. Si Deus bonum, vnum, principium & primum est, ergo ante primum nihil, post primum omnia, à principio omnia, à bono omnia, à supremo triuno Numine omnia: ab vno vnitas primæua, ab vnitate primùm vnitates omnes, ab vnitatibus essentiæ, ab essentijs vitæ, à vitis mentes, à mentibus animi, ab animis naturæ, à naturis qualitates, à qualitatibus formæ, à formis corpora; hæc omnia in Mundana hac vniuersi domo continentur; per quæ quidem omnia à primo ad vltimum descensus, & ex vltimo ad primum ad Deum ascensus reditusque paratur. Ecce totius Ægyptiacæ Philosophiæ compendium. Theologiæ Ægyptiorum compendium

§ II.

De triuno principio Aegyptiorum dogmate.

ÆGyptios triunum rerum omnium principium credidisse, quod & triforme Numen vocant, è Suida passim ostendimus, quod & globo alato Serpente fœto hieroglyphicè exprimebant. Hoc dogma omnes ferè Pythagoricæ & Platonicæ Scholæ sectatores amplexati sunt. Quo modo autem triunum in vno cognouerint, aperiam. Triunum Deum Ægyptij cognouerunt.

Ex Hermeticis fragmentis colligitur, à principio, ab vno, à Deo facta esse omnia; sine principio enim factum est nihil; principium autem ex nullo, nisi ex seipso; at principium, vt demonstratum est, vnum ipsum est, vnum quoque & μονὰς apud eundem Hermetem idem sunt, ἡ γὰρ μονὰς πάντων οὖσα ἀρχὴ, καὶ ῥίζα, ἐν πᾶσιν ἐστὶ. *Est enim Monas omnium principium, & radix in omnibus existens.* Monas ergo cùm principium sit, omnem numerum continet, à nullo contenta; omnem numerum generat, à nullo alio numero genita. Vnde non sine ratione ab Hermete μονὰς πατρικὴ, *Monas paterna* dicitur; si paterna est, ergo generat; at quid? id nimirum, quod post ipsum primum est natura, duo videlicet. Duo ergo ante omnia generat Monas. Τάναν ἐστὶ μονὰς, ἣ δύο γεννᾷ, *protensa est Monas, quæ duo generat*, dicit Zoroaster; quam & dyadem nominat apud Patrem sedentem, δύας γὰρ παρὰ τῷ κάθηται, *Dyas verò apud hunc sedet*; Monas itaque dyadi iuncta triadem constituit, quam vbique fulgere docet, παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριὰς, ἧς μονὰς ἀρχὴ, *Toto enim Mundo trias fulget; cuius Monas Princeps est.* Tota autem hæc Monas iuxta eos tria principia euadit (quia tria hæc vnum principium sunt: quæ Mundo dominantur, vt omnia eis seruiant: ἀρχαῖς γὰρ τρισὶ τὰς δὲ λάβεις δουλεύειν ἅπαντα, *tribus enim hisce principijs, accipias, seruire omnia.* Hinc Monadem illam sæpe patrem vocat, & primum principium, secundum verò πατρικὸν νόον αὐτογένεθλον

Monas omnium principium & radix quomodo.

Dyadem generat Monas.

Zoroaster. Zoroastri de Trinitate sententia.

potentiam patris nominat, his verbis, οὐ δὲ ἐν ἑῇ δυνάμει κλείσας ἴδιον πῦρ. *Neque in sua potentia clausit proprium ignem.* Tertium verò principium Mentem secundam vocat, πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ. *Omnia perfecit Pater, & Menti tradidit secundæ.* Mentem vocat secundam, quia illa αὐτογένεθλος per se & ex se genita est prima, estque terminus fundi paterni, ita tamen vt maneat in fundo paterno, μήτε προῆλθεν ἀλλ' ἔμενεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ· Hanc prætereà αὐτουργὸν καὶ τοῦ πυρὸς τεχνίτην κόσμου, καὶ τοῦ νοῦ νόον. *Ex se ipso operantem, Mundi artificem, Mentem Mentis* vocat. Trismegistus verò πάντων τὸν κύριον, καὶ Θεὸν, καὶ πηγὴν, καὶ ζωὴν, καὶ δύναμιν, καὶ φῶτα, καὶ νοῦν, καὶ πνεῦμα, vocat, & in vnitate trinum his verbis asserit: *Vna sola lux fuit intellectualis ante lucem intellectualem, & fuit semper Mens Mentis lucida: & nihil aliud fuit huius vnio, quàm spiritus omnia connectens, semper in se existens,* ἀεὶ τὸν ἑαυτὸν νῷ, καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχων· *Semper sua Mente, & luce, & spiritu cuncta continens.* Vbi sanè per mentem, lucem, spiritum nihil aliud innuere videtur, nisi Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Et hoc ita eum sentire, expressè docet citato loco. *Ex mente, inquit, prima lucidum Verbum Filius Dei, idem cum Patre,* οὐ γὰρ διΐσταται ἀπ' ἀλλήλων· ἕνωσις γὰρ τούτων ἡ ζωή. *Neque enim distant à se inuicem, sed vnio eorum est vita,* & alibi quoque eam τῷ δημιουργῷ ὁμοούσιον, id est, Patri consubstantialem dixit. Mentem verò cum Verbo septem condidisse, ait, Rectores, qui sensibilem Mundum circulis continent. Ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ προελθὼν παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς ἐν γονίμῃ φύσει πεσὼν, καὶ γονίμῳ ὕδατι, ἔγκυον τὸ ὕδωρ ἐποίησε. *Verbum enim ex eo procedens perfectissimũ existens, in fœcundam naturam decidens, generatiuam aquam grauidam fecit.* Τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιουργὸς ὁ πατὴρ, οὐ χερσὶν, ἀλλὰ λόγῳ. *Vniuersum fecit Mundum Conditor Pater, non manibus, sed verbo.* Atque hæc sunt vetustissima omnium sacræ Theologiæ dogmata, à Zoroastre & Hermete (quos nos tamen in Obelisco Pamphilio confudimus) Mundo primæuo propalata; vt proinde hanc doctrinam non immeritò Proclus θεοπαράδοτον, καὶ θεόδοτον, *à Deo traditam & datam* asserat. Hanc SS. Patres nullo non tempore veluti ab hominibus diuino spiritu afflatis eructatam admirati sunt. Orpheus deinde huius doctrinæ illustratus splendore, & is triadem hanc agnouit, quam Phanetam, Vranum, Cronum, vnum Numen tribus distinctum nominibus, asserit; Plato verò tres Reges appellauit, & Theologia Ægyptiaca, à Platone oretenus tradita, ab Aristotele propalata, his verbis dicta confirmat. *Ideo nos asserimus, quòd Deus creauit Intellectum primum, & constituit eum Procreatorem aliarum rerum; creauit autem eum medio Verbo; quomodo? neque enim inter Deum & Intellectum aliud medium intercedit nisi Verbum, quod & fuit coagens Intellectus.* Atque ex hisce Authoribus plerique Platonici sequentium sententiarum suorum de tribus principijs tractatuum occasionem sumpserunt; vti Porphyrius, Plotinus, Iamblichus, Proclus, Syrianus, & Damascius; in quibus tametsi inter se in tribus hisce principijs dissenserunt, omnes tamen in hoc consensisse videntur, quòd hæc tria rerum omnium, & Mundi totius facerent principia seu tres substantias conditrices.

Trismegisti de Trinitate sententia.

Trismegisti de Mundi creatione sententia.

Proclus.

Orphei & Platonis de Trinitate sententia.

Aristoteles.

Platonicorum de Trinitate sententia.

Sed quomodo primi iſti Theoſophi ad tantam ingenij illuſtrationem prouecti fuerint, meritò cuipiam mirum videri poſſet. Sed qui noſtra paſſim in hoc Opere tradita legerit, is facilè à concepto dubio liberabitur. Cùm enim Hermetem è Chananæa ſtirpe, & Abrahamo σύγχρονον paſſim demonſtrauerimus, fieri non potuit, quin multa curioſum & omniſcium ingenium, ab ijs de vera & recta Theologia, quam oretenus à protoplaſto profectam, & continuâ ſucceſſione vſque ad Noëmum deriuatam habebant (inter quæ diuinæ reuelationis ſacramenta non infimum erat, Sacroſanctæ Triadis myſterium) expiſcatus fuerit: quæ deinde varijs ſymbolorum inuolucris veſtita, poſteris tradiderit. Triunum hoc Sacroſanctæ Triadis Numen omnes Veteres Philoſophi, inſuperabilem, incomprehenſibilem, ſemper & vbique exiſtentem, æternam, infinitam potentiam & mentem dixerunt, Ægyptios ſecuti. Inſuperabilis potentia eſt, quia infinita virtute pollet, ideóq; comprehendi non poteſt. vbique & ſemper exiſtit, qui omnia implet infinitâ ſuâ exiſtentiâ. Hinc Orpheus, *Qui omnes Mundi partes contines, generationis expers*; & Virgilius, *Iouis omnia plena*. Cùm itaque omnia vi ſuâ impleat; omnibuſque inſit, vitam motumque præbendo ſingulis Mundi corporibus; hinc non ſine ratione Dionyſius eundem κόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, ὑπερουράνιον, καὶ ὑπερούσιον. *Mundanum, circamundanum, ſupramundanum, ſupercœleſtem, & ſuperſubſtantialem* vocat; quem & Aſtrum, Solem, Ignem, Aquam, Spiritum, Rorem, Nubem, Lapidem, omnia exiſtentia, & nihil exiſtentium appellat, & ſic omnia implens, omnia circumſonare facit. Quod idem & Ægyptij ſenſerunt.

Triunum Sanctæ Triadis Numen quale ſecundum Aegyptios.

Dionyſius Areopagita.

Quomodo verò Deus Optimus Maximus in triplicem Mundum, Angelicum, Sidereum, & Hylæum, per concatenationem Numinum euoluatur; quomodo eadem, & quibus cœremonijs ſingula catenarum Mundialium Numina allicienda ſint; quibus ritibus ac ſacrificijs, ſi quandoque irata fuerint, placanda ſint; ex omnigena Orientalium tùm Theologorum, Philoſophorumque, tum Poëtarum eruditione paſſim toto hoc Opere declaratum eſt.

Cùm itaque hieroglyphicæ doctrinæ inſtitutores alium ſcopum & intentionem non habuerint, niſi per occultum hunc ſacrorum ſymbolorum contextum, ad ſupremum Numen, mundialeſque Intelligentiarum catenas analogum, id efficere, vt diuinitatis Geniorumque eidem connexorum influxum per ritus & ſacrificia ſimillima, non in publicum duntaxat, ſed & priuatum bonum deriuarent, atque adeo hæc totius Sapientiæ Ægyptiacæ, id eſt, hieroglyphicæ doctrinæ ſumma omnium conſenſu fuerit, eamque nos in hoc Opere expoſuerimus, vti ex innumeris authoritatibus conſtat; certum eſt, hanc noſtram interpretationem veram & genuinam eſſe, neque ab intentione Hieromantarum diuerſam.

I.

Expiatio Mentium apud Aegyptios ad diuinorum influxuum receptionem necessaria.

Animi purgandi cura apud Aegyptios.

QVoniam verò finem propositum, quæ θεομόρφωσις seu θεοληψία erat, quâ Deo penitus se conformatos, bonorum omnium scientiarumque felicitate beari credebant, sine castis & religiosis actionibus, bonorumque operum exercitio, nullâ ratione se consequi posse nôrant; hinc tanto studio ijs incubuerunt, quanto nullam aliam Nationem fecisse legimus. Verùm hæc omnia ex varia eruditione probemus, eo ordine, quo ea Pansa, non ignobilis Author, retulit.

* Pansa.

Cœterùm purgandum esse à vitijs animum, vt similis Deo quis efficiatur, prisci omnes monent Sapientes. Sic enim diuinorum nobis innotescet cognitio. Extat Lysidis Pythagorei epistola ad Hipparchum de purgatione ante Philosophiam necessaria, quâ docet omnia vitia ab animis expellenda, vt quis veram nanciscatur humanarum diuinarumque rerum cognitionem. Plato certè existimauit necessariam esse successiuam & continuatam quandam animi purgationem, antequam ad altissima philosophiæ admittamur mysteria: quod in principio Septimi de Republica docuit, dum homines in tenebrosa specu nutritos ad splendidissimum Solis iubar aspiciendum protrahere volebat. Clariùs autem in Sophista vniuersam hanc purgationem declarauit atque distinxit, vbi purgationem hanc nihil aliud esse demonstrauit, quàm quod prauum est, ab animo eijcere, reliquum verò seruare; discurritque ibidem, quomodo duæ sint prauitatis species in anima, Improbitas scilicet & Ignorantia, quibus animi impediuntur, nè ad altissimarum rerum cognitionem ascendant. Primus autem omnium id Trismegistus asseruit, dum in primo sermone Pimandri interrogatus, quo pacto quis ad vitam possit ascendere, respondit, id fieri posse, cùm homo mentis particeps seipsum animaduerterit: neque enim omnibus esse mentem, sed ijs tantùm, qui pij, boni, puri, religiosi, sanctique sunt, quique concedunt corpus morti suæ, sensuum illecebras fastidientes, lethifera putantes sensuum lenocinia, aditum turpibus blanditijs intercludentes, libidinumque fomites extinguentes; contra verò abesse ab ignaris, inuidis, improbis, ignauis, iniquis, homicidis, & impijs, & ab eis procul admodum habitare.

Animi purgatio necessaria ante Dei illuminationem.

Quibus ex verbis habemus clarissimè, ante Dei illuminationem, necessariam esse animi purgationem quandam, quæ ab affectu in Deum directo, exordium sumere solet. siquidem apud Platonem quinto de Repub. Philosophia nihil aliud, quàm ipsum Deum meditatur; nec enim in alijs, quàm in ipsius Boni, Verique scientia Philosophia versari debet, cùm sit ipsa Dei donum, vt Plato ait in Timæo.

I I.*

Silentium necessarium.

CONsistit autem hæc animorum purgatio non solùm in vitiorum ab animis expulsione, verùm etiam in conuenienti mysteriorum taciturnitate. Secreta enim Philosophiæ non omnibus sunt diuulganda. Vulgarium etenim animarum oculi nequeunt radios diuinitatis sufferre, vt dicebat Melissus. Ob id Pythagoras æquè impios & iniustos putabat, qui Sapientiæ dona ijs, qui nè per somnium quidem mundati purgatiq; essent animis, communia fecissent, illos quoque qui Eleusinæ Deæ mysteria prophanis exposuissent. Non enim fas est quibusuis offerre, quæ tantis laboribus comparata seruantur. Quod & Christus Dominus docuit dicens, non esse dandum Sanctum Canibus, nec proijciendas Margaritas ante Porcos, Matthæi 7. Hanc ob causam Hipparchum Pythagoricum ferunt accusatum, & expulsum ex Schola, & propter ipsum tanquam propter mortuum factam esse columnam, quòd apertè scripsisset decreta Pythagoræ, quæ ipse semper celauerat, vt testis est Clemens lib. 5. Stromatum, & Nazianzenus in epistola ad Nissenum, nec non Cantherus libro primo variarum lectionum cap. 12. Quin etiam & Plato in epistola secunda ad Dionysium idem asseuerat, quo in loco de non vulganda omnibus Sapientia, & de habenda animi purgatione luculenter edisserit. Ait enim *inuestigationem diuinorum non rectè factam, id est, non debitis tùm purgationis, tùm disciplinarum gradibus instructam, malorum omnium esse causam, quod videlicet qui sic inuestigant Deum, tandem eò perueniant, vt vel negent Deum esse, vel de Deo affirment, quæ non sunt Dei.* Sic ille. Hac de causa Pythagoras, quem Plato in omnibus veneratur, sacra doctrinarum mysteria ab exactissima mentis expiatione exordiebatur, & Plato similiter præcipit, nè arcana efferantur in vulgum, nè vulgus accepta peruersè vel contemnat, vel incidat in errores. Arcana autem Deitatis tutiùs ibidem censet verbis committenda quàm literis, literæ namque cuiuis communia faciunt. Quibus verbis Plato antiquam Iudæorum consuetudinem secutus videtur, qui mysticum legis sensum ab ipso Deo per Moysem non tam literis traditum, quàm animis commendatum asseuerant. Pythagorici certè id obseruabant, & Pythagoras ipse publicè vetuit philosophari, vt Author est Lysias in epistola ad Hipparchum. Quinimò Damæ filiæ suæ propositis monumentis, ea cuipiam extra familiam tradere vetuit. Illa verò cùm multis pecunijs vendere huiuscemodi libros posset, noluit, sed egestatem & parentis mandatum auro potius esse & antiquius iudicauit. Aiunt autem eandem morituram Bistaliæ filiæ suæ hoc idem præceptum dedisse, atque id omne, nè Deitatis mysteria omnibus communia fierent.

Animi purgatio in quo consistat.

Mysteria diuina sunt celanda.

Clemens. Nazianzen. Cantherus. Plato.

III. *Mo-*

III.

Modus & ratio in purgatione seruanda.

Animus quomodo purgandus.

VErùm nunc quomodo purgandus ſit animus, diſſeramus, vt diuinorum nobis innoteſcat cognitio. Audiendus itaque imprimis eſt Triſmegiſtus in 7. Serm. Pimandri, dum in hunc modum loquitur. *Imprimis autem oportet* (inquit) *veſtem, quam circumfers exuere, quod eſt indumentũ inſcitiæ, prauitatis fundamentum, corruptionis vinculum, velamen opacum, viuam mortem, ſenſitiuum cadauer, ſepulchrum circumuectile, domeſticum denique furem; qui, dum blanditur, odit; dum odit, inuidet. Huiuſcemodi eſt quod circumfertis vmbraculum inimicum. Ad ſe ipſum te deorſum raptat, nè fortè conſpiciens veritatis decorem ac proximum bonum; huius oderis prauitatem, nè huius inſidias, quas in te aſſiduè machinatur, aliquando perſentias. Hoc aciem interiorum ſenſuum hebetat atque obtundit, craſſa illam materia ſuffocat, abominabili faſtidioſaque inebriat voluptate, ne audias vnquam, neuè perſpicias ea, quæ iure & audienda ſunt, & imprimis inſpicienda.* Sic ille. Exuere igitur oportet veterem hominem, deponereque corporis ſenſualitatem, vt quis purgatus animo diuina valeat intueri; ſed nec iſta ſufficiunt, attollendus eſt in Deum animus, atque vt ita dixerim, deificandus, vt quis Deum intelligere valeat. Ob id rurſus in ſecunda parte Pymandri Serm. 1. ſic exclamat Triſmegiſtus. *Niſi,* inquit, *te Deo æquaueris, Deum nunquam intelliges. Nam ſimile ſemper à ſuo ſimili cognoſcitur.* Sic ille. Quid eſt autem Deo ſe æquare, niſi Deo inhærere, & vnum cum Deo fieri? *Qui adhæret Deo,* inquit Paulus, *vnus ſpiritus fit cum Deo.* 1. Corint. 6. Adhæremus autem Deo maximè per animi rectitudinem, non vt Stoici voluerunt, & præſertim Chryſippus, qui in lib. de Natura voluit nullum Sapientem à Ioue ſuperari, atque ob id rectitudinem, quâ vir bonus operatur, Dei æqualitatem exiſtimans, ſed vt per gratiam Deo coniunctus ea faciat, quæ Deus iubeat, quæue fieri iudicet & exoptet. Pythagoras autem adæquationem hanc traxit ad tranſmutationem in Deum, dum ſic in aureis ſuis Carminibus cecinit.

Triſmegiſtus.

Triſmegiſtus.

Mortificationis ſtudio purgatur animus

Pythagoras.

Cùm autem relicto corpore ad æthera liber iueris,
Eris immortalis Deus incorruptibilis, non autem mortalis.

Hoc autem ſumpſit a Triſmegiſto, qui in primo Serm. Pymandri ſic ſcriptum reliquit. *Atque,* inquit, *id eſt, ſummum bonum eorum, quibus cognoſcendi ſors competit, Deum ſcilicet fieri.* Exuendus igitur à corpore animus, non per veram ſeparationem, ſed per voluptatum ſenſibilium mortificationem, vt diuina quis valeat intelligere: & vt in Deum poſſit tranſmutari, deificandus eſt animus, hoc eſt reddendus Deo quàm ſimillimus; vnde & Zoroaſter in Oraculo dixit. *Homo quodammodo Deum trahit in ſeipſum, quando nihil retinens mortale, totus diuinis hauſtibus ebriatur.*

Tran-

Transit igitur in Deum homo per separationem à carnis illecebris, transit etiam & per fidem, iuxta Ioannis Theologiam, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, Ioan. 1. Vnde & hi filij Dei dicuntur per adoptionem, iuxta illud ad Romanos 8. *In quo clamamus Abba pater*. Pulchrè autem id Mercurius edisserit in 2. par. Pymandri Serm. 1. vbi de hac adæquatione cum Deo verba faciens sic loquitur. *Extende te ipsum in magnitudinem sine termino, emerge ex corpore, totum supergredere tempus, æternitas esto. Sic Deum denique noueris*. Quo in loco non solùm animi purgationem insinuat, verùm etiam & realem animi separationem à corpore, quam Græci extasim, Hebræi verò osculum mortis appellant. Sequitur autem purgatio hæc secunda priorem. Verùm quod attinet ad vitia deponenda, animumque in altissima subleuandum, audi quomodo id Mercurius expresserit in decimo Serm. Pymandri. *Impossibile ô fili*, inquit, *animam hominis in corporis fœce iacentem diuinam assumere formam, neque licet etiam Dei pulchritudinem intueri, nisi quis inde in Deum fuerit reformatus*. Vide quomodo à corporis fæce resurgendum asserat, & in Deum hominem reformare iubeat, vt diuina valeat intelligere. Zoroaster animi expulsores aduocandos voluit in Oraculis, vt quis diuinam assumere formam possit; sic enim scripsit. *Animi expulsores aduoca*. Quod dictum est, quia cùm duo præcipuè animi morbi sint, ignorantia videlicet, & malitia seu improbitas, qnod in Sophista docuit Plato; duo quoque requiruntur expulsores, aut Medici constantes, doctrina videlicet atque vitæ puritas; doctrina autem non omnis, sed cœlestis & diuina, qua accedente DEI in nos descendit cognitio, propulsatâ ignorantiâ. Hæc maximè consistit in Fide, nam diuina nisi credantur, non intelliguntur.

Trismegistus.

Zoroaster.

Animi expulsores duo requiruntur ad purgandum ipsum.

Et nè quis in hac expositione eum existimet somniare, audiendus est etiam Proclus qui hæc ita confirmat. *His qui ad summum bonum peruenire cupiunt, non scientiâ & exercitatione ingenij opus est, sed animi firmitate, quiete & tranquillitate, quæ quidem diuina Fides est, quæ nos ad summum bonum diuinaque omnia ineffabili ratione trahit atque coniungit. Profectò non per scientiam aut actionem vllam ingenij exquirere summum bonum, aut ad ipsum aspirare debemus, sed offerre commendareqne nos diuinæ luci, & præclusis sensibus in illa cognita & occulta Entium Vnitate quiescere. Hoc enim fidei genus omni doctrinâ antiquius est*. Hæc Proclus altissimè de fide ad Deum cognoscendum necessaria scripsit, vt proinde multi à S. Paulo eruditum, vtpote ei synchronû, opinentur, verùm idipsum veriùs accepit à Trismeg. qui in nono Serm. Pymandri, Fidem volenti Deum intelligere necessariam docet, non secùs ac Paulus, qui captiuandum in fide intellectum voluit; sic enim habet Mercurius. *Intelligere enim Deum, credere est; & non credere, procul dubio ignorare*. & paulò inferiùs. *Nam quæ de diuinis dicuntur, intellecta creduntur quidem, non intellecta negantur*. Plato certè in Theæteto fugiendum à Mundo in Cœlum docuit, vt Deo quis simillimus euadat; sic autem habet. *Quippe tentandum est, vt hinc eò quàm ocyssimè fugiamus*, & seipsum, quid per fugam intelligat, declarans, subdit:

Proclus.

Trismegisti de credendo sententia.

Plato.

Fuga è Mundo quid secundùm Platonem.

dit. *Est autem fuga ipsa Dei similitudo, quantum in nobis est: similitudo autem, vt cum prudentia sancti & iusti simus.* Hæc est altissima Platonis Theologia de præparatione ad intelligendum Deum, & ea quæ Dei sunt; necessaria, scilicet vt iusti & sancti simus; & in sexto de Repub. dixit, *Hominem reddi Deo similem, cùm diuina imitatur.* Hinc Deo similem dixit hominem temperatum, intemperatum verò dissimilem in suo de legibus libro. Quo factum est, vt Theodoretus lib. Græcarum affection. 11. dixerit, finem bonorum statuisse Platonem, vt quantum in nobis sit, Dei similitudinem acquireremus, sic enim Deum poterimus intelligere.

I V.

Crater purgationi necessarius.

Trismegisti locus enodatur.

POstquam autem in id incidimus, enodandus est Mercurij locus in quarto serm. Pymandri, quem in Timæo secutus est Plato. Scribit enim ibi Mercurius, *Deum sermonem quidem omnibus hominibus fuisse impartitum, Mentem verò nequaquàm, non quia inuiderit, omnis enim ab eo liuor abest, sed quia voluit eam tanquam certamen præmiumque animarum in medio proponere. Craterem igitur patulum Mente implens, præconem misit iubens talia quædam animis hominum nuntiare: Mergat seipsam in hanc pateram quæcunque potest, quæ videlicet credit craterem animam ad eum, qui dimiserat reducturum; quæue finem noscit, cuius gratiâ nata fuerit. Quicunque igitur præconium exaudierunt, seque merserunt in Mentem, ij cognitionis participes effecti sunt, Mentemque suscipientes in homines perfectos euasêre. At qui præconium neglexerunt, ij sermonis quidem participes, Mentis autem expertes relicti sunt, ignorantes, & cuius gratiâ, & à quo geniti fuerint.* Sic ille. Sublimis hæc est Mercurij Theologia & omni speculatione dignissima. Etenim Mentem nominat radium diuinum, quo præter rationalem discursum à quo sermo prouenit, illustrantur homines, de quo Ioannes ait cap. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* Aristoteles 3. de anima vocat Intellectum agentem. Plotinus verò Intellectum simpliciter, & ante hos Dauid lumen, cùm dixit Psalmo 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Pythagoras eodem similiter luminis nomine nuncupauit. Augustinus verò vocat portionem superiorem. Hebræi Nessemah, vel spiraculum vitarum. Hæc igitur Mens, radius seu lux non data est omnibus, licet vt Mercurius edisserit 4. serm. Pymandri, vna habitet cum animis hominum mente carentibus, nam etsi omnibus insit, non tamen ab omnibus deprehenditur, vt cap. 9. de Pulchro Plotinus testatur, vbi eam vocat oculum, dicens: *Quem oculum habent quidem omnes, vtuntur verò pauci.* Quod Ioannes ante dixerat capite primo. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vocatur & à Christo Regnum Dei, quod nihil aliud est, nisi habitatio diuinitatis in nobis, per lumen & amorem Dei nobis reuelatum. Quod profectò lumen cùm Christus nobis attulerit, non immeritò de se

ipso

ipſo loquens dixit Ioannis 17. *Regnum Dei intra vos eſt*. Quod quidem Regnum ante omnia quærendum eſſe idem monuit dicens Matthæi 6. *Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis*; Lumen autem iſtud vocatur Regnum, quia diuinum illud, quod in nobis habitat, à loco venit, qui apud ſecretiores Theologos Hebraicè dicitur Malchut, quod Regnum ſignificat, nam per virtutem in nobis habitantis Deitatis Reges ſumus, & omnibus dominari & imperare poſſumus, iuxta illud Lucæ 9. *Ecce dedi vobis* (per communicationem videlicet diuinitatis) *poteſtatem calcandi ſuper Serpentes & Scorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici*. Vocatur etiam vita æterna, iuxta illud: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum*, Ioan. 17. Cognitio ergo Deitatis Mens eſt, ſeu lumen diuinum, lux inquam, quâ omnes homines illuminantur; vnde Dauid; *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Hâc igitur Mente ſeu Lumine Craterem patulum impleuit Deus, inquit Mercurius, præconemque miſit, vt animis nunciaret ſeſe in illum mergerent; vt ſic & Mentem & Sapientiam nanciſcerentur. Eſt autem Crater patulus, affluens & ſuperabundans diuinarum humanarumq; rerum cognitio, quem in Verbo condidit Pater, *in quo* (vt inquit Paulus) *ſunt omnes theſauri ſcientiæ* & ſapientiæ Dei. Præco autem clamans ille nobis innatus eſt appetitus & cupiditas ſciendi, de qua dictum eſt ab Ariſtotele 1. Metaphyſ. Omnes homines naturâ ſcire deſiderant, vel eſt Veritas ipſa, quæ ſola eſt pabulum animæ, incredibili quâdam iucunditate refertum; vel eſt ſynderesis hortans & impellens ad bonum. Quicunque igitur ſe in Cratere immerſerunt, Mentem conſecuti Deum cognouerunt. In hoc igitur Cratere immergendus & abluendus eſt animus, vt ad diuina valeat peruenire. Et vt apertè & detecto velamine loquar, Crater Mentis plenus, eſt Filij cognitio, per quem ſolum ad Patrem aſcendimus; *Nemo enim nouit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*; & rurſus: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, Ioann. 14. Hunc igitur priùs cognoſcendum, ad hunc animum priùs applicandum monet Mercurius, vt cœtera, quæ de Deo ſunt, valeamus intelligere. Hoc enim Verbum Dei, Dei Nuncius & Interpres non aliam ob cauſam venit in Mundum, niſi vt nomen Patris manifeſtaret hominibus. Hic poteſt animam reducere; vnde venit, vt Mercurius ediſſerit.

Malchut quid

Conſtat autem Mundus duobus Crateribus, vt priſci monent Sapientes, quorum vnus ſuperior eſt, in quo omnia munda ſunt, eſtque Mundus ille intelligibilis & exemplaris, ad cuius ſimilitudinem factũ hunc Mundum ſenſibilem teſtatur Platò in Timæo, de quo dixit Chriſtus Ioann. 8. *Regnum meum non eſt de hoc Mundo*. Regnum ſuum illius Mundi ſuperioris affirmans, quod alibi vocat Regnum amicis præparatum. Crater alius eſt inferior, rerum ſenſibilium cognitione pleniſſimus, de quo qui plùs bibunt, plùs ſitiunt, & in quo omnia immunda ſunt, veluti bona malis admixta. Qui igitur ex primo Cratere biberit, ad quem inuitat Mercurius, *fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Qui verò ex ſecundo, ſitiet iterum. In primo autem Cratere quis bibere non poteſt, niſi priùs ſuum

Mundus conſtat duobus Crateribus ſuperiori, in quo omnia munda, inferiori, in quo omnia immunda ſunt.

Mercurius.

corpus oderit atq; conculcârit, quod ibidem innuit Mercurius dicens: *Nisi priùs, ô fili, tuum corpus oderis, teipsum amare poteris, quàm primum verò teipsum dilexeris, Mentem protinus consequeris*. Quod sic accipiendum est, vt quis verum hominem, qui est anima rationalis iuxta Platonem, amare non possit, nisi suum contrarium hominem scilicet animalem odio habuerit, quod & Christus ipsemet docuit Ioann. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam*. Huius autem rei illa adducitur ratio à Mercurio ibidem, quod impossibile sit, vtrisque simul intendere mortalibus atque diuinis; vnde & Christus ipsemet dixit Matthæi 6. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ*. In hoc igitur Cratere diuinitatis immergendus est animus.

Ex hac ablutione in Cratere quam posuit Mercurius, morem ablutionis traxêre Gymnosophistæ, quibus interdiu ter, noctu verò bis lauari aquâ frigidâ sanctum fuit, priusquam possent veneranda sacrorum penetralia ingredi. Erat ijs pariter linea vestis quotidie recens abluta, nam lanam prophanum vestitum arbitrabantur, quippe tanquam belluinæ sordis excrementum pecori detractum. Idem obseruarunt Indiæ Sapientissimi, quos Brachmanas vocant. His enim in quodam fonte lauari mos fuerat exutis vestibus, oblito priùs capite guttis electricis & odoribus ei rei aptis, deinde postquam se pro ritu satis mundos putârant, exibant circa meridiem quantocyùs ad sacra illic in Chori speciem, vestiti lino candido, & mitra alba, in digitis ferentes anulos, & baculos gestantes manibus, quæ munditia corporis & amictus, aliaq; similia, animi quoque puritatem adiuuare non parum credebantur. Hinc cecinit Hesiodus in libro, cui nomen est *Opera & Dies*.

Hesiodus.

Mane Ioui, ac reliquis superis libare caueto
Illotis manibus. Dij sordida sacra recusant.

Homerus.

Morem hunc diligentissimè in suo Opere obseruauit Homerus, dum enim describit Thelemachum Palladi supplicaturum, illum in æquore priùs inducit manus lauare, & dum matrem Achillis Thetidem Iouem producit exoraturam, illam maris fluctus exuere facit. 6. etiam Iliados sic cecinit.

Non decet illotis manibus libare superno
Vina Ioui, pudor hoc probibet fecisse, cruore
Turpatum me, & cæde Virum Dijs fundere vota.

Maro.

Sed & Maro noster Homeri Simia id ipsum varijs in locis sui Operis obseruauit, 2. præsertim Æneidos, dum cecinit.

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates
Me bello è tanto digressum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Ablu-

Ablutiones igitur corporis apud gentes symbolum erant ablutionis in mente, vt ex his quæ scripsimus, elici potest. Existimarunt enim Antiqui eandem esse animi & corporis purgationem, vt cùm quis in flumine manus aut corpus abluisset, purus statim efficeretur. De hac autem re sic scribit Anticlides lib. 74. redditnum. *Erat*, inquit, *Antiquorum mos, qui nunc etiam seruatur, vt qui cædem hominum vel aliorum animalium commisissent, perenni aquâ manus abluerent ad commissi piaculi lustrationem. Non modò autem ad aras accedere pollutis non licebat, sed neque Deos quidem precari, qui omnem iracundiam siue indignationem in impurè precantes conuertebant.* Cuius rei testis est Tymarchides in libro de Coronis, qui Asterium fulmine fuisse percussum cecinit, quia manibus impuris aram Iouis attigisset. Sic autem habet. Ablutio corporis symbolum ablutionis in mente. Anticlides. Tymarchides.

Illotis manibus libans Iouis attigit aram
Quo pater hunc vssit flagrantis fulminis igne
Egregiè purum fas est contingere sacra.

Sed & hi omnes Gentium ritus tracti sunt ab Hebræorum monumentis, quibus dictum est, *Lauamini, mundi estote, & purgamini ab omnibus inquinamentis vestris*, Isaiæ 1. Ozam autem quia Arcam Domini tangere ausus est, ante ipsam mortuum cecidisse sacra testatur Historia 2 Regum 6. Isaias. 2. Regum. 6.

Puris igitur purgatisque animis se Deus præbet cognoscendum. Purgandus autem à vitijs & sensibus animus est; vnde iussit Pythagoras, nudis pedibus Deo esse sacrificandum, id est, affectus esse deponendos, cùm à Deo aliquid impetrare volumus; affectus enim nostri per pedes denotati discalciandi sunt, dum Deo sacrificamus. Sic Dominus mandauit Moysi, vt discalciaret pedes, quando ei loquebatur in rubo Exodi 3. Plato autem alas suscipiendas & affibulandas in Phœdone animis nostris edocuit, vt quodammodo corpore exuti ad altiora conscendamus. Sunt autem alæ hæ ad Platonis mentem contemplatiua scientia, & moralis, speculatio scilicet & operatio; secundùm Christianam verò Theologiam, Fides & Charitas, vel Dei dilectio & proximi. Quod igitur per ablutionem in Cratere faciendam censet Mercurius, id ipsum per alas animis nostris affibulandas fieri posse Plato contendit. Quod profectò dogma Zoroastris prius fuit, quem Chaldæi quidam solitum dicere asseuerant; alatam esse animam, fractis verò alis in Elementa ferri præcipitem, tum illis succrescentibus ad superos reuolare; quod profectò dogma secutus est etiam Pythagoras & Plato, & à magno fuit Plotino confirmatum lib. 8. Enneadis 4. de descensu animarum in corpora. Geminas autem alas geminum instinctum menti ingenitum ad superna significare Rhodiginus est Author lib. 9. lectio. antiqu. cap. 39. in intellectu quidem instinctum ad diuinum Verum, in voluntate instinctum ad diuinum Bonum pro viribus conuertentem: his verò remissis è cœlo labi animam Pythagoricis placet. Pythagoras. Exodi. Pythagoras. Plato. Plotinus. Rhodiginus.

Sed audiendus est nunc Plotinus in lib. de Pulchro qui quàm elegantissimè hanc puræ mentis necessitatem indicauit. *Efficiatur igitur*, inquit Plotinus.

Puritas Mentis necessaria. Exemplum de puritate Mentis.

Plotinus, *quis diuinus, pulcher, atque Deiformis, necesse est, si modò Deum, sit & pulchritudinem inspecturus*. Et paulò superiùs. *Si nondum cognoscis te mundum & pulchrum, statuarium imitabere, hic enim vbi statuam optat pulchram, partim abscindit, partim quoque dirigit & expoliturus abradit, partim leuigat & abstergit, donec faciem in statua exprimat speciosam: ita & tu tolle superuacua, obliqua dirige, obscura purgando collustra, neque desinas circa statuam tuam elaborare, quousque diuinus virtutis fulgor tibi subrutilet. Si hoc ipsum euaseris, ac purus iam habitaueris ipse tecum, nihil habens impedimenti, nec duce ampliùs indiceque egeas; tunc solitarius effectus ingentem poteris aspicere pulchritudinem. Oportet enim visurum videndo cognatum similemque effici*. Hactenus Plotinus.

Orpheus.

Verùm audiamus & Orpheum, qui in Carminibus, quæ de virtute descripsit, quia abdita de Deo reserare proposuerat, eos tantùm inuitat, qui purgati mente virtutem excolunt, prophanos verò arcet quàm longissimè. Sic enim cecinit.

Vos qui virtutem colitis, vos ad mea tantum
Dicta aures adhibete, animosque intendite vestros.
Contrà qui sanctas leges contemnitis, hinc vos
Effugite, & procul hinc miseri, procul ite prophani.

Maro.

Similia & Maro cecinit in 6. vbi Sybillam mox Oracula reddituram exclamantem inducit;

- - - Procul ò procul este prophani,
Conclamat Vates.

Hac de causa vt de Zoroastri secreta sapientia aliquid etiam attingamus, conscendendum esse vehiculum quoddam Zoroaster asseruit, vt illuc redeat anima, vnde venit. Vehiculum autem hoc nihil aliud est, quàm mentis eleuatio in Deum, quæ oratione perficitur; quasi dicas, est boni operis cum oratione coniunctio, vt Gemistio placet. Plato certè currum quendam in Phœdro statuit ab Equis hinnientibus tractum, quo vnaquæque fertur anima, sed ab auriga regendum & moderandum dicit, nè in præceps feratur. Cuius dicti expositorem habemus Philonem lib. de agricultura. *Equi*, inquit, *sunt furor & concupiscentia, ille mas, hæc fœmina; ideoque ille vt mas gestit elatâ ceruice, libertatem appetens, hæc verò seruilior & callidior domum depascit ac deuorat vt fœmina. Insessor autem & auriga vnus est, nempe intellectus; sed auriga tunc, quando ascendit cum prudentia, quando autem cum imprudentia, insessor est*. Plutarchus in 8. quæst. Platonica hos Equos concupiscibilem & irascibilem vim similiter interpretatur: concupiscibilem appellans Equum omninò contumacem, refractarium, hirtum, circa aures surdum, & qui vix flagello stimulisque pareat. Irascibilem verò facilè rationi obsequentem eiusque adiutricem. Scio Philoponum aliter 1. de anima vtrumque Equum explicasse, quippe qui credidit

Plato. Philo. Plutarchus. Philoponus.

dit eos esse facultatem ad superiora & ad inferiora deducentem. Hoc igitur vehiculum quo vehimur semper & ducimur, conscendendum esse fortasse monuit Zoroaster, quem explicans Plato in Phœdro Aurigam & Rectorem apposuit, vt rectè possit gubernari. Crater ergo seu Patera Mercurij, Platonis alæ, Zoroastri vehiculum, exutio corporis Pythagorica, & ablutio Gymnosophistica idem sonare videntur, mysteriumque indicant subigendas esse corporis passiones, vt quis diuina valeat intelligere. Quæ ideò fusiùs deduximus, vt hieroglyphica doctrina ex omnium Scriptorum quà sacrorum, quà profanorum consensu sibi constet.

Verùm vt quæ hucusque dicta sunt, Hebræorum sententiâ confirmentur; subiungam hic discursum Rabbi Schabthe, quo SS. Triadem eiusque in Mundanos ordines influxum & emanationem satis apposite describit: ita autem dicit, *Et ecce nobis perspicuum est id quod explicauimus in capitibus prioribus mysterium nempe, quod dixerint Sapientes Cabalæ seu Theologiæ tres primarias Numerationes, quæ sunt Corona summa, Sapientia, & Intelligentia in æquali dignitate quasi summè vnum quid esse. Animaduertendum quoque est, quare dixerint eas in æquali dignitate quasi summè Vnum quid esse; & non dixerint vnum propriè et simpliciter, cùm tamen omnes Numerationes sunt Vnitas, ob hanc rationem. Licet enim tres primariæ, Corona summa, Sapientia, Intelligentia, quæ sunt tres Mentes, non sint, nisi patefactio & diffusio centri, quod comprehenditur tribus delubris in mysterio luminis primordialis, luminis splendidissimi, & luminis splendidissimorum omnium splendidissimi, quæ vniuntur ipsi centro in mysterio nominis radicalis & essentialis, sicuti explicauimus in cap. 1. eâ ratione, quòd illud centrum sit simpliciter & absolutè vnum ex omnibus partibus, & omnia comprehendantur in eo, nempe in vnitate eius. Tres tamen Mentes quæ diffunduntur de eo non sunt nisi patefactio centri, quod patefacit absconditum, reconditum, & occultum, quod est in ipseitate eius, & nulla differentia est inter eas, nisi quòd centrum sint tria delubra, quæ comprehenduntur in abscondito, in vnitate nempe centri. Verùm in tribus Mentibus diffunduntur & patefiunt, quòd qualibet illarum sit Mens per se, & propter hoc sunt illæ in æquali dignitate, quasi summè Vnum quid: verùm non vnum propriè & simpliciter, vti sunt in ipso centro; quia in ipso centro nullum cernitur delubrum, sed tantùm vnitas centri. Verùm hæc tria delubra iam antè prodierunt & distincta iam sunt in tria delubra, quæ sunt Corona summa, Sapientia, Intelligentia, tria inquam delubra distincta. Nec est obijciendum: Si ita non erunt itaque in æquali dignitate quasi summè Vnum quid, sed erunt in dignitate æquali vt tria. Hæc nulla est obiectio. Quia hæ tres* (Mentes inquam) *non sunt nisi manifestatio Vnitatis centri, & illæ vniunt se radici suæ, eo modo, quod illæ nihil aliud sint nisi Vnitas centri; & manifestum nihil est, nisi id quod in abscondito latuit, propter hoc illæ sunt in æquali dignitate quasi summè vnum quid; ac si diceret æquales dignitate sicuti Vnitas centri, quia de centro vno prodierunt, & centrum patefactum est in illis. Et inde percipitur quoque Vnitas omnium Numerationum, quoniam licet hæ tres Mentes propinquæ sint emanatiuo suo* (illi scilicet, qui fecit emanare eas) *ecce propter*

Rabbi Schabthe.

Descriptio SS. Triadis eiusque in mundanos ordines influxus & emanationes.

pro-

propinquitatem earum lumen earum magnum valde; ita vt impossibile sit creatis frui lumine earum. Hanc igitur ob causam necesse fuit in ramos sese extendere & diffundere, in Caput, Medium & Finem, qui sunt septem Numerationes, Magnificentia seu Misericordia, Fortitudo seu Seueritas, Pulchritudo, Victoria, Triumphus seu Æternitas, Gloria, Fundamentum, Regnum ad manifestandum Delubra earum creatis; vt fruantur ijs, quatenus sunt tres gradus seu ordines. Ordo primus est mysterium centri; Ordo secundus mysterium trium Mentium; Ordo tertius mysterium diffusionis Mentium in septem Numerationes (id est attributa tribus Mentibus communia) *quæ omnes conficiunt decem Numerationes; & sunt vnum, tria, & septem. Et ecce hac ex parte omnes simul sunt Vnitas perfecta, quia centrum manifestauit delubra sua in tribus Mentibus, & tres Mentes manifestatæ sunt in septem Numerationibus, & quidquid inuenitur in septem Numerationibus, inuenitur quoque in tribus Mentibus, & quidquid inuenitur in tribus Mentibus, inuenitur quoq; in vnitate centri, inuenitur etiam in infinitudine; benedicta sit illa. Et nulla differentia est inter illas, inter Numerationes, inquam, nisi quòd in septem Numerationibus illæ sunt in manifesto, & in tribus Mentibus præ magnificentia luminis earum illæ in abscondito latent. Et etiam in tribus Mentibus respectu centri præ magnificentia luminis eius, illæ* (Mentes scilicet) *sunt in manifesto, & in ipso centro illæ latent in abscondito. Et sic quoque centrum respectu infinitudinis, benedicta sit illa; eò quòd infinitudini respectu luminis sui magnificentissimi, nullus est finis nec terminus: illæ verò sunt in manifesto. At in infinitudine, benedicta sit illa, illæ in abscondito latent vsque in omnem non finem infinitatis & non-termini. Omnes sunt virtus vna vnitatis suæ summæ, perfectissimæ & absolutissimæ quæ absq; fine et termino comprehendit totum numerum decem in mysterio vnitatis infinitudinis, benedicta sit illa, & patefacit virtutem vnitatis suæ in mysterio Recessus per mysterium decem, & nihil est in manifesto, nisi quod & latet in abscondito & sicuti in abscondito illa est virtus vna, sic etiam in manifesto est virtus vna.* Atque hæc ad intentionem nostram Lectori insinuandam sufficiant.

EPILOGVS.

TAndem per immensos Oceani inexhausti anfractus, per rapidas immensi pelagi voragines;, per scopulos & inaccessa præcipitia, per inuios & incognitos vastissimi maris recessus, ferocibus monstrorum portentis diuinâ assistente gratiâ domitis, monstrosa extincta Sphynge, contractis velis portum diu concupitum, anxiæ mentis inquietudine quæsitum, & tandem singulari diuini Numinis præsidio inuentum, viginti annorum æstu perfunctus, portum inquam vnicum voluntatis complementum ingredimur; cuius desiderio, quot labores, quot perplexitates, quot sudores, quot pericula, quod rerum discrimina exantlauerimus, grata, ni fallor, posteritas ex præsenti Operis hucusque à nemine, quod sciam, tentato specimine recognoscet. Prudentes & iudicio exquisito pol-

pollentes Viri, quorum in similibus incognitis eruendis industria quandoque desudauit, veluti propriâ experientiâ docti, quam difficile & plenum aleæ opus sit, incognitas tentare vias, omnique monstrorum genere refertis solitudinibus sine duce se committere, ingenuè fatebuntur; atque adeo si non omnia, saltem in omnibus eruendis conatum extollent.

Atque hæc sunt, quæ de Ægyptiorum Sapientia, hieroglyphicis velata symbolis quantum imbecillis ingenij mei vires permiserunt, dicenda duxi; nihil porrò restat, nisi vt oculis manibusque ab interpretationum tabula submotis, atque in cœlum sublatis Tibi Triuni bonorum omnium largitori DEO & beneficentissimo luminum Patri, pro tanto beneficio non hecatomben, non Taurorum aut Vitulorum Holocausta, sed puræ mentis diuino amore institutum sacrificium, humili cordis obsequio instituam. Tu enim solus es, qui linguam Infantium facis esse disertam; Tu solus humanæ menti igniculos ex vena lucis tuæ, & vitæ scaturigine emanantes indis, quibus ad incomprehensam operum Tuorum magnitudinem rimandam incenditur; hisce incensus Opus hoc aggressus Tuæ benignitatis ope perfeci, inspirasti necdum volenti, vt vellem; adiuuisti bonæ voluntatis conatus, vt facerem, qui in Tuis & velle & perficere operaris. Redeat ergo in Te Opus, quod à Te profluxit. Si bonum quicquam in eo, Tuum est, si malum, meum est. Qualecunque tandem fuerit id supremæ interminæ, ac incomprehensibili bonitati Tuæ, ego humilis & abiecta creatura Tua, cinis & fauilla & nihilum, vti acceptum fero, ita quoque, vt ad superexcelsæ Maiestatis Tuæ honorem & gloriam vnicè cedat, omnibus animæ meæ votis expostulo; promptus mihi semper fuit animus, ad quam emendatissimè philosophandum, si itaq; indignum consilijs Tuis quidpiam à me prolatum fuerit, id quoque inspirare pro infinita bonitate Tua, vt emendem, digneris; si Ethnicæ Theologiç sacramenta prosecutus, in incomprehensa iudiciorum Tuorum abysso scrutanda, in temeritatem lapsus sum, aut propriam laudem, in Opere gloriæ Tuæ destinato sectatus sum, prò ea quæ infinita es clementia mihi condones, obnixè deprecor; si denique quicquam Orthodoxæ Fidei ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Sponsæ Tuæ non vsquequaque consonum ignoranter attulerim, id totum expunctum, repudiatum, reuocatumque volo. Restat nunc, vt quod olim Trismegistus, idem ego Tibi Trisagion, mei erga Te amoris veluti sempiternum trophæum statuam.

Hymnus Mercurij Trismegisti in Pymandro.

QVamobrem omnibus animi viribus Patri Deo gratias ago.
Sanctus Deus Pater omnium.
1. Sanctus Deus cuius voluntas à proprijs potestatibus adimpletur.

Sanctus Deus qui tuis familiaribus innotescis.
Sanctus es, qui Verbo cuncta constituisti.
2 *Sanctus es, cuius imago est omnis natura.*
Sanctus es, quem nunquam natura superauit.
Sanctus es omni potestate validior.
3 *Sanctus es omni excellentia maior.*
Sanctus es omni laude melior.
Excipe verborum sacrificia sancta, quæ ab animo & corde deuoto in te, vnde profluxerunt, redundant.

Omnia ad maiorem DEI gloriam, & Orthodoxæ Ecclesiæ, nec non Reipub. Literariæ emolumentum.

Hoc vno arcana recludo.

F I N I S.

CATALOGVS AVTHORVM.

Quorum authoritates afferuntur hoc Tertio Tomo.

A

ABenephius
Aben Sina
Abenuaſchia
Abulfeda Geographus Arabs
Ælianus
Ali Arabs
Ammianus Marcellinus
Antonius Muſa
Apocalypſis Liber
Apollodorus
Apuleius
Aratus
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arnobius
Auctor Scalæ Magnæ
S. Auguſtinus

B

BAronius
Belonius
Beroaldus
Betrillus
Braſauolus
Bulengerus

C

CAntherus
Cælius Rhodiginus
Cedrenus
Centir Arabs
Chryſippus
Cicero
Clemens Alexandrinus
Columella
S. Cyrillus

D

DAmaſcius
Deenus
Demophylus
Diodorus Siculus
S. Dionyſius
Dionyſius Geographus
Dionyſius Halicarn.
Dionyſius Laërtius
Dioſcorides
Donatus

E

ELias Leuita
Eucherius
Euſebius
Exodus Liber
Ezechiel Propheta

F

FEſtus
Firmicus Maternus
Fortunius Licetus

G

GAza
Genebrardus
S. Gregorius Nazianzenus
Gutherius

H

HAly
Heliodorus
Hermes Trismegistus
Hermolaus
Herodotus
Hesiodus
Hesychius
D. Hieronymus
Homerus
Horus
Hyginius

I

IAmblichus
Iehuda Rabbinus
Iochaides
Ioannes Leo Africanus
Ioannes Nardius
Ioseph à Costa Soc. IESV
Isaias Propheta
Iulius Solinus
Iustinus Martyr

L

LIber 2. Regũm
Lucianus

M

MAcrobius
Manethon
Manilius
Marsilius Ficinus
Matthiolus
Mela
Melissus
Michaël Mercatus
Mor Isaac

N

NAtalis Comes
Numenius

O

OPpianus
Opopæus
Origenes
Orpheus
Ouidius

P

PAncirolus
Pansa
Pausanias
Petrus de Valle.
Petrus Gyllius
Philo Byblicus
Philo Iudæus
Philostratus
Phornutus
Pierius Valerianus
Plato
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Pollux
Polybius
Porphyrius
Proclus
Procopius
Prosper Alpinus
Prudentius
Psellus
Ptolomæus
Pythagoras

S

SAmuel Purchas
Schabde Rabbinus
Schiangia Arabs
Seneca
Serapion Arabs
Simeon Ben Iochai
Simplicius
Statius
Strabo
Stuckius
Suidas

T

TAcitus
Thargum Vzielidis
Theodorus
Theogenes
Theophraſtus
Tibullus
Triſmegiſtus

V

VAlerius Maximus
Virgilius
Volaterranus

X

XEnophon

Z

ZOhar
Zoroaſter

Reliquorum Scriptorum nomina, quorum authoritatibus dicta hoc Tomo Tertio ſtabiliuntur, citata reperies in præcedentibus Libris.

INDEX

Diatribarum, Syntagmatum, Capitum, aliorumque Titulorum Tomi III.

Nonnullæ Authoritates Doctrinæ hieroglyphicæ in huius decursu Operis exponendæ. 2

Artis Hermeneuticæ, siue interpretatiuæ Hieroglyphicorum Suppositiones. 4

PRÆFATIO.

DIATRIBE I. PRÆLVSORIA DE HIEROGLYPHICIS in genere.

Caput I. *De etymo, origine, & propagatione hieroglyphicæ doctrinæ.* Ibid.

II. *Quomodo hieroglyphica à cæteris diuersarum Gentium literis distinguantur, & potissimùm in quo characteres Sinensium ab hieroglyphicis differant.* 10

Characteres hieroglyphici Sinensium. Ibid.

Veterum Sinicorum characterum anatomia. 12

Differentia inter Sinenses & hieroglyphicos Aegyptiorum characteres. 13

Characterum antiquissimorum Chinensium explicatio. 16

III. *De literis Brachmanum, siue Gymnosophistarum.* 21

IV. *De literatura Mexicanorum, & an propriè hieroglyphica dici possit.* 28

Mensium nomina. 30

V. *Tabulæ æneæ ex Museo Clarissimi Viri Ioannis Galuani Iuris Consulti Patauini extractæ interpretatio.* 36

VI. *Characterum quorundam in Cruce descriptorum interpretatio.* 38

Ca-

Caput VII. *De Armenorum characteribus hieroglyphicis.* 40
VIII. *De alijs falsorum hieroglyphicorum Schematismis.* 41

DIATRIBE II. PRÆLVSORIA. 42

De Alphabeto mystico Aegyptiorum, & lingua Copta. Ibid.
Primæua literarum Aegyptiarum fabrica, & institutio facta, à Tauto siue Mercurio Trismegisto. 47

DIATRIBE III. PRÆLVSORIA. 55

Quòd literæ Aegyptiacæ à Cadmo primùm in Græciam traductæ, & de linguæ Coptæ antiquitate. 55
Vtrum hieroglyphica lectionem quandam vt in alijs scripturis conficiant, & quomodo lectio instituenda. 61

DIATRIBE IV. PRÆLVSORIA. 62

Hierogrammatismorum reliquorum quæ in Obelisco Pamphilio expositi non fuerunt, interpretatio. Ibid.
Caput I. *Meleagridis, & Anseris hierogrammatismus.* 63
II. *De herbis & plantis hieroglyphicis.* 65

SYNTAGMA I. MENSÆ ISIACÆ SIVE TABVLÆ BEMBINÆ interpretatio. 80

ΠΡΟΟΙΜΑΤΙΟΝ. Ibid.
Caput I. *De nomine & origine huius Tabulæ Isiacæ.* Ibid.
II. *Quæritur quem hæc Tabula vsum habuerit apud Aegyptios.* 81
III. *Argumentum huius Tabulæ, seu Mensæ Isiacæ.* 85
IV. *Tabulæ seu Mensæ Isiacæ diuisio.* 87
V. *Anatomia Tabulæ, siue de habitibus, ornamentis, tutulis, baculis, & tota πολυμόρφωσι hierogrammatismorum, eorundemque differentijs.* Ibid.
Vera & genuina Mensæ Isiacæ, siue Tabulæ Bembinæ interpretatio. 89
Diuisio I. *Figurarum mediæ regionis Tabulæ expositio.* Ibid.
Diuisio II. *Quomodo fundum paternum, id est, vniuersalis Mundi anima in hac Tabula in tres Triades secundùm Aegyptios diuidatur, interpretatio.* 94
Diuisio III. *Explicatio Triadum Azoniarum.* 100
Trias Azonia Hecatina. 101
Trias Serapæa. 103
Trias Osiriaca. 105

Di-

Diuisio IV. *Quòd septem Triades in media regione explicatæ nihil aliud sint quam septem Mundorum Genialium Systemata.* 107
I. *Trias, siue Mundus Archetypus igneus, & vitarum Mundus triformis, Hebræis אין סוף, Mundus increatus, ex quo prodeunt.* 108
Diuisio V. *Supremæ Regionis Tabulæ interpretatio.* 111
Diuisio VI. *Regionis tertiæ interpretatio.* 117
Trias fontana Horæa, siue Porta magna Orientis. 119
Trias Fontana, siue Porta magna Occidentis. 120
Trias Pandochæa, quod Numen apotropæum Portæ magnæ Septentrionis est. 123
Trias Thaustica Austri domina. 125
Diuisio VII. *Limbi seu ambitus Tabulæ Isiacæ interpretatio.* 129
Expositio Limbi Tabulæ Isiacæ. 134
Superioris Limbi interpretatio. 135
Interpretatio Limbi sinistri. 142
Interpretatio inferioris Limbi. 145
Limbi dextri lateralis interpretatio. 148
Auctarium de sensu Anagogico, Magico, Ethico, aliisque vsibus, quibus seruiebat hæc Tabula. 152
§. I. *De sensu Anagogico sub Tabula latente.* Ibid.
§. II. *De vsu Idearum huius Tabulæ, & emolumento inde in Medicina, Physica, Astrologia, Ethica, emergente.* 153
§. III. *De Theurgico seu Magico sensu, quo Sacerdotes in hac Isiaca Tabula sacrificiorum instituendorum rationem, rituum adhæc cæremoniarumque dispositionem per occultum symbolorum contextum exhibebant.* 156
§. IV. *De significatione minuti characteris hieroglyphici, quem simulachra passim appositum habent; quoque interiores duo Limbi inscripti conspiciuntur.* 158

SYNTAGMA II. OBELISCVS RAMESSÆVS SIVE Lateranensis. 162
PRÆFATIO. Ibid.
Caput I. *Historica relatio Obelisci Ramessæi siue Lateranensis.* Ibid.
Inscriptiones Obelisci factæ à Sixto V. Pontifice Maximo. 166
II. *Obelisci Lateranensis interpretatio.* 168
Argumentum Obelisci Lateranensis. Ibid.
III. *Nota ad Lectorem de interpretationis statuendæ ratione.* 171
Prælusio. *Quâ nonnulla ad meliorem rerum in Obelisco tractandarum notitiam præmittuntur.* 172
IV. *De inscriptione & diuisione Obelisci.* 178
Prælusio. Ibid.
§. I. *Primæ Columnæ primi Lateris Borealis interpretatio.* 182

§. II.

§. II. *Secundæ columnæ lateris Borealis interpretatio: Siderei Mundi Numinum connexionem monstrat.* 186

§. III. *Tertiæ columnæ lateris Borealis interpretatio. Politicum Mundum exhibet.* 188

Caput V. *Interpretatio secundi lateris Meridionalis Obelisci Lateranensis.* 193

§. I. *Interpretatio primæ columnæ secundi lateris Australis, quæ Politicum Mundum exprimit.* 194

§. II. *Secundæ columnæ lateris secundi Australis interpretatio, & continet Niloticas leges.* 198

§. III. *Tertiæ columnæ lateris secundi Australis interpretatio.* 201

Caput VI. *Interpretatio lateris tertij Occidentalis, in quo infestæ Typhoniæ potestates, & Reipub. perturbatrices exhibentur, & quomodo eæ superandæ sint.* 202

§. I. *Lateris tertij Occidentalis columnæ primæ expositio.* Ibid.

§. II. *Interpretatio secundæ columnæ tertij lateris Occidentalis.* 205

§. III. *Tertiæ columnæ tertij lateris Occidentalis interpretatio; & continet leges, quibus Numina sollicitantur ad Ægypti salutem.* 207

Caput VII. *Quarti lateris Orientalis Obelisci Ramessæi interpretatio.* 208

§. I. *Interpretatio primæ columnæ lateris quarti Orientalis.* 208

§. II. *Secundæ columnæ quarti lateris Orientalis interpretatio.* 209

§. III. *Tertiæ columnæ lateris quarti Orientalis interpretatio, & continet malorum originem.* 210

SYNTAGMA. III. OBELISCUS FLAMINIUS, OLIM Sennesertæus. 214

Caput I. *Historica relatio Obelisci Flaminij.* Ibid.

Inscriptiones Obelisci Flaminij. 215

II. *Argumentum Obelisci Flaminij.* 217

III. *Prodroma quarundam rerum, quæ sæpe sæpius in hoc Obelisco occurrunt, interpretatio.* 220

§. I. *Tabulæ sacræ Momphto-Mendesiæ expositio.* Ibid.

§. II. *Niloscopij expositio.* 223

§. III. *Secundæ tabulæ sacræ Osiriacæ expositio.* 226

De duabus statuis. Ibid.

De Ferculo, seu Feretro. 227

De Ramo inuerso. 228

De sceptro recuruo. 231

De Iunco Nilotico. 234

Caput V. *Singulorum Obelisci laterum interpretatio.* 235

§. I. *Epigraphes siue inscriptionis Obelisci interpretatio.* Ibid.

§. II. *Columnæ primæ lateris Meridionalis interpretatio.* 238

§. III. *Columnæ secundæ lateris Meridionalis interpretatio.* 239

§. IV. *Columnæ tertiæ secundi lateris Meridiani interpretatio.* 240

§. V. *Columnæ primæ secundi lateris Borealis interpretatio.* 241
§. VI. *Columnæ secundæ lateris secundi Borealis interpretatio.* 242
§. VII. *Tertiæ columnæ secundi lateris interpretatio.* 244
§. VIII. *Columnæ primæ lateris tertij Occidentalis interpretatio.* Ibid.
§. IX. *Columnæ secundæ lateris tertij Occidentalis interpretatio.* 245
§. X. *Columnæ tertiæ lateris tertij Occidentalis expositio.* 246
§. XI. *Columnæ primæ lateris quarti Orientalis expositio.* Ibid.
§. XII. *Columnæ secundæ lateris quarti Orientalis expositio.* 247
§. XIII. *Columnæ tertiæ lateris quarti Orientalis expositio.* Ibid.
Anacephalæosis totius expositionis. 248
Consectarium de interpretatione facta ab Hermapione. 250
Interpretatio Obelisci Sennesertei facta ab Hermapione Grammatico. 251

SYNTAGMA IV. OBELISCVS SALLVSTIVS, SIVE Ludouisius. 258

Caput I. *De origine, erectione, translatione Obelisci Sallustij.* Ibid.
II. *Argumentum Obelisci.* 259
III. *Obelisci Sallustij diuisio, & interpretatio.* 260
IV. *Hierogrammatismorum qui in quaternis lateribus continentur, & secundùm præcedentem diuisionem prorsùs ijdem, si minutiora quædam excipias, sunt, interpretatio.* 261
§. I. *Columnæ primæ lateris primi Obelisci expositio.* 264
§. II. *Columnæ secundæ lateris primi expositio.* 266
§. III. *Columnæ tertiæ lateris primi expositio.* Ibid.
§. IV. *Columnæ primæ lateris secundi expositio.* 267
§. V. *Columnæ secundæ lateris secundi expositio.* 268
§. VI. *Columnæ tertiæ lateris secundi interpretatio.* Ibid.
§. VII. IIX. IX. *Columna prima, secunda, tertia, lateris Borealis.* ib.
§. X. XI. XII. *Columna prima, secunda, tertia lateris quarti.* ibid.
Consectarium primum. 269
Consectarium secundum. ibid.

SYNTAGMA V. OBELISCVS VERANVS, SEV Barberinus. 272

Caput I. *Historica Relatio Obelisci Barberini.* 272
II. *De huius Obelisci Erectoribus.* 273
III. *Argumentum Obelisci Barberini.* ibid.
IV. *Breuis quatuor primorum & principalium Obelisci Systematum interpretatio.* 276
Schematismus I. *Genius Ignis.* 277
Schematismus II. *Aëreus Genius.* 279
Schematismus III. *Aquæ Genius.* 280

Sche-

Schematismus IV. *Terræ Genius.* 281
Caput V. *Interpretatio primi lateris Meridionalis.* Ibid.
Nota *in lateris primi Meridionalis schemata, quæ stationes Deorum Meridionalium continent.* 282
§. I. *Columnæ primæ lateris primi expositio, & continet stationes Geniorum Omphtæ, Ammonis, Osiris, Anubis, Momphtæ bonorum terrenorum affluxu fœcundas.* Ibid.
§. II. *Secunda columna lateris primi Australis, eiusq; interpretatio.* 286
Caput VI. *Lateris secundi Obelisci Barberini interpretatio.* 290
§. I. *Primæ columnæ expositio.* 291
§. II. *Secundæ columnæ lateris secundi Orientalis interpretatio.* 292
Caput VII. *Tertij lateris Occidentalis Obelisci Barberini interpretatio.* 294
§. I. *Columnæ primæ interpretatio.* Ibid.
§. II. *Secundæ columnæ tertij lateris expositio.* 299
Caput VIII. *Lateris quarti Septentrionalis Obelisci Barberini interpretatio.* 298
§ I. *Primæ columnæ quarti lateris Septentrionalis expositio.* Ibid.
§. II. *Secundæ columnæ quarti lateris expositio.* 299
Consectarium primum. 300
Consectarium secundum. 301
Consectarium tertium. Ibid.
Conclusio. Ibid.

SYNTAGMA VI. OBELISCVS CONSTANTINOPOLITANVS à Theodosio Imperatore in Hippodromo Byzantino olim erectus. 304

Caput I. *Historica relatio de origine & erectione Obelisci Constantinopolitani.* Ibid.
Exemplar literarum Excellentissimi Viri Domini Simonis Renigeri Cæsarei apud Turcarum Imperatorem Legati. Ibid.
Literæ Panaiotis Nicusij, Cæsarei apud dictum Imperatorem Turcarum Interpretis. 305
Caput II. *Argumentum Obelisci.* 309
§. I. *Lateris primi explicatio.* 311
Scholium. 313
§. II. *Secundi lateris expositio.* Ibid.
§. III. *Tertij lateris expositio.* 314
§. IV. *Lateris quarti expositio.* 315

SYNTAGMA VII. OBELISCI MINORES, ET SVNT Monticœlius, Mediceus, & Mahutæus. 318

Caput I. *De origine horum Obeliscorum.* Ibid.
II. *Argumentum trium minorum Obeliscorum.* 319

Caput III. *Obeliscus Monticœlius, eiusque explicatio.* 320
Caput IV. *Obeliscus Mediceus, eiusque interpretatio.* 325
Caput V. *Obeliscus Mahutæus, eiusque interpretatio.* 327

SYNTAGMA VIII. OBELISCVS HELIOPOLITANVS, QVI IN hunc diem adhuc iuxta Matarēam, Vicum Cayro Ægypti vicinum, erectus conspicitur. 330

Caput I. *De origine Obelisci Heliopolitani.* Ibid.
II. *De erectione & mensura Obelisci.* 331
III. *Argumentum huius Obelisci.* 332
Obeliscus Heliopolitanus. 333
IV. *Interpretatio Obelisci.* 334

SYNTAGMA IX. OBELISCVS ALEXANDRINVS, eiusque interpretatio. 339

Caput I. *De origine & primo erectore huius Obelisci.* ibid.
II. *De mensura & symmetria huius Obelisci Alexandrini.* ibid.
Epilogismus totius Obelisci Alexandrini ex literis Titi Liuij Burattini. 341
Obelisci symmetria. 342
III. *Interpretatio Obelisci Alexandrini.* 343
Consectarium I. 345
Consectarium II. ibid.

SYNTAGMA X. OBELISCVS FLORENTINVS, eiusque interpretatio. 348

Caput I. *De obelisci huius origine, inscriptionis ratione, & argumento.* ib.
Diuisio Obelisci. 349
II. *Primi lateris expositio.* 350
§. I. *Columnæ primæ lateris primi characteres, & expositio.* 351
Characteres seu figuræ. 351
Expositio figurarum. 352
Scholion in explicationem factam.
§. II. *Columnæ secundæ lateris primi figuræ, & expositio.* 353
Characteres seu figuræ. ibid.
Expositio figurarum. 354
Scholium in expositionem. ibid.
Caput III. *Secundi lateris expositio.* 355
§. III. *Columnæ primæ lateris secundi anatomia, & expositio.* 356
Characterum anatomia. ibid.
Anatomiæ factæ expositio. 356
Scholium in expositionem factam. 357

§. IV. *Columnæ secundæ lateris secundi expositio.* 357
Anatomica descriptio. ibid.
Exhibitorum symbolorum interpretatio. 358
Scholium. ibid.
Caput IV. *Tertij lateris expositio.* 359
§. V. *Columna prima lateris tertij.* ibid.
Anatomia characterum. ibid.
Expositio Anatomiæ. 361
Scholium. 361
§. VI. *Columnæ secundæ lateris tertij declaratio.* 362
Caput V. *Quarti lateris expositio.* ibid.
§. VII. *Columna prima lateris quarti.* ibid.
Anatomia. ibid.
Expositio. 364
Scholium, ibid.
§. VIII. *Columna secunda lateris quarti.* 395
Conclusio. 366

SYNTAGMA XI. OBELISCI RASI, ET SVNT EXQVILINVS & Vaticanus. 368

Caput I. *Obeliscus Claudianus, siue Exquilinus.* 368
Symmetria & proportio Obelisci Exquilini. 369
Inscriptiones Obelisci. ibid.
II. *Obeliscus Moncorius sea Vaticanus, qui vnus ex omnium maximis est.* 370
Erectionis Obelisci Vaticani modus & ratio. 372
De Ergatarum potentia ad Obelisci pondus comparata. 374
Epilogismus exactissimè, quantum fieri potuit, symmetriam & proportionem totius Obelisci, singularumque partium, vnà cum ornamentis exhibens in palmis Romanis. 375

SYNTAGMA XII. DE FRAGMENTIS VARIORVM Obeliscorum, quæ in Vrbe hodie supersunt. 378

Caput I. *De Obelisco Campomartio subterraneo.* ibid.
II. *De Obelisci fragmento quod reperitur in Insula Tyberis.* 379
III. *De nonnullorum Obeliscorum fragmentis, quæ circa Collegium Romanum spectantur.* 382

SYNTAGMA XIII. DE MVMIIS, EARVMQVE CONDITORIIS, & hieroglyphicorum, quibus inscribuntur, significatione. 387

Caput I. *De Metempsychosi.* ibid.
II. *Cur tanto studio cadauerum incorruptioni studuerint Ægyptij.* 390

Caput III. *De Mumiarum præparatione, id eſt, de modo condiendi cadauera.* §. I. 395
§. II. *De Mumia.* 396
Caput IV. *De cryptis, locisque ſubterraneis, in quibus condi ſolebant Mumiæ, ſiue medicata corpora.* 399
Caput V. *Hieroglyphicarum Mumiarum, quæ partim ex Magni Ducis Hetruriæ, partim ex Ioannis Nardij Muſæise extractæ ſunt, interpretatio.* 411
§. I. *Hieroglyphicorum quæ in ligneis funerum thecis primæ & ſecundæ figuræ tabulæ tertiæ depictæ ſpectantur, interpretatio.* 413
§. II. *De inuolucris Mumiarum, varijsque hieroglyphicis Iconiſmis, qui vnà Mumiæ inuoluti reperiuntur.* 418
§. III. *De faſcijs hieroglyphicis.* 420
Pompa Iſiaca iuxta Apuleij deſcriptionem, ex hortis Mediceis. 426
Faſciæ Pereiſcianæ expoſitio. 428
Caput VI. *De Mumijs hieroglyphicis, partim ex Muſeis Magni Ducis Hetruriæ, partim Batauorum extractis, & in præſentem Iconiſmorum congeriem coniectis, vnà cum interpretatione.* 428
Figuræ, quæ ſignatur litera Y, expoſitio. 430
Figuræ D ex Muſeo Hieronymi van Werle extractæ interpretatio. Ibid.
Figuræ A, ex Magni Ducis Hetruriæ Muſeo extractæ, expoſitio. 431
De ſtatua lignea ex Muſeo Erneſti Brinckij, & alia ſimillima ex M. Ducis Hetruriæ Muſeo extracta. Ibid.
De Mumijs ex Muſeo Petri à Valle extractis. 433

SYNTAGMA XIV. DE CANOPIS HIEROGLYPHICIS, eorumque interpretatione. 437

Caput I. *Quid ſit Canopus.* Ibid.
Canopi Fig. I. in Iconiſmo exhibiti expoſitio. Ibid.
Caput II. *Canopi figura II. ſignati interpretatio.* 440
III. *Interpretatio Canopi figuræ VI.* Ibid.
IV. *Figuræ III. quæ Canopicum Oraculum exhibet, interpretatio.* 442
V. *Figura IV. Genius Apotropæus Canopicus, eiusque interpretatio.* 445
VI. *Figuræ V. vaſis Canopici interpretatio.* 447
VII. *Figuræ VII. interpretatio.* 448
VIII. *Figurarum VIII. XI. XII. interpretatio.* Ibid.

SYNTAGMA XV. DE SPHYNGIBVS NILOTICIS, earumque vera ſignificatione. 454

Caput I. *De Nilo, eiusque cultu ab Ægyptijs vſurpato, vti & de Niloſcopijs, eorumque vſu.* Ibid.

Ca-

Caput II. *De Sphyngibus Ægyptiacis, earumque interpretatione.* 463
Leones Nilotici seu Momphtæi, quorum limbi sequentibus hieroglyphicis insigniuntur, & extant ad aquas felices, iuxta Campos Thermarum Diocletianæarum. 463
§. I. *Interpretatio hieroglyphicorum, quæ in primi Leonis Abaco inscripta cernuntur.* 465
§. II. *Simulachrum Leonis B sinistri, abaco insistentis, eiusque significatio.* 467
Notæ in factam interpretationem. Ibid.
Caput III. *Sphyngum quæ in Villa Burghesia spectantur, interpretatio.* 468
Sphynges cum abacis hieroglyphicis sequentibus insignitæ, & extant hodie in Villa Burghesia retro Palatium, è regione fontis sinistra. 469
Dextræ Sphyngis interpretatio. 471

SYNTAGMA XVI. DE PENATIBVS, LARIBVS, ET Serapibus Ægyptiorum. 474

Caput I. *De Penatibus, Laribus, & Serapibus in genere.* ibid.
II. *De hieroglyphica Penatum seu Tutelarium Ægyptiorum Numinum significatione.* 477
§. I. *Interpretatio primæ figuræ A.* 479
§. II. *Secundæ figuræ interpretatio.* 483

SYNTAGMA XVII. DE MAGNÆ EFFICACIÆ IDOLIS, SIVE de Dijs Auerruncis primi ordinis. 487

Caput I. *Auerrunci Dij qui dicantur.* ibid.
De Statua loquente. 488
II. *De simulachris Ægyptiorum portatilibus.* 492
III. *De statuis auerruncis alia forma, quas Mosticas vocant.* 495
De statua Mystica Orignana, quæ in Orignano Oppido spectanda exhibetur. 497
Simulachrum ex Museo Excellentissimi Viri Ioannis Rhodij Medici Patauini. 498
IV. *De statuis Polymorphis, & auerruncis omnis generis.* 500
De Polymorphi Dæmonis simulachro. 501
Posterior Amuleti pars. 504

SYNTAGMA XVIII. DE STATVIS ÆGYPTIACIS POLYCHAracteristicis, id est, toto corpore hieroglyphicorum contextu conspicuis. 506

Caput I. *De statuis Aegyptiacis &c.* ibid.
Consectarium. 510

Caput II. *De prophylacticis Statuis, seu Amuletis portatilibus.* 511
III. *De vasis sacris.* 513
Literæ Clarissimi Viri D. Othonis Heurnij ad Nibusium datæ. 514

SYNTAGMA XIX. DE AMVLETIS, ET PERIAPTIS, COETERISQUE portatilibus Icunculis, quibus Ægyptij vtebantur. 518

Caput I. *De varijs Aegyptiorum Amuletis, & Periaptis.* ibid.
II. *De Amuletis quæ Deorum & sacrorum animalium formam referunt.* 519
III. *De mixtæ & monstruosæ rationis Amuletis.* 521
IV. *De Scarabæis prophylacticis.* 523
V. *Phylacterium lapideum ex Museo Clarissimi Viri Iacobi Scaphili.* 526 & 527
VI. *De humani corporis partibus in vsum Periaptorum ab Aegyptijs assumptis.* 528

SYNTAGMA XX. DE LVCERNIS VETERVM Ægyptiorum. 531

Caput I. *De origine Lucernarum.* ibid.
II. *De loco, figura, alijsque lychnuchorum, lucernarumque Aegyptiarum proprietatibus in genere.* 533
III. *De lucernis Aegyptijs in peculiari.* §. I. 537
§. II. *De lucernis Aegyptiorum in sacra animalia transformatis.* 538
§. III. *Lucerna Aegyptia tetralychna.* 539
§. IV. *De lucerna Canubica seu Canina, aut* Κυνομόρφῳ. 540
§. V. *De lucerna Sphyngis.* 541
§. VI. *De Lucernis phallicis.* 542
§. VII. *De lucerna Typhonia.* ibid.
§. VIII. *De lucernis polylychnis, quæ in cryptis subterraneis Aegypti passim reperiuntur.* 544
§. IX. *Vtrum Aegyptij verè in subterraneis cryptis lucernas perpetuo lumine ardentes constituerint; & quod eorum fuerit artificium.* 545

ANACEPHALÆOSIS TOTIVS OPERIS. 551

PRAEFATIO. ibid.
Caput I. *De veterum Aegyptiorum doctrina & sapientia.* 552
Argumentum I. *Symbolorum hieroglyphicorum multitudinem non esse innumerabilem, vti nonnulli Censores obijciunt.* 553
De requisitis ad hieroglyphicorum interpretationem. 558
Argumentum II. *Hieroglyphica non syllabis, vocibus, ac periodis constare, vti reliqua idiomata, sed idealium rerum cognitionem esse.* 559
Argumentum III. *Hieroglyphica ex mente Aegyptiorum non tantum symbola*

bola significatiua rerum altissimarum, sed & ob occultam quandam cum supramundanis causis connexionem, attractiua Numinum, atque ab aduersis praeseruatiua fuisse. 563

Argumentum IV. *Consensus omnium Philosophorum, & Poetarum, circa Theologiam Aegyptiorum, demonstratur.* 568

§. I. *De vnitate & bonitate Dei, vti & rerum omnium causa, & rerum principio productiuo.* 568

Consectarium. 575

§. II. *De triuno principio Aegyptiorum dogmate.* ibid.

I. *Expiatio Mentium apud Aegyptios ad diuinorum influxuum receptionem necessaria.* 578

II. *Silentium necessarium.* 579

III. *Modus & ratio in purgatione seruanda.* 580

IV. *Crater purgationi necessarius.* 582

Epilogus. 588

Hymnus Mercurij Trismegisti in Pymandro. 589

INDEX
Rerum notabilium locupletissimus
ORDINE ALPHABETICO.

A

ABACI throno tabulæ Bembinæ subiecti schemata explicantur. 92
Ablutio corporis symbolum ablutionis mentis. 585
Abortiua non sepeliebant Ægyptij. 516
Absynthium marinum. 77
Acatia herba. 137
Accentus reperti ab Europæis, ad Sinicos characteres pronunciandos. 15
Accipiter quas literas dederit Aegyptijs. 45
Volans in tabula Bembina explicatur. 97
Solem significat. 125
Sacer. 148
Tutulatus. 186. dormiens. Ibid. & 198
Quadrangulo insidens. 198
209
Heliopoli cultus. 265
Est symbolum Intelligentiæ Solaris. 334
Accipitres bini concordiæ symbolum.
Accipitres tres mitrati. 237
Accipitrina capita duo quid significent? 191
Accipitrinum simulacbrum est Intelligentia Solaris. 334
Accipitris caput & baculum quid significent? 277
Adyta Ægyptiorum. 81. in ijs docebatur Theologia Ægyptiaca. 82
hieroglyphicis instructa. 83
Adyta Aegyptiorum omnia continebant. 156
Adyta Hebræorum. 82
Ægyptij rerum excellentiam per contrariorum appositionem denotabant. 225
Ægyptij putabant, animas piorum migrare in animalia sacra; impiorum in immunda. 389. Deos, Regesque sub laruis animalium cognoscere satagebant. 390. eorum cura in humandis mortuis. 393. eorundem dogma de reuolutione animarum. Ibid. non egrediebantur patrio solo philosophandi gratia. 554
Ægyptia quadrupedia tantùm assumpta pro hieroglyphicis. Ibid.
Ægyptij in hieroglyphicis instituendis Deos imitabantur. 81. manifestis symbolis occulta mysteria significabant. Ibid.
Ægyptij cur hieroglyphicis figuris vterentur ad significanda diuina mysteria. 132. 133
Ægyptij ad Deorum fabricam omne animal vnà cum homine assumpserunt. 134
Ante consultationes placabant Deos. 170
Eorum lingua duplex. 42. eorum literæ desumptæ ex animalium formis, incessu &c. Ibid.
Ægyptiorum Veterum doctrina hoc Opere restauratur. 552
Ægyptiorum sapientia à sacra Scriptura commendatur. 562
Ægyptiorum intentio in Obeliscis erigendis. 564

Aegy-

Ægyptus μεγάχ[?]ων dicitur. 128
Ægyptus fidem Christi suscepit statim ab eius passione. 515
Aëreæ potestates Aegyptijs notæ. 292
Africæ solitudo dicta mare sabulosum. 597. *in ea rupes Austro consecrata.* Ibid. *in ea Sphynges.* Ibid.
Agathodæmon Ibiacus & Ophionius. 239
Agathodæmon per literam, A, significatur. 183
Alphabetum mysticum Ægyptiorum. 42
Amilicti. 86. 242
Ammoniæ Intelligentiæ Minister ingeniculatus in tabula Bembina. 141
Amor rerum in quo consistat. 484
Amuleta ad Momphtam attrahendum. 464. *ad Nili incrementum obtinendum.* 470
Amuletariæ artis origo. 564
Amuletorum gestatio. 219
Amuletorum variæ classes. 518. *& seqq. &* 528
Amuletum ad alliciendum Dæmonem polymorphum. 335
Anagogicus sensus tabulæ Bembinæ. 150
Androsphynx mitrata. 236
Androsphynx tabulæ Bembinæ. 97. 138. *eius Potentiæ.* 97
Angeli 12 Mundi præsides, eorumque termini ex Iochaide. 118
Angeli exemplar Aristocratici status. 169
Angelus omnia in se complicat, sed modo angelico. 152
Animalia sacra Ægyptijs quatuor. 45
Animam Mundi per sacrificia trahendi ritus. 157
Animas de sphæra in sphæram transmigrare credebant Ægyptij. 393. *eorum modus sepeliendi.* 395. 396. *funerum species tres habebant.* Ibid.
Animi purgandi cura apud Ægyptios. 578. *necessaria.* Ibid. *in quo consistat.* 579. 580. 581
Anser sacer. 242
Anser sacræ tabulæ insidens. 201
Anseris figurâ nauium puppes ornabantur. 64
Antiquissimorum characterum Sinensium explicatio. 16. 17. & seqq.
Anubis apud Ægyptios idem quod Hecate apud Græcos. 122. *eius simulachrum ante templorum fores.* Ibid.
Apidis solemnitas. 285. *eius delubra.* ibid. *in eius solennitate Crocodili mansuescebant.* ibid.
Apopas Dæmon Solaris ex tribus dodecadibus compositus. 296
Apotropæum Numen Borealis regionis. 123
Aqua rerum omnium principium iuxta Veteres. 437 *eam vocabant Oceanum.* ibid.
Aquarij signum Leoni cur apponatur. 462
Aqueæ naturæ præsides 12. in Obelisco Barberino. 294
Arabes vtensilibus literas insculpebant. 510
Archetypi Mundi virtutes latentes. 185
Archontes rerum præsides. 300
Aries biceps Ammonem refert. 146
Aristocratici status exemplar Angeli. 169
Aristolethia. 71
Aristotelis doctrina de Ideis secundum Ægyptios. 133
Armenorum characteres hieroglyphici. 40. & 42
Artemisia herba. 71
Arundinem Crocodili auersantur. 285
Arundo cur Baccho tribuatur. 233 *eius duo genera.* ibid.
Asphaltus cadauera contrahit. 516

Aspidis cultus apud Ægyptios. 187
Aspido-sphynx quid significet. 144
Aspis è globo emergens & Cruci ansatæ se insinuans. 182. *caudam mordens.* 183
Aspis è circulo emergens. 201
Aspis Ophionius. 120
Assecla throno medio tabulæ Bembinæ adstantes. 90
Astronomici characteres ♌ *&* ♒. 462
Auctoritates pro doctrina hieroglyphica. 2. 3. 4.
Auerrunci Dij. 487. *Statuæ variæ auerruncæ.* Ibid. & seqq. *eorum instrumenta varia.* 489 *auerrunca Dea Isis.* Ibid. *auerruncæ statuæ, dictæ Mesitæ.* 495 & seqq.
Auis Numidica australium influxuum symbolum. 127
Author Romam accersitur ad interpretandum Obeliscum Barberinum. 272. *eius scopus in Obeliscis interpretandis.* 275
Authoris studium in eruenda Ægyptiorum doctrina. 553
Azonij Dij. 101

B

B*Aeth idem quod Accipiter, seu Taustus.* 286
Barra sacra quid? 358
Barys nauis. 164. 196
Betonica. 78
Bitumine liniebant Ægyptij mortuorum corpora. 394
Bituminosa loca Aegypti. 548
Bonum primum & imparticipatum Deus. 151
Borealis plaga pars Mundi dextra, Australis sinistra, iuxta Aegyptios. 127
Bos albo niger quid significet. 105 106
Bos Apidem significat. 186
Bos humana facie flammas euibrans. 509
Bos Mneuius. 146
Bos Solaris Numinis symbolum. 311
Bouem loco Accipitris ponebant Aegyptij. Ibid.
Boues duodecim in Obelisco Flaminio 237. *& in Obelisco Sallustio.* 263
Brachium humanum extra phallum prominens quid significet. 415
Brachmanes 21. *eorum viuendi ratio* Ibid. *literæ.* Ibid: *vtrum sint hieroglyphica* 22. *rebus cœlestibus appropriatæ.* Ibid. *ad planetas spectantes* 23 *&* seqq: *ad Cælos & sidera.* 26.
Bryonia. 77
בתכ *quid significet in lingua Phœnicum.* 45
Buglossa. 78

C

C*Abalistæ exprimunt per literas, quod Aegyptij per hieroglyphica.* 136
Cabalisticum effatum de Mundorum productione. 110
Cadmus ex Aegypto literas traduxit in Græciam. 56 *Græcarum literarum inuentor.* Ibid. *erat Aegyptius.* Ib.
Cæpas quas abhorruerint Aegyptij. 75
Camæphytis. 71
Canis quas literas dederit. 45
Canis Anubin significat. 135
Canes cum flagellis quid significent. 416
Canophoræ. 226
Canopus idem cum Momphta. 295
Canopus quid. 436
Canopi Gualdiani expositio. Ibid. & 438. 439
Canopus ex thesauro hieroglyphico Herwartij. 440
Canopus palatij Legati Melitensis. Ibid.
Canopicum oraculum. 442

Canopici oraculi characteres 443. *quid ij significent.* 444
Canopicus Genius Apotropaeus. 445. 446. 447
Canopicum vas. 447
Canopi historia & origo. 449
Canopi monogramma. Ibid.
Canopica statua ex Museo Smithij. 450
Canubicum Numen omnium maximum. 443
Caput bouinum tabulae Bembinae. 137
Catenae heracleoticae. vnde originem ducant. 155
Catenae apud Aegyptios. 249
Catena Geniorum Lunae-Solarium. 337
Catenae seu Sirae Aegyptiorum. 479
Catena Iyngaea quid. Ibid.
Catenarum quas Siras vocant, origo. 563
Cauernae Mumiarũ, earumq; descriptio. 400. & 401. *numerus ingens.* Ibid.
Causatum est in causa, à causa, ad causam. 152
Cecrops Aegyptius. 56
Centauria. 69
Chamaelea. 27
Chamaemilla. 75
Chami posteri colonias misisse videntur in Sinas. 10
Characteres significatiuos conceptuum omnes ferè gentes habent. Ibid.
Characteres Sinensium quando instituti. Ibid.
Characteres Sinensium ijdem cum Iaponiorum, & aliarum adiacentium Nationum. 15. *idem character Sinensium diuersa significat pro accentus diuersitate.* Ibid.
Characteres hieroglyphici Armenorum. 40
Characteres Brachmanum. 21. *vtrum sint hieroglyphica.* 22. *triplici Mundo appropriati.* 23
Characteres planetarum effectus significantes. 23. & seqq.
Characterum Seruianorum Cruci inscriptorum interpretatio. 38 39
Characteres minuti Isidi throno insidenti adscripti explicantur. 93
Characterum minutorum tabulae Bembinae interpretatio. 158
Characteres hieroglyphici conceptuum notae. Ibid. *ex omnibus ad sacrificia spectantibus assumpti.* Ibid. *eorum vsus varij.* Ibid. *interpretatio.* 159
Characteres Numinum monogrammatici. 362
Chenosiris sacer. 242
Choragi Genialis simulachrum. 510
Cidaris seu mitra Sacerdotalis sapientiae signum. 179
Cistophori cistae sacrae. 226
Caelorum effectus & influentiae secundùm Brachmanas. 26. 27
Caeremonia attractiua Deorum. 86
Caeremoniae faciendae Daemoni Polymorpho. 289
Columba aërem significat. 291
Concordia Regnorum vnde? 170
Concordiae symbolum bini Accipitres. 198
Coniugia idealia decem Deorum. 145 *coniugium Horeae Intelligentiae cum Momphta.* Ibid. *Mentis Mneuia cum Horo.* 146. *Mentis Isiacae cum Momphta.* Ibid. *Animae Mundi cum Mundo sensibili.* Ibid.
Constantinus Magnus. Constantinopoli circum fabricatur. 162. *mittit in Aegyptum ad quaerendum Obeliscum.* Ibid. *curat deferri Ramessaeum Alexandriam.* 163
Constantius Imperator Romam venit. 163. *iubet portari Romam Obeliscum Alexandriā.* Ibid. *& erigi in Circo Maximo.* 164
Coriandrum. 78
Cornucopia tribus modis pingitur ab Aegyptijs. 287

Corona papaueribus & perseæ folijs ornata. 200
Coturnicis antipathia cum Sole & Luna. 124
Coturnix symbolum tyranni. 203
eius proprietates. Ibid.
Crater beneficus Osiridis. 199. *eius mysteria.* Ibid.
Crocodili throno Pantamorphi Numinis subiecti. 46
Crux ansata inter characteres Sinenses. 13
Crux ansata Genij ignei. 277. *mysteria eius grandia.* Ibid. & 278
Cucurbita cur Mercurio oblata. 288
Cuscuta. 78
Cyclamius. 75. 77
Cynocephalus manus ad Lunam eleuans. 104. 114
Cynocephalus cum psilio Lunaris Genij symbolum. 142. *significat Mentem Luna-Solarem.* 147

D

Dæmones boni & mali Mundo dominantur ex Trismegisto. 202
Dæmonis polymorphi symbolum. 334
Decusses binæ symbolum numericum. 318
Dei cultus adhibendus ad conseruationem Regnorum. 195
Dei effectus cerni, natura minimè à nobis potest. 222
Delphici templi inscriptio. 574
Democratici status exemplar Mundus sensibilis. 169
Deo trinam potentiam attribuebant Ægyptij. 89
Deorum magna porta in tabula Bembina. 90
Deorum cultus publicus alia dona postulabat, alia priuatus. 219
Deorum occultus ingressus per vestigia pedum significatur in Obeliscis. 283
Deorum in firmamento stationes. 300
Deus bonum primum & imparticipatum. 151. *omnia continet, & est omnia in omnibus.* Ibid. & 152 *omnia producit.* Ibid. *eius vis fœcundatiua in omnibus.* Ibid.
Deus exemplar Monarchici status. 169
Deus cæruleâ veste indutus cur pingatur. Ibid.
Dictamnus. 75
Differentia inter characteres Sinenses & hieroglyphica. 13
Differentia inter Sphynges & Leones Momphtæos. 468
Dij mundi ab Aegyptijs culti. 218
Dij sub figuris animalium comparebant hominibus. 389
Discordiæ symbolum. 202
Dissidia Regnorum unde. 170
Dissidium rerum sublunaris Mundi. 209
Diuinandi scientiam quomodo inquisiuerint Aegyptij. 157
Diuinitatem per omnia diffusam dupliciter considerabant Aegyptij. 89
Diuisio varia tabulæ Bembinæ. 87 & seqq.
Dominicus Fontana erigit Obeliscum Vaticanum. 372
Dracontæa. 73
Duodenarij numeri prærogatiua. 217

E

Effectus ex placatione Deorum per ritus Sacerdotum. 289
Elementa ex internis elementis profecta. 155. *eorum fructus vegetabilia.* Ibid. *eorum virtutes & qualitates.* 217. *eorum hieroglyphica.* 276
Ellychnium incombustibile dari potest. 543
Enneados sigillum. 127

Epilogus huius Operis. 588
Erectio Obelisci Vaticani. 372. 375
Ergatæ pro Obelisco Vaticano erigendo. 373
Ergatarum potentia pondus superare debet. 375

F

FAbula de Rege Ægypti sub Leonis forma circumeunte. 390
Fascia hieroglyphicæ Mumiarum. 420 421
Fasciæ Peiresciana explicatio. 428
Fati hieroglyphicum. 206
Fato non subijcitur anima nostra. 205
Fauissæ sacræ. 200
Felis Lunæ hieroglyphicum. 121
eius simulachrum Heliopoli. Ibid.
Ferculum seu feretrum, eiusque significatio hieroglyphica. 226
Ferula cur Baccho tribuatur. 232
Ferula à ferendo dicta. Ibid.
Ferulaceis thyrsis cur vtantur Ægyptij pro symbolis. Ibid. & 232
Figura medio throno tabulæ Bembinæ insidens. 90
eius asseclæ. Ibid.
Finis cuius gratiâ conditus à Deo homo, optimus. 194
consistit in actione circa optima. Ib.
Flammæ subitaneæ è cryptis apertis subinde erumpunt. 547
Flos Loti. 280
Folia & flores numeros Dijs congruentes exhibentes dicabant Ægyptij. 61
Fontanæ summitates Ægyptiorum. 259
Fontes septem quos venerabantur Aegyptij. 111
Fontium patres. 85. 117
Fons vitigineus. 114
Fuga è Mundo quid secundum Platonem? 581
Fundum paternum quid sit? 94
Geniorum cœtus diuisit in tres triades. Ibid. eius varia nomina. 99
Funebris pompæ descriptio lepida ex Apuleio. 425
Funebris pompa Romanorum. Ibid.

G

GAllus gallinaceus cur non reperiatur inter hieroglyphica. 515
Genethlij quid? 475
Genij multi in singulis triadibus. 100
Genij occiduæ plagæ. 122
Genij Solares duodecim. 218
Genius Boreæ plagæ, eiusque nouem signacula. 124
Geniorum ignis & aquæ idealia schemata. 142
Genius Horæus, & Niloticus. 148
Genios per res ipsis analogas trahebant Aegyptij. 157
quomodo eos placabant. 288
Genij concordiæ duæ Cornices. 184
Genios duodecim cur elegerint Aegyptij. 219
Genij singulis Mundi plagis assignati ab Aegyptijs. 244
Genij intellectualis Mundi, malorum auerruncatores. 245
Genij 48 Pantamorphi Numinis Ministri. 274
quibus placandi ritibus. 275
quibus amuletis colendi. Ibid.
repræsentati sub figuris 48 constellationum. 276
præcipui naturæ præsides. Ibid.
Genius ignis. 277
Systema rituum, quibus colendus. Ibid. circulus in capite eius quid significet. 278
sedes quadrata. Ibid.
Tutulus. Ibid.
Genius aëris. 279
eius habitus & ornatus. Ibid.
Genius aquæ. 280
eius habitus & ornatus. Ibid.

Ge-

Genius terræ. 281
eius habitus & ornatus. Ibid.
Genij sex in qualibet columna Obelisci Barberini. 282
eorum sacrificia apta. 286
Genius agriculturæ. 282
Oeconomiæ spermaticæ. 286
Mercurialis. 287
Polymorphus. 289
Terrestris. Ibid.
Momphto-Ammonius. 290
Anubicus. Ibid.
Bebonius. 292
Tutelaris nubium. Ibid.
Auerruncatiuus malorum. 293
Genij tutelaris Lunaris & Solaris hieroglyphicum. 295
Geniorum 48 stationes respondent 48 stationibus Deorum in cœlo. 300
Genij Obelisci Monticœlij. 321. & seqq.
Geniorum Solarium simulachra. 335
Geniorum humidi & calidi symbola. 344
Globus alatus cum serpentibus quid significet. 136
Globus è cuius fundo duo pedes emergunt. 196
Globus serpente circumdatus. 138
Globus serpentibus fœtus. 353
Græci Deorum simulachra literis exornabant. 510
Gratitudo erga Deum pro beneficijs. 226

H

Habitus fœmineus Sacerdotum Ægypti. 281
Harpocratis statio. 297
Hebræorum figmentum de animarum transmigratione. 390
Hecate quid? 100. 126
eius simulachrum. 101
ornatus & habitus eius. Ibid.
Genij asseclæ eiusdem. 102
Tæniæ eius. Ibid. *Tutuli.* Ibid.
Hecatæ azonæ tres. 183
Hecatica triadis regnum tripartitum. 102
Heliopolis antiquæ situs. 331
Heliotropium. 73
Hemphta supremum Numen. 181. 217
Herbæ & plantæ Aegyptiacæ. 65. 69
earum vires per somnia inquirebant Aegyptij. Ibid.
de ijs libri scripti ab Ægyptijs. 68
Herba Motmutis. 148
Hermapionis interpretatio Obel. Flaminij. 250. & seqq.
falsa est. 253. & seqq.
Herodotus arguitur circa argumentum Obeliscorum. 354
Herodoti error. 558
HerWartius in tabula Bembina interpretanda à scopo aberrat. 255
Hieroglyphicum quid sit? 8
Hieroglyphicè quid inciderint Aegyptij. Ibid.
Hieroglyphica non saxis tantùm, sed alijs etiam materijs incisa. Ibid.
Hieroglyphica doctrina solis Sacerdotibus communicata. 9
eius origo. Ibid.
eâ imbutus Moyses. Ibid.
Author eius Trismegistus. Ibid.
Hieroglyphica quomodo à cæterarum Gentium characteribus distinguantur. 10
Hieroglyphicorum falsorum Schematismi. 41
Hieroglyphicum Peirescianum. 54
Hieroglyphica lectio quomodo instituenda. 67
Hieroglyphica doctrina non continet laudes Regum. 253
Hieroglyphica pyramidio & lateribus Obelisci Sallustij insculpta. 260
Hieroglyphica Obeliscorum continent Theologiam Aegyptiorum. 269
Hieroglyphica cum ordine insculpebantur. 466

Hieroglyphica eadem cur repetantur eodem in loco. 467. 517
Hieroglyphica literatura Cambysis temporibus perire cœpit. 515
Hieroglyphica non sunt innumerabilia. 555
eorum triplex ordo. Ibid. & 554
Hieroglyphica diuersa vltra 300 non reperiuntur. 556
Hieroglyphica ad res sublimes significandas adhibita. Ibid.
Hieroglyphica multa sunt Amuleta. 557
Hieroglyphicorum interpretationi necessariò requisita quæ? 558
Hieroglyphica non sunt literæ. 559
Hieroglyphica literatura quid. 564
est symbolica. 559
similis est Phronoschematis. 560
Hieroglyphica putabantur habere vim ad Numina attrahenda. 563
Hieroglyphicorum interpretatio difficilis. 566
eorum notitiam quibus subsidijs acquisiuerit Author. Ibid.
Hieroglyphica doctrina quid sit. 567
verè in hoc Opere exposita. Ibid.
solis Sacerdotibus tradebatur. Ibid.
Hieroglyphicæ figuræ quid sint? 133
Hierogrammatismi varij explicantur. 62
Meleagridis & Anseris hierogrammatismi. 63
Hirci caput aræ impositum in tabula Bembina. 140
Hirtini sceptri significatio. 220
Hircus hieroglyphicè quid significet? 112
Hirundo symbolum beneficiorum Osiridis & Isidis. 241
Historia de Persa Scarabæum calcante. 391
Homoscopius. 149
Horæum caput Obelisci Sallustij quid denotet. 262
Horoscopus. 120
Horus. 119
eius assecla. Ibid.
Horus nauis gubernator in tabula Bembina. 139
Horus ingeniculatus Ositritem herbam tenens. 143
lecto incubans. 145
Horus Hippopotamum configens. 146
cum lituo quid significet. 173
duplex, inferior & superior. 197
Horus cur pueri forma exprimatur. 262
Hori sacrificia. 296
Humidum omne Osiridis affluxus. 128
Hyena symbolum inconstantis. 357
Hydroplium schema. 220
Hymnus Trismegisti. 589
Hyoschiamus. 72
Hypozoci. 86

I

Ibimorpha figura tabulæ Bembinæ. 95
eius explicatio. Ibid. & 96
Ibimorphus Nilotici incrementi Numen. 96
Ibis cur Agathodæmon dictus. Ibid.
primam Ægyptiorum literam dedit. Ibid.
in honore apud Ægyptios. 44
Mercurio dicata. 45
Ibis Lunæformis significat Intelligentiam Lunarem. 147
Ibis Mercurium significat. 178
gnomoni insidens. Ibid. & 179
Ibis throno insidens. 148
Ibium in Serpentes immissio. 43
Ichtiphallia. 226
Ideæ quid sint iuxta Veteres. 129
earum assertores primi Ægyptij. Ib.
Ideæ rerum omnium in mente Dei. Ibid.
Imparticipatæ in mente Diuina, participatæ in alijs. Ibid.

Idea extra mentis terminos non reperitur. 130
Ideas paterna mens produxit. 131
Idealia decem Deorum coniugia. 145
Idearum tabulæ Bembinæ vsus & vtilitas. 153
earum tres gradus. Ibid. & 154
Ideæ conferunt ad nexum rerum. 154
ad generationem rerum. Ibid.
ad intelligendum. Ibid.
ad diuinationem. Ibid. & 155
Idola Mumijs assuebantur, 418
Idola à Nardio transmissa. Ibid.
Idolum cedrinum Musei Kircheriani. 420
Ignis symbolum subterranei Osiridis. 131
eius cultus apud Ægyptios. Ibid & 532
Ignes quales in adytis Ægyptiorum. 533
Ignibus cœlestes Deos colebant. 534
Impia diuinatio ex 48 Asterismis. 301
Inferiora continentur in superioribus. 151. 152. 153
per inferiora Ægyptij ascendebant ad superiora. Ibid.
Inferiora gaudent superioribus. 156
Intelligentiæ hylææ duodecim. 238
Intelligentia Mercurialis. 239
Iouis Labradæi simulachrum. 184
Isis Mater vniuersæ naturæ. 92
Isis subterranea. 126
Nilotica. 127
Isis in somno apparens docet medendi rationem. 157
Isis Momphtæa Mundi Domina. 261. 262
Isis Genius terræ. 281
Isis sedens velata & baculum tenens. 281
Isis totius generationis susceptrix. 499
Iuncus Niloticus quid? 234
eius significata. Ibid. & 135
Iynges & Sphynges vocabant Ægyptij ideas. 130
Iynges seu Ideæ examini apum comparantur à Zoroastro. 131
eas Ægyptij varijs symbolis exprefserunt. 132
inteligunt à Patre intellectæ. 136
Iynges septem sibi inuicem concatenatæ. 480. 481
prima cæteris maior. Ibid.
suprema in cæteras influit. 482
Iynges animarum transuectrices. 483
Iynges octo insertæ idolo. Ibid.
Iynges Andromorphæ quid significent. 416
Iyngis Pantamorphæ symbola. 91
Iyngis Pantamorphæ throno exprimitur rerum mundanarum vicissitudo. 92
Iynx Pantamorpha idearum mundialium penuarium. Ibid.
Iynx Verbum diuinum. 144
Iynx quid apud Ægyptios. 479
Iynx Intelligentia Deo proxima. 483

K

KTriologica symbola pauca sunt. 551

L

LEcti Momphtæi asseclæ. 145
Lecythi. 286
Leges humanæ ad diuinæ legis normam conditæ vim habent. 169
necessariæ hominũ societatibus. 170
eas dat Deus hominibus. 171. 177
necessariæ vnà cum scientijs ad Regnorum conseruationem. 172
earum obseruatio in quo consistat. 177
Leges octo Hermeticæ. 189
quatuor ex Herodoto. Ibid. & 190
earum hieroglyphica. Ibid.
quinque leges portis incisæ. 197
earum hieroglyphica. Ibid.

Leges Niloticæ. 200
Leges sacræ in Obelisco Flaminio contentæ. 218
Leges de sacrificijs ritè instituendis ab Ægyptijs Sacerdotibus conditæ. Ib.
Leo ignem significat. 143
Leo Momphtam significat. 464
Leoninæ statuæ significatio. 221
Leonis capita cur fontibus adhibita. 224
Leonis & Aquarij signa seu characteres. 225
cur Nili inundationem significent. Ib.
Lepus vigilantis Regis symbolum. 202
Libri de herbis & plantis Aegyptijs. 68
Libri Magici Aegyptiorum Sacerdotum. 82
Lineum amiculum Sacerdotum puritatis signum. 179
Lineus habitus quid denotet. 278
Linguæ genus duplex Aegyptijs vsitatum. 42
Lingua Græca num ab Aegyptia. 57
Lini mysteria. 279
Literæ Aegyptiorum ex varijs animalibus desumptæ. 43. & seqq. 46. 47
inseruiebant etiam inscriptionibus hieroglyphicis. 55
Literæ Aegyptiacæ à Cadmo in Græciam traductæ. Ibid.
Litera Δ quid significet. Ibid.
Literæ Cæsarei Oratoris apud Turcam ad Authorem. 304
item Interpretis eiusdem. 305
Litui ex ferulaceis thyrsis. 232
Lituus seu baculus incuruus. 173
in Hori manibus quid significet. Ib.
dominij signum. 179
Loti flos Solem sequitur. 135
Loti flore Solem sequente Aegyptij quid indicent? Ibid.
Lotus. 75
Lucernarum festum apud Aegyptios. 531 & 532
Lucernæ quibus locis ponerentur. 533 & 534
variarum figurarum. Ibid. & 535
antiquissimis temporibus in vsu. Ib.
Lucernæ variæ in particulari explicatæ. 537. & seqq.
Lucernam Apidi cur posuerint Aegyptij. 539
Lucerna tetralychna in Comasijs circumferebatur. 540
Lucernæ perpetuæ putatæ. 545
diuersis modis constructæ. 546
vtrum naturaliter possint fieri. 547
Lucernas perpetuas quomodo Aegyptij construere tentarint. 548
cur eas posuerint in cryptis. 549
Ludouisius Obeliscus. 258
Lunaris statuæ habitus. 221
Luna Solis vicaria. 121
Sol nocturnus. Ibid.

M

Magia naturalis originem duxit à cognitione sympathiæ & antipathiæ rerum. 154
Magiæ naturali Diabolus se miscuit.
Magiæ origo. 564
Mala punica seu papauera offerebant Aegyptij Sacerdotes. 144
Mala mundi siderei, eorumque antidota. 205
Malchut quid? 583
Mali punici symbolum. 193
Malogranata & papaueracea capita, regnorum vnionem denotant. Ibid.
Mandarinorum Sinensium lingua. 15
Marrubium. 74
Matarea Aegypti. 330
Materia prima per ranam significata. 439
Melchitæ quinam fuerint. 37
Melissi de Deo sententia. 572
eius Theologia nostræ similis. 573
malè reprehenditur ab Aristotele. Ib.

Meleagris. 63
Isidi sacra. Ibid.
vnde dicta. Ibid.
qualis. Ibid.
eius caput trigonum. Ibid.
Memphis multa antiquitatis vestigia retinet. 400
cauernæ circa illam. Ibid.
Mendesia tabula sacra. 335
Mendes ab Ammone in quo differat. 336
Mensæ in adytis Aegyptiorum. 83
Mensarum sacrarum vsus. Ibid.
appellabantur Anclabræ. Ibid.
Dijs dedicatæ. Ibid.
diuersæ materiæ. Ibid. & 84
erant Aræ. Ibid.
earum origo ab Aegyptijs. Ibid.
Mensa sacra. 279. 280
Mens suprema triformis quomodo se mundo communicauerit. 91
Mens hypozoca. 96
eius habitus fœmineus. Ibid.
hieroglyphica inscriptio. 97
Mentastrum. 77
Mercurialis herba. Ibid.
Mercurij munus. 201
Meridionalis plaga ab Aegyptijs in veneratione habita. 127
Metempsychosis quid. 388
eam credebant Aegyptij. Ibid.
ab illis eam hausit Pythagoras. 390
circa illam error Platonis & Iuliani Apostatæ. Ibid.
opinio Orphei & Zoroastri. Ibid.
huius dogma latissimè fuit diffusum. 391
de ea Mahumetis opinio. Ibid.
Mexicana lingua & literæ. 28
Mexicani picturis loco characterum vtuntur. Ibid.
eorum characteres non sunt hieroglyphica. Ibid.
numerorum notæ apud illos. Ibid.
annorum notæ apud eosdem. Ibid.
Mexicani annum in 18. Menses diuidebant. 28
seculorum classes apud illos. 29
singulis seculis suis mundi interitum expectant. Ibid.
eorum anni initium. 30
Mexicanorum mensium nomina. Ibid.
Mexicanarum picturarum interpretatio. 31. & seqq.
Minæ Dijs antitechnis intentatæ. 521
eas Dæmonones abominantur. Ibid.
Minuti characteres hieroglyphici non sunt literæ vulgares. 420
Momphta naturæ humidæ præses. 98
Momphtæum Numen. 184
Momphta duplex. 221
Momphtæ habitus. 222
penna in eius capite quid significet. Ibid.
cur sedens. 223
Momphta summus influit in mundum per 12 Genios. 218
Momphta seu Nilotici humidi præses. 323
Momphtæ statua. 504
Momphtææ Potentiæ symbolum. 509
Monarchici status exemplar Deus. 169
Monarchicum statum Aegyptij approbabant. 169. 195
eius membra Rex, Sacerdotes, populus. Ibid.
Monas omnium rerum principium. 575
Dyadem generat. Ibid.
Monogrammata Phta & Muth. 181
Mons Pagodum in India. 22. 27
Morphei Regnum in elementari mundo elucet. 324
Mos condiendi cadauera apud Aegyptios. 387
Moyses instructus doctrinâ hieroglyphicâ. 9
Mumiæ, earumque conditoria & hieroglyphicorum, quibus inscribuntur, significatio. 387. & seqq.

earum schematismi, pictura, hieroglyphica, forma &c. 388
Mumia vox Persica. 396
non sunt cadauera Sole exsiccata. 397
solo asphalto condiebantur. Ibid. & 398
Mumiarum capsæ è saxo aut ligno. 400
Mumiarum sub linguis lamina aurea. Ibid.
Mumiarum schematismi à Ioanne Nardio ad Authorem missi. 411. & seqq.
Mumijs idola assuebantur. 418
Mumiarum fasciæ hieroglyphicæ. 420
Mumiæ variæ ex varijs Museis excerptæ. 425. & seqq.
Mundum triplicem statuunt Sapientes. 22
Mundi triplicis characteres iuxta Brachmanas. 23
Mundi Angelici symbola. 91
Sensibilis. Ibid.
Mundus triformis. 107
Mundi octo primarij iuxta Ægyptios. 107. 108
Platonicorum de ijs sententia. Ibid.
Cabalistarum de ijsdem sententia. Ib.
Mundi singuli habent suas Potentias in triades distinctas. 109
Mundus conseruatur humidi & calidi temperie. 141
quadruplex Ægyptijs. 150
Mundus est vmbra Dei. 151
Mundus visibilis imago est inuisibilis Dei. 153
Mundus Sensibilis exemplar status Democratici. 169
Mundi Sublunaris dissidium. 209
Mundus archetypus nullum continet malum. 210
Mundum in duodecim plagas diuidebant Aegyptij. 217
Mundus constat duobus Crateribus. 583
Murus dodecapyrgus, heptapyrgus &c. 174. 175
Muri figura significat Regnum aut Ciuitatem in Obeliscis. 175
Musica in Aegypto inuenta. 233
Mysteria diuina celari debent. 579
Mythras Persarum quid? 100

N

NAsturtium herba. 75
Naui impositæ figuræ in tabula Bembina. 138
Nauis Barys. Ibid.
Nauis puppis Accipitrino capite insignita. Ibid.
Nauis hieroglyphica. 139
Ammonia 156
Nephta tabulæ Bembinæ. 98
eius habitus & gestus. Ibid.
Nephte seu Proserpina. 289
Nilometriæ columnæ. 200
Niloscopij expositio. 223
Nilum venerabantur Aegyptij. 437
Nilus donum Deorum putabatur. 455
cultus ipsi exhibitus. Ibid.
fœcunditatis causa. 456
encomia & commoda. Ibid.
æmulatur phases Lunæ. 457
eius symbolum. 459
Niloscopium. Ibid.
Niloticorum canalium consecratio. 470
Noctua Typhonis symbolum. 187
in somno visa malum omen. 196
quid significet. 288
Noctuæ & Cornicis dissidium. 203
Nufar, seu Nilufar. 76
Numeri XXXVI. mysteria. 296
Numerus nouenarius Boream significat apud Aegyptios. 124
Septenarius Soli dicatus. 125
Numeros Dijs suis dicabant Aegyptij.
Numina Zonia & Azonia. 85
Numina sua exprimebant sub vtroque sexu Aegyptij & Græci. 98

Numina sub habitu masculino principium actiuum; sub fœminino passiuum significant. 98
Numina apotropæa seu Auerrunca. 148
Numina singula similibus donis placabant Aegyptij. 219
Numina primæ Classis Aegyptiorum. 507
Numismata è Museo Stephanoni. 248
Nymphæa. 75

O

OBeliscus Ramessæus siue Lateranensis. 162
eius historia. Ibid.
est omnium maximus. Ibid.
liberatur ab incendio à Cambyse. 163
defertur Alexandriam primùm, deinde Romam. Ibid.
erigitur in Circo Maximo. 164
eius mensura. Ibid.
à Gothis deijcitur. Ibid.
à Sixto V. erigitur in Campo Lateranensi. 165
symmetriæ epilogismus. Ibid. & 166
inscriptiones. 166. 167
interpretatio. 168
continet rationem ordinandi mundum politicum ad archetypum. 168 169
eius interpretandi ratio. 171
interpretatio difficilis. Ibid.
diuisio Obelisci. 172
Epigraphe. Ibid.
Obeliscus Sennesertæus siue Flaminius. 214
à quo fuerit erectus. Ibid.
eius basis. 215
mensuræ. Ibid.
inscriptiones. 216
argumentum. 217
Epigraphe. 235. & 236
Anacephalæosis. 248
Obeliscorum figuræ cur ruditer elaboratæ. 221
Obeliscus Sallustius seu Ludouisius. 258
eius symmetria. Ibid.
argumentum. 259
diuisio & interpretatio. 260. & seqq.
compendium est Flaminij. Ibid.
differentia inter eum & Flaminium. 269
Obeliscus Veranus seu Barberinus. 272
repertus in agro Verano. Ibid.
erector eius Sotbis & Ramesses. 273
vbi Romæ primùm erectus. Ibid.
eius magnitudo. Ibid.
argumentum. Ibid.
quibus Numinibus dicatus. 274
continet 48 Stationes Deorum. Ib.
finis cur erectus. 276
Obeliscus Constantinopolitanus, eiusque interpretatio. 304. & seqq.
Obelisci minores, & sunt Monticœlius, Mediceus, & Mahutæus, eorumque interpretatio. 318. & seqq.
Obeliscus Heliopolitanus, eiusque interpretatio. 330. & seqq.
Obeliscus Alexandrinus, eiusque interpretatio. 339. & seqq.
Obeliscus Florentinus, eiusque interpretatio. 348. & seqq.
Obelisci rasi. 368
Obeliscus Exquilinus, seu S. Mariæ Maioris. 369
Obeliscus Vaticanus. 370
Obeliscorum variorum fragmenta, eorumque interpretatio. 378. & seqq.
Obeliscus Campomartius subterraneus. 378. & 379
Obelisci minores 44 olim Romæ erecti. 383
Obelisci superstites continent doctrinam veterum Aegyptiorum. 552
Obelisci minores inter se sunt similes. 564

Oedi-

Oedipi Aegyptiaci adornandi occasio.
Oedipum Ægyptiacum tria scire oportet. 551
Olea. 280
Oleum inconsumptibile dari non potest. 547
Ophionia Mens. 148
Ophionius Agathodæmon. 199
Ophionium Numen. 335
Opertanea sacra. 226
Oraculorum origo. 564
Origanum. 77
Orphei de Trinitate sententia. 576
Orpheus in hymnis precatorijs Ægyptios imitatus. 159
Osiris inferiorem Ægyptum reddidit habitabilem. 42
Osiris & Isis Sol & Luna. 139
Osiris, Isis, Horus, Typhon, in mundo sensibili quid? 170
Osiridis catena. 187
Osiris agriculturam inuenit. 190
Osiris multipliciter consideratur. 237
Osiridis brachium. 280
Oualis figura in Obelisco Rameßæo. 172
Ouum Zoroastræum. 274. 275
Ouum quid referat. 280
Ouum liquorem stillans. 299

P

PAndocbes, eiusque assecla. 124
Papauer terræ symbolum. 193
Papaueraceum sceptrum significat politicam administrationem. 198
Papilio Dracontomorphus. 183. 195 196. 206
Papyraceus thyrsus. 183
abundantiam notat. 197
Parabolarum genus duplex apud Ægyptios. 8
Parmenidis sententia de Deo. 570
quo sensu vocet Deum finitum. Ibid.
& Circulum. 571
eius Theologia nostræ similis. 572
Passer simplicem populum denotat. 203
Pastophororum officium. 238
Paterna Mens. 85
paternum fundum. Ibid.
Paterni fundi tribus triadibus compositi nota. 282
Paternæ Mentis semina quæ? 480
Penates quid? 474
qui, & cur informes apud Ægyptios. 476
eorum statuæ binæ. 477
Penna in hieroglyphicis quid significet. 295
Penna Ibidis in manu Idoli Canopici. 441
Pentaphyllum. 70
Perseæ ramus triplex inuersus. 173
Persea semper viridis. 230
Perseæ ramus triplex & quatuor vniuscuiusque folia, quid significent. 230
Perseæ folia quid hieroglyphicè significent. Ibid.
rami inuersi. Ibid.
cur seminationis & plantationis symbola Persea. Ibid.
Persæ Mystas vocabant Leones. 390
Persea arbor. 135. 229
eius ramo cur vterentur Ægyptij in solennitatibus. 229
Phallus oculatus. 137. 279
Phallus oculatus amuletum Ægyptiorum. 415
Phallus variè ab Ægyptijs formatus. 528
Phœnicopterus Horum significat. 291
Phylacteria vnde dicta. 521
Phylacterium à Dom. Scaphilo missum. 526
Pisces in Obeliscis quid significent. 381
eos abominabantur Ægyptij Sacerdotes. Ibid.
sunt symbolum odij. Ibid.
Pisces non assumebantur ab Ægyptijs

pro hieroglyphicis. 555
Planetarum effectus qui significent characteres. 23. & seqq.
Plantago herba. 70
Platonis de Deo legifero sententia. 173
Platonis opinio de reuolutione animarum. 392. 393
Platonis de Deo sententia. 573
Plotini sententia de Deo. 573
Politici status idea. 168
Politica documenta. 191. 209
Politico statui subinde prosunt aduersa. 192
Polymorphi Dæmonis officia. 502
Polymorphæ statuæ. 500. & seqq.
Pondus Obelisci Vaticani quomodo exploratum. 374
Porta magna Orientis. 119
Occidentis. 120
Septentrionis. 123
Austri. 125
Porta mundi. 120
Portatilia simulachra Ægyptiorum. 494
Portulaca herba. 78
Potentiæ mundi Duces & Rectores. 510
Prothyræum Mercuriale. 288
Prouidentiæ Dei argumentum. 170
Prouidentia hydrothea. 297
Psammirtaus Rex Ægypti. 214
Pulegium herba. 77
Puritas mentis necessaria. 586
Pyramides duæ & tres circuli quid denotent. 282
Pythagoras quo tempore fuerit in Ægypto. 214
Pythagoræ sententia de Deo. 570

Q

QVadrangula duodecim Obelisci Flaminij. 237
Quadrans Astronomicus tabulæ Bembinæ signum temporis. 106
Quadrupedum raritas in Ægypto. 555

R

RAdius mentis diuinæ omnia implet. 143
Ramesses erexit Obeliscum omnium maximum 20000 hominum opera. 162
alligat filium eius apici. Ibid.
iubet adornari hieroglyphicis ad politicam spectantibus. 168
Ramis Perseæ & Loti Horum venerabantur Ægyptij. 229
Ramorum festum in honorem Bacchi.
Ramus Acatiæ. 139
Ramus triplex & inuersus in Obeliscis. 229
Rana flori Perseæ insidens. 104
Rana aræ insidens. 137
Ranam pingebant Ægyptij pro luto. Ib.
eam Isidi consecrabant. 138
Rana. 280
Ranæ in Canopo Gualdiano. 438
significant materiam primam. 439
Rectores Mundorum. 85. 111. & seqq.
eorum triades & officia. Ibid.
Rectores Mundi præsident mensibus & signis Zodiaci. 112
Reges Ægyptiorum Sacerdotes. 180
Regiones diuersæ tabulæ Bembinæ, earumque explicatio. 87. & seqq.
Rex omnibus Regni sui rebus adesse debet. 170
Rex Solem imitari debet. 191
omnia in subditis suis operari debet.
Ritus quibus inaugurabantur Sacerdotes Ægyptij. 181

S

SAcerdotibus solis hieroglyphica doctrina communicata à Trismegisto. 9
Sacerdotes Ægyptij quid petiuerint in Deorum inuocatione. 86

Sa-

Sacerdotes Aegyptij mitrati. 179
erant Reges. 180
quibus ritibus inaugurabantur. 181
Sacerdotum Aegypti ritus in adytis. 206
Sacerdotes nudi in Obelisco quid significent. 249
Sacerdos Isiacus linteatus. 278
Sacrificia quâ ratione instituerint Aegyptij. 267
Sacrificaturi ad quid attenderint. 155
Sacrificantium habitus. 156
Sacrificandi rationem continet tabula Bembina. Ibid.
Sacrificiorum ritè peractorum vis. 155
Salis copia conditis corporibus adiuncta non reddit illa incorruptibilia. 398
Sanguinaria herba. 75
Sapientiæ studium semper floruit apud Antiquos. 8
Satyrion herba. 70
Scarabæus. 147. 176. 179
sculptus in annulo. Ibid.
Regem denotat. 191
Scarabæi volantis significatio. 320
Scarabæi prophylactici varij. 522. & seqq.
Sceptrum recuruum. 231
Sceptro in thyrseo Osiridis tria consideranda. 234
Sceptrum Luniforme & Accipitriforme. 282
Scolopendrion herba. 77
Scylla herba seu cæpa muris. 74
Septa sacrorum animalium. 241. 283 & 299
Serapidis caput à Sole salutatum. 103
quid hieroglyphicè significet in tabula Bembina. Ibid.
eius assecla. 104
Serapis & Canub idem. 442
Serapes quid? 472
Serapis simulachro cur tot hieroglyphica incisa? 482
Serapis statua secunda explicatur. 483
Serapis statua Alexandriæ. 522
Serpentes stipantes thronum tabulæ Bembinæ quid significent. 92
Serpens globo circumfusus. 140
è globo emergens. 182
caudam mordens. 183
Serpentis symbolum varia significat. 352
Seruianorum characterum Cruci inscriptorum interpretatio. 38. 39
Sexu vtroque Numina sua exprimebant Aegyptij & Græci. 98
Sigillum Enneados. 123
Silex sacer quid? 335
Simendes idem Aegyptijs, quod Græcis Pan. 140
Simulachrum Accipitrino capite. 235
Sinensium characteres quomodo instituti. 10
Sinensem Regionem Chami posteri incoluisse videntur. Ibid.
Sinensium characteres hieroglyphicis similes. 11
eorum multitudo ingens. Ibid.
singuli singulis vocibus respondent. Ibid.
Sinensium character idem cum Iaponiorum & aliarum adiacentium Regionum. 15
idem character pro diuersitate accentus diuersa significat. Ibid.
Sinensium characterum antiquissimorum explicatio. 16. 17. 18. 19
ex varijs rebus desumpti. Ibid.
Sinica lingua difficillima. 15
Sinicorum characterum veterum exempla. 12. 13
ex omnibus rebus efformati. Ibid.
inter illos Crux ansata, & statua Serapidis. 13
inter illos & hieroglyphica Aegyptiorum differentia. Ibid.
Situs figurarum hieroglyphicarum attendendus. 142
Sothis stella incrementi Nilotici prænun-

nuntia. 116
Sothis Isidi tribuitur. 127
Sothis & Ramessis figura in Obelisco Rameßaeo. 180
Sphynges quid fuerint apud Ægyptios. 224
quâ occasione confictæ. Ibid.
Sphynges in delubrorum & adytorum crepidinibus. 130
earum descriptio ex Proclo. Ibid.
Sphynges in desertis Africæ. 397
Sphynges quales figuræ. 460
earum varia simulachra Romæ & in Ægypto. Ibid.
earum officium indicare incrementa Nili. 461
Sphynges Villæ Burghesiæ. 468. & seqq.
Sphynges aquæ felicis Romæ. 462. & seqq.
Sphyngis simulacbrum. 457
Sphyngis fragmentum. 458
Sphynx Nilotica. 115
eius habitus hieroglyphicus. Ibid.
Sphynx Accipitri-Leoniformis. 141
Sphynx Nilotica quid significet. 454
Stationes 48 Deorum in cœlo. 274
Statua lignea, eiusque expositio. 431 & 432
Statuas Deorum informes faciebant Ægyptij. 476
earum binæ. 477. & seqq.
Statuæ polymorphæ. 500. & seqq.
Statuæ characteristicæ. 506. & seqq.
Statuæ truncus sine capite. 507
eius explicatio. Ibid. & seqq.
Statuæ prophylacticæ. 511
Statuæ Ægyptiorum ornabantur figuris animalium sacrorum tantum. 516
Statuæ minas intentantes. 521
Stella in hieroglyphicis quid significet. 291
Stellis arbitrium humanum suppofuisse videntur Ægyptij. 205
Stolistarum officium. 188
Strigilis sacra. 240
Suppositiones pro doctrina hieroglyphica. 4
Symbola Mumijs impressa non significant res gestas defuncti. 430
Synochæ quid? 100

T

Tabulæ æneæ ex Museo Patauino interpretatio. 36. 37
Tabula Isiaca seu Bembina, cur ita dicta. 80
perijt in direptione Mantuana. Ibid.
eius magnitudo, materia, ornamenta. Ibid.
ex Ægypto Romam translata. 81
eius usus apud Ægyptios. Ibid.
erat mensa in Adytis. 83
eius argumentum. 85
Theologiam Ægyptiorum continet. Ibid.
finis ipsius. Ibid.
in ea exponenda Authoris protestatio. 86
diuisio varia. 87. & seqq.
Anatomia ipsius. Ibid.
in ea octo consideranda. Ibid.
interpretatio genuina. 89. & seqq.
eius simulachra omnia sunt amuleta. 157
sacrificandi rationem continet. 156
Tabula sacra Hermetica. 174
eius interpretatio. Ibid.
significata. 177
Tabulæ sacræ in Obeliscis. 220
celebriores duæ explicatæ. Ibid. & 221
alterius explicatio. 226. 242
Tabulæ ouatæ Obeliscorum non sunt literæ. 560
Tauticus character quid apud Aegyptios significarit. 226
ab Hebræis mutuatus. Ibid.
Templum Isidis olim Romæ. 383

Te-

Templum Hebræorum. 475. 495
Termini tres in Obelisco Ramesseo significant leges. 174. 176
Termini Mercurio sacri. Ibid.
Tessulata sedes Ibimorphi Numinis tabulæ Bembinæ. 95
Tetradice qualis herba. 352
Thaustus cur Accipitriformis. 128
Theologiæ Aegyptiorum compendium. 575
Thermutis significatio hieroglyphica. 116
Theurgicus seu Magicus sensus tabulæ Bembinæ. 155
Thyrsiphorus cur dictus Dionysius. 289
Thyrsorum ferulaceorum symbolum. 235
Thyrsus ferulaceus. 231
Niloticus. 280
Titus Liuius Burattinus multa hieroglyphica misit ad Authorem. 330
Traba quale instrumentum. 358
Triades septem tabulæ Bembinæ, 107 & seqq.
applicari possunt tribus Mundis. 111
Triades quatuor Rectorum Mundi. Ib.
Triadum Patres explicantur. 95
Mentes earundem explicantur. 96
Potentiæ explicantur. 97
Azoniæ triades explicantur. 100
Triangulum rectangulum geneticæ virtutis symbolum. 358
Trias quælibet constat Potentia, Patre, & Mente. 85. 94
quæ tria explicantur. 95
Trias Azonia Hecatina. 101
Serapæa. 103
Osiriaca. 105
eius Pater & Asseclæ. 106
Horæa trias. 109. 259. 261
Fontana. ibid.
Trias in toto Mundo fulget. 107
Trias Mendesia. 112
Ammonia. 113
Momphtæa. 115
Omphtæa. 117
earundem Asseclæ. Ibid.
masculus & fœmina in singulis. 113
Trias Horæa, eiusque Asseclæ. 119. 120
Trias Fontana, eiusque Asseclæ. 120 & 121
Trias Pantochæa, eiusque Asseclæ. 123 & 124
Trias Thaustica, eiusque Asseclæ. 121 & 126
Trinitatis sanctissimæ mysterium, ab Antiquis expressum. 100
Trinitatis descriptio. 587
Tripus cum cucurbitis in delubris Mercurij. 287. 288
Trismegistus condidit doctrinam hieroglyphicam. 168
eamque tradidit Sacerdotibus. ibid.
prohibet ne alijs tradant. ibid.
Trismegistus hieroglyphicorum institutor. 568
Dei Vnitatem cognouit. Ibid.
ab illo veteres Philosophi eandem didicerunt. 569
Trismegisti de Trinitate sententia 576
eiusdem sententia de creatione Mundi. Ibid.
Trismegisti de credendo sententia. 581
eius locus enodatur. 582
Triunum Deum Aegyptij agnouerunt. 575
Triunum Trinitatis Numen quale secundum Aegyptios. 577
Tutelarium Aegypti duratio regiminis. 393
Tutelares sex, eorumque nomina. 286
Typhonem cur non occiderit Isis. 209
Tyrannis ex Aristotele. 204

V

Vasa sacra à Nibusio missa. 524
Vasis Nilotici fragmentum ex Museo Authoris. 384

Vas Canopicum, eiusq́ expositio. 447
& 448
Vas Niloticum funiculo appensum. 191
Vas Niloticum, eiusque interpretatio. 448
Vas sacrum, eiusque hieroglyphica. 513
Verbenaca. 73
Vnitas secundùm Pythagoram est Deus rerum omnium principium. Ibid.
Volucres paucæ inter hieroglyphica repertæ. 556
Vrbs regia qualis esse debeat ex Platone. 175
Vultur Cœlum significat. 334

Z

Zoolatria Aegyptiorum. 389
Zoroaster docuit Persas cultum ignis. 534
Zoroastri de Trinitate sententia. 575

FINIS.

AVTHOR
LECTORI.

NVllum hìc errorum typographicorum Catalogum adtexo, quia nulli in hoc III. Tomo occurrunt, qui te offendere poſſint; aut quos, ſi offenderint, non facilè corrigas. Quod quidem iam ſæpe laudati Typothetæ noſtri Zachariæ Dominici Acſamitek à Kronenfeld Germano-Boëmi Pragenſis diligentiæ acceptum feras. Vale.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

LIBRARY BOMBAY BRANCH OF THE ASIATIC SOCIETY

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk.

Omnes ſunt duerniones præter Kkkk.

ROMAE,

Ex Typographia Vitalis Maſcardi, M DC LV.

SVPERIORVM PERMISSV.

00051065

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 02 January, 2016